
CA
PULORUM
Ann
1700 .. 1707




1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
CIRCUMSPICE

ACTA

ERUDITORUM

ANNO

M DCC V

publicata.

Cum S. Cæsareæ & Regiæ Polonicæ Majestatum Privilegiis.

LIPSIÆ.

Proſtant apud JOH. GROSSII Hæredes,
&
FRID. GROSCHUF.

Typis CHRISTIANI GOEZI.
A. M DCC V.

N. I.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Januarii, Anno MDCCV.

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ΚΥΡΙΛΛΟΥ ΙΕΡΟΣΟΛΥΜΩΝ Ἀρχιεπισκόπου τὰ Σωζόμενα.

SANCTI PATRIS NOSTRI CYRILLI HIEROSOLYMORUM Archiep. Opera, quæ supersunt, omnia. Quorum quædam nunc primum ex Codd. MSS. edidit, reliqua cum Codd. MSS. contulit, plurimis in locis emendavit, notisque illustravit THO. MILLES, S. T. B. ex Æde Christi.

Oxoniæ, e Theatro Sheldoniano, 1703. in fol.
Constant Alphab. 4 cum dimid.

IN Cyrillum Hierosolymitanum, ejusque opera edenda atque exornanda, jam olim plures industriam sat accuratam impenderunt, & *Catecheses* imprimis ejus emendate sistendas sibi elegerunt. Præterquam enim, quod easdem Viennæ anno 1560 editas fuisse, Catalogus Græcorum codicum Bibliothecæ Augustanæ memorat, circa idem fere tempus *Jacobus* quidam *Uchanski*, Archi-Episcopus Gnesnensis, Regnique Poloniæ Primas, Catechesewn ex Macedonia nactus exemplar, Slavorum idiomate conscriptum, eas in linguam Polonicam transtulit. Paulo vero post *Johannes Grodecius*, Decanus Glogoviensis, ex Græco codice, quem cum eo communicaverat Cardinalis Hosius, omnes Catecheses tam illuminatorum, quam mystagogicas, in Latinum sermonem vertit, & A. 1564 ex typographeo Christophori Plantini Antverpiæ edidit, præmissa de Cyrilli vita & scriptis Dissertatiuncula. Eodem anno *Guilielmus Morellius*, Caroli IX Galliarum Regis typographus, quasdam illuminatorum Catecheses, ut-

pote

pote quartam, sextam, octavam, nonam, decimam, undecimam & decimam octavam, una cum quinque mystăgogicis, Parisiis Græce edidit. Ex isto tempore doctorum virorum hac in parte industria paululum conquievit, usque dum *Johannes Prevotius* A. 1609 easdem Parisiis in lucem publicam emisit, maximum inde doctorum & bonorum omnium applausum consecutus. Ope namque codicum MStorum notæ præstantissimæ, quos Bibliotheca Vaticana ei suppeditavit, non solum Catechesεωn a Morellio editarum lacunas supplevit, mendasque correxit, verum etiam alias nunquam forte antehac Græce vulgatas typis submisit, interpretationem Grodecii plurimis in locis emaculavit, & Cyrilli demum *ad Constantium epistolam* mantissæ loco sub finem adjecit. Quæ hanc secutæ sunt A. 1631 & 1640 duæ Catechesεωn editiones Parisienses, Prevotii editionem pene ad amussim referunt. *Orationem de Domini occursu, deque Simeone, qui Deum suscepit*, primus Græce & Latine dedit *Laurentius Sifanus*, Coloniæ A. 1568, una cum Orationibus Chrysostomi, Gregorii Nysseni, Timothei Presbyteri Hierosolymitani & Amphilochii in idem festum, quod occursum istum respicit. Tum vero *Pontanus* eam nova editione donavit, & postea *Fronto Duceus* hac oratione, & aliis quantivis pretii antiquorum scriptis, Bibliothecam Patrum adauxit. Omnium autem novissime *Combefisius*, pluribus codicibus MStis instructus, eam adeo emendatam, suisque notulis locupletatam, in novo Auctario edidit, ut propemodum nil quicquam aliorum curæ aut industriæ reliquisse videatur. *Historiam Ecclesiasticam & Mystagogicam* primus & solus vulgavit *Fronto Duceus*, *Epistolam autem ad Augustinum* inter opera tum Hieronymi, tum Augustini, reperire facile licet.

Utut vero singula hæc probe cognita perspectaque habuerit, ex cujus fide eadem hactenus retulimus, celeberrimus *Thomas Milles*, non deesse tamen sibi ansam, accuratiorem adhuc editionem evulgandi ratus est, ac præsentem idcirco adornavit, quæ nitore pariter ac diligentia, qua exornata est, antecedentibus omnibus palmam reddere dubiam omnino poterit. In ejus præfatione Cyrilli vitam ante reliqua breviter recenset, quam & hic delineatam ex ipsius relatione exhibere, dividiæ haud fuerit. Videlicet quibus parentibus, quove anno natus fuerit Cyrillus, incompertum reliquisse ait Historiæ Ecclesiasticæ

sticæ scriptores; de patria vero ejus licet altum ubique pariter silentium sit, e Palæstina tamen, atque ipsis forsan Hierosolymis, ortum fuisse, vero simillimum judicat. Macarium, Maximumque ipsius in Episcopatu Hierosolymitano antecessores facit, quorum ille Diaconum, iste vero Presbyterum eum constituerit. Catechistæ etiam munus postremis maxime temporibus in Ecclesia Hierosolymitana eum exercuisse, & singulis fere diebus, per totum Quadragesimæ intervallum, præcipua fidei capita catechumenis, ad festum Paschatos baptizandis, luculenter exposuisse refert. Mortuo Maximo, vel ut aliqui referant, in exilium pulso, in sedem Hierosolymitanam Cyrillum successisse dicit, favore & auxilio Acacii Cæsareæ, & Patrophili Scythopoleos Episcoporum, qui Arianorum sectæ faverint, præcipue adjutum, hac quidem cum conditione, ut repudiato Presbyteratus honore, quo ornatus a Maximo fuerat, Diaconi loco & gradu aliquantisper in Ecclesia contentus viveret; id quod Hieronymum affirmare notat Noster, qui tamen ei hac in parte adstipulari minus sustinet, quandoquidem Patres secundæ Synodi generalis Constantinopolitanæ, in Epistola ad Damasum, Cyrillum rite & canonice ab Episcopis provinciæ ordinatum declarent, & ab Arianorum factione adeo abhorruisse testentur, ut plurima, dum fidem orthodoxam tueretur, mala variis in locis ab iis perpessus fuerit. Interim cum Acacio amicissime eum vixisse, non negat. Ast rebus Ecclesiæ Hierosolymitanæ per duos tresve annos summa cum laude curatis, lis ipsi gravissima cum eodem de jure metropolitico Ecclesiæ Cæsariensis intercessit, Cyrillo Primatum provinciæ Palæstinæ Ecclesiæ Hierosolymitanæ vindicare satagente, quippe quam omnium Ecclesiarum Matrem a Christo ipso institutam, ab Apostolis fundatam, ab omnibus omnium temporum Christianis maximo honore semper habitam fuisse, jactitabat. Ex hac Acacium inter & Cyrillum simultate, dissidii semina late per Ecclesiam Orientalem sparsa fuere, dum Episcopi, qui idem cum Arianis sentiebant, se Acacio junxerunt saniorem vero fidem profitentes a Cyrilli stetere partibus. Verum Acacius Cyrillum, æquale jus sibi suæque Ecclesiæ vindicantem, diutius ferre haud valens, congregatis Palæstinæ Episcopis, eum ab Episcopatu deposuit, multisque criminum objectionibus ab adversariis oneratum urbe expulit.

Hiero-

Hierosolymis ergo Cyrillus profugus Antiochiam pervenit, & cum hanc Ecclesiam Episcopo orbatam invenisset, Tarsum ire perrexit, ibique cum Silvano Episcopo diutius commoratus est. Acacius, ut primum de ejus adventu ibidem facto inaudivit, literis ad Silvanum missis, eum certiorem fecit, Cyrillum de sede Episcoporum suffragio dejectum, ab Ecclesiastico ministerio, simul & a communione arcendum esse. Silvanus autem, quia videbat, populo placere, quas Cyrillus habebat, conciones, Acacii monitis obtemperare noluit. Tum demum fremere Acacius, & Cyrillum, ut coram Episcopis Palæstinæ compareret, per biennii spacium indesinenter citare. Hisce minis territus Cyrillus, appellationis libello ad Episcopos misso, ad majus judicium, nempe Imperatoris Constantii, provocavit. Hinc Synodus Episcoporum Orientalium circiter CLX Seleuciæ in Isauria congregata est, A. C. 359, in qua in duas partes Episcopi se divisere, stantibus hinc Acacio Cæsariensi, Georgio Alexandrino, Uranio Tyrio, Eudoxio Antiocheno, una cum triginta aliis; inde vero Georgio Laodiceno, Eleusio Cyziceno, Sophronio Pompejopolitano, & Cyrillo Hierosolymitano, quos longe major pars Episcoporum secuta est. Duabus hisce factionibus acriter inter se concertantibus, Leonas, Synodi Præfectus ab Imperatore missus, cum Episcopos inter se convenire haud posse perspiceret, Concilium dimisit, ita tamen, ut Episcopis liceret in Ecclesia convenire, deque suis controversiis tractare. Convenientibus ergo Episcopis Cyrillo faventibus, Acacium hi cum suis accersivere, ut tam de Cyrilli, quam aliorum etiam Episcoporum causis judicaretur. Illi vero, sæpius licet citati, venire recusantes, a cæteris abdicati fuere. Quibus peractis, Synodoque iterum dimissa, decem Legatos ex suis Constantinopolim misêrunt, qui Imperatorem de omnibus rebus certiorem facerent; Acacius vero se celeriter e Seleucia proripiens, Constantinopolin prius venit, auresque Imperatoris præoccupavit, qui & alioqui in Acacium propensior ejus hortatu conciliabulum Constantinopolitanum indixit, convocatis ex Bithynia circiter L Episcopis, qui Cyrillum una cum Silvano Tarsensi aliisque pluribus deposuerunt. Cyrillus autem ab Hierosolymis relegatus, exul usque ad mortem Constantii Imperatoris permansit, cui cum Julianus circa finem anni 361 suc-

361 succederet, Episcoposque, dira Arianorum persecutione fugatos & exules, ad sedes suas revocaret, Cyrillum quoque Hierosolymas rediisse, & Episcopalem dignitatem capessivisse, Noster vero simile existimat, atque una sequentibus Juliani temporibus nihil adeo memoratu dignum de Cyrillo occurrere, fatetur. De iis quoque rebus, quas Cyrillus sub imperio Valentis gesserit, Ecclesiæ Annales silere observat, quamvis credibile existimet, eum ab Arianis, qui tunc omnia loca compleverint, admodum gravia fuisse perpessum. Sub Theodosio autem inconcussum omnino Episcopatum illum tenuisse autumat, & tertio Theodosii anno, qui Christi fuit 381, Synodi quartæ earum, quas vocant œcumenicas, Constantinopoli congregatæ, Patres Cyrillum pro rite & legitime ordinato declarasse narrat. Post hoc Concilium, quinque circiter annis superstes Cyrillus fuit; nam die Martii decimo octavo A. 386, si Græcorum Menæo fides adhibenda, grandævus jam curisque confectus, placide obdormivit.

Hæc postquam de vita Cyrilli Noster in præfatione retulit, ad scripta ejus recensenda pergit, & eorum plura olim extitisse, quam quorum vel fragmenta ad nos pervenerint, haud dubitat. Cum enim diutius Ecclesiæ Hierosolymitanæ præfuerit, plurimasque ad populum habuerit conciones, vix ambigendum venire statuit, quin pro more istius seculi, Auditores eas calamo exceptas in vulgus dederint. Sed harum concionum temporis injuria memoriam quoque intercidisse, dolet. Quod autem Anastasius Nicænus (quem verius Sinaitam dici posse censet,) Commentariorum Cyrilli in Marcum, & Epistolæ ad Olympium Monachum meminerit, id ex eo contigisse arbitratur, quod Cyrillum Alexandrinum a Cyrillo Hierosolymitano non satis caute discriminaverit. Scripta igitur Cyrilli hodie extantia, & solertissima Nostri cura nitidiore, quam antehac unquam, vultu edita, hæc sunt: *Catecheticæ Lectiones XXIII*, quarum XVIII Quadragesimæ tempore ad competentes, sive eos, qui ut baptizarentur petebant, habitæ præclarum continent totius doctrinæ Christianæ compendium. Quamvis autem Catecheses istæ suum satis autorem prodant, & primævæ Ecclesiæ simplicitatem orationis contextu pulchre referant, non defuisse tamen, nec deesse adhuc, ostendit, qui eas non modo Cyrillo abjudicent, verum

sequi-

ſequioris etiam ætatis fœtum eſſe aſſerant; inter quos agmen ducere Rivetum ut animadvertit, ſic ejus potiſſimum argumentis ſatisfacere, & Cyrillo iſtas vindicare ſtudet. Catecheſes ſequitur *Epiſtola*, quam ſtatim, ac Epiſcopatum Cyrillus adeptus eſt, *ad Conſtantium* ſcripſit, de ſigno crucis, & lumine denſo valde & coruſcante, quod Hieroſolymis die Pentecoſtes A. 353 quamplurimis videntibus apparuerit. Apparitionis hujus Epiſtolæque Cyrilli de eadem ſcriptæ, cum non ſolum Theophanes & Michael Glycas, verumetiam Sozomenus meminerit, ſatis mirari Autor vix poteſt, quid Rivetum impulerit, ut eam aut non a Cyrillo, aut Cyrillo Ariano ſcriptam, tam audacter aſſeruerit. Epiſtolam ad Conſtantium excipit *fragmentum Homiliæ in Paralyticum ad Bethesdæ piſcinam ſanatum*, quod nunc primum in lucem ex codice manuſcripto Bibliothecæ Bodlejanæ Noſter edit, eamque Cyrilli opus genuinum eſſe nullus dubitat; quippe cum ſtylus ejus conveniat cum Cyrilli ſtylo, & quod in Catecheſibus fieri ſolet, orationis continuitas frequenti S. Scripturæ citatione ſit interciſa, & quaſi teſſellis quibusdam pulchre variegata. Comparet hinc *Oratio de occurſu Domini*, quam inter opera, quæ Cyrillo noſtro falſo tribuantur, reponere notat eruditiſſimum D. Cave. At licet modum quidem loquendi laxiorem eſſe in hac oratione, quam in Catecheſibus, & impetu quodam verborum filum decurrere (id quod Cyrillo alias familiare haud ſit) fateatur, plurimos tamen viros doctiſſimos eam Cyrillo tribuere ſuperaddit, quibus etiam tot codices manuſcripti ſuffragentur. Proxime accedit *Hiſtoria Eccleſiaſtica & Myſtagogica*, quam Cyrilli nomine prænotatam in codice manuſcripto Bibliothecæ Bodlejanæ Editor noſter invenit; tractatum vero illum, longo poſt Cyrilli tempora intervallo, autorem nactum fuiſſe dicit *Germanum* quendam ejus nominis ſecundum, Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui circa annum 1226 ſedem occupaſſe perhibeatur. Poſtremo denique loco *Epiſtola* comparet *ad Auguſtinum de miraculis Hieronymi poſt mortem celebratis*, quam Cyrilli nomen immerito præ ſe ferre, Noſter palam aſſerit. Præterquam enim, quod inſigni anachroniſmo triginta annorum, quibus Cyrilli mors Hieronymi mortem anteceſſerit, ſatis conſtet, a Cyrillo eam ſcribi neutiquam potuiſſe, tam futilibus inſuper ſcatere fabellis, &

lis, & propter styli infantiam ac barbariem, adeo deformem & fœdam esse innuit, ut a maleferiato & insulsissimo Monacho, ante ducentos forte annos, fictam fuisse, probabile admodum videatur.

Singula interim hæc scripta nunc exhibenda doctissimus Editor censuit, ac circa eadem id sibi præcipue negotii datum intellexit, ut textum, præsertim Catecheseos, purum, integrum & ab omni labe purgatum exhiberet. Ipsum quoque Prevotii textum, ex codicibus manuscriptis emendatum ab ipso plurimum plurimumq; suppletum, adhuc magis emendatum ut daret, eum cum cæteris omnibus, quas conquirere licuit, editionibus contulit, & hoc modo plurima sphalmata cum typothetarum, tum ipsius Prevotii, facile sustulit. Postea Catecheses omnes, Epistolamque ad Constantium, cum duobus codicibus manuscriptis, aliquas autem, nempe quartam, sextam, octavam, nonam, decimam, decimam quintam, decimam sextam & decimam octavam, cum tribus diligenter contulit. Parilem in Orationis de occursu & partis Historiæ Mystagogicæ collatione industriam adhibuit, cumque codices istos omnes cum Prevotii textu comparaverit, religioni sibi duxit, ullam omnino, etiam minutissimam, lectionem prætermittere; quin singulas potius in ima pagina ponendas arbitratus est. Variantibus lectionibus adjunxit annotationes quasdam, quibus id unum efficere allaboravit, ut ritus, mores & fidem primævæ Ecclesiæ, ex antiquissimorum Patrum monumentis explicaret atque confirmaret. Versionem demum Grodecii, multum jam ante a Prevotio correctam, plurimis in locis emendatiorem adhuc reddidit; quam tamen si quis omnibus suis numeris perfectam & absolutam optaret, novam prorsus reddendam venire judicat.

Ex istis autem, quas diximus, annotationibus nonnulla ut decerpamus, & Lectori benevolo in gustum propinemus, nostrarum merito partium esse existimamus. Sic v. g. pag. 1 observat, quod ii, qui nondum erant baptizati, quales fuerint, quos alloquatur in Catecheseon præfatione Cyrillus, φωτιζόμενοι nuncupentur, aliquibus forsan inusitatum videri posse, quandoquidem vocabula φῶς, φώτισμα, φωτισμὸς & φωτίζω ad baptismum frequenter referantur. At enimvero φωτίζειν apud veteres non solum significare respondet, *illumino lumine Baptismi*, sed etiam *doceo*, *per*

instі-

institutionem Catecheticam ad Baptismum praeparo. Pag. 4. apud primaevos Christianos sacri cultus non minimam partem fuisse lectionem sacrarum Literarum, indigitat. P. 6. de Baptismi repetitione ab aliquibus perverso consilio suscepta; ibidemque de rebaptizatis iis, quos Haeretici baptizarint, disserit. De Exorcismis in Baptismo veteris Ecclesiae temporibus observatis p. 7; de Samaritis, p. 8; de Homiliis seu concionibus, post lectionem Evangelii, in coetibus primaevorum Christianorum, a Presbyteris & Episcopo ad populum habitis, p. eadem; de disciplinae arcani vestigiis & apud Ethnicos reperiundis, p. 9; de virorum sedibus a mulierum subselliis in veterum Christianorum templis, intermediis quibusdam tabulatis separatis, p. 10 agit. Ἀναγνώσεις sive lectiones sacrarum literarum post collectam institutas, p. 15; confessionem omnium peccatorum Baptismo semper praemissam p. 18; rebellium Angelorum principem ac ductorem omnibus creatis spiritibus longe antecelluisse, a pluribus e Patribus creditum, p. 22; diversas de peccato, ob quod primus malorum Angelorum, caeterique cum eo Daemones de coelo dejecti sint, diversorum Patrum sententias, p. 22; sententiam Origenis, Olympiodori, Hieronymi, aliorumque, Angelos posse etiamnum peccare, & faciem Dei Patris non alia conditione videre, quam si parvulos suae fidei commissos ad salutem perduxerint, velut Cyrillo etiam arridentem, p. 26; Jesaiam serra lignea dissectum, p. 29 commemorat. Quantopere Astrologiae & Genethliacorum vanitatem Patres perstrinxerint, p. 30; quomodo baptizatos statim, ut ascenderant ex aqua, alba veste induerint veteres, p. 34; ut baptizandi crebris se jejuniis ante baptismum exercuerint, p. 38; qua ratione antiquitus jam baptismum diviserint, p. 39 edocet. Quaestionem, an jejunium quadraginta dierum, jam inde ab Apostolorum temporibus in Ecclesia fuerit usitatum, p. 43. s. tangit, & quae ab utraque parte quaestionis dici solent, Lectori ob oculos proponit. De errore Docetarum & Phantasiastarum, qui veritatem humanae naturae in Christo negarint, Apostolorum aevo jam exorto, p. 51; de templo in monte Calvariae, prope Hierosolymas, a Constantino, seu potius ab Helena matre ejus, Imperatoris auspiciis extructo, p. 52; de secundis nuptiis a Patribus nonnullis damnari solitis, p. 60; de numero librorum, ex quibus Veteris Testamenti codex quarto seculo compactus fuerit, p. 65;

p. 65 erudite commentatur. Pag. 67 allegat Photii Historiam Manichæorum nondum editam, quam secum communicatam dicit, & orbi erudito propediem datum iri sperat, a V. C. Jo. Frider. Wincklero, Hamburgensi. De ordine librorum Novi Testamenti, deque Jacobi & Judæ Epistolis, ac secunda Petri, una cum secunda & tertia Johannis, a Cyrillo iis libris annumeratis, quos veteres Ecclesiæ Doctores ac Episcopi tanquam sacros posteris tradiderint, curiosa sunt, quæ p. 67 annotat. De Archelao ejusque disputatione cum Manete p. 95; de verbis, *γίνεσθε τραπεζῖται δόκιμοι*, an pro Scripturæ dicto habendis? p. 101; de conjugio olim haud interdicto, p. 161; de domo Caiphæ, quam summorum Pontificum palatium fuisse existimat, p. 185; de Hebraico Matthæi Evangelio, a Patrum non unis approbato, p. 195; de Jacobo, Domini fratre, p. 199; de Hæreticis quibusdam, se pro Christo venditantibus, p. 207; de signo Filii hominis, ad illustrandum locum Matth. XXIV, 30, p. 216 erudita lemmata accumulat. Tacemus, quæ affert de proportione numeri angelorum ad hominum numerum, p. 218; de vigiliis Paschatis & Pentecostes, in ordinaria baptismi tempora olim electis, p. 277; de baptisteriis veterum, p. 278; de renunciatione Satanæ in Baptismo facta, p. 279; de Catechumenis oleo quodam sacrato ante Baptismum inunctis, p. 285; de more baptizandos ter in aquam immergendi antiquissimo, p. 286, atque alia.

Quod superest, Veterum de Cyrillo Hierosolymitano ejusque scriptis testimonia operibus illius præmisit, doctorum vero Virorum, *Roberti Coci*, *Andreæ Riveti*, ac *Edmundi Albertini* judicia iisdem subnexuit; & ut ne quidpiam deesset, Indices locupletissimos Locorum Scripturæ, Auctorum & Rerum superaddidit.

HISTOIRE CRITIQUE DES DOGMES ET DES Cultes &c.

h. e.

HISTORIA CRITICA DOGMATUM ET CULTUUM *bonorum malorumque, in Ecclesia ab Adamo usque ad Christum receptorum*, Autore PETRO JURIEU.

Amste-

Amstelæd. apud Franc. L'Honoré & Socios, 1704. 4. ch. maj.
Constat Alph. 4. plag. 15.

VEræ religionis & divinitus institutæ dogmata & cultus, in parte I & II, quas mense superioris anni Novembri pag. 481 seqq. prolixe recensuimus, ubi expendisset Clarissimus Autor, historiam apostasiæ in sequentibus duabus partibus persequitur; in quibus, occasione cultuum dogmatumque depravatorum, quorum in sacris monumentis mentio, omnem Orientalium Theologiam, & derivatas inde Græcorum Romanorumque superstitiones explicat. Non deterreri se ab isto labore debere judicavit magnorum Virorum, Seldeni Vossiique, de illo argumento scriptis, cum & defectus eorum & παροράματα quædam fuerint corrigenda, & tam copiosa novarum conjecturarum messis in eo se obtulerit, ut novum plane studium hic collocatum videri queat. In diversos vero tractatus abeunt tertia ista pars atque quarta, quorum primus, parti tertiæ liminis quasi loco inserviens, de ipsa idololatria, Gentiliumque Theologia, agit in genere. Ubi primo de nomine idoli & idololatriæ varia.

P. III. Tr. 1. c. I. Vocem εἰδώλου diminutivam esse, contra Ranoldum defendit, sed diminutionis significatum obtinere non habita molis extensionisque ratione, sed perfectionis veritatisve internæ respectu, ut quæ *formam minus perfectam* significet, & pro externa, apparente, picta, non vera specie, (cum εἶδος internam formam atque essentialem notet,) usurpetur. In voce vero idololatriæ εἰδώλου quamcunque rem, cui divini honores proterva impietate tribuuntur, significare.

c. II. Origines idololatriam, quæ Cyrilli Alexandrini quoque sententia fuit, post diluvium demum habuisse, eique occasionem dedisse communem hominum in calamitatibus magnis indolem, qua in extrema fere prolabuntur præcipites. Scilicet severa Dei in Atheismum antediluvianum animadversione, mortalium mentes exterritas, in contrarium superstitionis & idololatriæ vitium proruisse. In eo vero Cyrillum aberrare, quod Belum primum idolum fuisse arbitretur, cum, quod multis veterum locis monstratur, ab astrorum cultu haud dubie idololatria initia ceperit.

c. III. Stolidissimam vero esse Theologiam Gentilium, quæ vastissimum Deorum numerum, eosque horrendissimorum criminum reos, immortales, & aliorum tamen hominum more genitos sistat, eosque cultibus

tibus impuris & abominandis honorare doceat. Ipsos pudduisse Gentiles istius furoris, qui in inventa in Theologiam μυθικὴν, Φυσικὴν & πολιτικὴν distinctione, infucare fuerint conati; quem docte tamen abstergat fucum Augustinus de C. D. L. I. c. 7. 8. Nec excusari eam posse eo, quod symbolice res naturales earumque genesin repræsentet, cum multa in ea sint, quæ plane respuant symbolicum illum sensum: nec eo denique, quod ista Deorum multitudine plura unius Dei, quem agnoverint omnes, repræsententur attributa; namque & paucissimos fuisse ita sentientes, & ipsos eos, qui ita sentire volunt videri, astra tamen in numero Deorum habere, & Numina cætera adorare, & in plurali numero de Diis loqui. Vastum illum Deorum numerum in varias classes divisisse varios. Ex illis memorat divisionem Clementis Alexandrini in classes VII; Servii in *animales* & *naturales*, quam optimam Autor censet, omniaque Gentilium Numina vel hominem, vel rem naturalem significare, & utrumque simul notare aliquando existimat; Jamblichi porro in octo ordines Deorum distinctionem; Romanorum in *majorum* & *minorum gentium* Deos, quorum illi & *Electi* dicebantur & *Consentes*, suoque numero *Deos Samothraces* & *Cabiros* complectebantur. Cum *Samothracibus* eosdem fuisse *Penates* Deos Urbis & Imperii Romani, idque probare tum hoc, quod Trojanorum, a quibus orti Romani, Dii fuerint *Samothraces*, tum quod clam habita eorum nomina fuerint: hoc enim ex *Samothracum* disciplina esse, non vero inde, ut ne evocari possent ex urbibus, quod fieri potuisse, utut ignotum esset nomen Deorum *Penatium*, ex Macrobio constet. Hancque de *Penatibus* & *Samothracibus* Diis sententiam Varronis quoque fuisse. *Penates* illos Castorem & Pollucem, quod ex Dionysio duas statuas Deorum Trojanorum militari habitu describente, cum inscriptione Δένατες, colligant nonnulli, esse haud potuisse, cum juniores sint Castor & Pollux Diis Trojanorum *Samothracibus*, probabileque sit, magis Diis *Samothracibus*, primi ordinis Numinibus, quam Castori & Polluci, *Heroibus*, Imperii sui tutelam commisisse Romanos. Probabilissimum esse, eos fuisse Jovem, Junonem & Minervam; illos enim esse *magnos Deos* apud Macrobium, quod nomen Cassius Hemina *Penatibus* quoque dederit. Cum *Penatibus publicis*, *familiarum Penates* h. e. *Lares* c. IV.

& Deos

& Deos *Viales* confundendos non esse. Speciem Penatum esse Deos *Indigetes*, in quorum tutela erant certæ regiones, illis tamen aliquanto inferiores, inque iis fuisse *Curetes*, qui cum *Corybantibus* & *Dactylis Idæis* sint iidem. Nomen eorum esse conjugatum vocis *indigena*, Deumque patrium notare, quod mirum viros doctos non vidisse. Infimum Deorum genus *Lares* Deosque *Manes* esse, & *Genios*, de quibus inprimis ex Apulejo de Deo Socratis, & Jamblicho de Mysteriis agit.

c. V Porro cum omnis apostasia & idololatria Israelitarum, ex Phœnicum seu Chananæorum Ægyptiorumque Theologia, suas repetat origines, dilata in alium locum de horum superstitionibus dissertatione, hic quidem Phœniciæ Theologiæ ex Sanchoniathone exhibet compendium, & ingeniose ostendit historiæ Mosaicæ in iis, quæ de originibus rerum commentatus Sanchoniathon fuit, vestigia. Quæ inter alia ille de *adoratis* a primis hominibus *plantis* dicit, ex male acceptis illis, quæ habet Moses de Adamo, quem in Paradiso constituerit Deus לעבדה, esse putat: vocem enim Ebræam *culturam terræ* pariter, ac *cultum religiosum* notare. Creationem hominis apud eundem ita exponit, *ventum Colpia* esse רוח קול פיה *Spiritum vocis oris Dei*, i. e. omnipotentiæ verbum, vel ut Davides loquitur, *Spiritum oris Dei*, qui ex uxore sua *Baau* בהו h. e. materia rudi, genuerit *Protogonum* בכור i. e. primum hominem, & *Αἰῶνα* i. e. uxorem ejus, cujus nomen sit ex mala interpretatione vocis עלמה quæ *virginem* notet, & sit fœminina forma τῦ עולם quod *αἰῶνα seculum* significet. *Usoum*

c. VI Cainum, *Hypsuranium* Abelem fuisse putat, sic dictum, quod Deo cœlorum esset acceptus. Quis sit γηϊνος ἀυτόχθων, quem Adamum statuit esse Bochartus, se quidem ignorare, sed & in cæteris multum perturbatam hanc Sanchoniathonis historiam se invenire. De *Agrote* Deo obscura omnia. Per simulacrum vero hujus adeo venerabile arcam Mosis, & per templum a bobus bajulari solitum, tabernaculum facile intelligi: nam pro Levitis boves ab Autore monstrosarum adeo fabularum pleno substitui, non esse mirandum. *Schaddai* eum inter Titanas referre, quod Deastris omnibus bellum intulerit verus Deus. Eum Phœnices Θεὸν μέγιστον *Deum maximum* appellare, quod dicit Sanchoniathoni, id spectare ad Palæstinos, qui ejus excellentiam in templo Dagon experti fuerint. Eo etiam pertinere nomen *Misor*, quod *dimissum* notet, quia arca a Palæstinis fuerit dimissa.

sa. *Taautum* Mosen esse: *Sydyk Melchisedecum*, ut alibi monstratum.
Ex istis Phœniciis vero Græcos omnes fabulas suas & Theogonias derivasse, pro sua fingendi licentia, innumeris rebus sive additis sive
mutatis: quod in sequenti tractatione universa passim uberius ostenditur. Hisce vero generalibus de idololatria, succedit specialior
de Syrorum & Hebræorum idololatria tractatio. Hic perlustran- Tr. II.
tur ante omnia Scripturæ loca, in quibus *Teraphim* mentio. Hinc c. I.
rejectis Eliezeris, Mosis Nachmanidæ & Bechai, Salomonis Jarchii c. II.
& Aben-Esræ, Moncæi & Gaffarelli, Spencerique de *Teraphim* c. III.
sententiis: ipse quidem tanquam certissimum supponit, figuram humanam eos habuisse, quod patere putat ex historia Davidis, in cujus lecto *Teraphim* collocavit Michal, ut ipsius præsentis præberent speciem. Hoc vero etiam certum esse, instrumenta magica illos fuisse, ad indagandas res vel futuras vel alias obscuras: non fuisse tamen magiæ instrumenta eos in prima sua origine. Vix enim probabile esse, vel Jacobum, probatæ pietatis virum, in domo Labanis fuisse tam diu commoraturum, si magicis hujusmodi abominationibus cum *Teraphim*, quos ibi fuisse constat, peragendis, quotidie illa fuisset conspurcata; vel Rachelem horrendæ istius impietatis instrumenta fuisse asportaturam: fuisse ergo eos nil aliud initio, quam imagines, in quibus colere Deos suos solerent Gentiles. Imagines autem non fuisse magnorum istorum Deorum, *Baalis*, *Astartes*, *Molochi* & aliorum, sidera cœli repræsentantium; hos enim humana forma, qualis *Teraphim* extiterint, cultos a Syris nunquam fuisse: homines itaque repræsentasse eos, in numerum Deorum relatos, ipsosque adeo Latinorum *Lares* familiarum tutelis præfectos. Et certe privatos, non publicos hos fuisse Deos, probare id primum, quod solus Laban, non omnis illa gens, eorum ablatione fuerit commotus. Ipsum porro probare nominis etymologiam, quæ a רפא *sanare* descendat, ut *Deos* adeo *servatores hospitatoresque* תרפים significent, unde & Græca vox θεραπευτής originem habeat. Imo porro, ut Latinorum *Lares* compitis quoque præerant, *Viales Dii* inde nominati, sic *Teraphim* quoque manifeste id tribui Ezechielis 21. Hoc porro, istis evictis, quod Servius *Lares* dicit esse *animales Deos*, h. e animas consecratas, ad originem *Teraphim* primam nos deducere. *Lares* enim fuisse animas progenitorum, illustriumque in fa-

familia virorum: tales ergo *Teraphim* fuisse, qui Noam forte Semumque repræsentaverint. Duos nempe fuisse, Autori probabile; quod plures uno prodat oratio Labanis Deos illos appellantis, duobus vero plures non fuisse, Rachelis occultatio indicet. Hincque esse, quod Ovidius *duos Lares* faciat, *Larunda* genitos, quorum numerum multiplicaverit superstitiosa credulitas. Hinc patere, unde Michal in domo Davidis *Teraphim* nacta sit, a quo scilicet, ut & ab aliis Israelitis, majorum imagines, procul amandata superstitione, asservari potuerint. His majorum imagines primum in honorem tantum majorum asservatas, inde adoratas, &, ut nunquam subsistit superstitio, ita interrogatas postremo de rebus obscuris fuisse: dignumque notatu, quod in Scripturis, quoties magiæ species recensentur, nulla sit *Teraphim* mentio; ubi vero interrogatio mortuorum commemoretur, versaque vice de hac nihil inveniatur, ibi de *Teraphim* dictum; argumento luculento, *Teraphim* cultum, & interrogationem mortuorum, pro eadem re haberi. Formam cultus illam fuisse, ut κενοτάφια in ædium recessibus construerent, quorum extremitatibus adderent imagines majorum, speciemque adeo illa habuisse arcæ Mosis: atque inde evocasse Manes homines male credulos, cujus superstitionis vestigia passim apud Gentiles; sic enim Andromacham apud Virgilium Hectoris Manes ad sepulcrum ejus evocare: inde oracula prodiisse, sicut ex arcæ medio. Hinc clarum esse, cur LXX Senes in historia Michal *Teraphim* verterint κενοτάφια, & cur iidem in Josiæ, falsos cultus destruentis, historia voci θεραφὶμ vocem θελητὰς addiderint, qui sint incantatores Manes evocantes. Patere item, cur Oseas dicat, Israelem *nec Ephod*, *nec Teraphim* per plures dies habiturum. *Ephod* nempe significare *Urim & Thumim*: *Teraphim* vero arcam, cum impositis *Cherubim*, inter quos oracula ex arca prodibant, speciem *Teraphim*, ut modo monitum, ferentem. Atque adeo minime quidem eosdem esse *Teraphim* & *Cherubim*, quod Moncæo, Spencero, Gaffarello visum: illos enim humanam speciem, hos quatuor Ezechielis animalia repræsentasse. *Teraphim* tamen apud idololatras locum tenuisse eum, quem *Cherubim* in sanctuario. Utut vero *Teraphim* antiquiores fuerint arca, tamen istam formam cultus modo descriptam, exemplum κακοζηλία diabolica ab arca accipiente, invaluisse demum, cum antiquioribus

c. IV.

bus temporibus nudæ imagines fuerint *Teraphim.* Loci libri Judicum, ubi *Teraphim* Michæ mentio, hunc sensum esse, quod du- as imagines, alteram ex ære conflatam, alteram cælo elaboratam, sibi confici curaverit, indeque oraculum *Teraphim* composuerit, (iis nempe cenotaphio impositis) cui filium suum præfecerit sacerdotem. Deo autem vero hunc cultum Micham instituisse, sanctificari *Tera- phim* posse eorumque cultum credentem, si Deo eos dedicaret; quæ fuerit Israelitarum quorundam illius temporis superstitio, idololatri- cos cultus, modo ad Deum referantur, nihil mali habere existiman- tium. Probabile autem non esse, oracula ipsas istas statuas edidisse, quod visum Bellarmino; nam rarissima esse statuarum loquentium exempla, prætereaque cum nihil aliud quam Manium evocatio fue- rit *Teraphim* consultatio, verosimilius esse, vel speciem e terra lo- quentis edidisse Diabolum, vel excitasse ipsam consultoris phantasiam ad oracula hujusmodi proferenda. Aliam *Necromantiæ* speciem a- pud Syros fuisse eam, quæ Hebraica voce אוב designatur, quam ma- le *Spiritum Pythonis* reddant interpretes, hoc vero obsessos ex ven- tre loqui credant, pro iisdemque habeant cum ἐγγαστριμύθοις. Nam hoc falsum primum esse, quod idem sit *Spiritum habens Pythonis* & ἐγγαστρίμυθος, patere ex historia ancillæ Act. XVI, quam *Pytho- nem habuisse* constet, non tamen ex *ventre* edidisse vocem mur- murantem: ut probabile sit, *Pythonis Spiritum* nihil aliud esse, quam spiritum divinationis, qui ἀπὸ τοῦ πυνθάνεσθαι, *Python* & *Pythius*, quod erat Apollinis cognomentum, fuerit appellatus: atque id qui- dem fieri potuisse, ut *ventriloquus* haberet *Spiritum Pythonis*, o- mnem vero *Pythonis Spiritu* actum *ventriloquum* haud fuisse. De- inde magis falsum etiam esse, quod בעלי אוב iidem sint cum *Pytho- nis Spiritu præditis* vel *ventriloquis*. Hos enim proprie Necromantas fuisse carmine Manes evocantes, eosq; in magno vase aqua pleno repræ- sentantes, accedente voce, quæ ex terræ visceribus prodire videretur. Nempe אוב apud Hebræos significare *vas* hujusmodi *profundum*, nec alias istam speciem magiæ esse ignotam, quæ Græcis λεκανομαντεία vocetur. Eam exercitam fuisse a quodam Mago in loco quodam, ubi ipse Autor tum commorabatur, doctus ea de re a testibus αὐτόπταις, Magum illum vitro aquæ pleno pecuniam tamdiu injici jussisse, donec convexam superius figuram acciperet, tum in aqua apparuisse deside- ra-

C. V.

tam

deratam imaginem. Specula frequentius adhibere magos his nostris temporibus, ejusque rei exemplum allegat ex Historia Henrici VII R. Angliæ, idque luculenter magis in quadam ad illustremCuperum epistola exponit, ex *Sigismundo Freibergero* in Germania Perturbata & Restaurata, *Christoph. Pellero* in Politico Scelerato impugnato, atque aliunde, etsi circumstantiis paulum variatis, notissimum. Qua occasione illustris Cuperus, in quadam ad Autorem epistola, aliud vaticinium commemorat Angliæ itidem res spectans, quod ante sex hos annos in Bibliotheca Jesuitarum Leodiensi, quo Roma allatum fuisse dicebatur, se vidisse ait, ad imitationem prioris haud dubie a quodam Religioni Romanæ addicto, ut illud a Protestante quocunque confictum. Cæterum Reverendus Autor noster suam de אוב sententiam ex historia Sagæ Endorensis firmat, cui Saulus dixerit, *divina mibi per* אוב & *fac adscendat, quem tibi dicam*: unde manifestum, ventriloquam eam non fuisse, ut quarum non sit evocare Manes; divinationem vero per אוב commodissime intelligi eam, quæ fiat per vas aquis repletum, cui sententiæ faveat domicilium Sagæ עין דר *Endor*, i. e. *fons perennis*; puras enim aquas Diabolum in hujusmodi ritibus affectasse. Vocem vero comitari solitam esse Diabolicas hujusmodi nugas, locum Esaiæ XXIX, 4. & VIII, 19 luculenter firmare. Quod autem LXX senes אוב *ἐγγαστριμύθους* passim vocent, causam esse, quod hoc nomine omnes magi, vocem obscuram & murmur obtusum producentes, fuerint appellati: id quod inde pateat, quod ipsi illi Senes vocem אוב, quam *ἐγγαστριμύθους* vertunt alibi, Es. VIII, 19 *φωνοῦντες ἐκ τῆς γῆς*, *ex terra vocem edentes*, fuerint interpretati, cui loco accedunt non dissimilia Esaiæ XIV, 3, & XXIX. 4. Atque hæc de Syrorum & Ebræorum idololatricis superstitionibus, in ipsis originibus suis spectatis. Succedit inde de originibus simulacrorum tractatio, quæ idololatria ætate censet esse posteriora. Primo enim Deos naturales animalesve esse adoratos, paulo post etiam inventum fuisse modum, cultorum cogitationes per objecta hujusmodi sensibus obnoxia, atque in templis conspicua, excitandi. Probat hoc inde quod Persæ, Chaldæi, Ægyptii, idololatriæ inventores, nullas habuerint primis temporibus imagines, id quod etiam de Phœniciis Græcisque, Platonis & Porphyrii testimonio probet Eusebius

Eusebius Præpar. I, 9, de Romanis, Germanis, aliisque populis evincant alia vetera monimenta. Inventas vero statuas & simulacra in Chaldæa primum fuisse, Nimrodi temporibus, quæ etiam sit Cycilli sententia, indeque esse Labanis *Teraphim*: hinc porro cum coloniis in cæteras orbis partes esse derivatas. Eas initio non adorationis, sed memoriæ causa factas esse, cœpisseque adeo illam per simulacra idololatriam in simulacris hominum, non cœlestium corporum, quæ ipsa primum fuerint adorata sine imagine. Inde vero successu temporis evenisse, ut degenerantibus in cultum Divinum mortuorum honoribus, antiquis suis Diis, astris, mortuorum jam in Deos conversorum nomina tribuerint, Baalis, Astartes &c. sicque imagines consecraverint astris hominibusque defunctis communes. Præterea phantasiæ excitandæ commodissimum deprehendentes, ob oculos habere imaginem; si non simulacra, emblemata saltem Deorum cœlestium conficere homines instituisse, indeque natas boum, ovium cæterorumque animantium formas, mistasque imprimis illas ex variis corporum formis figuras, emblematice omnes Solem et astra repræsentantes. Privatum primo, non publicum, istum cultum fuisse. In Chaldæa enim primis temporibus Solis tantum ignisque cultum publice fuisse receptum, qui & postea diu reliquis cultibus omnibus prævaluerit; quod ex Chaldææ Persicæque religionis cognatione, et loco Ruffini in libro II Hist. Eccles. probatur. Invaluisse autem statuas publice una cum templis, quæ a sepulcris habeant origines, quod testentur Patres ubique: nata vero templa ex sacellis, in quibus privatim primo in ædium penetralibus asservabantur majorum reliquiæ & imagines, luxu paulatim loca magis ampla magisque exornata quærente. Materiam simplicissimam fuisse primo terram coctam; sic fictilem Jovis Capitolini statuam a Varrone commemorari: inde lignum, metalla postea, argentumque & aurum. Artem initio fuisse in iis rudem, unde *caudicaria Numina* Tertulliano appellentur. Opiniones de hisce simulacris suis diversas omnino fovisse diversos. Eos, qui optime adhuc saperent, non pro ipsis Diis, sed repræsentationibus memoriam Deorum provocantibus, ea habuisse. Sic Varronem sensisse, sic Senecam, sic Maximum Tyrium, sic ipsum Platonem, Celsumque & Dionem Chrysostomum, eamque sententiam in Gentilibus agnoscere & confutare

Arnobium, Origenem & Augustinum cum cæteris: adeoque verum esse, quosdam ita sensisse, ut ne quidem *φύσιν* Deorum imaginibus istis repræsentari, sed symbolice virtutes indicari
c. IV. crediderint. Alios tamen longius progressos, consecratione hisce imaginibus conciliari ipsorum Deorum personalem, ut ita loquamur, præsentiam credidisse, ut adeo non statuas, sed Deum in statuis præsentem coluerint, hancque sententiam Arnobium L. 6, p. 103, & Lactantium Institut. II, 2. confutare; ut alia taceamus eruditis notissima, quibus ea illustratur. Atque hanc certe eandem esse Pontificiorum de suis imaginibus opinionem, quibus peculiari modo præsidere credant eum, cui imago est dedicata, virtutemque insignem in illis diffundere, ex qua affrictu participent alia corpora, ut sacras peregrinationes proinde ad eas instituere, variisque eas superstitionibus colere, sit operæ pretium: quæ omnia certe credentes atque patrantes, intentatum sibi idololatriæ crimen non facile valeant depreca-
c. V. ri. Sed & tertiam esse de hujusmodi simulacris sententiam, quam ex Mercurio Trismegisto proponat Augustinus de C. D. VIII, 23. Nempe Deum consecratione evocatum, in simulacrum ceu corpus, animæ ad instar immigrare, unumque cum eo totum componere, homini
c. VI. simile ex anima & corpore constanti. Quartam denique opinionem esse hominum plane stupidorum, qui ipsa simulacra, ut sensibus eorum patebant, Deos arbitrabantur. Quibus ita positis, temeritatis facile revinci Bellarminum, qui nullam aliam Gentilium de statuis suis, quam postremam istam agnoscat sententiam, contra quem Calvini argumenta, reliquas quoque species idololatriæ adstruentis, diligenter a Cl. Autore vindicantur. Denique cum inter simulacra celebratissimum sit Israelitarum vitulus aureus in deserto conflatus, pe-
c. I. culiaris ipsi opera impenditur. Ubi primo figmenta, quibus Judæi horrendum illud crimen excusant, adducuntur. Inde de figura hujus idoli disquiritur, moneturque, dubiam eam reddere varia nomina, dum modo עגל *vitulus*, modo שור *taurus*, modo *caput bubulum*, quod nomen apud Patres frequens, vocetur. Pro *tauri* figura pugnat Noster, quod Ægyptiis moribus, apud quos plures boves fuerint adorati, sit convenientissima; nec repugnare putat Ebr. עגל quod *bovem* æque ac Latinorum *vitula vaccam* notare potest, imo & *caput bubulum* idem quod *bovem* notare, bonorum scriptorum

au-

autoritate. Causam hujus figuræ contra Moncæum cum plerisque Vi-
ris doctis defendit esse, quod in Ægypto illi fuissent assuefacti, quod
ex Jos. XXIV, 14. Ezech. XXIX, 16. XXIII. 3. Act. VII, Eusebio item c. II.
& Lactantio pateat. Inde, quæ animalia coluerint Ægyptii, ostendit,
errareque illos, qui Ægyptios & lanam aversatos esse omnino
statuant, & animalium esum, quod Herodotus, sibi ipsi tamen hic con- c. III.
tradicens, affirmet. Nempe boves & mactare, & edere, & sacrificare
licuisse coloris ejus, qui fuerit Typhonis, Deorum Ægyptiorum hostis
jurati, id est ruffos. Inter Boves, qui in honore erant & adorabantur,
eminuisse *Apin* & *Mnevin*, de quibus diligenter Melæ, Plinii, Herodoti,
Æliani, Ammiani, Plutarchi allegantur loca, ut qui omnia eo spectantia c. IV.
tradiderint. Peculiaria illa & hodie in nullo bove facile obvia signa,
quæ requirebantur in Api, magicis incantamentis, quæ Augustini
quoque fuerit sententia, deberi. Causis cultus prima facie tam ab-
surdi ab aliis allatis rejectis, veram esse eam, quod his animali-
bus symbolice Dii eorumque virtutes repræsentarentur, quod- c. V.
que adeo idem esset eorum, quod apud ceteras gentes statuarum
officium; cui rei firmandæ oppido illustria Herodoti in Euterpe p.
128, Clementis Alex. e Protreptico, & Plutarchi de Iside & Osiride c.
38, 39 & 40 loca adducuntur. Hinc contra Pontificios rursus corollare
conficit, qui non in symbolis tantum panis & vini Christum, sed &
in imaginibus Sanctos adorent, quæ tamen repræsentationi rei alicu-
jus Divinæ, minus quam animantia, vita & spiritu vigentia, idonea
existant. Utque huic consectario plus roboris accedat, fusius probatur,
non pro ipsis Diis, sed repræsentationibus Deorum animantia illa ab
Ægyptiis fuisse habita. Inde *Apin* minime fuisse consecratum Græ-
corum Epapho; multo minus *Serapin* & *Apin* esse eundem, & Jo-
sephum Patriarcham designare, ad quem proinde omnis iste tauri, c. VI.
quem *Apin* vocant, spectet cultus, quod doctissimo Vossio verosi-
mile visum, ostenditur. Esse vero *Apin* Isidis Deæ symbolum, *Mne-*
vin Osiridis, quibus nominibus cum, juxta antea præstructa, junctim c. VII.
naturales Dii & animales, h. e. & astra, & homines præclare de huma-
no genere meriti, designentur, in Isidem & Osiridem paulo penitius
inquirunt, ut hac ratione ad eos spectare symbola Apidis & Mne-
vis intelligantur. Osiridem itaque ex Deorum naturalium classe *So-*

lem

lem esse, quod ex Plutarcho inprimis, Macrobio & Diodoro ostenditur: Isidem *Naturam universalem*, utcunque aliter aliis videatur. Probatur hoc, quoniam in gemino hoc Numine, per universam Ægyptum, quod nulli alii Deo Deævæ contigit, culto, haut dubie principia omnis generationis venerari Ægyptii voluerint, inter quæ non *Luna*, bene tamen *Natura universalis* locum obtineat, quæ matris ad instar se habeat, *Sole* patris vices gerente. Porro inde etiam, quod Isidi primas in cultu suo sacrisque religionibus deferant in omnibus Ægyptii, ipsi quoque Osiridi eam anteferentes, quod in *Lunam* certe non competat, vel aliam quamcunque ex naturalibus rebus. Argumentum quoque ipsum nomen *Isidis* suppeditare, quod *antiquitatem* Diodoro teste notet; hoc vero in *Naturam universalem* optime quadrare videri, quam Gentiles omnes æternam crediderint. Sed melius adhuc rem evincere veras nominis rationes, ex lingua Hebræo-Chaldæa, cum ab istis gentibus omnium religionum repetenda veniant initia, derivandas. Esse itaque *Isis* nil aliud quam ישהויא *Ipsa est*, vel יש יש *Est est*. Indeque simul patere originem verbi εἶ, *tu es*, Apollinis Delphici templo inscripti. Nempe esse illud ipsissimum *Isidis* nomen, cujus commentarium habeat inscriptio ad pedes Isidis, in urbe Sais Minervæ nomine cultæ, insculpta apud Plutarchum: *Ego sum* de Is. & Osir. *omne quod fuit, quod est, quodque futurum est*; cui oppido conveniat cum inscriptione Capuensi, in qua est: *Te tibi jura, quæ es omnia Isis*. Hancque veram esse nominis *Jehovah* interpretationem, quod *Naturæ universali* tribuerint Ægyptii, mania, quæ postea Spinosam aliosque profanos homines invasit, jam occupati. Sed & quartum argumentum pro hac sententia omnia Isidis simulacra suppeditare, atque illud inprimis, quod in explicatione gemmæ Augustæ Illustris Cuperus exhibuit p. 252. In eo *urrim capiti impositam* terram, *duas cannas*, quarum radices tridentem repræsentent, mare, *flammas* ex cavitatibus cannarum prodeuntes aerem & ignem notare. Præterea *turrim in capite*, Cybeles quoque Cererisque esse signum, itemque *manmarum*, vim alendi notantium, multitudinem; Isidem enim, Cererem, Vestam, Cybelem, Matrem Deorum, nil aliud esse, quam diversa Numinis ejusdem nomina. Illius rei si Illustri Cupero in mentem venisset, miraturum cum non fuisse, inter Boissardi imagines Isidis inveniri figuras *multimam-*

timammias, cum inscriptione φύσις παναίολος, *Natura universa-lis.* Nec obscurum ipsi futurum fuisse κεντροφόρε epitheton, quod Vestæ Eusebius tribuit. Ideo nempe hoc fieri, quod Vesta, Cybele, Ceres, quæ cum Iside sint eædem, *Naturam universalem, eamque in centro mundi*, utpote in principali parte sua *residentem*, significent. Huic Doctissimi Autoris conjecturæ ingenii laudem concessit, soliditatem in dubium vocavit, in quadam ad eum Epistola, Illustris Cuperus. Si enim in centro resideat, eoque contineatur *Natura universalis*, quæ est Autoris nostri sententia, non posse eam dici κεντροφόρον, quod significat *centrigeram* vel *centriferacem*. Vocem itaque κεντροφόρον significare aliquid, quod φύσις, *Natura*, *terra* vel *Vesta* producat; quemadmodum χλοηφόρος & καρποφόρος etiam dicatur, inde quod *ferat* vel *producat herbas* & *fructus*; atque alia quoque diversa a variis rebus, quas producit vel efficit, nanciscatur nomina, τροφῦ scilicet *altricis*, πετροποιὸς *petrificæ* &c. Nihil itaque convenientius videri, quam labem esse in voce κεντροφόρος, & pro ea apud Eusebium legendum δενδροφόρος, *arborum ferax*: indeque simul patere, cur etiam παρθένος dicatur eodem loco, quoniam scilicet *Terra virgo*, h. e. *quæ non sensit aratrum*, vel *in cujus viscera quærendorum metallorum gratia nondum descenderat quisquam*, arbores protulerit: vel quoniam cum arboribus virgines comparari soleant. Nomen denique ἑςίας, apud eundem Eusebium, ad firmam *terræ* stabilitatem pertinere videri. Et istam vocis quidem κεντροφόρος emendationem atque explicationem, facile Autor noster in responsoriis ad Cuperum admisit: inque observatis ab eo, confirmationem se invenire eorum, quæ de eodem Isidis, Vestæ, Cereris, Cybeles, Matris Deorum Numine, antea affirmaverat, existimavit: imo & *Venerem* Syriam, quæ *Urania* Græcis audit, *Naturam universalem* notare, & cæteris unius rei nominibus diversis addendam esse putavit. Hinc vero omnino rationem reddi posse animadvertit diversorum attributorum soli huic Deæ adscriptorum: quæ & tot celebretur nominibus, diversas Naturæ universalis partes respicientibus. *Vestam* appellari, quod *ignis* ejus sit pars, *calore* suo principium generationibus rerum largiens, idque diserte Ovidium in Fastorum VI indicare. Θέμιν & χρησμῳδὸν vocari ob spiritum æter-

num & immensum, Universi molem penetrantem, eam moderantem, omniaque cognoscentem: σπερματικὸν λόγον, quod principium omnium rerum esset; τροφὸν, quod aleret omnia. Sic κεντροφόρον etiam eam dici posse, non quod *ferat centrum*, a quo potius *feratur*, sed quod sit κρατοῦσα centri, illique præsit; quamvis tamen omnino inhærendum sit Cuperi emendationi, modo observetur, vim δενδροφόρον & χλοηφόρον esse virtutes φύσεως πανιόλυ, *Naturæ universalis*. Hanc namque, sicuti ἑστία *Vesta*, *focus*, *viva flamma* appellatur, in respectu ad cœlos, ubi residet pura illa flamma; δενδροφόρον quoque vocari & χλοηφόρον in respectu ad terram, *herbarum arborumque feracem*. Poetas vero, quando in terra *Vestæ* nomen quæsivere, causam eam habuisse, quod terræ, emolumentorum suorum causæ, maxime inhæserint, quæ pars tamen *Naturæ universæ* existat. Παρθένυ *Virginis* nomen, *Naturæ universæ* adscriptum, optime Cuperum explicuisse. Sed ut ad filum tractationis Autoris nostri redeamus, quintum argumentum ejus rei, quod Isis sit *Natura universa*, suppeditant symbola Isidis, inter quæ maxime emineat ipse *Apis*. Hunc enim ad Isidem pertinuisse, non Osiridem, hinc colligit, quod in maxima veneratione *Apis* fuerit; symbolum autem præ ceteris venerabile, ad Numen haut dubie pertinuisse, cujus summa in Ægypto religio; hoc autem Isidem fuisse. Præterea consentire omnes, *Mnevin* bovem, symbolum Solis, fuisse Heliopoli adoratum: verosimile igitur haut esse, duos boves Osiridi vel *Soli*, nullum Isidi fuisse consecratum. In *Apide* itaque omnes esse *Naturæ universæ* characteres: *marem* illum esse, ad masculam ejus vim significandam; nomen *Apis* אבי *parentem* significare; *alendis hominibus* plurimum bovem, præcipuum culturæ terræ instrumentum, conferre: τιθήνην vero atque *altricem* esse *Naturam*. Signa totius Naturæ impressa huic bovi fuisse, *Lunam* in dextro latere, *aquilam* Jovis alitem, symbolum cœli, in dorso, *scarabæum* in lingua Solis ænigma. Omnes vero conjecturas illas tantum accendere luminis celebri Amosi Prophetæ loco: *portastis tabernaculum Regis vestri, Kijoun, imagines vestras, & sidus Deorum vestrorum, quos vobis fecistis*, ut ille novum vicissim robur addat sententiæ illi, quod Isis *Natura* sit *universa*. Prophetam nempe delineare idololatriam in deserto. *Apin* enim

c. V.

Re-

Regem haut dubie fuisse religionis Ægyptiæ; *Kijun* esse Numen, cui ille sacer erat: id autem esse *Naturam universam*: כיונא *kejono* enim Syris esse *genium Naturæ*, a quo diversum non sit *Kijun*, nisi terminatione Chaldæo-Syra. Nec male hic sentire Judæos, qui *Kijun* velint esse *Saturnum*: illum enim esse *genium Naturæ universæ*, *totam naturam comprehendere, omnem felicitatem donare, perficere omnia*, ut diserte Lib. 1 Dionysius Halic. testetur. Genium vero naturæ esse ἀῤῥενόθηλυν, *utroque sexu potentem*, quod nomen & Isidi hæreat, eumque adeo a sexum masculinum maxime spectantibus *Saturnum*, a cæteris *Isidem* vocari. Verba vero Prophetæ, & *Sidus vestrorum Deorum*, eo pertinere, quod *Apis* non unam solam particularem Divinitatem, sed Naturam referat, quæ omnia complectatur sidera; unde & Stephanus Act. VII dixerit, *exercitum cœli* Israelitas adorasse. Sic investigatis, quos Isis referebat & Osiris, quorum symbolicæ imagines erant *Apis* & *Mnevis*, Diis naturalibus, Typhonem esse quodcunque generationibus rerum adversum principium docet, atque sic ad investigandos, qui latent sub Isidis Osiridisve nomine, Deos animales, Reges scilicet & Viros illustres progreditur. Principes vero inter Deos animales, Patriarchas nationum haut dubie fuisse, dicit, & quidem in ista Theologia Ægyptiaca, Noæ, Chami & Mitsraimi esse vestigia; Noæ inprimis, quem multa in Apide, fabulaque Isidis & Osiridis, referre videantur, nunc brevitatis causa prætereunda. Mosen sub Typhonis nomine latere. Russum enim fuisse Typhonem: Mosen, egregiæ hominem formæ, comam probabiliter aluisse affinis, i. e. flavi coloris. Nomen *Typhonis* esse Syrum *Thuphon* טופנא quod *inundationem* notet, qua pessundederit Moses Pharaonem cum Ægyptiis; quo pertineat etiam, quod Plutarchus mare & marina omnia abominari Ægyptios Sacerdotes, & sal *Typhonis spumam* appellare dicit. Typhonem hostem Deorum Ægyptiorum judicari, quod judicia sua per Mosen contra omnes eos Deus exercuerit, ut est Exod. XII, 12. Numer. XXXIII, 4. Typhonem LXXII sibi junctis hominibus Osirin interficientem, Mosen significare, regimen post egressum ex Ægypto cum LXXII senioribus partitum. Typhonem fratrem Osiridis Regis Ægypti: Mosen filium Natæ Pharaone creditum esse. Typhonem Æthiopiæ Reginam habuisse adjutricem: Æthiopissam Mosis fuisse uxorem. Typho- c. VIII.

pho-

Typhonem asinæ insidentem in Ægyptum venisse, ut Isidi & Osiridi bellum inferret: & Mosen simili vectura usum Exod. IV, 20. Denique Typhonem, teste Plutarcho, acie victum, septiduana fuga asino vectum discessisse, posteaque Jerosolymum & Judæum genuisse: quod ipse Plutarchus eo spectare animadvertat, ut Judæi in partem fabulæ Typhonis veniant. Et certe septidui fugam spectare sabbatum, post exitum ex Ægypto a Mose constitutum, Jerosolymi & Judæi natales, constitutam a Mose Judaicam Rempublicam. Hæc de Ægyptiorum Theologia, usuque boum in ipsorum religionibus, Apidis inquam & Mnevis.

c. IX. Jam porro Israelitas, vitulum adorantes, non id egisse, ut Deos adorarent Ægyptios, Apin Isidemque vel Osirin, sed verum Deum in Ægyptio isto symbolo voluisse honorare, quæ Calvini & Protestantium plerorumque sententia est, contra Romanæ Ecclesiæ Doctores diligenter Autor defendit.

c. X. Festum celebratum Vitulo Exod. XXXII, 5. dedicationis fuisse, in quo ritus in Isiacis recepti observati fuerint, quorum nonnulli ex Herodoti Euterpe, quibus festum Isidi Bubaste celebratum describit, recensentur. Nec dubium Autori videtur, in eo festo in thensa vitulum illum circumgestatum fuisse, eoque spectare locum Amosi: *portavistis tabernaculum Moloch vel Regis vestri.* Mosen autem solennibus illis intervenientem, vitulum per calcinationem, quousque licuerit, in cineres redegisse.

c. XI. Cum idololatria populi in deserto, & formæ & materiæ cognationem habere idololatriam Jeroboami. Illum vitulorum cultum ex Ægypto, ubi diu versatus fuerat, attulisse. Dici autem idola illius diserte δαμάλεις, *junices*, in Scriptura passim: alibi rursus *vitulos*: quod suspicioni locum dat, utrumque sexum gemina vacca Joroboamum repræsentasse, quia, ut supra dictum, ἀῤῥενόθηλυς Isis crederetur. Deum verum hoc symbolo Jeroboamum colere voluisse, & ceremoniis quidem a Mose præceptis: quod inprimis clarum sit ex relatis 2. Reg. XVII, 28, ubi dicitur, novos Salmanassaris colonos Samariam tuto habitare non potuisse, donec discerent cultum Dei Israelis; quem proinde retinuisse hucusque necesse sit Israelitas, nisi quod vitulorum adhiberent symbola. Ex loco Oseæ XIII, 2. male cum Judæorum magistris quosdam colligere, homines vitulis hisce fuisse immolatos; sensum enim verborum esse: *quicunque inter homines sacrificat, osculum figet vitulis*;

vitulis. Id tamen inde constare, osculo honoratos illos fuisse, quod & in aliis religionibus observatum; ut ex Jobi XXXI, 27, & Apuleio in Apologia pateat. Sacerdotes Jeroboami male quosdam inter Eruditos putare ex fæce plebis delectos; quod parum conveniens fuisset ad conciliandam novæ religioni autoritatem. Ebræa verba מקצות העם non *ex infima plebe* notare, sed simpliciter *ex medio populo*: id indicare tantum volente sacro Historico, quod ex tribu Levi scripti non fuerint Sacerdotes, sed ut fors ferret, ex populo. Peccatum denique illud Jeroboami illis, qui imagines & ἐθελοθρησκείας suas cultui divinitus præcepto miscere gaudeant, neutiquam favere. Utut enim minus fuerit Jeroboami peccatum crimine ultimorum Israelis Regum, a veri Dei cultu penitus ad Baalim deficientium: peccatum tamen nihilominus fuisse. Nec illi excusando inservire, quod Elias tamen Elisæusque, veri Prophetæ, perpetuo in illa gente fuerint versati: hoc enim placuisse sapientiæ Divinæ, ut aliqua tamen adhuc, licet corrupta, in illa gente servaretur Ecclesia. Atque hæc Autor doctissimus de cultibus falsis inter Israelitas ex Ægypto oriundis. Jam libro IV ad eos pergit, qui Syriæ & Chananææ natales debent. Sed ejus quidem justum recensum nemo a nobis requiret; cum in prioribus tribus enarrandis, jam tum instituti nostri limites longe fuerimus supergressi.

THESAURUS ANTIQUITATUM GRÆCARUM, contextus & designatus a JACOBO GRONOVIO. Volumen sextum, septimum, & octavum.

Lugduni Batavorum apud Petrum van der Aa, 1699, fol.

Volumen VI constat Alphab. 6. plag. 19.
VII Alphab. 8. plag. 11.
VIII Alphab. 7. plag. 17.

PRimum Voluminis sexti locum obtinet Joachimi Stephani, Pomerani, J. U. D. *de Jurisdictione veterum Græcorum liber*. Pronunciat de eo celeberrimus Gronovius, satis quidem scite considerasse utramque urbem, vel potius generatim patefecisse universam Græcorum indolem istuc quidem ferentem, ut δίκην colerent; ast nihilominus nimium Alexandro ab Alexandro & Cœlio Rhodigino in hoc libro tributum esse: doletque præterea, non ma-

jori

jori cum cura librum istum in editione prima fuisse administratum. Sequuntur p. 2755 Joachimi Perionii, Hebraicarum & Græcarum litterarum Lutetiæ Interpretis Regii, *de Magistratibus Græcorum & Romanorum libri tres*, a Francisco fratris filio editi, quorum tertium librum adeo Romanis rebus obrutum Gronovius dicit, ut nequaquam explicet impleatque inscriptionis promissum ac materiam. Proxime abest Heraclidæ Pontici *de Politiis Græcorum libellus, cum interpretatione Latina Nicolai Cragii*, quem si integrum dare potuisset, totius instar Thesauri futurum fuisse existimat. Ast temporum injuria fragmentum solum dare coegit, cujus tamen nec editores, nec interpretes, exquisitam rationem habuerunt. Hunc excipit pag. 2835 Jo. Adami Osiandri de *Asylis Gentilium dissertatio*, quam p. 2855 Jo. Baptistæ Crophii *Antiquitates Macedonicæ*, hisque p. 2939 adjuncta Petri Hendreich *Massilia* comitantur. Inde pag. 3007 comparet Burcardi Niderstedi *Melita vetus & nova, Hephæstia insula, Melita subterranea*, de qua in præfatione dum verba facit Gronovius, miratur insimul, inter σεβάσματα hujus insulæ, non nisi Herculem & Junonem celebrari, quum & Dea Proserpina, & templum ejus, in inscriptionibus apud Gualterum tam aperte nominetur. Hac occasione, Jacobi de Wilde, cui hæc studia mirum quantum debent, beneficio monetam in ære ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ, prout erat, expressam accuratissime ex quinque fidelissimæ notæ ectypis adducit, deque κυνῇ & rosa Melitensi ibi occurrentibus præcipit, & contra Sponium aliosque disputat. Inde pag. 3087 conspiciuntur Petri Gyllii, quem inprimis laudat, *de Bosporo Thracio libri tres*, & p. 3219 ejusdem *de Topographia Constantinopoleos, & de illius Antiquitatibus libri quatuor*. Hos excipiunt Georgii Dousæ *de Itinere suo Constantinopolitano Epistola*. Accesserunt *Veteres Inscriptiones Byzantio & ex reliqua Græcia cum quibusdam doctorum Virorum epistolis* p. 3343: Leonardi Aretini *Commentaria rerum Græcarum*, p. 3387. Wolfgangi Lazii *Græciæ Antiquæ variis numismatibus illustratæ lib. II* p. 3419: Josephi Laurentii *Disquisitio de Rebus publicis, suffragiis, conciliis, accusationibus, tormentis*, &c. *veterum*, p. 3651: Everardi Feithii *Antiquitatum Homericarum libri IV*, in quibus fere omnes eorum temporum per Græciam ritus, ceremoniæ & mores, tam in sacris quam profanis, exponuntur & illustrantur, p. 3711.
Nico-

Nicolai Damasceni *de moribus Græcorum aliarumque Gentium libellus*, cum interpretatione Latina Nicolai Cragii, p. 3843. De Jos. Laurentio censet, nimis breviter instituto defunctum, versus peregrina & aliena statim deflexisse. Præclarius de Feithio existimat, & nonnullos in hoc opere occurrentes nævos non ab ipso, sed editorum negligentia profectos arbitratur.

Volumen septimum ad Sacra præsertim Græca & Festivitates spectat, & librorum hoc Antiquitatis caput persequentium haut contemnendam seriem repræsentat. Primum ex his locum occupat Danielis Clasenii *Theologia Gentilis, seu demonstratio, qua probatur, Gentilium Theologiam (ceu tenebras) Deos, sacrificia & alia ex fonte Scripturæ (ceu luce) originem traxisse, in tres partes divisa.* Hinc p. 133 Josephi Laurentii *Varia Sacra Gentilium*, & p. 253 Abrahami Ortelii *Deorum Dearumque capita, ex antiquis numismatibus collecta, Historica Narratione illustrata a Francisco Swertio* conspiciuntur. Reliqui libri hoc ordine exhibentur: Julii Cæsaris Bulengeri *de Oraculis & Vatibus liber* p. 1. Idem *de Templis Ethnicorum* p. 50. Jo. Henrici Eggelingii *Mysteria Cereris & Bacchi, in vasculo ex uno onyche, cum figuris* p. 57. Joannis Meursii *Panathenæa, sive de Minervæ illo gemino festo, liber singularis,* nunc ex ipsius auctoris chirographo auctus, p. 77. Ejusdem *Eleusinia, sive de Cereris Eleusiniæ Sacro, ac Festo, liber singularis,* nunc ex ipsius auctoris chirographo auctus, p. 109. Jo. Nicolai *de ritu antiquo & hodierno Bacchanaliorum commentatio*, p. 173. Jo. Jacobi Helleri *Exercitatio de Deo ignoto Atheniensium*, p. 221. Jacobi Sponii *ignotorum atque obscurorum quorundam Deorum Aræ, notis illustratæ, cum quorundam Eruditorum epistolis ad eam rem pertinentibus*, p. 233. Stephani Byzantini Grammatici de Dodone fragmentum, *quo tota veterum doctrina & fabulatio de perantiquo Oraculo isto continentur, cum exercitationibus recognitis* Jacobi Gronovii, *cum figuris*, p. 269. Jacobi Triglandii, J. F. J. N. *Conjectanea ad quædam obscura fragmenti de Dodone loca*, p. 321. Jo. Antonii Vernerii *de Oraculis & Divinationibus Antiquorum, tractatus succinctus & exquisitus*, p. 325. *Symbolica Dianæ Ephesiæ Statua a* Claudio Menetrejo *exposita, multis novis additionibus, nummis & monumentis antiquis illustrata*, p. 357. Lucæ Holstenii *epi-*

stola ad Franciscum Cardinalem Barberinum, de Fulcris seu Verubus Dianæ Ephesiæ simulacro appositis, cum figuris, p. 393. Jo. Petri Bellorii *notæ in Numismata tum Ephesia, tum aliarum urbium, Apibus insignita, cum figuris*, p. 401. Ejusdem *expositio Symbolici Deæ Syriæ simulacri cum figuris*, p. 425. *Marmorea Basis Colossi Tiberio Cæsari erecti, ob civitates Asiæ restitutas, post horrendos terræ tremores: cujus Colossi fides* a Jo. Meursio *oppugnata defenditur, tantum non oculis exhibetur, & venusta proponitur: tempus, numerus & nomina civitatum restitutarum ubique falsus & varius a recentibus commentatoribus traditur; verus & certus ex marmorea basi, publico instrumento, feliciter probatur. Ad Ser. ac Rev. Principem Franciscum Mariam Mediceum, &c. Primus trans Alpes vulgavit, revocavit, notis & observationibus illustravit* Laurentius Theodorus Gronovius, *cum figuris*, p. 433. Laurentii Pignorii *Magnæ Deum matris Idææ & Attidis initia, ex vetustis monumentis eruta, cum figuris*, p. 433. Jo. Fazoldi *Græcorum veterum* ΙΕΡΟΛΟΓΙΑ, p. 521. Petri Castellani ΕΟΡΤΟΛΟΓΙΟΝ, p. 597. Jo. Meursii *Græcia Feriata, sive de Festis Græcorum libri VI, cum notis & marmore* Ταυροκαθαψίων, pag. 701. Nempe Gronovius non aliquoties tantum in ima ora ad Meursiana polienda aliquid addidit, sed etiam p. 854 interposuit, ad fidem summæ suæ erga Oxoniense marmor reverentiæ, & nomen, & conspectum festi ΤΑΥΡΟΚΑΘΑΨΙΑ. Jo. Jonstoni *de Festis Græcorum schediasma*, p. 871. Julii Cæsaris Bulengeri *de Ludis veterum liber unicus*, p. 901. Jo. Meursii *de Ludis Græcorum liber singularis*, p. 941. Danielis Souterii *Palamedes, sive de Tabula lusoria, Alea & variis ludis, libri tres* p. 997. Andreæ Senftlebii *de Alea veterum liber singularis*, p. 1121. Cœlius Calcagninus *de Talorum ac Tesserarum & Calculorum Ludis ex more veterum, in gratiam Lilii Gregorii Gyraldi*, p. 1213. De singulis fere in præfatione eruditissimus Gronovius nonnulla monet, & vel perperam dicta indicat, vel prolata illustrat, auget & dilucidius exponit. Ita de Symbolica Dianæ Ephesiæ statua a Menetrejo exposita disserens, temperare sibi non potest, quin marmoream ejusdem Dianæ, quam in arcis Heemstejanæ propylæo deprehendit, statuam ex longinquis locis advectam repræsentaret, & hoc modo Menetrejo lucem afferret. Quæ uti nullis aliarum, judice Gronovio,

novio, pulchritudine artis & elegantia cedit, ita ab omnibus diversa est, seu manuum elevationem consideres, seu septem fascias, in quibus unice convenit cum ea, quam Leonardus Augustinus ex gemma edidit, seu πεgτομάς equorum in aliis parum observatas, cum tanta canum multitudine Hecaten suam justissime cingente, ut mereatur certe hoc marmor inter reliqua spectari. Miratur cæteroquin, cur non Menetrejus nummos illos omnes, quos citet, collectos apposuerit, vel qui factum fuerit, ut ex hac Dianæ in nummis gloriosæ pompa, ab Holstenio collecta, omissus sit nummus Claudii, eam perinde in æde tetrastylo stantem & verubus innixam exhibens, cum ipsis literis DIAN EPHE, ut est in serie orbium Crojanorum. Hanc vero Dianam ex suis sacris illustratam vult, non admixtione nunc Cereris, nunc Isidis, nunc Cybeles, adeoque discedit ab illis, qui has ad partes vocaverint.

Volumen Octavum cætera Ludrica & Amœnitates Græcas persequitur, & p.1234 sistit Jo. Meursii *Orchestram, sive de Saltationibus veterum librum singularem.* In hoc non probat, neglectum adeo fuisse Scaligerum nomen, ut ne meminisse quidem dignatus fuerit, præsertim cum reperias apud Scaligerũ (capite nempe XIV de Comœdia) quæ omissa Meursio. Inde repræsentantur Jo. Baptistæ Casalii *de Ritu Nuptiarum, ac de Jure Connubiali veterum dissertatio*, p. 1302. Josephi Laurentii *de Sponsalibus & Nuptiis antiquorum libellus*, p. 1330. Barnabæ Brissonii *ad legem Juliam de Adulteriis liber singularis*, p. 1346. Josephi Laurentii *de Adulteris & Meretricibus tractatio*, p. 1402. Jo. Meursii *de Puerperio syntagma*, p. 1418. Josephi Laurentii *de Natalitiis Conviviisque, quæ in iisdem agitabantur, exercitatio*, p. 1430. Ejusdem *de Præconibus, Citharœdis, Fistulis ac Tintinnabulis collectio*, p. 1459. Lilii Gregorii Gyraldi *de Comœdia, ejusque apparatu omni & partibus commentarius*, p. 1474. Julii Cæsaris Scaligeri *de Comœdia & Tragœdia, ejusque apparatu omni & partibus commentatio*, p. 1494. Ejusdem *de Versibus Comicis tractatus*, p. 1550. Joachimi Camerarii *de Comicis versibus diatriba*, p. 1578. Jo Baptistæ Casalii *de Tragœdia & Comœdia lucubratio*, p. 1598. Alberici Gentilis *de Actoribus & Spectatoribus Fabularum non notandis disputatio*, p. 1826. Evanthii & Donati *de Tragœdia & Comœdia commentatiuncula*, p. 1682. ***De Fabularum, Ludorum, Theatrorum, Scenarum ac Sce-***

Scenicorum antiqua consuetudine, libellus, p. 1694. Jo. Ludovici Fabricii *de Ludis Scenicis* ΔΙΑΛΕΞΙΣ *casuistica quinquepartita*. Petri Fabri *de re Athletica, Ludisque veterum Gymnicis, Musicis atque Circensibus spicilegiorum tractatus, tribus libris comprehensi, opus tessellatum*, cum ejusdem paralipomenis, p. 1758. *Inscriptiones Athleticæ nuper repertæ, editæ & notis illustratæ* ab Octavio Falconerio, *quibus accesserunt aliæ ex Africanis marmoribus recens descriptæ*, p. 2290. Barnabæ Brissonii *commentarius ad L. Dominico de Spectaculis, in C. Theodosiano, & L. omnes dies Cod. de Feriis* p. 2358. Josephi Laurentii *de Agyrtis, Histrionibus, Acclamationibus, & Osculis investigatio*, p. 2434. Jo. Meursii F. *collectanea de Tibiis*, p. 2450. Musonii Philosophi *opus de Luxu Græcorum, in quo de belluonibus, bibacibus, generibus poculorum, vino, coronis, quibus in conviviis veteres utebantur, unguentis, musicis instrumentis, bellariis, saltationibus, parasitis, generibus placentarum, ac meretricibus insignibus*, a Stephano Nigro *congestum*, p. 2466. Petri Bellonii *de admirabili Operum antiquorum & rerum suspiciendarum præstantia, libri tres*, p. 2530. Philo Byzantius *de septem Orbis Spectaculis, Græce, cum notis & interpretatione Leonis Allatii*, p. 2642. Phlegontis Tralliani *de rebus mirabilibus liber, Græce, cum interpretatione Latina Guilielmi Xylandri, ac recensione notisque Jo. Meursii*, p. 2690. Ejusdem *de Longævis libellus, Græce, cum interpretatione Latina Guilielmi Xylandri, ac recensione notisque Jo. Meursii*, p. 2727. Jo. Frederici Gronovii *de Museo Alexandrino exercitationes Academicæ, habitæ anno* M DCLXVII *post caniculares ferias, ab filio ejus exceptæ*, & nunc primum editæ, p. 2738. Ludolphi Neocori *de Museo Alexandrino diatribe*, nunc primum edita, p. 2766.

ISAACI NEWTONI TRACTATUS DUO, DE SPECIEBUS & Magnitudine Figurarum Curvilinearum.

Londini apud Samuelem Smith & Benjamin Walford, Typographos Societatis Regiæ, 1704, in 4.
Constant plagul. 10.

CEleberrimus magno suo merito Vir, Isaacus Newtonus, Tractatui suo Optico de Coloribus, Anglice scripto, appendicis in modum


dum sermone Latino duos subjecit Tractatus Geometricos, breves sed præclaros, priorem de Enumeratione Linearum Tertii Ordinis; alterum de Quadratura Curvarum. Quod Enumerationem Linearum attinet, notat in antecessum, *lineas* dici posse *primi*, *secundi*, *tertii*, *quarti* &c. *ordinis*, quas recta potest secare in punctis, uno, duobus, tribus, quatuor &c. Itaque *primi ordinis* est ipsa recta; *secundi* sunt *conicæ*, sub quibus comprehenditur circulus; *tertii* sunt eæ, quas hoc loco numerare aggreditur. Lineæ autem ordinis secundi, tertii, quarti &c. possunt dici (respective) *curvæ generis primi*, *secundi*, *tertii*, &c. Curvæ denique infinitesimi generis sunt, (ut notum est) quas recta in infinitis punctis secare potest, quales sunt, quæ per radii vel rotæ revolutiones infinitas generantur. Ostendit deinde, proprietatibus quibusdam primariis, conicarum seu curvarum primi generis, consimiles esse proprietates curvarum secundi generis, & generum etiam superiorum; quoad ordinatas scilicet, diametros, vertices, centra, axes, latera recta & transversa, & asymptotos. Nam si rectæ plures inter se parallelæ & ad sectionem conicam utrinque terminatæ ducantur, recta duas earum bisecans bisecabit alias omnes; quæ dicetur *diameter*, & parallelæ dicentur *ordinatim applicatæ*. Concursus diametrorum est *centrum* figuræ, & intersectio curvæ ac diametri, *vertex*: & diameter illa, cui ordinatim applicatæ insistunt ad angulos rectos, dicitur *axis*. In curvis secundi generis si rectæ duæ quævis parallelæ ducantur occurrentes curvæ in tribus punctis, recta quæ ita secat has parallelas, ut summa duarum partium ex uno secantis latere ad curvam terminatarum æquetur parti tertiæ ex altero latere ad curvam terminatæ, eodem modo secabit alias, his parallelas curvæque in tribus punctis occurrentes. Hæ ergo tres partes, quæ hinc inde æquantur, dicentur, ut in conicis, *ordinatim applicatæ*, & recta secans dicetur *diameter*, & concursus duarum diametrorum dicetur *centrum*, & ubi omnes diametri in eodem puncto concurrunt, istud erit *centrum generale*. Diameter autem ad ordinatas rectangula, si modo aliqua sit, etiam *axis* dicetur. Et quemadmodum in conicis sectionibus non parabolicis quadratum ordinatim applicatæ hoc est rectangulum ordinatarum, quæ ad contrarias partes diametri ducuntur, est ad rectangulum partium diametri, quæ ad vertices ellipseos vel hyperbolæ

bolæ terminantur, ut data quædam linea, quæ dicitur *latus rectum*, ad partem diametri, quæ inter vertices jacet, & dicitur *latus transversum*; sic in curvis non parabolicis secundi generis parallelepipedum sub tribus ordinatis est ad parallelepipedum sub partibus diametri ad ordinatas & tres vertices figuræ abscissis, in ratione data: in qua ratione si sumantur tres rectæ ad tres partes diametri inter vertices figuræ sitas, tunc illæ tres rectæ dici possunt *latera recta*, & illæ partes diametri inter vertices, *latera transversa*. Et sicut in parabola conica, quæ ad unam & eandem diametrum unicum habet verticem, rectangulum sub ordinatis æquatur rectangulo sub parte diametri, quæ ad ordinatas & verticem abscinditur, & recta quadam data, quæ latus rectum dicitur; sic in curvis secundi generis, quæ nonnisi duos habent vertices ad eandem diametrum, parallelepipedum sub ordinatis tribus æquatur parallelepipedo sub duabus partibus diametri ad ordinatas & vertices illos duos abscissis & recta quadam data, quæ proinde latus rectum dici potest. *Hyperbola* primi generis duas *asymptotos*, secundi tres, tertii quatuor &c. & non plures habere potest. Et quemadmodum partes lineæ cujusvis rectæ inter hyperbolam conicam & duas ejus asymptotos sunt hinc inde æquales; sic in hyperbolis secundi generis si ducatur recta quævis secans tam curvam quam tres asymptotos in tribus punctis, summa duarum partium istius rectæ, quæ a duabus quibusvis asymptotis in eandem plagam ad duo puncta curvæ extenduntur, æqualis erit parti tertiæ, quæ a tertia asymptoto in plagam contrariam ad tertium curvæ punctum extenditur. Sicut etiam in conicis sectionibus, ubi duæ parallelæ ad curvam utrinque terminatæ secantur a duabus parallelis ad curvam utrinque terminatis, prima a tertia, & secunda a quarta, rectangulum partium primæ est ad rectangulum partium tertiæ, ut rectangulum partium secundæ ad rectangulum partium quartæ: sic ubi quatuor tales rectæ occurrunt curvæ secundi generis, singulæ in tribus punctis, parallelepipedum partium primæ rectæ erit ad parallelepipedum partium tertiæ, ut parallelepipedum partium secundæ ad parallelepipedum partium quartæ. Porro curvarum secundi & superiorum generum æque ac primi crus omne in infinitum progrediens vel *hyperbolicum* est, si ad asymptoton aliquam in infinitum appropinquet, vel *parabolicum*, si asymptoto destituitur. Denique lineæ

lineæ omnes ordinis primi, tertii, quinti & imparis cujusque, duo habent ad minimum crura in infinitum versus plagas oppositas progredientia. Quod formas curvarum attinet, Autor vocat hyperbolam *inscriptam*, quæ tota jacet in asymptotôn angulo ad instar conicæ; *circumscriptam*, quæ secat asymptotos, & partes abscissas in sinu suo amplectitur; *ambigenam*, quæ uno crure infinito inscribitur & altero circumscribitur; *convergentem*, cujus crura concavitate sua se invicem respiciunt, & in plagam eandem diriguntur; *divergentem*, cujus crura convexitate sua se invicem respiciunt, & in plagas contrarias diriguntur; *cruribus contrariis præditam*, cujus crura in partes contrarias convexa sunt, & in partes contrarias infinita; *conchoidalem*, quæ vertice concavo & cruribus divergentibus ad asymptoton applicatur; *anguineam*, quæ flexibus contrariis asymptoton secat, & utrinque in crura contraria producitur; *cruciformem*, quæ conjugatam decussat; *nodatam*, quæ se ipsam decussat in orbem redeundo; *cuspidatam*, cujus partes duæ in angulo contactus concurrunt, & ibi terminantur; *punctatam*, quæ habet ovalem infinite parvam, id est, punctum; & *puram*, quæ per impossibilitatem duarum radicum, ovali, nodo, cuspide & puncto conjugato privatur. Eodem sensu parabolam quoque convergentem, divergentem, cruribus contrariis præditam, cruciformem, nodatam, cuspidatam, punctatam & puram nominat. *Hyperbolam* vocat *redundantem*, quæ numero crurum sectiones conicas superat; *defectivam*, quæ unicam habet asymptoton, & duo tantum crura hyberbolica juxta asymptotam illã in plagas contrarias infinite progredientia; ex his una est *cissois* veteri. *Hyperbolas parabolicas* vocat, quæ habent crura hyperbolica & parabolica. In universum autem numerat lineas tertii ordinis, seu curvas secundi gradus, septuaginta duas. Et notat, quod, si in planum infinitum a puncto lucido illuminatum umbræ figurarum projiciantur, umbræ sectionum conicarum semper erunt sectiones conicæ, curvarum secundi generis semper erunt curvæ secundi generis (vel potius non plus quam secundi generis) & ita porro. Et quemadmodum circulus umbram projiciendo generat omnes sectiones conicas (idem de quavis conica dici potest) sic quinque parabolæ divergentes secundi generis exhibent omnes alias secundi generis curvas. Quinque illæ parabolæ divergentes sunt hæ, quarum æquatio com-

munis est $yy = ax^3 + bxx + cx + d$, ubi AB, AG sunt axes conjugati, curvæ punctum C, & AB, X, & BC, y. Quodsi jam sit $y = o$ & æquationis $ax^3 \pm bxx + cx + d = o$, tres radices AT, At, $A\tau$ sint reales & inæquales, prodit figura parabolica divergens *campaniformis cum ovali* ad verticem *fig. 2. 3.* Si radices duæ sunt æquales, parabola prodit vel *nodata* contingendo ovalem, *fig. 4*, vel *punctata* ob ovalem infinite parvam, *fig. 5.* Si tres radices sunt æquales, parabola est *cuspidata* in vertice, & est parabola semicubica vulgo dicta, *fig. 7.* Denique si duæ radices sunt impossibiles, habebitur parabola *pura campaniformis fig. 4. & 6.* His quinque parabolis divergentibus secundi generis adjiciamus ex Autore cissoidem veterum *fig. 1*, parabolam, per quam Cartesius æquationem sex dimensionum construxit *fig. 7.* (quæ habet quatuor crura infinita, quorum duo sunt hyperbolica circa asymptoton AG, & duo parabolica convergentia, & cum prioribus speciem tridentis fere efficientia) & parabolam cubicam vulgarem (quæ est ex numero parabolarum divergentium) *fig. 8.* Reliquæ figuræ, quæ cum his omnes septuaginta duas curvas secundi generis repræsentant, apud Autorem videri possunt. Cæterum Autor non attingit *focos* vel *umbilicos* curvarum secundi generis, & multo minus generum altiorum. Cum ergo ea res abstrusioris sit indaginis, & maximi tamen in hoc genere usus, tum ad descriptiones, tum ad alias proprietates curvarum, & doctrina hæc focorum ab Ill. Dn. D. T. profundius sit versata; supplementum ejus pro his curvis ab ipsius ingenio expectamus.

Ingeniosissimus deinde Autor, antequam ad *Quadraturas Curvarum* (vel potius figurarum curvilinearum) veniat, præmittit brevem *Isagogen*. Quæ ut melius intelligatur, sciendum est, cum magnitudo aliqua continue crescit, veluti linea (exempli gratia) crescit fluxu puncti, quod eam describit, incrementa illa momentanea appellari *differentias*, nempe inter magnitudinem, quæ antea erat, & quæ per mutationem momentaneam est producta, atque hinc natum esse calculum *differentialem*, eique reciprocum *summatorium;* cujus Elementa ab inventore Dn. Godefrido Guilielmo Leibnitio in his Actis sunt tradita, variique usus tum ab ipso, tum a Dnn. Fratribus Bernoulliis, tum & Dn. Marchione Hospitalio, (cujus nuper


TAB. I. ad A. 1705. M. Jan. p. 34.
1.
A
T
2.
C
A
t
B
G
3.
C
A
T
t
B
G
4
C
A
T
B
5.
C
A
t
B
6.
C
t
A
B
7.
C
A
B
G
8.
C
A
B
G
9.
C
A
B

per extincti immaturam mortem omnes magnopere dolere debent, qui profundioris doctrinæ profectum amant,) sunt ostensi. Pro differentiis igitur Leibnitianis Dn. Newtonus adhibet semperque adhibuit *fluxiones, quæ sint quam proxime ut fluentium augmenta æqualibus temporis particulis quam minimis genita*; iisque tum in suis Principiis Naturæ Mathematicis, tum in aliis postea editis eleganter est usus, quemadmodum & Honoratus Fabrius in sua Synopsi Geometrica motuum progressus Cavallerianæ Methodo substituit. Porro ut dato quantitatis alicujus, velut y, valore per aliam indeterminatam, qualis x, haberi etiam potest valor ipsius dy (differentiæ inter duas proximas y,) per x, & per dx (differentiam inter duas proximas x) seu uti data quantitate y, potest inveniri differentia dy; quod nihil aliud est, quam invenire tangentes curvarum: ita vicissim dato valore ipsius dy, modo dicto exhibito, seu data differentia dy invenire terminum y, est invenire summas omnium differentiarum seu dy; quia discrimen inter duas y assignabiles extremas est summa omnium differentiarum intermediarum; & posito unam ex extremis æqualem esse nihilo, seu crescendo incipi ab o, tunc summa illa est ultima y. Hinc dato termino v, qui sit ad a constantem, ut dy ad dx, erit rectangulum ay æquale summæ omnium vdx, quæ scribitur $\int v\,dx$, id est, æquabit aream figuræ factæ ex ordinatis, v ductis respective in dx elementa abscissarum. Atque ita regressus a valore ipsius dy (seu ipsius $\frac{v\,dx}{a}$) differentiæ, ad valorem ipsius y (seu ipsius $\int\frac{v\,dx}{a}$) est quadratura figuræ, cujus abscissa x, ordinata v. Adeoque fluxus ipsius y est areæ dictæ proportionalis. Sed cum *regressus* hic a differentiis ad quantitates, vel a quantitatibus ad summas, vel denique a fluxionibus ad fluentes, non semper Algebraice fieri possit, (prorsus ut regressus a potentiis ad latera, vel a quantitatibus ad radices non semper fieri potest rationaliter) ideo quærendum est, tum quibus casibus quadratura Algebraice succedat, tum quomodo Algebraico successu deficiente aliquid subsidiarium adhiberi queat. In utroque etiam a Dn. Newtono est utilissime laboratum, tum alias, tum in hoc tractatu de Quadraturis, ubi series adhibet infinitas, quæ certo casu, quo abrumpuntur, seu finiuntur, quæsitum Algebraice exhibent. De quo etiam dictum est nuper in recensione tractatus

Dn.

Dn. Cheynæi, Medici Scotici Londini degentis. Conferri etiam potest tractatus Dn. Craigii Scoti de Quadraturis, & ejusdem Theorema ad Quadraturas pertinens, nuper in his Actis exhibitum; quæ faciunt etiam, ut ipsis Theorematis Newtonianis recensendis supersedeamus, quia paucis exponi non possunt: quemadmodum nec ejusdem Theoremata quædam reductionis ad quadraturas faciliores. Eas autem quantitates, quæ Algebraice exprimi non possunt, Newtonus vocat *Geometrice irrationales*, ad imitationem quantitatum surdarum seu Arithmetice irrationalium.

RUNÆ IN NUMIS VETUSTIS DIU QUÆSITÆ, tandemque ibidem feliciter inventæ, seu de Numis Runicis commentatio NICOLAI KEDERI, Regii Antiquitatum Suecico-Gothicarum Collegii Adsessoris.

Lipsiæ apud Jo. Frid. Geditsch, 1704, 4.
Plag. 4. cum fig. æn.


ANnus nunc, & quod excedit, elapsus est, ex quo elegantissimum Kederi nostri schediasma, quod *de Argento Runis seu literis Gothicis insignito* inscripserat, in hisce Actis nostris, mense nimirum Septembri anni 1703, pag. 417 seqq. recensitum exhibuimus; cui quidem consignando ansam dederat delineatum in Camdeni Britannia, Anglice nunc loquente & ampliata, Runicum numisma. Jam vero aliam de numis Runice signatis commentationem idem litteratissimus Vir lectori curioso sistit, in qua Runas diu in vetustioribus numis a se quæsitas, ac tandem feliciter inventas delineat. Ut vero mentem suam clarius exponat, primo quidem *Runarum* vocabulo elementa se intelligere Gothica dicit, non qualia sequior ætas, ob Longobardicum characterem inter Monachos frequentatum, *Monastica*, i. e. Münch-Schrifft / adpellavit, sed ejus tantum generis, quæ in lignis & saxis antiquissimis exarata deprehendimus. An vero hi Gothorum characteres, quos *Runas* vulgus nominat, metallo etiam signato, sive in numorum formas conflato, antiquitus fuerint dati, diu dubitavit, iis maxime de causis, quod multi ex argento numi Runici dentur, animi gratia fusi ac plane spurii, in quorum censum *Attili* vel *Attilæ*, *Sivari* vel

TAB. II. ad A 1705. M. Jan. p. 37.

1.



2.



3.



4.



5.



6.



7.






8.





9.





vel *Sivardi*, *Erici*, *Waldemari* & *Margarethæ* Regg. numismata refert, atque *bracteatum* quendam sive *cavum* se vidisse ait, quem Petrus Baillet, civis Holmiensis possideat, Runice quidem signatum, sed falsum tamen, licet malleo cusum. Magnum itaque in ejusmodi pecunia discrimen esse habendum, ac ne in alterutram partem nimis declinemus, dispiciendum docet. Nobis enim idem contingere posse, quod Vaillantio, Viro alias rei numariæ callentissimo accidit, qui in Gordianorum historia omnem Africanum, qui aversus AUG. & non AUGG. habeat, malæ notæ esse contendit; quum tamen Kederus noster apud Per-Illustrem Baronem de Heckern, Fœderati Belgii ad Aulam Suecicam Legatum nuper extraordinarium, suis oculis observarit indubitatæ antiquitatis integerrimæque fidei Gordianum Africanum patrem ex ære primæ magnitudinis, latere secundo insignitum hac epigraphe : PROVIDENTIA AVG. uno duntaxat G. Laudat deinde Illustrem e Suecia Virum, *Jo. Gabrielem Sparwenfeldium*, quem Potentissimus Rex Carolus XI, ad perquirenda apud exteros antiquariæ supellectilis, quæ Suecos attineat, cimelia, per annos aliquot peregrinari, ac præcipue Mantuæ Carpetanorum seu Madriti commorari jusserat. Cæterum quum litteras Runicas non reperiret Noster in numismatibus Ostro-Gothicis aureis, argenteis, æreisve, olim in Italia percussis, neque etiam in numis aureis nomina & capita Regum Westro-Gothorum seu Wisi-Gothorum exhibentibus, partim in Gallia, partim in Hispania cusis, (quorum Regum seriem contexuit, & Latinis eos potius, quam majorum suorum literis usos ostendit,) ac ne quidem apud aurarios fabros meliore fortuna gauderet, ad quos tamen vetustatis reliquiæ in agrorum latebris inventæ perferri soleant, de sorte sua pæne desperare, atque amplius de illis dubitare cœpit. At enimvero ita cogitanti eruditissimus Vir, Elias Brennerus, nummulos tres, e tenui bractea argentea *cavos* ostendit, quorum (Vid. figur. 1. 2. 3.) unus præfert ᚢ (*V*) tribus coronis (antiquis propriisque Sueciæ insignibus,) septum : alter ᛒ (*B*) inter hemicyclum & crucem : tertius ᛋ (*S*) stella, cruce atque lunula, quas singularis globulus ter interstinguit, stipatum. Quibus annumerandi sunt trini ejus commatis alii, quos Olaus Bromelius, Med. D. & Gothoburgensis Poliater expiscatus est, quique pari modo e *cava* lamella argentea sunt, & (vid. figg. 4. 5. 6.)

TAB. II. Fig. 1. 2. 3.

Fig. 4. 5. 6.

6.) quorum unus 木, alter 未, tertius autem R, characteres oculis sistunt. Disquirit ergo doctissimus Autor, cur in Brennerianis literæ singulæ sive simplices, in Bromelianis vero compositæ existant? atque hæc ipsa signa non Gothis tantum, verum Græcis quoque ac Romanis usitata, atque *Monogrammata* fuisse vocata respondet, seculo fere post C. N. octavo frequentia, & inter Moscos quoque aut Ruthenos haud ignota; quod ipsum Russicæ insuper monetæ, in qua Magni Ducis nomen monogrammate expressum spectamus, exemplis illustrat. Post longam tandem expectationem voto se damnatum, ac in veterum quorundam argenteorum non unius gentis numismatum e solo Gothiæ Orientalis fortuito erutorum acervulo, *numum Runis insignem* longe illustrissimum invenisse, sibique illum cum stipatoribus suis prece & pretio non segniter redemisse
TAB. II. narrat, cujus figura num. 7. adpicta, virum togatum & fascia vel balteo succinctum, sublata dextera, ac læva pectori admota monstrat,
Fig. 7. cum verbis: MALIIVS REX i. e. MAGNVS REX. Postica pars crucem figuræ quadrangulari globulis excultæ quasi inclusam exhibet, epigraphe Runica: ᛭ᛋᛁᚢᛁᚾ· ᛅᚢᛚᚠᛁᛁᛏᛋ· ᚠᚱᚾᛏᛁ· (Latinis litteris SEVIN. AVLFIETS. FRNTE.) Numum hunc, etiamsi præter Gothicas istas literas, etiam Latinas, Anglo-Saxonico fere ritu ductas, habeat, Runicum tamen denominatum, a SVENONE, Comitis Ulphonis natione Sueci, Danorum sub Canuto *Divite*, Daniæ Angliæque Rege, Gubernatoris filio, OLAI Suionum ac Gothorum *Regis in gremio gestati*, nec non Canuti illius, ex sorore uterina Astride vel Æstrita, Nepote cusum opinatur Kederus, & quidem cum nuper a MAGNO *Bono*, S. Olai filio, Norvagorum & Danorum Rege, Regno Danico cum vicaria potestate regendo tutandoque præfectus, nondum regnum illud, sumto Regis nomine, tantopere sed frustra affectasset, quod tamen post MAGNI fata haud difficulter obtinuit. Doctæ oppido conjecturæ sunt, quibus verba SEVIN. AVLFIETS. FRNTE pro SVEIN OLAVI FRENTE, i. e. *Sueno Olai Consanguineus*, interpretatur: quem Suenonem numi auctorem fuisse, firmare gemina literatura videtur, Gothica videlicet ac Latialis, utraque circa Principis istius tempora per regiones aquilonares in usu. Binos deinde alios adjunxit, Camdenia-
FAB. I. Vig. 8. num nempe fig. 8 supra nobis memoratum, & Sperlingianum aliquem

quem novum fig. 9 ſenſus valde obſcuri, de quo tamen conjectatiunculam ſuam ſubnectere haud detrectavit. Nihil equidem illic, quod moneamus, occurrit; cæterum tres ex argento nummulos pervetuſtos, Gothici, ut arbitramur, generis, inter Acta noſtra menſe Majo A. 1704. pag. 226 adpictos, ſi nondum fortaſſe curatius adſpexerit, Clariſſimo Auctori noſtro in memoriam revocamus, dignos forte, quorum ectypi ac natale ſolum ab Viro aliquo, Gothicarum antiquitatum callente, diligentiore cura illuſtrentur. Fig. 9.

OEUVRES POSTHUMES DU CHEVALIER Temple.

i. e.

WILHELMI TEMPLE, EQUITIS, OPUSCULA poſthuma.

Ultrajecti, apud Guil. van de Water, 1704, in 12.
Plag. 13.

Etiam lacinias magnorum Virorum dignas eſſe, quæ colligantur, ſapientiſſimus quisque monet; eſſe vero inter Viros merito ſuo magnos commemorandum *Wilhelmum Temple*, Equitem Auratum & Baronettum Britannicum, ante hos quinque annos fato functum, nemo dubitaverit, qui geſta ejus in pacificatione Neomagenſi, cui pro Potentiſſimo Britanniarum Monarcha interfuit, in memoriam revocaverit. Quare non ejus ſolum epiſtolas, & duo operum miſcellaneorum volumina, ſcriptaque alia eruditus Orbis magna cum delectatione accepit, ſed poſthuma etiam hæc diu deſideravit.

In his primum ſortitur locum *Tentamen de indignatione populi (Mecontentement populaire)* ad intimos Politicæ ſolidioris receſſus ſpectans. Auctor Illuſtris initium petit a proprietatibus generis humani, quas vulgo conſtituunt, nimirum ſermone, figura, riſu, fletu & ratione. Harum pleraſque, doctorum judicio, etiam aliis animantibus convenire monet, excepto riſu. Ipſe vero novum ac ſextum hominis proprium addit, videlicet inquietum & indignabundum animum, qui humanum genus contentum eſſe non ſinat, ſed ut perpetuo vacillet inter ſpem metumque, ac mutationes nunquam non deſideret, unus efficiat. Hunc eſſe fontem indignationum

num motuumque in familiis ipsaque Republica, indeque oriri in-
dignationem populi versus imperantes, quæ in magnis æque ac par-
vis, barbaris & politis gentibus observetur, cumprimis vero politas
vexet. Hinc factiones oriri, optimosque interdum Principes ac ci-
ves, ut tyrannos & proditores tractari. In omni Republica dis-
crimen servandum esse, ut melius quidam habeantur, honoribus divi-
tiisque ornentur; porro diversa esse subjectorum commoda, diversos
scopos, huic pacem placere, bellum alii; hinc non posse non varias
prodire querelas & machinationes. Monet etiam, nullam Reipu-
blicæ formam prorsus esse perfectam, sed singulas suos habere de-
fectus; imo etsi perfecta quædam regiminis daretur facies, eam ta-
men brevi a prima indole degeneraturam, cum optimæ etiam leges
illico administrationis defectu corrumpantur: nec possibile esse, ut
Principes ministros probos ac populo placentes semper eligant; au-
daces, fraudulentos, ac præfidentes plerumque publicis se muneri-
bus obtrudere, optimos quosque eadem aversari. Hic rem obser-
vatu dignissimam Auctor in medium affert: dari certas quasdam
tempestates annonæ similes, quæ cum claris abundent ingeniis, nullas
tamen proferant occasiones magnarum rerum, in quibus illa vires su-
as exserere possint; atque e contrario multas interdum evenire for-
titer ac generose agendi occasiones, quando viri fortes magnique sint
rarissimi. Utrobique rempublicam pati, locumque indignationi
populari amplissimum concedi. Citat hac occasione festivum mo-
rionis cujusdam dictum, qui cum seminantem aliquando gestibus
exprimeret, quæsitus, quid ageret, stultos se serere dixit; addita
ratione, regionem, in qua viveret, non alius frumenti patientem es-
se. Posthæc enarrat, quo pacto ex levi quadam indignatione &
obmurmuratione seditiones oriantur, facta animorum inextinguibili
inflammatione. Huic malo opponit sequentes regulas: omnes le-
gum ac consuetudinum immutationes Principi esse vitandas: genui-
num totius populi commodum esse quærendum: subjectos ad rem
œconomicam esse excitandos; eo enim futuros patientiores, quo
sint familiæ laborique addictiores. Hæc prima sectione exposita, al-
tera ad Historiam gentis Britannicæ, turbasque Saxonicas, Rosæ al-
bæ & rubræ, ac Presbyterianas applicat, monens, Reipublicæ nihil
esse magis noxium, quam factiones robore æquales; infirmiores enim
sæpe

sæpe illi salutares fieri. Tandem datis quibusdam consiliis, quæ patriæ suæ maxime proficua futura credit, valedicit Reipublicæ, ac successoribus animum æque patriæ amantem, commodiores vero recte agendi occasiones apprecatur.

Secundum locum obtinet *Tentamen de sanitate & longæva vita.* Auctor initio prudenter monet, bonas intentiones semina esse bonarum actionum, recteque agere eos, qui bene ac salutari scopo cogitata publicent, atque adeo quasi agro committant; passim enim radices ea agere & fructus edere: omnium optime homines propriis bene cogitatis stringi, seque ipsos rectius, quam alios magistros pati. Noster itaque, quæ expertus ipse est, literis hic consignavit. Sanitatem inter præcipua hominis bona nominat, observatque, eam idem esse in corpore, quod pax in Republica, & serenus aër in orbe nostro est: eam esse solam, quæ voluptates aliaque bona deliciis instruat, nobisque tribuat, ut felices esse possimus. Posthæc eundo per exempla probat, eos omnium maxime sanos & longævos vixisse, qui simplici victu usi fuerint, & a voluptatibus abstinuerint. Utitur cumprimis Brasilianorum exemplo, qui cum Europæi ad ipsos appellerent, ducentos trecentosque annos vivendo attingebant. Dignum admiratione esse ait, quod incolæ regionum Meridionalium sub Sole calentium diutius vivant, quam ii, qui sub temperato climate degunt. Cujus ille rei hanc causam putat: appetitum voluptatis penes hos esse vehementiorem in moderato calore, quam apud istos in nimio, & cum excessus immoderati omnes in torrido climate e vestigio vehementer noceant, homines ad temperantiam vel nolentes adigi: hinc plures esse in Hispania senes, quam in Gallia. Recte senem quendam Verulamio respondisse, hanc esse longævitatis suæ causam, quod semper, antequam famem sitimque sentiret, comedisset ac bibisset. Separatim vero de longævis Britannis agit, quorum exempla affert plurima, additque, incolas regionum montanarum vivaciores esse; plerosque longævos esse ex plebe homines, adeoque vitam longam tenui victu & voluptatum abstinentia quærendam esse. Unde ipsi p. 130 sequens regula nascitur: cuivis homini aut esse laborandum, aut jejunandum, aut medicina utendum, aut ægrotandum. Originem artis medicæ a Græcis, incontinentiæ quippe studiosissimis, adeoque morborum intempe-

F rie

periei valde subjectis, derivat; ab his venisse ad Persas, aliosque, & Barbaro ævo a Saracenis voluptuariis ad Europæas gentes. Hinc de incertitudine atque defectibus Medicinæ disserit, inter quorum caussas hanc præcipuam putat, quod post Galenum, Medici ab usu simplicium ad varias compositiones discesserint. Romanis ait quatuor fuisse remedia potissima, balnea, frictionem, fumigationem & agitationem: hæc magno rei medicæ detrimento in desuetudinem venisse. Ultimam præsertim lenire dolores acutissimos, Mauritii Principis Nassovii exemplo docet, qui podagræ aut calculi dolore laborans, lecto pensili agitari se curaverit. Post hæc monet, morbos suas habere periodos, sæpe etiam imaginationi adscribendas. Olim omnes de morbis spleneticis, inde de scorbuto, posthæc de fermentatione sanguinis conquestos esse, nunc vapores pro epidemio Europæ morbo haberi: nec minus remedia has vices pati; quod exemplo Tabaci & herbæ Théæ ostendit. Auctor ante omnia hæc, quæ expertus est, commendat simplicia: *Salviam* malis pulmonum propriam, quam non minori quantitate e Belgio ad Indos asportari ait, quam Théa inde ad nos perferatur: *Rutam*, stomachicum excellens: *Crocum*, cordiale optimum: *Allium*, quod contra colicos dolores & podagram remedium singulare esse docet: *Sambucum*, quam hydropi & colico malo mederi ait: *Millepedum* pulverem, qui omnes faucium affectiones curare dicitur; denique *Tabacum* vel *Betonicam* contra rheumatismum, & *Myrrham* contra pestem. Contra podagram commendat, præter *Moxam*, commotionem loci affecti ad calorem usque, tum lanam ventris ovini, vel pannum rubrum aqua vitæ ardenti imbutum. Scite vero de vino scribit, primum ejus potum conducere sanitati, secundum lætitiæ, tertium amicis, quartum inimicis.

Tertio loco *Dissertatio de eruditione veterum* occurrit, cujus hæc occasio fuit. Ediderat Illustris Auctor Tentamen de eruditione veterum, contra gloriationes recentiorum, cui Theologus quidam observationes suas opposuit, refutatus a Nostro in hac dissertatione, quæ tamen manca est, & ultimam manum nondum passa. Monet hic Autor, Paracelsum & Cartesium primos fuisse, qui veterum sapientiæ suam præferrent; hunc tamen Philosophiam suam appellasse suam Fabulam Romanensem (*son Romain.*) Post hos Soci-

os

os quosdam Academiæ Regiæ Anglicanæ & Academiæ Gallicæ, maxime Fontenellum & Perraltum, veterum gloriam nostris eruditis subjecisse; Perraltum vero, pœnitentia ductum, A. 1693 ad saniorem mentem venisse. His expositis, Pythagoram, Democritum aliosque veteres, contra cavillationes recentiorum defendit, præclara veterum opera recenset, de fatis & interitu eruditionis apud Ægyptios, Phœnicios &c. disserit, seriem Monarchorum Assyriorum contra novam quorundam crisin defendit, in Chymiam & Philologiam recentiorum invehitur, ac de illa cumprimis jocatur, eam quam optime inter liberales disciplinas referri, cum, qui addicti eidem sunt, plurimum argenti prodigant.

Postremo cogitata quædam Auctoris de fortuna & conversatione, tumultuaria opera in chartam consignata, ut conscribendo operi libello cuidam inservirent, annectuntur, inter quæ multa sunt peringeniosa. Nobis unicum illud impræsens sufficiat, ubi hanc fuille ait viam, qua postremus Pontifex Romanus (dubium, quem intelligat) ad dignitatem istam pervenerit: *Nil petere, nil recusare, de nemine conqueri.*

Georg Adam Struvens Jurisprudentz / oder Verfassung der Landublichen Rechte/ &c.

i. e.

GEORGII ADAMI STRUVII JURISPRUDENTIA, post varias editiones, ex Jure communi Cæsareo, Recessuum Imperii, & Saxonico, ut & scriptis JCtorum, præcipue Saxonicorum, additis pluribus casibus, aliisque materiis antea omissis, nec non necessariis allegatis & indicibus, theoretice & practice elaborata, ac in justum Systema Juris redacta a D. HENRICO ERNESTO FLOERCKEN, communis Curiæ Ducalis Saxonicæ Advocato Ordinario.

Francofurti & Lipsiæ, apud Christophorum Hülse, 1704, in 4.
Constat 5 alph. 10 plag.

NOtum satis in scholis Juridicis nomen est Jurisprudentiæ Romano-Germanicæ Forensis, a Celeberrimo Struvio olim compositæ. Nam non tantum Latina editio, plus vice simplici prelo subjecta

jecta est; sed &, postquam illa in Germanicam translata est linguam, typothetarum operas repeti necessum fuit, ut nunc quidem laudata illa Jurisprudentia, novorum librorum catalogo sero nimis inseri videatur. Enimvero cum opus Germanicum denuo recudi fecerit, illudque novo plane habitu donaverit B. Struvii Gener, Consultissimus Editor, hinc non immerito jure novorum scriptorum id censeri, ac Lectorum notitiæ a nobis insinuari poteit. Quid autem doctissimus Autor præstiterit, id ex comparatione editionum diversarum facile liquet. Partitio & series totius operis generalis ubique eadem est, sed numerus titulorum sive capitum, jam in præcedenti editione Germanica, auctior est, dum ea, quæ in Latina editione conjunctim erant proposita, sub specialibus rubricis explanate magis recensentur, aut etiam nova subinde capita adjiciuntur, atque hunc numerum auctiorem in ultima hac editione retinuit Noster, nisi quod in libro 2 titulum 32 de *incapacibus hæredibus* omiserit, & libro 3 titulum 20 de *evictione & edicto Ædilitio* inseruerit, quæ vix memoranda diversitas est. De cætero præter summaria margini apposita, non tantum allegata legum & Doctorum, ut & indicem satis copiosum, quibus prior editio Germanica destituitur, adjecit, sed & multis rerum accessionibus novam hanc locupletavit; id quod vel sola ejus moles, cum præcedentibus collata editionibus, persuaserit. In fidem dictorum nonnulla adjiciemus exempla. In lib. I tit. 6, sponsaliorum materiam prolixe tradit Noster; commemoratis causis, ob quas sponsalia invaluerint, nuptiasque præcedere soleant, eorum diversitatem, quod vel de futuro, vel de præsenti sint, adducit, eaque occasione varietatem & effectum conditionum sponsalibus apponi solitarum, ut & modum, qui pactis illis etiam nonnunquam accedit, persequitur. His ad liquidum deductis docet, quod sponsalia requirant consensum serium, perspicium, non vi vel dolo elicitum, non erroneum, verbis vel facto declaratum; quæ singula per partes deinde specialius exponit, ac inde ad necessitatem consensus parentalis progressus, quousque patris & matris, cæterorumque parentum remotiorum, vel etiam aliorum propinquorum, voluntas hic spectanda sit, edisserit. Inprimis personarum, sponsalia vel nuptias contracturarum, consideratio Nostrum tenuit sollicitum. Primo ergo ostendit, quod in linea recta consanguinitatis, sponsalia

lia in infinitum, idque quovis jure, Naturali, Divino & Gentium, quicquid etiam nonnulli Canonistæ dissentiant, sint prohibita. Deinde monstrat, quod in linea collaterali, inter eas personas, inter quas est respectus parentum & liberorum, sponsalia prohibeantur. An vero hæc prohibitio nitatur jure naturali, necnon; utrum prohibitio, in S. Literis occurrens, personas expressas solum concernat, an vero de gradibus sit exaudienda, id semper inter Scriptores controversum fuit, adeoque Nostro amplius disquirendi materiam suppeditat, quousque dispensatio hic locum habeat, etiam adjicienti. Tertio inter fratres & sorores sponsalia nuptiasque prohiberi, Consultissimus Autor indicat, ac tum de moralitate, tum sensu prohibitionis hujus, ulterius disceptat, quidque vel jus Canonicum, vel leges nostrates, illic adjecerint, recenset, addita Arboris Consanguinitatis, diversæque computationis explicatione. Non minori cura affinitatem deinde Noster considerat. Nam adducto ejus fundamento, explicataque indole, primo ostendit, quod non inter omnes, qui affines se salutare solent, vera affinitas contrahatur, & quod adeo ii, qui nullo affinitatis vinculo connectuntur, sponsalia inire non prohibeantur; hoc tamen cum aliquo temperamento accipiendum esse, simul admonet. Postea de gradibus & generibus affinitatis satagit, adductamque generalem regulam prohibitivam, ad lineam rectam & collateralem applicat, & quousque prohibitio, sive gradus sive genera spectes, idque vel secundum jus divinum, vel humanum, se extendat, commemoratis pluribus personis casibusque specialibus, gnaviter exponit. Dimissa consanguinitate & affinitate, alia commemorat Noster impedimenta, quæ sponsalibus & nuptiis obstent. Eo pertinent agnatio civilis, ex adoptione orta, cognatio spiritualis, ex jure canonico ortum trahens, morbus animi vel corporis, totalis religionis diversitas, adulterium, aliaque politicis rationibus subnixa obstacula, a Nostro sigillatim explicata. Producunt de cætero sponsalia vinculum, non penitus quidem indissolubile, attamen satis firmum, ac non facile solvendum. Ob quas ergo causas sponsalia solvi queant, tum quæ ex pluribus concurrentibus præferantur, deinde doctissimus Autor tradit, addita vinculi sponsalitii & matrimonialis, quoad nonnullos effectus speciales, comparatione. De Magistratibus municipalibus, in editione Latina nihil

betur, ſed Germanicæ l. 1. tit. 14. hac de re aliquid propoſuerunt, quod Noſter itidem nonnullis obſervationibus auxit. Docet ergo primo Magiſtratus municipalis neceſſitatem & conſtituendi modum; deinde eos, qui ab hoc munere excludantur, recenſet; tum habiles ad illud ſuſcipiendum poſſe cogi, oſtendit. Inde ad perſonarum, ex quibus Senatus componitur, diverſitatem, dignitatem, jura tam in Eccleſiaſticis, quam Politicis, ipſis competentia, ac innexa officia, explicanda accingitur (in quem locum nundinarum, onerum tam perſonalium quam realium, ſimiliumque materiarum conſideratio incidit) ac quousque ſucceſſor privilegia, ab anteceſſore data, ſervare debeat, disquirit. In l. 3, tit. 20 materiam evictionis & Ædilitii Edicti Noſter pertractat, quem titulum prioribus editionibus, Latinæ & Germanicæ, deeſſe, antea diximus. Recepta methodo, evictionis præſtatio ſub initium definitur; quam definitionem excipiunt negotia, in quibus evictio præſtanda ſit; tum ſequuntur caſus, in quibus præſtatio peti, nec non media, per quæ illa obtineri queat. Quo autem felici ſucceſſu evictionis præſtatio aliquando exigi poſſit, opus eſt litis denunciatione, aliisque requiſitis, a Noſtro deinceps commemoratis. De cætero non tantum emtori, ſed & hæredibus, actio ad præſtandam evictionem competit, quæ etiam contra venditorem ſimilesque, ut & fidejuſſores, horumque omnium hæredes, vim ſuam exſerit; certis tamen in caſibus evictionis præſtandæ neceſſitas ceſſat, Noſtro latius illa omnia deducente. Illud in commerciis humanis frequenter contingit, ut contrahentes ſeſe lædant. Iſtis læſionibus apud Romanos etiam occurrebat Edictum Ædilitium, cujus argumentum, requiſita & actiones inde ortas, Conſultiſſimus Editor ultimo loco explanat.

LIBRI NOVI EX ANGLIA.

JOannis Raii Hiſtoria Plantarum Tomus tertius, qui eſt Supplementum duorum præcedentium. Acceſſit Hiſtoria Stirpium inſulæ Luzonis & reliquarum Philippinarum; item J. B. Tournefort Corollarium Inſtitutionum Rei Herbariæ. Londini apud S. Smith & B. Walford, 1704. in fol.

The Hiſtory of the Rebellion and Civil Wars in England, begun in

in the Year 1641. Written by the Right Honourable Edwar Earl of Clarendon. Volumen the First. Oxford, printed at the Theatre, 1704. Fol.

A Treatise of Fluxions: Or, an Introduction to Mathematical Philosophy. Containing a full Explication of that Method by which the Geometers have made such vast Advances in Mechanical Philosophy. By Charles Hayes. London, printed for Dan. Mitwinter and Tho. Leigh, 1704. fol.

Miscellanea Curiosa. Being a Collection of some of the Principal Phænomena in Nature, accounted for by the Greatest Philosophers of this Age. London, for Jeffery Wale and J. Senex, 1705, 8.

Opticks: Or a Treatise of the Reflexions, Refractions, Inflexions, and Colours of Light. London, for S. Smith and B. Walford, 1704, 4.

A Dictionary of all Religions, ancient and modern. Whether Jewish, Pagan, Christian or Mahometan. London for James Knapton, 1704, 8.

Salvation by Jesus Christ alone, agreeable to the Rules of Reason, and to the Laws of Justice. By Tho. Staynoe. London for Benj. Toke, 1704, 8.

Henrici Dodwelli de Nupero Schismate Anglicano Parænesis ad Exteros, quâ jura Episcoporum veterum eorundemque a Magistratu Seculari Independentia, omnibus asserenda commendantur. Londini impensis Richardi Smith, 1704. 8.

The Knowledge of a Man's Self the Surest Guide to the True Worship of God &c. by Thomas Tryon, 1704, 8.

Miscellanies, by D. John Worthington. London, for John Wyat, 1704, 8.

A Discourse of the Unity of the Church &c. By Robert Burscough. Exeter, for Tho. Bennet, 1704, 8.

The Religion of a Prince. By William Nicholls. London, for Tho. Bennet, 1704, 8.

The Case of Impropriations, and of the Augmentation of Vicarages and other Insufficient Cures. London, for Awnshaw & J. Churchill, 1704, 8.

Essays

Essays on the Preservation & Recovery of Health. London, for Richard Wilkin, 1704, 8.

The Storm: Or, a Collection of the most remarkable Casualties and Disasters which happen'd in the late dreatful Tempest, both by Sea and Land. London for G. Sawbridge, 1704. 8.

D. Roberti Huntingtoni, Episcopi Rapotensis, Epistolæ. Præmittitur de ejusdem Vita Ὑπομνημάτιον, scriptore Thoma Smitho. Londini, impensis A. & J. Churchil, 1704, 8.

Henrici Dodwelli Exercitationes duæ: Prima de Ætate Phalaridis: Secunda de Ætate Pythagoræ Philosophi. Londini, impensis Richardi Smith, 1704, 8.

Nonnulli e Luciani Dialogis selecti: omnes scholiis illustrati ab Edwardo Leedes. Cantabrigiæ, impensis R. Clavel, S. Smith & B. Walford, 1704, 8.

The History of Man: Or, the Wonders of Humane Nature, in Relation to the Virtues, Vices and Defects of both Sexes. London, for R. Basset, 1704, 8.

Clavis Commercii: Or, the Key of Commerce, shewing, the True Method of Keeping Merchants Books &c. London, for Eben. Tracy, 1704, 4.

Of the Principles and Duties of Natural Religion, two Books: by D. John Wilkins. The fifth edition. London, for R. Chiswel, 1704, 8.

Angliæ Notitia: Or, the Present State of England, with divers Remarks upon the ancient state thereof. By Edw. Chamberlayne, and continued by his Son John Chamberlayne. The 21 edition, with large Additions and Improvements. London, for S. Smith and B. Walford, 1704, 8.

A Discourse concerning the Nature, Advantage and Improvement of Trade: by P. Paxton. London, for R. Wilken, 1704, 8.

A Table of a Tub. To which is added an Account of a Battel between the antient and modern Books in St. James Library. The third edition. London, for John Nutt, 1704, 8.

Tractatus brevinsculus, in quo ostensum, tam electiones Episcoporum quam ordinationes, ad nullam potestatem secularem, sed ad solos Ecclesiarum Præsides pertinere. Authore Thoma Gregorio. Londini apud Th. Bennet, 1704, 4.

* * * * *

A

RUM,

DCCV.

ANARUM LIBRI
correcti, cum Textus
liticis & Antiquariis:
RUSSIÆ & Electo-
i & Electoratus Hæ-
TIO BEGERO,
ntiquitatibus

Typographi Regii, 1704,

multisque fig. æn.

doctrinæ ſpecimina, quibus
i inter ſtrenuos venerandæ
aſſeruit, nondum innotuiſ-
m eſt, quin unico hoc libro
m reliquiarum priſci ævi ſtu-
et. Cum enim juſſu Poten-
Romanæ Epitomatorem non
s Regii expoliendum ſumeret
generis Autoribus, quot-
palmam præriperet. Non
caſtigatiſſimum dedit, & ra-
ine firmavit, ſed etiam notas
philologicas atque antiqua-
ero, Freinshemio, Zevecotio,
mo quodam depromtas adjecit,

G ſuiſ-

ſuisque pariter obſervationibus ſelectiſſimis locupletiores effecit. Neque tamen intra hanc metam ſubſtitit, ſed ut ornatius ſingula proſtarent, innumeras marmorum, ſtatuarum, toreumatum, gemmarum, nummorumque delineationes curatiſſime inciſas interſperſit; quin & tabulas integras geographicas, triumphales aliasque ſcopo ſuo congruentes, quas inter eminet una e Gazophylacio Regio-Electorali Brandenburgico prælium Scipionis & Hannibalis in patera argentea depingens, magno cum judicio addidit. Quod ne temere feciſſe, & laciniam purpura ornaſſe videatur, in præfatione totus in eo eſt, ut Floro brevitatis vitium injuſte exprobrari oſtendat, Verderiumque pariter ac Schottum, quorum hic compendia librorum peſtem, labem, perniciem & tetra Autorum vulnera; ille Florum brevitate ſua ſe implicare potius quam explicare, ejusque opera multos libros periiſſe dixit, ut iniquiſſimum, ita & abſurdiſſimum judicium, quod nullo modo attendi mereatur, tuliſſe exiſtimat. Deinde Illuſtrem Grævium, nuper eheu! ut alibi dictum a nobis eſt, demortuum, κακοζηλίαν in Floro nimis ſevere carpere ſtatuit, eaque de cauſa ſingulos nævos, in præfamine ad editionem ſuam ab eodem notatos, expungere conatur, Grævianæ famæ defenſores ad certamen inſuper provocans, quorum jam erit armorum pondus explorare. Nos quidem arenam occupare, aut in caſtra ullius tranſire nolumus; id tamen perſuaſi ſumus, τὸν μακαρίτην juvenum manibus non plane excutere voluiſſe hanc epitomen: cur enim illuſtrandæ ei tantum operæ impendiſſet? rationes vero habuiſſe haud ficulneas, quare Flori lectionem circumſpecte inſtituendam monuerit. Sed miſſa hæc facimus, ſerioque profitemur, ut animum a cavillandi pruritu alienum ſemper ſervavimus, ita nec in præſenti Cl. Begero opinionem æqui rerum æſtimatoris nos derogare velle. Merita certe ejus de Floro majora ſunt, quam ut verbis aſſequi valeamus, quippe qui præter laborem in explicatione verborum ejus collocatum, eruditum etiam diſcurſum de Romanorum originibus præmiſit, ſicque ingreſſum ad integram hiſtoriam probe munivit. Eſt itaque omnino, quod gratias decernat Noſtro Muſarum cœtus de belliſſimo hoc munere, viresque apprecetur annorum victrices, quo poſtremos duos libros pari felicitate atque ingenio abſolvere poſſit.

ME-

MEDITATIONES SELECTÆ DE SUBLIMI HOminis Scientia, compendiose digestæ a DAVIDE BRAUN, S.R.M. Poloniæ Burggrabio Mariæburgensi, & Oeconomiæ Bellicæ Regni Commissario.

Gedani apud J. Z. Stollium, 1704. in 8. Alphab. 1.

Quidnam homo, solius etiam rationis sanæ ductum secutus, de rebus Theologicis firmiter tenere valeat, hoc in opusculo demonstrare annisus est Autor Nobilissimus, atque momenta eapropter huc spectantia præcipua, quæ ab aliis fusius jam pertractata fuerunt, Meditationibus paucis atque brevioribus inclusit, quibus obviam ire se velle profitetur discursibus admodum scandalosis, quos passim hodie haurire detur ex ore sublimium etiam virorum, qui dum mysteria sacrosanctæ fidei ignorent, aut nosse profecto putida jactantia dissimulent, ipsam usque adeo notitiam, qua natura duce possent imbui, evertere aut obscurare minimum allaborent.

In *prima* itaque Meditatione DEUM sibi considerandum sumit, ejusque Majestatem ex scala naturæ homini cuilibet sano, mediisque necessariis ad judicium veritatis assequendum instructo, affatim patere innuit. Tam alte etenim impressisse ideas suas divinum Numen humanis ait mentibus, ut nemo inter gentes qualescunque educatus, conscientiam ejus queat exuere, utut quam maxime velit; adeoque atheos stricte sic dictos dari, prorsus abnuit. Hinc quibus modis, esse Deum, ex natura possit evinci, significat. In acie statim ponit hujus universi considerationem, in quo constans elementorum discordia, rerum omnium ordo, cœlestium terrestriumque corporum summa pulcritudo & immensa magnitudo, ipsis gentibus sapientissimum Architectum ob oculos veluti spectandum proposuerint. Materiam vero Deo in creatione ullam coævam, aut mundum esse æternum, & sive casu, sive necessario existere, petitis ex ratione argumentis inficiatur. Porro ex consideratione sui ipsius, quemlibet existentiæ Dei fundamentum posse petere ostendit. Dum enim nos esse non dubitemus, nosque nobis ipsis nostrum esse non dedisse vel ex eo colligamus, quod perfectiones eas, quas nobis jam deesse conqueramur, nobis dare potuisset, si a nobismet dependeret esse nostrum, ab alio certe pro-

ve-

venire existentiam nostram, colligendum hinc venire evincit, & posito uno gradu dependentiæ cujuscunque entis a causa alia, semper progrediendum esse addit usque ad ultimam causam, summum DEUM. Tertiam rationem ex Aristotelis Philosophia depromit, & a motu in universo mundo mutuatur; unumquodque enim quod movetur, ab alio moveri supponit, cum impossibile sit, idem esse motum & movens; id autem, quod moveat, actu esse necessario debere infert. Firmissimum tamen ratiocinium a fine rerum in universum omnium derivat; nam cum nulla creatura fine aliquo careat, hunc ipsum fine tanquam causam, licet non executione, tamen intentione, ante ipsam rem exstitisse asserit. His prælibatis, ad impugnandam Deorum multitudinem, hominum apotheosin, & simulacrorum symbolicum cultum pergit, & argumentis ubique similibus utitur. Naturam Dei rationem, sine revelatione, difficulter agnoscere fatetur. Inde de attributis Dei dispicit. Dei operationem ad extra necessariam esse, & in ipsis creaturis quidquam mali a Deo conditum, quod agnoscere quis debeat, rationem jubere ullam negat. Quomodo fatum, casusque & fortuna, cum Divina providentia consistat, & quomodo hæc humani libertatem arbitrii minime impediat, methodo haud ineleganti demonstrat, & blasphemiæ illorum, qui homines se esse obliti, Deum causam mali & peccati pronuntiare haud verentur, ponderibus ex ratione depromtis, valde indignatur.

Meditatio *secunda* circa *animam* occupata est, & ante omnia eum, qui usque adeo Scepticorum seu Aporeticorum secta infatuatus fuerit, ut quoque animam inesse animato dubitet, perinde responso indignum fore judicat, ac illum, qui equitem qua talem sine equo, aut citharœdum absque cithara, denominari & actu esse posse, blateraret. Excussis postmodum quæstionibus: an anima ex elementis sit composita? an ex igne? an sit aer subtilis? an ipse sanguis? an corpus? an temperamentum? an numerus & harmonia? an ex censu corporum cœlestium? an duæ in uno corpore animæ? an anima sit divisibilis? aliisque, hanc animæ definitionem subministrat, quod sit spiritus corpori hominis hypostatice junctus, inque corporis organis vires nutritivas & sensitivas exerens, sine ullo tamen corporis organo intelligens, & extra il-

lud

lud subsistere aptus. Circa ejus propagationem determinandam, neque his adstipulatur, qui alicubi omnes animas simul quondam creatas existere, corporique extrinsecus illabi statuunt, neque istis, qui simpliciter æternas & substantiæ divinæ particulas easdem faciunt, aut singulis hominibus quotidie infundi eas credunt; sed potius ex illa una anima, quæ Adamo, primo homini, data est, cæteras quotidie propagari affirmat. Immortalitatem ejus ex eo probat, quod extra corpus & sine ejus organis possit operari; quod a se ipsa perpetuo moveatur, motusque sit principium; quod simplex sit & incorporea, atque ex contrariis non constet, iisque haud afficiatur: nam quod aliqui animam in phreneticis corruptam esse perhibere conentur, frustraneum judicat, cum non ipsa, sed organa phantastica corrumpantur; prout & in lapsu Protoplastorum non animam ipsam, verum additam ei imaginem divinam, sanctitatem & justitiam, corruptam fuisse monet. Eandem porro immortalitatem animæ ex conscientiæ potenti motione, ex voluntatis insuperabili libertate, & Dei justitia, rationibusque ejuscemodi aliis comprobat, & parili modo resurrectionem corporum cum animabus reduniendorum statuminat. Metempsychosin tantundem rationis, quantum metamorphosin, habere notat, & utramque rejicit, apparitiones quoque præstigiis diabolicis annumerat.

Tertia Meditatio *beatitudinem, seu summum hominis bonum* contemplatur, atque hoc nec in ipso, nec in ullis rebus externis aliis, quærendum autumat; quin imo ne in hac quidem vita illud possideri admittit, utut alii modo in bonis corporis, modo in animi bonis, inepte admodum idem quæsiverint. Ac sane apud Sapientes hujus seculi, veram beatitudinem haud inveniri censet, indeque ad illuminatos divinis revelationibus Doctores confugiendum esse suadet, quorum ductu sapientia vera cognitura sit, summum hominis bonum in sola religione seu agnitione Dei consistere, cumque hæc ipsa præsenti in mortalitate imperfecta valde sit, in immortalitate futura explendam fore superaddit. Hanc veritatem ipsos quadantenus Gentiles attigisse observat, omnesque Philosophorum de summo bono sententias ab errore ad rectam revocari posse viam autumat, unico hoc additamento, quod eædem de futuræ vitæ beatitudine intelligi debuissent. Gentilibus au-

tem Judæisque recentioribus ac Turcis, qui carnales voluptates futuræ vitæ affingant, rejectis, bona futura tam animæ, quam corporis enumerat, & quod veritatis hoc in negotio crepusculum Platoni, Porphyrio & Varroni haud obscure illuxerit, notari cupit.

Quarta Meditatio prolixitate sua priores sola adæquat, cumque *religioni seu viæ ad beatitudinem summam ducenti* destinata sit, post Religionum Indifferentismum explosum, principaliores a mundo condito religiones quatuor, *Gentilismum, Judaismum, Christianismum & Mahometismum*, contemplandas sumit duabus in sectionibus, quarum prima Gentilismum & Mahometismum damnat, altera vero Christianismum & Judaismum sibi invicem opponit, istiusque præ hoc excellentiam vindicat. Circa Gentilismum dum versatur, Oraculorum vanitatem redarguit, autoribusque Dæmonibus, ipsorum gentilium testimonio, per fœminas a Cacodæmone obsessas & furore correptas edita, mendacia fuisse & ambigua, turpia item crudeliaque plurima efflagitasse eadem, ostendit. Sibyllarum revelationes non minus insanas, turpes, crudeles, mendaces atque falsas fuisse, adstruit. Nec Philosophorum doctrinam & præcepta veram Dei cognitionem complexa fuisse largitur, & falsitatem moralis eorum Theologiæ ex Philosophorum vitis sigillatim deducit. Socratem certe v. g. ob libidinem, gulam & impudentem iracundiam Alcibiadi in deliciis, sed ipsum vicissim adolescentum corruptorem, & ob familiaritatem Dæmonis, a quo futura se doceri prodiderat, infamem; Platonem adulationis nimiæ, luxus, & quod Stella astrologo, Dione, Phædro & Alexi abusus sit, accusatum fuisse, ob statuminatam item licentiam, mulieres communes reddendi, male notatum; Aristotelem eo usque insaniæ progressum, ut scorto tanquam Deæ sacrificaret, cum filios ex ea procreasset; Bionem pæderastiæ sceleris damnatum; Pythagoram apud Crotoniatas tyrannidis affectatæ reum actum; Periandrum propria matre abusum; aliosque plures scelerum aliorum longe gravissimorum convictos fuisse meminit. Hinc compendiosam Theognosiæ idolorum gentilium, tam omnibus populis communium, quam singulis propriorum, adumbrationem suppeditat, Deosque qua minorum qua majorum gentium recenset, sigillatim Solem, Lunam, sidera, elementa, ventos, fulmina, tonitrua, ignes

ignes fatuos, homines, bruta, plantas, fossilia, in cultum eorum venisse edocet, ac symbola simul Deorum Gentilium considerat. Gentilibus Mahumedanos statim associat, quæque sint religionis ipsorum principia, & quam mendaces ac impuræ deprehendantur, quas jactent, revelationes, pluribus verbis doctissime declarat. Atque hæc contenta primæ sectionis sunt. In altera Christianismum contra Judæos vindicat, quorum antiquas revelationes divinas esse omnino concedit, eaque occasione de Mosis antiquitate & sanctitate juxta scriptores gentiles disserit, quamque plurima doctrinæ & historiæ Mosaicæ Gentiles noverint, ut ut eadem ad impia sua sacra detorserint, exponit. A priscis vero revelationibus cum obstinacia & falsa interpretatione sua Judæi postmodum misere defecerint, & ex vere credentibus paulatim Ethnicis æquales aut pejores facti fuerint, hinc contra eos late disputat, ac summa hæc capita deducit: quod Messias, in scriptis Mosis & Prophetarum, tanquam Deus ipse in carnem humanam venturus describatur: quod idem certo tempore, stante nimirum templo Salomonis secundo, hoc est, post captivitatem Babylonicam restaurato, venire debuerit, salvaturus non Judæos solum, verum & Gentes: quod idem in Bethlehem, de tribu Juda, & de domo David, & inaudito miraculo ex virgine castissima nasci: quod multis ærumnis exantlatis, in carne pati, crucifigi, ultimoque ex mortuis resurgens in cœlum adscendere, inque mundo Apostolos Spiritus S. donis instructos, qui ad spirituale ipsius regnum omnes nationes terræ miraculis & verbi Dei virtute vocarent, magnamque vere credentium civium Ecclesiam colligerent, relinquere: quod lex Ceremonialis seu Levitica tempore Messiæ hujus exspirare debuerit. Quibus singulis scite demonstratis, ultimo loco, quod talis & tantus Christus Dominus jam venerit, qui hæc omnia excellentiori modo adimpleta dederit, indeque Judæi maximi erroris de venturo adhuc Messia accusandi sint, quodque Christiani e contra vera verbi Divini mysteria palam sectentur, valide concludit. Sed antequam opus ipsum finiat, in doctrinæ Christianæ sanctitate & moralitate non invenire affirmat, sive Gentiles, sive Judæos, quod objiciant. Præcipuos namque illius articulos, de Trinitate, de Filio Dei incarnato & crucifixo, ac de Spiritus Sancti cum fidelibus conjunctione, Judæorum

pa-

pariter & Gentilium ipſorummet teſtimoniis, ex eorum ſcriptis heic allegatis, firmari monſtrat. In eos igitur non minus atque in Atheos, Epicureos, Indifferentes, ac illos quoque, de Dæmonibus qui dubitant, juſtam ſtringit epanorthoſin, & ut gentes extra Chriſtum omnes damnari, haud obſcure ſibi perſuadet, ſic ad blaſphemas nonnullas Judæorum objectiones, contra miracula reſurrectionemque Chriſti, & fidem Apoſtolorum, in medium allata, reſpondet, & poſt inculcatam denuo doctrinæ Chriſti innocentiam, & charitatem imprimis, quam hæc tantopere requirat, in parænesi ad infideles omnes, & impios non minus Chriſtianos, inque piis votis deſinit.

G. BRANDS HISTORIE DER REFORMATIE IN en Ontrent de Nederlanden. Het derde en vierde Deel &c.

h. e.

J. BRANTII HISTORIA REFORMATIONIS BELgii & vicinarum Provinciarum. P. III & IV.

Roterodami apud Barent Boſſ, 1704. in 4to. Volumina II. alphab. 12.

PRimam præſtantiſſimi hujus Operis partem, libros X priores, Hiſtoriam reformationis a primis Chriſtianiſmi in his partibus incunabulis, usque ad annum C. 1600 ſiſtentes, complexam, anno 1663 Amſtelædami excuſam habemus. Ea una cum parte altera, qua continuatur eadem Hiſtoria usque ad exitum anni 1618, Amſtelædami anno 1671 iterum lucem adſpexit. Ob aptiſſimum rerum ordinem, fidem in allegandis diligenter monimentis & teſtibus idoneis, eximiumque linguæ nitorem, hoſtium quoque encomia promerita fuit. Sane enim laudes iſtas omnes Brantio ne ipſe quidem derogaverit Henricus Ruilius, verb. Divini apud Amſtelædamenſes olim miniſter, qui in ſcriptis adverſus hancce Hiſtoriam variis libellis, omnes iſtas virtutes Brantiano fœtui concedit, de eo tantum conqueſtus, quod, ubi ad Kornhertii tempora, primasque adeo ſchiſmatis inter Remonſtrantes & Contraremonſtrantes in Belgio origines, deventum eſſet, plus quam decebat Hiſtoricum, Remonſtrantium ſtudioſum ſe oſtenderit, in quorum ſci-

scilicet partibus ecclesiastico munere apud Amstelædamenses fuit defunctus. Sed quicquid sit de ista Ruilii accusatione, quam variis scriptis apologeticis, dum viveret, abstergere conatus diligenter fuit ipse Brantius, magna hucusque semper hujus Historiæ apud Belgas existimatio fuit & autoritas. Ut multum haut immerito res patriæ ecclesiasticæ debere videantur Reverendo Gerardi Brantii Filio, Joanni, qui continuationem Historiæ illius ab ipso Parente ad annum usque 1623 productam, ex schedis ejus nunc demum publicavit. Complectitur illa accuratam Synodi Dordracenæ, tristiumque, quæ post eam Remonstrantes afflixere, fatorum Historiam, ex omnibus, quæ suppetebant, monimentis, actis, relationibus, litteris diligenter digestam, atque eo usque diligentiæ & ἀκριβείας observantem, ut minutissimas affectuum, contentionum, eventuum occasiones, ipsaque verba ultro citroque commutata, semper exhibeat, indolemque, mores, ingenium, studia hominum vivide admodum, tanquam in tabula, repræsentet. Ut si quis alius unquam, ad ecclesiasticam prudentiam, sive comparandam, sive firmandam, hic inprimis liber spectare videatur.

BARTHOLOMÆI DE MOOR VERIS OECONOMIÆ *Animalis seu potius Humanæ Principiis innixæ Pathologia Cerebri Delineatio Practica; in qua Morborum Soporosorum per Notas Characteristicas Distinctio, nec non Spasmorum accuratior Distributio traditur.*

Amstelædami, apud Gerardum Borstium, 1704. in 4to.
Constat $3\frac{1}{2}$ Alphab.

Quemadmodum Clarissimus Author in *Cogitationibus suis de Instauratione Medicinæ*, a nobis *in Actis Anno 1696 Mense Augusto pag. 370* commendatis, omnes humanæ œconomiæ functiones a sanguinis pressione deducendas esse docuit: ita ab ejusdem pressionis vitio, non neglecta singularum partium structura, morbos & symptomata esse derivanda, ut demonstret, in hac Idea Praxeos Medicæ Novæ, cujus librum primum, Pathologiam Cerebri continentem, jam sistit, conatu non spernendo occupatus est.

pag. 1. A Cephalalgia initium facit, cujus causas a pressione sanguinis partim aucta, partim imminuta repetit. Cum enim membranæ cerebri copiosissimis vasis arteriosis, & una cum pericranio summa gaudeat sensibilitate, quivis facile intelliget, enormiter has partes affici a pressione, dilatatione & æstu sanguinis; sub quo statu hic non solum totus immutatur, sed inprimis serum ita degenerat a solita sua tenuitate, ut in gelatinam spississimam excoquatur: cui pressioni auctæ ansam dant febres, plethora, exercitia, radii Solares, ebrietas & ingluvies. Sed & ab imminuta pressione excitatur hoc malum, quando sanguis nimis lentus & viscidus per vasa non nisi ægerrime propelli potest; quod patet in chlorosi & scorbuto. Quod partium solidarum vitia attinet, oritur cephalalgia, præter conformationem p. n. a commotione cerebri, ab equitatione & vectione vehementi, a refrigeratione capitis &c. Quibus explicatis definit cephalalgiam, quod sit capitis sensatio molesta, imprimis a sanguine motu suo vasis & membranis vim inferente producta. Quanquam enim, uti dictum, partium solidarum vitium capitis dolorem producat, sæpe tamen is ideo excitatur, quod sanguini circulaturo impedimentum aliquod objiciatur, quod pulsatio molesta excipit. Ex causis fluunt indicationes generales, quæ in eo consistunt, ut sanguinis pressio nimia compescatur, progressus per vasa capillaria facilior reddatur, cerebri vitia corrigantur, & dolor mitigetur. Mittimus prognosin, cautelas practicas, & formulas, quas subjungit fideliter Author Clarissimus, ex propria praxi partim, partim ex authoribus allegatis petitas. Atque hæc speciminis loco sufficiant, ex quibus haud obscure intelliget L. B. qua usus fuerit methodo Noster in reliquis explicandis capitis morbis. Inter quos cum affectus soporosi non sint infrequentes, ab Authoribus vero maxime confuse fuerint tractati, notas characteristicas singulorum subjungere placuit Clarissimo Moor. Coma igitur vigil vocat, quando ægri conqueruntur de summa capitis molestia, non quidem dolore, sed velut interno ardore, & motu intestino expansivo, qui ipsos reddit quidem in somnum proclives, & somnum enixe desiderantes, cum tamen non possint aut non audeant eundem capessere. Coma somnolentum est, quando ægri, provectioris ætatis præsertim, ad somnum sunt valde proni, cum in-

(marginal note beside "fuerit methodo": pag. 188.)

insigni mentis hebetudine, nonnunquam oris apertione, adeo ut sedentes & cum aliis colloquentes, etiam interdiu, in somnum involuntarium prolabantur. Hic morbus circa vesperam ingravescere solet; febris non est insignis, aliquando lenta, nec ægri conqueruntur, nisi de somnolentia molesta. Huc etiam referri potest ea somnolentiæ species, quæ suppressionem urinæ insequitur; ut & sopores profundi absque manifesta febre, e. g. ab ebrietate, usu opii, & somnolentia scorbutica. Quando autem ægri febri insigni & vehementi, & statim in augmento, vel etiam principio, in somnum profundum incidunt, unde vix aut ne vix quidem excitari possunt, quem aliquando convulsiones & ipsa mors brevi excipiunt, Cari species prima dicitur. Quod si vero ægri post attritas vires a febre continua, in somnum profundum & ἀφωνίαν incidant, in eo statu per aliquot dies permaneant, nihil rogent, jaceant veluti moribundi, postmodum oculos iterum attollant, aliquando statim cibum petant, atque feliciter evadant, vocatur cari species secunda. Quibus tertia accedit species, quando in febribus ægroti, diem unum aut alterum ante mortem, veluti somno oppressi decumbunt, ob attritas vires, sanguinem ad circulationem ineptum redditum, & spiritus dissipatos. Lethargus est sopor gravis cum febre & stertore, in quo ægri excitati respondent, & iterum in somnum relabuntur. Apoplexia denique Nostro audit sensuum omnium, cum ἀφωνίᾳ & resolutione, nec non difficili respiratione, subita privatio, a sanguine cerebrum ejusque vasa inundante, aut nimium replente, ortum ducens. De cætero cum in titulo accuratam Spasmorum distributionem polliceatur Author, operæ pretium est, mentem ipsius brevius explicare. Scilicet per spasmum in genere intelligit involuntariam & vehementem musculi aut fibrarum muscularium contractionem: ejusque causam, Hippocratem secutus, rejicit in repletionem & inanitionem. In priori casu arteriæ carotides nimis replentur; unde sequitur compressio nervorum, depressio cerebri, spirituum animalium versus musculos propulsio, fibrarum tensio, sanguinis progressus retardatus, musculi inflatio, partis tendinis annexæ vehemens & involuntaria contractio. In posteriori casu cerebrum expansionem suam amittit, adeoque veluti subsidet; quæ subsidentia spiritus pag. 339.

tus animales inordinate verſus muſculos premit, & convulſiones ciet; ad quas claſſes irritatio partium nervearum, a reliquis Authoribus accuſata, ut referri debeat, prolixius explicat Author. Spaſmi igitur in genere dividuntur in convulſiones, & motus convulſivos. Illæ ſunt vel univerſales, vel particulares. Univerſales obſervantur vel minus frequentes, ut tetanos, opiſthotonos & emproſtotonos; vel magis frequentes, eæque vel graviores, vel minus periculoſæ. Inter illas quædam infantes infeſtant, vel ſtatim a nativitate, vel circa dentitionem; quædam adultos vexant, ut morbus caducus, & epilepſia proprie ſic dicta ſymptomatica, quæ diverſi obſervatur eſſe generis. Eſt enim 1) febrilis, vel ordinaria in principio & progreſſu morbi, vel extraordinaria epidemica; 2) pedisſequa dolorum, purgationum, hæmorrhagiæ, vulnerum & ulcerum, repletionis, &c. 3) hyſterica; 4) hypochondriaca; 5) ſcorbutica. Inter minus periculoſas convulſiones referuntur ſubſultus in ſomno, convulſiones in ſomno, ſpaſmus flatulentus, & quæ hæmorrhagias excipiunt. Particulares vero quod attinet, ſunt hæ ſtrabiſmus, τρισμὸς, ſpaſmus Cynicus, riſus Sardonius, ſatyriaſis, ſternutatio & ſingultus. Motus convulſivi denique ſunt vel vehementiores, vel minus vehementes; utrique febriles, hyſterici, &c.
p. 368. Cum autem morbus caducus cum ſenſuum internorum abolitione ſit conjunctus, hujus ſymptomatis occaſione, quædam circa ſenſorium commune præfari, operæ pretium duxit Author. Hoc autem ſupponit debere 1) eſſe partem unam, quia motus a duplicibus ſenſoriis externis in eo velut uniri debent; 2) motus ſpirituum animalium ab omnibus organis & membris delatos recipere; 3) motus ſpirituum animalium, ad illud tanquam metam pertingentes, velut terminare; 4) ſenſuum externorum objecta varia percipere ac dijudicare; 5) motum ſpirituum animalium verſus has vel illas partes determinare. Exque his concludit, nullam cerebri partem ſolidam dari, cui hæc omnia tribui poſſint; cum autem eadem in mentem cadant, hanc ſenſorium commune adſtruere, nullus dubitat.

Tandem non poſſumus non Compoſitiones quasdam evporiſtas ab Authore, Clariſſimo inventas vel correctas, hic
p. 457. commendare, ſcilicet, Diaſcordium novum, Spiritum Cepha-
p. 530. li-

licum epilepſiam hypochondriacam tollentem, Spiritum Galbani compoſitum in ſpaſmo flatulento adhibendum, & Aquam lactis nephriticam Pharmacopoeæ Bateanæ correctam. p. 539. p. 559.

M. JOANNIS TRIBBECHOVII, FAC. TH. HALL. & Phil. Jen. Adjuncti Brevia Linguæ Ῥωμαϊκῆς, ſeu Græcæ Vulgaris Elementa, quibus differentia antiquum inter & recentiorem Græcismum præcipue oſtenditur. Præmiſſa eſt Diſſertatio de Ortu & Natura hujus Linguæ: acceſſit Concio Chriſti montana Matth. V. VI. VII. Epiſtola Clariſſimi Anaſtaſii, Græci, & Syllabus vocum uſitatiorum.

Jenæ, apud Jo. Bielckium, 1705, in 8. Plag. 10.

Diſſertationis, quæ etiam Jenæ publice ventilata eſt, ſummam ipſe titulus monſtrat, eam videlicet agere de ortu & natura linguæ vulgaris Græcæ: quæ quidem, ſi rem ab ovo ordiamur, referenda fuerit ad quintam Græcorum dialectum, κοινὴν, h. e. *communem & vulgarem* antiquis dictam, teſte *Jo. Grammatico* in ſuis Τεχνικοῖς. §. I. Alio nomine hæc dicitur πεζὴ, quaſi *pedeſtris*, ſi quidem illam cum antiqua ſermonis elegantia comparaveris. Addi etiam poſſet ſynonymum ἁπλὴ φράσις, quo propter *ſimplicem dictionem* haud raro inſigniri ſolet. Communiter tamen adpellatur Ῥωμαϊκὴ, ſicut Græci poſt tempora Conſtantini Ῥωμαῖοι, & Conſtantinopolis νέα Ῥώμη audit. §. II. Jam ſi quæratur, num antiqua illa κοινὴ, qua comoediarum hiſtoriarumque ſcriptores uſi ſunt, conveniat cum recentiore Græcorum ſermone? iſtam quidem hujus eſſe fundamentum & velut matrem agnoſcendam, ſed longe puriorem fuiſſe cultioremque hodierna, nemo ibit inficias. Cauſæ corruptionis in promtu ſunt: Romanorum imperium, unde tot Latiniſmi, etiam in ipſo Novo Teſtamento; Græcorum ſcriptorum deſidia, qui tam facile barbaras voces, magno numero in Meurſii Gloſſario congeſtas, admiſerunt; inprimis Turcarum tyrannis, litterarum ſtudiis infenſa; item frequens commercium cum populis vicinis, maxime Italis. §. III-VI. Cæterum quatenus hæc lingua Græca eſt, ex quatuor antiquis dialectis conflata deprehenditur, quod ex allatis ibi exemplis patet §. VII. VIII. Deinde traditur diviſio hujus linguæ, quæ eſt vel eccleſiaſtica, vel politica: hæc

nur-

rurſus vel *νησιωτικὴ*, quæ in *inſulis*, vel *στερεοτικὴ*, quæ in *terra continenti* viget; quibus additur tertia, nimirum *Conſtantinopolitana*, quia Conſtantinopolis ſyſtema Græciæ, & præcipue *ἐν τῷ Φαναρίῳ*, ſede Patriarchali, idioma eccleſiaſticum principem locum obtinet. Præter Conſtantinopolin, purior dialectus reperitur Theſſalonicæ, in reliquaque Græcia ſtricte ſic dicta, inprimis vero in metropoli Epiri *Jannina*, ubi illuſtre Græcorum gymnaſium, una cum *ἀκροατηρίῳ* hodienum floret. §. IX. X. XI. Laudatur quoque hac ætate ſchola *Lariſſæa* & *Corcyrenſis*, ubi itidem litterarum ſtudia coluntur, & præcipue poſterior acroaterium Latinum habet. Quod ad dialectum inſulanam attinet, ea melior eſt in Cycladibus, quam Sporadibus & Echinadibus inſulis, vel eam ob cauſam, quod illæ propiores ſint S. Monti ſeu Atho, hodie monaſteriis referto. Echinades vero, una cum Creta, nimium ex Italico ſermone, quod Italiæ viciniores ſint, trahunt. §. XII. Sed rurſus magna varietas propter multitudinem inſularum, ut vere obtineat, *quot inſulæ, tot linguæ*, fatentibus ipſis Græcis, quorum teſtimonia adducuntur. §. XIII XIV. De ſermone eccleſiaſtico tenendum, quod proxime accedat ad veterem Græciſmum, exceptis quibusdam generalioribus momentis, quibus ad captum populi immutatus eſt. Verſio autem Novi Teſtamenti Græco-Vulgaris, autore *Maximo Callipolitano* edita, & cura *Seraphimi Mitylenenſis* denuo Londini A. 1703 excuſa, plus ſolito barbararum vocum habet, in gratiam tot millium Bulgarorum, Wallachorum &c. qui inter Græcos habitant. §. XV XVI. Denique judicium fertur de hac lingua, eam quidem, quoad elegantiam, antiqua longe eſſe inferiorem, propterea tamen minime, Criticorum quorundam more, tam graviter accuſandam, imo rejiciendam eſſe, vel propter multas peregrinas voces, vel etiam *βαρβαροφωνίαν* & malam *ὀρθογραφίαν*; quæ omnia diluuntur §. XVII-XXI. Virtutes contra hujus idiomatis recenſentur, perſpicuitas qua cum ipſa matre certare videtur, peculiariſque quædam elegantia & *δεινότης*, quam imitari difficile eſt. §. XXII. Poeſis *Ῥωμαΐκὴ* rudior quidem, ſed hodie cultior extat, præſertim in Creta, quæ hoc in genere multum reliquis præſtat. §. XXIII. Apparatus librorum, ad hoc inſtitutum facientium, apud nos exiguus eſt: diſſeritur tamen

men de *Lexico Vlachi Cretensis* & aliorum Dictionariis, & ex nostratibus laudatur *Crusii Turco-Græcia*, licet multa ibi obsoleta & corrupta occurrant. §. XXIV. Tandem ratio & occasio editionis horum Elementorum, quæ fuit adventus Græcorum in Academia Fridericiana, quibuscum Autori arctior familiaritas intercessit, significatur, & ne locus vacuus esset, adduntur quædam potiora ex præfatione *Glossarii mediæ & infimæ Græcitatis Caroli du Fresne*.

Ipsa vero Elementa conscripsit Autor Doctissimus, magnique Parentis & Theologi quondam celeberrimi haud degener filius, methodo Celeberrimi Hardtii, quam in tradendis linguis Orientalibus Clarissimus in Academia Fridericiana Prof. Michaelis non sine fructu discentium eximio, adhuc observavit. *Duabus* partibus totum negotium absolvitur, quarum prima agit *de Fundamentis*, altera *de Paradigmatibus*. Circa fundamenta notanda sunt quatuor momenta lectionis & scriptionis, *Consonantes*, *Vocales*, *Tonus* & *Notæ Diacriticæ* lectionis: in quibus modo differentia ab antiquo sermone breviter indicatur. Eædem quidem consonantes sunt, sed paulo aliter pronunciantur, præcipue τὸ δ, ϑ, ζ: quæ pronunciatio omnino præferenda, si non in omnibus, saltem in plurimis; quod vel ex Clenardi Institutionibus & aliis antiquioribus Grammaticis facile probari potest. Vocalium pariter & diphthongorum sonus plane convenit cum eo, qui in superiori Saxonia utplurimum receptus est: nam aures Græcorum a distinctis illis sonis ai, ei, oi, abhorrent. Tonus sæpe variat, si usum spectes: sæpe enim ob celerem pronunciationem ad ultimam eum rejiciunt, ut ἀνθρωπινὸς, φιλιὰ; vel in antepenultimam revocant, ut ἑλλήνικα, ἁγιώτατη: id quod Clarissimo *Hennimio* in suo *Hellenismo*, quem ὀρθῳδὸν inscribit, tanquam antiquissimi & rectioris toni vestigium mirifice placet. Ex notis diacriticis id præcipue notandum, quod Græci recentiores spiritum asperum ut lenem efferant, more Æolum antiquorum, qui propterea ψιλωτικοὶ adpellabantur.

Altera pars horum Elementorum exhibet paradigmata singularia Nominum, Pronominum, Verborum, &c. Differentia Nominum communis est, quod ignorent Dativum casum & numerum Dualem. Specialia ibidem plu-

pluribus legas. Verba carent Aoristo primo & secundo, nec non Futuro secundo. Perfectum hic nihil aliud est, quam Aoristus primus. Plusquamperfectum & Futurum adhibitis verbis auxiliaribus θέλω & ἔχω, ut in lingua Germanica, formantur. Infinitivum non habent, sed loco ejus utuntur Conjunctivo cum particula νὰ. Verba circumflexa & anomala pauciora & faciliora hic sunt, quam in veteri lingua, quorum paradigmata Autor concinno ordine proposuit. Quæ ad discrimen Syntaxeos pertinent, paucioribus momentis itidem comprehensa sunt. Elementa excipit Concio Christi montana ex metaphrasi Ῥωμαϊκῇ correcta, Latine versa & notis quibusdam illustrata. Tum sequitur epistola Anastasii, Macedonis, ad Autorem, qui Elementa censuræ ejus subjecerat, in qua de isto specimine ita judicat, multis quidem parasangis id superare Portii Grammaticam, qui primus aliquid eo in genere tentasse dicitur. De cætero ex litteris illis apparet, hunc Virum Græce eximie callere, & litteris ac disciplinis sic satis esse imbutum. Digna est lectu epistola, utpote quæ plurima ad statum Græciæ litterarium pertinentia continet. Accessit etiam brevis Dialogus amici, linguæ hujus periti, quo fundamenta religionis præcipue tanguntur. In fine adjectus est syllabus vocum usitatiorum, quæ tironi ad intelligentiam Novi Testamenti ἐν ἁπλῇ φράσει scitu necessariæ sunt.

PSALTERIUM DAVIDIS ÆTHIOPICE ET LAtine, cum duobus impressis & tribus manuscriptis codicibus diligenter collatum & emendatum, nec non variis Lectionibus & Notis Philologicis illustratum. Accedunt Æthiopice tantum Hymni & Orationes aliquot Veteris & Novi Testamenti, item Canticum Canticorum, cum variis Lectionibus & Notis: Cura JOBI LUDOLFI.

Francof. ad Mœn. Prostat apud Jo. David. Zunner & Nic. Wilh. Helwig. Typis & sumtibus Autoris, impressit Martin. Jacquet, 1701 in 4. Constat 2 Alphab. & 9 plagul.

QUæ sit ratio hujus recens editi Psalterii Æthiopici, ipse Illustris Autor, qui ad meliorem vitam Francofurti ad Mœnum d. 8 Apr. superioris anni translatus est, in præfatione dilucide exponit; quam hic pro

pro instituti ratione breviter recensebimus. Primum quidem narrat, quam charus, quam pretiosus sit Psalmorum liber Æthiopicæ genti, ut omnes eum quotidie legant, & tanquam breviarium orationum suarum æstiment, adeo ut & fœminæ, præsertim nobiliores, memoriter eum recitare queant. Appellare autem solent simpliciter *David*, ut cum Psalterium finitum esse indicare volunt, dicant, *finitus est David*. Id quod in calce hujus ipsius editionis quoque fuit observatum. Deinde disserit Autor noster Illustris de fonte, ex quo suam Æthiopes μετάφρασιν derivarint, quem non fuisse textum authenticum Hebræum, sed LXX Interpretum versionem Græcam adserit, eo quod Æthiopicus interpres plerumque exemplar *Alexandrinum*, in Bibliis Polyglottis Anglorum excerptum, ut & *Vaticanum*, passim impressum, sæpe sequatur. *Tempus* hujus translationis incertum est, licet probabile sit, eam non multo post conversionem Æthiopum, cum aliis Sacræ Scripturæ libris factam esse, quo de Historiam suam Æthiopicam cum Commentario conferendam monet. *De ordine & numero Psalmorum* inde observat, eundem esse, qui apud Græcos. Isti Psalmum IX & X, apud Hebræos divisum, conjungunt, atque ab illo Psalmo Æthiopes semper unum minus putant; ut qui apud Hebræos est XI, apud Græcos & Æthiopes X habeatur. Idem rursus contingit Psalmo apud Hebræos CXV, quem totum Æthiopes cum CXIII suo conjungunt, & vice versa Hebræorum Psalmum CXVI in duos dividunt, donec in Psalmo CXLVII rursus conveniant, qui apud Hebræos usque ad Psalmum CXLVIII continuatur, apud Æthiopes vero dividitur, ita ut apud nos versu 13 fiat initium Psalmi CXLVII, & deinde numeri in Psal. CXLVIII rursus concordent; licet hic ordo in novissima editione Lipsiensi LXX Interpretum non fuerit observatus. Adjectus est etiam Ps. CLI, apud nos *apocryphus*, quia Orientales communiter illum habent; quamvis *numerum reliquorum excedere*, in titulo illius Psalmi fateantur. Cæterum linguam ipsam *Axumiticam* non male vocari, censet summus Autor. Nam quo tempore Reges Æthiopiæ *Axumæ* in regno *Tigre* habitabant, in usu fuit; quamobrem a nonnullis *Tigrana* sive *Tigrensis* vocata fuit. Translata vero in Amharam Imperii sede, vernacula esse desiit, adeoque Habessini illam e libris & doctrina litteratorum ad-

discere necesse habent. Post hæc *de variis editionibus* hujus Psalterii sermonem facit, quarum primam curavit *Jo. Potken*, Germanus, Ecclesiæ S. Georgii Coloniensis Præpositus. Ediderat illud primo *Romæ* anno 1513, cum annexis hymnis & orationibus quibusdam Veteris Testamenti, adjuncto etiam Cantico Canticorum. In Germaniam reversus, denuo illud *Coloniæ* A. 1518 excudit, sed Psalterium tantum, additis tribus aliis linguis, Hebraica, Græca, & Vulgata Latina. Æthiopicam, errore illius temporis, *Chaldæam* vocavit, & sine versione aut notis ullis, secundum exemplar suum manuscriptum, quod Romæ nactus fuerat, nude vulgavit; sed artis Grammaticæ rudis, menda in suo exemplari reperta corrigere non valuit. Sic ultra seculum jacuit, nemine neque de Psalterio, neque de studio Æthiopico publice sollicito. Æthiopes quidem, ob bellum Adelense in summam desperationem adducti, ante centum & quinquaginta annos Romam venerunt, atque ibi Novum Testamentum typis dederunt, Psalterio neglecto, quod tamen Angli in Bibliis suis Polyglottis denuo impresserunt, at parum accurate, veteribus mendis impressorum codicum relictis, & novis superadditis. Tum vero quid præstitum sit hac novissima editione, indicatur. Videlicet accurata prius collatio codicum variorum instituta est, ad quam adhibiti sunt duo illi *Potkenii impressi* & tres *manuscripti*; inter quos primus & præcipuus fuit, quem *Pocokianum* appellat, quia in Celeberrimi *D. Pocokii* Bibliotheca repertus, ab erudito quodam Æthiope quondam tractatus, variisque etiam ex Patribus Græcis observationibus fuit illustratus. Alter *Berolinensis* ex Bibliotheca *Potentissimi Regis Prussiæ* gratiose communicatus, & tertius, quem *Amstelodamensem* inscribit, a Viro Amplissimo *Petro van Dam*, qui ex India eum acceperat, benevole fuit transmissus. Ex qua diligenti, ab ipso hujus litteraturæ principe instauratore facta collatione, non potuit non correctius & emendatius exemplum, nunc publici juris factum, prodire. Nam quod ad *varias lectiones* attinet, illæ e manuscriptis supra descriptis collectæ, & cum codicibus impressis collatæ sunt; lectiones cum Græcis codicibus, Alexandrino scilicet & Romano, convenientes in textum receptæ, judicio de iis haud raro interposito. Interdum etiam integri versus vel hemistichia in Hebræo

&

& Græco textu clare extantia, in Æthiopica vero versione casu, vel per incuriam scribarum omissa, restituta sunt atque suppleta. Si vero Æthiopica versio a Græca discreparet, ratio differentiæ, quantum potuit fieri, investigata est. Præterea quoque, in gratiam Philologiæ cultorum, accessit *versio Latina*, ad litteram Æthiopici textus, additis tantum ad cohærentiam sermonis ἐλλείψεων supplementis, expressa; quæ pars laboris commissa fuit Clarissimo Viro *Jo. Heinr. Michaelis*, Linguarum Orientalium Professori in Academia Fridericiana longe meritissimo, & ab eodem feliciter perfecta; quemadmodum non mediocri laude ejus diligentiam, doctrinam & profectus hac in lingua eximios, ipse Illustris Autor prædicat. Sed & præter versionem, additæ etiam sunt utilissimæ notæ philologicæ, cura & studio laudati Professoris, ex quibus modo unam vel alteram speciminis loco adferemus. E.g. Psalm. IV, 3. בני איש *filii viri*, quæ Æthiops vertit, *liberi sobolis matris viventium*, hæc notat: *Hebræi homines vocant* בני אדם *FILIOS ADAMI; Æthiopes contra* quasi בני חוה *FILIOS EVÆ, dum illos vocant sobolem matris viventium, scilicet hominum* Gen. III, 20. Sic & Psalmo XXVIII, alias XXIX, 6. notabilis adfertur varia lectio Manuscripti *Pocokiani: Et subsilire facit eos tanquam vitulum Rhinocerotis: Dilectus vero est tanquam soboles Reemi, cui est unum cornu;* cum hac epicrisi: *Abit hic Æthiops partim a Græco & vulgari lectione, partim sequitur textum Hebræum, adeoque illum mixtim & paraphrastice reddens, ut illi moris, retento vocabulo Hebræo* ראם, *quod alias in Æthiopica lingua nuspiam occurrit, addito tamen epitheto Monocerotis, quod est in Græco. Recte autem observavit,* ראם *esse Rhinocerotem.* Qualia plura ibi invenias notatu digna, inprimis etiam quod attinet ad differentiam hujus & LXX viralis versionis ab ipso textu authentico, ut jure hic labor queat commendari, quia præter notatas emphases Æthiopicas, multum facit ad rectius intelligendos LXX interpretes, imo ipsius Hebræi textus non pauca, eaque difficiliora, loca illustrat. Agnoscendum quippe donum Dei in Illustri, nunc Beato, Autore plane eximium, quo fere solus hoc in genere polluit, nec permittendum a litterarum bonarum amatoribus, ut hic thesaurus linguæ Æthiopicæ quasi defossus jaceat, cum

indefessa industria, qua virtute Beatus Autor inter cæteras eminebat, adeo facilis & expedita via monstrata sit, edita *Grammatica & Lexico Æthiopico*, de quibus nemini non constat, qui harum literarum paulo est cupidior.

VITA ERNESTI PII, DUCIS SAXONIÆ, DEscripta ab ELIA MARTINO EYRINGIO, *Sereniss. Viduæ Ducis Saxo-Coburg. Aulæ Inspectore. Accessit Ejusdem Dissertatio de ortu & progressu religionis Christianæ in Francia Orientali.*

Lipsiæ, apud Joh. Frid. Gleditsch, 1704, in 8. Plag. 17.

Quo clariora & illustriora sunt illorum exempla Principum, qui pacis artibus, & inprimis literarum ac pietatis studio, rem suam atque publicam ornare & amplificare allaborarunt: eo studiosius ex hac *Ernesti, Saxoniæ Ducis*, pietate ac literarum amore omnibus seculis commemorabilis, Vita, ea nobis in his Eruditorum Actis adnotanda existimavimus, quæ ad piæ eruditionis incrementa, ab optimo Principe cogitata, & felicissimo successu perfecta legimus. Scientes igitur illa prætermittimus, quæ de Serenissimi Principis natalibus, majoribus, fratribus, fortitudine ac belli discriminibus, pacis studio, matrimonio auspicatissimo, prole numerosa ac felicissima, de politia prudentissime instituta, aulæ sedatissimis moribus, rerum œconomicarum redituumque dispensatione sapientissima, de munifica ejus liberalitate, omnisque sorditiei aversatione, monetarum cudendarum usu & modo circumspecto & sanctissimo, felicitate in hæreditatibus impetrandis singulari, testamento, morbo & obitu beatissimo &c. consignata sunt. E quibus sane veritas eorum, quæ Autor de laudibus Ernesti Pii nunquam non deprædicat, luculentissime apparet. Quod autem lit.rarum amorem, quem nos jam potissimum spectamus, & promanantem inde ecclesiarum
C. VI. & scholarum, quæ ejus seminaria sunt, curam attinet, ipsa Principis Serenissimi indoles prima ejus semina illi instillasse videtur. Quæ in felicissimo ingenio, singulari judicii acie, animoque excellentissimarum cogitationum veræque pietatis capaci, cum ætate ita suc-
C. VII. creverunt, ut cum se malo fato suo a nonnullis, quibus educatio ejus curæ esse debebat, destitutum, & Latini inprimis sermonis non sa-

[illegible]is gnarum esse, non sine summo dolore intelligeret; animum tamen ingenti omnium disciplinarum desiderio incensum retineret, ipsumque non solum historiarum, politices, matheseos, aliarumque dignarum Principe artium studio, sed suorum etiam institutione, optimorum librorum edendorum, eruditorum adjuvandorum, ecclesiarumque ac scholarum instaurandarum cura, luculentissime testaretur. In Serenissimorum Filiorum suorum educatione C. XIII.
nihil certe omisit Sapientissimus Princeps, quod ad literarum ac pietatis amorem penitus ipsis implantandum pertineret. Dirigebant illorum studia Viri Illustres, Seckendorffius & Gablkovius; bonas literas ipsis Majerus, Reyherus, Brucnerus, Kunoldus & Rosenbergius instillabant; in ipsorum profectus, singulis mensibus, consiliarii sacri ac civilis ordinis inquirebant, summaque sollicitudine plures bonos reipublicæ patres formabant: cujus rei fructu terræ Saxonicæ hodie etiam perfruuntur. Curæ, quam pro ecclesiæ com- C. XIV.
modis, religionisque firmamentis gessit Ernestus Pius, sedula ecclesiarum ab ipso facta inspectio, optimorum Theologorum & Politicorum expetita in eam rem consilia, Synodus anno 1645 de morbis ecclesiarum curandis habita, dignissimorum pastorum, inspectorum, catechizantium constitutio, disciplina ecclesiastica, censura C. XIIX.
Christiana, observatores morum, judicium delatorium Das Rüge-Gerichte / pœnitentiæ publicæ, tot leges & ordinationes aliæ saluberrimæ, tot literæ & scripta de controversiis Helmstadiensibus componendis ejus autoritate confecta, tot legationes & literarum commercia cum exteris Principibus, ipso etiam Magno Moscowi- C. XVII.
tarum Duce, Patriarcha Alexandrino, Æthiopiæ Rege & aliis, de puriori & sanctiore Dei cultu instituta, certissima testimonia haberi possunt. Huc imprimis singularis illa cura pertinet, quam de *Collegio quodam Hunniano* instituendo habuit, atque ideo cum Rege Sueciæ Daniæque, & inferioris Saxoniæ Ducibus, Alberto filio C. XIX.
suo natu secundo, doctore Veerportenio, Gabelkovenio & Brucnero eum in finem missis, pio conatu egit. Scilicet Nicolaus Hunnius, Superintendens Lubecensis, in libro, quem appellabat *Consultationem*, Gustavo Adolpho, Regi Sueciæ, & Joh. Georgio Saxoniæ Electori dedicato, & anno 1632 edito, sollicite suaserat, ut certus numerus piorum, eruditorum & celeberrimorum Theologiæ Do-

ctorum, communi Procerum Evangelicorum consensu & publica autoritate aleretur, hisque lautius stipendium & selectissima bibliotheca assignaretur, singulisque singuli studiosi ac eruditi, naturæ simul ac gratiæ dotibus ornati adderentur, a quibus difficiliora Theologiæ capita, selectioresque controversiæ, summo studio examinarentur, orationes sacræ ac dissertationes Theologicæ frequentes haberentur, sacri etiam codicis, patrum, scholasticorum, historiæ ecclesiasticæ, conciliorum, decretorum, casuum conscientiæ & praxeos ecclesiasticæ accuratissima collatio institueretur, rarissimæque ac utilissimæ circa hæc observationes communi opera conferrentur. E quo instituto ut maxima ecclesiæ commoda pollicebatur Ernestus; ita nihil omittebat, quod ad illud promovendum & conficiendum pertineret: quanquam, quæ erat eo tempore rerum facies, approbato licet ab omnibus isto consilio, difficultates quædam orirentur, quæ felicem rei successum impedirent. Quod igitur apud alios, per temporum injuriam, perficere non poterat, id saltem in suis terris, salutaribus aliis institutis, obtinere studebat. Constitutis igitur scholarum ordinibus, fidissimisque ac piis magistris præfectis, omnium sibi subditorum liberos inde a quinto anno in scholas duci, nec nisi satis in literis ac pietate profecissent, inde revocari imperavit, eaque re illud obtinuit, ut proverbio vulgo diceretur: *rusticos Ernesto subjectos nobilibus pagorum alienæ ditionis esse doctiores.* Nobilibus certe, ipsi ministrantibus, literarum studia præ omnibus commendabat, ipsisque inculcari sedulo curabat: quod Seckendorffii, Herberstenii aliique generosissimi viri, Ernesti auspiciis, artibus ac literis bonis imbuti, abunde declarant. Ipseque adeo nobilibus haud eruditis, locum in aula sua vix concedendum putabat.

C. XV.

p. 152. 168.

Omnis autem ordinis ac generis studiosos, qui suæ industriæ specimina ac testimonia habebant, largissimis stipendiis ac magnificis juvabat. Adhæc Princeps optimus curabat, ut a viris doctissimis libri componerentur, quorum auxilio felicius juventus proficeret, errores facilius evaderet, & tum pietatis, tum Latinitatis, Grammaticæ, Logicæ, Physicæ principia genuina caperet. Quorsum inprimis etiam Historia Ecclesiastica Gothana, Bœcleri, Seckendorffii & Artopæi studio concinnata, omnibusque eruditis maximi æstimata, referenda est. Quin ipsa immortalia opera, Historia Lutheranismi a Se-

a Seckendorffio, & Belli Smalcaldici Expositio ab Hordledero conscripta, Biblia item Vinariensia & Concordantiæ Biblicæ, Ernesti auspiciis, mandatis, & subsidiis, autoribus ipsis id fatentibus, una cum multis aliis, quæ Autor p. 75 enumerat, originem suam debent. Quam providus autem de libris in communes usus parandis erat, tam severus etiam suis, inprimis pastoribus, illorum legendorum autorem & concitatorem fuisse accepimus. Quo illud inprimis pertinet, quod Autor p. 76 & 77 recenset. Quæ quidem omnia, cum multis aliis, qui nobiscum expendent paulo penitius, ii tanti Principis pietatem, amoremque piæ eruditionis omni ævo commemorabilem, merito nobiscum venerabuntur, pluresque tales literarum statores ac principes eruditis indulgentes, bono literarum publico ut nascantur, optabunt. De Appendice, seu Dissertatione de ortu & progressu religionis Christianæ in Francia Orientali, cum jam plures ante annos in illustri Academia Jenensi publicæ ventilationi fuerit exposita, & nunc solum recusa, non est ut plura dicamus. p. 72. seqq.

Herrn Hanns Aßmans / Freyherrn von Abschatz/ Poetische Ubersetzungen und Gedichte.

sive

JOANNIS ASMANNI L. B. ABSCHATZII Metaphrases & Opera Poetica.

Lipsiæ & Vratislaviæ, apud Christ. Bauchium, 1704, 8.
Constat Alphab. 2.

Magnis illis in Poesi Germanica Heroibus, quos Silesia progenuit, suo merito Vir Illustris annumerandus est, Dn. *Jo. Asmannus Liber Baro Abschatzius*, Wirwicii, Lederosii, Petschendorfii, Superioris Berschdorfii & inferioris Gelschavii Toparcha, in Lignicensi Ducatu, dum viveret, Provincialis Syndicus, atque in publicis Silesiæ Conventibus ordinarius Adsessor, Vir multiplici meritorum ac eruditionis gloria celebris, Lignicii d. 22 Aprilis anni 1699 fatis functus, & cum Generosissima Conjuge, biduo post mariti obitum, placida morte vivis exemta, eodem quietorio in Æde apud Lignicenses Petro-Paulina tumulatus. Quanta Baronis laudatissimi inter suos celebritas, quantus natalium splendor, quanta apud

Au-

Auguſtiſſimum Imperatorem LEOPOLDUM gratia, quanta apud ſummos Sileſiorum Principes atque Ordines exiſtimatio fuerit, ipſi ex Sileſiis cives cordati, & literarum cultura clariſſimi, optime norunt, quorum præconiis in exterorum gratiam iſtud adjicimus, Virum tantæ dignationis, inter continuam curarum molem, & itinera pro ſalute Ducatus ac Reipublicæ Sileſiorum univerſæ ſuſcepta, Apollini tamen & Gratiis litaſſe, & quæ nunc publicata ſunt, carmina prælo parata hæredibus reliquiſſe. Hæc vero nunc ipſi ex voluntate optimi Parentis in lucem expoſuerunt, Cl. Gryphio, Socio ac Amico noſtro honoris cauſa nominando, præfationem ſcribente, in qua modernam Nobilium conſuetudinem ſalſe taxat, qui artium liberalium, & Poeſeos præſertim, exercitamenta Equeſtri homine minus digna judicant, & gladio nihil rei eſſe cum calamo autumant; quum tamen ex Purpuratis Vatibus, hoc eſt, ex Imperatoribus, Regibus, Ducibus, Principibus, Pontificibus item, Cardinalibus, Archiepiſcopis atque Præſulibus, aliisque ſummæ auctoritatis Magnatibus, qui Poeſeos cultores fuere, vaſtus quidam index confici queat. Cæterum duæ quaſi operis hujus partes ſunt, quarum altera *Metaphraſes*, altera vero *Poemata ex ipſius Abſchatzii Baronis ingenio depromta* complectitur. Inter Metaphraſes principe loco ſe ſiſtit *Paſtor Fidus* Tragicocomœdia, ex Italico Guarini, vatis celeberrimi, converſa. Quæ fata Guarinus auctor in Italia expertus ſit, quot verſiones hujus Dramatis in omnes fere linguas tranſpoſiti numerentur, Clariſſimus Creſcimbenus in Commentariis de Poeſi Hetruſca fuſius docuit. Ex Germanis tres, niſi fallimur, *Paſtorem* hunc *Fidum* adgreſſi ſunt, Hildebrandus quidem proſaica, Hofmanswaldius autem & Abſchatzius, Sileſii, metrica interpretatione. Hofmanswaldianæ verſioni plus elegantiarum tribuit Morhofius *(Part. 2 de Poeſi German. cap. 2 p. 205)* quam ipſi textui Guariniano: ipſe vero Hofmanswaldius in præfatione Poematum ſuorum, primas præ ſe laudes Abſchatzio noſtro deberi, eumque verba Hetruſci idiomatis ſtrictius ac felicius expreſſiſſe, monet. Noſtrarum partium non eſt, hanc inter illos litem dirimere, de qua, qui utriusque linguæ intimiore notitia pollent, judicare permittimus. *Sonnuli* autem *jocoſerii*, qui *Paſtorem Fidum* preſſo pede ſubſequuntur, & quos ex Alexandri Adimari Equitis Thuſci *Terpſichore* depromprom-

promsit, mira transpositionis felicitate & argumenti raritate notabiles sunt. Quinquaginta nimirum fœminas *Therpsichore*, (id tractatulo nomen est,) nobis repræsentat, omnes novercantis naturæ invidia, maculis quibusdam vel in ore, vel in moribus, deformes, calamo tamen vatis & poetica venustate commendabiles. Quod ad alteram poematum classem attinet, quæ soli Baronis nostri venæ ortum suum debent, prima sunt Sacra, quæ adpellatione ex Floræ regno desumta, **Himmel-Schlüssel** / sive claviculas cœli aut primulas veris nominavit. In iis metaphrases quorundam Psalmorum, meditationes in ferias Dominicas & Festales, eucharistica matutino æque ac vespertino tempore, nec non post superatas graviores tam publicæ quam privatæ rei calamitates fusa; hymni item anniversarii, onomastici, genethliaci, & quæ alia mysteriorum sacrorum genera sunt, occurrunt: quibus & ætatis suæ quinquagenariæ curriculum, totidem strophiolis sive sectiunculis a se delineatum, Autor noster subjunxit. Post sacras meditationes, carmina statim subnexa reperimus, quibus reverentiam & obsequium erga Divum Imperatorem LEOPOLDUM, & Celsissimos Austriæ Archiduces, cum propter victorias contra hostes obtentas, aut in nominalibus feriis, tum propter alias almæ benedictionis accessiones, contestatus est. Succedunt Epicedia in obitum ultimi Lignicensium, ex Piastæorum Familia nongentenaria, Ducis, & quorundam generosæ stirpis Equitum, carmen item honori Lohensteiniano, ob Arminii & Thusneldæ vitas, fabula Milesia, sed ea longe doctissima & omnis generis eruditione referta, descriptas dedicatum; funebria deinde aliquot in bestias ab heris suis perdite adamatas, & miscellanea varii argumenti, in quibus omnibus magna venæ felicitas, styli nitor, vocabulorum aculei, & nativa sensus elegantia deprehenditur. At enimvero in illa inventionum varietate, & argutiarum adparatu, id maxime miramur, ambidextrum fuisse Vatem nostrum, id est, utroque idiomate, Germanico æque ac Latino, versus plane egregios panxisse: cujus rei luculento testimonio sunt Genethliacum Deo incarnato in terris hospiti, nocte Natali, in monte Senonum inhospitali, vena dextraque frigente, adfectu tamen calente, d. 24 Decembris anni 1666 sacratum, (*vide Sacra pag. 42 seqq.*) Paschologium nocte sacra anni 1667 Romæ formatum, (*ibid. pag. 54 seqq.*) Elegia super incendio d. 12 Oct.

1696 (*ibid. pag. 73. 74.*) Elegia ad Primkium, Rectorem Scholæ Lignicensis, Præceptorem olim suum fusa, in qua peregrinationis suæ rationes ac fructus exponit, (*inter Miscella pag. 106 sqq.*) & alia denique ad amicos ex Italia discedentes valedictoria, (*ibid. p. 111. seqq.*) ut adeo, novo certe exemplo, comprobasse videatur Baro noster Illustrissimus, eam esse Latinæ linguæ majestatem atque elegantiam, ut illius exercitia Nobilioribus ingeniis, & Equestri dignitate præfulgentibus, dedecori nequaquam haberi debeant.

ΟΜΗΡΟΣ ΕΒΡΑΙΟΣ.

sive

HISTORIA HEBRÆORUM AB HOMERO HEBRAICIS nominibus ac sententiis conscripta in Odyssea & Iliade, exposita illustrataque studio atque opera GERARDI CROESII. Tomus I.

Dordraci, apud Theodorum Goris, 1704, 8.

Constat Alphab. 1. Plag. 20.

EO tendens Clarissimus Autor, (civis Reipublicæ Amstelodamensis, non adoptatus, sed intra mœnia ipsius natus, ortu longa ducto serie,) quo ipsum ratio quodammodo singularis officii ordinisque sui vocabat, primus Homerum e tenebris eruere, conditamque ab eo Historiam sacram, & e nostro Scripturæ codice repetitam, in lucem proferre voluit. Sic enim censet: Homerum narrare in Odyssea inde a primordiis, varia eventa majorum Israelitarum, i. e. Patriarcharum & Israelitarum ipsorum, usque ad obitum Mosis, eo pacto, ut multa adjungat, quæ ad populos eodem genere *Heber* oriundos pertinent; in Iliade vero ea, quæ acciderint in occupanda urbe Hierichunte, ac tota terra Chanaan, duce Josua cæterisque jure imperatorio præditis, intermistis plurimis, quæ ad gentes ab Israelitis devictas fugatosve Chananæos pertinent. Et hæc arbitratur Homerum sic exarare lingua Græca, ut interim nomina propria personarum & regionum, quin & rerum insigniter memorabilium, efferat Hebraice, vocibus singularem in modum sermoni Græco accommodatis. Se autem isthæc perscrutari contendit, non delectatione novitatis, verum spe atque fiducia emolumenti in publicum.

Esse

Esse enim in his subsidium, tum ad alias scientias, tum etiam sacras & augustas literas, utcunque magis enucleandas ac illustrandas. Saltem grande in his pondus inesse, ad subvertendum omne Pantheum Deorum gentilium veterum, & tot ineptas de iisdem fabulas, quas non Græci modo ac Latini olim, sed tot inter Christianos etiam philologi & antiquarii, juventuti in suis auditoriis & gymnasiis instillaverint, ac propinarint. Penes Homerum, non nisi unius veri Numinis sub diversis notionibus sonare nomina, & describi Historiam sacram, ita ut in illo sit magna vis, ad tuendam firmandamque sacrarum literarum antiquitatem & auctoritatem, adversus ementitas argutias improborum, quorum in tanta ingeniorum prurigine, non exigua hodie copia sit. Præmittit autem operi suo Autor Introductionem satis amplam in universum Poetam, ceu partem generalem, XIV adeo capitibus absolutam. Omnes nimirum veteres hoc animadvertisse, Homerum ubique loqui verbis alienis a vulgari Græcorum forma, peregrinis, novis, translatis, interdum contractis, concisis, amputatis, ut difficile sit ejus mentem assequi. Sed & res ipsas proponere modis prorsus reconditis, ita obscuris ac fabulosis visis, ut legenti nullæ certæ imagines in animum deducantur. Homero ergo verba illa ac nomina, quæ de Deo aut Diis usurpantur, quæ hominibus Heroibus etiam & actionibus ipsorum singularibus, porro quæ regionibus, urbibus, fluminibus, montibus, rebusque aliis, in quibus suspicio est quandam peculiarem proprietatem contineri, indita sunt, perraro Græca, frequentissime autem Hebraica esse: sed aliter sonantibus nominibus, & tamen re significantibus idem, quod in Scriptura Hebraica notet nomen proprium. Atque rursus sic afferri illa nomina Hebraica, ut omnino accedant ad nomina ista, quæ alibi terrarum, maxime in Græcia, sunt notissima. Interdum occurrere nomina regionis aut loci, tanquam nomina propria, & tamen pro re aliqua, velut nomina appellativa usurpari, cujus generis sint vocabula *Siculi*, *Messenii*, *Sardinii*. Et quæ fingit accidisse Ulyssi aut Trojanis, non de unico dicere Ulysse, verum de multiplici, neque de unius Trojæ excidio, sed plurium urbium eo nomine involutarum; ut ita alius sit Ulysses in initio, alius in progressu, alius in fine operis, & ut alterius generis sit Troja & Ilium in Odyssea, atque est in Iliade. Per-

c. 2.

pe-

petam igitur censeri ab omnibus, scriptam Odysseam post opus Iliadis, & hanc ex illius tenore debere explicari. Contra vero, Homerum sequi ordinem Historiæ sacræ, & adeo Odysseam præmisisse Iliadi. Præterea indicare eum, Græcos antiquissimos oriundos fuisse e Chananæa, Idumæa & iis oris, eosque fuisse, qui ab Israelitis circumventi, pressi, fugati, se fuga receperint in Asiaticam Græciam & Græciam Europæam. Et hos fugitivos illa illis regionibus nomina de sua lingua patria Chananæa, quæ & Hebræa, imposuisse, quæ tamen temporis tractu, & usu longo, jam ipsiusmet Græciæ nomina viderentur esse. Eo magis autem voluisse eum uti hisce nominibus, sibi notissimis, quo minus Græcos offenderet, sed ut iis palpum obtruderet, cum ipsi de sua antiquitate & de patrio suo solo, quod in eo essent αὐτόχθονες, admodum gloriarentur. Facile etiam illa vocabula ad formulam linguæ Græcæ potuisse construi & exarari, absque jactura vocis, modo flexione alicujus literæ, vel mutatione, quod Græci tali litera carerent, aut aliam substituerent, quo vox magis clare ac sonore caderet. Adeoque uti Homerum lingua, quæ diutissime post istius tempora cœpit in usu esse Judæis inter Græcos degentibus, Hellenistica. Bene multas etiam apud Homerum personas esse illarum gentium, quæ, qui homines fuerint, nos lateat, nec tamen occultæ fuerint Homero. Sed & multis eum uti nominibus, quæ videantur esse Græca nomina Deorum Dearumve, aut hominum inter Græcos notabilium illustriumque, neque tamen quicquam minus voluisse, quam quod eæ personæ, quarum apud eum sunt nomina, fuerint vel Dii vel Heroes Græcorum. Quantum ad res ipsas, Homerum ait multas partes Historiæ sacræ notare, non ea serie loci ac temporis, qua Sacra Scriptura, verum obiter, ubi incidit occasio aliquid vetus commemorandi, in conventu aliquo, in quodam colloquio. Vicissim varias tractare res nihil facientes ad Historiam sacram, etiam amplis & copiosis narrationibus, etiam integris libris. Cujus generis illa de navigatione Ulyssis Odyss. lib. V. quæ de Scylla & Charybdi, quæ de Circe, & plura, præsertim in Iliade. Sic igitur per illum Scripturam sacram potuisse innotescere Gentilibus, sed tectam & in fabulas conversam: ut fuerit ille tam pater mendacii, quam veritatis. Vixisse autem illum post tempora Davidis

vidis ac Salomonis, ex eo colligit Noster, quod non obscuram ποιήσεως horum Regum faciat mentionem in Iliade. Sed & post tempora Jeroboami, primi regis X tribuum vixisse, colligit ex hoc, quod & hujus regis meminerit. Et cum aliqua probabilitate posse dici, vixisse post tempus Amri sive Omri, sexti regis: quo regnante invalue- c. 4.
rit religionum quasi confusio, & Samaritana incœperit, & Idumæi c. 6.
Sidoniorumque res floruerint, eorumque ingens cœperit esse auctoritas in populo Israelitico, tum vero incuria in custodienda Scriptura Sacra. Certe fuisse Homerum doctum linguam Hebræam, doctum Hebræorum historiam, ut, ubi vellet, hanc potuerit ea in lingua tradere. Sed Ὅμηρον non videri nomen Poetæ, quin potius titulum ejus operum atque indicem argumenti. Esse no- c. 4.
men Hebraicum אמר Omer, *orator*, *rhetor*, vel *commentarius*, ab אמר Amar, *dicere*, *eloqui*. Nam & nomina illa Ὀδυσσείας & Ἰλιάδος, non ab auctore indita fuisse, verum ab iis, qui postea auctoris opus sua opera ita distinxerint. Similiter nomina *Hesiodi*, *Theognidis* & *Phocylidis*, ipsorum Poematis fuisse indita. Scripsisse Homerum libros suos non ea serie ac numero, ut quidem nunc extant, sed variis temporibus, per varias partes, quas vel Pisistratus, vel ejus filius Hipparchus, in eum redegerint ordinem, quo nunc habemus, eo tempore, quo Athenis constitutum, ut versus Homeri in ludis Panathenaicis publice legerentur: quomodo quondam Dei mandato Lex Mosaica, septimo quoque anno, in Festo tabernaculorum, a sacerdotibus universo Israeli prælegebatur. Exhibere novissime celeberrimum Gronovium, in secundo Volumine Thesauri Græcarum Antiquitatum, picturam marmoris, quam Homeri ἀποθέωσιν vocant, & nos quoque in his Actis A. 1683 p. 538 exhibuimus. p. 67.
Elegans, inquit Noster, *Marmor, ubi suos amatores invenit: neque enim omnes, ut pueri, istiusmodi imaginibus ac pupis trahuntur*. Equi- c. 9.
dem Homeri librum, pergit Noster, esse in multis partibus allegoricum, symbolicum, emblematicum. Atqui in his cum sequatur Scripturæ S. iterum viam docendi vulgatam tritamque, esse adhuc totum Homeri opus historicum. Unde permirum videri debere, accidisse post Natalem Comitem, G. J. Vossium & alios, etiam nostro tempore Francisco de Salignac, Archiepiscopo Cameracensi, præceptori Ducis Burgundiæ, quod voluerit librum quartum Odys-

seæ

ſeæ Homeri hieroglyphice interpretari, & erudire Principem juventutis Gallicæ argumento ſymbolico, tanquam ex Homero deſumpto, repletoque cunctis laſcivis ac mollibus Deorum Dearumque ſermonibus actionibusque, atque id ſtylo accuratiſſimo, quo videlicet adoleſcentes, ſua ſponte ad voluptates adhinnientes, hoc magis illiciantur ineſcenturque. Et mirum, potuiſſe a ſe impetrare Curiam Romanam, ut cum in hujus Antiſtitis libros religioſos aſceticos tam acerbe ſtylum ſtrinxerit, nulli cenſuræ ſubjiceret hunc ejusdem librum amatorium, habentem quidem ſalem, oſtentantemque penetralia virtutis ac honeſtatis, at totum eo ducentem per ſacellum fallacis & ambitioſæ idololatriæ Gentilium,
p. 162. vanæque ſuperſtitionis, & voluptatis. Intelligit librum Gallica lingua conſcriptum, *Aventures de Telemaque fils d' Ulyſſe*. Præterea Homerum docet non modo multas habere γνώμας conſimiles
c. II. S. Scripturæ, verum eas quoque mutuatum eſſe e Scriptura ſacra: nec tamen alias, quam quas invenerit in libris Moſis, nonnullas quas in reliquis libris Hiſtoricis, itemque in Jobo & Pſalmis & libris Salomonis. Ubi ſimul caſtigatur Zachariæ Bogan Homerus Ἑβραΐζων editus Oxonii 1658, & Jac. Duporti Gnomologia Homeri, Cantabrigiæ biennio poſt edita. Edmundum Dickinſonum contendere equidem, Græcos quicquid apud Delphos celebre erat, e Joſuæ hiſtoria effinxiſſe, verum vix quidquam eum adferre ex Homero. Jac. Capellum ſenſiſſe quidem, Homerum legiſſe Scriptores ſacros, & ex his ipſis fontibus multas ſumpſiſſe ſententias; res tamen ne hunc quidem ex eo allegare. Eundem Capellum laudari magnopere a Th. J. ab Almeloveen in Specimine Antiquit. atque congerere hunc omnia e prophanis auctoribus, quæ ſimilitudinem habeant cum hiſtoriis Moſaicis; ne de verbo autem ullo, nedum de re quapiam, Homeri meminiſſe. Dan. Heinſium in Ariſtarcho S. promittere, ſe alicubi oſtenſurum, *Homerum omnia deprompſiſſe ex Oriente, quod ad ceremonias, ad res, ad voces*;
c. I. p. 14. nusquam tamen ne verbo quidem præſtitiſſe. Voſſium, Bochartum, & Ezech. Spanhemium, multa ex antiquis Poetis elicuiſſe, quæ ſpectent ad res in Sacra Scriptura narratas; tale tamen quidpiam de Homero nihil. Dan. Huetium in Demonſtratione Evang. ubique in Poetis & aliis auctoribus veteribus invenire Moſen; ex Homeri autem

tem scr.ptis duo duntaxat adducere loca, quæ ad historiam quan-
dam in Scriptura relatam transferri possint. *Unus*, addit, *est Gallus*,
qui propter suam jactantiam ac promissionem inanem satis orbi p. 179.
erudito vapulavit, & *quandoque nominatim propter ea, quæ aliis*
abstulit atque edidit pro suis, veniet in Catalogum plagiariorum.
Thom sii. Perperam etiam Everardum Feithium libris 4 Anti-
quit. Homericarum, omnia in Homero ad Græcos retulisse, monet. c. 13.
In parte speciali præstruit, descriptionem Patriarcharum fieri in Odys-
sea cumprimis sub persona Ulyssis, sed venientis alio atque alio nomine;
quemadmodum & opus obitu Ulyssis, ita ut re ipsa sit nomen Mosis,
concludatur. Itaque illum Ulyssem aliquoties recurrere, & jam c. 1.
abire, & obire, jam redire, isti primo similem. Id indicari verbis L. II. v.
175. ἐικ:ς τῷ ἐνιαυτῷ, *similis illi uni ipsi*, non *vigesimo anno*; item cum
L. I. v. 1. dicitur ἀνὴρ πολύτροπος, *multiformis*, non *versutus*. Nam
& Scripturam Sacram non semel nomen viri proprium imponere
alteri, etiam diutissime post venienti. Penelopen, uxorem Ulys-
sis, æque esse nomen commune & appellativum, ac toties ita vocari,
quoties fœmina quædam dignitate præstans & curans bene negotia
domestica venit nominanda. Patriam utriusque appellari *Ithacam*,
non Ioniam illam, sed, quod inauditum ad hunc diem usque, Mesopo-
tamiam, Hebr. אי i. e. *insulam, regionem*, & תוך *Thavech medium*, elisa
litera ו, inter duos amnes, Euphratem ac Tigrim. Hinc Homero Ἰθάκην
ἀμφίαλον, *mari circumdatam* Lib. I v. 385 & 394 dici. Alibi vocare
Ηλύσιον πεδίον, non campum Elysium, sed Mesopotamiam felicem.
Nam πεδίον congruere cum פדן *Paddan*, quo nomine Moses Meso-
potamiam vocet Gen. 48, 7. ἠλύσιον esse עלז *Ales*, lætus, exultabundus.
In Ithaca designari ab Homero urbem Ulyssis patriam Κρήτην Lib. 19
v. 172, non Cretam Græcorum insulam, sed Babylonem, *ubi linguæ mix-*
tæ. Nam Hebr. קרת *Kereth*, Chald. קרתא *Kareta*, dici *urbem*, &
κατ' ἐξοχὴν intelligi Babylonem. Homerum ergo hoc, quod dicit
de mixtura linguarum, hausisse ex verbis Mosis de Babylone,
Gen. XI, 9. In vicinia Babylonis fuisse Κνωσσὸν, magnam urbem, a
קנוא *Canoa*, æstus, fervor. Hanc alio nomine Hebr. vocari חרן
Charan, a חרי *Chari*, æstus, ardor, Græcis Κάῤῥαι, ubi Thare & Abra-
ham & Nahor vixerint, & in qua Isaacus & Jacobus sibi uxores
asciverint. Eandem esse urbem, quæ Homero lib. 4 v. ult. voca-
tur

tur *Ἀστερὶς*, ab עשתר *Aſthar*, pecus, grex: quod qui illic degebant, his maxime in uſu eſſet facere rem pecuariam. Porro genealo-
c. 2. giam Ulyſſis & cognationem exhibet ex eodem loco Homeri, lib. 19. v. 179 ſeqq. Ibi enim juniorem aliquem Ulyſſem enarrare majores ſuos, quorum ſingula nomina ſint Hebraica. *Μίνως* enim Noſtro eſt Abrahamus, a מאה *Mea*, centum, centenus, & נוץ *Nous*, germinare, quaſi dicatur *germinans etiam centenos annos natus*. Fuiſſe autem Abrahamum natum centum annos, quum ei naſceretur Iſaak. Gen. 21, 5. Convenire id etiam Semo. Minos Homero Rex novenus, ætate vel generatione. Abrahamus autem non verbis, ſed re, nonus generatione in poſteritate Semi, filii Noachi Gen. c. XI, pater celſus & habitus uti princeps Dei, Gen. 23, 6. Atrides Homeri eſt Lotus, cum ſuis domeſticis, Hebr. *latens, abſconditus*. Alio nomine Ῥαδάμανθυς, Hebr. *ſoporatus*, & ſic tamen *ſe extendens*, & *floridus*. Ilium Homeri eſt Hebr. איל *Eil*, אלון *Elon*, planities, locus campeſtris, ſpatioſus. Trojam Hebr. eſſe תרועה *Therous*, clamorem, vociferationem. Nimirum Abrahamum & Lotum abeuntes ex Ure Chaldæorum, veniſſe Carras ſive Charan, deinde accepiſſe ſedem *planitiem* Jordanis, ac Lotum quidem extendiſſe tentoria usque ad Sodomam. Cumque hæc una ex urbibus planitiei, propter flagitia *clamantia* verſus cœlum, igne cœleſti deleta eſſet, Lotus *occultavit* ſe in ſpelunca, ubi *vino ſomnoque ſepultus* factus eſt pater duorum filiorum, unde infinita multitudo hominum. Hinc Lotus Homero alio nomine Ποσειδάων, *potens ſui generis auctor*. Minois filius *Deucalion*, quaſi Hebr. deſtinatus in holocauſtum, verum ex iſto periculo ereptus. Hunc eſſe filium Abrahami, Iſaacum. Alio nomine Telemachum, quaſi agnum mactatum vel percuſſum, vulneratum. Filius alter Abrahami ex pellice, Iſmael, dicitur fuiſſe Caſtor, Hebr. קשת *Caſat*, ſagittarius, arcitenens. Gen. 21, 20. Porro Ulyſſis frater major natu Homero, Ἰδομενεύς, ab Edom, rufus Eſavus. Et hunc ſimiliter vocari hic Telemachum a תלע unde תולע *thola*, ruber, coccineus, & מחץ *Machas*, perfregit, ut ſit ille *qui matris vulvam perfregit*. Ludere enim Homerum nominibus, pro natu-
c. 3. ra perſonarum. Quin imo Lotum ipſum venire ſub perſona Ulyſſis etiam, & Abrahamum, Iſaacum, Jacobum, item Moſen, at quem-

quemque suo ordine ac tempore. Fusius autem ea, quæ di-
ximus, aliaque recensentur in sequentibus. Ac primum eruitur incen-
dium Sodomæ ex versibus primis libri I hoc modo: conatum quidem
Ulyssem magna cura, uti suam, sic amicorum animam in excidio c. 4.
Trojæ servare; verum nihil profecisse, etiamsi immitteret se in eos,
(ἱέμενος,) minitans illis, ni excederent, missum iri in eos ignem.
Repetuntur autem ac supplentur hæc ex lib. 4 v. 246 seq. Σπεῖρα
κάκ' ἀμφ' ὤμοισι βαλών, οἰκῆϊ ἐοικώς, quæ ita Noster transtulit:
ingressus magnam Trojanorum urbem vibrabat circumquaque
numerosas sententias ignis, qui eos liquaret, gerens se similem
istorum duorum virorum, similem δέκτῃ, i. e. δικαστῇ, judici inter
eos, qui tamen non erat. Latere enim hic iterum Hebraica obser-
vat in vocabulis Græcis, κακὰ, σπεῖρα, ὦμος. Quorum nihil o-
mnino assequuti sint Latini interpretes: *Vilibus pannis circumje-*
ctis ad humeros, servo similis, alteri seipsum viro assimulavit mendico.
Cæterum viros Trojanos periisse v. 7 lib. 1 αὐτῶν γὰρ ἀτασθαλίη-
σιν: voce iterum Hebræa, quæ verbis multiplex unum significet
execrabile facinus cum viris, את - איש - תאלה *Et is thala,*
Et, cum, *Is*, vir. *Theala*, execratio. Neminem enim potuisse dicere,
unde nomen hoc sit derivatum, & quomodo possit existimari esse
Græcum. Pœnam ipsam exprimi v. 8. 9

νήπιοι, οἳ κατὰ βοῦς ὑπερίονος ἠελίοιο
ἤσθιον· αὐτὰρ ὁ τοῖσιν ἀφείλατο νόστιμον ἦμαρ.

Noster: *fatui, qui Sole supergradiente devoraverunt* illos in mares
peccatores. *Et abstulit idem Sol ipsis redeuntem diem.* Nomen
enim καταβοῦς iterum Hebraicum esse, flexum licet ad modum
Græcæ vocis βοῦς, compositum a כתת *Cathat* contundere, &
בוש *Bos*, pudenda. Et qui se perditum eunt invicem nefanda li-
bidine, devorare se dici, velut suo se cibo replentes, suisque deliciis.
Accidisse autem Ulyssi, v. 13. ut cum se ex hac calamitate eriperet, sua
uxore privaretur. Hanc ait esse historiam illam Loti, Gen. 19. cui ob-
jectum sit similiter v. 9. quod indesinenter agat *judicem*, quique
uxore sua in incendio Sodomæ orbatus sit. Eandem historiam
recurrere in Odyssea pariter & Iliade, quæ singula hic non perse-
quimur. Historiam Loti concumbentis cum filiabus in spelunca
montis, unde nati Moabitæ & Ammonitæ, Gen. 19, 30. seqq. de- c. 5.

pre-

prehendit Cl. Crœsius eodem libro I Odysseæ, ubi Ulyssem detinet v. 14. 15 nympha Calypso in specubus cavis, cupiens eum sibi esse maritum, i. e. ut faceret sibi, quæ maritus uxori. Cum hac nympha conjungi v. 71 & postea in universo opere Θόωσαν, aliam nympham, quæ Ulyssi mixta in specubus cavis peperit ei Cyclopem Polyphemum, filia Phorcynis, regis Maris mortui, ipsius scilicet Ulyssis. Sic igitur exponit Homerum v. 22 seqq. Ulyssem seu Lotum non omnino accessisse Æthiopas longe semotos, ultimos virorum, Occidentales & Orientales, sed dum in specubus illis cavis habitaret, sua ebrietate ac vino eo accessisse, uti saltu protulerit genueritque duos populos montanos & feros, alteros Occidentales, alteros Orientales. Nam μετεκίαθε esse a *μέθη ebrietas* & a *κίειν saltu proferre*. Æthiopes in Scriptura esse Cusim, homines facie a Sole adusta, ab αἴθω & ὄψις. Habitasse autem Ammonitas & Moabitas loca montana, Sodomæ veteri ultra mare mortuum finitima; illos versus Orientem, hos versus Occidentem. Appellari τηλοθέοντας, *feros*, ἐσχάτους ἀνδρῶν, *viros ortos e duabus sororibus*, ab איש vir, & אחות *Achaot*, sorores. Fuisse eos δυσομφύς, ex terra Gigantum, omnia conterentium, a דוש *Dous*, terere, & אמים *Emim*, Gigantes. Deut. 2, 10. 11 20. Cumque Moabitarum & Ammonitarum termini fuerint montes Abarim & fluvius Arnon, Num. 21, 11. 13. & 22, 36. eosdem terminos his nominibus etiam Homerum signare, ut notet, utrumque populum unam suorum sacrorum communitatem habuisse, v. 25. ἀντιόων ταύρων τε καὶ ἀρνειῶν Ἑκατόμβης. Abirim enim Hebr. esse ταύρους, & ἄρνον Hebr. nomen fluvii. Porro Deum verum, (non omnino Neptunum,) ex eo tempore infestum Ulyssi, non occidisse eum quidem, tamen abegisse a patria in viam erraticam, v. 75. Ac συγχρονισμὸν Abrahami & Loti diu postea commemorari ab Homero Lib. 3. v. 304. & Lib. 5. v. 520. Imo toties eum fere exprimere & repetere hanc historiam, quoties referat in hoc opere concubitum hominum furtivum, maxime lib. 5. Redit ad Hi-
c. 6. storiam Abrahami Cl. Auctor, ostenditque, multa occurrere apud Homerum, quæ a Mose descripta sint Gen. 15, 1-5. 16, 1. seqq. 17, 16. 18. 18, 10. 14. 21, 10. 14. Mitti nimirum a supremo Deo Jove Ἀθήνην, Minervam, Archangelum, (qui Jovem nominet suum parentem; as-
p. 286. sertor, qui alicui sit clypei instar ac multa merces, γλαυκῶπις Ἀθήνη)

nu) ad Ulyssem, Abrahamum, & Nympham ἐυπλόκαμον Saram, in Ithacam, *ut ei excitet filium*. Lib. 1. v. 88. Excipi autem ceu charum & Jove genitum hospitem honorifice, v. 120. Et hinc ortum inter gentiles, quod homines antiqui propter justitiam suam fuerint Θεοῖς ξένοι, qui illos hospitio exceperint. Pausaniam hoc sumpsisse e verbis Homeri Odyss. L. 7. v. 203. Minervam porro interrogatam a Telemacho, ut sibi dicat, quæ vere sit, respondere v. 179, & iterum v. 418: Μέντης ἀγχιάλοιο δαΐφρονος υἱός. Nomen Μέντης Hebraicum esse, notans, *qui vere est, fuit atque erit*: filium δαΐφρονος, Hebr. ejus, qui fructuosum reddit ac fœcundat: Ἀγχίαλον, itidem nomen Hebr. ac Dei singulare, *qui juret per se*. Abrahamum describi v. 189. seqq. ceu senem incurvum, humi repentem, nomine Laertis herois, qui moleste ferat, *quod sit sine liberis*: cujus uxor ἀμφίπολος, vetula, multa caligatione oculorum laborans. Et hanc habuisse ancillam Eurycleam, quæ & Penelope hic vocatur, uxorem secundariam, Hagarem nimirum, matrem Ismaelis, sive Telemachi. Homerum noluisse rem dicere aperte, neque illum vocare filium non legitimum, docere tamen, notam inesse aliquam, Lib. 2. v. 86. Eurycleа Homero etiam appellatur Ἡγήτωρ, μέντης Ταφίων Lib. 1. v. 105. Videturque Nostro Ἡγήτορ esse Ἡγηρ, (insertis duabus literis, ne nimis manifesta esset locutio poetæ, suas res occultantis,) Hebr. Hagar, a peregrinando. Μέντης Hebr. h. l. *nutrix*. Taphii, (Hebr. a rapiendo) Ismaelitæ, Arabes, alibi Hagerim in sacris, 1. Chron. 5, 20. Cumque Antinous illam e domo ejiciendam urgeret, durum id visum Telemacho, L. 2. v. 130. Respicere autem Homerum ad legem Hebræorum, de dimittenda uxore secundaria, & de danda portione filio uxoris repudiatæ. Exod. 21. & Deuter. 21. Tandem discedere Telemachum cum matre, *non absque consilio Dei*, datisque ei amphoris vino plenis duodecim, & utribus viginti farinæ. L. 2. v. 371. Bellum porro Abrahami adversus Regem Helami Cedor-Laomor, ejusque socios Gen. 14. perspicue recenseri ab Homero L. 3. profitetur Noster, atque inprimis historiam Melchisedeci. Dicit enim Nestor v. 278. seqq. se & suos venisse ad Σούνιον ἱερὸν ἄκρον Ἀθηνῶν, *ad hospitalem supremum Sacerdotum fortissimorum*. Σούνιος enim Autori nostro est h. l. a זונא *Souna*, hospes, qui cibum & alimentum præbet. Ibi ergo ait Nestor Φοῖβος Ἀπόλλων κατέπεφνε Με- c. 7.

νελάῳ κιβερνήτην ἀγαυοῖσι βέλεσσι, *Sacerdos auguste sancteque colendus fecit respirare Menelai sodalitium nutans ac delassatum a prælio, suis panibus ac phialis vinariis.* Postremum venisse se Nestor ait v. 287. ad μαλειάων ὄρ῀, ubi notentur decimæ, quas Abrahamus obtulit Melchisedeco: nam מלאים *Miluim* esse oblationes, consecrationes. Sed & ex εὐλογία ejusdem Gen. 14, 9. sumptum esse, quod Homero Deus vocatur Ζεὺς αἰγίοχ῀ v. 42. & Ποσειδάων γαιήοχ῀, v. 55. *excelsus possessor cœli atque terræ, Deus in se sufficiens.* Spirare ergo in oratione Poetæ sermonem Sacræ Scripturæ. Et huic Deo esse sacrificatum, ἐνοσίχθονι κυανοχαίτῃ, v. 6. *punienti peccata, & nihilominus gratioso, ac condonanti peccatoribus.* Repetita enim hæc esse e verbis ipsius Dei, Exod. 34, 6. 7.
c. 8. Dignum nunc est videre, quid de immolatione Isaaci apud Homerum repererit Cl. Autor. Ubi notat primum, Abrahamum rem tantam filio non nisi sensim ac tractim insinuasse potius quam manifestasse: *Deus ipse sibi prospiciet de agno ad holocaustum*, Gen. 22, 8. Sic apud Homerum Minervam ad Nestorem, cum jam sacrificium Deo omnipotenti faciendum esset, dixisse, τοῖο γὰρ ὤρη, pro ὄρη, *adest enim tanti*, omnipotentis, *provisio.* Lib. 3. v. 334. Recte iterum Minervam dicere, se velle mane ire ad καύκωνας magnanimos, ubi sibi χρεῖ῀ debeatur neque νέον neque ὀλίγον, *ad principes sacerdotes holocausti*, ubi *sacrificium sibi debeatur, neq; juvenile neq; infantile.* v. 367. Hic cum filium Ulyssis Telemachum peti intelligeret Nestor, stupor equidem invasit omnes, v. 371. statim tamen illum (i. e. agnum mactandum h. l.) manu apprehendit, hortaturque, ut jam nunc haut ignavus sit neque imbellis: Deos enim illum comitari. Actutum vero Nestor orat Minervam, ut sibi propitia sit, & largiatur pro Telemacho sacrificare bovem legitimam, indomitam, quam nemo vir jugo subdiderit, h. e. juvencam optimam, v. 373-383. Et hanc esse dicit Noster expressionem poetæ ad verba Scripturæ, Num. 19, 2. & Deut. 33, 17. Atque audivisse in hos Minervam senem illum, effusasque deinde d ras devotioni debitas super hostiam bovis jugulationi destinatam. Describi hic etiam ritus agni Paschalis mactandi & comedendi *a tota quaque* familia. Interea vero Telemachum, (habitum velut mortuum,) domi a suis ablutum, unctum & indusio pulchro tunicaque fuisse indutum, v. 437-468. se-

secundum morem pollincturæ. Sed sistendum hic. Jamdudum enim excitatum in animis Lectorum arbitramur desiderium videndi tum reliquas in Opera Homeri meditationes, quas se ait habere confectas, tum alia scripta Cl. Crœsii, quæ p. 6. 84. 147 promittuntur.

THESAURUS ANTIQUITATUM GRÆCARUM contextus & designatus ab JACOBO GRONOVIO. Volumen Nonum & Decimum.

Lugduni Batavorum, apud P. van der Aa, 1701, fol.
Vol. IX constat Alphab. 8, plag. 21.
- X -- Alphab. 10, plag. 16.

SEries Scriptorum, quæ in nono Volumine inveniuntur, hæc est: Jani Cornarii, Medici Physici Zwiccaviensis, *de Conviviis veterum Græcorum libellus*, pag. 1. Andreæ Baccii *de Conviviis antiquorum, deque solenni in eis Vinorum usu, atque ritu Cœnarum sumtuosissimo, libri quinque*, pag. 21. Jo. Baptistæ Casalii *de Tricliniis, Conviviis, Hospitalitate & Tesseris veterum exercitatio*, cum figuris, p. 121. Josephi Laurentii opuscula *de Conviviis, Hospitalitate, Tesseris & Strenis*, p. 161. Jacobi Sponii *de origine Strenarum dissertatio epistolica, historico-moralis*, p. 205. Jacobi Philippi Tomasini *de Tesseris Hospitalitatis liber singularis, in quo jus Hospitii universum, apud veteres potissimum, expenditur. Accedunt quædam ex Ant. Augustino, & Jo. Chifletio, ad majorem illustrationem hinc inde inserta*, cum figuris, p. 213. Josephi Laurentii *de Prandio & Cœna veterum, ac de aliis ad eadem spectantibus, miscellanea*, p. 285. Petri Castellani ΚΡΕΩΦΑΓΙΑ, *sive de esu carnium libri IV*, p. 353. Hieronymi Mercurialis *de Potionibus ac Edulis antiquorum mantissa*, p. 465. Joannis Freinshemii *dissertatiuncula de Calida Potu*, p. 493. Adriani Turnebi *de Vino ac ejus usu & abusu libellus*, p. 517. Jo. Henr. Meibomii *de Cervisiis veterum, potibusque & ebriaminibus extra vinum aliis commentarius*, pag. 537. Jo. Baptistæ Casalii *de Thermis & Balneis veterum tractatio*, cum figuris, p. 633. Petri Servii *de Odoribus dissertatio philologica*, p. 645. Lazari Baysii *de Vasculis libellus, sive animadversiones in tractatum de Auro & Argento legato*, cum fi-

gu-

guris, p. 677. Pomponii Gaurici *de Sculptura, sive Statuaria liber*, p. 725. Ludovici Demontiosii *commentarius de Sculptura, Cælatura gemmarum, Scalptura & Pictura antiquorum, libri duo*, p. 777. Aldus Manutius Pauli Fil. *de Cælatura & Pictura veterum*, p. 803. Philostratus *de Pictura*, p. 807. Julii Cæsaris Bulengeri *de Pictura, Plastice, Statuaria libri duo*, p. 809. Jo. Baptistæ Casalii *de Insignibus, Anulis, Fibulis, &c. syntagma* cum figuris, p. 893. Josephi Laurentii *de re Vestiaria syntagma*, pag. 921. Otthonis Sperlingii *de Crepidis veterum diatribe*, p. 961. Theodori Gazæ *de Mensibus Atticis liber, ex interpretatione Jo. Perrelli*, pag. 977. Jo. Perrelli *de ratione Lunæ Epactarum, & mensis intercalarii commentariolus*, p. 1009. Petri Hagueloni *Calendarium trilingue, seu de Mensibus Hebræorum, Græcorum & Romanorum dialogus, ex optimis quibusque auctoribus collectus*, pag. 1017. Joannis Lalamantii *dissertationes tres*, I. *de Tempore & ejus partibus*, II. *de Anno Macedonum, seu Græcorum*, III. *de Anno Attico*, p. 1041. Petri Castellani *de Mensibus Atticis, nec non de Mensibus & Anno Græcorum, Atheniensiumque diatriba*, p. 1081. Samuelis Petiti *de Anno Attico eclogæ chronologicæ*, p. 1109. Stephani Pighii *Themis Dea, seu de lege divina*, p. 1137. Ejusdem *Mythologia* ΕΙΣ ΤΑΣ ΩΡΑΣ, *vel in anni partes*, ex symbolis antiqui cujusdam toreumatis argentei, quod extat apud Rev. D. Antonium Perrenotum, Episcopum Atrebatensem, cum figuris, p. 1185. Jacobi Usserii *de Macedonum & Asianorum Anno Solari dissertatio, cum Græcorum Astronomorum parapegmate, ad Macedonici & Juliani anni rationes accommodato*, p. 1205. Josephi Laurentii *de Annis, Mensibus, Diebus, Horis, &c. tractatio*, p. 1269. Phlegontis Tralliani *de Olympiis fragmentum*, cum Latina interpretatione & notis Jo. Meursii, p. 1289. Erycii Puteani *Olympiades, sola manu, ut vere annis mundi respondent, computatæ*, p. 1297. Joannis Meursii *Denarius Pythagoricus*, sive de numerorum, usque ad denarium, qualitate ac nominibus, secundum Pythagoricos, liber singularis, p. 1329. Joachimi Camerarii *historia rei Nummariæ*, sive de Numismatis Græcis & Latinis, p. 1401. Leonhardi Porcii *de re Pecuniaria antiquorum, & de eorundem Ponderibus, Mensuris, Stipendiis militaribus &c. libri duo*, p. 1433. Josephi Scaligeri, Jul. Cæs.

Cæſ. F. *de re Nummaria antiquorum diſſertatio, liber poſtumus.* Ex Bibliotheca Academiæ Lugd. Bat. p. 1493. Willebrordi Snellii R. F. *de re Nummaria, liber ſingularis*, p. 1549. Caroli Patini *de Numismate antiquo Auguſti, & Platonis epiſtolâ*, p. 1589. Sebaſtiani Fæſchii *de Numo Pylæmenis Evergetæ, Regis Paphlagoniæ* epiſtola, pag. 1601.

In præfatione pro more adnotat loca, vel perperam citata, vel non ſatis intellecta, hocque adeo nomine varia doctrinæ & antiquitatis capita illuſtrat, & de Græciæ monimentis optime meretur. Inter alia iſta Philonis *de plantatione Noæ* verba: προσφέρειν τοῖς οἰνοχοουμένοις κελεύοντες, quæ a Freinshemio de Calidæ Potu cap. I. §. 1 citantur, explicat, affirmatque, προσφέρειν τοῖς οἰνοχουμένοις dici convivas, qui os & labia componant ad ea, quæ infuſa ſunt, haurienda, atque adeo admoveant vel calici vel patinæ, ut inde guſtent, ac veſcantur. Hinc conficit, Jo. Freinshemium minus idoneam interpretandi rationem ſecutum eſſe, quando οἰνοχουμένους *pincernas* convertit. Quod ad Laurentii ſchediaſma *de Medicis ac Balneis antiquorum* attinet, monet verba de Antonio Muſa, quæ exhibentur col. 625, non eſſe Dionyſii Halicarnaſſei, ſed Dionis Caſſii Coccejani ex libro LIII, pag. 517. Eadem ſcribendi levitate factum eſſe, ut in ſchediaſmate de *Re Veſtiaria* col. 944. loco Juſtini de Lyſimacho & leone præſcripſerit Suetonium. Eodem errore ductus eſt Jo. Bapt. Caſalius *de Inſignibus, Anulis, Fibulis*, qui col. 898 Hirtii verbis de Scipione Africano agi putat, cum intelligatur ſocer Pompeji. Non minus in Pighii Themide col. 1154 prave legitur: *verum D. Lactantius Uranum Latine Cæleſtum interpretatur*; quum reſpiciat ad verba capitis XI lib. I de falſa religione: *Jupiter in eo loco ſuſpexit in cælum, quod nominatur* Οὐρανός. Id vero admodum juvenile videtur, quod Ludovicus Demontioſius *de Sculptura* col. 784 pronunciavit, Bruto nempe, qui Reges expulit, ſtatuam poſitam non fuiſſe. Aliter enim Suetonium in Jul. cap. 80 tradidiſſe, his uſum verbis: *Subſcripſere quidam L. Bruti ſtatuæ, utinam viveres!* Non minus rejicit, quæ paulo ante citatus Pighius col. 1168 ſcribit: *Itaque Veneri ſacer pecten eſt, quem idcirco* Cytheriacum *appellat Naſo Poeta de Salmaci canens: Sæpe Cytheriaco deducit pectine crines;*

quum

quum in loco illo jamdudum ediderint *Cytoriaco*, & nimis esset confusum, ut quod Themidi proprium symbolum datum fuit, tamen diceretur Venerium. Imo vero rem sponte loqui, & Cytorum montem rasile buxum suum pectinibus faciendis approbavisse etiam per ipsos Poetas.

Volumen decimum uberem ingeniorum copiam & varias exercitiorum amoenitates recenset, cujus scripta hoc se ordine excipiunt: Ludovici Cresollii *Theatrum veterum Rhetorum, Oratorum, Declamatorum, quos in Græcia nominabant* ΣΟΦΙΣΤΑΣ, *expositum libris V*, p. 1. Diligenter hoc opus in præfatione celeberrimus Gronovius persequitur, variosque nævos indicat, e. g. quod col. 204. scribat, Apollonii sectatores in Græcia nominatos fuisse Ἀπολλωνίου ἠκίας, cum legendum sit Ἀπολλωνίου σκιάς. Origenis PHILO-ΣΟΦΗΟΤΜΕΝΩΝ *fragmentum*, quod ex bibliotheca Medicea descripsit, ac notis illustravit Jacobus Gronovius, *Græce & Latine*, p. 249. Meminerunt jam pridem hujus opusculi viri clarissimi, Lucas Holstenius, Joannes Pearsonus, Ægidius Menagius, (qui partibus inde petitis observationes suas ad Diogenem auxit) & Petrus Daniel Huetius. Id solummodo interest, quod Menagius & Huetius non ipsi Origeni, sed alii potius sub Origenis nomine latenti tribuant. Quos proinde Gronovius confutat, ac inprimis Huetii objectionibus respondet. Descripsit vero Gronovius ex codice, chartaceo illo quidem, at auro pretiosiore, quippe unico, in quo emendatissimum sit Arriani Ἀναβάσεως Alexandri Magni exemplar, eadem manu scriptum, & unde Gronovius olim egregia illa ejus Scriptoris supplementa, & nuperrime opus integrum edidit. Præterea cum ipsum codicem esse ait, in quo Hieroclis ad aurea Pythagoræ Carmina eruditissimus commentarius tam integer & inviolatus exhibeatur, ut non aliunde æque, ac ex hoc ipso volumine, colligi possit, quam maculosi codices ab typographis nostris, ad multiplicanda exemplaria usurpati fuerint. Dividit Origenes in hoc fragmento Philosophos in quatuor classes, Physicos, Ethicos, Dialecticos, Barbaros, id est Brachmanes & Druidas, singulorumque opiniones refert, & refutat. Sequuntur hunc libellum Guilielmi Morellii *de veterum Philosophorum origine, successione, ætate & doctrina tabula compendiosa, cum Hieronymi Wolfii annotationibus*, p. 293. Davidis Chy-

Chytræi *Tabula Philosophica, sive series Philosophorum, & secta-* *eorum præcipua, a Thalete & Socrate inprimis, usque ad Cicero-* *nem deducta*, p. 346. Desiderii Jacotii *de Philosophorum doctrina libellus*, p. 349. Joannis Meursii *Æschylus, Sophocles, Euripides, sive de Tragœdiis eorum libri tres*, nunc ex ipsius Auctoris chirographo aucti, p. 393. De Æschylo Meursii tradit, multa ex ipso decerpsisse Thomam Stanlejum, imo integras fere paginas 638, 639, 640, 641, 642, 643, 644, 645, deberi huic opusculo, quod tamen maluerit Stanlejus lectori permittere ad cogitandum, quam ipse confiteri. Plutarchi *Alexandrina Proverbia Græca*, ex Bibliotheca Medicea, *cum interpretatione Latina Jacobi Gronovii*, nondum antehac edita, extant in præfatione, pag. 6 seqq. Descripsit hæc Proverbia, beneficio Illustris Magliabequii, Clarissimus Gronovii nostri Frater, eaque digna judicavit Noster, quæ huic Thesauro insereret. Extant nonnulla ex Proverbiis apud Erasmum citatis (is enim allegat Plutarchi Collectanea, sicut quoque duo Adagiorum libri inter amissa Plutarchi opera referuntur) in hoc libello; quamvis Erasmo ad manum videatur fuisse aliquid auctius, quum ex illis Plutarchi collectaneis etiam ab eo citetur, quod in hoc numero non deprehendes. Sunt eorum CXXXI, & his verbis finiuntur: Πλουτάρχου παροιμίαι, αἷς Ἀλεξανδρεῖς ἐχρῶντο; quanquam Gronovio non ipse Plutarchus, aut certe non solus ea collegisse videatur. Joannis Meursii *Theseus, sive de ejus vita rebusque præclarissime gestis, liber singularis*, pag. 465. Raphaelis Tricheti du Fresne *Epistola de Charondæ effigie in Catanensi nummo expressa, apud Petrum Seguinum in nummo argenteo*, pag. 569. Joannis Meursii *Dionysius*, sive de Auctoribus istius nominis, eorumque scriptis, liber singularis, & nunc primum ex chirographo Auctoris editus, p. 577. Ejusdem *de Heraclide, aliisque ejus nominis & eorum operibus dissertatio*, nunc primum ex chirographo Auctoris edita, p. 605. Ejusdem *Theophrastus*, sive de illius libris, qui injuria temporis interciderunt, liber singularis, pag. 621. Ejusdem *Lectiones Theophrasteæ*, in quibus eorum librorum, qui supersunt, loca aliquot emendantur, p. 647. Accedit Adolphi Vorstii epistola de obitu V.C. Jo. Meursii ad filium ejus Joannem, juvenem præstantissimum, ut & Epitaphia in ejusdem mortem per A. Buchellium,

& Nicolaum Heinsium, p. 654. *Manus Æneæ Cecropii votum referentis dilucidatio, Auctore Jacobo Philippo Tomasino*, cum figuris, p. 657. Octavii Falconerii *de numo Apamensi, Deucalionei diluvii typum exhibente, dissertatio*, pag. 672. Georgii Schubarti *enarratio parergica metamorphoseos Ovidianæ de Diluvio Deucalionis*, p. 701. Tanaquilli Fabri *vitæ Poetarum Græcorum, ex Gallico idiomate in Latinum translatæ*, p. 740. De Latina vitarum harum versione ita censet, non inscite modo a Gallicis Latina recedere, sed nævos quoque Tan. Fabri studiis indignos, & historiam ac rem ipsam violantes, occurrere. Josephi Barberii *de miseria Poetarum Græcorum liber*, p. 797. Petri Castellani *vitæ veterum & illustrium Medicorum, qui toto orbe usque ad Seculum XIII floruerunt*, p. 853. Jo. Henrici Bœcleri *de Scriptoribus Græcis & Latinis, ab Homero ad initium seculi post Christum natum decimi sexti, commentatio*, pag. 905. Helladii Besant noi *Chrestomathiæ: Græce, cum interpretatione Latina & notis Joannis Meursii*, p. 949. In his notis col. 952 f. extat operosissima operum Callimachi enumeratio, quam in editione Callimachi, quæ ante aliquot annos prodiit, repetitam esse ideo ægre fert, quod Meursii nomen suppressum, hocque adeo modo industriæ Meursianæ nonnulla illata fuerit injuria. Joannis a Wower *de Polymathia tractatio: integri operis de studiis veterum ἀποσπασμάτιον, cum præfatione Jacobi Thomasii; accesserunt præterea Autoris vita & elogia in Polymathiam, item tabellæ Synopticæ*, p. 985. Josephi Laurentii *de Professoribus, Oratoribus, Nomenclatoribus & literis collectio*, p. 1161. Jo. Meursii *Bibliothecæ Græcæ libri tres*, ex chirographo Auctoris nunc primum editi, p. 1181. Ejusdem *Bibliotheca Attica*, sive de antiquis Atticis scriptoribus, eorumque item operibus, libri IX, ex chirographo Auctoris nunc primum editi, pag. 1393. Leonis Allatii *de Patria Homeri liber*, cum figuris, p. 1553. Ejusdem *Homeri natales, cum interpretatione Latina Andreæ Bajani.*

A CON-

A CONFERENCE WITH A THEIST &c.
h. e.
COLLATIO CUM THEISTA, CONCERNENS *doctrinam de Animorum Immortalitate. Pars V. Autore GULIELMO NICHOLLS, S. Theolog. Doct.*

Londini, apud Thomam Bennet, 1703, in 8. plagg. 18.

PUtabat Vir Clarissimus, postquam quatuor voluminibus in Actis nostris A. XCVI p. 537, XCVII p. 367, Supplem. T. II p. 273, & A. DCC p. 325 non negligenter recensitis, Religionis revelatæ fundamenta adversus profanos homines defendisset, vacationem sibi haud immerito ab ejus generis labore deberi, cum editis *posterioribus de animorum immortalitate cogitationibus*, nescio quis, (*Estibium* enim *Psychalethem* appellat ipse) denuo zelum ejus provocaret. Ejus itaque cavillationibus Dialogo, quem hic instituit, satisfaciendum sibi esse putavit, quo Estibium ipsis verbis paulo ante nominati libri suam, Credentium vero & Philologum veritatis causam agentes, nobis sistit. Initium facit huic disputationi a confutatione persuasionis Estibii, quasi periculo careat hic error suus, si error sit, de animis una cum corpore extinguendis, quandoquidem restituenda corpora animata in extrema die esse concedat, & explodendis illis, quas Estibius allegavit, creditæ a plerisque mortalium immortalitatis causis, quas educationem, & emolumenta, quibus sacrorum inhient antistites, ille esse existimaverat. Inde ad ipsa argumenta progreditur: quorum primum Estibius desumserat a dissensu Philosophorum circa spiritualem & immortalem animorum naturam, qui cum nihil nos doceant de animo certi, hoc visum exploratissimum primo fuerat Estibio, animum accidens esse, non substantiam, & quidem nihil aliud quam motum in materia seminali cum sensu conjunctum. Quem conceptum tamen Nostler vel hoc uno absurditatis revinci putat, quod hac ratione Adamum tantundem vitæ & motus habuisse necesse sit, quam omnes una mortales, quandoquidem ab eo ceteri omnes fuerint derivati, nihil vero plus, quam ipsum habeat, motus cum altero possit communicare. Quin & motum cum sensatione concipere

sibi

ſibi non minus difficile videri, quam viridem motum concipere vel amarum. Inde definitionem animæ ab Eſtibio allatam, quod ſit afflatus, materiæ in creatione Divinitus infuſus, examinat, & ex ipſa narratione Moſis, ad quam reſpicere illa videtur, probat, diſtinctam toto genere animam a materia eſſe. Cumque porro Eſtibius multum inſervire hypotheſi ſuæ poſſe exiſtimaverit, ſi evincere poſſit, bruta animantia ratione gaudere, eam ſententiam diligenter impugnat Noſter. Utque difficile imprimis ſolertiæ quorundam animalium, barrorum, equorum, canum ſolvat phænomenon, non a ratione brutorum, ſed ratione Dei hoc eſſe ait; quod quantum abludat ab eorum ſententia, qui Deum tanquam Spiritum univerſi ſibi concipiunt, viderit doctiſſimus Autor Meditationum de Cometis, cui nuper multorum Philoſophorum ſapientiam ſuſpectam reddidere ejus generis lemmata. Sed præcipua in eo verſatur controverſia, an pura puta machina homo ſit, mechaniceque eas, quas menti vulgo tribuimus, operationes producat. Negativam ſententiam iſtas potiſſimum conſiderationes evincere, Autor arbitratur. Quod certum ſit, cogitationem ſine mechanico motu dari in Deo, quodque aliquam organorum mechanicorum conſtructionem atque combinationem cogitationem producere, nullo argumento, nullo modo poſſit oſtendi. Sed tamen adeo a motu ſanguinis & animalium ſpirituum pendere in operationibus ſuis animam, ait Eſtibius, ut ſibi vel ob hanc cauſam ejus immaterialitatem & immortalitatem nequeat perſuadere: cui id imprimis opponit Noſter, quod anima non ſit tale agens, quod omnia in materiam poſſit, quodque adeo inſtrumento corrupto, non mirum ſit, minus expedite ſuum ei procedere opus. Interea tamen ne in iis quidem, quorum corruptiſſimum cum ſpiritibus animalibus cerebrum, furioſis & mente captis, omne perire mentis rationalis indicium, argumento evidenti, illud a materia non pendere penitus. Quod facile ſeparari adeo mens a corpore poſſit, materialitatem ejus non probare; nam iſtam rem legibus conjunctionis a Creatore ſancitis eſſe tribuendam, & deſtructum inſtrumentum, tanquam ſibi inutile, deſerere animam. Nec eſſe, quod hic opponatur difficultas expellendi ſpiritum malum e corpore hominis obſeſſi; ejus enim in illo perſeverantiam pendere,
ſub

sub directione Dei, a voluntate spiritus illius, nec esse eandem conjunctionis animæ cum corpore, quæ ab arbitrio illius non pendeat, sed recta corporis constitutione, rationem. Quod incrementa capiunt per varias ætates animæ vires & potentiæ, materialis naturæ argumentum non esse: nam illa mentis incrementa, corporis haut deberi extensioni per illas ætates crescenti, vel hoc evincere, quod optima mens non sit ea semper, quæ maximam corporis molem animat, adeoque a cultura illa esse mentis, & educatione, atque experientia, quæ uno momento perfici non queat. Sed si immaterialis est anima, quam rationem reddemus stuporis in illis, agilitatis in aliis hominibus? quam a materiæ temperie optime Estibius derivari posse credit. Ipsas itaque mentes, in primis originibus suis, majores minoresque sortiri perfectiones, & rationibus & Scripturæ testimoniis firmat Autor, imo & instrumenti perfectionem, hoc est corporis hujus temperiem, aliquid huc conferre posse; unde tamen non magis possit probari, animam esse materialem, quam aerem esse ejus naturæ, cujus est tibia quam inflat, eo quod motum & sonum aeris aliquo modo ab hujus structura pendere, manifestum sit. Quod vero porro urgetur, magis rationi convenientem esse mortalitatem animæ & materialitatem, eo quod facilius concipiatur; in eo & hoc negatur, quod rationi maxime conveniens semper sit, quod facillime concipitur, & quod facilius concipiatur mortalitas animæ quam vita perennis: at cum disputatio de istorum posteriori non dissimilis sit disputationi de gustibus, priori forsan optime inhæreas, & Autor quoque illud inprimis urgere videtur. Non opus vero, ut prolixi simus in iis commemorandis, quæ reponit Estibio urgenti, quod doctrina de interitu animæ, ut ab ipso proponitur, moraliter non sit turpis, quodque contra, superstitiosis pro mortuis precibus, & doctrinæ de purgatorio fundamenta substernat, quæ obtinuit de animæ immortalitate sententia. Certe enim ubi de rei simpliciter veritate instituitur quæstio, supersedere poterunt disputantes illarum quæstionum utraque, & posteriori imprimis facile vel mediocriter sapientes respondere, non erat difficile. Nec magis merebatur responsionem argumentum, quod impossibile non sit, animam interire atque redire, cum hic de eo, quod evenit, non vero de eo, quod evenire

po-

poteſt, ſit quæſtio. Quod vero ſententiam, immortalitatem defendentem, in multis parum apte cohærere Eſtibius arguit, in eo non male induſtriam Cl. Autor locavit. Quod ex immaterialitate immortalitas non recte inferatur, concedit; nam & brutis animantibus immateriale principium largiendum eſſe exiſtimat, quibus tamen immortalitatem vindicare non audet; at ex fine creationis humanoque animo, qui idem perſiſtat ſemper, continuationem quoque conſervationis eorum inferendam putat. Sed quid ſi argumento illo, ad mundi totius durationem æternam demonſtrandam, cum Platonicis aliisque Philoſophis aliquis utatur? Animam, quæ ne in vita quidem ſemper cogitet, ad judicii usque diem cogitandi ſuſpendere actum, atque adeo ad tempus non vivere, non abſurdum viſum Eſtibio; at præſuppoſitum negat cum Carteſio Noſter. Difficultates circa unionem ſpiritus & corporis motas ita ſolvit, ut dicat eſſe unionem actionis & paſſionis, animumque corpori præſentem eſſe per ſuam *ἐνέργειαν*. Ex eo, quod Hebraica vox נפש *vitam* ſignificat in ſacris literis, non ſequi, animam eſſe materialem; eam enim vocis notionem ceteras, & hanc imprimis, qua *mentem* deſignat, non excludere; idque eo firmatur, quod omnia naturæ ſpiritualis & cogitantis attributa נפש ־ל in ſacris adſcribantur. Immortalitatem in Scripturis tribui animæ, temerario auſu negari; contrarium enim ex Eccl. XII, 7. Matth. X, 28. Luc. XXIII, 43. 2. Cor. V, 6. Apoc. XIV, 13. 1. Corinth. V, 23. patere. Ludicrum plane eſſe, quod ex eo, quod Salvator mortuos excitans, *redi anima in corpus tuum*, dixerit nunquam, argumentatio inſtituatur, ſed *ſurge juvenis &c.* Hoc enim, inquit Autor, eſt poſtulare, ut omnia dixerit Servator, quæ dici poterant; voluiſſe autem eum voce *ſurge* poteſtatem indicare ſuam, mortuis vitam reſtituendi. Quod animæ ſuperſtites non appareant, id quod nunquam fieri abſonum viſum Eſtibio niſi extinguerentur, inde eſſe, quod certis legibus ſint in ſtatu ſeparationis adſtrictæ animæ: imo apparere quandoque, fide dignorum hominum teſtari narrationes. Argumentum ex hiſtoria lapſus ſumtum, quæ doceat, per peccatum mortalem factum hominem totum, adeoque & animam ejus, ſolvitur diſtinctione inter mortem ſpiritualem, quæ ſit amiſſio vitæ divinæ, & phyſicam; hanc corporis, animi eſſe il-

illam. Quod dicitur, pœnam vero non esse mortem corporis, qua anima ærumnis illius liberetur; id valere de restitutis per Christum conceditur, non vero de impiis, quibus per mortem hujus vitæ detrahantur solatia, gravissimis & insolabilibus malis inde succedentibus. Nec ex doctrina de animæ immortalitate sequi, corpus, quod hac ratione in se spectatum pro mole materiæ ignava, vitæ ac sensus experte, habeatur, adeoque in peccati partes venire nequeat, injuste post resurrectionem puniri; proprie enim corpus pœnas non sentire, sed animam puniri per corpus, per quod etiam peccaverat. Quod Apostolus ait, in extrema die superstites mutandos esse, ita cum animorum immortalitate esse conciliandum, ut non quoad immortalitatem, sed quoad ceteras qualitates, & relationes inprimis ad hoc corpus, mutandæ esse dicantur. Nec absonum esse, animæ superstiti felicitatem adscribere, ejusque consummationem in extremam diem differri dicere. Nec inde sequi, duplex judicium esse admittendum: bonas enim animas, quæ influxu gratioso bonitatis divinæ, & expectatione manifestandæ penitus gloriæ, beatæ sint, nullo peculiari discretionis judicio opus habere, ante solennem istum nobis præfixum diem: similemque impiorum etiam esse rationem. Redemtionem vero Christi, quæ totum hominem concernit, animæ immortalitati non obstare; eam enim a morte spirituali, ut corpus a physica, liberatam fuisse. Loca Scripturæ, quæ renovationem animæ ad diem judicii differunt, centies explicata fuisse & vindicata. Novam denique non esse illam doctrinam, quod Esthibius urserat. Apud Græcos enim, diu ante Platonem & Thaletem, eam viguisse, ex Homero patere; Senecam Ep. CXVII apud omnes gentes eam receptam esse agnoscere, quod inductione quadam facta ostenditur, indeque concluditur, in ipsis incunabulis generis humani eam traditam fuisse, quæ alias late adeo non potuisset propagari. Inprimis vero Judæos hanc doctrinam semper tenuisse, contra Esthibii cavillationes defenditur, disputationibusque finis gravibus quibusdam monitis imponitur.

NOVA

NOVA LITERARIA.

Vidimus non ita pridem articulum novi Operis, quo, ut in his Actis libri nuper editi recensentur, ita in vicina Academia Jenensi librorum veterum selectissimi protrahentur in lucem, & ex iis Excerpta luculenta exhibebuntur. *Bibliothecæ Antiquæ* nomen præferet, & per mensium intervalla publicabitur; quemadmodum jam primum illius segmentum mense hujus anni Januario publici juris factum fuit. Specimen rei a Paulo Colomesio in *Bibliotheca Selecta* dudum fuisse editum, in Actis nostris A. 1684 p. 313 sqq. memoratum a nobis meminimus. Neque ignoramus, simile quid anno 1702 tentatum fuisse Parisiis, mense illius anni Julio publicari cœpto & post continuato libello: *Essais de Litterature pour la Connoissance des Livres*; qui & Hagæ Comitum, sed additis subinde Viri docti alterius censuris, recusus est. Verum cum post mensem Julium anni 1703, nihil ad nos illius opusculi pervenerit, parum abest, ut abruptum illud, quod tot aliis hujus generis scriptis accidit, arbitremur, eoque magis calcar addamus Doctissimis Bibliothecæ illius Antiquæ Collectoribus, ut institutum saluberrimum strenue prosequantur. Qua occasione non dubitamus quoq; celeberrimæ Academiæ de novo incremento gratulari, quod cognovimus, non solum Historiarum Professionem, postquam per aliquot annos vacasset, tandem Eruditissimo ac Diligentissimo Viro, *Burchardo Gotthelff Struvio*, τοῦ πάνυ Georgii Adami Filio, demandatam, sed inprimis quoque Reverendæ Facultati Theologicæ meliorem nunc lucem affulgere, cui ornandæ deinceps Viri magnis in Rempublicam Literariam meritis Clarissimi, *Michael Förtschius*, & *Johannes Franciscus Buddeus*, hic ex Fridericiana, ille ex Tubingensi Academia evocati, studium suum operamque impendent. Inter libros ex his regionibus expectandos, elegantiorum literarum cupidis Clarissimi Viri, *Wilhelmi Ernesti Tenzelii*, Saxonia, ut vocat, Numismatica, seu Nummophylacium Numismatum Mnemonicorum & Iconicorum, a Serenissimis Electoribus Ducibusque Saxoniæ cudi jussorum, indicari præcipue meretur; cujus partem primam, quæ a Duce Alberto, Albertinæ lineæ Conditore incipiet, & in Electore Augusto desinet, proximis nundinis Lipsiensibus certo nobis pollicemur. Hanc quo ordine excepturæ sint partes aliæ septem, peculiari programmate ipse Auctor celeberrimus exposuit, quod apud *Philippum Wilhelmum Stockium* Bibliopolam nostratem prostat.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Martii, Anno MDCCV.

MELCHIORIS LEIDEKKERI, SS. THEOL. D. & PROF. de Republica Hebræorum Libri XII.

Amstelodami, apud Isaacum Stokmans, 1704, in fol. Alph. 9.

OMnium rerum, adeoque & studiorum esse vicissitudinem, ac proinde ut omnibus nos utiles præbeamus, serviendum non raro tempori venire, observat in Præfatione doctissimus Leidekkerus. Fuisse sane ait, cum vigerent admodum controversiæ de Religione. Inde vero Viros eruditissimos animum ad pietatis praxin in Scholis & Ecclesiis excolendam applicuisse, & simul commendasse Scripturæ Sacræ analysin & meditationem, ne quædam modo illius particulæ inspicerentur, ut fieri consueverat in controversiis, sed omnis Divini verbi œconomia perspecta haberetur. Ac cum linguarum Orientalium peritia eo maxime inserviret, Philologiæ studium Theologiæ conjunctum fuisse innuit, in quo certe Lutheranos, Hackspanium, Dilherrum, Glassium, Carpzovium, Frischmuthum, Wagenseilium, aliosque excelluisse uti haud dissimulat, sic Reformatis quoque laudem illam cumprimis deberi addit, cum nemo nesciat, Buxtorfios, patrem & filium, Hottingerum, Erpenium, l'Empereurium, Sixt. Amamam, Coccejum, Leusdenium, Lightfootum, Seldenum, & reliquos, quorum vestigiis hodie insistant Witsius, Marckius, Triglandius, Vitringa, Braunius, Hulsius, Rhenferdius. Qua de causa & suam mentem hæcce studia revocasse fatetur, quippe cum ad Philologiæ sacræ fontes ab adolescentia perductus fuerit, tanto quidem cum progressu, ut doctore Judæo usus, Rabbinorum scripta

le-

legerit, quando vix annos ſeptendecim natus fuerit. Nec unquam ſe intermiſiſſe teſtatur linguarum Orientalium ſtudia, dum verbi fungeretur miniſterio, ac ſi id unum agere libuiſſet, hodie inter linguæ Hebrææ peritiſſimos ſe cenſeri potuiſſe, nullus dubitat; ſed remoram ſibi injeciſſe cauſatur horridum Talmud, quo viderit tot futilia contineri, & quæ ad bonam mentem nihil ſæpe proficiant. Nihilo ſecius neceſſe tandem fuiſſe aſſerit, ut Philologicis mentem magis, quam ante, appelleret. Poſtulaſſe etenim Juventutem Academicam Collegia ad Cunæum & Goodwinum, unde enatæ ſint ad Majemonidis quendam tractatum obſervationes, quæ orbi erudito haud diſplicuerint. Hinc ad Cunæum nonnulla notare ſe conſtituiſſe, quorum ſpecimina diſputationibus quibusdam ediderit. Rogatus vero, ut quæ haberet ampliora, luci publicæ exponeret, mutato conſilio Rempublicam Hebræorum deſcribere geſtiit in præſenti opere, de quo iſtam ſpem concipit, fore ut intelligat Lector, nullum extare volumen, quo tanta amplitudine Sacra & Politica Hebræorum Reſpublica depicta, aut Philologiæ Sacræ ſynopſis tradita fuerit. Ut igitur de tam illuſtri opere judicium ferre liceat & iis, quibus ejus videndi aut perluſtrandi copia nondum hucusque facta eſt, illius faciem paucis dare adumbratam juvabit.

Et libris quidem iſtud abſolvitur duodecim, quorum *primus* de *Gentis Hebræorum ſacerrima antiquitate* agit, & a nomine exorſus, cur eadem Hebræorum, Iſraelis, Judæorum appellatione gaudeat? disquirit. Proſapiam deinde Patriarcharum ab Adamo usque ad diluvium illuſtrat, atque inter alia ad Sethum delatus, de ejus columnis diſſerit. Prot-Evangelium de Semine mulieris curatius attendi jubet, idque adverſus varias detorſiones vindicat, ac Meſſiam & ſalutem per ipſum conſequendam iſtud promittere, oſtendit. De diluvio, de Filiis Dei, & imprimis de Gigantibus, varia in medium affert, ac diluvium hoc fuiſſe univerſale, probat. Hiſtoriam hinc Noachi & poſterorum, ad turris usque Babylonicæ æram perſequitur, deque ipſa turri Babylonica & linguarum confuſione diſpicit; iſtud vero, quod Judæi comminiſcantur de LXX linguis, ex confuſione Babelica ortis, & diſtributis per LXX nationes, fabulis accenſet; ſtatimque ad diſperſionem gentium, & originem nationum ex tribus Noachi filiis, contem-

templandam se confert, in sancta vero ex Noacho progenie, ad Abrahami usque ætatem se extendente, desinit. Heic notamus ex aliis, quæ de Cainane affert. Cainan nimirum verus ipsi ante diluvium est filius Enoschi, at falsus filius Arphaxadi, licet habeatur in Genealogia Christi apud Lucam. De eo autem dum Viri eruditi disputent, observari vult, Mosen, quando bis genealogiam Patriarcharum mox a diluvio texat, Cainanem prætermittere, idem fieri ab autore Chronicorum sero tempore post captivitatem Babylonicam, imo vero ibi Cainanem suum non interposuisse incautos & sui oblitos textus divini corruptores. In omnibus porro exemplaribus Græcis Cainanem non haberi, sed tantum in versione LXX virali, quæ multas passa corruptelas fuerit. Hinc τὸν Καϊνὰν forte in Luca primitus non fuisse, sed insertum esse deinde ab illis, qui versionem LXX Interpretum, ceu Prophetico Spiritu adornatam, ignari codicis Hebræi, nimium venerati fuerint.

Secundus liber de *origine gentis Hebræorum ex Abrahamo, Isaaco & Jacobo* agit, & usque ad illius statum in Ægypto sermonis telam pertexit. Postquam igitur de Abrahamo & ejus vocatione ex Ure Chaldæorum verba fecit, de Melchizedeko adversus P. Cunæum, fuisse hunc ipsum Dei Filium asserentem, late disputat. Circa fœdus Dei cum Abrahamo paulisper detinetur, ast diutius tamen hæret in circumcisione sacraque illius origine. Reliquam libri partem conficiunt Ismael & Ismaelitæ, Saræ mors, Isaaci vita, Esavi item & Jacobi historia, duodecim quoque Jacobi filii, gentis Hebrææ Patriarchæ.

Varium gentis Hebræorum apud Ægyptios statum dum Libro *tertio* Autor sub considerationem paulo penitiorem revocare aggreditur, post prolixam satis Dissertationem præliminarem *de fictitiis Ægyptiorum Dynastiis*, de Ægypto primum ipsa, & mox de ejus incolis horumque negotiis quædam promit. Uti vero studium sapientiæ apud Ægyptios extollit, sic eorum vicissim superstitionem atque idololatriam taxat, & in causam odii Ægyptiorum in pastores ovium inquirit. Notatu digniora circa Josephi præfecturam in Ægypto ubi excussit, & hunc Gentilibus minime ignotum fuisse demonstravit, Hebræorum in Ægypto sedes, negotia, victum, sacra commemorat, suppeditatisque de Jacobi testa-

mento & XII Patriarcharum morte obſervationibus, ad ſtatum & regimen Hebræorum Politicum in Ægypto pergit, non omiſſis inſuper eorum conjugiis, incrementis atque moribus. Afflictum de cætero eorum in iſta regione ſtatum, quidquid videatur aliis, ultra CCXV annos haud duraſſe, innuit.

Liber *quartus miracula Divinæ providentiæ in conſtituenda Hebræorum Republica* enarrat, cumque Deus primum ad tanta negotia vocaverit & inſtruxerit Moſen, ut eo ceu inſtrumento ſuæ providentiæ uteretur, idcirco de hoc Moſe ante omnia diſſerit, & ad res ſub ipſo geſtas delatus, de decem Ægyptiorum ſuppliciis, de egreſſu Hebræorum ex Ægypto, tranſitu per Mare rubrum, fontibus in Elim & de Manna, de aqua ex rupe profluente, de victoria ab Amalekitis reportata, de Politico Magiſtratu a Moſe inſtituto, legibus in Sinai latis, ſimilibusque materiis commentatur. Quin & Joſuam, Moſis ſucceſſorem, heic ſub diſpectum vocat, tranſitumque per Jordanem deſcribit, ac bella Joſuæ in Cananæos tangit; ultimo vero loco, poſt Chronologiam peregrinationis Iſraeliticæ in deſerto, antiquitates Gentium, earumque ſynchroniſmos cum hiſtoria Moſis & Joſuæ collocat.

Quintus liber *Theocratiam Hebræorum* ſibi præfixam gerit, legesque Moralem, Ceremonialem, Politicam, ac ſingularum corpora Juris ſpectat, hoc eſt, ſummam legum in certos titulos digeſtam ſiſtit, prout hos in lege Morali Decalogus, in reliquis vero libri Moſis paſſim ſuggerunt. Peculiares autem leges quasdam paulo accuratius indagat, legem puta agrariam, legem anni Sabbathici, & legem anni Jubilæi; cujus poſterioris dum meminit, ſimul de tempore Jubilæorum, utrum quovis XLIX an L anno celebrata ſint? disquirit, & qui poſterius affirment, maximis induci argumentis autumat. Tandem prout in antecedentibus ſubinde ad antiquitates & ſynchroniſmos Hebræorum atque Gentium reſpexit; ſic hoc in capite Nationum leges confert, & Joſepho, aliis deductis, contradicit, quando ille ex Moſe leges Gentium profluxiſſe perhibet.

Ad *Reipublicæ Hebræorum ſedes & incolas* Liber *ſextus* pergit, cumque Deus ſuam Theocratiam, non variis ſolum legibus, ſed & diſtributione terræ Cananææ illuſtriorem reddiderit, de hac

hac ipsa distributione per sortes facta dicere orditur, ac post Terræ Sanctæ extollit præstantiam. Civitates quoque Hebræorum uti generatim, sic primariam maxime urbem Hierosolymitanam lustrat, & cum civibus earum aliquandiu versatur, nec Proselytorum, qua justitiæ, qua domicilii seu portæ obliviscitur. Conjugia porro & divortia, Familiasque inter eos florentes, uti eorundem non minus negotia exponit, & quibus hæc reguntur, tempora, dies, hebdomadas, menses, annos metitur, & sub finem breve Kalendarium Judæis familiare subnectit.

Nullam Reipublicæ salutem esse, nisi cives suis utantur bonis, eorumque tranquilla gaudeant possessione, & quisque suo fungatur officio, spe præmiorum & metu pœnarum, Libri *septimi* initium præsupponit. Istum vero scopum cum sine *Politico Regimine* attingere haud liceat, idcirco de eodem latius disserere Autor nunc instituit. Derivat illud a primævo Magistratu, Senioribus populi, Principibus tribuum, capitibus Familiarum, Principibus civitatum, Chiliarchis, Centurionibus, Quinquagenis, Decurionibus, & eorum Ministris, qui שוטרים nuncupantur. His addit extraordinarios in Israele Judices, a quibus ad statum Reipublicæ reliquum, inde a morte Josuæ, ad Reges usque transit. Sed diutius circa statum sub Regibus exactum detinetur, sigillatim Saulem, Davidem, Salomonem ob oculos sibi proponens, & sacrarum pariter ac civilium rerum sub istis conditionem delineans. Synedrium magnum ac minus, Domumque Judicii Triumviralem, seu Triumvirorum quoddam collegium in civitate, quæ CXX incolas non haberet, una cum Judiciis quibusdam aliis describit, & ut horum justitiam in præmiorum ac pœnarum distributione consistentem, sic jura quoque belli ac pacis examinat.

Qui supersunt quinque Libri, circa Hebræorum sacra & religionem singuli occupantur, & *octavus* quidem per *loca sacra* divagatur, Tabernaculum puta Mosis, cujus ornamenta & supellex recensentur, Templum Salomonis, cujus varia fata perpendit, & ejus cum secundo Templo comparationem instituit, Synagogas dehinc, & tandem Excelsa atque Proseuchas. *Nonus tempora religione sacra* notat, Sabbathum ante omnia, Neomenias inde &

Festum clangoris, ac festa quolibet anno solennia, Festum Paschatos, Pentecostes, diem Expiationis, Festum Tabernaculorum, Festaque extraordinaria atque accessoria, quibus & jejunia associantur. *Decimus* liber *Personas sacras* producit, Sacerdotem puta magnum, quem suis in vestibus contemplatur,& Sacerdotes inferiores, Levitasque & Nethinæos, quas item opes & quos reditus Sacerdotes & Levitæ, quales thesauros Templum habuerit,enarrat, ac in contemplatione Prophetarum desinit. *Undecimus actiones in Religione publica sacras* spectandas sumit, videlicet doctrinam & conciones, sacrificia, oblationem, suffitum, sal, ligna, solennem expiationis diem, preces & benedictiones publicas, Psalmodiam sacram, Ministerium Templi & Regimen Ecclesiasticum. Tandemque liber *duodecimus* & ultimus *privatam Hebræorum Religionem* sistit, & non generatim modo eorum fidem, pietatem ac virtutes alias, sed & speciatim exercitia pietatis domestica laudat. Naziræorum & Rechabitarum vota præ cæteris pensitat, & quales se Hebræi in eleemosynis, in cibis & conviviis, in vestibus,in impuritatibus & lotionibus, in morte & sepultura, inque luctu gesserint, quæ spes æternæ vitæ & futuri seculi eos lactaverit, insinuat.

Hæc summa sint voluminis hujus capita, in quibus exponendis celeberrimus Autor non semper se Rabbinorum opiniones secutum fuisse perhibet, cum illi testes de antiquitatibus Hebræorum optimi haud sint; quanquam nugacissimas Judæorum antiquitates tacere noluerit, ut manifestum foret, non esse probæ monetæ, quæ ex illorum officinis venditantur. Cæterum Lectorem aliud adhuc volumen expectare jubet, quod statum Reipublicæ & gentis Hebræorum inde a schismate Jeroboami, in quo præsens terminatur, usque ad hæc tempora exhibiturum sit.

Sed antequam heic quiescere calamum jubeamus,de Appendice voluminis nonnihil adhuc dicendum est. Præfixum illa gerit titulum *Archæologiæ sacræ, qua de Divina rerum omnium origine secundum Mosis historiam, atque adeo de prima Hebræorum fide disseritur contra Gentes & quosdam Philosophos, ac præsertim adversus T. Burneti Archæologiam Philosophicam & profanam telluris Theoriam.* Inter Reipublicæ namque Hebræorum primaria fundamen-

menta locum obtinere monet principem doctrinam, de origine Universi Mosaica. Ab hac vero fide cum illi hodie deficiant, qui suas Archæologias Mosaicis opponant, ac cum refutare Scriptorem sacrum non audeant, eum mundi originem obscuro texisse velo comminiscantur, dum τὸ ἠθικὸν docere moresque instruere, non τὸ θεωρητικὸν & accuratam rei veritatem exponere intenderit; ideo ut Mosi sua constet autoritas, frontem iis obvertere æquissimum judicat.

CONCILIATION DE MOYSE ET DE S. E'TIENNE.

i. e.

CONCILIATIO MOSIS ET S. STEPHANI CIRCA *numerum Familiæ Jacobi.*

Amstelod. apud Petrum Brunel, 1704, 8. Plag. 7.

Qui sub literis U. P. R. D. L. R. nomen suum latere voluit Auctor hujus schediasmatis doctissimus, Critici cujusdam, qui nuper in Novis Literariis Jo. Bernardi, ἐναντιοφανείαν Mosis & Stephani, circa numerum familiæ Jacobi, conciliare tentaverat, exemplo excitatus est, ut hoc opusculum conscriberet. Siquidem hunc perfunctorie solum gravem istum scrupulum tractasse existimat; indeque ipse majori rem industria aggressus, eam se conciliandi methodum novam iniisse innuit, ut non solum verba Mosis Gen. XLVI, 26, cum effato Stephani Act. VII, 14 concilianda, sed & ea, quæ Gen. XLVI, 27, & Deut. X, 22 leguntur, inter se invicem & cum prioribus istis componenda esse existimet. Nam Gen. XLVI, 26 dici, omnes personas, quæ cum Jacobo in Ægyptum venerint, ex ipsius semine egressas, fuisse numero 66. At ejusdem capitis v. 27 affirmari, omnes personas familiæ Jacobi, quæ in Ægyptum venerint, fuisse 70. Porro Deut. X, 22, pronunciari, patres gentis Israeliticæ, qui in Ægyptum descenderint, fuisse 70: qui vero numerus cum præcedenti minime conveniat, quia ibi omnes personæ ad familiam spectantes; hic vero soli patres & familiæ propagatores numerentur. Denique Act. VII, 14 dici, familiam Jacobi, quam Josephus in Ægyptum abduxit, 75 capitibus constitisse.

Verum

Verum has difficultates Auctor noster, LXX virali versione vel ideo penitus statim repudiata, quod dubia magis augeat, quam minuat, ex solis fontibus Ebræis se soluturum pollicetur; eamque in rem, Chronologia familiæ Jacobi præmissa, præsupponit, Josephum, vivente adhuc Isaaco, anno Jacobi 91, inter Naphthali & Gad fuisse natum, dicique filium senectutis Jacobi Gen. XXXVII, 3, non quod natu fere minimus fuerit, ceu vulgo quidem credatur, sed quod seni Jacobo & gaudio fuerit, & auxilio singulari. Posthæc quinque instituendæ conciliationis ponit principia: nimirum Her & Onan, Judæ filios, eo quod ante ingressum familiæ in Ægyptum, obierint, plane hic non esse connumerandos, etsi in recensione familiæ Jacobi Gen. XLVI (quam tamen ad sequentes numeros v. 26 & 27 expressos plane non spectare, sed separatas suas rationes habere putat) sigillatim commemorentur: uxores & nurus Jacobi huc prorsus non pertinere; filias vero, ut membra familiæ, non vero ut capita populi, esse numerandas: eos qui Gen. XLVI recensentur, Jacobi posteros omnes reipsa non vixisse, cum ille in Ægyptum abiret; neque etiam id velle sacrum Scriptorem, quia per præfixum ל eo loco adhibitum solum indicetur, eos omnes Jacobo in Ægypto degenti (stylo Hebraico) advenisse, h. e. ab eo, dum viveret, visos: Jacobum, antequam fato fungeretur, omnes nepotes suos capita linearum, ut filii tribuum capita erant, constituisse: denique Josephum, antequam obiret, suos quoque nepotes inter capita linearum retulisse.

His ita constitutis, ipsam Auctor noster conciliationem instituit, ejusque nervum p. 54 omnium clarissime sequentem in modum exponit: Primum Gen. XLVI, 27 familiam Jacobi *physice* & ita considerari, qualis ex eo prodierit; quo pacto omnes Jacobi, quos in Ægypto agnoverit, posteros, sublatis prius per principium præsuppositum, Her, Onan & Dina (utpote quam non secus, ac istos, inter Cananæos mortuam contendit) at Josepho ejusque filiis cum Serah filia connumeratis, fuisse numero LXX. Secundo Gen. XLVI, 26 eandem familiam *politice* concipi, numerarique omnia populi capita, tam tribuum, quam linearum, quæ moriens Jacobus constituerit, quæque in Palæstina hæreditatem obtinuerint, & Num. XXVI sigillatim describantur: quorum numerus, re-

rejecta Serah, quippe fœmina, & Saule, Simeonis gnato (quem spurium, adeoque e numero capitum populi Divini exclusum existimat) fuerit LXVI. Tertio Deut. X, 12 recenseri eadem populi capita, additis etiam iis, quæ Josephus in tribubus Manasseh & Ephraim capita linearum recens creaverat, unde jam proveniant LXX. Denique Act. VII, 14 omnia omnino populi Israelitici capita, atque etiam Saulem (qui post decimam generationem Divina lege in censum populi receptus, & Deut. X, 12 jam connumeratus sit) & Levi ejusque tres filios, quorum in acquirenda Palæstinæ hæreditate nullum alias jus fuerit, ipsumque Jacobum, gentis universæ caput, enumerari, atque hinc numerum LXXV oriri.

Ceterum ὡς ἐν παρόδῳ, secundo hujus Dissertationis capite (nam XVII omnino capita continet) observat Auctor, suo quidem judicio manifestas transpositiones Chronologicas in Ebræis etiam Bibliis contineri, quando v. gr. mors Jacobi ante Josephi venditionem, & Josephi nativitas post fratrum natu posteriorum natales enarratur: in numeris vero fidem se codici Ebræo inviolatam habere. Tandem in adjecta Præfatione Marollium, qui in Jo. Bernardi Novis Literariis Auctoris hac de re cogitata, antea jam publice proposita, mense Aprili 1704 impugnaverat, eundo per capita refellit, pluraque alia consimilis argumenti scripta pollicetur.

AVIS SINCERE AUX CATHOLIQUES &c.

i. e.

SINCERA ADMONITIO AD CATHOLICOS FOEderati Belgii incolas, de Decreto Romanæ Inquisitionis contra Archiepiscopum Sebastenum dato.

... 1704, 12. plag. 15.

TErtius jam vertitur annus, ex quo universum Belgium Fœderatum, magnaque Romanæ Ecclesiæ pars, turbis vexatur domesticis, quas controversia Petri Coddæi, Archiepiscopi Sebasteni titularis & Ecclesiis Fœderati Belgii, quotquot Pontifici Romano parent, summa cum potestate & Vicarii Apostolici axiomate præfecti, cum Jesuitis aliisq; religiosis Ordinibus, missionis munere ibidem fungentibus, excitavit. Accusatur ille, quod Jansenianis & Rigidis,

quos

quos vocare solent, insigniter faverit, libris Jansenismum disseminantibus in Belgio Fœderato edendis vel operam vel patrocinium attulerit, vernaculam S. Bibliorum lectionem promiscue concesserit, & quæ sunt hujus commatis alia. Clam hæc ab initio agebantur: quare vocatus Romam Archiepiscopus, ipso Jubilæo anno in Urbem venit, auditus a Collegio fidei propagandæ causa instituto, auditus a Congregatione Cardinalium peculiari, imo a Pontifice ipso, duos præsertim defensionis suæ causa libellos A. 1701 ibidem edidit, quorum prior *Declarationis*, alter *Responsionum* titulo comparuit. Sed prævaluere adversarii, Archiepiscopo infecta re in patriam remigrante: quem e vestigio insecutum est Decretum Inquisitionis Romanæ, præsente Papa Clemente XI die 3 Apr. A. 1704 confectum, sed die 7 Maji demum publicatum, pag. 167 hujus opusculi exstans, quo libelli duo ab Archiepiscopo Romæ editi damnantur, ipseque Apostolici Vicarii munere privatur. Dum hæc geruntur, magna libellorum seges in subsidium Archiepiscopo venit, ejusque causam Belgica dicendi libertate defendit. Quos inter præcipuus est, quem nunc exponemus, a Presbytero quodam, ut videtur, Hollandico conscriptus, Belgicaque non minus, quam Gallica lingua editus.

Quæ in fronte libri exstant observationes, tum Sebasteni Archiepiscopi, tum Alectensis & S. Pontii Thomeriarum Episcoporum, qui paria Romæ fata perpessi erant, causas recensent, tũ Lovanienses Theologos, qui nuper Alectensis Episcopi Rituale damnarunt, non leviter castigant. Ipsum vero opusculum principio inculcat, eos recte omnino agere, qui Decretum Pontificis examinent, non cœco impetu amplectantur; Judices Ecclesiasticos, etiam supremæ caveæ, nonnunquam graviter impingere in sanctissimas justitiæ leges, (quod Aloysii de Leon, & P. Hauzeur testimoniis confirmatur;) sanctissimos sæpe viros a Romanis Pontificibus indignis modis exceptos esse, ex quibus Basilium, Paulinum, Hieronymum, Herotem, Lazarum, Augustinum, Hilarium Arelatensem, Mamertum Viennensem, Petrum Diaconum, Julianum Toletanum, Bernhardum, Ludov. Alemantium, Alph. Tostatum, Savanarolam, Jo. Picum Mirandulanum, B. Carranzam, Jo. Grimanum Aquilegiensem Patriarcham, Car. Borromæum, Bellarminum, Sorbonam, Episcopum

pumAlectensem, & S. Pontii Thomeriarum, aliosque sigillatim recenset. Post hæc Curiæ Romanæ, quæ nunc est, gesta sub censuram vocantur, quam Jesuitarum fere tributariam Auctor facit, dilatam idololatriæ Confucianæ apud Sinenses Neo-Christianos castigationem, & præcipitatam Casus Conscientiæ, quem vocant, Crypto-Janseniani condemnationem, cumprimis exagitans. Redit deinceps in orbitam suam Scriptor noster, Pontificesque & falsos sæpe & falli posse, præsertim in rebus, quæ facti dicuntur, exemplis quibusdam, & Academiarum Parisiensis ac Lovaniensis; Cardinalium de Turre cremata, Cusani, Baronii, Bellarmini, Pallavicini, Richelii, Laureæ & Aguirrii; Episcoporum Melch. Cani, Walenburgiorum, Petri de Marca, Ant. Godelli &c. Doctorum, Gersonis, Almaini, Richerii, Launoji, Holdeni, Piroti, Tapperi, Latomi, Stapletoni, Sinnichii, Lupi, Payvæ; Monachorum, Dionysii Carthusiani, Fr. a Victoria, Bannesii, Goneti, Contensoni, Davenporti; Jesuitarum denique Pallavicini, Gretseri, Tanneri, Becani, Annati, Petavii, Sirmondi, Halloix, Brietii, Veronii &c. autoritatibus probat. Porro facta distinctione inter provincias Pontifici penitus subjectas, & libertatem veteris Ecclesiæ retinentes (ad posteriores vero Galliam & Belgium refert) existimat, Tribunal Inquisitionis Romanum Officialem Papæ, qua Metropolitani, repræsentare, nullamque adeo in provincias liberas potestatem obtinere: Pontificem ipsum in concilio Episcoporum, & juxta canones antiquissimos, Episcoporum causas judicare debere, idque fateri Leonem I, Gelasium & Theologos probæ notæ. Denique ad Jesuitarum provocat exemplum, qui Innocentii X Bullam A. 1646 datam, qua prohibetur, ne Provinciales, Rectores, aliique Superiores Ordinis, ultra triennium fungantur muneribus, auctore Didaco de Avendagno S. J. in Thesauro Indico Tom. II, cap. 4, p. 9 seqq. non solum examinarint, sed & contra ordinem datam, errore obtentam corrigendamque existimarint, docuerintque, contra eandem impune agi posse, si bona fide, secreto, vel ex opinione probabili agatur. Qua arrepta occasione, Decretum Inquisitionis nuperum cum Bulla ista, velut minus cum majori, contendit, monens Decretum adversus Vicarium Apostolicum datum vel ideo rejiculum esse, quod contra suetam justitiæ formam tractatus sit, quod eruditissimi Cardinales eundem

 inno-

innocentem pronunciaverint, atque a Fabrono, Congregationis Secretario, quem Archiepiscopus, expertus quippe eundem inimicum singularem, incassum sæpe recusaverit, pleraque confecta fuerint.

Quibus expositis, Auctor Decretum ipsum κατὰ πόδα examinat, in omnibus ferme ejus lineis deprehendens, quod culpet ac repudiet. Nos, judicio Lectori relicto, præcipua rerum capita enotabimus: Jure Belgarum omne extraneum forum recusari posse: Episcopum Inquisitioni Romanæ subjectum non esse, sed in provincia sua a duodecim vicinis Episcopis judicari debere: Pontificem ex mera potestate egisse: nullos Archiepiscopi & librorum ab ipso editorum errores designatos fuisse: meris suspicionibus Decretum niti: lectionem librorum prohibitorum Episcopis injuste interdici: Vicarium Belgarum Apostolicum non esse Papæ Vicarium, sed vices gerere Episcoporum, qui olim in Fœderato Belgio fuerint, eorumque frui juribus, a Canonicis Ultrajectinis & Harlemensibus eligi, adeoque mero Pontificis beneplacito, (ut Decretum pronunciaverat) nec exauctorari, nec in ejus locum surrogari quempiam posse; (quo loco ὡς ἐν παρόδῳ probatur, Episcopatu vacante, autoritatem omnem & jurisdictionem in Capitulo residere:) Pontificios Belgas, qui a primis usque Reformationis temporibus, sine interruptione ulla, inter Fœderatos substiterint, male ad conditionem Christianorum recens per Missionarios conversorum, Sinensium & Tupinambiorum reduci. Et hæc quidem non sine bile ac sale proferuntur, addita conclusione, qua Cajetani, Sylv. Prieriatis, Franc. a Victoria, M. Cani, Payvæ & Marchantii testimoniis suadetur, resistendum esse ejusmodi Decreto, nec schisma metuendum esse, si bene meritus Pontificiorum Fœderati Belgii incolarum & communis Pastor, etiam invito Papa, retineatur.

Accessit huic opellæ triplex appendix scriptorum ab Episcopis a Romana Curia male tractatis editorum, quæ, cum alibi exstare haud facile meminerimus, excerpta quoque memoriæ causa dabimus. Primo loco consistit Epistola Circularis quatuor Episcoporum Gallorum, Alectensis, Apamiensis, Bellovacensis & Andegavensis A. 1668 Jansenismi causa oppressorum, ad omnes Galliarum Præsules missa. Postquam enim Clementis IX decreto cau-

cautum esset, ut hi ab Episcopis quibusdam, contra canonicas constitutiones conscriptis, exauctorarentur, eorumque mandata, quæ Janseniani negotii gratia ediderant, Inquisitionis obelo configerentur, illi moleste hoc ferre, deque læsis Episcoporum privilegiis ac juribus conqueri: imperare canones Ecclesiasticos, ut non nisi a duodecim ejusdem provinciæ Præsulibus Episcopi judicarentur, neque appellationes Sardicensi synodo concessas huic sancito derogare, nec ipsam Gratiani compilationem: Episcopos Gallos suam sibi libertatem salvam hactenus conservasse, (quod exemplis & antiquis & recentioribus probatur:) vix tolerandum esse Curiæ Romanæ fastum, quæ Episcopos, fratres collegasque Pontificis, contemtim adeo tractet, librosque eorundem, ipsis ne quidem præmonitis, in prohibitorum indicem referat.

Sequitur Epistola Pastoralis Nicolai Pavillonis, Episcopi Alectensis, itidem A. 1668 scripta, postquam Inquisitionis Romanæ Tribunal ejus Rituale, severioris disciplinæ Ecclesiasticæ specimen, damnaverat. Ille, cum de muneris sui, hactenus diligenter accurateque exantlati, ratione exposuisset, de Romani Pontificis versus se gestis graviter conqueritur: Inquisitionis decreta in Galliis irrita esse: Episcopos, Christi quippe vicarios Divino jure constitutos, clementius esse tractandos: librum ipsum censuram nullam commeruisse: cumprimis vero omnes æquitatis limites transcendere Pontificis literas, dum Episcopis vicinis libri Ritualis combustionem imperet.

Tandem Episcopi S. Pontii Thomeriarum ad Clementem XI, qui nunc Pontificem summum agit, Epistola triennio abhinc scripta legitur. Conqueritur ille, libros suos, cumprimis illum, quem reducendorum ad Ecclesiam Romanam Hugonotarum causa ediderat, ob controversias, quæ ipsi cum Monachis Recollectis intercessere, Romæ damnatos, nullo tamen errore speciatim indicato: creari sibi cumprimis hanc molestiam, quod negaverit, Mariam Deiparam una cum Christo in Eucharistia adorari, quod Hebræis Græcisque Scripturæ fontibus autoritatem præcipuam adscripserit, lectionem Biblicam Laicis concesserit, Sanctorum invocationem liberam fecerit, amorem, saltem inchoatum, ad pœnitentiam necessarium crediderit, hæreticorum personas odio prosequi noluerit; in his vero omni-

bus nihil a fide catholica alienum se commisisse, revocationemque adeo Decreti contra se dati & sperare, & omnibus modis expetere.

EPISTOLA GUILIELMI COWPERI, SOCIETATIS REGIÆ Socii, ad D. EDUARDUM TYSON data, Anatomen earum Marsupialis Americani maris partium, quæ a fœminæ partibus discrepant, exhibens.

Excerpta ex Actis Philosophicis Anglicis Mens. Mart. 1704. N. 290.

FOemina erat Marsupiale Americanum, quod cultro Anatomico quondam subjecit, ac Societati Regiæ obtulit D. Eduardus Tyson, nosque in Actis hisce *Mense Septembri 1698 pag. 407*, & *in Supplement. Tom. III sect. IV pag. 149* exhibuimus. Jam quæ in mare peculiaria observantur, subjungit, D. Guil. Cowperus, quorum itidem mentionem hic facere, nostrarum duximus esse partium. Præter organa generationi dicata, Marsupiale Mas in eo differt a Fœmina, quod desideretur marsupium, a catulis inhabitandum, nec adsint musculi ab ossibus marsupialibus, hyoidea a figura nuncupandis, emergentes & ad abdominis cutem desinentes. Nullum externe genitalium partium vestigium apparet, si scrotum exceperis, quod justam pro involvendis testibus nactum est capacitatem, nec certe aliud foramen conspiciebatur in his partibus externe, præter anum *(vid. Tab. III fig. I A)* ad intestinum rectum ducens: diductis autem hujus marginibus, alterum in conspectum venit (*B*) quod præputium esse penis sectio monstrabat. Compressis his partibus, duæ profluebant guttæ ex utroque ani latere, (*cc*) a duobus corporibus glandulosis, seu saccis circa sphincterem positis expressæ. Qui liquor idem videtur esse, ac qui in fœminæ marsupio inveniebatur, & cui peculiaris ille animalis fœtor in acceptum est referendus; his enim partibus cum cute cloacam investiente remotis, omnis disparebat fœtor. Dum cutis ab abdominis musculis separatur, ossa modo dicta in oculos incurrunt, unde musculi quidam oriuntur, femoris ossibus inserti, qui idem præstant officium ac musculi psoas in aliis animalibus, quanquam hi exiliores fuerint. Musculi abdominis, potissimum recti, quod

quod his ossibus firmissime affigantur, majus robur adducit huic animali corpus elevandi, & crura posteriora versus anteriora movendi, quam aliis animalibus, ossibus dictis destitutis. Immediate sub cute circa anum musculus datur carneus, præputium, inferiores intestini recti partes & saccos odoriferos, una cum quatuor glandulis mucosis (*MM NN fig. 2. & Tab. IV fig. 1.*) circa penis radicem, ut & ipsum penis corpus involvens: quæ omnes partes musculi hujus actione comprimuntur, imprimis si penis erigatur. Remoto scroto testiculi apparent, (*Q TV Tab. III fig. 2*) una cum vasis præparantibus & deferentibus (*Q Q*) intra musculos cremasteres (*PP*) inclusis. Hi musculi perquam lati sunt, prout etiam in aliis animalibus vesicularum seminalium expertibus tales occurrunt; suspendunt enim non solum testes, sed comprimendo etiam epididymides & vasa deferentia, seminis per urethram ejaculationem coitus tempore promovent. In hoc siquidem animali dictarum vesicularum defectus epididymidum (*W W Tab. III. fig. 2 & Tab. IV fig. 1*) amplitudine compensatur, quæ justo majorem obtinere videntur porum: quam ob causam pariter tunicæ vaginales valde anguste coarctantur. (*TVRR Tab. III fig. 2.*) Postquam arteria magna (*iii Tab. III fig. 2*) & vena cava (*b*) sub diaphragmate cera repleta fuit, truncus descendens illius sub arteriis emulgentibus directe sub venæ cavæ trunco in hoc animali locari videbatur, nec rami ilsiaci arteriosi amplectebantur venosos; forsan quod in hoc animali, quod cauda ex arbore suspensum sæpissime capite propendet, non æque ac in animalibus aliis necessarium fuit, ut arteriæ iliacæ venas amplectendo & pulsu comprimendo sanguinis ad cor refluxum promoverent. Arteriæ spermaticæ (*aa*) exsurgunt ex anteriore parte trunci descendentis arteriæ magnæ, & perforata leviter (*.....) vena cava ad testes recta descendunt, neutiquam contortæ, ut in aliis quadrupedibus; quæ venæ cavæ perforatio forsan non solum pro transmittendis arteriis spermaticis, verum etiam pro inhibenda leniter sanguinis per easdem arterias ad testes delabentis velocitate, videtur formata. Venæ spermaticæ, relictis testibus, variis ornantur divisionibus & inosculationibus, ad unum truncum in utroque latere redeuntibus, & immediate super perforatione (*bb*) in venam cavam desinentibus. Si testium structura ratione vasorum suo-

ſuorum excretoriorum nondum cognita eſſet, hujus animalis inſpectio induſtria eam detexiſſet. Inciſa enim tunica vaginali (*R R Tab. III fig. 2. & Tab. IV fig. 1*) teſticuli cum epididymidibus laxius cohærent, ita ut a ſe invicem ſint ſeparati, (*W X Y Z*) magno autem vitro convexo inſtructus Author, ductum excretorium (*Z*) ab altero teſticuli termino, ubi arteria & vena ſpermatica apparent, oriundum conſpexit, qui ductus brevem ſub hac forma emenſus viam, in epididymides (*W W*) complicatur, & denique vaſa deferentia (*S S*) conſtituit, quæ relictis præparantibus (*a b Tab. I fig. 2*) majorem nanciſcuntur amplitudinem, priſtinam anguſtiam recipientia, dum ureteribus (*ec*) ſuperatis in urethram inſeruntur, quorum orificia immediate ſub veſicæ cervice caruncula in utroque latere detegit. Nullæ veſiculæ ſeminales in hoc animali conſpiciuntur, quæ in urſis, bobus, equis, &c. prope vaſa deferentia ſitæ ſunt, quæ tamen non æque inter ſe communicant, ac in hominibus. In iſtis enim animalibus vaſa deferentia & veſiculæ ſeminales communi orificio in urethram aperiuntur; ductus autem communicantes cum ſint valde exiles, citius ſemen in urethram, quam ad veſiculas ſeminales deponitur. Urethræ longitudo inter veſicam & penem 4 excedit pollices, cujus pars ad 3 pollices cum dimidio corpore glanduloſo, proſtatis humanis ſimili, obvolvitur, cujus ductus excretorii copioſi in urethram undique hiant. Pars hæc urethræ (*IKKL vid. Tab. III fig. 2 & Tab. IV fig. 1*) dicto modo proſtatis circumdata, in ſitu naturali & dum penis non erigitur, contorta & complicata eſt, ſub erectione autem ejusdem extenditur, & compreſſo corpore glanduloſo humorem in urethram urget. Proſtatæ quorundam animalium, ut urſorum, arietum &c. per muſculos eas includentes, in hominibus per levatores ani comprimuntur. Circa radicem penis Marſupialis occurrunt binæ veſiculæ glanduloſæ (*MM NN*) in utroque latere, in urethram humorem mucoſum ſtillantes, ſimilem illi, quem fundunt glandulæ in hominibus eodem in loco nuper ab Authore detectæ. Hæ veſiculæ comprimuntur non ſolum a tenui latoque ſphinctere, verum etiam a bulbis corporum cavernoſorum penis (*CC*) & urethræ, (*EE*) dum erigitur penis. Quæ compreſſio in hominibus ab intumeſcentia bulbi corporis cavernoſi ure-

urethræ petenda est. Et usque adeo natura sollicita est in bobus, arietibus, catis &c. in exprimendo glandularum harum liquore, ut singulas glandulas mucosas peculiari musculo instruxerit. Penem quod spectat singularis structuræ, præter glandem bifurcatum, (*BB. vid. Tab. III fig.* 2 & *Tab. IV fig.* 1) cavernosa corpora (*DD*) nullo modo cum ossibus pubis communicant, nec musculi erectores vel directores (*CC*) ad ullum pertingunt os, quemadmodum in hominibus & quadrupedibus aliis; sed omnes hæ partes liberæ jacent sub ossibus pubis, altera corporum cavernosorum extremitate in glandem desinente. Multo minus corpus cavernosum urethræ & ipsius musculi (*EE vid. Tab. IV Fig. I*) sphincteri ani inseruntur, verum integrum penis corpus liberum jacet, inter ossa pubis & intestinum rectum; hinc libere extrudi potest sub erectione extra præputium. Quam penis extrusionem non parum promovet in hoc animali urethra (*IKL. vid. Tab. III fig.* 2) satis longa, & in plures angulos acutos contorta aut complicata, quam quales figura monstrat: ita ut penis extrudi nequeat, quin vesica (*OO*) insequatur. In anteriore penis parte musculorum par (*ffG*) erectioni inservit, quod carnosum est in corporibus cavernosis penis, (*DD*) unde exsurgit, & evadit tendinosum, (*ff*) dum duo transit ligamenta in ossibus pubis, & tandem unitur in unum tendinem (*G*) dorso penis insertum. Præter hoc, aliud par musculorum (*HH. vid. Tab. III fig.* 2 & *Tab. IV fig.* 1) retrahit penem erectum, ab intestino recto in extremitates corporum cavernosorum penis insertum. In catis, bobus, arietibus & ursis adsunt duo ligamenta, ab osse sacro vel ilio in utroque latere oriunda, & in corpora cavernosa penis desinentia, quæ instar horum musculorum penem in præputium retrahunt. Corpora cavernosa penis in Marsupiali differunt, quoad figuram, ab aliorum animalium corporibus cavernosis; eorum enim pars superior deprehenditur bulbosa (*DD. vid. Tab. III fig.* 2 & *Tab. IV fig.* 1) tegiturque musculis (*CC*) instar bulbi corporum cavernosorum in humana urethra, quæ pars in aliis animalibus conicam habet figuram. Musculi corporum cavernosorum penis in hoc animali cum minus connectantur cum osse pubis, dorsum penis ad dictum os movere, & venas comprimendo sanguinem refluentem neutiquam retardare possunt; ideo venæ po-

 tius

tius quædam amplæ per mediam bulbi (*KKC. vid. Tab. III fig.3*) partem feruntur, & compressioni solum auscultant, ab intumescentia musculorum, (*CC*) quibus involvuntur, factæ. Qui potissimum erectionem penis in hoc animali conservat musculus, est sphincter ani latus supra commemoratus, illique connexus. Quando penis extruditur ano, sphincter hujus illum necessario amplectitur, id quod itidem a sphinctere ani fœminæ in coitu contingit: unde creaturas has ad actum hunc exercendum non adeo promtas esse, augurari licet. Præterea figura penis expressa in *figura 3 Tab. III* docet, penem retrahi non posse, nisi glandulæ (*AB*) detumuerint, quod forsan in his animalibus non accidit, nisi utriusque æstus deferbuerit. Cum bulbus corporis cavernosi urethræ formatus sit in homine, ut glandem urgente necessitate sufficienter distentum servet, necessarium videtur, hoc animal duos obtinere bulbos, in musculis suis (*EE vid. Tab. III fig. 2*) inclusos, pro continuanda turgescentia glandis bifurcati, (*AB vid. Tab. III fig.3*) dum penis est erectus. Sub qua distensione glandis media urethræ pars necessario comprimitur (*D*,) & duo distincta orificia (*CC*) relinquuntur in utroque latere glandis (*AB*) bifurcati.

Explicatio Figurarum.

TAB. III. Fig. I.

Tabulæ III Figura I monstrat figuram externam Genitalium Marsupialis (Opossi) maris, justo minorem.

A. Ani pars inferior ad intestinum rectum ducens.
B. Ani pars superior, vel orificium præputii.
c. c. Duo orificiola luteum liquorem fundentia.
D. Scrotum.
E. Pars abdominis, in qua marsupium hæret in fœmellis, in mare magis depressa.
F F. Duo pollices pedum posteriorum.

Fig. II.

Figura II sistit partes anteriores organorum generationi dicatorum, veram magnitudinem servantes.

A A. Corpus penis.
BB. Glans bifurcatus.

CC

CC. Musculi directoribus penis analogi, bulbos corporum cavernosorum penis includentes.
DD. Duo corpora cavernosa penis, antequam conjungantur & corpus penis forment.
EE. Partes duorum bulborum corporis cavernosi urethræ.
Gff. Par musculorum, cujus tendines ff transeunt duo ligamenta circa ossa pubis, & tandem in unum tendinem G coeunt.
HH. Duo musculi ab intestino recto oriundi, & parti oppositæ corporum cavernosorum penis inserti.
I. Urethra, ubi prostatis non includitur.
KK. Prostatæ urethram includentes.
MM. NN. Duæ glandulæ mucosæ ab utroque latere radicis penis sitæ, & in urethram humorem infundentes.
OO. Vesica urinaria.
PP. Musculi cremasteres.
QQ. Musculus cremaster sinister tunicam vaginalem includens.
RR. Tunica vaginalis in latere dextro aperta, ut inclusa vasa præparantia & deferens in conspectum veniant.
SS. Vas deferens.
TV. Tunica vaginalis testiculum sinistrum includens, cum sua epididymide V.
W X Y Z. Testiculus dexter, prout incisa tunica vaginali apparet.
W. Ejus epididymis.
X. Corpus testiculi.
Y. Arteria & vena spermatica testiculum intrans & deferens.
Z. Ductus excretorius testiculi.
aa. Arteriæ spermaticæ a parte anteriori trunci descendentis arteriæ magnæ ortæ, ubi communi ductu gaudent, qui tamen dividitur, dum per
* aperturam trunci venæ cavæ transit.
bb. Venæ spermaticæ in venam cavam intrantes.
dd. Renes.
ee. Ureteres.
gg. Venæ emulgentes.
ψ Pars arteriæ emulgentis sinistræ.

h. Vena cava ſub hepate.
ii. Truncus deſcendens arteriæ aortæ.
kk. Arteriæ meſentericæ.
l. Arteria menſenterica inferior, quæ in hoc animali a magno trunco non exurgit.
m. Glandula renalis ſiniſtra.
n. Glandula renalis dextra, pone truncum venæ cavæ ſita.
o. Truncus communis arteriæ, a quo ramus gaſtricus, meſentericus ſuperior & inferior & emulgentes propullulant.

TAB. III. Fig. III. *Figura III* depingit partem anteriorem penis, naturali magnitudini reſpondentem, corporibus cavernoſis Mercurio repletis.

AB. Glans bifurcatus.
CC. .... Duæ aperturæ diſtinctæ.
D .... Media orificii urethræ pars.
E .... Duæ glandis venæ.
F. Bulbi alterutrius corporis cavernoſi penis.
G. Bulbus corporis cavernoſi urethræ.
ψ. Bulborum apertura pro injectione Mercurii.
H. Urethra.
I. Muſculi exſiccati.
KK. Venæ ligatæ.


Fig. IV. *Figura IV* repræſentat partem poſteriorem penis.

AB. Glans bifurcatus.
EE. Partes venarum a glande redeuntium.
FF. Bulbi corporum cavernoſorum penis.
GG. Duo bulbi corporis cavernoſi urethræ.
H. Urethra.
KK kk. Venæ ligatæ.

TAB. IV. Fig. I. *Tabulæ IV Figura I* exhibet partes poſteriores genitalium.

A. Corpus penis.
B. Glans.
CC. Bulbi corporum cavernoſorum penis, muſculis ſuis tecti.
DD. Corpora cavernoſa penis.

EE.



EE.... Duo bulbi distincti corporis cavernosi urethræ, musculis suis involuti.

FFG. Partes musculorum in parte anteriore penis sitorum.

HH. Par musculorum ab intestino recto exsurgens, & lateribus corporum cavernosorum penis insertum.

IKL. Urethra prostatis KLK involuta.

MN. Duæ glandulæ mucosæ in utroque latere.

O. Vesica urinaria.

P. Musculus cremaster.

Q. Tunica vaginalis aperta.

R. Vasa præparantia a trunco magno dissecta.

SS. Vas deferens in utroque latere.

WXYZ. Testiculus sinister.

ee. Partes ureterum.

** Stylus in urethram insertus.

OBSERVATIONES QUÆDAM MEDICO-PRActicæ & Physiologicæ; inter quas paulo fusius de Asthmate, Hydrophobia, & Cordis in Embryone structura &c. agitur, Autbore HUM. RIDLEY, M. D. & Colleg. Reg. Med. Lond. Soc.

Londini, impensis Jacobi Tonson, 1703. 8. Constant $17\frac{1}{2}$. plag.

MAgna quidem Clarissimo Authori in secandis hominum pariter ac animalium brutorum cadaveribus fuit solertia, quam vel solus ipsius *de Cerebro tractatus* elegantissimus, quem in *Actis nostris Anno 1696, Mense Majo pag. 201*, non solum commendavimus, verum etiam Ephemeridum Germanorum Volumini, jam sub prelo sudanti, Latinitate donatum, adjunctum iri accepimus, abunde docet: maxima tamen utilitate se probare ipsi nunquam non visa est Medicorum industria, qui phænomena a natura cum morbo præliante producta serio sagaciterque expendunt; quibus etiam notis quasi characteristicis morbi, mira aliquando symptomatum quorundam similitudine inter se conjuncti, etiamsi specie discrepantes, a se invicem differant, sedulo edocent, superque ea inten-

tentiones curativas superstruunt. Cujus laboris a se pariter perfecti specimen in hoc opere edere allaboravit. Sex enim ultra triginta exhibet observationes, in ægris variis morborum generibus vexatis factas, in quibus historiam non solum morbi pertexit, sed subinde etiam discursum physiologicum & pathologicum subnectit, & quæ in cadaverum dissectionibus fuerant observata, candide communicat. Nos ea solum libabimus, quæ vel ipsa libri rubrica commendat, de hydrophobia scilicet, asthmate & cordis in embryone vasorum structura, sanguinisque circuitu.

Observatio igitur XXV ægrum sistit hydrophobicum, qui ante 13 menses a cane Danico rabioso morsus, inconcussa hactenus sanitate gavisus erat, donec transacto hoc tempore, cogitabundus aliquantulum & subtristis, de frigiditate circa vesperam & stupore quodam faciei molesto conquestus fuerit, quibus accesserit aquæ pavor, absque ullo tamen salivæ deglutiendæ metu. Insecuta demum per paroxysmos sunt deliria & convulsiones. Liquida omnia aversabatur, ita tamen, ut monitus potionis medicæ portionem aliquam per gulam, licet timide & non sine lucta satis manifesta, transmitteret. Aquæ pavorem, hisce ægris solennem, Noster a convulsionibus musculorum deglutitioni inservientium, & interna caloris febrilis accensione, præfocationis metum inferentibus deducit, ita ut cujuscunque rei vel fluidæ vel solidæ appulsum, utpote partium pneumonicarum cavitatem pertransituræ, & ita aeris ingressum impedituræ, vel etiam aeris confertiorem introitum magnopere reformident, & vel ab aliqua istius generis imaginatione penitus abhorreant. Aquæ immersionem, tanquam appropriatum morbi hujus remedium, strenue & violenter peragi debere jubet, causamque consistere putat in eximia illa spirituum humorumque agitatione & mutatione, quam, renitente & aversante natura, producit subita & invita in aquam projectio; hisce enim circumstantiis neglectis, nihil eam juvare, præsentis ægri casus testatur luctuosus, qui in reditu ex Belgio per mare, facto naufragio, aquas nando trajecit trium ad minimum milliarium, multoties interea opprimentibus undis submersus, priusquam ad littus pervenerit.

In Observationibus XXVI & XXVII duo asthmatis exempla proponit, unico præcipue symptomate a se invicem discrepantia, vi-

videlicet ſputatione, quæ ob eam eſſentialiter & omnino inter ſe vel in ſpecie differre, & modo ſicca, ſympathica, ſeu convulſiva, modo humida, idiopathica vel vere pulmonica vulgo vocari ſolent; cum tamen revera, ex Authoris ſententia, unus idemque ſit affectus quoad cauſam formalem, & nulla hic omnino obtineat diſtinctio, niſi quam vel cauſæ occaſionalis differentiæ, vel ſymptomati alicui ſupervenienti per accidens, juxta ægri temperamentum, acceptam referamus. In aſthmate enim convulſivo ſæpenumero ſputatio ſat copioſa ſupervenit, cum e contra, quæ in aſthmate pulmonico dicto rejiciuntur phlegmata, non ex pulmonibus aut aſpera arteria rejiciantur, ſed per glandulas maxillares & ſublinguales exprimantur, partim ob ſanguinis nimis relaxatam ex ſeri redundantia compagem, partim ob ejusdem ſeri acrimoniam, fibrillas nerveas, per ſubſtantiam glandularum diſſeminatas, in contractiones ſtimulantem, unde ſanguis in ſuo per vaſa reductoria circuitu magnopere impeditus, majorem longe per eorum vaſa excretoria ſolito copiam ſeroſitatum ſub tenui ſalivæ forma, profundere aptus natus eſt. Nec obſtat, quod ſubinde in aſthmaticorum pectore aquarum colluvies fuerit reperta, cum hæc frequenter nullum cum pulmonibus commercium primario & in primo ſuo ortu habuerit, niſi ſucceſſive in molem adeo immenſam accreſcat, ut præ iſtius copia, jam cauſæ fixæ & ſolitariæ rationem habente, ſpatium expanſioni ſatis liberum non obtinuerint pulmones. Nec tamen id vult Clariſſimus Author, quaſi nullam omnino in hoc morbo ſeri in pulmonem exſudationem concederet, ſed id, quod rejici videmus in paroxyſmo, non cauſæ ſemper rationem habere, ſed ob ſanguinis circuitum impeditum ibi deponi exiſtimat.

In Obſervatione XXXII fœminam in partu mortuam ſiſtit, ex cujus abdomine extracti fœtus cor cum pulmonibus vaſculisque appenſis exſecuit, ſi quid inibi lateret, quod quovis modo circa partium iſtarum functiones eum erudiret, luſtraturus. Inter alia foraminis ovalis, cum ſanguine per id profluente, exhibet delineationem. Valvula, qua gaudet hoc foramen, a ſuperiore marginis foraminis parte, & ex illo iſtius latere, quod auriculam ſiniſtram ſpectat, enaſcitur, deorſum propendens tali latitudine, qualis veli inſtar, ſi quovis modo applicetur, vel propellatur ad fora- TAB. IV. Fig. III.

mi-

minis circumferentiam, eam contegere valeat. (*vid. Tab. IV fig. 3 N. I c c*) Inferiori hujus parti chordulas quasdam rubras & fibrosas, quibus ad venæ pulmonalis parietem alligari videbatur, in vitulis semper conspexit, quæ tamen in hominibus semper desunt. Cor hoc cum aliis infantum corculis conferens, valvulæ situm semper alium atque alium observavit, prout illis nullum vel aliquod, idque modo breve, modo diuturnum cum aere commercium fuit. In figuræ III. N. 1. conspicuum est, sanguinem in fœtu nondum respirante, modo plane declivi a venæ trunco ascendente prope ad auriculam per foraminis partem inferiorem, e transverso directe illi patentē, in venæ pulmonalis extremitatem prope ad auriculam sinistram, statim ad sinistrū ventriculum transmigraturum. N. 2. videmus foraminis aperturam, quarta sui parte præter propter, respectu ad ejus circumferentiam habito, cum valvula ab imo sui situ dextram versus altius aliquantulum scandentem, in infante recens nato & per paucula momenta respiratione uso; unde colligere est, quod sanguis e vena cava illuc appellens, & aperturam istius foraminis e tramite suo pristino aliorsum (videlicet a *c N. 1 ad c N. 2.*) deflectentem, reperiens, in auriculam jam alveo suo inhiantem, cum sanguine reliquo a descendente venæ cavæ trunco refluo, per partem foraminis jam clausam novo incepto cursu decurrat. N. 3. foraminis apertura adhuc altius suspensa, cum valvula juxta naturalem suam dispositionem, in fœtu tres septimanas nato delineatur. N. 4. foramen cum sua apertura & valvula plane inversum in corde adulti apparet; ubi ejus apertura supra tuberculi, a Lovvero sic dicti, marginem inferiorem e latere venæ pulmonalis penitus se recondit, cum valvula eidem procul dubio tractu temporis prorsus, ni aliter quovis impedimento interveniente contingat, firmiter adhæsura. Est, ubi dehiscentiam intra valvulæ hujus extremitatem & tuberculi marginem prædictum superiorem conspexit Author, licet rarius id contingat. Cum enim ad summitatem N. 4. notatam adscenderit apertura, cum valvula plane inversa ad rivum sanguinis e pulmonibus transmissum magis exponitur; quo factum est, ut exigua forsan sanguinis portio, continuo illac irrependo, valvulam eo loci ab omni cum margine cohæsione, vel per totum vitæ humanæ spatium impediat. Usum vasorum in corde quod atti-

TAB. IV. Fig. III.

attinet, advertendum esse monet Vir Clarissimus, valvulam foramini ovali, seu potius rotundo appensam, ejusdem margini undiquaque adnecti, servata solum quarta plus minus parte ad imum istius foraminis aperta, sanguinis transitui dicata; ita ut haud adeo magnam sanguinis quantitatem, ac hactenus creditum fuit, per eam transmitti posse, & proinde majorem longe ad arteriam pulmonalem ascendere, merito concludat. Cui argumento stabiliendo maxime facit canalis arteriosi constitutio, qui etsi naturali sua proportione, cum vacua est, non prorsus ad aortæ magnitudinem venit, liquore tamen quovis repletus, quam proxime, primo suo præcipue egressu, ad arteriæ istius cavitatem accedit. Deinde attentionem meretur arteriæ pulmonalis ramorum duorum structura. Hi enim statim a suo exortu, qui a parte hujus arteriæ trunci interiori est, e regione canalis communicationis adversa, non solum admodum a se invicem utrinque, dextrorsum scilicet & sinistrorsum, maxima fere distantia inter se facta recedunt, quin etiam admodum in suo transitu declives evadunt, priusquam pulmones ingrediuntur. Cum igitur viam illam adeo deviam & impeditam sanguis invenerit, & ob valvularum semilunarium renitentiam facile regredi nequiverit, arteriam hanc non potest non reddere intumescentiorem. Utcunque autem de sanguinis circulatione per hoc viscus certior factus fuerit Author, nullus tamen dubitat, quin admodum lento gradu id fiat, cum ob conformationem vasorum, tum ob pulmonum substantiam, tunc temporis adeo densam & compactam, ut instar glandularum ad tactum dura & nodosa hæc sentiatur. Nec sane, quomodo per pulmones circulatio sanguinis apte fieri queat, concipi potest, nisi vasa sanguinem excipientia, tempore gestationis, concidentibus tum pulmonibus, longe ampliora & capaciora existerent. Concesso autem tardiori hoc sanguinis per pulmones transitu, fit ut minus sanguinis per eos, quam si substantia eorum laxior rariorque fuisset, singula ventriculi dextri systole percurrat; propter eandem rationem, a confertiori ejus in hanc arteriam influxu, necesse erit, ut trunco ejus amplitudo major accedat. Hinc similiter cautum est, ne fœtu postea in lucem edito, a longe uberiori sanguinis quantitate, huic arteriæ allata, ab utriusque scilicet venæ cavæ truncis re-

flui, & celeri ejus appulsu, cessantibus jam foraminis rotundi & tubuli arteriosi officiis, arteriæ hujus parietes subito disrumpantur.

Tandem non possumus non experimentum Clarissimi Ridley, circa urachum foetus nati & post pauca momenta mortui factum, insimul commemorare. Scilicet urachi ex vesica exitum per stylum & flatum, sed frustra, etiamsi omni diligentia id fecerit, inquisivit. Eam denique aqua fontana (cujus tria cochlearia integra capiebat) repletam fundo deorsum filo suspendit, quam guttotam spatio tridui per urachum in vas suppositum lente & guttatim transiisse reperit; hinc de perforatione urachi factus certior, eam setarum & graciliorum specillorum immissione ulterius inquirendo prosequebatur. Cum autem nullo modo eam detegere valuisset, demum inversa prius vesica, & intruso subtus digito, in rugosa ejus tunica versus fundum, eo loco, ubi de ea procedit urachus, papillam quandam oculis detexit, cujus apicem forficibus cum abscidisset, statim oculis incurrit perforatio. Huic intrusum specillum facile in urachum transiit, & postea adaptato tubulo, eum cavitate pennæ anserinæ & amplius donatum deprehendit.

Explicatio Figurarum.

TAB. IV. Fig. II.

Figura II delineat cor foetus cum suis vasis, postquam hic in spiritu vini integer per aliquot annos conservatus & postea apertus fuit.

A Cor.
b. Auricula dextra.
c. Auricula sinistra.
dd. Pulmones.
ee. Arteria aorta.
f. Arteria dextra subclavia.
g. Arteria sinistra subclavia.
h. Arteria carotis dextra } utræque cranium versus
i. Arteria carotis sinistra } ampliores.
kk. Arteriæ cervicales seu vertebrales, dextra & sinistra, per vertebrarum colli processus usque ad cerebrum transmissæ.

ll. Ra-

ll. Rami ejus utrinque inde exeuntes.
m. Arteria pulmonalis ſeu vena arterioſa.
n. Canalis ſeu tubulus arterioſus.
o. Nervus octavi paris ſeu par vagum.
p. Plexus ejus inferior altior hic, quam in tabulis Williſii vel Vieusſenij depingitur.
q. Ramulus diſtinctus ab hoc plexu deſcendens & nervum recurrentem conſtituens, absque reflexione ulla ſuper arteriam ſubclaviam; num ita a natura, an per aliquod accidens in ſectione, neſcit Author.
rr. Ramulus recurrens dexter.
ss. Rami aliquot (num nervei vel ſanguinei, neſcit Author) ab hoc plexu in nervum recurrentem & ulterius propagati, eorum inſtar, qui in Williſii figura a nervi intercoſtalis plexu medio diſtribuuntur.
tt. Nervus intercoſtalis, cujus plexus gangliformis medius hic deeſt.
r. Plexus ejus thoracicus.
ww. Plexus ejus ſuperior.
x. Trachea.
y. Vena cava deſcendens abſciſſa.

Figura III ſiſtit Foramen Ovale ſeu Rotundum naturali aliquanto majus.

TAB. IV. Fig. III.

ab. Foramen ovale.
ccc. Valvula.
e. Ejus apertura.
dd. Sanguis per eam transfluens.

THESAURUS GRÆCARUM ANTIQUITATUM contextus & deſignatus a JACOBO GRONOVIO. Volumen Undecimum & Duodecimum. Quibus accedit Tomus Indices Generales complectens.

Lugduni Batavorum, apud P. van der Aa, 1701, 1702, fol.

Vol. XI constat Alph. 8. plag. 13.
- XII - - Alph. 5. plag. 19.
& plurimis figuris.
Index - - Alph. 5. plag. 8.

UNdecimum hoc Antiquitatum Græcarum Thesauri volumen Historica, Geographica, Nautica, Equorum curam, Tropæa & Exequias sistit, atque istis scriptis absolvitur. Pag. (I) comparent Dicæarchi *Geographica quædam, sive de Vita Græciæ. Ejusdem descriptio Græciæ, versibus Jambicis, ad Theophrastum, Henrico Stephano interprete, cum ipsius & Isaaci Casauboni annotationibus. Accedit Henrici Stephani ad Dicæarchum, & suam in illum lucubrationem appendicula.* Quamvis vero & Stephanus & Casaubonus præclaris maxime observationibus Dicæarchi libellum illustraverint, ad eumque rite explanandum multum studii ac laboris attulerint; neutiquam tamen omnes hujus instituti rationes ita explicari potuerunt, quin hinc inde relicta quædam fuerint, quæ pleniorem enucleationem jure merito flagitare viderentur. Proinde ad se pertinere eruditissimus Gronovius judicavit, perquirere ista in præfatione diligentius, adhibitaque solertia efficere, ut menda ea, quæ aliorum, Stephani imprimis, aciem fugerant, tempestive tollerentur. Quo consilio monet, Stephanum col. (9) de Minervæ templo, quod scribitur esse πολυτελὲς, ἀπόξιον, ἄξιον θέας, agentem, nimis licenter vocem ἀπόξιον mutare in ἀπόβλεπτον, cum reponendum sit ἄποπτον, id quod plane respondeat literis vetustæ scripturæ, & congruat verbis Plutarchi in Camillo, ἱερὸν, inquientis, εἰς τὴν ἀγορὰν ἄποπτον. Quid sit ὑπόδημα ὑσκλωτὸν, quod col. (28) Thebanis fœminis tribuitur, se definire posse negat, nisi statuatur loco vocabuli ὑσκλωτὸν legendum esse δικτυωτὸν, quod optime conveniat calceis fere nudos pedes ostendentibus, ut in reticulatim positis corrigiis nimium rara essent foramina. Col. (32) in urbe Chalcide quum dicantur esse ὕδατα τὰ μὲν πολλὰ ἀλυκὰ, ἓν δὲ ἡσυχῆ μὲν ὑπόπλατυ, hoc posterius plane vitiosum esse monet, idque omnino vidisse Stephanum; at in eo Virum doctissimum errasse, quod supposuerit ὑπόπαχυ, quod plane non sit oppositum & diversum τῷ ἀλυκῷ, neque proprium aqua-

aquarum: verosimile ergo videri, Dicæarchum ὑπογλυκὺ, *subdulce* scripsisse. Qui col. (36) citantur, versiculos

Λάρισσά τε μετ' αὐτὴν δ' Αὖλις. ἡ Βοιωτία
Χώρα δὲ μετὰ Φωκεῖς ἀπόκειται

ita restituit, ut legat: Λάρισσά τε μετ' αὐτὴν Δαυλίς. Affirmat quippe, falsum esse, quod Larissæ vicina sit Aulis, illa scilicet, quæ in inferioribus dicatur Αὖλις τε βοιωτῶν πόλις: potius ita de Dauli de statuendum esse, uti appareat ex Strabonis lib. IX, p. 423. Prætermittimus de industria reliqua, quandoquidem ista latius persequi, instituti ratio prohibet. Proxime hinc abest Henrici Stephani *Dialogus, Dicæarchi Sympractor, vel de Græcorum moribus, præsertimque Atheniensium, supplementum.* Sequitur pag. 1 Erasmi Vindingi, Pauli F. *Hellen.* Exponuntur in hoc opere, quod ex Auctoris MS. autographo nunc primum editur, antiquæ Græciæ populorum incunabula, migrationes, coloniarum deductiones, & res præcipuæ gestæ, urbiumque & regnorum origines, mutationes, interitus, & Principum in iis successiones, e Græcis præcipue scriptoribus, Historicis, Poetis, Geographis, Oratoribus & Grammaticis. De quo etsi præclare sentiat Gronovius, dolet tamen, opus hoc, priusquam ad se transmitteretur, a nullo harum rerum intelligenti viro recognitum, ac politius limatum esse. Cum enim constiterit foliis solutis, multaque adfuerint inducta, multa denuo allita, multa variis signis annotata, fieri non potuisse, quin multa a mente Auctoris & veritate aliena ibi contineantur, quorum proinde numerum init, ac dato commemorandi loco recenset. Inde comparent Lazari Baysii *de re Navali liber, seu annotationes in L. 2 De Captivis & postliminio reversis*, cum figuris, pag. 564: Stephani Doleti *de re Navali liber*, ad Lazarum Baysium, pag. 629: Cælii Calcagnini *de re Nautica commentatio*, ad Lilium Gregorium Gyraldum, pag. 741: Jo. Schefferi *de varietate Navium dissertatio*, pag. 769: Josephi Laurentii *de varietate Navium schediasma*, pag. 789: Joachimi Camerarii *Hippocomicus, seu de curandis equis, item de nominibus Equestribus Græcis & Latinis collectio*, pag. 793: Julii Cæsaris Bulengeri *de Triumphis, spoliis bellicis, trophæis, arcubus triumphalibus, & pompa triumphi, liber unicus*, p. 857: Francisci Modii *de Triumphis, ludis & spectaculis veterum libri duo*,

 pag.

pag. 961: Jo. Meursii *de Funere liber singularis, in quo Græci & Romani ritus*, p. 1073: Josephi Laurentii *de Funeribus Antiquorum tractatus, in quo ritus funebres ante rogum, in rogo, & post rogum illustrantur & explicantur*, p. 1164: Jo. Andreæ Quenstedii *de Sepultura Veterum tractatus, sive de antiquis ritibus sepulchralibus Græcorum, Romanorum, Judæorum ac Christianorum*, p. 1201: Petri la Seine *Homeri Nepenthes, seu de abolendo luctu liber*, p. 1329.

Duodecimum volumen tria solummodo, eaque reconditæ ac veræ eruditionis plenissima scripta complectitur, inter quæ primum locum occupant Veterum Sepulcra, *seu Mausolea Romanorum & Etruscorum, inventa in urbe Roma, in quibus multa ad eruditionem monumenta continentur, collecta & delineata* a Petro Sanctio Bartolio, *cum explicationibus* Joannis Petri Bellorii. *Ex Italico in Latinum sermonem transtulit* Alexander Dukerus, cum figuris. His subjunguntur Veterum Lucernæ Sepulcrales, *collectæ ex cavernis & specubus subterraneis urbis Romæ, figuris æneis expressæ, in quibus multa ad eruditionem monumenta continentur, delineatæ secundum formas suas* a Petro Sanctio Bartolio. *Divisæ in tres partes, cum observationibus* Joannis Petri Bellorii. *Ex Italico in Latinum sermonem transtulit* Alexander Dukerus. Prodiit hoc opus Italica lingua conscriptum Romæ 1691 in fol. dignumque illud judicavit Celeberrimus Begerus, quod Latina civitate donaret. Vid. Acta nostra A. 1692, p. 224, & A. 1702, pag. 208. Eandem operam elegantissimo scripto Alexander Dukerus navavit, cujus versio hic extat, atque præstantissima hæc antiquitatis monimenta aliquot accessionibus locupletata exhibet. Tertium locum sibi vindicat Jo. Potteri *Archæologia Græca, sive Antiquitatum Græciæ corpus absolutissimum.* Editus hic varia multiplicique doctrina refertus liber in Anglia fuit, & patria proinde lingua confectus lucem aspexit, sed nunc ob singularem reconditamque eruditionem, Latina civitate donari meruit. Quod officium Vir quidam doctus ita obiit, ut non solum in convertendo illo multum studii, solertiæque adhibuerit, sed translationem quoque Clarissimo & nobis alias quoque in his Actis laudato Auctori, ut de ea censeret, transmiserit. Factum inde, ut & versionem penitius examinaverit Clarissimus

mus Auctor, ipsumque librum uberrima variarum rerum accessione auxerit. Ab initio ejus, qui duodecimi totius Thesauri voluminis partem secundam constituit, & separatim emi potest, comparet librorum, capitum & titulorum syllabus, in fine vero accuratus rerum verborumque index est subjectus.

Ne vero splendidissimo Thesauri operi universo quid deesset, quod ad ejus commendationem facere possit, peculiaris Tomus Indicibus destinatus est. Quorum hæc est ratio, ut primus effigies, alter auctores & opera, tertius res & verba, quæ undecim voluminibus prioribus & duodecimi parte prima continentur, exhibeant. Demandata primum hæc cura fuerat Jo. Gravenhage apud Hulstanos Verbi Divini Ministro; ast cum hic morte interceptus esset, alii, quorum cura & industria id, quod deerat, perficeret, eligendi fuerunt.

PII MANES STRUVIANI, SIVE DE VITA ET scriptis GEORGII ADAMI STRUVII, Illustris quondam Jureconsulti, quibus justa persolvit mæstissimus filius, BURCARD GOTTHELFF STRUVE.

Jenæ, apud Joannem Bielckium, 1705. 8. Plag. 9.

MAgnum inter litteratos nomen est *Georgii Adami Struvii*, quem communem Germaniæ Præceptorem norunt, qui judiciis adsident. Hujus igitur merita cum tanta sint in Jurisprudentiam, ut inter summos nostri temporis Jureconsultos merito sit referendus, filius ejus inter natu minores, Vir Clarissimus & Historiarum in Illustri Academia Jenensi hoc tempore Professor, pietatis esse duxit, Orbi erudito exponere, quæ sibi de vita, fatis atque scriptis beati parentis essent cognita, cujus ductum brevius sequemur. Natus erat ille Germaniæ nostræ Ulpianus Magdeburgi V Kl. Octobris A. 1619, patre *Bartholdo Struvio*, hæreditario in Wandesleben, JCto, & judicii Archiepiscopalis, quod Magdeburgi erat, præfecto: ipsa vero Struviorum familia ex Ducatu Brunsuicensi originem trahente. Mater ejusdem erat *Anna Margaretha Brunneria*, ex nobili Brunnerorum & Fomannorum familia prognata. Hæc autem Brunnerorum familia ex Lehenstein, Bohemiæ prope Egram arce

ce

ce orta, inter alios *Georgium Brunnerum*, Cameræ Spirensis adsessorem, atque ex materna gente *Ortholphum Fomannum* in academia Jenensi olim antecessorem celeberrimum, numerat. Traditus noster primum Lycei Magdeburgensis præceptoribus ad ingenii culturam, anno 1630 vero, die 18 Octobris, annum agens duodecimum, in gymnasium Schleusingense, inter tertii ordinis discipulos, rectore Sergero est receptus. Integrum fere sexennium in hoc gymnasio exegit, præceptore potissimum usus Andrea Reyhero, atque die 30 Aprilis anni 1636, cœtui discentium in episcopum scholasticum præfectus, habita insuper a dicto Reyhero solenni oratione. Eodem anno, ætatis vero decimo septimo, a suis demum avocatus, insigni cum testimonio ex gymnasio dimissus est. Paullo post, die 11 Junii ejusdem anni, in academiam Jenensem a parentibus missus, præceptores ibi nactus est, Philippum Horstium in morali & practica philosophia, in philosophicis aliis Danielem Stahlium, in physicis Joannem Zeisoldum. Præ cæteris vero adsidue frequentavit scholas Joannis Michaelis Dilherri, oratoriæ atque historiarum Professoris, sub cujus etiam præsidio anno 1638 publice defendit *de victoria & clade* dissertationem, proprio Marte elaboratam, atque statui illorum temporum accommodatam. In juri prudentia doctores secutus est Dominicum Arumæum, Petrum Theodoricum, Erasmum Ungebauerum, Ortholphum Fomannum, & Sebastianum Beer curiæ provincialis Advocatum. Triennio continuo, & quod excedit, in eadem academia exacto, honorifico cum testimonio, a Paulo Marquardo Slegelio, Rectore Magnifico, academiæ nomine concesso, dimissus est. Neque tamen fata propitia ibi semper fuit expertus. Dum enim Jena a milite Cæsareo diriperetur, tempore feralis istius belli Germanici, irruebant quoque milites in nostri musæum, mortem minantes, bomdarda ad feriendum parata pectori ipsius adplicata, ut vix singulari Dei beneficio, aliorum interventu servaretur. Hicce autem terror in tantum labefactavit nostri valetudinem, ut pæne vitæ incurreret periculum. Relicta hyemali tempore anno 1640 Jenensi academia, reliquam hyemis partem domi transegit. Insequenti vero anno, in almam Juliam se contulit, ut vestigia legeret, quæ in hac academia fuerat ingressus. Conradum Hornejum ibi audivit interpre-

pretantem Aristotelis Nicomachiorum libros, cujus etiam ductu variis exercitationibus vacabat. In politicis audivit Hermannum Conringium, jura majestatis & politicam Aristotelis interpretantem. Hunc etiam præceptorem secutus in historiis, dum explicaret Taci- tum de moribus Germanorum, Diepholdi genealogiam, atque alia. Specimen quoque profectuum in hisce studiis edidit, habi- ta sub Conringii præsidio *de Ducibus & Comitibus Imperii Germa- nici* dissertatione, quæ inter Conringianas alias extat. Inter Jure- consultos Hahnium secutus, quem interpretantem audivit Pande- ctas & Codicem, & præcipue collegio ejus Wesenbeciano inter- fuit. Cum autem facile adduci non posset laudatus Hahnius, ut ipse viva voce juventutem doceret, sed pleraque in calamum da- ret, ipse quoque vicaria Struvii opera, in dictandis ad Wesenbe- cii Paratitla observationibus, utebatur. Ejusdem præsidio noster usus in dissertatione a se elaborata, *de damnis, illis præcipue, quæ ex dolo, culpa aut casu proveniunt, horumque correctionibus & præstatio- nibus.* Hisce exantlatis, nomen professus est apud Collegium Juridicum, atque præviis examinibus, ad inauguralem disputationem *de Vindicta privata* fuit admissus, habitam A. 1645 Februario mense. Vocatus postea, mense Aprili ejusdem anni, ad Assessoris in Scabi- natu Halensi munus; id quod illum movit, ut sequenti anno Do- ctoris insignia in se conferri peteret. Annum Halæ nondum transegerat & dimidium, cum auspiciis Serenissimorum Saxoniæ Ducum, ad ornandam Juris Professionem, in locum Gothofredi Fi- bigii, in academiam Jenensem vocaretur, commendante illum præ- cipue Georgio Frantzkio, Cancellario Gothano, in numerum Professorum, habita prius dissertatione pro loco *de Ædificiis priva- tis*, 12 Decembris anni 1646 receptus. Inde quoque in Scabi- natum, atque numerum Adsessorum Curiæ Provincialis, fuit adle- ctus. In hac autem academia quanto semper cum applausu do- cuerit, in commune notum est. Immo Syntagmata ejusdem feu- dalis atque civilis juris, quæ in plerasque Germaniæ academias rece- pta, satis de communi adplausu testantur. Et cum latius propagaretur etiam extra academias ipsius fama, in consilium vocabatur a Brunovi- censium republica, delato ipsi anno 1660 primi consiliarii munere, ita ut quater in anno eo migraret. Id quod etiam, adnuentibus

R Se-

Serenissimis Saxoniæ Ducibus, ad triennium suscepit, quo præterlapso, muneri renuntiavit. Annus agebatur 1667, cum a Serenissimis Saxoniæ Ducibus, Vinariensis lineæ, ipsi Consiliarii aulici munus, atque rerum cameralium summa, clementissime demandaretur. Multa quidem in hoc munere publicorum negotiorum mole obrutus erat, quæ tamen minime obstabant, quo minus inter aulæ negotia, varios quoque publici boni caussa ederet tractatus, præcipue *Evolutiones*, & *Jus Sacrum Justinianeum*. In hoc munere transactioni quoque, ratione Altenburgensis successionis factæ interfuit. In quo negotio pertractando talem se præstitit, ut non solum Ernestus Pius, contrarias licet partes tueretur, illum numismate aureo donaret, sed etiam facta postea divisione, Consiliarii intimi munere ac dignitate augeretur. Subsequenti anno 1673, mortuo Richtero, in Jenensem academiam fuit revocatus, atque Ordinarii in JCtorum Collegio munus ipsi delatum est, relicta nihilominus Consiliarii intimi dignitate. Cui muneri cum adnexa esset juris Canonici professio, idem & voce & scriptis illustrare adgressus est. Dolendum saltim, quod illi, quos publico destinarat labores, perfecti non fuerint, atque eorundem solum extent adhuc collectanea, licet inter hæc varia responsa ad caussas & beneficia ecclesiastica spectantia. Sed neque ipsa meta dignitatum. Cum enim mortuo Bernhardo, Saxoniæ Duce, unicus superesset Jenensis lineæ Saxonicus Princeps, Joannes Guilielmus, atque illo minorenni adhuc, tutelare regimen formaretur, illius Præses noster anno 1680 ordinabatur, demandata etiam Consistorii cura, & redituum provincialium directorio. Ne itaque laborum mole obrueretur, cedebat juris professione, solo retento Ordinarii munere. Solatium autem in tanto negotiorum cumulo quærebat in Musis, disputationibus vacabat tam publicis quam privatis, editis etiam tractatibus, illo præsertim *de Invocatione nominis Divini*, & *Jurisprudentia Germanica*, licet ante jamdum jussu Ernesti Pii elaborata. Mortuo vero Juventutis Principe, & cum eo Jenensi linea extincta, dissolvebatur regimen, terris partim ad Vinariensem, partim Isenacensem domum delatis. Redibat igitur noster, quod sibi reservaverat, ad ordinem Juridicum, idque mense Junio anni 1691, juris Canonici vestigia relegens, lectionibus potissimum publicis atque diversis acroa-

acroamatibus vacans. Eodem anno a Serenissimo Hasso-Darmstadiensi Landgravio in partes curarum vocatus, & Consiliarii intimi munere ac titulo honoratus est. In academico munere, Rectoratus vices bis gessit, Decani vero quater & decies, Brabeutæ quinquies. Hæc origo, studiorum progressus, & honorum incrementa. Quantum ad statum familiarem, uxores binas habuit: priorem *Annam Mariam*, Christophori Philippi Richteri filiam unicam, ex qua suscepit septem filios, filiam unicam; alteram sibi matrimonio junxit anno 1663 *Susannam*, Burcardi Berlichii filiam natu secundam, ex qua XVII liberorum pater factus. Ex binis matrimoniis quinque solum sunt superstites. Corpus ipsi contigerat firmum, quadratum, justa temperie bene dispositum, & gerendis negotiis obduratum. Valetudine utebatur prospera, ter solum in omni ætate morbo, sed gravi correptus. Pius alias, religiosus & constans erat. Inter adversarios habuit illustrem alias JCtum, *Henricum Coccejum*, qui in materia de dolo, culpa & casu contra eum egit: *Gerhardum Pfankuchium*, in materia retorsionis: *Theodoricum Paulum* in quæstione, an sacerdotes ab actione injuriarum sint immunes. Quartus adversarius erat personatus ille *Antonius a Mara*, sive *Elias Schnegas*, qui dum in tractatu suo de concursu creditorum, alios Jureconsultos magni nominis lacesseret, nostrum etiam erroris arguere voluit, defendente tamen illum Filio, vitam hanc describente. Perillustris vero Baro *de Lincker*, dum Analectis suis utrumque syntagma vel explicaret, vel in quibusdam suppleret, dissentiendum ab eo quodammodo existimavit, sed pro mutuo, quod inter utrosque intercedebat studio, multa cum modestia. Inter discipulos, præter perplures alios, magnis honorum gradibus adcumulatos, præcipue numerabat magnum olim aulæ Berolinensis Status Ministrum, *Paulum Fuchsium*. Immo multi erant, qui ipsius Syntagmata vel in compendium, vel tabulas synopticas redigerent. Civile vero Syntagma prolixo Commentario illustravit *Petrus Müllerus*. Quid? quod ipsi Galli Jurisprudentiam ipsius Romano-Germanicam in suam linguam transtulerunt. Sed fatalis nostro dies atque terminus erat quintus decimus Decembris anni 1692, cum ipse debilitatis licet, solito plus, catarrho suffocativo viribus, consultantibus tamen collegis adesset, & cum de caussa, quæ ad

Scabinatum delata, ad eos retulisset, inopinato adficiebatur, omnibus pæne eundem derelinquentibus viribus. Quieti itaque datus a suavissima conjuge, moxque vocati & Medicus, & supremus Ecclesiæ Antistes, officio dexterrime uterque functi sunt. Sed vix aliquot horas supervixerat, instantibus jam extremis, cum inter suorum suspiria & planctus atque preces, animam suam, circa horam quartam matutinam, in manus Dei placide dimitteret, annis tribus & septuaginta major, septem & quadraginta liberorum aut pater aut avus. Hæc sunt, quæ de vita ac fatis parentis narrat filius mœstissimus. Subsequitur funebre programma, Academiæ Jenensis nomine, die exequiarum 16 Decembris, publice adfixum, atque ultimo loco catalogus scriptorum beati Viri atque dissertationum.

DE NUPERO SCHISMATE ANGLICANO PARÆnesis ad Exteros tum Reformatos quam etiam Pontificios, qua Jura Episcoporum vetera, eorundemque a Magistratu seculari independentia, omnibus asserenda commendantur ab HENRICO DODWELLO, A. M. Dubliniensi.

Londini, impensis Richardi Smith, 1704, in 8.
Constat plagulis 17.

CUm Guilielmus, gloriosissimæ memoriæ Rex Angliæ, felici sidere Londinum appulisset, ac in primo Parlamento, ipsius auspiciis convocato, decretum fuisset, ut quicunque Parlamento assiderent, a juramento fidelitatis Jacobo II præstito absolverentur, novumque novo Regi juramentum præstarent; non pauci inter Episcopos id præstare veriti sunt, ac eapropter Episcopatu exuti fuerunt. Quos cum a Magistratu civili deponi haud potuisse, multi sibi persuasum haberent, Episcopos novos, qui in locum depositorum surrogati fuerant, nec recipi, nec cum iisdem communionem quandam haberi posse judicarunt, imo quotquot cum illis facerent, schismatis cujusdam accusare non dubitarunt. Cui sententiæ, inter eruditissimos Angliæ Viros, Dodwellus etiam addictus, libellum præsentem in lucem publicam emittere, inque eo Episcoporum jura a prima origine repetere, ac jus in eadem Magistratui civili derogare voluit. In quo tractationem exorsurus do-

doctissimus Autor, primum admonet exteros, ut sibi prospiciant, ne quid mali exempli ab Anglis ad eos redundet, quod ipsorum quoque communionem precariam, nec diutius duraturam, quam Magistratui civili videatur, reddat: dein omnem schismatis nuper apud Anglos orti causam ab Episcopis suis amoliri, & in eorum adversarios transferre studet: tandem exteris factum hoc dijudicandum tradit, ea tamen lege, ut secundum primævæ Ecclesiæ placita, non juxta præconceptas modernarum etiam Ecclesiarum opiniones, illud examinent. Quibus præmissis, ante omnia duo primævæ Ecclesiæ intervalla, unde quidem ad nostra tempora deduci soleat argumentatio, caute invicem secernenda esse notat, & quidem prius eorum fuisse monet, cum in universam Christi Ecclesiam, talem primatum obtineret Episcopus Hierosolymitanus, qualem Pontifex templi Hierosolymitani Judæus in Synagogas Judæorum per orbem dispersas habuerit. Tum enim ἀρχιερεῦσι seu Principibus sacerdotum (per quos Pontifices, Expontifices, Segenes seu vicarios Pontificum, qui totius δωδεκαφύλȣ, seu duodecim tribuum nomine, sacris publicis præfuerint, intelligit) in Synedrio Christianorum Hierosolymitano Apostolos, pro tribuum quoque numero duodenos, respondisse. Quod autem primum hoc Ecclesiæ Hierosolymitanæ Collegium, ad Collegii apud Judæos Hieratici instar, communi ἀρχιερέων nomine haud insignitum fuerit, in ratiociniis illius ævi Platonicis de Archetypis atque Ectypis, causas valde commodas inveniri censet, quæ eo denique redire videntur, ut cum Christus ipse, ὁ Λόγος, Prototypus, unicus esset ac æternus Sacerdos, & κατ' ἐξοχὴν ac vere Ἀρχιερεὺς, Apostoli a nomine tam venerando sibi temperare voluerint, Collegiumque suum modestiori aliquo vocabulo, quod ministros Christi potius quam collegas sonaret, censuerint insigniendum, ne quam sibi paritatem cum Λόγῳ vindicare viderentur. Porro observat, cum explendo duodenario Apostolorum numero non sufficerent, qui ex eadem cum Christo stirpe essent, aliunde arcessendos fuisse, qui tribuum numerum æquarent: in hoc tamen Apostolorum Collegio, primum locum Christi cognatos habuisse. A primo, quod Hierosolymis erat, isto Cleri Christiani Collegio ad secundum progreditur, atque istud cum secundo Synedrii Judaici Collegio non modo commune Presbyterorum nomen, sed & parem numerum habuisse

 buisse

buisse docet, id colligens ex libro Apocalypseos, ubi 24 Presbyterorum mentio injicitur, & juxta ipsum Ecclesia Hierosolymitana, qua Synedrio Hierosolymitano respondit, adumbratur: præterea asserit, a secundo hoc Christianorum Hierosolymitanorum Collegio ad exteras ecclesias exemplum Presbyterorum transiisse, atque sic nullum esse potuisse locum presbyteris laicis. Cum igitur utriusque Cleri, Judaici pariter ac Christiani, Hierosolymitani Collegia adeo accurate sibi invicem responderint, facile hinc colligi posse opinatur, Clero Christianorum Hierosolymitano obsequium omnes orbis universi ecclesias debuisse, uti Clero Hierosolymitano Judæo omnes per mundum universum dispersæ Judæorum synagogæ paruerint: imo ex hac convenientia inferre satagit, primo hoc Apostolorum spatio, Christianis omnibus unitatis principium Episcopum Hierosolymitanum fuisse; ad eundem plane modum, quo & Judæis omnibus, quantumvis invicem dissitis, unitatis principium summus fuerit Pontifex, qui rem sacram omnium nomine procuraret: paulatim deinde Rectorum ordinariorum potestatem in ecclesiis exteris, ecclesiæ forte Hierosolymitanæ consensu, augmenta cepisse: primis autem temporibus vix alios, quam illius ministros, Hierosolyma missos, in ecclesias ecclesiæ Hierosolymitanæ obnoxias disciplinam ac potestatem exercuisse: ipsos tamen hos ministros itinerarios utriusque Collegii, tam Apostolorum quam Presbyterorum, Clero citra dubium obnoxios fuisse. Ne vero, quæ de primatu ecclesiæ Hierosolymitanæ in universam Christi ecclesiam adducta sunt, in cerebro suo finxisse videretur Clarissimus Autor, eundem proximis post Apostolos temporibus non ignotum fuisse, corroborare studet, eumque in finem ad Hegesippum e statu ecclesiæ Hierosolymitanæ de statu ecclesiæ Catholicæ judicantem; ad traditionem quandam de Apostolis, aliisque Domini tam cognatis quam discipulis, e peregrinationibus domum reversis, ut Simeonem Cleopæ episcopum Hierosolymitanum constituerent; ad Clementem Romanum, qui non Petrum, sed Jacobum Episcopum Episcoporum salutarit; ad ordinem epistolarum Catholicarum, inter quas primus locus epistolæ S. Jacobi, ob hujus prærogativam, assignatus fuerit; ad Epiphanium, qui hæresi 70 num. 10 hunc ecclesiæ Hierosolymitanæ primatum agnoverit, provocat. Exposito ita ecele-

clesiæ Christianorum Hierosolymitanæ in reliquas jure, quod juxta ipsum ad Trajani usque tempora se extendit, ad alterum Ecclesiæ intervallum & hodiernum regimen ejus pergit, illiusque constitutionem, licet ab Apostolis emanarit, omnibus tamen N. T. scriptis recentiorem, ac proinde ibi haud expectandam esse tradit, imo perhibet, minus necessarium esse, ut regiminis ecclesiastici forma, hodie inter Christianos observanda, in sacris literis commemoretur, quandoquidem sine illa mentione parem, imo forsan etiam majorem habeamus saltim regiminis ab Apostolis in ecclesia universa relicti certitudinem, quam quæ in libris ab Apostolis scriptis nobis relicta fuerit. Sepositis igitur libris Scripturæ canonicis, e quorum silentio regiminis ecclesiastici juri nihil decedere credit, ad recentiora monumenta sese confert, atque ex illis, quæ demum nova jura, & qua ratione, singulis ecclesiis ex Hierosolymitanæ clade accesserint, perlustrare, ac quo melius rerum deinde gestarum nexus intelligatur, tempus, quo tanta illa mutatio contigerit, paulo curatius, quam hactenus factum, indagare suscipit, atque docet, post Simeonis Cleopæ cædem, (quam olim anno æræ vulgaris CXVI contigisse sibi persuaserat, jam vero ad initium imperii a Trajano gesti, annum puta CIV vel CV, referendam esse suspicatur) in singulis ecclesiis Episcopos pares Episcopo olim Hierosolymitano successisse, dissipataque ecclesia Hierosolymitana, & causis omnibus primatus spoliata, primatum ipsum etiam Dei providentia fuisse sublatum: episcopis primis potestatem Apostolos dedisse, non tamen tantam, quæ illos ab officio Apostolis debito excusarit: post cædem Simeonis Cleopæ, Collegium Apostolorum Ephesi sub moderamine S. Johannis Apostoli degisse, atque ita primatum ab ecclesia Hierosolymitana ad Ephesinam translatum esse, nec multo post, autoribus Apostolis, nomen Episcopi πρωτοκαθέδροις, seu primam sedem occupantibus, proprium fieri cœpisse; non tamen effecisse magnificum illum Episcoporum titulum, ut Apostolis obnoxii non essent πρωτοκάθεδροι: tempus autem, quo hoc novo Episcoporum nomine donati ab Apostolis fuerint πρωτοκάθεδροι, in tanta vetustatis caligine constituere, fatetur esse difficillimum, id tamen anno Christi CVI, ante stabilitum a Collegio Ephesino Evangeliorum Canonem præter propter contigisse hariolatur, idque dein probare satagit.

git. Quod Episcopi nomen, commune antea cum aliis, ubique & tam repente πρωτοκαθέδροι soli obtinere cœperint, ex suis hypothesibus facile declarari posse affirmat. Juxta ipsius namque mentem, juris Hierosolymitani legitima devolutio rationem omnem exclusit, cur quis merito adversaretur: imo fecit, cur boni omnes æquique amantes eam tuerentur: jus vero illud principii unitatis non corpori universo, sed corporis tantummodo capiti, & personæ adeo singulari, convenire commode potuit: sic æmulos nullos vel unica illa ratio πρωτοκαθεδρίας, seu primariæ sedis, admisit: nec de personis, quas in prima sede, ab ultimis Ecclesiæ Apostolicæ Hierosolymitanæ ministris constitutas, repererat ipsa illa devolutio, certamen ullum enasci potuit: etenim quos prima apud suos sede dignos judicavisset ecclesia illa Apostolica, iidem digni etiam juribus, ad primas sedes postea devolutis, censeri debuerunt. Circa nomen Episcopi observat, quod illud prima significatione Dei proprium sit, inde autem ad alios, qui ejus personam repræsentarent, præcipue autem ad sacerdotes primarios aliosque intimioris admissionis amicos emanarit: quod Apostoli ac Presbyteri exterarum ecclesiarum, nondum coercendi potestate donati, Episcopi appellati sint, quia eleemosynis Deo sacris distribuendis præfecti fuerunt. A nexu visibilium Episcoporum cum invisibili causam arcessit, cur singulorum Episcoporum sententiæ jus communionis universalis dederint vel abstulerint. Etenim cum admissus in ecclesiam ab Episcopo in una solum ditione, a Christo etiam similiter admissus sit, & contra ejectus ex ecclesia, a Christo ipso pariter ejectus fuerit: collegæ certe in Episcopatu nulli jus esse potuisse, repudiandi a sua communione, quem Christus ipse in suam admisit, corporisque sui membrum per vicarium suum visibilem agnovit; nec contra, jus ulli esse potuisse in suam communionem admittendi, quem Christus pariter, per vicarium suum visibilem, a se alienum damnandumque pronunciavit. Hinc in gratiam φιλαρχαίων, quid ecclesiæ Catholicæ nomine intellexerit Ignatius, disquirit, variisque sententiis repudiatis, illum Ecclesiam invisibilem & archetypam, sub Christo archetypo & invisibili Episcopo, Catholicam appellasse asserit; propugnatque ecclesias etiam particulares Catholicas appellari posse, quæ servant cum cœlesti Apostolorum ec-

ecclesia communionem: non posse autem illas, quæ singularum ecclesiarum regimen monarchicum immutare ausæ sint. Porro quid S. Cypriani verba, de una ecclesia, uno episcopo, uno episcopatu, cujus a singulis in solidum pars teneatur, sibi velint, exponit; ac declarat, Episcopos proprium sibi collegium, & quidem non solum de facto, sed de jure, atque ex ecclesiæ Christianæ commodo constituisse: unum episcoporum ab Apostolis electorum, alterum potestate non superasse: omnem imparitatem, quæ subsequenti tempore inter Episcopos obtinuit, singulorum pactis tribuendam esse, quæ tantundem valuerit, quantum ipsa pacta valent. Quam diu vero inter Episcopos paritas illa obtinuerit, tot primævis monumentis deperditis, difficulter admodum definiri posse judicat. Suspicatur tamen, ad tempora fere Constantini eam perdurasse: iis enim canones Conciliorum de rebus diœcesanis privatis primum conditos deprehendi. Quod Episcoporum in sedes vacantes sufficiendorum jus, non ad Presbyteria, sed ad Collegii Provincialis Episcopos spectarit, liquidum esse autumat; difficilior autem Auctori quæstio videtur, num Episcopum episcopatu exuendi jus habuerint Collegæ, cum pares inter se essent, & vere Episcoporum non ausi fuerint esse episcopi. Circa quod problema extra controversiam ponit, quod potuerint Collegæ eum saltim pro Collega non agnoscere, qui seipsum ob admissa crimina episcopi dignitate privarit: sed crimina talia esse oportuisse, quibus non solum meruerit, ut exueretur, sed quæ ipso facto illum exuerint, episcopalisque honoris incapacem fecerint. Ad quæ crimina refert, si quis idolis sacrificarit: cum enim nulla communio Christo sit & Diabolo, nec mensæ Diaboli particeps mensæ Domini particeps fieri queat, multo minus communicantium omnium caput ac unitatis principium cum Christo communionem habere potuisse. Iisdem criminibus accenset, si quis hæresi se commaculasset. Etenim cum literarum formatarum finis hic præcipuus fuerit, ut commune fidei depositum hoc commercio inviolatum servaretur, in propatulo esse, qui aliam fidem sequebantur, jus nullum collegii orthodoxi, nec commercii literarum formatarum amplius habuisse. In eorum criminum numero schisma denique collocat, utpote quod ab Ecclesia, ac proin etiam a collegio sacerdotali & collegii commercio, aliquem separa-

 rit.

rit. De regiminis ecclesiastici origine cum ita egisset Auctor, in Episcoporum potestate longe majus, quam vulgo creditur, momentum esse monet, atque Reformatos ad restaurandum Episcopatum exhortatur. Demonstrat porro, primævis Episcoporum juribus adversari, quæ Romanus Pontifex sibi vendicat; primatum illum certe ad articulos fidei non posse referri; incertam admodum esse illam Ecclesiæ Catholicæ unitatem, quæ ab unius Ecclesiæ episcopo, tanquam cæterorum capite, arcessitur; bono ecclesiæ publico longe utiliorem esse omnium episcoporum paritatem, quam si unus Episcopi Hierosolymitani hæres Episcopus Romanus fuisset. Absoluto ita primo de veteribus Episcoporum juribus capite, ad secundum de Episcoporum a seculari potestate independentia accedit, ac postquam eandem probare studuit, monet, Principibus secularibus in hoc negotio neque Reformatos, neque Pontificios admodum fidere posse: ad ecclesiæ dissolutionem spectare, si Principibus Episcopos officio ecclesiastico exuendi concedatur potestas: ne quidem commodis suis inservire Principes, vim religioni inferentes: ad bonum reformationis publicum facere, si Episcopi cum primævis suis juribus restaurentur: primæva illa Episcoporum jura, ad concordiam cum modestioribus fidei Romanæ sociis promovendam, multum conducere: Ecclesiæ etiam Pontificiæ non prodesse Principis tutelam, si, quam tuetur in Pontificem, ecclesiæ libertatem ipse violaverit: officia in episcopos primæva digna plane esse, quæ hodiernis etiam catechesibus inserantur.

JOSEPHI PITTON TOURNEFORT AQUISSEXtiensis, Doctoris Medici Parisiensis, Academiæ Regiæ Scientiarum Socii, & in Horto Regio Botanices Professoris, Corollarium Institutionum Rei Herbariæ.

Parisiis e Typographia Regia, 1703. in 4to.
Constat plag. 9 & tab. æn. 13.

PEculiare id habet præ aliis studium Historiæ Naturalis universum, maxime Botanicum, ut quo major copia rerum nobis cognita fuerit, hoc majus oriatur desiderium videndi plura. Atque hæc ipsa insatiabilis cupiditas impulit modo nominatum Tournefort

fort, ad suscipiendum iter longe durissimum plenumque multiplici periculo. Vix absolverat Institutiones Rei Herbariæ, (Anno 1701 Mense Augusto a nobis indicatas,) pulcherrimum opus, in quo 673 plantarum genera, sed species 8846 diligentissime describuntur, & ea libido visendi exteras regiones, Orientales præcipue, invasit eum, ut rariores conquireret stirpes, eas etiam, quas olim celebrasse ac in frequenti usu habuisse veteres Medicorum principes, nihilominus hodie deperditas aut ignotas novimus. Adjutus igitur munificentia Ludovici Magni Regis Galliarum, una cum sociis D. Andr. Gundelsheimer, Medico Germano, & Claudio Aubriet Gallo-Campano, pictore peritissimo, primum ad Ægæi maris insulas tum Cyclades, tum Sporades, abiit, postmodum Constantinopolim, Pontum Euxinum usque Trapezuntem visitavit, in Bithynia, Paphlagonia, Cappadocia, utraque Armenia, Iberia, Galatia, Mysia, Phrygia, Æolide, Lydia & Ionia exploratis collectisque plantis non satiatus rediit: maluisset enim Syriam ac Ægyptum peragrare, nisi pestis inibi dire grassata eum deterruisset. Interim non pœnitendos peregrinationis fructus ex locis illis reportavit secum: plantas namque rarissimas 1356, ac inter has 25 genera prorsus nova invenit, atque in hoc Corollario descriptas delineatasque in publicum edidit.

Kurtzer Entwurff der Einigkeit der Evangelisch-Lutherischen und Reformirten im Grund des Glaubens, abgefasset von SAMUEL STRIMESIO,

h. e.

BREVIS DELINEATIO CONSENSUS INTER *Evangelicos Lutheranos & Reformatos in fundamento fidei, singulari desiderio promovendæ unionis Christianæ inter utrasque Ecclesias consignata a* SAMUELE STRIMESIO, *SS. Theol. Doctore, ejusdemque Professore Ordinario, & Pastore Primario in Academia Regia ad Viadrum.*

Apud Jer. Schreyen & Jo. Christoph. Hartmann, 1704, 8.
Plag. 11.

CEleberrimus inter Reformatæ religionis Doctores *Samüel Strimesius*, in præsenti Delineatione id agit, ut ostendat, Ecclesiarum
Lutherano-ac Reformato-Evangelicarum doctrinas, quod ad fidei
fundamentum attinet, convenire, ac proinde nihil obstare, quo minus colligari in unum corpus mutuamque fidei societatem coire
queant. Trium itaque quæstionum brevi, sed luculenta discussione,
p. 5. 6. 7. operis tractationem absolvit. Primo enim quærit, utrumne discrimen sit ponendum inter veritates, quæ theologicæ aut sacræ tantum dicuntur, & inter eas, quæ cum ipso fidei fundamento arcte
connectuntur? Deinde disquirit, quænam istæ sint veritates aut
doctrinæ, quæ cum fidei fundamento necessarium nexum habeant?
Quibus explicatis, probare denique nititur, Reformatos cum Lutheranis, in istis doctrinis, quæ fidei & salutis fundamentum constituunt, convenire, adeoque nullam adesse rationem, cur ad constituendam inter utrasque Ecclesias unionem, animus non sit adjiciendus.

Quod inter veritates tantum theologicas, & quæ fundamentum
salutis constituunt, differentia sit admittenda, liquere arbitratur, quo-
p. 11. niam priores sic comparatæ sint, ut vel plane ignorari, vel memoria iterum excidere possint, salva hominis salute; cujusmodi est
doctrina de motu vel quiete telluris. Ipsos Apostolos, Petrum &
p. 13. Paulum, dissensisse inter se de veritatibus quibusdam theologicis. In
primitiva Ecclesia dissensisse Victorem Episcopum Romanum ab Asiaticis Ecclesiis de celebrando Paschatos festo, vitioque ab omnibus verti
p. 15. Victori, quod ideo Polycratem, Ephesinum Episcopum cum omnibus
Asiæ ecclesiis a communione absciderit. Lutherum Bohemos fratrum
p. 16. loco habuisse, tametsi ipse fateatur in Præfatione ipsorum Confessioni, quæ Wittebergæ A. 1533 prodiit, adjectæ, quod non in omnibus
inter se atque ipsos conveniat. Eundem charos eximiosque ha-
p. 17. buisse Helvetios, licet non omnino se invicem intellexerint. Esse
cum inter Reformatæ, tum Lutheranæ Ecclesiæ Doctores, in quibusdam dogmatibus dissensum, qui nihilo interim minus unitate
p. 18. 19. Spiritus, per vinculum charitatis, inter semet invicem conjungantur.
p. 20. Neque fieri posse, ut in tanta temperamentorum, corporum, intellectus, cognitionis, inclinationum, educationis, institutionis, præjudiciorumque diversitate, & causarum in vel extra hominem posita-

sitarum, unum idemque omnes sentiant. Proinde nihil aliud su-
peresse, quam ut de dogmatibus, ipsum fidei & salutis fundamen-
tum constituentibus, tantum circumspiciamus, utpote in quibus
consensus atque unionis ratio solum requiratur. Hinc explicantur
criteria, ex quibus doctrinæ ad ipsum fidei fundamentum pertinen-
tes cognosci possint. Nimirum requiri ad hoc, ut vel Deus ipse p. 27.
veritates istas ad salutem esse necessarias revelaverit, vel ut ex evi-
denti consecutione idem intelligi possit. Consequentiam autem
evidentem vel ad necessariam doctrinam, vel ad expressionem ne- p. 30.
cessitatis ejus ad salutem, respicere. Ex quo arguuntur in
defectu peccantes Sociniani & Arminianorum nonnulli, in excessu p. 33.
autem, qui fundamentum substantiale, dogmaticum & organicum
posuerint, ad quod omnia dogmata, uti antecedens quoddam, aut
constituens, aut consequens retulerint, & qui consequentias ex Au- p. 34.
ctorum hypothesibus sive vere sive perperam deductas, ipsis licet p. 36.
vel maxime renitentibus impingant. Cum vero nonnulli sex, alii
quinque, quatuor alii, & iterum alii tria tantum dissensionis capita,
inter Ecclesiam Lutheranam & Reformatam constituerint, propo- p. 42.
nuntur primum quatuor argumenta, quibus consensus harum Eccle-
siarum fundamentalis probatur; deinceps vindicantur a dissensu fun-
damentali tria ista capita, quæ unionem impedire plerisque creduntur.
Primum, quo utrarumque Ecclesiarum consensus in fidei funda-
mento confirmatur, desumptum est a consensu circa Scripturam p. 43.
S. tanquam principium, uti loquuntur, adæquatum credendi atque
agendi; *secundum* a quinque præcipuis capitibus religionis Chri- p. 46.
stianæ, nimirum a Fide, Lege, Oratione Dominica, Baptismo & S.
Cœna; *tertium* a convenientia circa Augustanam Confessionem p. 49.
invariatam; *quartum* a convenientia circa Formulam Concordiæ p. 57.
stricte dictam, & explicantur ea, quæ dubios reddere nonnullos hac in
re potuissent. Nam cum Formula Concordiæ circa tres tantum ar-
ticulos, scilicet in loco de *Cœna Domini*, de *Persona Christi*, & de
Prædestinatione, dissensum suum adversus Reformatos testetur, de
hisce tribus sigillatim sibi agendum esse, putavit Auctor Celeberri-
mus. Ut igitur nullum dissensum fundamentalem, in articulo *de
Cœna Domini*, inter Reformatos & Lutheranos intercedere osten-
dat, docet ex suæ Ecclesiæ Doctoribus, ipsos concedere primo, ve- p. 62.

rum corpus & sanguinem Christi vere & substantialiter adesse, atque cum pane & vino distribui; deinde corpus & sanguinem Christi supernaturali & cœlesti modo cum pane & vino sumi;
p. 65. adeoque dissensum constitui tantum in eo, an corpus & sanguis Christi ore sumatur, atque an ab indignis non minus quam di-
p. 67. gnis ore corporis accipiatur: adductisque Reformatorum negandi rationibus, existimat, quomodocunque tandem res comparata sit,
p. 69. illud omnibus perspicuum apertumque esse, dissensum circa hæc
p. 70. ad fundamentum fidei non pertinere, quoniam neque quisquam propterea vitæ cœlestis jacturam pati possit, & ipsi dissentientes circa ea, quæ præcipua in S. Cœna sunt, nimirum quoad spiritualem man-
p. 71. ducationem conveniant. Imo totum de cœna Domini articulum non
p. 73. esse ex sententia etiam Doctorum Lutheranorum fundamentalem, ac
p. 75. ipsum Lutherum initio reformationis statuisse, non committi errorem fundamento fidei repugnantem, si quis transsubstantiari panem crediderit, in reformationis quoque progressu professum, se amplius Bucero spiritualem manducationem concedenti litem non moturum. Ad-
p. 77. jungitur quoque responsio ad quinque argumenta, quæ Vir quidam eruditus objecerat, ut omnis circa hunc articulum orta dubitatio tolleretur. In loco *de Christo* concedi inquit a Reformatis
p. 84. fere omnia, quæ Formula Concordiæ proponit: difficultatem in
p. 85. hoc solum motam esse, an naturæ humanæ finitæ, in abstracto sumptæ, communicatæ fuerint proprietates divinæ essentiales, & vice versa; quoniam proprietates essentiales, inprimis in Ente simplicissimo, qualis est divina natura, cum rei essentia unum sint idem-
p. 86. que. Sed cum concedatur, Christum esse verum Deum & hominem in una indivisa persona; eidem tanquam vero Deo & homini competere omnia attributa essentialia divina & humana, ne uno quidem excepto; personæ in concreto, sive ab humanitate sive divinitate denominetur, non solum utrasque proprietates, verum etiam quicquid Christus in terris aut cœlo perfecit, aut adhuc agit, aut acturus est, non secundum solum nomen, sed rem ipsam tribui, evidens esse putat, dissensum in hac sublimi materia non esse fundamentalem. Denique in articulo *de Prædestinatione*, approbari a Reformatis dicit Vir Reverendus, quæ in Formula Concordiæ leguntur, quæ-
p. 95. que non tam Reformatis, quam nonnullis inter ipsos Lutheranos

op-

opposita fuisse deprehendantur. Adducit proinde, ad meliorem
intelligentiam, Universalistarum & Particularistarum Reformatorum, atque ipsorum Lutheranorum sententias de Prædestinatione.
Inductos autem fuisse Reformatos, cum nonnullis Lutheranis, ante p. 99. 104.
Hunnii & Mylii tempora, in istam de prædestinatione mentem, ne
quid tribuisse viderentur viribus humanis, in consequenda salute
nostra. Eandem fovisse sententiam Augustinum & Patres nonnullos. Sed cum vulgo objiciatur, neminem, secundum Reformatorum doctrinam, de salute certum esse posse, quoniam p. 116.
propositionibus universalibus, in quibus particulares subsumptiones continentur, destituantur; respondet, licet universales absolutæ propositiones de gratia Dei non proponantur, haberi tamen p. 119.
propositiones universales accommodas sive limitatas, quarum vi tutius quispiam de salute sua subsumere & concludere queat, quam p. 121.
propositis propositionibus universalibus absolutis, sub quibus
etiam impii contineantur. Neque minorem fructum ex hac doctrina percipere convertendos, aut in statu tentationis constitutos. p. 123.
Convertendis enim primo proponi pœnitentiam, sub pœnitentibus autem ipsos contineri tentatos, adeoque utrosque sub propositione universali accommoda, quod Deus omnes pœnitentes & p. 124.
credentes salvos fieri velit, subsumere & judicium de salute sua facere posse.

Quibus explicatis, hortatur & rogat Vir pacis Ecclesiasticæ studiosissimus, ut quisque pro dignitate, doctrina & officio sibi a Deo concesso, ad promovendum opus tam sanctum & salutare connitatur, cum jam majorum vestigia extent, cujus rei exemplum ab Evangelicis Statibus Francofurti A. 1634 editum subjicitur, p. 143.
& Potentissimi Borussiæ Regis voluntas plurimorumque studium idem probet. Tanta vero animi moderatione atque candore, in commendando hoc negotio utitur Vir Celeberrimus, ut neque pacem cum veritatis jactura optet, eandemque si rei Christianæ minus convenientem intellexisset, se impediturum profiteatur. p. 159.

NOVA LITERARIA.

Berolini die proximo 5 Februarii, ætatis anno septuagesimo primo, ad Superos, per placidam analysin, transiisse Theologum ac Poly-

lyhistorem toto orbe celeberrimum, *Philippum Jacobum Spenerum*, publice jam constat. De quo uberrimus dicendi campus nobis pateret, nisi persuasissimum haberemus, futurum proxime, ut justo studio composita Vitæ ejus recensio, & librorum ab ipso editorum catalogus, publicæ luci exponatur. Ex Italia denique, post molestissimas moras, libros expectamus novos, ac inter hos etiam, quos jam mense Majo anni superioris indicaveramus. De quibus proinde memoranda erunt plura, quamprimum ad nos pervenerint. Interim non dissimulamus, *Jo. Vignolæ Dissertationem de Columna Imperatoris Antonini Pii, Romæ in Campo Martio A. 1703 detecta*, cui tum dixeramus ultimam manum imponi, prælo nondum commissam, Auctore hactenus per morbum præpedito. Contra spes est, Justi Fontanini Forojuliensis *Vindicias antiquorum Diplomatum adversus Bartholomai Germonii Disceptationem de veteribus Regum Francorum Diplomatibus & Arte secernendi antiqua diplomata vera a falsis*, propediem prodituras. Quemadmodum nec id tacemus, Petri Marcellini Corradini *Veteris Latii Profani & Sacri* partem primam, seu Latium Gentile, Romæ typis Francisci Gonzagæ publici nuper juris factam: alteram vero, nempe Latium sacrum, sub prælo jam sudare. Inter libros alios in Italia superiore anno editos commendantur: *Triduana Concertatio de Canone librorum sacrorum, acta in Seminario Montis Falisci*, auctore Fr. Guillelmo Bonjour Tolosano, Ordinis Eremitarum S. Augustini, & in Seminario Montis Falisci Divinarum Litterarum Professore. Apud Montem Faliscum, 1704. 4. *Dissertatio Historica de ducentis Augustinianis Scriptoribus, qui obierunt post magnam unionem Ordinis Eremitici usque ad finem Tridentini Concilii, amplioris Bibliotheca Augustinensis prævia.* Authore Fr. Antonio Gandolfo Genuensi. Romæ 1704. 4. *De Prærogativa Oecumenica Nomenclationis & Potestatis Romani Pontificis a Constantinopolitanis Præsulibus usurpata, Historica Dissertatio.* Auctore Ant. Vaira Veneto, Patavii 1704. fol. *Vita di S. Emidio Vescovo d' Ascoli, e Martire.* Composta da Paolo Antonio Appiani della C. di Gesu, Consultore della S. Congregazzione dell' Indice. Ed zzione seconda. In Roma, 1704. 8. *De Aure humana Tractatus, in quo integra ejus fabrica multis novis inventis & iconismis illustrata describitur.* Auctore Antonio Maria Vallalva, Bononiæ, 1704. 4. De aliis alias.

N. IV.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Aprilis, Anno MDCCV.

THE HISTORY OF THE REBELLION AND CIVIL Wars in England, begun in the Year 1641. Written by the Right Honourable EDWARD CARL OF CLARENDON. *Volume the first.*

Oxford, printed at the Theater, 1704. fol.

HISTOIRE DE LA REBELLION ET DES GUERres Civiles d'Angleterre, depuis 1641 jusqu'au retabliſſement du Roi Charles II. Par EDWARD COMTE DE CLARENDON. *Tome I diviſé en deux Parties.*

A La Haye, chez Louis & Henry van Dole, 1704. 12.

i. e.

HISTORIA REBELLIONIS ET BELLORUM ANGLIÆ CIvilium ab A. 1641 usque ad reſtitutionem Caroli II Regis. Auctore EDUARDO CLARENDONII COMITE. *Tomus I.*

Anglica editio conſtat Alph. 6. plag. 9. Verſio autem Gallica Alphab. 2.

MOtuum inter imperantes atque ſubditos civilium exempla, plurium quidem regnorum ac provinciarum annales nobis ſuggerunt, nunquam vero, per omnium ſeculorum decurſum, aliud magis deteſtabile aut abominandum reperimus, quam inteſtinum iſtud Magnæ Britanniæ bellum, quod ne auguſto quidem Caroli I Regis ſanguine, ſacrilega carnificis manu, præter omnem cultioris ævi ac populi morem, effuſo confici vel extingui potuit. Cujus hiſtoriam quum

mul-

multi pro variis partium ſtudiis varie contexuerint, neminem tamen ſtylo moderatiore & majore cura compoſuiſſe novimus, quam EDUARDUM HYDE, CLARENDONII Comitem, Magnum olim Britanniæ & Univerſitatis etiam Oxonienſis Cancellarium, virum de regiis partibus, quas ſequutus eſt ſemper, & de muneribus ipſi collatis optime meritum, ſed eo nomine infelicem, quod, licet perpetuus Caroli II Regis in exilio comes, & poſt ejus reſtitutionem, graviſſimorum in Anglia negotiorum adminiſter fuerit, Parlamenti nihilo minus juſſu ſolum vertere, & relicta patria ſenectutis ſuæ annos reſiduos apud exteros tranſigere, coactus fuit. Cujus quidem rei cauſa credita multis fuit, quod Jacobus Eboracenſium tum temporis Dux, Regis Frater, qui rejectis Reformatæ Anglorum Eccleſiæ ſymbolis, ad Pontificiorum ſcholas tranſierat, filiam ejus, patre plane inſcio, in matrimonium duxerat: tametſi inſigni profecto, quod eventus docuit, Britanniarum emolumento, quandoquidem ex ea duas filias ſuſcepit, quarum altera MARIA, Guilielmo Arauſionenſium Principi deinceps nupta, anno ſuperioris ſeculi octavo ſupra octogeſimum, libertatem populi atque Eccleſiæ Anglicanæ, contra ipſum parentem Jacobum, Romanenſium infeſtis machinationibus nimis faventem, ſervavit; altera vero ANNA, Georgio Danorum Principi nupta, & poſt Mariæ ac Guilielmi deceſſum, Magnæ Britanniæ, Franciæ ac Hiberniæ Regina, auguſtiſſimis hodie auſpiciis regnat, ac una cum Fœderatis, per terreſtrium ac navalium copiarum duces celebratiſſimos, Gallorum, Hiſpanorum Bavarorumque, univerſæ Europæ hactenus inſultantium, potentiam reprimit. Acceſſerunt interim malevolentiæ adverſus Clarendonium aliæ dein rationes, Pontificiorum ſcilicet, quorum occultis in aula conatibus maſcule obſtiterat, & fœmellarum inſuper odium, quarum amoribus Carolus II Rex nimium quantum capiebatur, nihili plane habitis rumoribus, quos de ſcandaloſa earum vita, & exoſa cordatioribus Anglis indole, ſæpiſſime ad Regem detulit Comes noſter. Colophonem denique infortunio illius addiderunt multi ex comitatu aulico male erga ipſum animati, qui quod Regi Carolo conſultum ab eo fuiſſe crederent, ut illos, quos nuper hoſtes habuerat, beneficiis majoribus ſibi devinciret, veteres autem amicos & clientes fidos negligentius haberet, Curiæ ſive Parlamenti Anglicani Adſeſſores indeſinenter ſtimularunt, ut edicto publico venerandus ſenex in exilium

lium mitteretur, cujus tamen facti Regem postea plus vice simplici pœnituit.

Hic ergo Hydius, Clarendonii Comitis titulo postmodum decoratus, rebellionis Anglicanæ descriptionem duplici de causa adortus est, tum quod ad id faciendum Carolus I Rex jussu suo calcar addidisset, tum quod omnium, quæ gesta sunt, spectator ipse atque auditor extitit. Erat enim inferioris in Britannia Curiæ (*la Chambre des Communes*) Senator, atque in Comitiis A. 1640 habitis, regiam auctoritatem tamdiu contra calumniatores & novaturientes pro virili tutatus est, donec cum aliis furori insanientium cedere, atque in Carolinis castris receptum quærere, necesse duxit. Ne autem illi, qui a regio capite tempestatem hanc exitiabilem omni conamine avertere contenderunt, atque idpropter a sectariis Cromwellianis in Annalibus eorum male traducuntur, merita laude apud posteros excidant, aut paucorum hominum malitiosa pervicacia, per quam parum abfuit ut universa Britannorum natio ad incitas redigeretur, ex memoria hominum deleatur, huc quidem celeberrimi Auctoris Commentarii faciunt, quorum Tomum primum, quos duo alii excipient, in quinque Libros distinxit. *Primus* exhibet ultimos regiminis a Jacobo I Rege exerciti annos, iter; Caroli Principis cum Buckinghamio Duce in Hispaniam, pro ineundo cum Infante Hispanica matrimonio susceptum; Jacobi Regis obitum, Buckinghamii cædem, præcipuorum Status Administrorum characteres, ac Caroli filii successoris in Scotia coronationem, variorumque tumultuum, ob Liturgiam Anglicanam Laudi Cantuariensis Archiepiscopi suasu Scoticis Ecclesiis obtrusam, semina. *Secundus* motuum a Scotis excitatorum circumstantias, belli intestini exitum, novi deinceps dissidii inter Scotos & Anglos exorti mala, & Parlamenti Anglici a Rege dissoluti caussas recenset. *Tertius* Parlamentum anno 1640 a Rege convocatum nobis sistit, quod fatali turbine Regiæ Majestatis jura prorsus pessumdedit, & Straffordio Comiti d. 22 Maji anni 1641 caput amputari jussit. *Quartus* Regem ad Scotos ob pacem cum iis sanciendam profectum, mox ad Londinenses reducem, sed ob Curiæ inferioris atrocissimos insultus, ad Eboracenses profugum exhibet. *Quintus* denique liber molimina Regis apud Eboracenses degentis contra Parlamentum suscepta, missos a Rege ad Curiam, a Curia vero rursus ad Re-

Regem libellos varios, tum adparatum utriusque partis bellicum, & signa exeunte mense Augusto anni 1642 invicem collata narrat.

Hæc summa commentariorum superficiaria est: de cætero argumenti, quod Illustris Auctor pertractat, amplitudinem, ordinem rerum, eventuum plane singularium circumstantias, virorum maximorum characteres, studia partium, & quem in narrationibus singulis præ se tulit, candorem, quis est, qui illa recensibus nostris hactenus adhibita brevitate, extremis licet ductibus, delineare queat? Hunc enimvero in censum veniunt, quæ Libro primo de Georgii Buckinhamii Ducis apud Jacobum & Carolum Reges gratia, de itinere cum Carolo Principe in Hispaniam facto, ac post irritas matrimonii inter Carolum & Hispaniarum Infantem ineundi pactiones, belli Philippo III indicti caussis legimus. Et has quidem minus recte amoribus Buckinghamii cum Olivaresiana conjuge tribui, Auctor monet, quum Olivaresiana provectæ jam ætatis ac neglectæ formæ fœmina fuerit. Ast non dissimulat, Ducem, cum postea in Gallia Legati munere, ad conciliandas inter Virginem Regiam Henricam Mariam & Carolum I Angliæ Regem nuptias fungeretur, indecentiore ac tantum non insano in Fœminam Principem amore exarsisse, & postquam Regiam Sponsam in Angliam deduxisset, prosequendo amori novum splendidissimumque in Galliam iter meditatum fuisse, cumque admonitus esset, a fidis ministris de vitæ insidiis a Gallis, qui rem subodorati fuerant, redire auso structis adeo excanduisse, ut *Fœminam Principem ingratiis totius Franciæ se invisurum* exclamaverit, implacabili exin in Gallos odio concepto. Quæ nimia in Viro linguæ licentia tanto minus mira nobis videtur, quando Clarendonius memorat, Ducem aliquando eo audaciæ pervenisse, ut Regiam Caroli I uxorem, quod Buckinghamii matrem tardius, quam promiserat, invisisset, indecenter admodum increpuerit, & *illam* cordatius paulo respondentem *scire jusserit, non deesse apud Britannos exempla Reginarum, quibus capita ense fuerint rescissa.* Istud autem inprimis in Buckinghamio, maximo alias seculi sui Duce, notavit Auctor noster, neminem ex familiaribus ejus fuisse, qui ipsum fragilitatis suæ atque odii, non apud proceres tantum, sed & apud plebem, obstinatione nimia contracti admoneret: inde siquidem factum esse, ut non tantum Jacobi Regis, paulo ante obitum illius, gratiam, sed vitam denique ipsam, a Joanne Feltono cultro in pectus Ducis impacto, per-

perdiderit. Quæ de turbis Scoticis Libro secundo occurrunt, legi omnino merentur, extatque hoc inter alia singulare Argatheliæ Comitis, animum erga Regem optimum valde ingratum gerentis, monumentum. Nimirum Parens ejus hunc suum filium prodigum, atque paternis admonitionibus rarius obtemperantem, exhæredare constituerat, sed quo minus id faceret, Carolus Rex intercessit, qui exacerbatum patris animum ita emollivit, ut filio bonorum omnium aditum concederet, sibi tantum, ceu seni, certa annuorum redituum portione servata. Quæ pactorum tabulæ dum signarentur, patrem ita ad Carolum Regem loquutum fuisse, Hydius noster scribit: *Domine, jussa tua jam exsequutus sum, quamvis valde invitus. Sed vereor, ne indoles filii mei tibi minus cognita sit, quam par erat. Animo enim præditus est vafro atque infido, quique neminem constanter colit. Vires ac reditus juvenis ex voluntate tua auxi, qui tamen, si occasio affulserit, primus omnium adversus te ipsum insurget.* Neque istud de filio augurium falsum fuit, quippe Regis partes in dissidiis Scoticis inter primos postea deseruit. Cumque is Montis-Rosarum Comitem in plurimis æmulum haberet, factum est, ut ambo illi juvenes, ambitione sua quietem Scotiæ continuo turbantes, ad exemplum Romanorum *Cæsar* & *Pompejus* adpellarentur, quorum ille, Lucano teste, neminem priorem, hic vero parem neminem ferre potuit. In tertii Libri memorabilbius, tragicus Comitis Straffordii casus locum præcipuum meretur. Cum enim Parlamenti inferioris Curiæ membra, sanctioris apud Regem Consilii conatus & decreta exactiori censuræ subjicerent, regimen Episcopale tollendum penitus existimarent, Episcopos a consessu superioris Senatus (qui ex Ducibus & Paribus Angliæ constat) arcerent, variisque artibus & Regis fatali quadam indulgentia, Carolum ad triennalis Parlamenti constitutionem adigerent, (id quod primum destructæ paullatim regiæ auctoritatis indicium fuit) inter præcipua calamitatis publicæ momenta captivitas quoque Comitis Straffordii, Proregis Hibernici, numeranda fuit, cui præter alia accusationis capita, id quoque objecerunt, quod *minimum regiæ auctoritatis digitum plus valere, quam integrum Legum corpus*, dixerat. Itaque in necem viri vaferrimus

rimus quisque conspiravit, & Comes, regiæ quasi cædis præcursor, quum omnia retro ire, civilibusque bellis enses adparari mente præsaga jam videret, ipse ad maturandam mortis suæ sententiam Regem hortatus est, ne fortean, ob consensum summi Principis denegatum furibunda, plebs ab insanientibus ejus adversariis ad tumultum concitaretur, & Regiæ Majestati per refractarios ignominia fieret. Ex illo autem tempore, omnium fere infortuniorum cumulus Anglos simul oppressit. Romanenses enim in Hibernia, temporis opportunitate usi, circiter quadraginta millia Protestantium intra paucos dies mactabant. Scoti rebelles patriæ suæ fines egressi, ipsam Angliæ Septentrionalis oram infestabant. Parlamentum vero non pedetentim, sed torrentis instar in Regem grassari, omnia ejus jura & prærogativas subvertere, fidissimos quosque Principis comites, quamvis culpæ nullius conscios, vel ideo tamen, quia sectariis candor illorum displicuerat, ad carceres destinare, commeatui bellico & munitionibus regiis perditissimos ex suo grege homines præficere, omnia Caroli molimina sinistre interpretari, & famosissimos quotidie libellos Regis edictis opponere, atque adeo administrationis robur & suprema regni jura suæ tantum libidini mancipare, non dubitavit. Quinam Carolo in tanta rerum inclinatione animus fuerit, qua ratione præfecturam castri Hullensis, imperium classis, exercitum terrestrem, commeatum omnem, nervum insuper gerendi belli, modo nimia indulgentia, modo rigore nimio amiserit, quibus dolis inferior Curia Senatores ac Purpuratos regni in partes suas pertraxerit, quænam consiliorum in singulis congressibus diversitas, quis Remonstrationum, uti adpellabant, ab utraque parte publicatarum tenor, quænam præcipuorum rebellionis capitum artes & ingenia fuerint, id omne accuratissima & cogitata scriptione in reliquis libris Auctor noster adnotavit, ad quem lectores plura scire desiderantes merito ablegamus. Dolemus tantum, posteriores Tomos, in quibus Historiam civilis belli ab anno 1642 ad 1660, quo septima Junii mensis die, Carolo II Regi diadematis aviti honor restituebatur, persequutus est, nondum publici juris apud nos esse factos. Neque enim dubitamus, si leonem ex ungue æstimare liceat, reliquos etiam libros multa omni-

omnino singularia continere, quorum intimiorem notitiam Cancellarius noster ex schedis publicis hauserat, & quæ in aliis tumultuum Anglicorum commentariis frustra quæremus.

A COLLECTION OF VOYAGES AND TRAVELS.

i. e.

SYLLOGE ITINERARIORUM, QUORUM ALIqua e linguis exoticis in Anglicam translata, alia nunc primum e schedis Auctorum prodeunt: quibus accessere quædam & olim Anglice impressa, sed rariora & præstantiora. Volumina IV.

Londini, apud Awnsham Churchill & Johannem Churchill, 1704, in fol.

Constant Alph. $39\frac{1}{2}$, & quamplurimis figuris æneis, tam separatim impressis, quam passim textui insertis.

NOn uno anno absolutum est tam vastum opus, si quid e præfixo Wilhelmi Regis privilegio, quod annum 1700 subscriptum habet, conjectare licet, nec tantæ molis futurum speraverant initio Bibliopolæ, qui cum e majoribus operibus compendia facere constituissent, mutata sententia, integra nunc scripta figuris suis omnibus exornata repræsentant, spem insuper facientes, se, quæ plura in ipsorum manus inciderint lectu digna, aliis deinceps supplementorum tomis publicaturos. Præmissa est operi, præter præfationem generalem librorum insertorum conspectum exhibentem, Dissertatio præliminaris, qua universa Historia Navalis, ab origine ad nostra hæc tempora, per complures paginas erudite traditur. Ut enim de ipsis profectionum maritimarum, ab A. 1360 ad nostra tempora, a variis gentibus institutarum Annalibus, qui hic exhibentur, nihil dicamus, elegantia sunt, quæ de origine navium earumque usu, imprimis apud Phœnices seu Cananitas, tum & apud Græcos & Romanos, e probatissimis scriptoribus, speciatim e Bocharto & Morisoto afferuntur; qua occasione obiter etiam de Salomonis profectione in Ophir, seu Indiam, ut Noster putat, Orientalem ductu stellarum facta agitur, & Plinii locus ex L. V, C. 12 producitur, ubi Phœnicibus quinque inventa, literæ, stellarum cogni-

cognitio, navigandi ars, disciplina militaris, & exstructio urbium tribuitur. Hinc de recentiori acus magneticæ invento agens Auctor, negat in Plautino illo versu in Mercat.

Huc secundus ventus nunc est, cape modo vorsoriam,

per *versoriam*, quod quidam voluere, acum illam indicatam, eoque veteribus non ignotam fuisse. Neque ejus acus usum a Paulo Veneto, circa annum 1260 e China reduce, ad Europæos primum translatum fuisse putat, etsi Lusitani asserant, Chinensibus a multis seculis familiarem eum fuisse. Quin optimo jure ejus acus inventionem tribui credit Flavio Gioiæ, Amalphitano, qui circa A. 1300 vixit. Cæterum de mirandæ rei hujus causis parum Noster est sollicitus, earumque inquisitionem perdocto in Anglia Viro permittit, cujus meditationes de Magnete propediem exspectentur. Subjectus est huic dissertationi catalogus plurium Itinerariorum, quæ passim non uno idiomate prodierunt, quorum simul characteres describuntur. Ex his non erit ab hoc loco alienum, nonnullas Itinerariorum collectiones referre. Commendatur imprimis Theodori & Johannis de Brye *India Orientalis & Occidentalis*, Francof. 1624 VI voluminibus in fol. impressa, qua in collectione præstantissima quæque de utraque India Itineraria, e linguis, quibus exaratæ erant, in Latinam translata exhibentur. Meliorem tamen, eamque omnibus pene numeris absolutam Syllogen, jam antea A. 1613 vulgaverat inter Italos Jo. Baptista Ramusio, sub tit. *Delle Navigationi & Viaggi*, Venetiis III voluminibus in fol. editam, in qua itinera ad omnes mundi plagas suscepta singulari studio collecta comparent. E Gallis notus satis est Melchisedecus Thevenot, qui duobus in fol. voluminibus varia itineraria Gallice vulgavit. Ex Anglis demum primus Richardus Hacluytus Itineraria varia, *Voyages by Sea and Land*, collegit, & tribus partibus, quæ spissum in fol. volumen faciunt, divisa Lond. 1598 publici juris fecit. Quem secutus Samuel Purchassius varia pariter Itineraria, sub titulo *Pilgrims*, Londini 1625 V voluminibus in fol. edidit; uterque nullo delectu usus.

Majori cum cura versati sunt, quicunque volumina hæc collegerunt. Continentur autem in Vol. I p. 1 Hispani cujusdam Dominicani, Ferdinandi Navarette, Relatio Historica, Politica, Moralis

ralis & Ecclesiastica de Regno Chinæ, quæ Hispanice conscripta in paucissimorum manus pervenit, quod artibus Jesuitarum, qui liberius ab Auctore L. II actiones Missionariorum in China expositas indignabantur, factum, ut ab Inquisitionis magistris, antequam publice prodiret, vendi prohiberetur. Quantum quidem ad Auctorem, is anno 1646 in Philippinas primum Insulas delatus est, unde de his quoque curiosa multa operi inseruit; inde ex longo itinere redux factus, anno 1673 Archiepiscopatum Hispaniolæ obtinuit. Pag. 425 Martini Baumgarten Iter in Ægyptum, Arabiam, Palæstinam & Syriam anno 1507 institutum, e Latino exemplari, quod manu Josephi Scaligeri emendatum erat, Anglice, præmissa Auctoris vita, translatum, in quo præterquam, quod multa de veteri harum regionum historia inserta sunt, singularia habentur, quæ de Mamalucis Auctor affert. Pag. 303 Relatio de Regno Cilensi, auctoribus Henrico Brewero & El a Herckemanno, qui eo A. 1642 & 1643, jussu Societatis Indiæ Occidentalis, quæ in Belgio obtinet, profecti erant. Pag. 526 brevis Insulæ Formosæ Descriptio, auctore Georgio Candidio, verbi Divini quondam apud Belgas in ea insula Ministro; quam quo jure quave injuria sub censuram nuperrime Georgius Psalmanaazaar, qui in insula illa natum se contendit, in nova Formosæ Insulæ Descriptione, Anglice & Gallice edita, vocaverit, alii viderint. Pag. 534 Auctoris anonymi de Japonia, Regumque & magnatum Japonensium annuis reditibus, observationes curiosæ. Pag. 541 Johannis Monckii Iter in partes Septentrionales, jussu Christiani IV Daniæ Regis A. 1619 & 1620 susceptum, antea Germanice Francof. A. 1650 editum, quod & ob veritatis studium apprime commendatur, & de Gronelandia potissimum, tum veteri, tum nova, singularia habet. Pag. 571 descriptio Ucraniæ, in qua Auctor Gallus Beauplan, Matheseos peritissimus, per complures annos, circa medium seculi superioris versatus est, & non minus circa mores, quam naturalem ejus provinciæ historiam, parum aliis nota observavit. Pag. 611 & 651 duo Itinera in Regnum Congum a Missionariis facta, quæ Italice antea prodierant; & denique pag. 767 Thomæ Roe, Jacobi I Angliæ Regis ad Indorum Monarcham Iehan Guire Legati, Iter, quod ut in Purchassii collectione mancum exhibetur, ita a Thevenoto Vol. I recusum est haud magis castigate.

In Volumine II extat primo loco Johannis Nieuhoff Iter in Brasiliam & Indiam Orientalem, quod pluribus figuris ornatum Belgice primum prodiit. Inde p. 371 sequitur Iter & fata Johannis Smithi, Angli, in Europa, Asia, Africa & America inde ab A. 1592 ad A. 1629 peregrinati, quo in opere singularia sunt, quæ ad Anglorum in Nova Anglia ab A. 1624 ad A. 1629 stabilitas sedes pertinent. Pag. 413 Diaria duo ab his, qui circa annum 1634, partim in Insula S. Mauritii prope Gronelandium, partim in Montibus Acutis, seu Spitzberga decesserant, relicta; & pag. 429 brevis Relatio de nonnullis, qui haud procul Spitzberga naufragium passi sunt anno 1646: cuncta e Belgico idiomate translata. Pag. 431 Isaaci Peyrerii, qui Gallorum ad Danos legato ab epistolis fuit, & auctor creditur libri de Præadamitis, Descriptio Islandiæ & Gronelandiæ, quam stimulante Mothe-Vajerio dedit Gallice. Pag. 479 Thomæ Jamesii, Angli, Iter ad detegendam novam viam, qua per Septentrionalem atque Occidentalem plagam perveniri possit in mare Australe (*for the Discovery of the North-West Passage into the South-Sea*) susceptum, quod ut apud curiosos vulgo in pretio est, ita imprimis Boyleo singulares de frigore observationes suppeditavit. Pag. 545 & seq. inserta sunt duo Itinera e Belgico traducta, alterum Legati Moscovitici in Chinam, (e quo apparet, quod obiter notamus, Pequinum cum Cambalu urbe, quam per errorem in Tartaria collocant, plane eandem esse;) alterum Zachariæ Wagneri in Brasiliam & Indiam Orientalem: utrumque perbreve. Nec immerito inter itineraria p. 557 refertur Vita Christophori Columbi & Historia Indiæ Occidentalis ab eo detectæ, auctore filio ejus Ferdinando Columbo, Italice consignata; quippe præter observationes varias, ab ipso Christophoro in ea expeditione factas, singula exhibet, quæ ad detectam circa annum 1492 Americam pertinent. Pag. 689 sequitur Johannis Gravii Pyramidographia, de qua ex ejus Vita, a Viro Clarissimo Thoma Smitho conscripta, in Actis nostris A. 1700 p. 516 diximus, ut plura hoc loco addere supersedeamus; cui jungitur p. 737 ejusdem Auctoris Syntagma de Pede Romano & Denario, de quo pariter l. c. pag. 517 mentionem fecimus. Denique accessit pag. 787 Christophori Borri Narratio de Cocinchina, Italico olim idiomate con-

conscripta, quæ, quanquam prolixa non sit, elegantissimas observationes complectitur.

Volumen III exhibet pag. 1 disertam eamque accuratissimam Relationem de Regno Cile, quæ auctore Alfonso de Ovalle, Romæ A. 1649 Hispano sermone prodierat, & digna nuper visa est Societati Regiæ Anglicanæ, ut ejus in vernaculum traducendæ provinciam Socio cuidam suo demandaverit: complectitur enim de rebus Peruvianis & Mexicanis parum alias obvia, & ob fidem singularem, præ cæteris omnibus ejus generis scriptis commendatur. Sequuntur pag. 154 Wilhelmi Monsonis Dissertationes ad Rem Navalem spectantes, nunc primum e schedis Autoris vulgatæ, cujus ubique fides atque ingenuitas emicant. In his res sub Elisabetha & Jacobo I in mari gestæ, quibus ipse interfuit, tum navales pugnas ordinandi modus, prælia inter Hispanos Anglosque in ipsis Indiæ Occidentalis littoribus commissa, Caroli I ad Gades conatus, Anglorumque apparatus navalis omnis, ut & quæ ab Hispanis atque Lusitanis in Asia, Africa & America paulatim fuerint detecta, eleganter ab Auctore, & ut virum harum rerum peritum decet, describuntur. Clauditur hic tomus pag. 561 Descriptione littorum Malabariæ, Coromandelæ, & Ceylani insulæ in India Orientali, quæ auctore Philippo Baldæo, Delphensi, Amstelodami A. 1672 Germanice excusa prostat, e qua patet, quemadmodum Lusitani eas primum ditiones occupaverint, utque ejecti iterum fuerint a Belgis, quæ sit quoque adjacentium ditionum ratio, quæ lingua Malabarica, quæ religio Indorum Orientalium.

In Volumine IV exstat pag. 1 Iter circa mundum recentissimum a Francisco Gemello Carerio, qui anno demum 1698 ex eo itinere redux factus est, viro non modo opibus probe instructo, verum & in re omni versatissimo, & legum Doctore, Italico idiomate VI voluminibus in 8 vulgatum. In quo uti de Turcia imprimis, Persia, India, China, Insulis Philippinis & Nova Hispania, magna cum cura egit, legesque & mores gentium, & ipsas quoque plantarum figuras diligenter annotavit Auctor, ita & distantias locorum, si quisquam alius, accuratissime designavit. Pag. 607 Anonymi cujusdam Belgæ Relatio de Regno Corea & Insula Quelpartia, quo ejectus per naufragium fuerat; quæ cum

 so-

sola sit, quæ de Regno illo exstat, (quandoquidem peregrini, qui eo delati sunt, haudquaquam iterum dimittuntur,) lectu digna futura erit, si modo vera narrat Auctor, qui se singulari fato liberum evasisse refert; quod Nostri quidem editores, qui e Gallico sermone librum traduxerunt, in dubium non vocant. Pag. 633 Descriptio Itineris a duobus Germanis, Antonio Sepp & Antonio Behme, ex Hispania in Paraguaiam regionem Americæ Meridionalis A. 1691 suscepti, in qua de urbe ejus, quæ Bonus aer (*Buenos ayres*) dicitur, non injucunda habentur: prodierat autem antea Belgice. Pag. 665 Fragmentum de Insulis Salomonis in mari Australi sitis, & A. 1695 ab Hispanis detectis, quod & Collectioni Thevenoti insertum est. Pag. 680 Historia Paraguaiæ, Tucumaniæ, Fluvii Argentei (*Rio de la Plata*) Paranæ, Guairæ, Urvaicæ & Ciles, a Nicolao del Techo, Jesuita, qui per annos viginti quinque in eo tractu commoratus est, Latine consignata. Pag. 808 Eduardi Pelhami Narratio de octoviris in Gronelandia A. 1630 miro modo servatis. Pag. 822 Jo. Baptistæ Morini Iter ad fodinas Hungariæ A. 1615 factum, & pag. 829 Wilhelmi Ten-Rhyne Relatio de Capite Bonæ Spei & Hottentotis: uterque libellus e Latina lingua translatus. Denique pag. 846 Richardi Bollandi Delineatio Freti Herculei A. 1615 facta, variisque observationibus illustrata. Accessit singulis Tomis Index realis locupletissimus.

THE SCOTTISH HISTORICAL LIBRARY.
i. e.
BIBLIOTHECA HISTORICA SCOTICA, Exhibens brevem conspectum Auctorum plerorumque, qui scribendæ Generali Scotiæ Historiæ, ad unionem usque Angliæ atq; Scotiæ, inservire poterunt. Auctore WILHELMO NICOLSON Archi-Diacono Carleolensi.

Londini, apud T. Childe, 1702, 8. Alph. 1. pl. 3.

Etsi sero exhibemus hanc Scotiæ Bibliothecam, tantum tamen abest, ut Bibliothecæ Anglicanæ, quæ eodem auctore tribus tomis, in Actis nostris A. 1697 p. 27, A. 1700 p. 245, & Suppl. T. III p. 257 ex merito commendatis, prodiit, postponi quoad accu-

curatum Hiſtoricorum recenſum debeat, ut potius ſe ipſum in ea ſuperaſſe Nicolſonius ſibi videatur, eoque prætermittenda nobis omnino non ſit. Non eſt tamen, cur in erudita præfatione diu Præf. p. 2. ſq. hæreamus, in qua de Comitiis Clericorum (*convocations*) deque antiquitate jurisdictionis Archiepiſcoporum, ut & Communium in Parliamentis, & rebus quibusdam aliis, contra Atterburium diſputat, a quo ſe indignius habitum queritur. Strypii vero, qui Vitam Cranmeri ſcripſerat, & a Noſtro, ob immodicum pruritum res heterogeneas infarciendi, notatus fuerat in Bibl. Angl. T. II (unde nos quoque cenſuram transſcripſimus Suppl. T. III p. 264) p. 36. modeſtiam laudat, eique injuriam a ſe factam fatetur, atque eo nomine notatum potius cupit Hacketi librum *Lof of A. B. Williams*, eodem fere tempore vulgatum. Tum quibus præſidiis inſtructus ad hanc Bibliothecam ſcribendam acceſſerit, declarat. Quippe non tantum in Anglia in Longavillanam, Lambethanam p. 37. item, & imprimis Cottonianam, Bibliothecas admiſſus eſt, quarum hæc refertiſſima monumentis Scoticis (quandoquidem ipſe Johannes Cottonus e Regia Bruſſiorum Scotiæ familia oriundus erat) verum & in ipſa Scotia reſeratos omnes loculos reperit; p. 38. ſpeciatim vero, quæ ab Alexandro Seton de Legum ſcriptoribus, & a Roberto Sibbaldo de reliquis omnis generis monumentis communicata habuit, magnopere extollit. Sed ad ipſum librum convertimur, in quo recenſendo ita verſabimur, ut potiſſima eorum librorum habeatur ratio, qui, ex quo Acta hæc condere cœpimus, prodiere, & ad nos e Scotia allati non ſunt. Capite I, quod de Geographiæ, Hiſtoriæ item Naturalis, & formæ Regiminis, quod in Scotia obtinuit, ſcriptoribus conſcriptum eſt, p. 2. commendat primo Tacitum in Vita Agricolæ a Guilielmo Barclajo egregie illuſtratum, quem obiter notat tanti æſtimatum fuiſſe Lipſio, ut ei calamum ſuum teſtamento legaverit. Optat autem, ut, quæ in manibus habeat laudati Sibbaldi manuſcripta, nempe *Britannia Cornelii Taciti* & *Conjectanea in eam tabulæ Ptolomaicæ partem, quæ Septentrionalem Inſulæ plagam deſcribit*, in p. 7. lucem prodeant. Tum præter Ptolomæum & Antoninum, Nennium imprimis & Bedam in Geographicis legendos putat, Hectorem vero Boethium diligentem quidem, ſed credulum ſcri- p. 10.

ptorem appellat, a quo Brigantes in Gallovidia, Silures in Carricta, & Deiri in Laudonia perperam collocentur. In Leslæi De-
p. 11. ſcriptione Scotiæ, æque ac in ejus Hiſtoria, ſingularem agnoſcit prudentiam. At Camdenum ait, ob Scoticas origines non ſatis in-
p. 14. tellectas, nonnullorum cenſuras incurriſſe, ut Humii, qui *Camdenea*, & Drummondi, qui *Nuntium Scoto-Britannum* & librum Anglicum *Perſpicilla Camdeno parata* reliquit, quæ adhuc in ſcriniis latent. Imprimis autem in Geographicis *Theatrum Scotiæ*,
p. 17. p. 18. quod in Atlante Bleaviano exhibetur, commendat, & in eo ſingularem operam Roberti Gordoni laudat, cujus tamen eruditas obſervationes bibliopolam Amſtelodamenſem paſſim addit mutilaſſe, ut, quod Carolo II deſtinatum opus erat, poſſet eo aptius Cromwello A. 1655 dedicare, cui ne diſplicere omnino liber poſſet, Buchanani dialogum de Jure Regni reliquis opuſculis in eo
p. 25. Theatro obviis præmiſerit. Novum deinde *Theatrum Scotiæ* Londi-
p. 26. ni A. 1691 vulgatum conſcripſit Johannes Slezer, cui idem fere accidit; nam cum figuris, quæ admixtæ ſunt elegantiſſimæ, Latinas deſcriptiones ſubjeciſſet, eas mendoſe ſatis in Anglicam linguam,
p. 21. inconſulto prorſus auctore, tranſlatas bibliopola publicavit. Cæ-
p. 22. terum nuntiat Noſter, Johannem Adair, Hydrographi Regni Scotiæ titulo digniſſimum, littorum Scotiæ deſcriptionem & mappas hydrographicas elegantiſſimas componere, & ſub titulo, *Deſcription of the Sea-Coaſts and Islands of Scotland* editurum.
p. 27. In Hiſtoria Naturali, præter Andream Balfour, magnopere commendatur Robertus Sibbaldus, cujus *Scotia illuſtrata* Edinb. 1684 f. prodiit, mox cum ſupplementis novis recudenda. Quantum
p. 32. ad Rei Herbariæ ſcriptores, non inficiatur quidem Auctor, Joſinam Regem Scotorum a Boethio L. II Hiſt. Scot. herbarum perquam gnarum perhiberi, utrum autem, quod Baleus tradit, *de*
p. 33. *herbarum viribus* librum conſignaverit, in medio relinquit. Multum vero extollit Jacobi Sutherlandi *Hortum Medicum Edinburgenſem* Edinburgi A. 1683 editum, cujus locupletior editio indies a-
p. 34. vide expectatur. In Re Metallica producit Thomæ Atkinſoni manuſcriptum de Metallis Scotiæ librum, & Johannis Borthwick
p. 36. brevem *Narrationem de Metallis & Mineralibus in Scotia*. De
p. 37. Jure Populi apud Scotos, primus aliquid commentatus Noſtro dicitur

citur David Chambre in dissertatione, quæ libro, *Histoire abbregée de tous les Roys de France, Angleterre & Escosse*, Parisiis A. 1579 edito annectitur, ubi populum Scoticum, ob bella cum Britannis, supremam suam potestatem in Fergum transtulisse, eumque primum Regem creasse scripserat. Quam sententiam statim biennio post Georgius Buchananus, edito Edinburgi dialogo *de Jure Regni apud Scotos*, pluribus argumentis tutandam suscepit. Verum ut primum postea Parlamentum convocatum est, A. 1584 publica censura illius decreto uterque liber notatus est. Cum itaque aliquo usque sopita controversia esset, resuscitavit eam demum Rutherfordus, & in libro *Lex Rex* Londini A. 1644 vulgato, Maxwelum alterius libri, *Sacrosancta Regum Majestas* inscripti, auctorem false perstrinxit, Regibus Scotiæ nec merum imperium competere, & resisti impune posse adserens. Ex adversa parte Buchanani sententiam Winzetus, Wilh. Barclajus, Johannes Weems, Jacobus Turner & Gilbertus Burnetus confutarunt. Imprimis vero erudite litem diremit vir eximius, & nobis haud semel commendatus, Georgius Mackenzie, cujus liber Anglicus *Jus Regium* Londini A. 1684 vulgatus, Universitati Oxoniensi consecratus est, quod in ea publico decreto, anno antecedente, theses quædam contrariæ fuissent damnatæ, & libri eam sententiam professi publice cremati. Porro de tractatibus Scotorum cum aliis gentibus dum agit Noster, commendat imprimis, quæ in Cottoniana Bibliotheca asservantur, volumina undecim haud exigua, pacta omnia Anglorum Scotorumque, ab initio Regni Henrici VIII, usque ad utriusque gentis unionem complexa, e quibus excerptas fœderum tabulas complures in *Archivis Regiis reseratis*, opere eximio, brevi, ut sperat, publicabit Rymerus, qui & reliquarum gentium cum Anglis fœdera eo libro repræsentabit. In Heraldicis, præter Lyndsæi manuscriptum, magnopere extollit laudati Mackenzei librum *The Science of Herauldry*, Edinburgi A. 1680 f. editum, cui præmisit Auctor observationes de Legibus Præcedentiæ apud Scotos. Orcadum Historiam, præter Robertum Jamesium, etiam Thormodum Torffæum & Jacobum Wallace scripsisse, vel ex Actis nostris Suppl. T. III p. 337 & A. 1701 p. 149 constat; illud tamen hic observamus, eam descriptionem, quam Jacobus Wallace

p. 38. p. 39. p. 42. p. 43. p. 44. p. 47. p. 49. p. 53.

fili-

filius paulo auctiorem proprio nomine Lond. A.1700 edidit, a patre ejus Jacobo antea, Sibbaldi suasu, ad complendum Scotiæ Theatrum elucubratam, & Edinburgi A.1693 vulgatam fuisse. E reliquis, qui provinciarum & urbium descriptiones edidisse memorantur,
p. 58. unum Philopolitejum, auctorem Pseudonymum, vero nomine
p. 59. Skene dictum, nominamus, qui Aberdoniæ A. 1685 duos libellos, alterum *Memorials for the Government of the Royal - Burghs in Scotland*, alterum *A succinct Survey of the famous City of A-*
p. 61. *berdeen* excudit. In Capite II, Historicos Scotiæ generaliores repræsentante, de Pictorum, Danorum item & Saxonum, quæ in Scotia supersunt, vetustis monumentis quædam præfatus Auctor, Marianum & Davidem Scotos producit, & de Veremundi aliorumque auctoritate, late disputat, nec Chronica S. Crucis Edinburgensia a
p. 79. Whartono in Anglia Sacra P. I vulgata omittit; de Chronicis vero Mailrosensibus observat, multum ea, quæ manuscripta passim exstent
p. 80. in Scotia, differre ab Oxonii impressis, quippe in quibus ne quidem mentio fiat homagii Henrico Angliæ Regi a Malcolmo Rege Scotiæ præstiti; hinc & in Appendice num. III Johannis Jamesonii refert ad exemplar impressum annotata quædam lectu digna.
p. 82. Inde de Johanne Campobello, & multo fusius de Johanne de For-
p. 92. dun agit, cui debetur, quod vulgo vocant, *Scoto-Chronicon*. Ejus cum varia passim in Scotia exemplaria manuscripta exstent, quæ sæpe a loco, in quo asservabantur, denominationem nacta sunt, factum inde esse Noster notat, ut quæ unum opus constituunt, pro pluribus fuerint venditata. Eadem enim contineri probat in *Libro nigro Sconensi*, tum *Libro nigro Pasletensi*, *Libro Carthusia-*
p. 93. *norum de Perth*, & similibus. Hunc auctorem libris tribus prio-
p. 96. ribus exacte sequitur Wilhelmus Elphinston, teste Stillingfleto.
p. 98. De Gaweno Dowglas, quem Baleus & ex eo Vossius de rebus Scoticis scripsisse, dubium qua fide, referunt, nihil statuit Nicolso-
p. 99. nius; ea tamen occasione miris modis commendat ejusdem Æneida Virgilii Scotico carmine translata, tanta elegantia, ut cum Latino exemplari certare possint; quod hoc magis mirum, quoniam versionem intra octodecim mensium spatium absolvit, & ita se
p. 101. seqq. accommodavit Maroni, ut verbum verbo, linea lineæ responderet.
p. 108. seqq. Johannem Majorem veritatis quam eloquentiæ, Hectorem vero

Boe-

Boethium eloquentiæ quam veritatis utique studiosiorem, atque illum quidem A. 1521, hunc A. 1526, utrumque Parisiis primo a Badio Ascensio vulgatum fuisse censet. De Johanne Leslæo, qui septem libris prioribus nihil fere aliud egit, quam ut Boethium redigeret in p. 110. compendium, juvat Buchanani, quam e notis ejus manuscriptis Noster attulit, censuram transscribere: *Leslaus Boethii Epitomator a nonnullis censetur; eum enim, quod potuit, imitatus est. Uter-* p. 112. *que laudem suam meretur, sed neuter præstitit, quod facile potuit, si paulo plus judicii adhibuisset in describendis regionibus, ipsarumque nominibus assignandis, & in rebus enarrandis ab anilibus fabulis abstinuisset, & a maledicentia in purioris religionis vindices.* At de ipso Buchanano, cujus Historia primum Edinburgi A. 1582 f. prodiit, variorum judicia hic cumulantur, e quibus arridet p. 113. imprimis, quod e Roberti Gordoni Epistola quadam manuscripta adfertur, dignum utique, quod pariter cum Lectoribus nostris integrum communicemus: *Georg. Buchananus Vir in omni humaniore literatura probe exercitus, Poetarum sui sæculi multorumque præ-* p. 118. *cedentium omnium consensu princeps: ille tamen ea aggressus est, quæ famæ ejus intererat non attigisse, & intra Poeseos limites se continuisse. Tribus primis Historiæ suæ libris Conviciatorem agit, non Historicum; & præter jejunam Regni nostri descriptionem (quam tamen desultoria levitate prætervehitur) doctis viris nihil præstare videtur, in re antiquaria non satis instructus. Sed non hæc impune tulit, a Camdeno (omnium Britanniæ Antiquariorum longe primo) male habitus. Procedente Historia (ut innumera sphalmata taceam) contra Kennethum Regem intonat horrendum &c. Ubi ad sua tempora ventum, Deus bone! jam confusa rerum facie, & turbis fluctuante Regno, quam aperte in partes transit? Jam non Historicus, sed Causidicus; detorta veritate rerum, parum apud ipsum sinceri. Et hæc omnia, ut unum hominem Mæcenatem suum stabiliret; quem tamen, antequam vita exiret, cruenta morte sublatum vidit. Sed non ideo refrixit inde partium studium; ut testatur egregius ille dialogus aut cento,* de Jure Regni, *quem extrema ætate procudit: ubi illa tractat, quæ perfectum Theologum & peritissimum Jureconsultum postulant, homo ad hæc impar, e scholis & ludimagistrorum fe-*

rulis, in hac ardua rerum evectus. Vapulat tamen a duobus popularibus suis, viris eruditissimis & omnis juris peritissimis, Blacwodæo & Barclajo, *quorum doctissimi libri de ea re exstant. Jure sane cum eo ita actum esse, fatentur omnes, qui sine affectu illa legunt. Qui enim Centonem* de Jure Regni *& Historiam ejus exacte consideraverit, inveniet tractatu* de Jure Regni *thesin propositam; Historiam autem sic detortam, ut thesi firmamentum habeatur. Non hac refero, ut Clarissimi Viri Manibus insultem (quis enim, aut quantulus ego?) hoc enim piaculare;*
p. 125. seqq. *sed veritati obniti, aut eam celare, in rebus tantis impium.* Reliquos, Dav. Chambre Buchanano coævum, Franciscum Thynne, Jacobum Howel, cujus *Bella Scot-Anglica* prodierunt Lond. 1648, Andream du Chesne, Eduardum Ayscu, Johannem Monnipenny, Davidem Hume & quosdam Anonymos prætermittimus. In
p. 134. Cap. III primum litem eam exponit, quæ Floido Episcopo Asaphensi, qui Regiæ Scotorum familiæ decerpere nonnihil conatus fuerat, cum Sibbaldo & Mackenzeo intercessit, cui accessere etiam ab altera parte Stillingfletus, ab altera Thomas Price. Inter Genealo-
p. 140. gicos porro scriptores memorat Wilhelmum Slatyer, qui inde ab Adamo, & Georgium Owenum Harry, qui a Noacho stirpem Regiam deduxit; sed utrumque superavit Thomas Lyte, qui certiora habet in opere Anglico eleganti, quo Scoticam Regum familiam a Carolo M. derivavit, egregie ob studium exquisitum a Jacobo VI ejusque filio Carolo remuneratus. Tum illi in hoc capite recensentur, qui de Regibus Scotiæ eorumque gestis sigillatim aliquid commentati sunt, e quibus recentiores aliquos produ-
p. 152. cere nobis suffecerit. Equidem plerique Historici cum Buchanano Elisabetham concubinam Roberti II, eoque Johannem nothum fuisse, antehac tradidere; quod si ita se haberet, non essent sine labe Johannis seu Roberti III posteri, & qui cum his sanguine junguntur, complures Principes alii. Eam nostro demum tempore absterfit Vir nobilissimus Tarbat, edito A. 1695 Edinburgi libro: *Vindication of Robert the Third from the Imputation of Bastar-*
p. 153. *dy* &c. quo anno Parisiis quoque diploma authenticum, quod ad firmandam Tarbati sententiam facit, e Collegio Scotorum prodiit.
p. 154. Ad Roberti II, qui primus Stuartus vocatus est, historiam pariter re-

refert Noster librum *Memoirs of the Family of the Stuarts*, Londini A. 1683 vulgatum, cujus recensum biennio post in Actis his pag. 22 dedimus, ejusque auctorem, nobis illo tempore ignoratum, nominat R. Watson, Edinburgi ante Ministerio motum, eoque affectui passim indulgentem. Ubi porro ad Jacobum I ventum est, imprimis laudat, quæ de illo & quatuor ejusdem successoribus, in libro *History of Scotland from 1423 to 1542*, Londini 1655, f. iterumque 1681, 8 vulgato commentatus est Wilhelmus Drummond. Magnus inde eorum numerus producitur, qui vitam & gesta Mariæ descripserunt, quos eo lubentius prætermittimus, quod plerique vel gratiæ, vel odio aliquid dederunt. In historia denique Jacobi VI, præter alios, Melvillii imprimis Commentarios, nobis etiam A. 1694 p. 449 memoratos, commendat. In Cap. IV post eos, qui de Jure Ecclesiæ Scoticæ scripserunt, scriptores Historiæ Ecclesiasticæ percenset, e quibus uti Joannem Knoxum non uno nomine notari a scriptoribus ostendit, ita Joanni Spotswoodo veritatis laudem omnino tribuit, de quo juvat iterum audire Gordonum in epistola citata: *Fœtus hic est acris, vividi & sublimis ingenii, ubi candor & veritatis studium elucet; narratio simplex, nuda, procul omni affectu. Felix iste Præsul, non ex Scholasticorum subselliis, sed in luce rerum & culmine negotiorum, tantis rebus dicendis par. Non tamen ad hæc se accinxit, nisi consulto Rege Jacobo, qui ad hæc eum impulerat, præfatus non se posse bona fide hanc Historiam condere, nisi multorum offensa, qui ipsi aut quorum majores laboraturi sint. Jussit Rex audacter pergeret & ubique veritati litaret. Quod ab illo non segniter præstitum: modestia tamen & mansuetudo animi toto opere lucet.* Knoxo & ejus generis aliis favere videtur D. Calderwood, cujus Historiæ Ecclesiasticæ, quæ aliquot voluminibus exstat manuscripta, compendium prodiit Edinburgi A. 1678, f. Præter hos, reformationis imprimis Scoticæ historiam Alexander Petrie, Spotswoodo parum favens, sub titulo *A Compendious History of the Catholik Church from 600 to 1600* Hagæ A. 1663, f. publicavit, & Wilhelmo III, tum temporis Principi Arausionensi, inscripsit, præfixis singulari omine Angliæ insignibus. Omittimus e Pontificiis Thompsonum, Conæum, Dempsterum, Dav. Camerarium, Watsonum, alios. Sigillatim deinde

Marginal notes: p. 155. p. 159-174. p. 175. p. 188. p. 194. p. 198. p. 203. p. 207. p. 210.

 Cap.

Cap. V, quæ Episcopatuum, Monasteriorum & Universitatum jura
concernunt, pleraque manuscripta, recensentur, quæ ex ipso Auctore
p. 229. discere præstat. Neque minus in manuscriptis maximam partem de-
p. 250. litescunt, quæ Cap. VI de Biographis afferuntur; ubi inter alia memo-
ratur, Sibbaldum *Catalogum Alphabeticum Scotorum, qui de variis*
scientiis & artibus scripserunt post A. 1500, tum *Catalogum Histori-*
corum, Geographicorum & Politicorum, qui de rebus Scotiæ scripse-
p. 251. *runt*, cui accesserit *Poetarum Scotorum, qui Latine scripserunt, Ca-*
talogus, nec non *Tractatum de Scotis, qui scriptis suis rem Medicam*
vel promoverint vel illustraverint, magna industria consignasse, &
Nicolsonio liberaliter communicasse, quorum operum postremum in
gratiam imprimis cujusdam Galli Cattier, qui Vitas Medicorum edere
molitur, collegerit. Cæterum parari nunc splendidissimam omnium
p. 255. Buchanani operum editionem, sub finem hujus capitis Auctor nun-
p. 241. ciat. In Cap. VII, ubi de monumentis publicis, iisque rebus, quæ
p. 243. ad forum pertinent, agit, non modo Eduardum I, quicquid diplo-
matum & monumentorum inveniri in Scotia poterat, in Angliam
asportasse observat, ut fomitem rebellionis ea ratione subditis eri-
p. 244. peret; verum & Monachos, tempore reformationis manipulatim
Romam profectos, multa monumenta secum abstulisse, & demum
Cromwellum reliquias fere omnes in Angliam detulisse, quæ cum
in Scotiam remittendæ essent, naufragio perierint. Inde omnem
fori rationem exponit, & quid sint Scotis *Charters*, *Signatures*,
Seals, *Court of Chancery*, *Courts Ecclesiastical*, *Coroners*, *Court-*
Baron, *Regality*, *Deeds of Sale*, *Mac-Alpine* atque ejus generis
p. 255. alia, tradit. Tum antiquissimum Corpus Juris Scotici, quod Londini A.
1613 Latine editum, ab initialibus vocabulis *Regiam Majestatem* vul-
go vocant, considerat, ejusque auctoritatem contra Cragium defen-
dit, & cætera quoque, quæ in illa editione adjuncta sunt, ut,
Quoniam Attachiamenta: L. L. Burgorum: Statuta Gildæ &c.
pro merito expendit. Porro de Actis Parliamenti Scotici loquitur,
& fusius paulo post de libris ad praxin forensem spectantibus
p. 273. (*Practiques*) agit, ubi circa criminalia Mackenzei librum, *Laws and*
Customs of Scotland in Matters Criminal, Edinb. 1678, 4. & 1699, f.
p. 275. editum allegat, tum cognoscendis vocabulis Juridicis Joannis Skene
opus *de Verborum significatione* multum inservire tradit, & Tho-
mæ

mæ Cragii *Jus Feudale* laudat, quo libro probare autor voluit, leges Scotiæ legibus Angliæ nequaquam repugnare, eoque utriusque Regni unionem esse perfacilem. Ejusdem *de Hominio* librum elegantem, quo Scotos nunquam Anglis homagium præstitisse asseruit, hactenus in bibliothecis latentem, Redpathus demum, jussu Rymeri in Anglicam linguam nostro tempore transtulit, & sub titulo *Scotlands Souveraignty asserted*, Londini A. 1695, 8 vulgavit. Denique & alii eodem capite recensentur, qui de unione Angliæ atque Scotiæ aliquid tradiderunt. Postremo Capite VIII de moneta Scotiæ agit Auctor, ac ante omnia observat, antiquissimis temporibus & milites propriis impensis militiam in Scotia secutos, & ignotam plane Scotis pecuniam fuisse, quippe ejus loco frumento usis aut bovina carne. Postquam inde, quo tempore primum cudi in Scotia moneta cœperit, disputasset, duo hæc diligenter notari cupit, primo, proportionem inter aurum & argentum fuisse in Scotia ut unum ad duodecim; deinde, Scotos valorem auri & argenti ad diversa trutinæ genera exigere consuevisse. Hinc aureos primum nummos considerat, in quibus pauca memoratu digna occurrunt. Uti enim in plerisque aliis insignia Scotiæ cum epigraphe *Salvum fac populum tuum Domine*, ita in Jacobi V nummis *Honor Regis judicium diligit*, in Mariæ vero *Diligite justitiam*, item *Justus fide vivit*, vel *Crucis arma sequamur*, aut *Ecce ancilla Domini*, & similes inscriptiones deprehenduntur. Singulare tamen videtur Jacobi VI numisma aureum, in quo Rex repræsentatur coronatus, altera manu gladium, altera olivam protendens, additis verbis *In utrumque paratus 1575*, in altera facie scutum Scotiæ coronatum exstat, cum inscriptione *Parcere subjectis & debellare superbos*. Aliud ejusdem effigiem laureatam repræsentat, adscriptumque nomen, & ex adversa parte carduum sex capitum, quorum superius coronatum; appositæ sunt ex utroque latere literæ I & R, & subscripta inferius figura 6, cum lemmate: *Nemo me impune lacesset 1590*. Rursus aliud Regem sistit insolito pileo tectum, carduoque obseptum, & in aversa leonem coronatum, sceptrum versus nubes attollentem, in quibus Hebraicis literis scriptum nomen *Jehovah*, circumscriptis verbis *Te solum vereor 1591*. Nec argenteis immorabimur, e quibus unicum producere satis erit ejusdem

p. 276.
p. 277.
p. 283.
p. 288.
p. 292.
p. 293.
p. 300.
p. 303.
p. 304.
p. 325.

dem Jacobi nummum. Exhibet in altera facie ſcutum Scotiæ coronatum, idque literis I & R coronatis veluti ſubnixum, appoſito nomine; in altera nudum enſem cuſpide coronatum, & additam manum, extenſo digito monſtrantem numerum XXX, quo valor triginta ſolidorum deſignatur; additur quoque annus 1567, & circumpoſita, Buchanani, ut creditur, inſtinctu verba: *Pro me. Si mereor, in me.* Acceſſit ultimo loco appendix, in qua pauca quædam e manuſcriptis excerpta, quorum in ipſo opere paſſim facta fuerat mentio, continentur.

RITUALE ECCLESIASTICUM. PARS POSTERIOR. Auctore CASPARE CALVOERIO.

Jenæ, ſumptibus J. C. Kœnigii, Bibl. Gosl. 1705. 4.
Conſtat Alph. 4, pl. 2 cum fig.

QUem in *priori* Ritualis hujus Eccleſiaſtici *parte*, menſe *Julio* ſuperioris anni p. 303 ſeqq. in his *Actis* a nobis recenſita, tractandi modum & ordinem ſervavit Reverendus Calvœrius: eum etiam in *parte* ejuſdem *poſteriori* eſt ſecutus. Ac uti in illa ritus Eccleſiarum Evangelicarum Eccleſiaſticos, qui primum in vitæ ingreſſu, dein in vitæ progreſſu, & demum in vitæ egreſſu ſervari ſolent, ſuo ubivis ordine pertractavit: ita in hac Sectione I *Loca ſacra*, templa nimirum, & quæ in iis occurrunt, altaria, baptiſteria, campanas, ſuggeſtum, chorum &c. Sectione II *Tempora ſacra*, & in iis diem Dominicum, feſta ſolemniora, dies Apoſtolorum, hebdomadaria ſacra, &c. Sectione III *Perſonas ſacras*, ut ſunt Epiſcopi & Superintendentes, Paſtores & Diaconi, Eccleſiæ Proviſores atque Cuſtodes &c. Sectione IV *Ritus ſacros*, qui *corpore* peraguntur, v. g. adorationem ad Orientem, capitis inclinationem, preces ſub pileo, manuum elevationem & complicationem &c. ac demum Sectione V rationem *cantuum Eccleſiaſticorum* perluſtrat. Ubique vero cujusvis ritus originem, uſum & abuſum, uno vel altero figura quadam ænea ſubinde ſimul illuſtrato, evolvit.

Quo abſoluto *Epilogum ſcutatum*, quem jam parte prima Ritualis hujus promiſerat, ſubjungit, quo *neceſſitatem* & *utilitatem*

tem

tem rituum Ecclesiasticorum, adversus eos, qui secus sentiunt, longa & gravi oratione vindicat.

Cui celeberrimi *Guilielmi Cavei*, Ishworthæ, prope Londinum, d. XI. Cal. Jun. A. MDCCI ad se datam *Epistolam* annectit, in qua, quæ sua sit de *Presbyteri Pœnitentiarii* in Ecclesia institutione, ejusque per Nectarium abrogatione sententia, Caveus, ea de re rogatus, ad Calvœrium perscribit; cujus summam hic quoque exhiberi, e re fuerit. Hunc locum, utut illico statim, si quem alium, in Historia Ecclesiastica perplexum valde, ac Pontificiorum artibus & consiliis vexatissimum esse, non diffiteatur: tamen non videre se ait primo loco Caveus, cur suspectam esse jubeat narrationem, quam de muneris Pœnitentiarii abrogatione Socrates tradunt atque Sozomenus: quod Scriptores sint gravissimi & ἀξιόπιστοι, reique gestæ ferme ætate pares; & præterea Socrates testetur, se ex ipsius Eudæmonis Presbyteri, qui id consilii Nectario dederat, ore rem totam hausisse. Addi posse, hanc historiam nihil falsi, nihilque absurdi in se continere, quo in suspicionem venire debeat. Atque hinc secundo loco liquere commonet, munus Pœnitentiarii diu ante Leonis M. tempora in Ecclesia viguisse. Nectarium enim A. 381 factum esse Episcopum C. P. & nondum finito seculo vitam clausisse. Nec de hoc munere, tanquam recens instituto, Historicos Ecclesiasticos loqui; sed potius, ni male meminerit, morem hunc ἕως πολλȣ̃ ab Ecclesia servatum fuisse, Socratem diserte referre. Tertio tamen neutiquam sibi verisimile videri dicit, quod Pœnitentiarii munus ubique, & in omnibus Ecclesiis, sed in quibusdam tantum, iisque majoribus sedibus, Græcis præsertim & Orientalibus, obtinuerit. Quod enim de Ecclesiis Occidentalibus, & præcipue Romana habet Sozomenus, ad hanc rem minime pertinere. Et hinc forsan non incommode peti posse rationem, cur in Scriptoribus Conciliisque vetustioribus, nulla hujus muneris mentio fiat: quia videlicet non erat lex Ecclesiæ communis, sed tantum particularium quarundam Ecclesiarum singularis mos, & singulare institutum. Publico Ecclesiæ jure, solis Episcopis pœnitentes absolvere, pacemque dare, fuisse licitum. Nihilominus quibusdam in locis & casibus, non Presbyteris modo, sed & Diaconis licuisse confessiones accipere; & pœnitentibus manum reconciliatricem impone-

ne-

nere, ex Cypriano aliisque luce clarius constare. At quo tempore primum nata sit Presbyteri Pœnitentiarii institutio, non adeo constare, quarto loco non dissimulat. Procul dubio eam gradatim obtinuisse, vimque diversis temporibus nactam. Fortasse ortam esse sub persecutione Deciana, at languide progressam; donec tempore Diocletiani, Episcopis pene ubique dispersis, & vel in exilium actis, vel carceri mancipatis, vel martyrio coronatis, maxime necessarium fuerit, ut istiusmodi munus Presbyteris quibusdam concederetur. Id quod temporis tractu nonnullis in locis continuatum, tandem in statam & solennem institutionem praxinque evaserit. Posthæc abrogato demum iterum per Nectarium Presbyteri Pœnitentiarii munere, non tamen mox etiam sublatam esse censet privatam peccatorum confessionem Sacerdoti factam; sed integrum pœnitentibus relictum, Sacerdotes stimulante conscientia consulere, & ab iis sublevamen impetrare: maxime, cum nulla expressa Christi lege vel institutione ad confessionem privatam fuerint adacti. Atque inde miris, addit, strophis se torquere Scriptores Pontificios, Baronium, Bellarminum, Petavium, Valesium, Thomasinum, aliosque, ut confessionem suam auricularem sartam tectam tueantur, & cum hoc Nectarii facto concilient. At laterem eos lavare, & Æthiopem dealbare satagere. Certum enim esse, abrogato Pœnitentiarii munere, Nectarium unicuique permisisse, τῷ ἰδίῳ συνειδότι τῶν μυστηρίων μετέχειν, ut pro arbitrio, animique sui conscientia, ad sacramentorum communionem accederent. Nec aliter hodie facere necessum esse, nisi necessitas urgeat & peccatorum stimulus gravissimus, ut pœnitentes conscientiam suam exonerent, & a Sacerdote, pro potestate ei facta, absolutionem nanciscantur. Et hunc quidem modum in Ecclesia Anglicana hucusque servari, ubi in formula Eucharistica moneantur accessuri, ut post examen factum, si quis aliter conscientiam suam tranquillare nequeat, prius Pastorem suum, aliumve prudentem doctumque verbi Dei Ministrum conveniat, eique gravamina animique sui ægritudines aperiat: qui impetrata absolutione, adhibitoque spirituali consilio, remoto omni scrupulo dubioque, conscientiam suam sanam & quietam reddere possit.

Addit tandem Calvœrius *Canonem Chronicum* præcipuorum in

in hoc opere memoratorum Scriptorum, Conciliorum ac Imperatorum, ad calculos, qui Caveano de primis Christianis operi adjecti sunt, plurimam partem redactum; ut & *Indicem rerum*, quæ in hac parte altera Ritualis Ecclesiastici occurrunt.

BURCARDI GOTTHELFFI STRUVII SELECTA Bibliotheca Historica, secundum Monarchias, Regna, Secula & Materias distincta: accessit index auctorum & rerum.

Jenæ apud Ern. Claud. Bailliar, 1704 8. constat $2\frac{1}{2}$ Alph.

RECensuimus in Actis superioris anni Auctoris Clarissimi Introductionem in rem literariam atque Bibliothecam Juris, quibus, uti promiserat, nunc addit Bibliothecam Historicam. Unum supra triginta capita continet, in quibus talem ordinem servat, ut ab universali Historia progressum faciat ad particularem: ab hac ad Historiæ adminicula. Caput primum quidem recenset Scriptores Bibliothecæ Historicæ, & de methodo legendi cognoscendique historias. Secundum & tertium fontes Historiarum, scriptores antiquos & recentiores Monarchiæ Assyriorum, Persarum, Græcorum & Regnorum Asiaticorum continet. Quartum Scriptores Historiæ Romanæ in statu libero; quintum Scriptores Historiæ Augustæ ordinat. Sextum de Scriptoribus Historiæ Byzantinæ agit. Septimum Scriptores Historiæ Imperatorum Germanicorum comprehendit. Octavum Scriptores Historiæ universalis. Nonum Scriptores Historiæ Gothorum, Longobardorum, aliarumque gentium barbararum persequitur. Decimum Scriptores Rerum Hebraicarum. Undecimum Scriptores rerum Orientalium. Duodecimum caput Scriptores rerum Africanarum & Americanarum explicat. A generalibus hisce, antiquis & orientalibus, progreditur ad Scriptores Historiæ particularis, quos secundum regna distinxit, ita ut capite decimo tertio agat de Scriptoribus Rerum Portugallicarum atque Hispanicarum, decimo quarto de Scriptoribus Regni Gallicani & Navarreni, decimo quinto de Scriptoribus Rerum Belgicarum, decimo sexto de Scriptoribus Rerum Britannicarum. Prolixius deducuntur Scriptores Historiæ Germanicæ, quibus diutius inhæret Auctor. Caput decimum septimum qui-

 dem

dem Historiæ Germanicæ generalis Scriptores examinat, ubi simul de his qui de Historia Archiepiscopatuum, Episcopatuum, Abbatiarum, Monasteriorum scripserunt, agit. Decimum octavum Scriptores Rerum Austriacarum cum adnexis provinciis: decimum nonum Scriptores Rerum Ungaricarum, Bohemicarum & Silesiacarum comprehendit. Caput vigesimum Scriptores Rerum Borussicarum & Brandenburgicarum cum provinciis annexis; vigesimum primum Scriptores Historiæ Bavaricæ & Palatinæ; vigesimum secundum Scriptores Historiæ Saxonicæ; vigesimum tertium Scriptores Historiæ Brunsuicensis & Lüneburgensis; vigesimum quartum Scriptores Historiæ Principum Germaniæ; vigesimum quintum Scriptores Historiæ Comitum, Civitatum Imperialium, Circulorum & Provinciarum Imperii Romano-Germanici proponit. A Germanica Historia per Helvetios, quorum Scriptores capite vigesimo sexto exponit, transit capite vigesimo septimo ad Scriptores Historiæ Italicæ, atque ab his pergit ad eos, qui historiam regnorum Septentrionalium Daniæ, Sueciæ, Norwegiæ, Poloniæ, Moscoviæ atque Lithuaniæ explicarunt, quos tribus capitibus absolvit. Ultimo demum capite exponit Scriptores, qui Introductionem in Historiam Regnorum dederunt, Geographicos, Chronologicos, Heraldicos, illos, qui de Ordinibus equestribus egerunt, vel Calendaria atque Dictionaria Historica publicarunt. In singulis capitibus, maxime vero in Monarchiarum descriptione, antiquiores a recentioribus distinxit, Universalis vero Historiæ Scriptores secundum secula, quibus vixerunt, proposuit. In Particularis Historiæ Scriptoribus ordinem servavit propositæ materiæ convenientem, ut præmitteret semper illos, qui ad chorographiam, statum regni ejusdemque provinciarum naturalem, mores & naturam incolarum faciunt. Hos insequuntur qui originem gentis, historiam regni vel universalem vel particularem, regum successionem, bella, particulares etiam eventus descripserunt. Tertia pars politica est, in qua Scriptores de forma & statu regiminis, ministris præcipuis, interesse publico, Statu ecclesiastico, re nummaria, insignibus, aliisque politicam doctrinam concernentibus, agentes exponuntur. De potioribus Scriptoribus, brevi addito indicio censet, quid in quovis commendandum, quid

vi-

vitio vertendum, declarans: reliquorum vero mediocris notæ Scriptorum nomina, atque librorum titulos solum adduxisse contentus.

CHRISTPH. WÆCHTLERI, D. DE CANCELLARIIS VEterum Commentatio,

Dresdæ, apud Jo. Mich. Funck 1705, in 4. plag. 5.

GRatulaturus Perillustri atque Excellentissimo Domino Gvolff. Siegfrido a Kötteriz de moderno Vice-Cancellariatu per Saxoniam Electoralem, commune propemodum assertum virorum etiam eruditorum, non fuisse adeo magnæ dignitatis Cancellariorum officium sub priscis Imperatoribus, discutiendum sibi sumsit celeberrimus Autor. Discernendam scilicet dicit primam vocis significationem ab ea, quæ postmodum fuerit imposita, & a priore illa toto genere recedit. Corticem retinuisse illud nomen, reliquis omnibus absorptis. Incaute vero non paucos scriptores ipsum munus Cancellarii hodiernum tribuere vocabulo adhuc rudi, neque jam tum elaborato. Inprimis fecisse hoc Petrum Pithœum, & verbis Flavii Vopisci in Vita Carini non parum abusum, neque quicquam huc pertinere vel locum Sidonii Apollinaris, (cujus etiam lectio tentatur) vel plura alia loca Cassiodori, quæ singula excutiuntur. Tum vero Edictum Turcii Aproniani, Præfecti Urbi, neque ad Carini mentem, neque ad Cassiodori spectare, & penitus turbari ordinem temporum. Exhibere istud Gruterum, & Jacobum Gothofredum ad C. Theodosianum, de Suariis &c. cujus partem liceat adjiciamus: *Ratio. docuit. utilitate. suadente. consuetudine. micandi. summota. sub. exagio. potius, pecora. vendere. quam. digitis. concludentibus. tradere. . . ut. quantum. caro. occisi. pecoris. appendat. &. emptor, norit, &. venditor. commodis. omnibus. &. præda. damnata. quam. tribunus. officium. CANCELLARIUS. &. Scriba. de. pecuariis. capere. consueverant. quæ. forma. interdicti. &. dispositionis. sub. gladii. periculo. perpetuo. custodienda. mandatur.* Quæ non ex verbis Agathiæ modo, sed & libris Basilicῶν atque Novellis, ita illustrantur, ut ad tempora recentiora fiat simul descensus, maxime etiam ad periodum Caroli M. cum aliqua tamen censura Gul. Budæi, quasi

 per

per illum titulus hic tantam, quam habet, acceperit amplitudinem. Qua in re rectius senserit Spelmannus: a quo tamen rursus recedit alicubi Noster. Sensim utique crevisse eam auctoritatem, atque clericis adhæsisse primum, qui quum Quæstores sacri Palatii vocari nollent, temperamentum in vocabulo humili quæsiverint. Hieronymum autem Cancellarii munere apud Damasum fuisse functum, minus bene dici seculo quarto, facta collatione cum stylo seculi tertii exeuntis, apud Fl. Vopiscum. Damasum enim ad ipsum Hieronymum scribere: *epistolas tuas tota aviditate legi atque descripsi.* In iis autem de Scripturis interrogare Damasum, respondere Hieronymum; forte tunc non amplius juvenem, quod Erasmo placuerit. Venisse enim illum Romam anno CCCLXXXII, regressum tertio statim anno, defuncto scilicet Damaso, in Syriam, & Romam amplius non vidisse. Si igitur ponamus; Hieronymum fuisse natum anno CCCXXIX, utique habuisse virilem ætatem; nisi quod in inveniendo ipsius natali mire variarint Scriptores, Prosper, Spondanus, Antonius Pagi, Henricus Hammondus cum Blondello, a quibus omnibus seorsim sentiat Jo. Cinellius. Digniorem autem cura sua judicavit Autor lapidem repertum in Catalonia:

HIC NATUS DAMASUS PONTIFEX ROMANUS
DISCIPULUS ET MONACHUS S. HIERONYMI
PRESBYTERI,QUI OBIIT ERA CAESARIS CCCCV.

Sensum illius ita explicari ab aliis: auctorem fuisse Hieronymum certi ordinis Monachorum, & illam regulam amplexum, etiam Damasum in supremo apice dignitatis Pontificiæ. Quæ cum explodantur, Nostro potius videtur suggillari familiaritas, quæ Damaso cum Hieronymo per triennium non integrum intercesserit. Omnes quidem Epistolas, quæ utrique tribuuntur, non esse genuinas, nec tamen etiam omnes spurias. Postquam igitur tot seculorum lapsu novum omnino vocabulum videretur procusum, certasse Politicos cum Episcopis in ambiendo titulo Cancellarii. Ubi transitus fit ad tempora Damasi II Pontificis, & Regum Francorum, tandemque inquiruntur incunabula primæ & hereditariæ fundationis trium Archi-Cancellariatuum Imperii, secundum Capitularia & diplomata, quæ abunde producuntur. Neque potuit

tuit censuram hic evitare Lehmanni Chronicon, ac suo modo Onuphrius Panvinius, Limnæus. Sequuntur Diplomata recentiora, & innuitur, rem totam actam fuisse per consensum Ecclesiarum Germanicarum cum Romana. Cui eximiam Bodinus dicam scripserit in laudem gentis suæ: *se XXX regni Galliæ Cancellarios ex antiquitatibus commemorare posse, qui in Cardinalium cœtum aut in collegium Pontificum fuerint cooptati sed posterioris ætatis prudentiam prævidisse, quam periculosum illud esset Reipublicæ, idcoque ad civilem ordinem summam dignitatem regni sui deduxisse:* Fluctuante hic judicio Mallincroti. Ab isto charactere Cancellariorum civilium deflectit Autor ad Cancellarios Academiarum, ac de Academia Pragensi in medium profert privilegium Innocentii Pontificis integrum ex codice MS. in quo contineatur præter alia, etiam copia privilegii Studii Bononiensis, a Theodosio indulti sub anno CCCCXXIII. Eaque occasione regreditur ad alloquium Per-Illustris atque Excellentissimi Domini Vice-Cancellarii Nostri moderni: cujus non tam anni, & non tam honores, quibus in aula Saxo-Numburgensi jamdiu cumulatus, quam ipsa divinitas genii ex uno Consilio sanctiore in aliud, æque aut magis adhuc sanctum, visa hactenus fuerit festinare. In additionibus autem occurrunt observationes una plures; qualis illa de Marcellino Comite, quem ex verbis incertis Cassiodori, perperam opinati quidam sint, fuisse Cancellarium Justiniani adhuc patricii, Aubertus Miræus, Nicolaus Alemannus, Guil. Caveus. Simili lapsu Mæcenatem vocari Cancellarium Augusti, & vestigia ejus rei Pancirollum quæsivisse in Horatio. Porro notatur Carolus du Fresne, & Jo. Jac. Hoffmannus, quod neque Cassiodori ætatis, nec alias temporum rationem habuerint. Itidem peccasse hic Renatum Choppinum & Andream Schottum, atque iterum Hoffmannum, & Mabillonium. Ac post hos denuo Du Fresnium, circa locum Mauricii: cui alium surrogat Noster, & neutrum de cappa S. Martini accipiendum existimat. Quumque toties laudatus hic fuerit Cassiodorus, eo etiam nomine commendatur Nostro, quod & sacrorum librorum curam non minus habuerit. Ac de Epistola quidem ad Romanos non esse dubium: Homilias autem Chrysostomi ad Hebræos fecisse in Latinum transferri per Mutianum. Simi-

militer Clementem Alexandrinum in Petri I, Johannis I & II & Jacobi, itidem per alios. Præterea non ipsum, sed amicos ejus Homilias Chrysostomi in Actus Apostolorum transtulisse, fatente Cassiodoro Divinarum Institutionum capite nono: nisi quod Triconio Donatistæ in Apocalypsin tantum in bonis dictis χρειστημῶν, in malis ἀχρειστῶν ipse affixerit, quantum transiens repperit. Breves vero illas explanationes, quarum fiat mentio in præfatione de Orthographia, aut non extare censet, aut non esse Clementis Alexandrini, sed ipsius Cassiodori. Et hæc quidem hactenus inter præsentes Autoris curas forenses.

EMMENOLOGIA: IN QUA FLUXUS MULIEBRIS Menstrui Phænomena, Periodi, Vitia, cum Medendi Methodo, ad Rationes Mechanicas exiguntur. Auctore JOHANNE FREIND, M. B. Æd. Christi Alumno.

Oxoniæ, e Theatro Sheldoniano, A. 1703, in 4to.
Constat Alphab. 1 pl. 4.

QUi Naturæ vestigia fideliter legunt Physici pariter ac Medici, abdita ejus eruunt felicius: neque enim ulla ratione vel modo corporis humani affectiones innotescent planius, ac si leges eas, quas suis motibus præscripsit Natura, sedulo consulamus. Hanc ipsam in explicandis Naturæ arcanis viam singulari cum industria ac laude sequitur Clarissimus præsentis Emmenologiæ Auctor Jo. Freind. Non nescius enim, quam infeliciter cesserit hactenus plerisque, qui de Mensibus ad nauseam usque scripserunt, dum ingenio suo abrepti, suorum potius somniorum, quam naturæ fuerint interpretes: operam suam haud male collocasse ratus est, si Mensium naturam paulo accuratius explicare aggrederetur, deducta ab elementis mechanicis eorum theoria. Capita, quibus absolvitur tractatus elegantissimus, in universum sunt XIV. I. de purgationis Menstruæ natura, II. de variis circa hanc materiam opinionibus, III. de plethoræ causis, & quare fiat in fœminis, IV. de structura uteri & vaginæ, V. de modo, quo Menses movet plethora, VI. de Argumentis contra plethoram, VII. de perio-

riodis, VIII. de phænomenis, IX. de iis, quæ aut citius cient, aut diutius retardant menses, X. de symptomatis, quæ a suppressis mensibus oriuntur, XI. de methodo in suppressis mensibus therapeutica, cui subnectuntur historiæ, XII. de symptomatis, quæ a mensium fluxu immodico oriuntur. XIII. de methodo in fluxu mensium immodico therapeutica, cui itidem adjiciuntur historiæ. XIV. de remediorum viribus & operatione. Notatu digniora ex singulis sunt sequentia:

Plethoram cum Galeno statuit mensium causam, eandemque a perspiratione impedita dependere persuasus est Clarissimus Auctor. Minor enim in fœminis materiæ perspirabilis secretio, ob minorem sanguinis velocitatem, quæ ex pulsu, & capillarium vasorum angustia, quæ ex textura in sexu sequiori delicatula probari potest, observatur. Cap. III. Aortæ truncus descendens multo amplior in fœminis, quam in viris, ut non modo ad musculos excludendo fœtui inservientes, sed ad uterum etiam major sanguinis quantitas deferatur; quæ vasorum capacitas & multitudo facit, ut non alium, nisi per uterum, sibi exitum quærant menses. Cap. IV. Cum eousque increbuerit sanguinis momentum, ut ei oppugnando vasa minime sufficiant, locum facile cedunt, ut per ipsorum tunicas sanguis erumpat; vasa vero uterina, utpote carne parum suffulta, ad cedendum sunt facillima. Cap. V. Suum etiam in hoc negotio confert symbolum valvularum in venis uterinis defectus; nihil enim, hoc supposito, obstat, quo minus sanguis omnis, qui in ramis amplioribus continetur, retro versus capillarium angustias corruat, & tenella orificia ita premat, ut impulsu quovis dissiliant. Qui negant plethoram esse mensium causam, nihil probant, dum gracilissimas etiam fœminas per uterum purgari opponunt. Cap. VI. Has ipsas enim sanguine præ obesis exuberare, Galenus jam suo tempore novit, & quotidiana confirmat observatio, in lactantibus gracili corpore præditis, menstrua solenniter fere celebrari. Quod si tales a plethora ipsa suppressionem mensium gigni asserant, fallaciam non causæ ut causæ committunt; neque enim plethoræ tunc, sed sanguinis lentori potius eadem adscribenda. Ratio periodorum, quæ in mensium fluxu observantur, hæc est: quantitas sanguinis mense quolibet evacuati cum sit circiter unciarum Cap. VII.

vi-

viginti, totius massæ sanguineæ est pars fere decima; hac igitur sanguini accessione facta, sub fine cujusque currentis periodi momentum sanguinis erit decima parte fortius, singuli porro in corpore canales decima parte prementur magis & distendentur: ita canales pressionem die uno aut altero ante fluxum nona parte adauctam sustinere possunt, decima vero accedente, locum cedunt, uti lancibus ad æquilibrium perductis, si quid ultra adjicias, præponderat. Menstruis igitur fluentibus, vasa omni eo sanguine, qui plethoram constituit, deplentur, cessantibus vero, ad consuetum corporis pondus redeunt mulieres: unde iterum deficiente perspiratione, necesse est, ut intra idem tempus eadem accumuletur sanguinis redundantia. Quod si detur, vasa sanguinea ab hujusmodi plethora semel disrumpi posse, sequitur omnino, si similis mense quolibet redeat plethora, eundem etiam fluxum reverti debere: deficiente vero in fœminis perspiratione, abunde sufficit intervallum menstruum, ut plethora talis increbrescere & accumulari queat.

Cap. VIII. Quod menses communiter ultra septimum septenarium non persistant, a mutatione fibrarum evenire statuitur: in senectute enim hæ ipsæ non modo rigidæ magis & renitentes fiunt, ut a sanguinis momento perfringi nequeant, sed capillarium oscula etiam, ex quibus fluere consueverunt menses, continua tandem cicatrice, quasi callo ita obducta sunt, (quemadmodum in hæmorrhoidibus sæpius incisis contingit,) ut per ea nullus ultra sanguini pateat exitus. Adeo mensibus tandem deficientibus, alia in corpore secretoria assuetudine continua ita se tandem comparabunt, ut plethoram, quæ mense quolibet coacervatur, accipere ac deplere possint.

Cap. X. Causam suppressionis mensium, vel a vasorum vitio, vel a plethora cum lentore conjuncta, deducit Clarissimus Autor. A vasorum vitio suppressionem venisse, signum diagnosticon habetur, si adsit dolor circa uterum tensivus, venarum tumor, faciei color floridus; quod magis adhuc certum, si fortius insimul increbescat pulsus. A plethora excedente autem sanguinis qualitas vitiari ac lentore gravari potest, partim, quia in tanta sanguinis copia particulæ ejus in angustius spatium coguntur, adeoque facile coalescunt, partim, quod ob intumescentiam fibrarum, motus cordis imminuatur, partim, quod in tali statu, absumptis per reliqua cor-

corporis secretoria tenuioribus & aquosis sanguinis particulis, spissiores remaneant. In curanda mensium suppressione, venæsectio non nisi præmissis purgantibus atque emmenagogis suadetur. In his enim, cum ea sit operandi ratio, ut humores viscidos dissocient atque attenuent, sanguis jam ante comminutus laxiusque cohærens, copia detracta, facilius dimovetur, & fortius momentum concipit. Igitur triduo ante consuetum tempus secatur vena, ut tum præcipue novus sanguini accrescat impetus, cum augmenti summam attigerit plethora. Quoad locum, ubi vena secanda, cum citra lentorem sanguis exuberans vasorum vitio restrictus fuerit, saphæna eligitur, quia a vena cava pariter, ac illa, quæ circa talum est, ducit originem: adeoq; cum fluido largius influente major sit vasorum distensio, facilior aperietur sanguini menstruo egressus. Interdum tamen præstat venam in brachio prius, & deinde in malleolis aperire: diminuta quippe per venam in brachio sectam sanguinis copia, augetur velocitas, postea vero, aperta saphæna, sanguis ad interiora se præcipitat, & auget eam, quæ ad vasa uterina continuo increscit, plethoram; unde aucta plethora & velocitate, augetur etiam ad ipsorum latera sanguinis momentum. In Historia prima, quæ capiti XI. annexa, de catharticorum inconstanti operatione hæc est Clarissimi Auctoris opinio: in iis, quibus patentiora sunt lacteorum oscula, sive id a natura, sive vitio aliquo provenerit, ita, ut medicamentum omne in sanguinem facile transmittant, alvus minus movetur: in iis vero, quibus arctius coalescunt, aut obstruuntur lactea, ita, ut pars cathartici maxima in intestinis subsistat, stimulus ad tunicas validior est, & proinde crebrior alvi dejectio. Historia ejusdem capitis V. fœminæ mentionem facit, quæ ex mensium suppressione omnium maxime questa est de abdomine: in intestinis quippe sensit tormina quasi colica, in ventriculo gravitatem, inflationem & nauseam, &c. Suasit Clarissimus Auctor emplastrum, quod humores resolveret, & doloris vehementiam sopiret:

Cap. XI.

℞ Empl. Hyster.
de Galban. à q. s.
Opii, Camphoræ à ʒß.

M. F. Emplastr. Hoc emplastro sub noctem adhibito, post aliquot horas vehementer incalescebat mulier, & humorum quan-

dam quasi inter se luctam sibi visa est sentire: postero vero mane prorsus evanuit in abdomine dolor,& dissipata sunt tubercula,cujus rei rationem reddit sequentem: Camphoræ & opii particulæ tenuitate sua intra vasorum poros se insinuant, ibique lentis humoribus, quorum vitio oriuntur dolores & tubercula, commistæ, eos ita incidunt & exagitant, ut sanguinis globuli non ultra ad oscula arteriolarum hæreant, sed jam in minima divisi vel in venas trajici queant, vel perspiratione foras extrudi. Ita penetrans reperitur opii & camphoræ vis, ut nullum fere sit (si cantharides excipias) remedium, quod externe adhibitum cutim promptius pertranseat & viam sibi in sanguinem aperiat: adeo parum se ostendit ignava illa & frigida qualitas, quam iis plerique
Cap. XII. solent affingere. Fluxum mensium nimium facile excipere fluorem album, communis est observatio. Ratio ex mente Auctoris hæc est: si uteri tonus vacillet, glandularum, quæ internæ ipsius tunicæ interseruntur, adeo dehiscent oscula, ut lympham suam in uterum copiosius effundant, ea vero continuo foras stillante,
Cap. XIII. orietur morbus ille, qui appellatur fluor albus. In relicta post abortum placentæ portione, a biennio intus retenta, sequentem probatam deprehendit mixturam:

℞. Tinctur. Croc.
Laud. liqu. Sydenh. à ʒij.
Camphor. in Sp. Vin. ℥ß. dissol. ʒj.

M. D. ad guttas quadraginta sæpius de die; quo remedio ita spiritus refecti sunt, ut post diem unum & alterum, illa placentæ portio graveolens & plane putrida exclusa, omnisque dolor, & tandem
Cap. XIV. etiam nimius mensium fluxus sopitus fuerit. De emmenagogis eorundemque operandi ratione & modo ita sentit Clarissimus Auctor: cum partium tenuium sint & maxime penetrantium omnia illa, quæ jure emmenagoga appellantur, molem sanguineam ita incidunt & comminuunt, ut minor sit globulorum inter se contactus,& proinde compages rarior: sanguis vero ad hunc modum attenuatus, non modo spatium amplius intra canales occupat, sed spiritus etiam nervis uberiores sufficit; unde iterum corde vehementius contracto, fortiore impetu per arterias circulatur. His au-

autem attenuandi viribus menses pellentia instructa esse, confirmare satagit:

1. Per effectus sensibiles ex sapore acri & amaro, odore fragranti, salis vol. indice, pulsus incitatione, colore aucto & diaphoresi, patentes.

2. Per commixtionem emmenagogorum cum sanguine adhuc tepente, ex qua si color floridus & fluiditas tenuior emergat, de attenuandi ac dissolvendi viribus dubitari non posse, persuasus est. Neque tamen ideo tincturas eas, quæ spiritu vini extrahuntur, ex numero emmenagogorum excludit, licet sanguini coagulum inducant: ipse enim spiritus vini eas in se continet particulas, quæ in spiritus animales facile migrare possunt; spiritibus vero in cor uberius influentibus, inducitur illa sanguini rarescentia, quæ ad ciendos menses satis efficax, cum a vasis præduris nimiumque renitentibus, ortum duxerit suppressio.

3. Per confusionem emmenagogorum cum syrupo violarum, unde color viridis aut viridi affinis, salis alcalini index; alcalicorum autem eas esse vires fatentur omnes, quæ coagulum sanguinis resolvant.

4. Per injectiones in venas jugulares vivi animalis syringa institutas, quibus non minus vis emmenagogorum attenuatrix ad oculum demonstratur.

Adstringentium operationem quod attinet, ea non modo in fibris vellicandis & contrahendis, sed & in humoribus coagulandis incrassandisque sita est. Sanguinis igitur particulis condensatis, & arctius inter se cohærentibus, imminuitur velocitas, non modo, quia parcior fit spirituum secretio, sed quia ea est humorum resistentia, ut difficilius a corde protrudi queant. Velocitate vero languente, ita deficit sanguinis momentum, ut canales minus jam distrahat, eorumque viribus contrariis impar evadat. Ita in sanguinis debilitate tonum suum recolligunt & coalescunt vasa. Quæ de adstringentibus theoria, non minus ac ea de emmenagogis, argumentis atque experimentis solidis a Cl. Auctore confirmatur.

Antequam recensionem hanc finiamus, non possumus, quin illam, quam de hydrargyri & chalybis viribus fovet theoriam,

 bre-

brevibus allegemus. Et hydrargyrum quidem, partium tum gravitate, tum tenuitate, cohærentiam sanguinis ita diffringere & segregare statuit, ut humoribus plurimum attenuatis, major fiat spirituum secretio, & vis cordis fortior; quod satis confirmari salivatione persuasus est, in qua pulsus ita frequens & validus observatur, ut ad febrilem pene accedat. Etiam peracta salivatione, sanguinem tenuem admodum & rarum relinqui, testatur experientia. Itaque restrictis mensibus nunquam felicius succurritur, quam cum alterantibus per vices interposita sunt purgantia Mercurialia. Etiam continuum Æthiopis mineralis usum, non modo tutum, sed & efficacem semper comperit. Chalybem ex iis esse docet Clarissimus Auctor, quæ spiritibus quasi cognata sunt; quod satis ostendere pulsum, chalybeatorum usu vehementer increbrescentem, existimat. Nam non solum gravitatis momento, sed & attenuandi ac rarefaciendi virtute chalybs pollet. Et hinc facile innotescet, quomodo, uti vulgo fertur, & vasa obstructa aperiat, & nimis laxa restringat: quæ quidem in agendo vires plerisque non contrariæ modo, sed & inexplicabiles videntur, cum tamen, vasis obstructione liberatis, eorum latera adstringi sive contrahi necesse sit. Fibræ enim, quæ, dum sanguis stagnaret, relaxatæ sunt, nunc remoto omni obstaculo, vim suam naturalem exercent, h. e. elasticitate forti sese tono suo restituunt, & statum contractilem recuperant. Et tonum quidem roborat chalybs non modo, quia vasa obstructione expedit, sed quia spiritus etiam, uti dictum est, uberius sufficit: a quibus pendet omnis fibrarum contractio.

JOANNIS RAII, SOCIETATIS REGIÆ SOCII, Historiæ Plantarum Tomus Tertius, qui est Supplementum duorum præcedentium. Accessit P. GEORGII JOSEPHI CAMELLI Historia Stirpium insulæ Luzonis & reliquarum Philippinarum, item D. JOSEPHI PITTON TOURNEFORT Corollarium Institutionum Rei Herbariæ.

Londini, apud Samuelem Smith & Benjamin Walford, 1704. fol.
Constat Alph. 10. plag. 11.

Flo-

FLorent per Dei gratiam artes hoc tempore omnes ac ſcientiæ, nec deſunt uspiam, qui excolendis iis ſtrenuam operam majore indies cum fructu impendant: nec mentiemur tamen, ſi dixerimus, Botanicum inprimis ſtudium, admiranda curioſorum hominum cujuscunque gentis ordinisque induſtria, ad ſummum hactenus provectum eſſe faſtigium. Cum anno 1686 & 1688 Clariſſimi Raii Hiſtoria generalis Plantarum (cujus Tomum I in Actis his A. 1687 p. 105, alterum Tomo I Supplementorum p. 111, uti editam jam ante Methodum Plantarum Novam A. 1683 p. 184, pro inſtituti noſtri modulo recenſuimus) primum prodiiſſet, opus illud credebatur numeris omnibus abſolutum: & tantillo tamen annorum, qui ex eo tempore lapſi ſunt, ſpatio, tantus plantarum tum nondum cognitarum, in omnibus orbis partibus certatim detectarum, numerus innotuit, ut novum jam magni ſui operis tomum, velut priorum ſupplementum, adornandi publicique faciendi juris neceſſitatem impoſitam ſibi, diligentiſſimus Raius cenſuerit. Enimvero vel in Actis noſtris e libris, qui hoc intervallo prodierunt, haud paucos indicatos meminimus, veluti *Horti Malabarici* volumina ſex poſteriora A. 1688 p. 479, & 1697 p. 533: *Pauli Hermanni* Floræ Lugduno-Batavæ Flores, A. 1691 p. 217, ejusdemque Paradiſum Batavum A. 1697 p. 237: *Joſephi Pitton Tournefort* Elementa Botanices A. 1693 p. 509, & Inſtitutiones Rei Herbariæ A. 1701 p. 347, Corollarium item hujus anni menſe Martio p. 138: *Caroli Plumier* Deſcriptionem Gallicam Plantarum Americæ A. 1694 p. 461, & Nova Plantarū Americanarum Genera A. 1703 p. 517: *Leonardi Plukenetii* Phytographiam A. 1691 p. 493, & A. 1693 p. 311: *Pauli Bocconis* Muſeum Plantarum rariorum Siciliæ, Maltæ, Corſicæ &c. Supplem. T. III p. 98: *Roberti Moriſoni* Plantarum Hiſtoriæ Univerſalis Partem III A. 1702 p. 477: *Joannis Commelini* Rariorum Plantarum Horti Medici Amſtelodamenſis Deſcriptionem & Icones, A. 1698 p. 128: *Abrahami Muntingii* Curioſam Deſcriptionem Plantarum Belgica lingua editam, A. 1697 p. 546: *Auguſti Quirini Rivini* Introductionem generalem in Rem Herbariam, A. 1690 p. 265, Ordinemque Plantarum flore irregulari monopetalo, A. 1690 p. 267, item Ordinem Plantarum flore irregulari tetrapetalo, A. 1692, p. 273, nec non Ordinem Plantarum flore irregulari pentapetalo, A. 1701 p. 95: *Olavi Rudbeckii*, *Patris* & *Filii*, Campi

pi Elyſii Librum ſecundum, magni operis partem infelicibus auſpiciis publicatam, A. 1702 p. 374: *Jo. Georgii Volckameri* Floram Noribergenſem, ſeu Catalogum Plantarum Agri Noribergenſis, A. 1700 p. 526 &c. Tacemus tot plantas aliunde recens advectas, quæ Societati non minus Regiæ Anglicanæ, quam Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſienſi ſubinde communicantur, & tum in Anglicanis Actis Philoſophicis, tum in Joh. Bapt. Du Hamel & Fontenelli Hiſtoria dictæ Scientiarum Academiæ, omnium notitiæ exhibentur, additis, in hac præſertim, curioſis præcipuarum plantarum utiliſſimisque analyſibus. Ex tanto igitur apparatu, quin novum decus & ingens augmentum Botanico ſuo operi Raius celeberrimus adjecerit, quis dubitet? edito tertio hoc volumine, quo præter plantas nonnullas in prioribus per incuriam aut oblivionem omiſſas, ſpecies illas novas omnes proximis annis demum in lucem productas, & ex tot ſcriptis non ſine moleſtia cæteroquin colligendas, complectitur. Nec exiſtimandum, ex ſolis libris, publico omnium uſui expoſitis, ſuppetias Auctori proveniſſe, ſed additas inſuper ſtirpes plurimas nondum deſcriptas, ſed ab Amicis communicatas. Quo nomine (nec enim ignorari debent, qui inſtitutum laude digniſſimum promoverunt) in Præfatione triumviros comprimis laudat, *D. Hans Sloane*, qui Hiſtoriam manuſcriptam ſtirpium Jamaicenſium locupletiſſimam, nec non plures plantarum centurias a peritiſſimis Botanicis, D. Vernon & D. Krieg, in Marilandia collectas, benevole ſibi communicaverit: *D. Jacobum Petiver*, Pharmacopœum Londinenſem, Virum, ſi quisquam alius, ex toto orbe conquirendarum ſtirpium exoticarum ſtudioſiſſimum, qui plurimis novis & raris, imo inſolitis & admirandis ſpeciebus opus hoc ſuum ditaverit: & *D. Guilielmum Sherardum*, qui ultimum illi complementum adjecerit, bis mille ſtirpium nondum editarum auctario ſponte & generoſe collato, ſchedas etiam ſuas, antequam typis committerentur, rogatu ſuo diligenter perlegerit, curaveritque, ut rite omnia cohærerent. Neque tacet, ſuas etiam ſymbolas triumviros alios, *D. Tancredum Robinſon*, *D. Edwardum Lhwyd*, & *D. Samuelem Dale*, perficiendo operi contuliſſe.

Reliquum eſt, ut de Appendicibus ſubjunctis pauca dicamus. Primo loco *P. Georgii Joſephi Camelli* Herbarum aliarumque ſtirpium

pium, in inſula Luzone Philippinarum primaria naſcentium, Syllabus comparet. Auctor, natione Brunenſis Moravus, Manilæ, iſtius inſulæ metropoli, hodieque degit, & Societatis Jeſu, cujus membrum eſt, Pharmacopœi munere fungitur, qui propria manu plantas in illa inſula obvias deſcripſit ac delineavit, earumque partem magnam ad Raium noſtrum benevole transmiſit, præſenti Syllabo comprehenſam, quam invidere Noſter nec aliis ſuſtinuit. Sequuntur Plantæ novæ a *D. Joſepho Pitton Tournefort* Aquæ-Sextienſi obſervatæ in Orientalibus regionibus, & in Corollario Inſtitutionum Rei Herbariæ (de quo nuper admodum menſe Martio pag. 138 diximus,) nominetenus traditæ; ita tamen, ut cum apud Tournefortium ipſum eo ordine, quo ad plantarum ſpecies in ipſis Inſtitutionibus Rei Herbariæ antehac propoſitas referri quæque debet, exhibeantur, hic in ordinem alphabeticum redactæ ſiſtantur. Quibus denique Plantæ etiam a *D. Gulielmo Dampier*, in Braſilia, Nova Hollandia, Timor & Nova Guinea obſervatæ & collectæ; nec non Plantæ Spitzbergenſes, a *Frederico Martens* in Itinerario ſuo deſcriptæ; Plantarum item rariorum, à *Caſpare Commelino* in Præludiis Botanicis recenſitarum, Deſcriptiones; & *Jac. Petiveri* Plantæ rariores Chinenſes, Madraſpatanæ & Africanæ, cum ejusdem Catalogo Plantarum in hortis ſuis ſiccis conſervatarum, & Farragine plantarum quarundam Indicarum & Americanarum incertæ ſedis, ſubjiciuntur.

ΓΕΩΠΟΝΙΚΑ.

GEOPONICORUM, SIVE DE RE RUSTICA Libri XX. CASSIANO BASSO Scholaſtico Collectore. Antea Conſtantino Porphyrogenneto a quibusdam adſcripti. Græce & Latine. Græca cum MSS. contulit, Prolegomena, Notulas & Indices adjecit PET. NEEDHAM A. M. Coll. D. Joannis Cantabrig. Socius.

Cantabrigiæ, typis Academicis, impenſis A. & J. Churchill, Bibliopolarum Londinenſium, 1704. 8.
Conſtant Alph. 1½.

E majoribus Græcorum ſcriptorum de Re Ruſtica voluminibus, excerpta ſunt hæc noſtra, quæ exhibentur, Geoponica, non ſemel

mel equidem a viris doctis publici juris facta. Quoniam vero melior, quam quo ornati erant hactenus, ea decebat habitus, cumque reliquiæ hæ solæ, de hoc argumento Græco sermone scriptæ, deperditis ipsis, ex quibus deprompta sunt, monumentis, ad nos usque perduraverint, & spes nulla amplius affulgeat, fore, ut ex bibliothecis Italiæ & doctorum virorum loculamentis, ipsa Florentini, Heronis & aliorum Geoponica aliquando excutiantur, trium annorum studium novæ horum fragmentorum editioni adornandæ ut consecraret, amicorum hortatu induci se Clarissimus editor Petrus Needhamus passus est, ut æque nitide & emendate, ac Latini de Re Rustica Scriptores toties prodierunt, hæc quoque luci exponerentur publicæ. Nihil vero omisisse eum temere, quod ad scopum hunc suum faceret, fatemur merito. Et quanquam non neglexit excusos jam typis libros, præcipuum tamen auxilium a manuscriptis codicibus esse repetendum, non ignoravit; unde & refertissimis illis omnis generis librorum seu manu exaratorum seu typis descriptorum Angliæ Bibliothecis studiose perlustratis, tredecim manuscriptos, partim integros, partim mutilatos inspexit codices. Ast neque hi diligentiæ ejus posuere limites, sed & magnorum virorum, quales sunt Casaubonus, Saracenus, Galeus & alii, cura ipsi subvenit, qua marginibus librorum manu sua tritorum correctiones, annotationes, & collationes adsperserunt; cujus laboris ipsi copiam fecerunt Bibliothecæ non minus publicæ, quam munificentia Virorum boni literarii studiosissimorum, inter quos, dum viveret, Jo. Cottonus fuit, & nunc est Amplissimus Norvicensis Ecclesiæ Episcopus, Joannes Morus, quem dignis tanto literatorum Fautore encomiis ornavit Noster, & librum hunc illi inscripsit, & tanquam ipsi proprium, velut ex cujus Thesauro prodierit, vindicavit. Versionem Latinam Jani Cornarii, etsi invenustam, fidelem plerumque tamen, innumeris potius locis repurgare voluit, quam totam abjicere; in qua castiganda nonnihil sibi opis Andream a Lacuna attulisse non dissimulat, qui octo posteriores libros a se translatos Coloniæ A. 1543 edidit. Id autem, quod præstitisse jactitet in pagella titulari, eum non fecisse, Needhamus judicat, cum plurima aut prorsus præterierit, aut perperam intellexerit. Notularum numerum & illæ adaugent, quibus Janus Gruterus Cornarii versionem, olim inter suos libros relatam, passim no-

notavit. Et sicuti nihil facile, ita nec versionem Italicam eam susque deque habuit, quæ a Petro Lauro Modenensi adornata est: Gallicum vero incassum quæsivit interpretem; quod idem ipsi cum Langbainianis collationibus accidit, quarum ipse Langbainius in Epistola ad Usserium aliquando meminit. Plurima, præcipue in re Botanica, se hausisse candide monet, ex erudita Salmasii in Solinum notarum congerie, in qua nullus quidem ordo comparcat, sed copia rerum insignis, & in qua ea, quæ de herbis & aromatibus dicuntur ex sententia veterum, ad Geoponicorum quoque mentem accedant propius.

Auctorem Collectionis hujus de Re Rustica Scriptorum Græcorum, non unum Viri Eruditi omnes statuunt. Augustorum nomine non indignam quidam hanc æstumarunt operam, & Constantino Pogonato, sed Porphyrogenneto Basilii Macedonis nepoti alii tribuunt. Inferiorem his dignitate, Cassium Dionysium Uticensem compilasse hanc farraginem, tertia doctorum est opinio; in qua nec dum acquievit aliorum investigatio, qui cum Harduino eadem esse Geoponica contendunt cum Georgicis, quæ Vindianus Anatolius Berytius collegerit, quæque etiam se legisse, in Myriobiblo testetur Photius. Omnium tandem diversæ docteque propositæ sententiæ neutiquam se Nostro approbant, quod vel male intellectis Auctorum verbis nitantur, vel ipsi Scriptorum ætati adversæ sint, vel librorum diversum numerum inferant, & ex tribus nominibus unum faciant. Quare solum Cassianum Bassum pro vero operis Collectore agnoscit, & sententiæ suæ plures allegat asseclas, Hadrianum Junium, Cl. Salmasium, & alios, qui tamen doctorum potius hoc esse judicium dixisse contenti, ex suo nihil determinarint. Attamen nec sola stat horum auctoritate Needhamus. Hinc titulum libro secundo in Barocciano codice præfixum, eademque qua codex manu exaratum, vocat in subsidium: Ἐκ τῶν περὶ Γεωργίας ἐκλογῶν Κασσιανοῦ Βάσσου σχολαστικοῦ βιβλίον δεύτερον περιέχον τάδε, quem aliquid ponderis apud idoneos rerum æstumatores habiturum sperat. Nam id quoque sibi non contrariari credit, quod sub Cassiani nomine quædam compareant in hac Ecloga; cum veterum consuetudini id conveniens sit, ut, quoties aliorum consarcinabant opera, suas conferrent quoque, proprio præscripto nomine, symbolas. De ipso Cassiano pauca sunt, quæ innotuerunt hactenus;

nus; non postremum interim famæ ejus testimonium putatur, quod Hierocles in Hippiatricam Proœmio ἄριςον Βάσσον in re dubia in consilium vocare, non dedignatus fuerit. De natali solo suo, subobscure quidem ipse Bassus quædam Geop. l. V c. 6 reliquit, ubi Μαρατώνυμον χωρίον nominat, sed fatetur Clarissimus Needhamus, ubi terrarum fuerit istud Μαρατώνυμον χωρίον, se adhuc latere. Atque hæc de Geoponicῶν Collectore. Nunc deveniendum nobis ad Scriptores singulos, quos iste collegit, & juxta Alphabeti, quod vocant, seriem Needhamus noster exhibuit. Ubi primum locum *Apsyrtus* obtinet, docente Suida Prusæensis, vel Nicomediensis, sub Constantino ad Istrum bello Scythico miles: librum scripsit Hippiatricum, & de equis Physicum, & alia. Hunc *Julius Africanus* excipit, professione Christianus, & primus, si Vossii valet auctoritas, qui horum Chronologiæ fontes reclusit, scripsitque Πεντάβιβλον Χρονολογικὴν Eusebio exscriptam, & novem Κεςῶν libros, quibus a rerum varietate nomen est, complexos res Medicas, Physicas, Rusticas & Chymicas, ut Georgius Syncellus & Suidas ajunt. Eusebius quoque epistolæ ad Origenem ejus meminit, in qua historiam Susannæ, quæ in Danielis libro legitur, spuriam suspicetur. Etiamsi vero Valesius & Scaliger diversum Africanum Chronographum a Κεςῶν Auctore faciant, contrarium tamen ex ipsis Photii verbis Noster it probatum. Suidas facit patria Lybicum. Vixit tempore Alexandri Severi Imperatoris, quia ipse testatur, Partesanem se vidisse, qui haud dubie sub hujus imperio clarus fuit. Pauca quædam adhuc ejus Κεςῶν capita extant, ad calcem Heronis Alexandrini aliorumque Mathematicorum veterum Parisiis editorum, sed mutila & luxata. Non minus locum *Anatolius* inter Geoponicos meruit, a Suida dictus μάγιςρος Θεοδοσίȣ βασιλέως. Uti duorum illustre *Apuleiorum* nomen est, ita dubium est, cujus fragmenta ornent Geoponica. Colvius cum Apuleio Celso Centuripino facit, qui sub Augusto & Tiberio floruisse creditur, & a Scribonio Largo præceptor suus nominatur, ac a Marcello Empirico Medicis Latinis accensetur. Albertus Faber autem in Decade Decadum a Madaurensis Philosophi Platonici stat partibus, cujus diversa a jam extantibus passim veteres allegant scripta. Arbitrium aliis relinquit Needhamus Noster. Subjunctus huic *Aratus* est

est Astronomicῶν & Phænomenῶν Auctor, Solensis e Cilicia, cujus sub Antigono Gonata Macedoniæ Rege nomen nullibi non est notissimum. Ad *Berytium* accedens Auctor, male eum Photio Berytum audire submonet. An sit Hermippus Berytius, juxta Suidam ætate Adriani celebris, Philonis Byblii discipulus; an Taurus Berytius Platonicus, sub Antonini Pii imperio; an Lupercus Berytius, qui Claudium non multum antecessit tempore, atque de Pavone, Squilla, & Gallo apud Platonem libros composuit, quorum itidem Suidas memoriam conservavit, non satis expeditum est. Sed magis clarum, quod *Democriti* nomen non antiquissimum celeberrimumque simul Philosophum, Hippocrati æqualem indicet, quem ad agriculturæ peritiam multum contulisse veteres laudant, sed recentiorem aliquem, cujus Physica & Chymica in bibliothecis quibusdam visuntur, ex quibus deprompta fuisse ista Physica omnia ridicula & Δημοκρίτεια Παράδοξα, quæ hinc & inde prostant in Geoponicis, Needhamus autumat. Plures etiam uno nomine celebrantur a veteribus *Didymi*. Postremum recenset *Didymum Alexandrinum* Suidas, qui de Re Rustica libros XV reliquisse scribitur, ex quibus in Geoponica quædam relata esse, merito credimus. Qui hunc sequitur, *Cassius Dionysius*, a patria Uticensis, non tam ipse quid ex suo nobis dedit, quam viginti & octo Punicos Magonis de Re Rustica libros, Græcis viginti expressit, quod de ipso Varro memorat. Ejusdem fere ingenii sunt, quæ *Diophanis Bithyni* nomen præ se ferunt. Is enim Cassium Dionysium contraxit in sex libros, uti vicissim Diophanem contraxit Asinius Pollio Trabianus. Ortus est Diophanes ex Nicæa urbe, æqualis Julio Cæsari & Ciceroni. Posterior hoc *Florentinus* est, vel Florentius. Macrino enim clavum Imperii tenente, anno post Christum 218 eum scripsisse, Nostro est probabile. Commentarii ejus sunt de Re Rustica, quod discimus ex Photio. Ab hoc ad *Frontonem Emisenum* devenit Auctor, qui regnante Severo Romæ Rhetor docuit, postea Athenis, ubi diem obiit, relictis orationibus pluribus, Suida testimonium suppeditante. Hinc ad *Hieroclem* progressus, jurisprudentiam eum coluisse edoctus, de binis ejus περὶ τῆς τῶν ἵππων θεραπείας nos facit certiores. Ætatem ejus non cognovit exactius, nisi quod Apsyrto videatur esse junior. Nec forte major ille, cu-

jus quædam hic inserta sunt, *Hippocrates* Veterinarius Scriptor, Coo Medicinæ Patris nomine honorato & gloria & ætate inferior. Ast qui primo loco poni debebat, si ad natalium hic attendere dignitatem conveniret, *Juba* offertur, Jubæ Mauritaniæ Regis filius, a Julio Cæsare in triumpho ductus, cujus felix eo nomine deprædicatur captivitas, quod inter barbaros & artis imperitos natus, Græcorum quoque doctissimos, data sic opportunitate, æquaverit. Græce & Latine scripsit libros veteribus laudatos. Quem *Leontinum* plerique nominant, *Leontius Scholasticus* esse putatur, cujus Epigrammata lib. IV Anthologiæ licet legere, in effigies Callinici Cubicularii, & Gabrielis Præfecti, quorum hunc Justiniani ætati convenire, Auctorum fides comprobat. Nulli antiquitate *Nestor* cederet, si fidem Antonius Mizaldus mereretur, qui ex bello Trojano eum revocat; sed alium esse Auctor docet hoc longe posteriorem Poetam nostrum ex Lycia, sub Alexandro Severo clarum, cujus tempore Ἰλιάδα λειπογράμματον, Ἀλεξανδριάδα, Metamorphoses & alia plura composuit, ex quorum numero Ἀλεξίκηπος & Πανάκεια, quorum passim in Geoponicis mentio. Ad nomen oppido notum iterum deferimur. *Oppiani* illud est *Cilicis* Poetæ & Grammatici, teste Suida, Ἀλιευτικὰ Antonino Caracallæ dicavit, quæ, ut & Κυνηγετικὰ edidit Rittershusius, Iterum Grammaticus se sistit *Pamphilus Alexandrinus* Aristarchi discipulus, qui seculo ante Christi nativitatem secundo vixit. Multa de herbis fabulas redolentia compilavit, de quo Galeni & aliorum sunt allata testimonia. Ejus esse putantur, quæ sine nomine libris IX & XI Geoponicῶν leguntur, superstitione plena. Meminit Athenæus Pamphili Alexandrini cujusdam, qui περὶ ὀνομάτων καὶ γλωσσῶν scripserit, quem eundem cum nostro esse, non absimile vero esse Auctor noster judicat. *Paxamus* Culinariæ rei Scriptor, a Suida diversorum operum Auctor proditur, quorum pars huc pertinet. Minus constat de *Pelagonio* incertæ ætatis auctore, nisi quod sæpius laudetur in Hippiatricis. Ex diversis, de quibus legimus, *Philostratis* in Geoponicis laudari Needhamus autumat juniorem illum Lemnium, qui Apollonii Tyanensis vitam explicavit. Suidas Sophistam primum Athenis, deinde Romæ docuisse ait, sub Severo Imperatore usque ad Philippum. Photius Tyrium

rium vocat, Atheniensis est Eusebio. Ex Philosophorum ordine se conspiciendum præbet *Ptolemæus Claudius* Alexandrinus, qui Marci Imperatoris tempore floruit. Recensum librorum ejus Suidas fecit. Unó nomine non immerito duo comprehenduntur *Quintilii*, Gordianus sive Condianus, atque Maximus, fratres. Eo enim amore se sunt amplexi mutuo, ut nihil alter fecerit sine altero. Scripserunt Georgica. Perdidit eos tyrannis Commodi. *Sotionē* ratio post hunc ordinis producit. Alexandrinum dicunt aliqui, & ad Tiberii ævum ex Plutarcho eum referunt. Scripta ejus diversi diversa adducunt. Juniorem aliquem præter hunc fuisse, Needhamus colligit ex voce Ἴνθλα sequioris Græcitatis, quæ Geopon l. IX c. 27 occurrit. Qui a patria *Tarentinus* appellatus est, subjungitur. Hoc autem duo nomine celebres sunt, Archytas alter, quem agriculturæ studium coluisse Columella ait, alter Heraclides Medicus Empiricus, quem Antonio Musa Augusti illo Archiatro superiorem Galenus facit. Posteriori deberi fragmenta, quæ in Geoponicis leguntur, Lambecius censuit, ad quem Needhamus accedit. Ex Hippiatricorum iterum numero est *Theomnestus*, quem inter Cæsarianos Equites in armis versatum narrat Pearsonius, dubium quo argumento. Nomen M. *Terentii Varronis* adduxisse sufficit, cum noverit eundem quilibet. Sed nomine tantum notus est *Vindanionius*, quem Vindanium dicit Photius. Unus tandem *Zoroastres* superat, non Astronomorum & Magorum Princeps, 500 annos Trojano bello major, ut Suidas ponit calculum, qui & operum indicem exhibet; sed inferior, quisquis fuerit: certe Persomedum illum non esse, fidem oppignerare Clarissimus Needhamus audet.

Hæc ex Præfatione & Prolegomenis, quæ ad notitiam hujus editionis penitiorem faciunt, decerpsimus. Ad Notulas debebamus nunc pedem promovere propius, ast habenda nobis brevitatis ratio. Indices ergo operi subnexos ultimo loco commendamus, inter quos primus Auctorum est, quorum excerpta leguntur & laudantur in Geoponicis, quorum & vitas in Prolegomenis Needhamus prosequutus est. Secundus verborum Græcorum usus & significationis rarioris, aut sequioris ætatis, in Geoponicis occurrentium. Tertius rerum, isque locupletissimus.

SOLUTIO PROBLEMATIS A CLARISS. VIRO D. JO. BERNOULLI in Diario Gallico Feb. 1703 Propositi, quam D. G. CHEYNÆO communicavit JO. CRAIG.

Transcripta ex Actis Philosophicis Anglicanis M. Jan. & Febr. A. 1704, no. 289 pag. 1527 sqq.

PRoblema. Propositæ Curvæ Geometricæ alias innumeras Longitudine Æquales invenire.

Solutio. Sint w, s, co-ordinatæ Curvæ datæ; & Curvæ quæsitæ sint co-ordinatæ x, y: tum ex conditione Problematis erit $dw^2 + ds^2 = dx^2 + dy^2$. Ponatur $dx = dw - mdz$, unde erit $dy = \sqrt{ds^2 + 2m\,dw\,dz - m^2\,dz^2}$; in hac pro ds substituatur ejus valor per w, dw & determinatas expressus: & pro dz assumatur talis valor ex w, dw & determinatis compositus, ut valores quantitatum dx, dy sint summabiles: Et sic habentur x ac y Co-ordinatæ Curvæ quæsitæ. Q. E. J.

Exemplum 1. Invenire Curvam æqualem Lineæ Parabolicæ. Sit $2a$ latus rectum Parabolæ; adeoque $2asds = w^2$ unde $ds^2 = a^2 w^2 dw^2$ adeoque $dy = \sqrt{a^2 w^2 dw^2 + 2m\,dw\,dz - m^2\,dz^2}$; ut hæc sit summabilis, assumatur $m\,dz = \frac{w^2\,dw:}{a^2}$ unde $dx = dw - a^2 w^2 dw$: $dy = dw\sqrt{3a^2 w^2 - a^4 w^4}$ quarum integrales per Methodos dudum cognitas invenientur $x = w - \frac{w^3}{3aa}$ $y = \frac{w^2 - 3a^2}{3a^2} - \sqrt{3a^2 - w^2}$.

Exemp. 2. Invenire Curvam æqualem Circulari. Sit a radius Circuli; tum $s = \sqrt{a^2 - w^2}$: unde $ds^2 = \frac{w^2\,dw^2}{a^2 - w^2}$; & proinde erit $dy = \sqrt{\frac{w^2\,dw^2}{a^2 - w^2} + 2m\,dw\,dz - m^2\,dz^2}$; ut hæc sit summabilis, assumatur $m\,dz = \frac{4w^2\,dw}{a^2}$, adeo-

adeoque $dx = dw - \frac{4w^2\,dw}{a^2} : dy = \frac{-3a^2w + 4w^3}{a^2\sqrt{a^2 - w^2}} dw$.

Quarum integrales per communes Methodos inveniuntur $x = w - \frac{4w^3}{3a^2}$, $y = \frac{a^2 - 4w^2}{3a^2}\sqrt{a^2 - w^2}$;

Exemp. 3. Invenire Curvam æqualem Ellipticæ. Sit $2r$ latus rectum, $2a$ latus transversum, tum $s = \frac{r\sqrt{a^2 - w^2}}{a}$, unde erit $ds^2 = \frac{r^2w^2\,dw^2}{a^4 - a^2w^2}$, adeoque $dy = \sqrt{\frac{r^2w^2\,dw^2}{a^4 - a^2w^2} + 2m\,dw\,dz - m^2\,dz^2}$; ut hæc sit summabilis, assumatur $mdz = \frac{2a + 2r}{a^3} w^2\,dw$: unde $dx = dw - \frac{2a - 2r}{a^3} w^2\,dw$. $dy = dw\sqrt{\frac{r^2w^2}{a^4 - a^2w^2} + \frac{4a + 4r}{a^3} w^2 + \frac{2a + 2r}{-a^6} w^4}$; quarum Integrales per Methodos notissimas inveniuntur $x = w \frac{-2a - 2r}{3a^3} w^3$. $y = \frac{2a^3 - ra^2 - 2aw^2 - 2rw^2}{3a^2}\sqrt{a^2 - w^2}$.

Exemp. 4. Invenire Curvam æqualem Parabolæ Cubicali cujus æquatio sit $3a^2s = w^3$. Unde $ds^2 = \frac{w^4\,dw^2}{a^2}$ & proinde $dy = \sqrt{a^4w^4\,dw^2 + 2m\,dw\,dz - m^2\,dz^2}$; Ut hæc sit summabilis, assumatur $m\,dz = \frac{w^2\,dw}{2a^2}$. Unde $dx = dw - \frac{w^2\,dw}{2a^2}\sqrt{3w^2 + 4a^2}$. Quarum integrales per Methodos vulgo notas sunt $x = w - \frac{w^3}{6a^2}$, $y = \frac{2}{9} x \sqrt{3w^2 + 4a^2}$.

Ex

Ex aliis infinitis valoribus quantitatis *m d z* debite assumptis infinitas invenias Curvas datæ æquales. Tu vero, *Vir Eruditissime*, facile percipias, hoc Problema aliquam habere cum Problemate quodam Diophantæo affinitatem. Problema Diophanti est, dividere summam duorum Quadratorum in duo alia Quadrata, quorum latera sint rationalia; & Problema Bernoullii est, dividere summam duorum Quadratorum in alia duo Quadrata, quorum latera sint summabilia. Sicut Problematis *Diophantæi* solutio a vulgari tantum Algebra dependet, sic *Bernoulliani* Problematis solutio communes tantum Fluxionum Methodos inversas requirit: utriusque artificium in debita laterum quæsitorum assumptione consistit; sc. *Diophantæum* ut sint rationalia, *Bernoullianum* ut sint summabilia.

LIBRI NOVI

Henrici Bergeri JCti Enarratio Legis X Pand. de Jure Fisci & Legis II Cod. Qui & adversus quos in integrum restitui non possint. Lipsiæ apud Lanckisios hæredes, 1705 4.

D. Luderi Menckenii Selectæ Dissertationes Juridicæ ex Jure Civili, Feudali, Canonico & Saxonico. Lipsiæ, apud Christ. Emmerich, 1705 4.

Sacer Decadum Septenarius Memoriam Theologorum nostra ætate clarissimorum renovatam exhibens &c. Curante M. Heinrico Pippingio. Lipsiæ apud Thomam Fritsch, 1705 8.

C. Jul. Cæsaris quæ extant, cum A. Hirtii vel C. Oppii Supplementis ipsiusque Cæsaris Fragmentis aliis. Christophorus Cellarius recensuit ac Notis perspicuis, Indicibus plenis & novis Tabulis Geographicis illustravit. Lipsiæ apud Jo. Lud. Gleditschium, 1705 8.

Continuation des Pensées Diverses, ecrites à un Docteur de Sorbonne à l'occasion de la Comete, qui parut au mois de Decembre 1680. Ou Résponse à plusieurs Difficultez, que Monsieur .... a proposé à l'Auteur. A Rotterdam chez Reinier Leers, 1705. 12.

Description de L'Isle Formosa en Asie. Dressée sur les Memoires du Sieur George Psalmanaazaar. A Amsterd. chez Estien. Roger, 1705. 12.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Maji, Anno MDCCV.

THE CASE OF IMPROPRIATIONS, AND OF THE Augmentation of Vicarages &c.

i. e.

DE APPROPRIATIONIBUS ET AUGMENTO Curarum, quæ Vicariæ dicuntur, nec non aliarum minus sufficientium Disquisitio, ex Historia & Legum fundamentis deducta, inde a prima usurpatione Pontificum ac Monachorum, usque ad liberalitatem augustam, quam nuperrime præsens Regina voluit exstare in pauperiores Ecclesiæ Anglicanæ Ministros. Accesserunt documenta quædam ad susceptam tractationem pertinentia. Auctore WHITE KENNETT.

Londini, apud Avvnsham & Joh. Churchill, A. 1704, 8.
Constat Alph. 1. plag. 8.

QUod præsens Angliæ Regina, primo statim die post regimen a se susceptum, significavit, *animum sibi esse prorsus Anglicum*, h. e. regionum sibi subditarum utilitatibus omnino devotum, ejus veritatem documentis illustribus probatam illa dedit. E quibus præcipuum forte dici potest, quod miserta est conditionis pauperum, quotquot per universam Angliam inveniuntur, ecclesiæ ministrorum, suaque munificentia effecit, ut iisdem de necessaria ac honesta sustentatione melius jam sit prospectum. Etenim cum per statutum sub Henrico VIII conditum, & sub Elisabetha denuo confirmatum, necessitas imposita fuisset singulis beneficiorum eccle-

 sia-

fiasticorum possessoribus, non solum integros primi anni fructus, sed præterea quovis anno decimam omnium fructuum partem, in fiscum regium inferendi; in plurimis autem ecclesiis hi, qui illarum erant ministri, ob summam, in qua vivebant, egestatem, multorum annorum decimas non solvissent, adeoque fisci debitores existerent: non dubitavit clementissima Regina anno regiminis sui secundo debitum istud, ratione temporis præteriti, omnibus illis remittere, quorum annua stipendia non excederent triginta librarum Sterl. quantitatem. Sed hujus tanti beneficii magnitudinem longe superavit aliud, quod paulo post secutum. Die enim, qui olim natalis ipsi fuerat, & secundum nostram computationem fuit 18 Febr. anni 1704, Parliamento propositum sibi esse indicavit, ut omnes reditus, qui ex annatis & decimis beneficiorum ecclesiasticorum ad ipsam spectarent, inposterum ad meliorem sustentationem pauperum ecclesiæ ministrorum applicentur, simulque suppeditari sibi voluit consilia, quibus iste finis modo maxime efficaci & constante queat promoveri. Agnovit Parliamentum liberalitatem vere regiam, atque solenni statuto non solum ratam esse voluit, sed & statuit, ut secundum Regiæ Majestatis arbitrium stabiliretur certum aliquod ac perpetuo duraturum collegium, eique jus competat, non istos duntaxat reditus annatarum atque decimarum, verum etiam concessiones, quas eodem fine ab aliis fieri contingeret, recipiendi, administrandi, & exinde ministrorum ecclesiæ Anglicanæ reditus augendi. Attulit hoc ipsum populo universo, atque illis præcipue, ad quos benignitatis istius emolumentum pertinebat, lætitiam incredibilem, Reverendo Viro autem, *White Kennet*, Doctori Theologo, Archidiacono Huntingtoniensi, & Londini in templo, cui nomen *St. Botolph Aldgate*, sacrorum Ministro, præbuit occasionem, ut in libro, quem hic recensendum nobis sumsimus, quemque Reginæ dicare voluit, accuratius inquireret in originem, causas & progressum calamitatis, in quam pleræque ecclesiarum in Anglia, præsertim per ita dictas *appropriationes*, inciderint, tum quid quovis tempore malum istud vel auxerit vel diminuerit, exponeret, denique quantum sit, quod hac in parte præsens Regina pie atque laudabiliter fecerit, perspicuum redderet, simulque quantum adhuc complementum felicitati huic ad-
di

di possit, modeste & interdum tecte significaret. Operæ pretium fore censemus, si totius operis summam exhibeamus.

Per sex vel septem secula priora post C. N. moris fuisse, ait Noster, in Anglia, ut singuli episcopi cum presbyteris suis atque diaconis communiter viverent prope templum cathedrale, fideles vero quicquid decimarum vel oblationum exhibere vellent, id omne eo conferrent, non nisi piis usibus ex arbitrio episcoporum deinceps applicandum. Et istis quidem temporibus in quavis dioecesi, præter templum istud cathedrale, non aliud extitisse docet, in quo solenniter & statis temporibus sacra fuissent administrata, missos tamen subinde ab episcopis quosdam presbyteros, qui in partibus remotis de loco in locum migrarent, & sacrorum, prout occasio sese offerret, curam haberent; quin & capellas atque oratoria nonnullis in locis episcopos consecrasse; interim neutrum horum effecisse, ut mutata fuerit colligendi ac dispensandi bona ecclesiastica ratio. Neque tum statim mutatam esse asserit, cum in parochias dividerentur dioeceses, cujus rei originem Romanis episcopis & antiquis Britannis a quibusdam tributam, ipse dicit arcessendam esse a temporibus Anglo-Saxonum, qui sensim opus illud perfecerint. Primam vero vim memorato juri episcoporum factam ostendit ex eo, quod, cum incerti essent atque confusi termini parochiarum, multi crediderint arbitrio suo relictum esse, animæ suæ curam cui vellent committere, & in eundem decimarum quoque & aliarum oblationum præstationes conferre. Cui malo ut obviam iretur, præcipue cum monachi presbyterorum, & horum alter alterius jura lucri causa invaderent, mature quidem allaboratum, obicem tamen illi non ante seculum XIII positum esse narrat. Inde progreditur ad alteram injuriam, quam passi sint clerici parochiales per divisionem obventionum ecclesiasticarum, initio quidem ita susceptam, ut ex quatuor partibus unica saltem potestati episcoporum, postea vero, ut nihil plane iisdem relinqueretur, sed tribus partibus constitutis, una conservationi & ornatui ædium sacrarum, altera pauperibus & hospitibus alendis, tertia propriis presbyteri usibus impenderetur. Ex eo enim factum esse demonstrat, ut laici tertiam harum obventionum partem sufficere crediderint necessitatibus ecclesiarum, ac

p. 1. p. 2. p. 3. p. 8. p. 4. p. 5. p. 11. p. 12. p. 14. p. 15. p. 16.

 reli-

reliquas duas partes, quas ſinguli presbyteri recipere ac diſpenſare debuiſſent, proprio arbitrio (licet non facile aliter niſi ad pios uſus)
p. 17. diſtribuerint; cujus tamen rei iniquitatem ſucceſſu temporis agnoviſſe eos addit, ac diu ante ſuſceptam reformationem jura iſta uſurpata fuiſſe reſtituta eccleſiæ, quamvis non ſemper parochiali.
p. 18. Novum detrimentum in parochiales redundaſſe probat ex eo, quod, qui jure patronatus gauderent, illud in collegia vel cano-
p. 19. nicorum vel monaſtica contulerint. Poſtquam enim hoc fatum intra ſpatium ducentorum annorum expertæ eſſent pleræque eccleſiarum parochialium, invaluiſſe dicit, ut canonici curatis quibusdam, monachi vero ſacerdotibus, quos dicebant ſeculares, curam animarum, ſed redituum eo intuitu percipiendorum partem ſolum, interdum valde exiguam, relinquerent, reliqua parte ſibi
p. 20. ipſis reſervata; quod exemplum cum laici quoque patroni imitandum ſibi propoſuiſſent, omnes fere miniſtros eccleſiarum parochiali-
p. 21. um in Anglia patronis ſuis tributarios fuiſſe factos. Hanc licentiam porro oſtendit, quod ad laicos attinet, Eduardo II regnante penitus
p. 22. abolitam, & in aliis quoque variis modis reſtrictam. Sed cum intra limites præſcriptos ægre ſe contineri paterentur monachi, conſilium eos cepiſſe longe deterius, & clero parochiali maxime
p. 23. noxium, in ſequentibus demonſtrat. Nimirum id egiſſe illos, (non quidem, quæ ſit opinio Seldeni, Saxonicis regibus rerum potientibus, ſed poſt Normannorum in Britanniam adventum) ut eccleſiæ, quarum hucusque modo fuerant patroni, cum omnibus emolumentis ad easdem ſpectantibus, ipſis *appropriarentur*, h. e. ita addicerentur, ut quicquid illarum curam & fructus reſpiceret, id omne ex ipſorum arbitrio penderet. Variis autem artibus illos effeciſſe ait, ut malum ſub iſtis appropriationibus latens
p. 25. non ſtatim appareret. Primo enim officia, quorum intuitu fructus integros ad ſe traxerant, eos ipſos per vices ſubiiſſe, comme-
p. 26. morat. Deinde cum negligentius in iſtis laboribus verſarentur, ac propterea ab epiſcopis juſſi eſſent rerum ſuarum intra monaſteria ſua ſatagere, conſtituiſſe eos in dictis eccleſiis capellanos quosdam, vicarios ſive curatos, & his, quamvis ægre, ſalaria
p. 27. 32. porrexiſſe, quæ ſufficere poſſe viderentur. Tertio cum eccleſias in uſus ſuos converti curarent, profiteri eos conſueviſſe, ratio-
nem

nem sese habituros pristinae partitionis, & duas quidem obventio-
num ecclesiasticarum partes ad se recepturos, sed cum onere an-
nexo prospiciendi aedibus sacris & pauperibus, tertiam vero & cum
ea plerumque omnes decimas minores & alios reditus minutos si-
ne ullo onere relicturos ecclesiae ministro. Visum hoc fuisse non
solum maxime aequum, sed & ad curam animarum promovendam p. 29.
admodum salutare. Hinc sponte sua atque certatim laicos, epi-
scoporum confirmatione accedente, obtulisse monasteriis jura pa-
tronatus in ecclesias sibi competentia. Idem studium ecclesias pa-
rochiales quasi proprias sibi faciendi transiisse tandem in clericos p. 33.
seculares, neque in capitula duntaxat, sed & in alia collegia, e. g.
ordines militares, fraternitates, hospitalia, imo in singulos, nun-
quam tamen laicos homines, veluti decanos, thesaurarios, can- p. 35.
cellarios &c. Quamvis horum omnium in hac re industriam
longe superaverit calliditas & successus monachorum, partes suas, p. 36.
ubicunque opus, apud episcopos, apud sedem Romanam, apud
patronos & rectores ecclesiarum, & apud reges ipsos egregie
agentibus, ut post lapsum centum vel ducentorum annorum, in-
star miraculi videretur, si quae fortassis ecclesia generalem istam
calamitatem evasisset. Sed initio quidem ejusmodi appropriatio-
nes magis fuisse tolerabiles contendit, quandoquidem (1) neque a- p. 37.
nimarum cura propterea neglecta sit, neque hi, ad quos illa cum ti-
tulo vicariorum vel simili pervenerat, debitis fraudati fuerint sti- p. 39.
pendiis, quorum ipsis relictam quantitatem jam ante innuerat
Clarissimus Autor, non facile fuisse infra tertiam partem omnium
redituum ecclesiasticorum ad parochiam spectantium, inter-
dum vero probat ad dimidiam vel dimidia longe majorem p. 40.
adscendisse, & non in pecunia tantum, verum in aliis quoque re-
bus magis duraturam quovis tempore utilitatem habentibus con- p. 42.
stitisse; (2) facultatem habuerint episcopi subveniendi necessita-
tibus vicariorum, atque illorum portionem minus sufficientem p. 44.
augendi, cujus juris exercitium cum saepius autoritate pontificum
impedire conati essent monasteriorum rectores, solitos fuisse e- p. 45.
piscopos hanc sibi potestatem in instrumento, quod appropriatio-
nes confirmabat, expresse reservare, ipso tamen jure & a prima ec- p. 47.
clesiae origine eandem ipsis competiisse, & hodienum post tem- p. 48.

Bb 3 po-

p. 52. pora reformationis competere, variis argumentis oſtendit; (3) deprehenſa vicariorum oppreſſione, licuerit epiſcopis (regulariter tamen accedente conſenſu eorum, qui decimas majores jure proprio poſſidere cœpiſſent,) appropriationes ſemel conceſſas diſſolvere, id quod ſæpiſſime factum eſſe, ſæpe etiam his, qui jure proprio eccleſias tenebant, ultro illud petentibus, exemplis quibusdam commonſtrat. Progreſſu autem temporis manifeſtius apparuiſſe dicit, quam male actum ſit cum eccleſia per iſtas appropriationes, itaque a monachis novas quotidie inventas eſſe vias, conditionem vicariorum, quos occupatis eccleſiis præfecerant, reddendi deteriorem. Primo enim illos providam epiſcoporum curam eluſiſſe, per exemtiones a pontificibus impetratas; deinde compuliſſe vicarios, ne ſtipendii loco exigerent quicquam, præter certam pecuniæ ſummam, quæ cum immenſum creſcentibus rerum aliarum pretiis, eadem ſemper maneret, nullo modo ipſorum ſuſtentationi, nedum iis, quæ rationes decori requirunt, ſufficere potuerit; tertio, ut ad ſolvendas decimas majores monachis acquiſitas populus eo promtior eſſet, remiſiſſe illos maxima ex parte decimas minutas vicariis ſolvendas. Porro uſos illos obtentu ſpecioſo, *quod eccleſia non debeat eccleſiam decimare*, atque ſic retinuiſſe ex prædiis illis plurimis, quæ ſua fecerant, præſtationes omnes vicariis antea exinde debitas; interdum in hos rejectum fuiſſe onus omne procurationum, ipſamque reparationem ædium ſacrarum; quin ipſa vicariorum munera atque beneficia appropriationis jure fuiſſe acquiſita, ac tandem tot modos alios adhibitos, ut vicarii ſacrorum cura neglecta nihil non ad ſui conſervationem ſuſcipere fuerint coacti. Inde exortas eſſe graves, præcipue clericorum ſecularium, querelas; epiſcopos vero, quo in promovendis appropriationibus olim fuerint faciliores, eo majorem, quanquam haud ſemper felicem, curam tollendis illis adhibuiſſe. Ex ipſis pontificibus, magnis alias appropriationum patronis & inſtrumentis, fuiſſe quoſdam, ex. gr. Alexandrum III & IV, item Innocentium III & IV, qui easdem valde improbarint. Sed laicis majori offenſioni illas fuiſſe probat, his præcipue, qui ipſi olim jura patronatus, in ordines religioſos tranſtulerant. Inde ſæpius illos apud pontifices, vel apud epi-

Margin references: p. 53. (beside "men accedente"), p. 56. (beside "dam commonſtrat"), p. 57. (beside "ram eluſiſſe"), p. 58. (beside "ſufficere potuerit"), p. 59. (beside "ma ex parte"), p. 61. and p. 65. (beside "ad ſui conſervationem" / "ſe graves"), p. 73. (beside "dis illis adhibuiſſe"), p. 78. (beside "de improbarint"), p. 79. (beside "ſos tranſtulerant").

episcopos fuisse conquestos, nonnullos etiam, data monasteriis pecunia vel re alia effecisse, ut solutis appropriationibus ecclesiæ quædam in statum pristinum reverterentur. Quod vero maxime mirum videri poterat, ipsos ordines religiosos agnovisse publice refert injustitiam appropriationum, ita tamen, ut quem quisque morem damnaret in alio ordine, eundem in suo tolerandum esse censeret, paucis admodum, quorum exempla sistit, in domo propria reformationi studentibus. Hinc & quid in conciliis Constantiensi & Tridentino, nec non a Cardinalibus A. 1536 jussu Pauli III congregatis, ad investigandos, qui in ecclesiam irrepserant, abusus actum fuerit, exponit. Licet vero appropriationibus non negata fuerit regum pariter & parliamentorum conniventia (cujus rationem partim ab utilitatum propriarum studio, partim superstitiosa de monachorum pietate opinione, arcessendam arbitratur) nullo tamen tempore defuisse ostendit, qui easdem in numero præcipuorum ecclesiæ gravaminum primo loco ponendas existimarent, ipsis sæpe regibus ac parliamentis, plerumque tamen sine effectu, in eandem sententiam euntibus; id quod specialibus exemplis ex regno Henrici III, Eduardi I, Richardi II, Henrici IV, Henrici V, & Henrici VI petitis eleganter deducit; ubi præcipue quæ *de statuto manus mortuæ*, de proposita sub Henrico V monasteriorum dissolutione, de concordatis inter papam Martinum V & nationem Anglicam conclusis, & de criminationibus Wiclefo objectis differit, notari merentur. Henrico VIII regnante, primo non solum vicariis interdictum ait rectoriarum, ceu vocant, suarum conductione, (unde tamen magnam partem vivere eos oportuerit,) sed & per aliud statutum sublata fuisse varia augmenta, quæ ipsorum salariis accesserint; deinde cum autoritatis pontificiæ jugum excuteretur, tempus adfuisse evincit, quo omnium optime, quicquid injuriarum passa erat ecclesia, tam per appropriationes quam per oppressionem vicariorum, resarciri potuerit. Sed nihil horum factum, imo auctum potius malum fuisse conqueritur. Parliamentum enim, nullo tamen (quod fieri debuisse contendit) cleri legitimo consensu accedente, devolvisse in reges Angliæ, præter jus illud, a pontificibus olim usurpatum, anni integri fructus ex quovis bene-

p. 83.
p. 84.
p. 88.
p. 89.
p. 92.
p. 94.
p. 97.
p. 98.
p. 109.
p. 111.
p. 116.
p. 118.
p. 115. 120.
p. 121.
p. 119.

p.110. neficio vacaturo semel capiendi, simul potestatem singulis annis
exigendi reditum, qui decimam cujusvis beneficii partem contine-
p.122. ret. Deinceps cum tollerentur monasteria, prioratus aliæque
domus religiosæ, minime restituta fuisse ecclesiis parochialibus ju-
ra, quæ ab ipsis modo illegitimo ad istas domos pervenerant, e.g.
decimarum & oblationum. Potius post translationem dicta-
p.124. rum domuum in regem ejusque successores factam, cœpisse lai-
cos sibi vindicare, suisque usibus applicare præstationes illas ad ec-
clesiæ patrimonium proprie pertinentes, nequicquam refragante
populo, postquam ipsa judicia ecclesiastica adjuvare laicos in ejus-
p.128. modi exactionibus compellerentur. Quicquid autem horum con-
tigerit, ejus culpam non in ipsum reformationis opus, sed in hos,
qui primi illud susceperint, inque illorum mores, avaritia pariter
& multis Pontificiæ doctrinæ reliquiis corruptos, rejiciendam esse
monet, simul adductis literis invectivis, quibus tum temporis
parliamentum compellare ausus sit quidam Rodericus Mors,
quem inter alia his verbis usum esse refert: *Diabolum imita-*
p.130. *tos esse temporum illorum reformatores, qui, ut apud Anglos in*
proverbio, cum melius saltem locare debuisset crura dominæ suæ,
p.131. *penitus illa fregerit.* Perniciosam illam redituum ecclesiastico-
rum diminutionem continuatam docet sub Eduardo VI, pio qui-
p.133. dem rege, sed minore, & cujus ætate imbecilla abusi sint mini-
stri lucro nimium dediti, meliora consilia, partim & exempla, fru-
p.132. stra suppeditantibus Cranmero, Latimero, Hoopero, Thoma Le-
p.139. vero, imo & exteris Protestantibus, atque adeo ipso Calvino.
Ut Maria regnante papatus denuo introduceretur, non aliud
validius fuisse argumentum judicat, quam quod ecclesiam
illi ipsi spoliaverint, qui reformatores ejusdem voluerint ha-
p.141. beri. Licet vero, cum clerus restitutionem amissorum urge-
ret, non ante voluerit Parliamentum in gratiam redire cum se-
p.143. de Romana, quam prælati & clerici inferiores in convocatione,
ceu dicunt, congregati validam, quantum ad ipsos, declarassent
possessionem bonorum ecclesiasticorum in laicos paulo ante trans-
p.144. latam; simul tamen additam fuisse refert conditionem, ut melius
imposterum provideretur necessitatibus cleri parochialis; ipsam
p.149. autem Reginam, accedente Parliamenti consensu, non solum re-
missis-

misisse annatas & decimam, de qua antea locuti sumus, redituum ecclesiasticorum partem, sed appropriationes etiam omnes, quæ coronæ dicebantur annexæ, atque omnia illarum emolumenta ecclesiis restituisse, & non diu ante obitum suum illud egisse, ut jura patronatus, quæ post monasteriorum dissolutionem, Henricus VIII & Eduardus VI sibi vindicaverant, archiepiscopi & episcopi, singuli intra suam diœcesin, acciperent. In laudibus Elisabethæ ponit, quod puriorem doctrinam iterum stabiliverit, sed temporum illorum iniquitati tribuendum censet, quod passa sit modo laudatam Mariæ liberalitatem revocari. Reliquisse tamen episcopis eandem commemorat decimas & oblationes, quæ appropriationis jure ad ipsam devolutæ erant, atque illarum loco alia prædia ab illis accepisse, tandem post multas altercationes utraque domo parliamenti in istam permutationem consentiente. Longe difficilius autem sustineri potuisse appropriationum onus, post exortam reformationis lucem, asserit, quam antea, & quid exinde malorum in ecclesiam redundaverit, e. g. ut inveniri non potuerint, qui habiles essent, ad animarum curam suscipiendam, ut pauperum numerus indies creverit, ut lapsæ ac perditæ fuerint ædes parochiales, ut plures ecclesias uniri, vel pluribus ecclesiis unum præfici oportuerit &c. fusius exponit, simul addens, quod tum temporis ob causas, quæ hodie cessent, e re totius regni visum fuerit, modis omnibus imminui opes clericorum, etsi non dubitaverint archiepiscopus Grindal & successor ejus Whitgift, iniquitatem ejusmodi consiliorum atque decretorum Reginæ ob oculos ponere. Jacobum I inde a primis regni sui auspiciis, optime dicit in ecclesiam fuisse affectum, eundemque tam in Scotia, quam in Hibernia, eo rem perduxisse, ut & populus nactus sit magis idoneos ac sedulos verbi divini ministros, & hi magis decentem acceperint laborum suorum mercedem. Sed in Anglia quo minus idem effici potuerit, obstitisse avaritiam partim & invidiam plurimorum, qui animum Regis de misera clericorum conditione solicitum a pio proposito abduxerint, frequenter institutis contra clerum querelis, quod & plura beneficia possiderentur ab uno, & quibus cura animarum in aliquo loco commissa esset, iidem alio in loco degerent, eum tamen, ipso Rege agno-

p. 153.
p. 154.
p. 156.
p. 157.
p. 158.
p. 171.
p. 169. 172.
p. 174.
p. 181.
p. 176.
p. 176.

scen-

p. 178. ſcente, duplex iſtud malum originem debuerit alteri malo, quod tolli nolebant, h. e. ereptioni bonorum eccleſiaſticorum, quam, præcipue quod ad decimas & oblationes attinet, iis quoque temporibus graviter improbaſſe docet viros eminentes, Baconem, Co-
p. 187. kium, Raſtalium, & ipſum clero atque eccleſiæ alias non adeo
p. 184. faventem Seldenum. Inde ad luctuoſa Caroli I tempora digreſſus, pium hunc Regem commendat a ſtudio, quo in tribus prio-
p. 190. ribus ſub ipſo habitis parliamentis, pauperum eccleſiæ miniſtrorum conditionem in melius referre tentaverit. Eodem tempore
p. 192. factum eſſe ait, ut duodecim viri honeſti, quorum pars ex theologorum & jureconſultorum, pars ex civium ordine fuerit, ſocietatem eo fine inierint, ut quas ex ſpontaneis amicorum & propriis collationibus nacti forent pecunias, easdem redimendis bonis eccleſiaſticis, jure appropriationis in aliorum manibus exiſten-
p. 193. tibus, impenderent. Sed cum privata duntaxat autoritate con-
p. 195. ſilium iſtud eſſet ſuſceptum, nec bona ſic redempta redderentur eccleſiæ, verum reditus ſolum exinde obvenientes arbitrio horum ſociorum inter egenos eccleſiarum miniſtros diſtribuerentur, juſtusque adeo metus exſurgeret, fore, ut intra breve temporis ſpati-
p. 198. um clero magis eſſet ad iſtos homines, quam ad Regem, epiſcopos, ullumve alium reſpiciendum, A. 1632 vi ſententiæ in cu-
p. 201. ria Scacciorum (*in the Court of Exchequer*) pronunciatæ, penitus fuiſſe ſocietatem iſtam ſublatam. Longe autem conſultius futu-
p. 203. rum fuiſſe, ſi potius eandem in melius formaſſent, pluribus evin-
p. 204. cit, ſimul excuſans Wilhelmum Laudum, cui, quod iſti rei impedimenta poſuerit, inter alia nonnulli objecerant. Ea occaſio-
p. 206. ne quomodo idem præſul non ſemper infelici ſucceſſu Regi ſuo
p. 207. autor fuerit, interdum etiam ipſi, ut & Uſſerio, archiepiſcopo
p. 217. Armachano, Wilhelmſonio, epiſcopo Lincolnienſi, aliisque ad-
p. 215. jutor, ut paſſim ſtatus eccleſiaſticus, per appropriationes & inde
p. 214. ſecutam multorum eccleſiæ ſervientium egeſtatem, miſere diſtra-
p. 223. ctus emendaretur, fuſius explicat. Exemplo illuſtri cum Regis atque archiepiſcopi, tum eruditi equitis, Henrici Spelmanni, qui & de non temerandis eccleſiis, deque eccleſiarum juribus, præci-
p. 230. 243. pue vero de decimis ſcripſit, excitatos eſſe docet quamplurimos (in quibus primum fere locum tribuit Mortono, Conventrienſi pri-

primum, deinde Dunelmensi episcopo) ut multa restituerent, quæ per appropriationes usibus ecclesiæ fuerant detracta. Tres quoque nominat viros eminentes ac patrii juris maxime peritos, qui asseruerint, hodienum episcopis in Anglia potestatem competere, salariis clericorum minus sufficientibus augmentum decens assignandi ex bonis ecclesiæ appropriatis, in quorumcunque manibus eadem nunc existant. Eundem in ecclesias affectum temporibus illis diversis aliis modis demonstratum fuisse ostendit, nec post funestam Caroli I mortem curam istam penitus neglexisse Cromwellum & alios; ubi tamen addit, vix in confuso isto atque iniquo rerum statu, fieri aliquid potuisse intentione vere bona, nihil autem omnino factum eo, quo decebat, ordine. Carolum II primo statim anno, postquam in regna sua restitutus esset, commendasse refert episcopis, decanis & præbendariis per literas, septennio post repetitas, ut quarum ecclesiarum decimæ atque emolumenta jure appropriationis ad ipsos & successores pervenissent, earundem ministris stipendia sua augerent. Deinde deliberationes quasdam atque statuta parliamentorum, quæ eundem finem habuerint, recenset, e. g. de confirmandis & restituendis ministris; de admittendis clericis ad exercitium jurisdictionis temporalis; de confirmandis & perpetuandis augmentis, quæ vicariatibus & curis animarum non sufficientibus accesserant per ecclesiasticos; de unione ecclesiarum in civitatibus & locis, quæ corporationes dicuntur &c. Hinc cum multos nominasset, qui meliorem reddiderint conditionem cleri egestate laborantis, existimat tamen, longe plura ac majora in ecclesiarum emolumentum iis temporibus effici potuisse, cum magna illa rerum conversio, post obitum Cromwelli contingens, optimam ad id præbuerit occasionem. Sed in aliis quoque rebus regnante Carolo II minus benigne actum esse cum clero conqueritur, præcipue per statutum, cui titulus *de restitutione juris patronatus, rectoriarum appropriatarum, decimarum aliorumque jurium, quæ fidelibus regni subditis tempore ultimorum tumultuum fuerunt ablata*; per exactionem subsidii ex bonis ecclesiasticis, non ante impetrato (ut leges regni exegerint) consensu cleri in synodo congregati; item dum imposita fuerit necessitas singulis beneficiorum ecclesiastico-

p. 245. p. 243. p. 553. p. 271. p. 262. p. 274. p. 265. p. 279. p. 249. p. 301. p. 263. p. 301.

 rum

p. 303. rum poſſeſſoribus, obtinendi propter annatas fiſco regio exinde
debitas quinque diverſa inſtrumenta obligatoria, eorundemque
intuitu quinquies honorarium certum ſolvendi, cum regnante
Henrico VIII atque Eliſabetha, unica duntaxat ſcriptura, ſed qua-
p. 304. tuor deinceps fuerint impetrandæ. Inde Jacobo II ſceptro ad-
moto, non ilico abjectum fuiſſe dicit ſtudium augendi pauperum ec-
cleſiæ miniſtrorum ſtipendia. Inprimis autem laudandam cen-
p. 305. ſet liberalitatem & curam, quam iis temporibus Gulielmus San-
croft, archiepiſcopus Cantuarienſis, & qui nunc ipſius locum
p. 310. implet, Reverendiſſimus Thomas Tenniſon, nec non Simon
Patricius, epiſcopus Elienſis, ea in re oſtenderint. Sed cum ſpei,
p. 304. quam ex oratione Regis prima tam in ſenatu ſanctiore, quam in
ipſo parliamento habita, populus omnis de ſalute eccleſiæ Angli-
p. 308. canæ conceperat, mox ingens ſucceſſiſſet metus, ſtabilitam in re-
gno religionem, cumque ea jura omnia cleri ſubverſum iri, fa-
ctum eſſe ait, ut nemo fere de levanda clericorum egeſtate tum
temporis cogitandum ſibi exiſtimaverit. Gulielmo atque Mariæ,
p. 311. poſtquam rempublicam regere cœpiſſent, cum tot tantiſque diffi-
cultatibus domi foriſque conflictandum fuiſſe dicit, ut mirari
non debeamus, ſi ejuſmodi curis non ſtatim animum applicare
p. 316. potuerint. Gulielmum tamen, ſecus quam multi exiſtiment,
p. 312. optime ſemper animatum fuiſſe contendit erga religionem per
leges publicas in Anglia ſtabilitam, idque non ſolum frequentes
& ſolenniter agnoviſſe eos, qui nomine cleri ac totius populi in
parliamentis & ſynodis conveniſſent, ſed ex aliis quoque multis
p. 313. argumentis luculenter apparere, veluti ex literis A. 1694 ad ar-
chiepiſcopos a Rege directis; ex eo, quod idem plus vice ſimpli-
p. 317. ci declaraverit, ſe ſolicitum eſſe de mediis augendi pauperum
eccleſiæ miniſtrorum reditus, in Anglia non minus, quam in Hi-
p. 319. bernia; item ex ſocietate, quam d. 16 Jun. A. 1701 eo fine conſti-
tuit, ut per eandem in partibus exteris propagetur evangelium,
p. 321. ex quo quidem inſtituto magnam jam utilitatem percepiſſe ec-
p. 318. cleſiam profitetur. Reginam quoque Mariam eodem curas ſu-
as atque cogitationes contuliſſe, oſtendit, & cum magis quiete
vacare illis potuerit, non dubitat, quin nobile conſilium, quod
eo intuitu (teſte Gilberto, epiſcopo Saliſburienſi) formave-

rat,

rat, ad finem optatum fuerit perductura, dummodo eandem vita longiore frui contigisset. Regio favori accessisse ait benignitatem parliamentorum, quæ & clericos egenos exemerint a necessitate conferendi ad subsidia Regi concessa, & quibusdam ecclesiis ita prospexerint, ut illarum ministris in perpetuum essent reditus ampliores, per statutum quoque A. 1689 conditum, *de non allegando crimine Simoniæ ab antecessoribus commisso in præjudicium innocentium successorum*, magis securos reddiderint possessores beneficiorum ecclesiasticorum. Multa deinde proponit exempla privata eorum, qui Gulielmo regnante in ecclesias earumque ministros liberales extiterint, quos inter speciatim laudat Samuelem Brewster, armigerum, quod ecclesiæ Botolphi, cujus curam reverendo Autori demandatam esse supra commemoravimus, oblationes, ceu dicuntur, paschales restituerit. In numero reliquorum, quos collocavit inter εὐεργέτας, eminent episcopi Lincolniensis & Salisburiensis, decani & præbendarii capitulorum Nordovicensis & Lincolniensis, dominus Gulielmus Maynardus & D. Richardus Busby. Ita ad præsentia tempora descendens, eam de qua initio locuti sumus, Reginæ augustissimæ, quæ hodie imperium tenet, munificentiam in clerum describit, nullam fere prætermittens circumstantiam, ad factum istud vere gloriosum pertinentem. Deinde statutum ipsum, cujus pariter supra fecimus mentionem, & cui titulus *An Act for the making more effectual Her Majesties gracious intentions &c.* secundum singulas illius partes considerandum sibi sumit, & multa adducit, quæ ad illustrationem & commendationem illius apprime facere videntur. Speciatim ea occasione ostendit, quod jus annatarum & decimarum Angliæ regibus ab Henrico VIII assertum, parum utile extiterit coronæ; deinde quod reditus inde obvenientes, doctrinæ divinæ ministris eorumque sustentationi jam A. 1649 fuerint destinati; tum quæ statuta prodierint sub Henrico VIII, Eduardo VI & Elisabetha, de modo exigendi illas annatas atque decimas, nec non de aliis circumstantiis eo respicientibus; postremo quisnam verus sit sensus statuti, cui nomen a *manu mortua* datur, & cur statu ecclesiæ jam in melius formato credendum sit, non amplius per illud esse restrictam vel prohibitam liberalitatem

p. 323. p. 322. p. 323. p. 327. p. 347. p. 373. p. 382. p. 385. p. 390.

tem in clerum, nedum restitutionem eorum, quæ olim titulo
justo ad ecclesiam pertinuerint. His de novo quædam subjicit,
p. 395. ex quibus appareat, non solum præter necessitatem, sed & contra regulas æquitatis, propter dictas annatas & annuam decimæ
partis præstationem, quinque distincta instrumenta obligatoria impetrare debuisse beneficiorum ecclesiasticorum possessores; eoque
majores laudes deferendas existimat Reginæ, quod onus istud remiserit. Simul mentionem facit quorundam consiliorum, quæ
p. 398. Elisabethæ, Jacobo I, Carolo I & Carolo II in oppressionem cleri, sed irrito conatu, fuerint suggesta.

p. 403. Antequam tractationi susceptæ finem imponat cl. Autor,
nihil ab instituto suo alienum, aut repugnans officio civis obedientis se facturum existimat, si his, quorum fidem ad promovendum opus laudabiliter a se cœptum electura sit Regina, con-
p. 404. silia quædam, quæ ad id conducere sibi videantur, modeste proponat. Horum primum est, ut (quemadmodum jam a cardinali Polo & alias non semel sit tentatum) numerus exactus ineatur ecclesiarum omnium, quotquot in Angliæ regno & Walliæ
principatu inveniantur, quæ ministros habeant exiguis stipen-
p. 406. diis adjutos. Alterum, ut ratio præcipua habeatur ejusmodi
ministrorum, qui sint in locis nundinarum privilegio gaudentibus, populi frequentia maxime celebribus, & prope Londinum
p. 409. sitis. Tertium, ut quamdiu non datur occasio redimendi ea,
quæ singulis ecclesiis per appropriationes decesserunt, ministris
illarum egentibus ex nummis, ad istam redemptionem destinatis,
interea præbeantur annuatim certi reditus, & si quem fundum ec-
p. 410. clesiæ quondam ablatum eidem restitui contigerit, pars fructuum
tribuatur ecclesiæ oppidi alicujus vicini. Quartum, ut, quibus ec-
p. 411. clesiarum ministris stipendia augentur, eorum quoque officio
atque laboribus aliquid addatur, in utilitatem populi iis commissi.
p. 414. Quintum, ut media circumspiciantur, quibus adduci queant bonorum ad ecclesias spectantium possessores, ad illa æquis conditio-
p. 415. nibus ecclesiis vendenda. Sextum, ubi ad ductum consilii, quod
erat in ordine tertium, novi reditus in pecunia consistentes ministris ecclesiarum assignantur, ut iisdem in locis incolæ sive parochiani, una cum appropriatoribus seu bonorum quondam ecclesia-

clesiasticorum possessoribus persuadeantur, ad aliquid de suo reditibus istis adjiciendum. Ultimum, quia in eorum numero, qui appropriatores dicuntur, episcopi etiam inveniantur, aliique in dignitatibus ecclesiasticis constituti, & integra collegia ecclesiastica, ut consilia ineantur, quibus ab his quoque (prout jam factum esse a quibusdam, & præcipue ab episcopo nec non capitulo Carleolensi commemorat) possit obtineri aliquid in utilitatem ecclesiarum, quæ per istas appropriationes passæ sint detrimentum. Tandem exempla subjicit quorundam, qui sub regno præsenti liberalitate sua in ecclesias inclaruerint, nimirum comitis Nottinghamiæ, Henrici Forsteri & Hiobi Marstoni. Nonnullos etiam antea a se prætermissos, & qui tempore regum antecedentium eodem nomine laudari meruerint, recenset, cumque de domino Simone Digbæo, Richardo Temple baronetto, speciatim vero de archiepiscopo Armachano, Bramhallio, quædam commemorasset, duo refert memorabiliter dicta, unum Thomæ, Straffordiæ comitis, Regisque Caroli I locum in Hibernia quondam tenentis, alterum Georgii, ducis Albemarliæ, quorum ille filio suo injunxerit, ne unquam, nisi velit iram Numinis in se provocare, permissum sibi credat possidere quicquam, quod ecclesiæ debeatur; hic vero solitus fuerit, admodum frequenter in sermonibus cum episcopo Salisburiensi habitis, partem suæ felicitatis haud exiguam dicere, quod in omnibus suis bonis nihil omnino inveniatur, quod unquam piis usibus fuerit devotum. In fine operis adduntur varia documenta, quibus fides adstruitur his, quæ in ipso libro fuerunt proposita, cumque maximam partem depromta sint ex schedis manuscriptis in locis diversis asservatis, nec antea typis excusa, multum per illa accedit pretio, quod opus integrum pietati, ingenio atque industriæ Reverendi Autoris debet.

p. 417.
p. 419.
p. 423.
p. 427.
p. 438.

JOANNIS ORTWINI WESTENBERGII JCTI & Antecessoris de Causis Obligationum Liber singularis, seu Dissertationes novem.

Harderovici, apud viduam & filios Alb. Sas, 1704. in 8. Plag. 22.

NOvem Dissertationes, a diversis Respondentibus, quorum nomina sub initium quoque libri adjecta sunt, more Academico

mico habitas, conjunctim, uno volumine, hic exhibet Autor noster Clarissimus. In *Dissertatione prima*, post explicatam causæ efficientis & obligationis indolem, hujus causam remotam ait esse Jus, hoc autem cum Divinum aut humanum, & illud iterum innatum vel revelatum sit, hinc singulas istas Juris species persequitur. Primo igitur Jus Divinum Naturale, ac Obligationes inde venientes, quibus homo Deo, sibi ipsi, & proximo obstringitur, expendit; inde ad Jus Divinum revelatum progreditur, quod triplex esse docet, Morale, Ceremoniale & Forense. Denique pergit ad Jus Civile, ac in specie, Romanorum, secundum quod Obligationem in mere naturalem, mere civilem, & mixtam non male dividi, existimat, ac singulas dein species definitionibus, subdivisionibus & exemplis, amplius illustrat. *Dissertatio secunda* tractatum, de causis Obligationum propinquis, pandit. Has Noster in Ordinarias & Extraordinarias distinguit, ac illarum quatuor species, Contractum, Quasicontractum, Maleficium & Quasimaleficium; harum plures, varias scilicet Causarum figuras, esse arbitratur. Quibus generaliter propositis, singularum specierum prolixior deinde sequitur explicatio. Quid ergo Contractus sit, primo Noster inquirit, eumque in Nominatum & Innominatum dispescit, adjectis utriusque subdivisionibus consuetis. Quasicontractus, ex ejus sententia, est factum aliquod non turpe, ex quo, citra conventionem, nascitur obligatio. De numero Quasicontractuum, res dubia est, sed Clarissimus Autor, præter quinque species, Justiniano laudatas, Negotiorum gestionem, Tutelæ administrationem, Rei communionem, Hæreditatis aditionem, & Indebiti solutionem, nullas alias admittit, ac firmandæ doctrinæ suæ, quasdam leges, quæ objici poterant, explicat. Delictum ipsi est omne factum illicitum, dolo malo commissum, quod pœnam meretur: dividitur ab eodem, juxta receptam sententiam, in publicum & privatum, quod iterum est vel ordinarium, vel extraordinarium, cui etiam delictum populare accensendum esse censet. Quasidelictum, ex doctrina Nostri, est factum, quod quidem proprie delictum non est, sed propter culpam, delicto est proximum; cumque quatuor ejus species, post Gajum, Justinianus saltem commemoret, hinc probabile illi videtur,

tur, ſolas illas Quaſidelictorum nomine venire. Hæc de cauſis Obligationum ordinariis. Cum vero hæ introducendis obligationibus omnibus, haut ſufficere fuerint viſæ JCtis, ideo varias cauſarum figuras, i. e. varia negotia, a contractu & maleficio diſtincta, ex quibus tamen, propter æquitatis rationem, obligatio naſcitur, velut cauſas obligationum extraordinarias & irregulares, adjecerunt. Has ergo diſtinctius perſecuturus doctiſſimus Autor, in *Diſſertatione tertia*, de Æquitate primo aliqua præmittit, cumque elegantiſſimus caſus in *l. 32. de R. C.* (quam auream, aureisque literis ſcribendam, nec non ſpeculum aureum, imo legem Divinam appellant Doctores, de veteri, ut videtur, ſuperſtitione) ei occurrere videatur, quo propter ſolam æquitatem, actio conceditur, ideo, præmiſſa prolixiori laudatæ legis expoſitione, oſtendit, in ea ſubeſſe negotium, quod neque ad contractum, neque delictum referri poſſit, actionemque inde deſcendentem, merito Condictionem ex lege dicendam eſſe, addita diſquiſitione, quo usque illa lex, ad alios caſus, bene vel male extendatur. Cum igitur Condictio ex lege, in illa lege *32* occurrat, eademque ex variis cauſarum figuris alias oriri credatur, ideo Noſter, in *Diſſertatione quarta*, Condictionem illam primo in genere exponit, poſtea ejus ſpecies, quæ ex pactis legitimis naſcuntur, perſecutus, diſquirit, an pactum compromiſſorium, ſuffragii, contractus, & in ſpecie, ſtipulatio ac literarum obligatio, pactis legitimis recte annumerentur? eo etiam addito, quod quaſicontractus ad pacta legitima male referantur. His abſolutis, de aliis caſibus, quibus Condictio ex lege competat, ac in ſpecie, an in caſu *l. 1. C. de jur. emphyt. l. 2. C. de reſcind. vendit. l. un. C. de ſuffrag. l. 5. C. de ingen. man.* illa locum inveniat, Noſter ſatagit. Condictionibus ex lege, ſimiles ſunt Actiones in factum, quibus *Diſſertatio quinta* deſtinata eſt. In ea Clariſſimus Autor, nomen & indolem Actionum in factum generaliter explanat, earumque originem & neceſſitatem, ex hypotheſibus fori Romani deducit, & quam varie illæ ſupponantur, diſtinctius ediſſerit. Inde progreditur ad Actiones in factum ſubſidiarias civiles, variis exemplis illuſtratas, quas excipiunt Actiones in factum ſubſidiariæ Prætoriæ, quibus etiam non exi-

guus exemplorum numerus, lucem affundit. Præter actiones in factum subsidiarias, dantur & aliæ, istis affines, Actio scilicet de tigno juncto, Actio subsidiaria pupillis & minoribus contra magistratus minores competens, & Actio judicati, quæ licet, habita æquitatis, ex qua sola oriuntur, ratione, Actiones in factum dici queant, attamen, quia singulæ propriis appellantur nominibus, ideo in *Dissertatione sexta*, seorsim de iis agendum sibi esse existimavit Noster. In indagandis igitur actionum illarum appellationibus, natura, varietate & fundamento, prolixe satis occupatur. Nondum fons causarum extraordinariarum exaruit, sed ex eo plures adhuc actiones aliæ scaturire Nostro videntur. Nam in istum censum, *Dissertatione septima*, Actionem ad petendam restitutionem in integrum, de pauperie, ad exhibendum, Condictionem sine causa, Triticariam, Actionem de pecunia constituta: *Dissertatione octava*, Actionem redhibitoriam & quanti minoris, actionem ex vinculo matrimoniali ortam, actionem ad alimenta præstanda, liberis & parentibus competentem: *Dissertatione nona*, Actionem ad collationem faciendam, damni infecti, aquæ pluviæ arcendæ, querelam inofficiosæ donationis, remedium indemnitatis seu beneficium separationis bonorum, obligationem & actionem ex pollicitatione natam, ac tandem actiones extraordinarias, de quibus ipse Prætor vel Præses, extra ordinem, quandoque cognoscebat, refert, ac circa singulas, præcipuam operam eo intendit, ut eas ex nulla causa ordinaria, contractu puta, quasicontractu, maleficio aut quasimaleficio, descendere, adeoque ex causa extraordinaria, sive sola æquitate, repetendas esse ostendat, quod in genere admonuisse, satis videtur. Speciminis tamen loco, ejus sententiam, quoad actionem redhibitoriam & quanti minoris, quæ in Dissertatione octava primo loco comparet, explicatius nonnihil exhibebimus. Ædilitii Edicti sententia & rationibus adductis, ac utriusque actionis, redhibitoriæ & quanti minoris, definitione, appellationibus & concursu explicatis, contendit, actiones illas ex mera æquitate, ne emtores rerum vitiosarum damnum sentiant, esse introductas, eaque ratione, dativas posse dici, utut ipsa actionum, in dativas & nativas, distinctio, minus accurata Nostro videatur; postea

postea refellit eos, qui ad præstationes, quas Ædiles venditoribus injunxerunt, ex ipso emtionis & venditionis contractu, agi posse censent: nam actiones ex contractu descendentes, ad eum implendum, non solvendum, regulariter competunt, & quid opus fuisset actione redhibitoria & quanti minoris, si ex ipso contractu agere potuissent emtores læsi? præterea illa sententia aperte *l. 2. C. de Ædilit. Action.* repugnat; denique in plerisque actiones Ædilitiæ, & actio emti differunt, quas differentias Noster recenset, ac objectionibus nonnullis, *ex l. 11. §. 3. 5. de A. E. V. l. 23. §. 4. de Ædil. edict.* desumptis respondet.

OBSERVATIO D. JOHANNIS WRIGHTII, Colleg. Med. Lond. Socii, de Ulcere Pulmonum, in Epistola ad GULIELMUM COWPERUM, Soc. Reg. Socium recensita, una cum hujus Responsione.

Excerpta ex Actis Philos. Anglic. A. 1703. N. 285.

PUella 18. annorum Anno 1701. Mense Majo variolis corripiebatur adeo benignis, ut Medici consilio non indigere videretur, donec in squamas illæ abiissent. Tunc enim respirandi difficultas, quæ paulo ante eam vexaverat, tantum cœpit incrementum, ut septimo post variolarum eruptionem die, materiam sanguineam expueret viscidam, quæ nec pituita sanguinis striis picta, nec cruori permixta esse videbatur, sed tota omnino erat sanguinea; non tamen sanguinis calidi instar fluebat, multo minus velut cruor frigefactus coagulabatur, sed dum effundebatur, instar pituitæ, ex ventriculo per vomitum rejectæ, pelvi adhærebat. Quamvis vero talis hæmoptysis multum quotidie intenderetur, atque subinde per diem vel sextarius dictæ materiæ ejiceretur; paucis tamen septimanis post sanitati ægra restituta, bonum recuperavit corporis habitum, Lunæque tributum solvere iterum cœpit, & a mense Julio ad Decembrem usque satis bene valuit. Quo tempore respirandi difficultas repetens indies increscebat, cum plenitudinis quodam atque ponderis sensu in sinistro latere, ita ut ægra huic quidem commode incumbere posset, quoties autem in dextrum se convertere elaborabat, pondus quasi ex sinistro ad dextrum latus labi perciperet, cum dyspnœæ augmento atque tussi.

Qualia ſymptomata cum ad nativitatis Chriſti usque feſtum indies augerentur, craſſam tandem fœtidamque materiam purulentam excernere cœpit, bono interim appetitu gaudens, & ab omni inſultu febrili libera. Authoris curæ tradita puella, medicamenta pus per ἀνακάθαρσιν evacuantia aſſumſit cum euphoria, menſibus interim periodum ſervantibus, nec hecticæ ſignis præſentibus, a tantillo autem frigoris admiſſo pus fœtidum ejiciebatur. Per aliquot horas omnis tuſſiendi moleſtiæ erat expers, quamprimum autem eam hæc, poſt aliquem plenitudinis ſenſum, affligere incepit, non prius deſiit, quam duo circiter puris fœtidi cochlearia eſſent excreta; idque potiſſimum mane, a meridie, & noctu contingebat. Cum itaque pulmonum lobum ſiniſtrum abſceſſu occupari ſuſpicio oriretur, in lecto caput pronum ſiniſtro brachio ſuffulcire juſſa eſt, ut poſt levem tuſſim pus effluere eo felicius poſſet. Aliquando, poſt frigoris ſenſum a meridie, pulſu celeriori reddito, calor febrilis accendebatur, indies increſcens, quem leve comitabatur delirium ad aliquot dies; donec poſt ſe reliquit hecticam cum rubore, veſperi genas pingente, ſudoribus nocturnis, diarrhœa continua, atrophia & crurum demum œdemate ſociatam, etiamſi lecto fuiſſet affixa. Inter ſeptimam & octavam coſtam nodi aliquot exiles ſe offerebant tactui, qui una cum aliis phænomenis, ibidem loci ulceroſos pulmones pleuræ adhærere, ſuſpicionem augebant. Etiamſi igitur cauſticum dicto loco potiſſimum applicari debuiſſet, prævidens tamen Author cum aliis ſibi junctis Medicis, mammæ ſiniſtræ glandulas ſimul arroſum iri, ſpatio inter ſextam & ſeptimam coſtam ſurſum numerando illud appoſuit; quo remoto, & lanceola in pectoris cavitatem adacta, lympha profluebat, ſanguinolenta absque pure: immiſſoque ſpecillo, pulmones ad inferiorem coſtæ ſeptimæ partem adhæſiſſe obſervabantur; antequam autem eſchara ſeparaFretur, pus prorupit, quotiescunque ulcus deligabatur, quod ſenſim atque ſenſim imminuebatur, ad curationis usque finem. Quem tamen antequam attingeret puella, de immenſo circa cartilaginem enſiformem conqueſta eſt dolore, & tanto quidem, ut cannulam ipſa aliquoties extrahere haberet neceſſe; quod a cannula nervum premente ille crearetur. Sicque menſe Auguſto perfecte ſanata, ſequentibus men-

mensibus pristinum corporis habitum recepit, indicio manifesto, non omne pulmonum ulcus, prout nonnullis videtur, esse incurabile.

Cum autem puellæ huic curandæ etiam Gulielmus Cowperus adfuerit, non potuit non hic, in Responsione sua, D. Wrigthii, felicem curæ successum constanter prædicentis, peritiam collaudare, atque in memoriam revocare puris non minus graveolentiam summam, quam putridam acrimoniam, qua specillum immissum & syringam argenteam in injectionibus usurpatam arroserat. Nec dubium superesse ullum dicit, quin pus, ex vulnere facto profluens, ab eadem cavitate provenerit, ex qua ante cum tussi per os fuerat rejectum; siquidem puella sub injectionibus, quas tinctura myrrhæ ingrediebatur, de amaro sapore in ore fuerit conquesta. Recensitis dein aliis ægrorum, similibus pulmonum ulceribus laborantium, exemplis, merito miratur Clarissimus Cowperus, qui fiat, ut parte una pulmonum obstructa, homo tamen vivere, & reliqua pulmonum pars totam massam sanguineam, ex dextro cordis ventriculo ad sinistrum, æquali temporis momento, & sub æquali quantitate, sub qua per reliquas corporis partes omnes circulatur, deducere queat; cum modum conveniat omnino admirari, quo in statu naturali, ubi pulmonum canales omnes aperti sunt, id contingat. Ad cujus phænomeni explicationem sequentia instituit experimenta. Scilicet aquam in arteriam pulmonalem injectam dum per venam pulmonalem redire conspexit, idem etiam cum cera tentavit feliciter. Postquam enim hanc calidissimam cum oleo terebinthinæ mixtam, & colore, Vermillon dicto, tinctam in arteriam memoratam felium juniorum injecit, venam ea cum auricula sinistra adeo repletam vidit, ut pars ejus ad sinistrum usque cordis ventriculum penetraverit; licet aliquid ceræ ad bronchia simul esset depositum. Corda humana præparando, & eorum ventriculos, auriculas & truncos vasorum sanguineorum cera replendo, itidem advertit, quod cera, diversis coloribus tincta, in arteriam & venam pulmonalem, sine extrema vi injecta, ex arteriis ad venas tantum, non vero ad tracheam simul, pervenerit. Nec in aliis corporum humanorum æque ac quadrupedum visceribus ceram per arterias ad venas

nas adigere potuit, præterquam in pulmonibus, liene & pene; in quibus tamen ut succederet experimentum, cera summo cum impetu injicienda fuit. Cum autem nudis oculis vasorum extremitates nec in animalibus vivis, dum sanguis adhuc per vasa circulatur, cumprimis in partibus pellucidis omenti, vel mesenterii quadrupedum, aut in pulmonibus ranarum, vel lacertarum viventium; nec in mortuis, dum sanguis in pulmonibus est retentus, usurpari possint, mediante microscopio id tentavit. Facta enim incisione in corporibus dictorum animalium, pulmonum prolapsorum & aëre inspirato distentorum partem, cordi quam proxime adstantem, citissime & firmissime ligavit; quo facto exsiccatos ranarum & lacertarum pulmones eorumque vasa microscopii ope ita contexta deprehendit, prout in fig. 1. 3. 4. 5. 6. offeruntur. Adeoque certissime sibi persuasum habet Author Clarissimus, communicationes vasorum sanguineorum in pulmonibus magis esse patulas, quam in aliis partibus, excepto liene & pene, donec monstretur, ceram liquefactam æque facile in reliquis corporis humani ac quadrupedum partibus ex arteriis ad venas penetrare. Quemadmodum vero rationem inde petit sanguinis per pulmones in statu naturali fluentis; ita e diverso, si in statu p. n. vasa quædam sanguinea pulmonum vel angustentur, vel penitus comprimantur, ut in ulceribus pulmonum, tunc a reliquis adhuc sanis vasis plus solito per eorum cavitatem transmitti reputat, quippe quæ sensim ita dilatentur, ut illorum defectum commode resarcire valeant. Id quod etiam in ramorum arteriosorum communicatione fieri observat, quando in anevrismatis cura ramus quidam insignis vel truncus ligatur.

TAB. V.

Explicatio Figurarum Tabulæ V.

Figura I exhibet pulmonem ranæ ligatum & exsiccatum, microscopio inspectum, cujus vasorum extremitates tam amplæ sunt, ut tres sanguinis globulos transmittere possint.

AA. Arteriæ.

BB. Venæ.

CC. Earum inosculationes.

D. A-



D

B



D. Area microſcopii, prout nudis oculis apparet.
Figura II ſiſtit pedis poſterioris ranæ partem, cujus vaſorum extremitates unicum ſaltem ſanguinis globulum transmittunt.
AA. Truncus arteriarum.
BB. Truncus venarum ad latera digitorum transcurrens.
CC. Earum extremitates invicem continuatæ, in membrana transparente digitos diſtinguente.
aa. duo digiti pedis.
Figura III & IV oculis ſubjicit extremitates arteriarum & venarum, in pulmonibus ranæ alio microſcopio inſpectas.
AA. Arteriæ.
BB. Venæ.
CC. Earum conjunctiones.
D. Area microſcopii.
Figura V monſtrat aream quandam hexagonam pulmonis ranæ, qui cum non æque flatu fuerit diſtenſus, ac in figura III & IV areæ etiam ſeu cellulæ in interſtitiis extremitatum anguſtiores & minores apparent.
AA. Arteriæ.
BB. Venæ.
CC. Earum inoſculationes.
D. Area.
Figura VI repræſentat lobum pulmonis lacertæ aquaticæ præparatum.
AA. Truncus arteriæ pulmonalis.
BB. Vena pulmonalis.
CC. Earum rami conjuncti.
DD. Membrana ſubtilis tranſparens.

EXPERIMENTUM ANATOMICUM AD VERAM Duræ Matris motus cauſam detegendam inſtitutum ab H. RIDLEY M. D. & Reg. Coll. Med. Lond. Socio.

Excerptum ex Actis Philoſ. Angl. A. 1703. N. 287.

POſtquam Clar. *Ridley* in Tractatu ſuo *de Anatomia Cerebri*, ante bina luſtra publici juris facto, Duræ Matris motum arteriis per

per totum cerebrum disperſis in acceptum referendum eſſe, variis experimentis probaverat; Clariſſimus autem *Baglivus* in ſuo *de Fibra Motrice* libello, pulſus hujus cauſam in propria Duræ Menyngis ſubſtantia & textura, cordis æmula, quærendam eſſe tradiderat: utra contrariarum harum ſententiarum veritati propius accedat, examinaturus ille, ſequens inſtituit experimentum.

Canis ſcilicet ſuperiori bregmatis parte terebrata, membranam duram non ſine aliqua ſanguinis jactura denudavit. Hinc cohibita hæmorrhagia, abſterſoque ſanguine, duræ matris ejusque ſinus longitudinalis, qui per marginem foraminis decurrebat, motum ſyſtalticum cordis vibrationis, quæ juſto citatior erat, æmulum, hujusque rhythmo ad amuſſim reſpondentem deprehendit. Poſt elapſum unum horæ quadrantem, eandem hamulo acuto ſuſpenſam perforavit; quam perforationem acute perſentiſcere videbatur canis, convulſionis tamen cujusvis expers. Comparuit ſic motus cerebri ſyſtalticus, tantillum ſanguinis, quod in membrana continebatur, foras propellens. Poſtea cuſpide forficis obtuſa caute in aperturam membranæ vulneratæ immiſſa, eam transverſim in parte ejus a ſinus longitudinalis tranſitu maxime remota diſſecuit; hinc protruſum fuit cerebrum pia matre tectum, perſeverante adhuc motu ejus ad tactum ſatis forti, licet membrana ipſa, ob vim reſtitutivam fibrarum ſuarum a plaga accepta imminutam, ad oculos obſcurius vibrari videretur. Toto hoc tempore vegetus adhuc erat canis, levibus tantum tremoribus, cum quodam horrore, per univerſum corpus affectus. Poſtquam igitur per aliquot horas hic vexatus multum ſanguinis effuderat, ut omnem vim pulſificam, quæ vel huic membranæ ineſſe, vel aliunde accedere ſupponi poteſt, adimeret Author, guttulas aliquot olei vitrioli leniter illinebat; unde nigro colore tingebatur hæc, & nulla, ſaltem exigua & obſcura ejus percepta eſt vibratio, admoto tamen digito ſatis diſtinctus cerebri pulſus ſentiebatur. Peractis his, cum cultri mucronem ad unius unciæ craſſitiem in cerebri ſubſtantiam intruſiſſet, vehementer ſe agitavit canis, hactenus adhuc vegetus, & in horrendas corporis jactationes & pedum anteriorum & poſteriorum convulſiones incidit, & cerebrum fortius quam antea movebatur. Poſtea ſpe-

specillo profundius adacto, sensus dolorifici indicia maxima dedit animal, cultro tandem usque ad latus cranii oppositum trajecto horrendis agitatum fuit spasmis; & interim systolen & diastolen cerebri, cum maximo renisu factam, digito Author æque ac alii adstantes perceperunt. Quibus pensitatis phænomenis, patere existimat Clarissimus Ridley, motum cerebri & menyngis a peculiari duræ matris textura minime dependere.

D. ROBERTI HUNTINGTONI EPISTOLÆ, ET veterum Mathematicorum Synopsis, Collectore EDWARDO BERNARDO. Præmittuntur D. HUNTINGTONI & D. BERNARDI Vitæ, Scriptore THOMA SMITHO S. Theol. Doct.

Londini, apud A. & J. Churchil, 1704. 8. Plag. 18.

PEr varia doctissima scripta, in Actis nostris passim commemorata, dudum orbi erudito ita innotuit Vir Clarissimus Thomas Smithus, ut vel solum nomen ejus affatim commendare possit Huntingtonianas epistolas, quibus in lucem edendis obstetricias manus præstare dignatus est. Epistolis autem Huntingtonianis Vitam ejus præmittere operæ pretium duxit, illustrationi eorum, quæ passim in epistolis habentur, haud raro inservientem. Lucem vero Huntingtonus adspexit Februario mense anni superioris seculi XXXVI Deorhirstæ, quod est oppidum non incelebre ad Sabrinæ ripam situm. Patrem nactus est illius loci Parochum, qui Robertum nostrum secundo genitum, in schola publica Bristoliæ literas Græcas & Latinas bene edoctum, cum decimum sextum vitæ annum attigisset, Oxonium ablegavit, ubi primo inter Portionistas, quos vocant, receptus, mox post susceptum primum in artibus gradum, unanimi illorum, penes quos jus eligendi erat, consensu in numerum Sociorum cooptabatur. Anno deinceps 1663 lauream Magistri consecutus, insequentibus comitiis Magistrorum nuncupatus est Senior, quam spartam cum per aliquod tempus egregie ornasset, tum D. Pocockii consilio, tum propria mentis inclinatione ductus, D. Framptono, qui huc usque Halebi mercatoribus Anglis in Oriente a sacris fuerat, jam in Angliam redituro, in sacro isto munere, amplissima mercatorum Londinen-

p. 1.
p. 2.
p. 3.

sium,

sium, qui mercaturam in Oriente exercent, societate suffragante
p. 5. successit. Cum ergo Halebum celeberrimum illud Orientis emporium pervenisset, post administrationem sancti muneris, quod ipsi incumbebat, nihil prius antiquiusve habuit, quam ut patriam rerum hactenus pene incompertarum vel saltem vix satis bene cognitarum notitiis, invectisque librorum gazis redux ditaret.
p. 7. Cum vero de libris Syriacis comparandis maxime solicitus esset, & in iis cumprimis S. Ignatii, Episcopi Antiocheni, epistolas Syriacas investigaret, quarum non tantum Ebed Jesu in Catalogo librorum Chaldæorum obiter indicium fecerat, sed & ipsas epistolas magis diserte Ignatius Antiochenus XVI seculi scriptor, in Catalogo librorum ex Oriente advectorum, Chaldæo-Syra lingua ibi extare, testatum dederat: minime tamen hac ex parte voti compos fieri potuit, cum nec in Syria, nec in Ægypto, nec in Mesopotamia, nec in monte Sina, exemplar Ignatianum sive Græcum sive Syria-
p. 10. cum repererit. In iis autem libris, quos Patriarchæ Antiocheni D. Stephani Petri opera adjutus nactus est, Ephremi Syri Commentarius in Pentateuchum, & quædam Homiliæ maxime insi-
p. 12. gnes fuerunt. Cum aliquot annos Halebi versatus fuisset Huntingtonus, ipsum lubido incessit Hierosolyma adeundi, in quo itinere ad reliquias Samaritanorum divertit, ex quibus triginta circiter familiæ Sicima sive Neapolim (utpote ex istius ruinis ab Herode conditam, hodie *Naplos* nuncupatam, juxta montem Garizim tribus horis ab urbe Samaria, olim Σεβαστῇ, nunc *Isboste*,
p. 15. dissitam) incolunt. Ea occasione obiter Clarissimus Smithus de codicibus Samaritanorum sacris nonnulla observat, atque id imprimis, quod si ex codicibus in Anglia obviis judicium ferre liceat, Cottoniano nempe, Bodlejano & Huntingtoniano, nullus eorum
p. 16. CCCC quingentorumve annorum ætatem supergrediatur. In Ægyptum quoque iter fecit Huntingtonus, ibique eandem in investigandis codicibus manuscriptis industriam perpetuo adhibuit. In hisce autem libris Copto-Arabicis singillatim recensendis Auctor non diu versatur: cum ii ex egregio & utilissimo catalogo-
p. 17. rum opere, Oxonii A. 1697 edito, peti possint. Maxime & in primis memoranda esse judicat tria Evangeliorum exemplaria, quorum unum Kahiræ, alterum in deserto Nitriæ, tertium Hierosolymis

mis reperit, D. Marshallo, qui editionem Copticam N. T. tum temporis moliebatur, transmissa. Præterea dum Kahiræ commoratus est, cum quodam Copto sacerdote de conciliorum duobus p. 18. voluminibus, una cum appendice concilii Chalcedonensis, & denique tribus reliquis Pentateuchi Mosaici libris exscribendis fuit pactus. Quoad Huntingtonus in Asia vitam degit, cum multis p. 21. Viris religiosis, religionis Christianæ propagandæ causa per Orientem quaqua versum sparsis, frequens literarum commercium exercuit. Inter hos ex P. Archangelo de Sancta Theresa, ordinis Carmelitarum discalceatorum, de Sabæis sive Mendæis quondam quæsivit, num qui libri istius sectæ opiniones complectentes adhuc superessent. Iste Carmelita ut Huntingtoni curiositati satisfaceret, postea in Angliam tres libros transmisit, quorum duos Mendæi olim Adamo Protoplastæ a Deo traditos, tertium vero ab Angelis trecentis triginta annorum millibus ante Adamum conditum cœlitus delatos fabulantur. Isti autem libri tanta obscuritate laborant, ut absque interprete nullo modo intelligi possint. Postquam Huntingtonus in Asia undecim annos expleverat, de reditu in patriam cogitans, per Italiam & Galliam in Britanniam rediit, cui restitutus anno 1683 dignitatem Doctoris in facultate p. 23. Theologica consecutus est. Paulo post Collegii S. Trinitatis, juxta Dublinium in Hibernia, præfectura ipsi licet invito atque re- p. 24. luctanti fuit delata. Bello autem in Hibernia ingruente, fuga sibi consulendum esse duxit. In Angliam ergo redeunti sacerdotium p. 29. in parochia Hollingburiæ, in agro Hartfordiensi sita, ipsi fuit demandatum. Ibi reliquum vitæ tempus transigere in animum induxerat, sed aliter visum Deo. Etenim A. 1701, vacante sede Ra- p. 32. porensi in provincia Ultoniæ, hic episcopatus, opera potissimum Illustrissimi Henrici Comitis Clarendoniæ, ipsi delatus est. Hac de causa denuo in Hiberniam navigare coactus, Dublinium incolumis appulit, ibique vicesimo die mensis Julii in Ecclesia Christi cum debita solennitate fuit consecratus. Sed prius quam ad sedem suam cathedralem pervenit, morbo implicitus, secundo die Septembris, sexagesimo sexto ætatis anno, placide decessit. Jam ut ex epistolis quoque decerpamus nonnulla, p. 13 meminit cujusdam exemplaris Concilii Florentini, quod ab alio auctore profectum

 esse

esse credit, quam ista exemplaria, quæ typis impressa leguntur: duo enim ait in publicum prodiisse, quorum alterum Georgio Scholario vulgo tribuatur, alterum vero Sylvestro Syropulo. Præter hos libros, de historia jam dicti Concilii se vidisse fatetur particulas & rhapsodias bene multas a Græcis, Bessarione puta, Demetrio Cydone, Josepho Methonensi; Gregorio Hieromonacho, Vecco Constantinopolitano &c. confectas. P. 32 & 33 refertur de Armeno quodam, urbis Damasci incola, qui ad defectionem a fide sua sollicitatus, Mahometanorum illecebras omnes & minas ac promissa generoso contemtu respuerit, & hoc pacto martyrii coronam gloriose reportarit; quo martyrio durante, fulgidum jubar cœlestis luminis æmulum sancto corpori aliquandiu illuxerit, aliaque comparuerint miracula. P. 39 gratias agit D. Angelo a Sancto Joseph Carmelitæ, quod Sabiorum cultum, ceremonias & superstitionem per Orientem olim diffusam, paulo accuratius ipsum edocuerit; qua occasione hanc sectam dicit vetustissimam, utpote quæ, si Arabibus sit fides habenda, a Sabio quodam altero Sethi filio originem traxerit; quam in rem ostentent libros ab ipso Setho conscriptos, ipsorum veluti SS. Biblia & authenticas institutiones. Hæc & alia scripta de eadem hæresi tractantia, in quibus sunt codices MSS. Thabeti Ebn Corah, ut ipsi transmittat, etiam atque etiam petit. P. 46 multa de Samaritis narrat D. Jobo Ludolfo, eamque gentem ait esse tam parvam, ut non aliam temere invenias, cui comparare possis; hoc tamen non obstante, illos paucitate sua contentos se solos veros Ebræos & Israelitas nuncupare, & Judæos Palæstinenses aliosque alto supercilio contemnere, quin etiam odio plus quam Vatiniano prosequi. Cum Huntingtonus apud eos versaretur, atque prolatos libros Samaritano charactere descriptos nullo negotio legeret, forte fortuna inter alios sermones ab ipso quæsiverunt, num in Britannia quoque Ebræi reperirentur, quam quæstionem ille, de Judæis respondens, cum ipsi de Samaritanis interrogassent, affirmavit, quo facto præcipiti credulitate inducti sponte sua arripiebant, illos esse suos fratres & contribules, neque postea cum Huntingtonus intelligeret, sese aliter respondisse ac isti rogassent, hunc errorem ullo modo sibi eximi patiebantur. Proinde literas

ras in Angliam mittere decrevere, an ibi Ebræi per omnia ipsis consenserint exploraturi. Mox quoque literas ejusmodi lingua Ebræa, characteribus autem Samaritanis exaratas, ad Huntingto-num miserunt, quas ille Oxonium deferendas curavit. Ad eas postea respondit eadem lingua & charactere D. Mareshallus, quod literarum commercium per aliquot annos duravit, morte autem Mareshalli intermissum penitus cessavit. In singulis fer-me istis literis superbe gloriati fuerant, apud ipsos servari vetustis-simum legis exemplar, quod scriptum fuerit ab Abisha sacerdote pronepote Aaronis, & illius manu signatum; verum nugas esse & mera mendacia, quæ hac de re proferunt, Huntingtonus ex ocu-lari inspectione deprehendit, & ipsos hujus vanæ gloriationis ab-unde convicit. P. 51 indicat, Samaritas nomen tetragrammaton יהוה nunquam pronuntiare, sed loco ipsius efferre *Semaa* cum ש po-tius quam ש & ultima protracta & quasi trisyllaba, ubi laudat con-jecturam Ludolfi existimantis, quod sit a שם ad morem Ju-dæorum. De Messia loquentes parum sibi constare ait, nunc hoc, nunc illud asserentes; interim tamen observat, ipsos de Ser-vatore nostro ejusque cultoribus admodum honorifice loqui. P. 52 se nescire fatetur, quare nomen Messiæ scribant השחב si tamen liceat conjectari, hoc ænigma ita explicari posse putat, ut sint ini-tiales plurium vocabulorum literæ, veluti השילה הבא. Ibidem rationem annorum seu computum temporis apud Samaritas du-plicem esse docet, civilem seu Mohammedicum unum, ab He-gira Pseudoprophetæ; alterum ecclesiasticum seu Græcum, ex Huntingtoni sententia ab orbe condito. P. 62 & sqq. in gratiam D. Picques Ægypti chartam geophraphicam concinnaturi, multa cu-riosa de rebus Ægypti, urbibus scilicet, fluviis, pyramidibus, Mummiis, inscriptionibus, monasteriis, item de tribus Ægyptiacæ linguæ dialectis affert. P. 75 sequuntur epistolæ, quas insignes Viri ad Huntingtonum perscripsere; cum vero in his multa jam in Huntingtoni literis a nobis observata legantur, his prætermis-sis reliqua breviter perstringemus. P. 77 scribit Michael Nau, Sa-cerdos e Societate Jesu, ad Huntingtonum, sese suavissima voce Servatoris nostri, qui pacificos vel hoc nomine beatos prædicat, quod filii Dei vocabuntur, provocatum omnem lapidem movisse,

ut concordia inter ſuam & Anglicanam Eccleſiam in Aſia ſtabiliretur, certiorem quoque facit Huntingtonum, ſe quidem ſuos, quanquam non ſine magno labore, in ſuam adduxiſſe ſententiam, ſed valde conqueritur, quod Huntingtonus promiſſis non ſteterit, neque loco ac tempore præſtituto cum ſuis comparuerit. P. 84 F. Agathangelus Sabæorum libros, quorum jam ſupra in vita Huntingtoni mentionem fecimus, nominetenus recenſet, eorumque primum dicit nominari *Sahaf Adam*, quem Protopatrem noſtrum Adamum a Deo immediate accepiſſe fabulantur: ſecundum, *Sahaf Hieahie,* ben Zachariæ (quem nonnulli dixerunt eſſe præcurſorem Domini, S. Joannem Baptiſtam) & iſtum pariter dicunt Hieahie a Deo recepiſſe: & tertium *Divan*, qui alios magnitudine excedit, ſed pari æſtimatione habetur. Hos libros Sabæi magna religione cuſtodiunt, ne forte in aliorum manus perveniant, & cum alioquin hanc nationem auri ſacra fames multum cruciet, difficillime tamen hac ex parte corrumpi poſſunt. P. 99 ſqq. D. Stephanus Petrus, Patriarcha Maronitarum Antiochenus, mittit catalogum tum librorum ſacrorum, tum operum Patrum, tum aliorum ſcriptorum, quæ apud ipſos poſt tot bella, incendia, rapinas & ſpoliationes, quibus Syria per 10 ſecula fuerit obnoxia, adhuc ſuperſint. Ex eodem Patriarcha Huntingtonus quæſiverat de Dionyſio Syro, cujus Commentarium in IV Evangelia celeberrimus Loftuſius ſyro-latine imprimendum curavit, quisnam ſcilicet fuerit ille Dionyſius, quo tempore ubive loci floruerit, quid denique ſcripſerit? Ad ſingulas has quæſtiones Patriarcha p. 111 ſqq. accurate & prolixe reſpondet, atque refert, Dionyſium illum floruiſſe ſeculo XII, patriam ipſi civitatem Militinenſem obtigiſſe, profeſſione fuiſſe Jacobitam, propter eximia ſtudia creatum eſſe epiſcopum Gramnitienſem, animum Deo A. 1169 reddidiſſe, & ſepultum eſſe Meletiæ, ubi natus fuerat. Præter Commentarios in V. & N. T. de variis argumentis Theologicis ac Philoſophicis ſcripſiſſe, ſcilicet *De Deo*, de *Trinitate*, de *Incarnatione*, de *Angelis*, de *Animabus*, de *Sacerdotio*, de *Elementis* & de *Arithmetica*. Porro eundem quoque contra hæreticos calamum ſtrinxiſſe narrat, nimirum contra Arabes, Agarenos, Hebræos, Neſtorianos, Græcos, item contra eos, qui Concilio Chalcedonenſi adhærent. Tandem duas quo-

quoque Liturgias eum composuisse ait, cum Commentario de Ritu S. Sacrificii Altaris.

Superest, ut Edwardi Bernardi Vitam, collectioni veterum Mathematicorum & huic epistolarum volumini subjunctæ præmissam, paucis percenseamus. Ille natus est Paulesperriæ secundo die Maji A. 1638, patre Josepho Bernardo loci illius Parocho, & matre Elisabetha Lancea, utrisque non ignobili genere oriundis. Adolescens Londini in schola publica Mercatorum Scissorum ita dicta, literarum tyrocinia posuit, septennio ibi exacto in collegium S. Joannis Baptistæ apud Oxonienses cooptatus, Thomæ Wiati tutelæ traditus fuit. Magister artium factus, Procuratoris Academiæ munus gessit A. 1667. Inde prima laurea Theologica ornatus, Lugdunum ad Batavos abiit, tum ut MSS. codices orientales, quos Josephus Scaliger & Levinus Warnerus reliquerunt, perlustraret, tum etiam, & præcipue quidem, ut V, VI, VII libros Conicarum Sectionum Apollonii Pergæi, quorum textus Græcus desideratur, in codice Arabico apud hæredes Golii extantes examinaret. Constituerat enim hos libros cum versione sua & commentationibus necessariis in lucem edere: sed hoc ejus consilium D. Christianus Ravius prævertit, utpote qui tres istos libros, a se Latine versos & Carolo XI Suecorum Regi inscriptos, Kiloni A. 1669 publicavit. Oxonium reversus, a D. Christophoro Wrenno electus est, ut ipsius tum temporis in regia aula versantis in munere Mathematico obeundo vices suppleret. Interim tamen non obliviscebatur, se solenni professione Theologiæ studiis sacrisque Presbyteri functionibus consecratum fuisse. Hinc Beneficium Ecclesiasticum, in provincia Surreiensi a Collegio Joannensi ipsi delatum, lubenti animo accepit, & paulo post a D. Petro Mew, Episcopo Bathoniensi & Wellensi inter Sacellanos domesticos cooptatus est. Hæc vero omnia mox erant relinquenda. Cum enim D. Wrennus professione Mathematum plane se abdicaret, aut spes muneris istius Mathematici erat abjicienda, aut vi statutorum fundatoris, nulli alii officio sive ecclesiastico sive civili præesse licitum erat. Hinc diu animi dubius ac nesciens quo se verteret, tandem repudiatis dignitatibus ecclesiasticis, professionem Mathematicam elegit. Circa hoc tempus de edendis veteribus Mathematicis omnibus, nun-

p. 1.
p. 2.
p. 3.
p. 8.
p. 11.
p. 14.
p. 15.
p. 16.
p. 23.

quam ſatis laudandum conſilium apud Oxonienſes fuit agitatum, cujus vaſtiſſimi operis ſciagraphiam Bernardus accuratiſſime deli-
p. 25. neavit, quam Clariſſimus Smithus ſubnectere operæ pretium duxit. Eodem ferme tempore Euclidem ſuſcepit illuſtrandum, egregio ſpecimine in folio, ut dicitur, edito, in quo Græcus textus & ex adverſo Latina verſio, cum Procli Commentario, Græce & Latine, una cum doctiſſimis ſcholiis figurarumque delineationibus accurate exhibentur. Præterea ut ſcientiam quoque Aſtronomicam ex doctrina veterum illuſtraret, parvam Syntaxin Alexandrinam, communiter Μικρὸν Ἀστρονόμον dictam, in qua præter Euclidem, Theodoſii, Autolyci, Menelai, Ariſtarchi & Hipſiclis opuſcula continentur, edendam ſuſcepit, ſed opus illud non perfecit. Nec ſolum in ſcientiis Mathematicis, verum etiam in
p. 31. Chronologiæ & Antiquitatum ſtudio, ingenii vires exercere ſatagebat. Hinc novam Joſephi editionem adornare animum indu-
p. 32. xerat, & dici non poteſt, quam vaſto apparatu arduum hoc opus aggreſſus fuerit. Cum vero multi methodum ejus, quam ſequebatur, importune & pene ingeſtis convitiis carperent, inde primo inter Curatores & Bernardum ortæ ſimultates, dein apertæ lites, utrisque pro diverſa, quam ſecuti ſunt, ſententia argumentis ultro citroque agitatis tenaciſſime inhærentibus. Ceſſavere inde operæ typographicæ, nec quisquam de edendo integro Joſepho ſumptibus Academiæ amplius cogitavit. Poſtquam igitur in hoc operé ad metam pervenire non potuit, multos alios libros edidit, qui á D. Smitho inſequenti ordine recenſentur.

I Commentatio de menſuris concavis, ponderibus antiquis, & menſuris diſtantiarum, quæ primo A. 1685 D. Pocockii commentariis in Prophetiam Hoſeæ adjuncta fuit, triennio autem poſt locupletior facta ſeorſim prodiit ſub hoc titulo: De menſuris & ponderibus antiquis libri tres, quibus acceſſerunt duæ epiſtolæ, altera N. Fatii de mari æneo Salomonis, altera Thomæ Hyde de menſuris & ponderibus Sinenſium ad D. Bernardum.

II Private Devotions, Oxon. A. 1689 in 12. h. e. ut D. Smithus paulo latius titulum explicat: Exercitia ſpiritualia, & vitam pie & Chriſtiane inſtituendi methodus, cum formulis precum, tam in quotidianis, quam in ſolennibus religionis officiis, cum quis-

quisquam Deo & sibi vacaverit, clam & in privato secessu utendis. Ad finem accessit brevis Decalogi Paraphrasis.

III. Orbis eruditi Literatura a charactere Samaritico deducta, quam tabula amplioris formæ æri incidendam curavit. Hinc uno intuitu contemplari licet varias, pro varia temporum & seculorum ratione, literarum figuras.

IV. Canon præcipuarum e Stellis fixis (numero 23) secundum observata majorum, quem Huntingtono inscriptum Actis Philosophicis mense Aprili A. 1684 inserendum permisit. Iisdem Actis, Septembri ejusdem anni, epistolam ad Joannem Flamstedium Mathematicum Regium edidit: in qua continentur

V. Observata ex Græcis, Arabicis, Persicis, Judaicis, Latinisque Scriptoribus de Obliquitate Zodiaci.

VI. Etymologicon Britannicum, quod ad calcem Grammaticæ Anglo-Saxonicæ & Mœso-Gothicæ D. Georgii Hickesii, Oxonii A. 1689 editæ, pag. 167 seqq. comparere voluit.

VII. Chronologiæ Samaritanæ Synopsis, quam Auctorolim misit ad D. Ludolfum, qui illam Actis his nostris mense Aprili A. 1691 inseri voluit.

VIII. Notæ in fragmentum Seguierianum Stephani Byzantini, cujus partem, quæ ad Dodonem spectat, Jac. Gronovius ad calcem Exercitationum de Dodone A. 1681 edidit.

IX. Adnotationes in epistolam S. Barnabæ, in editione Felliana. Oxon. 1685.

X. Annotationes breviculæ in Scriptores Apostolicos editionis Coteleriana, & in nupera editione Amstelodamensi publicatæ.

XI. Scholia & annotationes in Græcas Inscriptiones Palmyrenorum. Trajecti A. 1698.

XII. Samaritanorum literæ Latine conversæ, & a D. Jobo Ludolpho in Epistolis Samaritanis editæ.

Multas præterea lucubrationes Bernardus reliquit, quas D. Smithus prolixe recenset. Nos, ut prolixitatem evitemus, titulos indicare satis habebimus.

I. Chronicon omnis ævi, sive Canon Chronicus.

II. Calendarium Ecclesiasticum & Civile plerarumque Gentium.

III. Index librorum manuscriptorum Angliæ & Hiberniæ, atque externarum aliquot Bibliothecarum.

IV. Devotiones Privatæ Anglice ſcriptæ, cum brevi explicatione X Præceptorum, Orationis Dominicæ & Fidei Apoſtolicæ, in VII libris.

V. Obſervationes varii generis.

VI. Notæ ad Scriptores veteres, tam ſacros quam non ſacros.

VII. Etymologicon Græcum & Latinum.

VIII. Lexicon Ægyptiacum.

IX. Lexicon Ruſſicum.

X. Euclides, Græce & Latine.

XI. Syntagma de Matheſi, ſive principia & elementa Matheſeos.

XII. Diſſertatio de Literatura.

XIII. Linguarum inſularum Britanniæ & Hiberniæ Origines Perſicæ & Armeniacæ.

Hos omnes libros & nonnullos alios a Bernardo compoſitos, item codices MSS. collatos notisque eruditorum Virorum illuſtratos, Clariſſimi Bibliothecæ Bodlejanæ Curatores in illius Archivis reponendos, pecuniis publicis redemerunt. Equidem optandum fuiſſet, longiorem vitam D. Bernardo contigiſſe, ut multa egregia opera, quæ imperfecta reliquit, ad finem perducere valuiſſet. Sed præclariſſimos ejus labores continui per aliquot annos languores abruperunt, iisdemque tandem mors acerba, quam immoderatis ſtudiis vigiliisque acceleravit, duodecimo Januarii die, A. C. 1696, quinquageſimo nono ætatis ſuæ nondum exacto, finem impoſuit.

Vitam Bernardi excipit, uti jam diximus, Synopſis Veterum Mathematicorum Græcorum, Latinorum & Arabum, quæ Sciagraphia eſt vaſtiſſimi operis, eorum ſcripta, quotquot reperiri potuerunt, XIV voluminibus comprehenſuri. Horum autem Mathematicorum magna pars ex membranis Anglicanis fuit deſumta.

JOHANNIS FORBESII A CORSE OPERA OMNIA.

Amſtelædami, apud Wetſtenios, A. 1703, in fol. Alphab. 19.

SCotia luce Evangelii colluſtrata ſicuti Johannem Knoxum, Robertum Rollocum, Hectorem Boethium, Georgium Buchananum,

nanum, Guilielmum Amesium, Johannem Cameronem, Samuelem Rhetorfortem, virosque doctissimos alios genuit, ita quoque Johannem Forbesium a Corse, Theologum Doctorem & in Academia Aberdoniensi Professorem, doctrina & vitæ sanctitate perillustrem dedit, cujus opera duobus voluminibus comprehensa, prima partim, partim repetita vice nunc publicantur. Et editioni quidem huic elegantissimam præfationem Nicolaus Gürtlerus, in Academica Schola Daventriensi Theologiæ Doctor & Professor præmisit, & Henricus Wetsteinius cum fratribus chartæ nitorem typorumque elegantiam præstitit, Reverendus vero Vir, Georgius Garden (qui post plures annos Aberdoniæ in cura Pastorali exactos, Presbyterianæ factionis invidia se ab officio pulsum profitetur) de eadem modis non unis bene imprimis fuit meritus.

Antea vero, quam operum hic exhibitorum ulteriorem mentionem injiciamus, Autoris primum vita a nobis recensenda est, cujus descriptio Gardeno itidem debetur, qui eadem fidelia plures dealbaturus parietes, & Patricii Forbesii, patris, Episcopi Aberdoniensis, & Guilielmi Forbesii, propinqui, primi Edinburgensis Episcopi a Carolo I electi, (quo de plura diximus in Actis nostris anno superiori 1704, pag. 421 seq.) & Roberti Baronii, & Guilielmi Leslæi, & aliorum celebrium Scotiæ Pastorum, cum quibus Johannes noster multa læta & tristia habuit communia, vitas pariter recensuit, a nobis tamen prolixe haud repetendas, cum circa solum Johannem Forbesium occupatos nos esse, æquum sit. Natus ille est sexto Nonas Maji anno 1593, nobile ac generosum stemma nactus, & postquam humaniores literas didicerat, missus est ad Universitatem Aberdoniensem anno 1607, ubi Philosophiæ operam dedit, ac postea in exteras regiones profectus, in Universitate Heydelbergensi, sub cura D. Paræi, Theologi celeberrimi, Sedani etiam, ac in aliis inclytis Superioris & Inferioris Germaniæ Academiis, Theologiæ studuit, scripta Patrum diligenter evolvit, ac linguæ Hebraicæ operam dedit, ubi pro ingenii felicitate & indefessa diligentia, magnos fecit progressus. In cæteris regionibus ad annum usque 1619 commoratus, hoc ipso in patriam reversus, & sequenti a Synodo diœceseos Aberdoniensis ad publicam Theologiæ professionem vocatus est, quam in studiosæ juventutis com-

 modum

modum, modis ornare omnibus allaboravit. Sed cum in cœpto isthoc studio feliciter procederet, controversiis se parum faustis immixtum vidit, quæ multas ipsi ærumnas & triste tandem exilium provocarunt. Nimirum eo ipso tempore, quo Fœderatum Belgium quinque articulis mirum in modum divexabatur, Jacobus I Magnæ Britanniæ Rex, restituto jam in Scotia anno 1610 Episcopali, quod vocarunt, regimine, pariter quinque placita per Synodum Perthensem anno 1618 sanciri jussit, puta 1. Sacram Cœnam submissis genibus accipiendam: 2. Baptismum, & 3. Sacrum Epulum privatim quoque, necessitate id postulante, administrandum: 4. pueris post Christianam institutionem bene ab Episcopo dicendum, cum impositione manuum: 5. singularia Dei opera, ut ortum Jesu Christi Servatoris e beata Virgine, passionem &c. statis diebus quotannis celebranda esse. Quinque hæc capita Forbesius cum suo probaret confirmaretque calculo, & fœderi nationali, illorum atque Liturgiæ occasione inito, nomen dare constanter renueret, a Synodo Aberdoniensi anno 1640 censura notatus, atque a Classe Edinburgensi, cui patres Aberdonienses sententiæ executionem commiserant, anno proxime secuto Theologica professione exutus est. Quam exauctorationem æquo ille ac miti animo tulit, & cum Presbyterianis amice concorditerque vixit. Verum, ubi anno 1642 novi fœderis inter Scotos Anglosque pacti subscriptio vehementer urgeretur, cum aliis Scotis e patria exire, & in Belgium secedere maluit; unde tamen post pauxillos annos reversus, reliquam vitam in prædio suo a Corse tranquille taciteque exegit, animamque tandem die 29 April. anno 1648 reddidit, in suæ Parochiæ cœmiterio, sine ulla exequiarum pompa vel monumento sepultus.

Hanc *Vitam* Autoris *externam* Gardenus nuncupat, cui mox *interioris brevem ideam* ex plenioribus, quæ huic statim anne-ctuntur, *commentariis, de Johannis Forbesii Exercitiis Spiritualibus*, quæ manu Autoris lingua patria scripta idem habuit, atque in Latinum sermonem transtulit, efformatam subjungit. Habebis hic passim obvias Forbesii precationes, laudationes Divinas, peccatorum confessiones, animi compunctiones, luctationes, & cum Deo frequentissimas collocutiones, unde optimi Viri sanctitas,

ctitas, modestia, candor, tolerantia, fortitudo & constantia, pluresque aliæ virtutes Christianæ perspicue dispelescunt. Hinc *Sermo* sequitur *in Psalm. CX, 1.* post obitum Patris ab Autore habitus, in quo de ingenti invictoque solatio, quod ex Christi ad dextram Patris sessione ubertim & constanter Patricius Forbesius a Corse perceperit, disseritur; itemque Dissertatio *de Visione beatifica*, & denique summa concionis *de Pace* ex Joh. XIV, 27, coram Rege Carolo I bellicos inter tumultus a Guilielmo Forbesio habitæ.

Qui deinde apparent *Theologiæ Moralis* libri decem, nondum hactenus lucem adspexere publicam, quanquam opus illud manu Autoris omnino elaboratum perfectumque fuerit. Exponuntur in eodem præcepta Decalogi, variæque circa Dei legem, & specialia ejusdem præcepta controversiæ dissolvuntur, casusque conscientiæ explicantur. Nobilissimum appellat istud opus, in laudata a nobis jam ante præfatione, Clarissimus Gürtlerus, ejusque idea exhibita, nihil se ad commendationem illius adjicere velle innuit, nisi quod Autor idem minime exscripserit ex monumentis doctorum recentiorum, sed magno labore ex tabulis Scripturæ Sacræ, e dictaminibus rectæ rationis, & libris veterum optimorumque Ecclesiæ Patrum, id construxerit perfeceritque.

Videas deinceps *Irenici*, occasione litium, quibus Ecclesia Scotica discindebatur, Rege Jacobo I quinque Synodi Perthensis placita observari jubente, anno jam tum 1629 vulgati, secundam editionem, in qua voculæ aliquot, paulo immitiores justoque acerbiores reputatæ, corriguntur atque omittuntur.

Claudit tomum priorem liber *de Cura & Residentia Pastorali*, quem Forbesius conscripsit, autoritate motus atque jussu Patris, Episcopi tunc Aberdoniensis, nimis crebram aut justo diuturniorem quorundam Pastorum ab assignatis stationibus absentiam amare deplorantis.

Tomus integer posterior novam exhibet editionem *Institutionum Historico-Theologicarum*, emendatam ad ipsius Autoris castigationes, plurimisque ejusdem additionibus insigniter adauctam, quam eo majori procul dubio cum aviditate perlustrabunt ii, qui discendarum antiquitatum Ecclesiasticarum cupidi,

 Insti-

Institutionum harum editiones, jam ante aliquoties iteratas, non sine voluptate hactenus evolverunt.

SACER DECADUM SEPTENARIUS, MEMORIAM Theologorum nostra ætate Clarissimorum renovatam exhibens. Curante M. HENRICO PIPPINGIO.

Lipsiæ, apud Thomam Fritsch, 1705, 8. Alph. 3. pl. 4.

PErgit se publico ostendere Reverendus Collega noster *Henricus Pippingius*, M. *Henningi Wittenii* doctissimo Opere, quo is præstantissimorum superioris seculi Theologorum memoriam vindicare annisus est, magno studio, nec minori dexteritate continuato. Ac *Wittenius* quidem, postquam diversis temporibus *sex Decades*, & anno 1685 integram *Memoriæ Theologorum Clarissimorum Renovatæ Centuriam* conjunctim edidisset, novam moliri Centuriam sperabatur; imo paratam se prælo jam habere, in præfatione istius Centuriæ professus ipse erat, indicatis etiam Theologorum in eandem constipandorum nominibus. Sed nuspiam illa comparuit, seu quod Auctor ipse mutavit consilium, quod visum fuit verosimile, cum A. 1688 *Diarium* potius *Biographicum*, iterumque A. 1696 ejusdem *tomum secundum* edidisset, Scriptores ejusdem seculi præcipuos, absque nationis, religionis aut professionis discrimine, concise descriptos complexum; seu quod impedimenta quæcunque alia, ac mors denique, quæ Auctori paulo post dictum illum secundum tomum publicatum obtigit, intercessere. A tanto igitur tempore cum repertus nemo esset, qui Wittenianum illud prius institutum, quod magno olim cum applausu exceptum fuerat, persequeretur, vacuam velut provinciam *Pippingius* noster occupavit, jamque Theologorum septuaginta, qui post annum 1682 e vivis excesserunt, restauravit memoriam, laborem hoc modo aggressus, quo & de totidem Viris jam in cœlo triumphantibus, & de viventibus cunctis, quos clarorum virorum, qui Ecclesiæ olim ornamento ac emolumento fuere, fata nosse juvat, præclare mereretur. Methodum eandem plane servavit, quæ antecessori Wittenio visa fuerat commoda, collectis undique magno labore programmatibus funebribus, ora-

orationibus parentalibus, epitaphiis, monumentisque similibus, quæ honori doctorum virorum consecrari solent, & librorum a quoque compositorum accurato catalogo subjuncto; ubi in eo tamen Wittenii industriam haud parum superavit Pippingius, quod sollicite simul annotare sustinuit, quorum librorum uberior recensio, seu in nostris his Eruditorum Actis, seu in aliis Doctorum Ephemeridibus, quacunque lingua aut titulo magno hactenus numero divulgatis, reperiatur. Præmissa elegans est præfatio, qua inter plura alia, ad Historiam Rei Literariæ pertinentia notatuque digna, uti quorundam, qui ad Opus perficiendum rogati fuerant suppetias, morositas non dissimulatur, ita duumvirorum inprimis, quos honoris causa nos quoque nominamus, *D. Georgii Henrici Götzii*, Lubecensium hoc tempore Superintendentis, & *Joannis Alberti Fabricii*, Professoris Hamburgensium, in suppeditandis subsidiis, quo sunt uterque in promovendis bonis literis animo, merito deprædicatur promptitudo. Nobis ex ea plura decerpere nunc non licet, cum contexendus potius adhuc supersit Theologorum ipsorum, quorum Vita enarratur, qualiscunque index, ut qui nosse de iis plura cupiunt, non ignorent, unde ea sibi sint haurienda. Decade ergo prima sistuntur, *Christianus Noldius*, *Sebastianus Niemannus*, *Joannes Olearius*, *Daniel Griebnerus*, *Godofredus Olearius*, *Jacobus Tenzelius*, *Michael Siricius*, *Jo. Andreas Lucius*, *Michael Cobabus*, & *Abraham Calovius*: in secunda *Antonius Reiserus*, *Janus Birckerodius*, *Balthasar Bebelius*, *Josua Arndius*, *Adamus Tribbechovius*, *David Klugius*, *Johannes Saubertus*, *Jo. Andreas Quenstedtius*, *Lucas Fridericus Reinhartus*, *Matthias Wasmuthius*: in tertia *Augustinus Balthasar*, *Johann Christfried Sagittarius*, *Andreas Christophorus Schubartus*, *Matthias Zimmermannus*, *Johannes Dürrius*, *Godofredus Meisnerus*, *Theophilus Spizelius*, *Georgius Greenius*, *Joachimus Hildebrandus*, & *Tilemannus Andreas Rivinus*: in quarta *Michael Waltherus*, *Johannes Lassenius*, *Martinus Beerius*, *Henricus Rixnerus*, *Christianus Scriverius*, *Justus Christophorus Schomerus*, *Jo. Andreas Kunadus*, *Christianus Wagnerus*, *Nathanael Falckius*, *Gerhardus Theodorus Meierus*: in quinta *Paulus Bosius*, *Christianus Kortholtus*,

tus, *Abrahamus Hinckelmannus*, *Johannes Faustius*, *Jo. Guilielmus Baierus*, *Sebastianus Schmidius*, *Heinricus Wideburgius*, *Enoch Zobelius*, *Valentinus Alberti*, *Adamus Osiander:* in sexta *Georgius Mœbius*, *Augustus Pfeifferus*, *Georgius Lehmannus*, *Joannes Benedictus Carpzovius*, *Georgius Götzius*, *Valentinus Velthemius*, *Michaël Christianus Ludovici*, *Jacobus Hieronymus Lochnerus*, *Sebastianus Kirchmaierus*, *Conradus Tiburtius Rango:* in septima denique *Fridericus Ulricus Calixtus*, *Matthias Fridericus Beckius*, *Johannes Breverus*, *Albrecht Christianus Rotthius*, *David Caspari*, *Michaël Müllerus*, *Isaacus Faustius*, *Fridemannus Bechmannus*, *Bernhardus von Sanden*, & *Christophorus Franckius.*

Hi sunt Theologi, quorum memoria sacro hoc nostro Decadum Septenario recolitur. Adjecit vero illi Clarissimus Auctor, mantissæ velut loco, insuper Septenarium celeberrimorum virorum, qui utut professione Theologi haud fuerint, scripta tamen ediderunt, aut transtulerunt, aut inchoata reliquerunt Theologica. Sunt illi *Johannes Brunnemannus*, JCtus, Consil. Elect. Brandenb. Antecessor & Facult. Jurid. Francof. Ordinarius, *Caspar Zieglerus*, JCtus, Consil. Appell. Elect. Sax. & Ordinarius Facult. Jurid. Witteb. *Vitus Ludovicus a Seckendorf*, Eques Imperii, Consiliar. Elect. Sax. & Brandenb. Intimus, & Universitatis Fridericianæ Cancellarius, *Erasmus Francisci*, Polyhistor Noribergensis, *Adrianus Stegerus*, Consul Lipsiensis, *Ahasverus Fritschius*, Consiliarius Intimus & Cancellarius Rudolphopolitanus, & *Georgius Francus de Franckenau*, S. R. I. Eques, Consiliarius justitiæ & Archiater Danicus.

A DISCOURSE OF THE UNITY OF THE CHURCH; OF the Separation of the Dissenters from the Church of England, &c.

i. e.

DISCURSUS DE UNITATE ECCLESIÆ; DE EORUM, QUI Dissentientes audiunt, Separatione ab Ecclesia Anglicana; de Licentia, quam sibi sumunt iidem Ecclesias erigendi contra Ecclesias reli-

religionem legibus stabilitam profitentes, nec non de Ordinatione Ministrorum sive Doctorum, quos illi eligunt. Autore ROBERTO BURSCOUGH, Magistro Artium, Vicario Totnessiæ, & Archidiacono Baarnastapulensi.

Exoniæ apud Samuelem Farley, 1704. 8. Prostat Londini apud Th. Bennet. Constat plag. 14.

DIcavit Reverendus Autor præsens opusculum Viro Reverendissimo Jonathan Trelawny, Præsuli Exoniensi, utque hoc officium in eundem conferret, causam fuisse ostendit ejus in se voluntatem beneficam & vere generosam, tum etiam singularia in Ecclesiam Anglicanam merita, ab externis quoque, & præcipue a Clarissimo Petro Jurieu, passim laudata. Tractationem totam eo animo suscepit, ut responderetur Autori anonymo, qui in libro, cui titulus *Dissenters no Schismaticks*, haud ita pridem divulgato, vindicare voluit a Schismaticorum appellatione eos, qui ab Ecclesia Anglicana dissentiunt. Non autem hæc nova est, & inter hos viros nunc demum agitari cœpta controversia, sed jam ante scriptis aliquot publicis hac de re inter se pugnarunt. Horum si copia nobis facta fuisset, melius nunc possemus summam libri præsentis, qui ad scripta prius edita passim se refert, hoc loco exhibere. Fungemur tamen officio nostro, quoad ejus fieri potest, & tractatus hujus argumentum summatim recensebimus.

In præfatione Adversario suo exprobrat Autor, quod in scripto ultimo, haud secus atque in priori, calumniis ipsum oneravec- p. 1.
rit & convitiis, quæ sint a viro, qui vel minimum habeat humanitatis sensum, nedum ingenuo vel Christiano, maxime aliena. Collectionem Φράσεων quarundam ab eodem adhibitarum subjungit, ut, quam acerbum ille se exhibuerit, manifestius appa- p. 2.
reat. In eo autem præcipue injuria se lacessitum fuisse significat, quod ipsum Antagonista odii implacabilis in Dissentientes, p. 3.
animique non nisi flammam & ferrum in illos spirantis reum postulare non dubitaverit, cum tamen nihil omnino adsit, propter quod in suspicionem voluntatis adeo infestæ trahi queat, multoque potiori jure tota ista criminatio recidat in accusatorem, quem ad exitium ecclesiæ per leges publicas in Anglia stabilitæ propensissimum

p. 8. ſiſſimum eſſe demonſtrat. In ipſa tractatione id potiſſimum Autori eſt propoſitum, tum, ut vindicet ea, quæ in ſcripto quodam antecedenti aſſeruerat de unitate Eccleſiæ, tum, ut inquirat, an non ſchiſmatis rei ſint habendi, qui ab eccleſia Anglicana diſceſſerunt, tum vero etiam, ut evincatur, auctam eſſe horum culpam, dum eccleſias atque miniſtros peculiares ſibi conſtituerint, & paſtores vocatione legitima deſtitutos elegerint.

p. 10. Illorum, quæ in Sectione prima diſputantur, vis omnis eo præcipue redit, ut evincatur, 1. eſſe neceſſarium & permiſſum, ut quædam in ſacris literis non expreſſa determinentur circa cultum divinum; 2. determinationem iſtam fieri debere ab his, qui legitima pollent autoritate; 3. tali determinatione facta, officium eſſe eorum, qui reguntur, ut pareant. Quod ad prius attinet, Deum quidem generalia dediſſe præcepta oſtendit eorum, quæ pertinent ad cultum ipſius externum, non vero ſemper ſpecialia, ſcilicet ratione loci, p. 11. temporis, modi &c. neque tamen fieri poſſe, ut, ſi cujusvis arbitrio hæc relinquantur, ordine ac decenter omnia fiant, vel ulla p. 29. omnino ſit Chriſtianis inter ſe communio. Sic ex. gr. cantum p. 26. Pſalmorum partem eſſe ait liturgiæ atque a Deo præceptum, ſed cum modus canendi non ſit pariter ab eodem præſcriptus, ſine regula humana futurum, ut alii indiſcriminatim omnes, alii ſolum artis canendi peritos, alii certum ac ſelectum horum numerum, alii unum duntaxat eundemque præ cæteris in Muſica excellentem, ad canendum admitti velint; ut quidam omnes non interrupta ſerie, quidam vicibus alternis canere malint; ut alius hunc, alius alium hymnum poſtulet; ut alius hoc, alius alio modo cantum moderetur; ut huic proſa, illi verſus & rhythmi placeant &c. p. 34. Deinde probat, quod ipſi Apoſtoli, & qui eorum tempora proxime attigerunt, Viri maxime pii & ad mortem usque Chriſto fideles, nonnulla introduxerint, vel jam olim introducta continuari permiſerint, quæ in ſe erant indifferentia, nec a Deo ſpeciatim mandata. Eo pertinere dicit decretum Hieroſolymitanum de omittendo eſu ſanguinis & ſuffocati, ejusque quod ſimulacris fuerat p. 40. immolatum, Act. XV, 28. 29. Diei Dominicæ ſurrogationem in lo- p. 43. cum Sabbathi. Unctionem infirmorum, injunctam in epiſtola Ja- p. 44. cobi cap. V, 14. Baptiſmi celebrationem ejuſmodi ritibus factam,

ut

ut Salvatoris nostri exequias quasi referret, quo respicere ait Paulum Eph. IV, 22. Coloss. III, 9. Galat. III, 7. Oblationes, a primis p. 45.
Christianis, cum publice convenirent, fieri solitas, item ἀγάπας,
quarum extet mentio 1. Cor. XI, 21. 22. 23. Elevationem atque la- p. 47.
vationem manuum tunc adhiberi consuetam, cum quis preces fun-
dere volebat; conf. 1. Tim. II, 8. Lavationem pedum, de qua p. 50.
Christi quoque præceptum adsit Joh. XIII, 14. Quemadmodum
& de excussione pulveris, tanquam indignationis Divinæ signo
contra eos adhibendo, qui Doctores Divinos non receperint, Marc.
VI, 11. Act. XIII, 51. Institutionem Diaconissarum, de qua Rom. p. 51.
XVI, 1. Salutationem cum osculo charitatis, de qua Rom. XVI, 16. p. 52.
Manuum impositionem 1 Tim. V, 22. Hebr. VI, 2. Act. VIII, 15. 17. p. 55.
Capilli resectionem viris injunctam 1 Cor. XI, 14, item ut hi ca- p. 56.
pite nudato, fœminæ contra operto precari jubeantur, 1 Cor. XVI,
5. 7. Ex quibus omnibus multa eodem jure, quo recepta fue-
runt, iterum abrogata fuisse ostendit. Ritus tamen Apostolicos & p. 55.
in omnibus ecclesiis universaliter usitari cœptos, quoties rationes
eædem, quæ olim ut introducerentur effecerunt, nunc quoque continuationem illorum suadent, neutiquam esse abolendos monet, idque ad ea, quæ primis Christianis de die Dominica, de impositione
manuum in ministrorum ecclesiæ ordinationibus adhibenda, item de p. 43.
confirmatione post susceptum baptismum placuerunt, specialiter p. 55.
applicat. Tertio, quam sit necessarium ad cultum Divinum recte peragendum, ut præter ea, quæ præcepta sunt a Deo, unum alterumve, quod ad ritus pertinet, determinetur, ipsos adversarios haud semel agnovisse ostendit, idque præcipue tempore illorum
tumultuum, quos funesta Caroli I cædes tam celebres reddidit. p. 33.

In tractatione alterius theseos ita versatur, ut primo evidens
esse dicat, quod non nisi superiores normam præscribere possint, ad p. 31. 35. 64.
quam inferiores regantur; deinde vero, quinam hic pro superioribus legitimis haberi debeant, exponat. Nimirum singulis Apo-
stolis a Christo concessam asserit potestatem, ut de rebus arbitra- p. 25. 54.
riis ad religionis exercitium pertinentibus statuant; eandem pote-
statem, haud secus ac docendi munus & sacramentorum admini- p. 68.
strationem, transmisisse illos in successores & eos, qui in horum locum ordinatione legitima accedente successerunt, horumque au-

p. 23. toritatem multum augeri, si quoque Principis & Magistratus po-
litici consensus atque auxilium concurrat. Ita autem judicat de
potestate ista superioribus competente, ut nec restringi eam velit
p. 61. ad introductionem ceremoniarum naturalium, prout Adversarius
eas appellat, h. e. talium, quas ipsa quasi natura introduci postu-
p. 17. 75. lat, nec tamen etiam extendi ad impositionem quarumvis rerum
sua natura indifferentium; quandoquidem ad hoc, ut aliquis ritus
injungatur, insuper necessarium esse dicit, tum ut ille sit consen-
taneus regulis generalibus Sacræ Scripturæ, rerumque sacrarum di-
gnitati congruens, tum ut significatum aliquem habeat, & sit quasi
p. 62. symbolum ejus rei, cujus intuitu introducitur: quemadmodum
ex. gr. nudare caput olim fuerit signum autoritatis in viris, con-
tra velo caput operire signum verecundiæ in sexu sequiore. Un-
p. 52. 63. de porro concludit, quod, cum significatio ceremoniarum sæpe
variet, pro diversitate temporum atque locorum, æquum sit, in-
terdum & necessarium, ut, quod olim fuit receptum, hodie mu-
p. 64. tetur, & quod hoc in loco conveniens est, id alibi rejiciatur,
quodque adeo non possit regula dari ritus præscribens, qui semper
& ubivis sint observandi.

Tertiam thesin, ex variis Scripturæ locis, ex. gr. Hebr.
p. 22. XIII, 7. 17. 1 Thess. V, 12. 13. probatam, ita explicat, ut res, quæ sua
natura erant indifferentes, post præceptum superioris fieri neces-
p. 74. sarias commonstret, atque illarum observationem doceat se habere
p. 74. 29. instar conditionis, sine qua nequeat esse communio cum eccle-
sia, in qua quis degit. Ne vero, dum fideles ad obsequium tale
obstringit, eripere illis videatur libertatem, in qua secundum A-
p. 35. postoli præceptum Gal. V, 1. stare debent, concedit ipsis faculta-
p. 79. tem inquirendi, an talis sit lex superioris, ut salvo erga Deum of-
ficio eidem satisfieri queat. Sequentes tamen regulas, ut cautio-
p. 80. nis loco hic observent, inferioribus commendat; 1. ut nil conde-
mnent, quod non ex S. Scriptura probare possint, vel directo
vel per necessariam sequelam, pugnare cum præcepto aliquo Divi-
no; 2. ut perpendant, posse a superioribus peccari, dum certas
ceremonias præscribunt, ex. gr. si minus utiles magis utilibus præ-
ponant, nec tamen propterea minorem adesse necessitatem pa-
rendi, postquam res ejusmodi fuerunt injunctæ; in cujus asserti
fidem

fidem locum Baxteri, qui & ipse Presbyterianus, allegat; 3. ut non existiment, ignorantiam suam vel errorem excusare posse neglectum debiti obsequii; in qua sententia se Baxterum eundem habere consentientem indicat; 4. ut maxima solicitudine id agant, ne prius obedire recusent, quam de re, de qua dubitant, plenissime fuerint instructi; 5. ut consultent eos ministros, qui sunt autoritate publica stabiliti, atque ab his præcipue scrupulos, quos habent, evelli sibi patiantur. p. 81. p. 82. p. 83.

In Secunda Sectione quædam præmittit Autor ab Adversario sibi concessa, 1. Schisma esse discessionem illegitimam ab ecclesiastica communione; 2. eam discessionem pro illegitima habendam, quæ sine peccato potuisset evitari; 3. inter Ecclesiam Anglicam, & eos, qui Dissentientes dicuntur, talem discessionem contigisse. Mox quæstionem, quæ sola veniat in controversiam, nimirum, utrum in his, an vero in illa, discessionis culpa resideat, subjungit. Deinde, quod non Ecclesia Anglicana, sed Dissentientes Schismatis rei sint, variis argumentis, quorum partem jam ἐν παρόδῳ in Sectione prima attigerat, confirmat. Illud vero speciatim urget, quod nec iniqua sint, quæ Anglicana Ecclesia introduxit, nec adeo gravia, ut ulli justam conquerendi causam parere potuerint, atque ibi præcipue ritum in genua procumbendi, cum ad sacram Cœnam acceditur, contra Adversarium suum vindicat, qui eundem rejiciendum existimaverat, tanquam non congruentem gestui, quo usus sit Salvator in prima hujus sacramenti institutione, ac nimis prope accedentem ad cultum idololatricum Pontificiorum. Adhuc magis copiosus est in eo ostendendo, quod non constet sibi Adversarius, dum Ecclesiam Anglicanam Babyloni comparet, unde quemvis, cui sit cordi salus animæ suæ, egredi oporteat, atque ritus ejus tanquam execrabiles & abominandos in oculis Dei depingat, nec tamen defendere dubitet, posse Dissentientes, imo oportere illos communicare cum dicta Ecclesia, si per id habiles se reddere queant ad officium aliquod publicum. Aut enim falsa esse debere contendit, quæ contra memoratam Ecclesiam protulerat, aut omnino abstinendum esse ipsi atque asseclis a communione cum eadem; simul deducens, quod his, qui duntaxat p. 84. p. 31. p. 116. seq. p. 98. 105. p. 95. p. 100. seqv. p. 128.

lucri spe oblata & ad exiguum tempus se conformes reddunt Ecclesiæ, quam alio tempore condemnant, neque prosit exemplum
p. 129. Davidis & sociorum, de quo 1 Sam. XXI, 6, item Matth. XII, 3. 4,
p. 133. neque incolarum Samariæ 2. Reg. VI, 25, neque Pauli Apostoli Act.
p. 134. XVI, 3. Act. XVIII, 18. Act. XXI, 24, neque etiam id, quod de na-
p. 139. tura rerum indifferentium, quasi eligendæ simpliciter sint, si boni alicujus præponderantis eventus inde pendeat, idem Antagonista differuerat.
p. 85. Passim quoque monet, agnoscere Presbyterianos reliquos Dissentientes pro Schismaticis, nihil tamen his ob-
p. 93. jici posse, quod non idem contra illos adhiberi queat, & causam in eo adhuc esse deteriorem, quod reliquis viam quasi sese ab Ec-
p. 142. clesia separandi monstraverint. Tandem regulas quasdam examinat, quibus justitiam ejusmodi separationis probari posse, Dissentientes sibi persuadeant, quarum prima est: nihil esse faciendum dubia conscientia; altera, cum rerum, quæ licitæ sunt, aliæ sint aliis meliores, semper esse præferendas, quæ maxime expediunt; tertia, in usu rerum indifferentium illud maximopere curandum, ne simus aliis offensioni. Quarum primam statuit vim suam perdere, si adsit non solum res in se licita, sed & superioris de ea præceptum; quandoquidem in tali casu, si dubitationes ab obsequii vinculo liberare aliquem possent, nihil foret, quod efficaciter obstringeret Pyrrhonianum aliquem ac de omni-
p. 143. bus dubitare valentem. Ad alteram respondet, quod, quæ cuivis maxime expedire videntur, non statim re ipsa expediant; deinde, quod eligere tantum sit eorum, qui suo relinquuntur ar-
p. 145. bitrio, non etiam eorum, qui ab aliis reguntur. Ad tertiam illud monet, quod si scrupulis omnium esset gratificandum, necessum foret, ut orbis universus leges accipiat ab hominibus maxime stultis, ignorantibus, protervis, suisque affectibus obtemperantibus, ut ruat omne debitum erga superiores, atque in erroribus magis confirmentur, quos corrigi ac in meliorem viam reduci charitas exigat. Denique testem pro se iterum producit Baxterum, & quam absonum sibi videatur, eo obtentu, ne aliis præbeatur offensio, Schisma excitare, quod sit offensionum omnium longe pessima ac perniciosissima, exponit.

p. 150. Argumenti, cujus tractationem tertiæ Sectioni reservavit, duas

duas partes facit. Prima quidem multum accessisse asserit ad culpam eorum, qui ab Ecclesia per leges Regni in Anglia stabilitas desciverint, quod in cœtum aliquem peculiarem coierint, templa resque suas sacras separatim sibi habere cœperint, sacrorum quoque ministros a suo tantum arbitrio pendentes constituerint, verboque idem illud fecerint, quod veteres dixerint erectionem altaris contra altare; in quo nec eandem fuisse causam Ecclesiæ Anglicanæ statuit, cum illa se abstraheret ab Ecclesia p. 151.
Romana, neque verum esse, quod prætexant adversarii de quadam necessitate, qua ad susceptam a se discessionem fuerint com- p. 152.
pulsi. Deinde id probandum sibi sumit, quod ministri, quos sacris suis adversarii præficiant, vocatione atque autoritate legiti- p. 157.
ma destituantur, tam illi, qui præstito jurejurando, quod postea violent, ordinationem accipiant ab Episcopis, quam hi, qui ordinentur a Presbyteris simpliciter ita dictis. Hos enim ordinandi p. 160.
potestatem nec a Christo accepisse contendit, nec per decem secula priora post orbem redemptum eandem sibi vindicasse. Pa- p. 173.
tres quoque ecclesiæ, qui plurimum Presbyteris faveant, & plu- p. 182.
rima illis largiantur (in quibus nominatim Hieronymum allegat atque Chrysostomum) semper ordinationem diserte retulisse ait p. 183.
inter res ad eosdem non pertinentes. Ceterum dum amoliri studuit Adversarius suspicionem, quod consilia Presbyterianorum tendant ad exitium Ecclesiæ, quam publicæ leges in Anglia con- p. 161.
firmarunt, Noster quod non adeo fallantur opinione, qui secus hac in re de Presbyterianis existiment, hac eadem sectione demonstrare operam dedit. In fine libri denuo exprobrat Antagonistæ convitia, quæ in ipsum innocentem conjecerit, & quam p. 185.
falso, quam inconsiderate, quam denique contra propria & asseclarum commoda ille scripserit, paucis ostendere allaborat. Consilium addit, atque id præsertim debere Adversarium curare monet, p. 194.
ne, cum apertius tenuerit viam, quam cautius incesserit Autor libelli, *Short Work with the Dissenters*, eadem fata sentiat, quæ ille (propterea numellis publice expositus) sit expertus.

NOVA LITERARIA.

In Hollandia impressio Operum Erasmi strenue procedit, cui novæ editioni ingens ornamentum accedet, cum Bibliopola solertissimus, Petrus van der Aa, ultra quadringentas Erasmi epistolas ex illu-

stri-

stibus bibliothecis nactus fuerit, nunquam typis excusas: ut tomus etiam tertius, qui epistolis erat destinatus, in duo volumina fuerit dividendus.

In Moscovia uti supremus ipse Monarcha *Petrus Alexiovitius* Architecturæ Militari, Navalique & Mechanicis Artibus aliis, inusitato studio incumbit: ita bonarum quoque literarum & liberalium artiũ quarumcunque cultus magis magisque vigere incipit. In ipsa urbe principe Vir Reverendus, *Ernestus Glück*, Præpositus Livoniensis, qui post Narvam a Russis expugnatam captivus Moscuam abductus est, sed gratia nunc apud Potentissimũ Czarem floret, Scholam Illustrem (ut ex ejusdem epistola ad Amicum nostrum & Fautorem æstumatissimũ, *Henricum ab Huyssen*, S. Czareæ Majestatis Consiliarium in re militari, Serenissimi vero Principis Hæredis *Alexii Petrovicii* studiorum Rectorem, non ita pridem accepimus) instituit, instruxitq; typographiam edendis omnis generis libris, qui studiosæ juventuti commendari cum fructu solent. Dolet vero vehementer Vir optimus, quod Rutheni nondum fruantur accurata satis SS. Bibliorum versione Slavonica, cum ea, qua hactenus utuntur, vitio seculi, quo a *Methodio Illyrico* confecta est, magna obscuritate laboret, ut vix periodum integram laicus Ruthenus ad amussim possit intelligere. Cui malo quidem nonnullum adhibitum est remedium, cum Moscuæ nuper admodum hoc ipso anno 1705, a *Theodoro Polycarpo*, S. Czareæ Majestatis Architypographo, *Dictionarium Trilingue*, h. e. *Dictionum Slavonicarum, Græcarum & Latinarum Thesaurus, juxta Slavonicum Alphabetum in ordinem dispositus*, in 4. fuerit editus, ut vocibus obscurioribus in versione illa Slavonica obviis lux jam aliqua sit accensa. Sed illud remedium nondum sufficere Glückius noster existimat, cum haud pauca in versionem irrepserint menda alia, & cum ipsa analogia fidei pugnantia; ut jam a longo tempore publico S. Czareæ Majestatis mandato interdictum sit, ne a quoquam imprimeretur denuo, ac in lucem emitteretur. Itaque novam plane versionem adornari, optandam fuerit, neq; ad rem eam quisquam ipso Glückio magis futurus est idoneus, qui talem jam olim ex fontibus perfecerat, sed in direptione hostili Bibliothecæ ipsius universæ, cũ Narva prædæ militum furibundorũ pateret, amissam, & jam nunc versionem Novi Testamenti Græci iterum se aggressum, in epistola supra memorata profitetur. Quod si licet ergo, calcar & nos diligentissimo Viro addimus, ut cœptum opus perficiat, ac de gentis Russicæ salute præclare mereatur, in Divini Numinis gloriam, Christianæque religionis insigne augmentum.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Junii, Anno MDCCV.

D. ÆGIDII HUNNII THESAURUS APOSTOLIcus, complectens Commentarios in omnes N. T. Epistolas & Apocalypsin Johannis. Nunc primum hac forma editus, & novis, quæ antea deficiebant, Commentationibus auctus & locupletatus a JO. HENRICO FEUSTKINGIO, Doctore, Theologo, Ecclesiæ Collegiatæ Kembergensis Præposito & totius Diœceseos Superintendente.

Wittebergæ apud Joh. Wilh. Meyerum & Godofr. Zimmermannum, 1705 in fol. Constat 14 Alphab. & 13 plagulis.

CUm insignis ac de Ecclesia Christi immortaliter meriti Theologi, B. Ægidii Hunnii, edecumatæ in Epistolas N. T. Commentationes a multis avide, sed ob exemplarium inopiam, frustra hactenus quæsitæ fuerint, de orbe Christiano præclare admodum meritus est Vir Celeberrimus D. J. H. Feustkingius, dum easdem non modo in publicum rursus prodire jussit, sed egregio quoque augmento locupletare voluit. Quandoquidem enim laudatus Hunnius in Epistolas Pauli ad Romanos, Corinthios, Galatas, Ephesios, Philippenses, Colossenses, Thessalonicenses, primam ad Timotheum, Titum, Hebræos ac primam Johannis, solum accuratas lucubrationes reliquit, reliquas autem N. T. Epistolas, ob mortem repentinam, pari studio ac labore enucleare haut potuit, Maxime Reverendus Autor, ut defectum illum suppleret, in Jacobi & utramque Petri Epistolam, nec non Johannis Apocalypsin, breves quidem, sed solidas & per-

 spi-

ſpicuas Johannis Winckelmanni, diſcipuli Hunniani, ejusdemque in Academia Marpurgenſi ſucceſſoris, Commentationes ſupplementi loco adjecit: ſecundam ad Timotheum, ſecundam & tertiam Johannis & Judæ Thaddæi Epiſtolas ſua interpretatione ipſemet illuſtravit, ac præmiſſis prolegomenis, cujuslibet capitis argumentum & diſpoſitionem, analyſin ſeu ſenſum, atque locos communes, laudatorum Duum-Virorum methodum ſecutus, curate nobis tradidit. Neque ſilentio prætermittendum, Venerabilem Apoſtolici hujus Theſauri Editorem B. Hunnii Commentarios ad Helvici Garthii, qui illius gener fuit, exemplar, quod Divino quodam fato ex bibliotheca Pauli Röberi ipſi obtigit, in multis locis emendaſſe, correxiſſe, per verſus & minores quosdam paragraphos diſtinxiſſe, atque in elegantiorem formam hunc cumulatiſſimum Theſaurum redegiſſe, ac ſub finem operis luculentum rerum & verborum indicem addidiſſe. Tandem benevolum Lectorem celare nolumus, Doctiſſimum Virum intra ſemeſtre ſpatium Theſaurum Evangelicum, in quo Hunnii in Matthæum & Johannem, Winckelmanni in Marcum & Lucam, atque Arcularii in Actus Apoſtolorum Commentarii exhibebuntur, cum orbe erudito communicaturum eſſe, illudque opus jam ſub prelo ſudare.

PROCESSUS OFFICII FISCALIS CURIÆ ECCLES. Mechlinienſis contra Domnum GABRIELEM GERBERON, Ordinis S. Bened. Congregat. S. Mauri Presbyterum.

Bruxellis, typis viduæ Petri van de Velde, 1705. 4.
Conſtat plag. 15.

GAbrielis Gerberonii nomen, alioqui inter literatos ob edita Marii Mercatoris Acta non incelebre, poſtquam diu delituiſſet, multo cum apparatu in lucem jam prodit. Ille A. 1682, ob ſuſpicionem Janſeniſmi, ex patria, Gallia, aufugerat, latibula tum apud Belgas Fœderatos, tum maxime apud Brabantos, ſub Antonii Kergré appellatione quærens. Cum vero Janſenianæ, quæ dicitur, factioni & libellis conſcribendis & conſilio diu inſerviiſſet, tandem Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Mechlinienſis, Humberti Gui-

Guilielmi a Precipiano, jussu die Mercurii post ferias Pentecostales anni 1703, Bruxellis captus & in Galliam transvectus est. Cum vero Archiepiscopus passim non servatæ in hac causa juris viæ argueretur, ejusdem imperio Fiscalis Advocatus Curiæ Ecclesiasticæ Mechliniensis, J. A. Vaes, præcipua Processus Juridici contra Clar. Gerberonium instituti monumenta edidit, præmissa ipsius Archi-Episcopi præfatione.

Enarrata igitur facti historia, libellus, quem vocant, conventionalis exhibetur, quo Gerberonius de editis, suppresso vel ficto nomine, variis Jansenianam doctrinam foventibus & promoventibus, inque Ecclesiasticum Magistratum, cumprimis Archiepiscopum Mechliniensem & Gandavensem Episcopum, injuriis scriptis, de defensis quinque notissimis Jansenii propositionibus, explosis & jlocaliter tractatis Romanorum Pontificum decretis, de curata nova operum Mich. Baji editione, de commercio cum Jansenianis Hollandicis habito, & turbata universim Mechliniensi diœcesi accusatur. Accedit intentatorum horum criminum probatio ex schedulis Gerberonii manuscriptis, literisque variis ad illum missis, quæ in supellectili ejus libraria, cum captivus abduceretur, inventæ dicuntur. Sequitur libellus, quem vocant, additionalis, peculiarem deductionem istarum accusationum, maxime primæ, complectens, similibusque probationibus munitus. Hunc excipit alter libellus additionalis ejusdem argumenti, secretum Gerberonii cum Paschasio Quesnellio commercium inprimis prodens, & probationibus geminis firmatus. Singulis libellis e regione accusationum appositæ sunt Gerberonii responsiones, quibus se maximam partem reum confitetur. Claudit opusculum Archiepiscopi Judicatum, Gerberonium, velut Jansenianum, ut ad Abbatiam suam in Gallias, ibidem corrigendus, deducatur, condemnans.

Amantibus literariæ rei cumprimis volupe erit, videre hic detectum auctorem plurimorum a triginta circiter annis, suppresso vel ficto nomine, editorum librorum, e quorum ingenti numero quosdam hic enotabimus. Tribuuntur enim Gerberonio e propria ipsius confessione

Lettre à Mr. Abelli, h. e. Epistola ad Abellium, Rhodiensem Episcopum, contra ejus librum de Excellentia B. Virginis, A. 1674 edita.

La Fable du tems, jocosus in Archiepiscopum Rothomagiensem & Episcopum Sagiensem libellus.

Memorial Historique &c. i. e. Historica Recensio eorum, quæ ab A. 1647 usque 1653 circa quinque propositiones acta sunt, edita A. 1676.

Miroir de la Pieté, i. e. Speculum Pietatis, doctrinam de Prædestinatione cum consectariis ejus considerans, editum A. 1677 sub nomine Flori de S. Fide; qui liber ab Archiepiscopo Rhemensi & Aquensi damnatus, a Gerberonio vero litteris quibusdam defensus est.

Catechisme du Jubilé & des Indulgences, i. e. Catechetica Institutio de Jubilæo anno & Indulgentiis.

La Verité Catholique victorieuse, i. e. Veritatis Catholicæ Victoria contra Triumphum Corn. Hazart, Jesuitæ, edita A. 1684.

Deux lettres &c. i. e. duæ Epistolæ adversus Hazarti Defensionem, sub nomine *Ignatii du Chesne* scriptæ.

L'Eglise de France affligée, i. e. Ecclesiæ Gallicæ Afflictio, quam oppressis Jansenianis tulit, edita A. 1688 sub nomine *Poitevin*.

Abregé de la Doctrine &c. i. e. Compendium doctrinæ de Prædestinatione & Gratia.

Korte ende nodige Onderwysinge &c. i. e. brevis Catholicorum Belgarum Institutio de lectione Scripturæ, qua libellus Episcopi Castoriensis eandem laicis concedens defenditur, edita A. 1690. Quæ cum ab Archiepiscopo Mechliniensi & Episcopo Gandavensi damnaretur publicis decretis, jussuque Consilii Regii Geldrensis Ruremondæ combureretur, Gerberonius schedis quibusdam defendit id scriptum, & Præsules graviter accusavit.

Entretien d'un Abbé & d'un Jesuite &c. Colloquium inter Abbatem & Jesuitam Flandricum de subscriptione formulæ Anti-Jansenianæ, editum A. 1692, quod posthæc duo alia colloquia ejus argumenti exceperunt.

Quæstio Juris, an lectio Scripturæ S. Caroli V edictis populo prohibita sit? edita A. 1691.

Critique des Prejuges de Mr. Jurieu, i. e. Examen Præjudiciorum Jurii, sub nomine *Abbatis Richardi*; quem librum in his Actis A. 1690 p. 565, 608 recensitum invenies.

Qua-

Quæstio Juris Pontificii circa Decretum ab Inquisitione Romana adversus XXXI Propositiones latum, edita A. 1693.

Adumbrata Ecclesiæ Romanæ Catholicæque veritatis de Gratia, adversus Melch. Leydeckeri Historiam Jansenismi, Defensio, A. 1696 sub *Ignatii Eyckenboom* nomine evulgata, & Romæ damnata.

Disquisitiones duæ de gratuita Prædestinatione, & Gratia se ipsa efficaci, A. 1697 sub nomine *Mart. du Chesne* publicatæ, & Romæ condemnatæ.

Traitez Historiques sur la Grace, nihil sunt aliud, quam præcedens libellus novo titulo instructus, & sub *Abbatis de S. Juliano* nomine editus.

Norisius aut Jansenianus, aut non Augustinianus. Rothomagi, 1699. Liber, quem Gerberonius a se compositum fatetur, editum a se negat.

La Veritable Lettre de M. l'Abbé le Bossu sur le livre du Cardinal Sfondrati, intitulé: Nodus Prædestinationis. Parisiis, 1698. Quem librum se composuisse non solum fatetur Gerberonius, sed & addit, in dicto Nodo contineri quædam dogmata plusquam Pelagiana.

Histoire Generale du Jansenisme, i. e. Jansenismi Historia generalis, A. 1700 Gallice edita, & in his Actis A. 1701, pag. 289 recensita.

Discordiæ Jansenianæ Enarrator.

Estrenes, &c. i. e. Strenæ ad Inquisitores, quibus Romana Inquisitio perstringitur, editæ A. 1700.

Le Chrêtien desabusé sur le sujet de la Grace, i. e. Doctrina de Gratia Christianis rectius explicata, edita A. 1701.

La Confiance Chrêtienne, i. e. Fiducia Christiana quatuor immobilibus innitens fundamentis, edita A. 1701, atque a Theologis Lovaniensibus & Duacenis damnata.

Mart. Steyarti Morbus & Remedia.

La nouvelle Logique du Sr. Bois-verd, ed. A. 1702.

Anselmus per se docens.

Deprehenduntur hic etiam passim libri a Gerberonio conscripti, sed in MStis adhuc latentes, quales sunt *Dialogus inter S. Anselmum & Bosonem ejus discipulum, Occasus Jansenismi*, &c.

Præterea ex ipsius Gerberonii confessione probatur, eundem Specimina Theologiæ Moralis tutissimæ, quæ Ægidius Gabrielis Latine edidit, quæque Romæ damnata sunt, Gallice scripsisse, vel, ut suspicamur, transtulisse, p. 10; novam Michaëlis Baji Operum editionem, quæ A. 1696 prodiit, ab ipso præcipue esse curatam, p. 26. 51. Idem confessus dicitur pag. 65, quod Jansenii aliorumque ad Abbatem San-Cyranum literas, adscito Franc. du Vivier nomine, ediderit.

FRANCISCI DE VARGAS, PETRI DE MALVENDA, Veterumque quorundam Hispaniæ Episcoporum, de Concilio Tridentino Epistolæ & Observationes Latinitate donatæ.

Brunsuigæ, impensis Christ. Frid. Fikkelii, A. 1704. 4. Alph. 2. pl. 18.

Historiæ Concilii Tridentini illustrandæ, & maxime iis fere omnibus, quæ Petrus Suavis, vel potius Paulus Sarpius, de hocce Concilio jam pridem literis prodidit, confirmandis has Hispaniæ quorundam Episcoporum Epistolas inservire, tum jam a nobis indicatum fuit pluribus, cum Gallicam eorundem versionem, a Michaele Vassorio adornatam, *A. 1699 Mens. Jun. p. 261* in Actis his recenseremus. Nam quæ Hispanica lingua (præter aliquot solum Gallorum quorundam responsorias) ab Episcopis Hispanis manuscriptæ, in *Trumbullii*, Equitis Angliæ Illustrissimi, Bibliothecam privatam pervenerant, Epistolæ, illæ primum a *Michaële Geddesio* in linguam Anglicanam traductæ, cura Celeberrimi *Stillingfleeti* Londini A. 1697 in 8 juris publici factæ sunt. Postea *Michaël* le *Vassor*, Vir non minus celebris, easdem in Gallicam linguam translatas, nec non adnotationibus præterea doctissimis passim illustratas, Amstelodami A. 1699 in 8 luci publicæ exposuit. Et jam etiam, una cum Vassorii notis, a *Jona Conrado Schrammio*, Viro Clarissimo, Latinitate donatæ, in Germania nostra prodierunt, non exiguo orbis literarii emolumento. Equidem *Patres Trevoltienses*, e Societate Jesu, Vassorio, cum Gallica jam lingua ab eo ederentur, valde indignati, inter acerbas satis suas ad has

has literas animadversiones, quas recensionis suetæ loco Actis vel Commentariis suis Historiæ Scientiarum adornandæ inservituris, mense Februario anni 1703 inseruerunt, fidem ipsis ob duas præcipue causas dubiam reddere sunt annisi. Primo, observatum non fuisse, quomodo in hæc monumenta inciderit, vel qui servavit illa, vel qui reperit. Deinde etiam nondum satis esse demonstratum, num genuina illa sint, & ab iis revera provenerint, quibus tribuuntur? num vero, quod facile credendum sit, quidam Protestantium ea conceperit, posteris ita illusurus? At quæ ad hæc prævisa facile Pontificiorum tela, e Vassorio jam in recensione editionis Gallicæ a nobis fuerunt præmonita, ea nunc fortius sub finem præfationis suæ, Latinæ versioni præmissæ, Schrammius noster adversus Trevoltienses urget, & uberiori aliquantum confutatione tuetur. Ceterum in ipsa præfatione non ineruditam de turbis, tum Ecclesiasticis, tum Civilibus, propter Concilium Tridentinum, inter ipsos hinc inde Pontificios exortis, commentationem instituit, & quomodo cordatiores Pontificii, tum in Italia, tum in Hispania, tum in Gallia, tum in Polonia, tum apud Venetos, tum etiam in Imperio Germanico, cum summis quandoque Principibus, vel publicum, vel privatum suum a Concilii Tridentini decretis dissensum, a prima statim ejus convocatione ad nostra usque tempora, subinde declaraverint, solertissime commemorat, alia denique adhuc monumenta, Historiam Concilii egregie illustrantia, & nondum antehac visa, orbi literario pollicitus.

HERMANNI von der Hardt *AD CL. V. PAULUM MARTINUM NOLTENIUM, in Historiam Mosis Genes. II, 18. 19. 20. de vocatis ab Adamo animalibus, Epistola.*

Helmstadii, A. 1705 in 8. plag. 2 ed. sec.

QUod dudum optant Viri præstantes, ut hujus Epistolæ Illustris Autor, alias ab Actis Constantiensis Concilii, aliisque monumentis nobis merito laudatus, suas *Annotationes in universum V. T.* quas domi servat, cum erudito orbe communicet, id illi nondum possunt impetrare. Nec tamen usque adeo invidet

det Reipublicæ literatorum, ut non interdum e scriniis suis promat, quo Lectores philologos & cupidos doctarum lucubrationum recreet. Expectant illi avide, & jam fere pollicentur sibi *Historiam Abrahami, Isaaci, Jacobi, Commentarium* item *in Hoseam*, ab eodem Autore, intereaque dum illorum & plurium potiantur, & hanc Epistolam cupide arripiunt ac legunt. In qua primum proponit quæstionem, Epistolæ nempe totius argumentum: *Num Adamus, omnibus brutis, volatilibus & terrestribus, nomina imposuerit, natura cujuslibet congrua*; & num vestigia illius facti apud Mosen deprehendantur genuina? Nec vero dissimulat, *Judæorum vulgus* id quidem velle, Adamoque ut istam laudem concilient, historiam Gen. II, 19, 20 descriptam proferre. Verum his ita respondet, ut ignorantiam scriptorum Mosis ipsis objiciat, qui Mosen frustra crepent & ostentent, quem in suæ gentis laudem vel invitum semper pertrahant. Idque agere etiam h. l. *plerosque Rabbinorum*, ut ex Adami hac nominatione dein asserant *linguæ Judaicæ* cum *antiquitatem* ac *dignitatem*, tum pondus ac vim significandi inexplicabilem. Hanc opinionem, cum aliis multis, fuisse ad Christianos ita propagatam, ut viri eruditissimi, *Buxtorfius* & *Bochartus*, ne vix quidem evitare fucum Judæorum potuerint. Quibus id opponit, quomodo brutis imposita ab Adamo nomina significantiora putent ipsius nomine *Adami*, quod Deus indiderit, & hominem, humo natum, tantum indicet, naturam hominis non attingat. Quod si quis, contra ac Moses, a pulchritudine dictum Adamum velit, neque hac quidem ratione naturam hominis esse expressam; quod invenustum foret, in colore & venustate essentiam hominis, nisi forte venustissimi & mollissimi sexus, collocare.

Deinde ad locum Mosis, ad quem provocari solet, progressus, docet primo, Geneseos capite II, 4, *Adami historiam* reconditam pertexturum divinum Scriptorem, genuinam Adami sedem notasse, qui ex illa regione, in qua conditus fuerat, transire jussus sit in vicinum Orientalem tractum, fœcundissimam *terram*, quam *coleret* & *conservaret*, omni, præter unum aliquod genus, victu indulto. Atque hoc primum hujus historiæ momentum. Ad alterum v. 18 digredi Mosen, emendandis Israëlita-

litarum moribus intentum, *Adami* scilicet *conjugium*: eique *oraculum Divinum* præmittere, ut *in omni vita genere ad Divinam invitaret providentiam*, & *societatis conjugalis sanctum principium* suos doceret. Adamo, inquit Moses v. 18, in regione fertilissima sic collocato, eaque colenda ac conservanda occupato, Divina providentia edixit, & pro rei necessitate ipsiusque desiderio definivit: *non esse bonum aut congruum, Adamum*, pro tanta rerum conficiendarum ac conservandarum cura, *existere solum*; sine auxilio & adjumento, tantis laboribus fore imparem. Atque hoc quidem principium conjugii, *laboris* nempe *consortium*, ideo sollicite exposuisse Mosen, ut Israëlitas meliora edoceret, qui ab Ægyptiis male didicerant, voluptatis tantum causa uxores quærere, habere, dimittere.

Succedere apud Mosen luculentum in priora verba commentarium: *faciam illi auxilium, quod illi sit præsto.* Divinum nempe de auxilio parando decretum. *Auxilium* vocari a Deo, *dulcissimam curarum & familiaris rei sociam*, cum delicata determinatione, tale auxilium, *quod* blando vinculo retineatur, ne abeat, sed *semper viro sit præsto*, in rei conservandæ cura.

Præterea Mosen, qui alias Cananæorum affinitates dissuadeat, modo illo, quo Adamum scribat sociam quæsitam non invenisse, id agere, ut Israëlitas a Cananæorum detestanda cum brutis consuetudine abstrahat. Quo etiam supplicia Exod. XXII, 18, Levit. XX, 15, 16 criminibus istis dicta spectent. Ideoque post decretum Divinum de socia necessaria, v. 18 *sollicitudinem* Adami in quærenda, & *judicium* de non inventa, v. 16 & 20 describi. Cum de Adami socia apparanda ageretur, *jam creaverat*, inquit Moses, *Deus ex terra omnia bruta, omnisque generis volucres. Ea ergo in Adami oculos incurrere jussit*, effecitque, ut omnia, quæcunque & ubicunque essent obvia, animalia aspiceret attente. Meminisseque Mosen primo terrestrium, dein & volatilium, ne ullum genus quis exclusum putaret, maxime cum gentes utroque abuterentur.

Contemplaturum ergo *Adamum omne brutorum genus, ut dispiceret, num quod illorum advocaret pro auxilio desiderato, aut ad se pro socia adsciscceret.* Neque his verbis: *quodnam*

illorum vocaret, deſignari judicat Autor illud Adami negotium, quo bruta nominaſſe jactetur ad naturam accommodate. Id enim hiſtoriæ ſcopum non ferre: quandoquidem *de ſocia Adamo quærenda* ſermo ſit, non de nominandis brutis. Atque eſſe ipſum abſonum negotium cogendi ex univerſo orbe & nominandi bruta; quod multis incommodis premàtur, quæ p. 19, 20, 21, 22 commemorantur. Nihil horum dicit Autor eſſe apud Moſen, Locutionem ejus pro ſcopo & contextu explicandam.

Jam ubi *ſollicitus de ſocia* inducatur *Adamus* a Moſe, alterum quoque errorem vulgi Ægyptiorum, Arabum, Sabæorum, finitimorumque, ab eodem tolli, nempe de occulto *animarum defunctorum utriusque generis*, & familiarium dæmonum cum homine commercio. Unde horum cultus & ſacrificia quondam, Judæorumque Lilith & Styx Gentilium, ſagarum denique opinio venerea hodieque audiantur; & leges his oppoſitæ a Moſe Lev. XVII, 7, Deut. XXXII, 17, Exod. XXII, 17, Lev. XIX, 31, XX, 6, 27 legantur. Eam ob cauſam Adamum deſcribi non nonniſi inter animalia viva circumſpicere juſſum, *neque ex ullo alio genere auxilium pro ſocietate ſibi evocaturum*, *præterquam ex illis*, *quæ animantium viventiumque nomen* ſecum *ferrent*, excluſis animabus & dæmonibus. Nec quenquam, ſcopi memorem, autumaturum cenſet Interpres, Moſis illis verbis ſignificari, ab Adamo unum illud *animalis vivi* nomen omnibus datum fuiſſe brutis, terreſtribus & volatilibus; quod nullo id fine referret Moſes, & contra plane dicat Gen. I, 20, 21, 24, 25, Gen. II, 7, quodcunque vocaret Adamus pro auxilio, id nomen jam habuiſſe *vivi animalis*.

Poſt conſilium Dei, v. 19 a Moſe enarratum, ſubjungit idem, Autore noſtro judice, v. 20 *Adami factum & obſequium: nominatim*, *ſeu ſigillatim*, *obvia omnis generis animantia percenſuiſſe*, *ſive domeſtica eſſent jumenta & cicuria*, *ſive volucres*, *ſive beſtiæ agri aut feræ quæcunque*. Omnia viva animantia, quocunque veniant nomine, attendiſſe ſerio, judicaturum, eſſetne aliquod illorum ad auxilium ſibi idoneum. Pingique Adamum, ſeriem quaſi omnium animantium obviorum iterum iterumque pertexentem, *exemploque* dari Iſraëlitis, ne hi temere in bruta ruant.

Tan-

Tandem eodem fine ipsummet Adami judicium afferri monet Interpres noster, *atque ita*, a Mose concludi, postquam in omni genere animantium circumspexerat Adam, *pro Adamo non invenit auxilium*, & tale quidem, *quod præsto illi semper esset*, seu jugale. Quæ diserta *conclusio Mosis*, de non inventa Adamo ex brutis jugali & laborum humanorum socia, exacte respondeat superiori *Mosis propositioni* & Divino oraculo, de necessaria Adamo conjugali, eaque quærenda. Quæ causa sit, cur Moses his tandem subjungat veræ & dignæ Adamo conjugis originem, Adamique gaudium: nunc tandem in hac Eva deprehendo os ex ossibus meis & carnem ex carne mea, sive jugalem, humanam, homini congruam, quam diu frustra quæsivit. Quo pacto *historia hæc Mosaica penetrantissimum ad virtutem, honestatem, decentesque mores calcar sit*.

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII CENTURIÆ secundæ Exercitationum Medico-Philologicarum, sacrarum & profanarum, Decas I.

Jenæ, apud Jo. Bielckium, 1704. 4. pl. 15.

NOvam hac Decade Exercitationum suarum Medico-Philologicarum Illustris *Wedelius* orsus est Centuriam, ad quam nunc more nostro perlustrandam, par prorsus materiarum tum selectarum, tum erudite pertractatarum, ubertas & præstantia nos excitat, quæ ad *primæ Centuriæ* Decades (et quidem *Dec. I & II.* A. 1686. p. 361. *Dec. III. IV.* & *V.* Suppl. Tom. II. p. 249. *Dec. VI* & *VII.* A. 1694. p. 349. *Dec. VIII.* p. 501. *Dec. IX.* Suppl. Tom. III. p. 422. & *Dec. X.* A. 1701. p. 519.) recensendas nos excitavit.

Atque in *Exercitatione* quidem *I* primæ hujus in Centuria secunda Decadis, de *Censu Augusti*, ex marmore maxime Ancyræno, ab Augerio Busbequio Ancyræ, oppido Galatiæ, invento, contra Eminentissimum Cardinalem Norisium, & nuperum quendam Scriptorem anonymum demonstrat, non unum, sed tres ab Augusto Imperatore in Judæa census fuisse peractos, quorum primus ipso nativitatis Christi anno, seu anno Augusti XLII;

alter anno Christi VII, qui cum anno a pugna Actiaca XXXVII, a Josepho censui Quirini assignato, conveniat; & tertius anno Christi XIV, Sexto Pompejo & Sexto Apulejo Coss. contigerit.

In *Exercitatione II* per *Morbum Phœniceum Hippocratis*, L. II. Prædict. c. 49 memoratum, Elephantiasin seu lepram veram Arabum intelligi, non paucis argumentis comprobat, textu Græco Hippocratis accurate simul & diligenter castigato, & exanthemata, quorum Hippocrates loco suo meminit, alia alba, alia rubra esse, ex ipso Hippocrate demonstrato.

In *Exercitatione III* de *Hercule Medico*, Poëtæ Euripidis relationem de Alceste mortua, & per Herculem Alcmenæ filium resuscitata, non fabulam, sed Herculem istum tum verum, tum summum Medicum fuisse, contendit. Scilicet Alcestis, Admeti Thessalorum Regis conjux, morbo consumpta & tabescens, resolutis jam manuum viribus, pro conclamata habebatur, & tantum non mortua: indictus etiam erat luctus funebris per annum integrum, rasura capitis & pullæ vestes, ut jam tunc in usu erat. Ast dum jam ipsa pompa funebris est ducenda, bona fortuna Hercules, Alcmenæ filius, hospes adest, qui re comperta admissus Alcesten, in omnium oculis exanimem & jam rogo imponendam, vivam conjugi, salvam & incolumem reddit; licet multis laboribus. Atque hoc factum, Tragœdia ab Euripide descriptum, neque pro fabula Poëtæ & ingenii lusu, neque pro miraculo habendum, Wedelius eo minus censet, tum quod Poeta ipse opinionem, quod Alceste revera mortua & ab inferis ducta sit, declinat, τεθνᾶσιν, inquiens, οἱ θανόντες, & iterum, Οὐκ ἔςιν τὺς θανόντας ἐς φάος μολεῖν; tum quod ipse Admetus Herculi quærenti, utrum mortua an viva esset Alcestis? responderit: ἔςιν τε, κ' ὐκ ἔτ' ἐςί, est & non est. Quo evicto, jam id cumprimis evictum dare annititur Wedelius, *Herculem fuisse Medicum*. Primo enim, testimonium Cornelii Celsi Herculem facere Medicum antiquissimum & celebratissimum. Deinde dictum Alcidem ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, a remedio; & ἀλεξικακὸν, quod nullum majus vel gravius malum esset morbis: prout & ab eo apud Hippocratem morbi quidam nominentur morbi Herculei; non quod ipse Hercules

cules istis vexatus fuerit, sed quod tanti fuerint, ut Herculeis opus habuerint remediis. Porro pingi Herculem cum poculo: non quod ebrius vinum fuderit ex urceo, sed ad denotanda pocula sanitatis, pro abigendis morbis & reparanda valetudine. Fuisse domitorem monstrorum, ac idcirco clava & leonis exuviis insignem, ad febres, hydropen, cancrum, epilepsiam, aliosque morbos sævissimos, ab eo curatos, significandos. Expurgasse Augiæ stabulum, quod cacochymiam, morborum gravissimorum matrem & nutriculam, expurgaverit. Theseum & Pirithoum, enecto Cerbero, ex orco reduxisse, quod itidem a desperatis morbis vitæ restituerit; & quæ sunt reliqua.

In *Exercitatione IV* de *Ecstasi putata Christi*, locum D. Marci c. III, 21: Καὶ ἀκούσαντες οἱ παρ' αὐτοῦ, ἐξῆλθον κρατῆσαι αὐτόν· ἔλεγον γὰρ, ὅτι ἐξέστη, evolvit, atque ubi ἔκστασιν aliam supernaturalem, aliam non naturalem, aliam vero præternaturalem esse dixit, ex phrasi, ὅτι ἐξέστη, neque delirium, multo minus furorem, sed solum prætensam putatamque animi passionem argui posse, ostendit.

In *Exercitatione V* de *ἀγωνίᾳ Christi* disserit, eamque non angorem corporis ex intemperie quadam spirituum morbosa ortam, sed tristitiam intellectualem, ex odio & ira erga mortem, infernum & horum fratrem diabolum natam fuisse, ex ipsa historia sacra declarat.

In *Exercitatione VI Tabulam Hermetis Smaragdinam*, ampla quadam in ipsum textum, eam complexum, commentatione explicat, ac in ea veram Chimiæ sublimioris & Lapidis Philosophici theoriam tradi, adversus Athanasium Kircherum, cum Borrichio & Krigsmanno commonstrat.

In *Exercitatione VII* de *Nummis Novi Testamenti*, generaliores primum voces Græcæ, ad exprimendam pecuniam vel monetam quamcunque in N. T. adhibitæ, ut χαλκὸν, νόμισμα, χρῆμα enodantur; quam enodationem specialis nummorum sacrorum expositio ordine alphabethico excipit. Nimirum ἀργύριον, *argenteus*, ex mente *Wedelii* nostri, modo pecuniam indefinite quamvis ex argento confectam; modo in specie certos nummos argenteos notat, qui cum drachmas quatuor pendeant,

dimidio Imperiali nostrati, monetæ gravioris seu schweren Geldes / æquipolleant. Ἀσσάριον, *assarium*, diminutivum ab asse est, as dimidius, & perinde ac λεπτὸν species monetæ omnium minutissimæ; κόδραντς vero seu quadrans quarta pars assis, non denarii. Δηνάριον, *denarius*, species nummorum Romanorum hodie adhuc frequentissima, denos valet nummos æreos, ut quinarius quinos; ex quo simul & illud efficitur, asses fuisse nummos æreos, & unumquemque assem partem decimam denarii. Δραχμὴ, *drachma*, eadem est, cum denario; & δίδραχμον duo denarii; τετράδραχμον autem stater seu quatuor denarii. Qui valor si cum nostro comparetur, denarius non per duos grossos cum dimidio, neque per tres cum dimidio, Germanis Schreckenberger/ ut quidam volunt; sed per integros tres grossos monetæ gravioris reddendus erit. Ut adeo Matth. XX. 2, ubi conventio facta dicitur cum operariis ἐκ δηναρίȣ τὴν ἡμέραν, in diem denario, zum Tage-Lohn / & hinc acceperint ἀνὰ δηνάριον, singuli denarium, ita intelligendum sit, pretium operarios singulos tres vel tres cum dimidio grossos accepisse. Μνᾶ, *mina*, per quam in N. T. non mina Alexandrina, sed Romana intelligitur, est nummus centum drachmarum; τάλαντον, *talentum* vero, quod pro certa nummorum quantitate, eaque non levi, sed pondere eminenti, in N. T. acceptum legitur, apud Josephum habet minas centum. Regulat denique hæc omnia certus numerus unicuique nummorum recensioni additus; atque hinc Matth. XVIII. 24 μύρια τάλαντα, quæ decem millibus cum 60 minis seu 6000 drachmis divisis, faciunt sexaginta millena millia, 60000000 imperiales, seu sexaginta auri tonnas; & Act. XIX, 19, per ἀργυρίȣ μυριάδας πέντε, denariorum quinquaginta millia, seu sex mille ducenti & quinquaginta imperiales constituuntur.

In *Exercitatione IIX* de *Claudis Novi Testamenti*, geminam speciatim duorum ex utero materno claudorum historiam, unam Act. III, 2, alteram Act. XIV, 8, memoratam examinat, atque Philologicis quibusdam circa voces Græcas χωλὸς, βάσις, σφοδρὰ observationibus inspersis, veros istos claudos miraculoso modo ab Apostolis sanatos affirmat, curationem a primo ortu claudorum impossibilem per naturam statuens; utut seipsum pri-

primis annis praxeos A. M DC LXVII adolescentem universali paralysi, miserrimo spectaculo laborantem, & dehinc non paucos alios perfecte paralyticos, per Dei gratiam, curasse meminerit.

In *Exercitatione IX Basilii Valentini*, famosi istius scriptoris Germani & arcanorum chimicorum principis, *vitam* succincta quadam commentatione exhibet, & insigni elogio, *ubi desiit Basilius, ibi incepit Paracelsus, uterque non satis in sua arte laudandus*, ornat, deque scriptis illius eorumque fatis notatu digna memorat.

In *Exercitatione X* originem & sensum *Paræmiæ*, *Jovem lapidem jurare*, tum literalem, tum mysticum maxime, ad forum chimicum & *lapidem* speciatim *Philosophicum* translatum, notis eruditis indagat, eaque occasione iconem inserit quatuor lapidum securiformium, seu, quod alii putant, cuneorum, partim Querfurti inter rariora cimelia Davidis Sigismundi Buttneri, Diaconi ibidem, partim apud suos a se visorum.

Joh. Joachim Müllers Historie von der Evangelischen Stände Protestation und Augspurgischen Confession.

Hoc est:

JO. JOACHIMI MÜLLERI HISTORIA PROTESTATIONIS Statuum Evangelicorum & Augustanæ Confessionis.

Jenæ, apud Jo. Bielckium, 1705, in 4. Alphab. 6. plag. 10.

QUemadmodum Doctissimi Mülleri nostri Nobilissimus Parens, Jo. Sebastianus, ante annos aliquot, trium novissimorum seculorum memorabilia, quæ quidem ad Historiam Saxonicam spectant, e monumentis quam aptissimis, Annalium in morem dilucide admodum dextreque recensuit, ut in Actis A. 1700 p. 409 monuimus: ita vestigiis paternis insistere laudabiliter allaborans Filius solertissimus, specimen hac vice edit suæ in perlustrandis chartophylaciis secretioribus Saxo-Vinariensibus, quibus una cum Viris integerrimis aliis hoc tempore præfectus est, exantlatæ hactenus industriæ, atque ea propter nunc in apricum pro-

du-

ducit, quæ ad partem Historiæ Ecclesiasticæ seculi decimi sexti haud minimam illustrandam non parum conferunt. Etenim solennem illam *Protestationem*, qua a decreto Comitiorum Spirensium A. 1529 habitorum, ad Sacram Cæsaream Majestatem Conciliumque universale Christianum atque liberum, Judicemve quemvis idoneum alium provocarunt Status, qui exinde Protestantium nomen adepti sunt, non parum describit accuratius, eique comitem adjungit Historiam *Legationis* ad Imperatorem Carolum V, Protestationis istius insinuandæ gratia, susceptæ, tandemque & prolixissimam *Augustanæ Confessionis Historiam* subnectit. Viderat, Illustrem Seckendorfium in Historia Lutheranismi, istud appellationis instrumentum, in Archivo Vinariensi asservatum, utpote quod actorum historiam & Reformationis præcipua fundamenta exhiberet, dignum judicasse, quod ad notitiam omnium hæc nosse cupientium publicaretur. Viderat etiam, ab eodem Historiam Comitiorum Augustanorum manuscriptam, ibidem reconditam, volumen appellari a Viro rerum peritissimo, & fortassis ab ipso Pontano elaboratum, quod editionem maxime mereatur, multisque aliis, quæ de his Comitiis scripta extent, præferendum sit. Plurimum itaque in sententia sua, de his monumentis publicæ luci exponendis, se confirmatum sensit, & ideo tribus in libris narrationis filum longius protraxit, quorum primus Protestationem & Appellationem, secundus Legationem ob eandem institutam, & tertius denique Religionis in Comitiis Augustanis tractatum negotium attinentem Historiam omnem describit. Utrique suam narrationem allatis in medium monumentis, quæ huc spectant, integris, prout verbis ea primitus conceptis habent, confirmat, immortali Seckendorfiano operi hac ratione quoddam velut Supplementum additurus, quandoquidem in isto talium excerpta modo plerumque reperiantur. Utut autem heic, serie narrationis ita postulante, alibi jam passim obvia nonnulla repetenda venerint, plura tamen primitus nunc e manuscriptis protrahuntur, & priora ista pariter ex his non unis in locis pleniora & correctiora sistuntur. Et ut de iis, quæ nunc primum integra publicantur, cuivis constet dilucidius, dum in Indice librorum capitumque simul inserta allegat monumenta,

hæc

hæc ab antea jam tum vulgatis adjecto solicite asterismo distinguit. Historiam Comitiorum Augustanorum A. 1530 habitorum manuscriptam locis inserit convenientibus, eamque ad Autorem Apologiæ MStæ provocando insinuat, variaque ex eadem profert, quæ in Cœlestino & Chytræo, utut hi non levem huc attulerint diligentiam, frustra omnino quæsiveris. Singula vero Noster ea pertractat cum dexteritate, ut nihil fere ad istius historiæ perfectionem amplius requirendum videatur. Interdum etiam excursu aliquo nec inutili nec inconvenienti Lectorem divertit, velut ubi p. 688 seq. de oblata, cum post mortem Maximiliani I thronus vacaret Imperatorius, *Johanni Friderico*, Johannis Filio, & postmodum Saxoniæ Electori, (non, ut perperam in Tab. II Archi-Ducum Austriæ Rittershusiana legitur, Friderico III Electori) in sponsam *Caroli* Austriaci sorore, *Catharina*, Infante Castiliæ, ex actis abs se attentius inspectis disserit, & quomodo post factam Francofurti electionem Imperatoriam sponsalia rite contracta & rata insuper utrinque habita, veruntamen post tempus quoddam interjectum rescissa rursus fuerint, sponsa quippe eadem Regi Portugalliæ in thori sociam concessa, luculenter memorat.

MARTINI HANKII DE SILESIORUM NOMINIBUS Antiquitates.

Lipsiæ apud Christ. Bauchium, 1702, 4. Constant 12 plag.

EJUSDEM DE SILESIORUM MAJORIBUS ANtiquitates ab Orbe condito ad annum Christi 550.

Ibidem, apud eundem, 1702, 4. Const. 18 plag.

EJUSDEM DE SILESIORUM REBUS AB ANNO Christi 550 ad 1170 Exercitationes.

Ibidem, apud eundem, 1705, 4. Constant 2 Alph. 10 plag.

MARTINUM HANKIUM, Gymnasii patrii apud Vratislavienses in Silesia Rectorem, Scholarumque reliquarum Aug. Confess. addictarum Inspectorem, præter Orationes & Poemata in lucem emissa, duo præsertim tractatus de Romanarum & Byzantinarum rerum Scriptoribus celebrem, & D. LEOPOLDO Imperatori, nuperrime proh dolor! fatis defuncto, litteratorum

rum omnium æstimatori augustissimo, notum atque charum reddidere. Qui licet per annos plus quadraginta laboribus gymnasticis mancipatus, parum a negotiis gravioribus respirare potuit, horas tamen suas ita dispertitus est, ut post scholastici muneris curas, ad patriarum antiquitatum notitiam digrederetur, quarum evolutio tanto difficilior habetur, quo minus ille Germaniæ veteris adversus Sarmatiam terminus, ab auctoribus mediorum seculorum describitur. Tria potissimum momenta sunt, quorum pertractatio a Silesiis magna difficultate laborare creditur, ipsum scilicet *Silesiæ nomen*, *veteres* deinde regionis *incolæ*, ac *novi* denique illorum successores *Slavi*. Prioris puncti indagationem Clarissimus Autor in libello *de Silesiorum Nominibus* accurate persequutus est, cujus capite I. Nominum, quibus *Silesii* denotantur, recensio; II. Origo prima *Silesiorum* nominis, a Silesiæ *situ*, Latina, Polonica, Germanica; III. Origo secunda, a *solo* Silesiæ, Polonica; IV. Origo tertia, a Silesiæ fluvio *Sleso*, Slavica; V. Origo quarta, a Silesiæ monte *Sabotho*, Latina & Germanica; VI. Origo quinta, a Silesiæ *Convenis*, Polonica; VII. Origo sexta, a Silesiæ *Convenis*, Bohemica; VIII. Origo septima, a Silesiæ populo *Quadis*, Slavica; IX. Origo octava, a Silesiæ populo *Lygiis*, Germanica; X. Origo nona, a Silesiæ populo *Elysiis*, Germanica; XI. Sententia, quod seculo post Christum natum sexto ortum sit *Silesiorum* nomen, legitur. Alterius momenti rationes in tractatu *de Silesiorum Majoribus* disquirit, cujus XXI capita sunt, in quorum XIV prioribus, originem Silesiorum ex majoribus inter Noachicos Japheticis, inter Japheticos Celtis, inter Celtas partim Gallis iisque Gothinis, partim Pannoniis iisque Osis, partim Germanis iisque Suevis, inter Suevos autem Lygiis & Quadis deducit; capite postea XV. Lygiorum & Quadorum res gestas ante Christum natum, capitibus XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. Lygiorum & Quadorum acta seculis quinque post Christum natum illustrat, ac ultimo tandem capite, quod est numero XXI, quæstionem perdifficilem examinat: an scilicet Silesiorum majores Lygii & Quadi, post destructum in Occidente Romanum Imperium, seu sponte sua digressi, seu per vim adacti, seculo VI. circiter annum 550. patriam Silesiam vacuam Slavis advenis occupandam reliquerint,

rint, prorsus ipsi postea deleti? Atque ea ipsa nervus est puncti, quod modo inculcabimus, tertii. Quum enim multi ex Polonis pariter ac Silesiis asserant, Quados & Lygios per Slavos Polonos aut in fugam conjectos, aut vi oppressos fuisse, indignatus est celeberrimus Hankius illatam hanc patriæ injuriam, & velut alter Germanicæ originis vindex, operosissimo scripto, quod *Exercitationes de Silesiorum Antiquitatibus ab anno Christi 550. ad 1170.* inscripsit, demonstravit: Quados & Lygios, postea *Silesios* dictos, adeo non a Slavis Polonis aut depulsos, aut extinctos, ut Silesii potius diu quidem cum Polonis pari tum jure, tum libertate, societatem coluerint, aliquoties tamen ab iis separati iisque contrarii, vel nulli, vel alteri populo associati fuerint; etiam post instauratum in Occidente Romanum Imperium, licet suis Ducibus prædti, Romanis Imperatoribus, tanquam summis Principibus suis, a Carolo Magno ad Fridericum I. Barbarossam, tributarii subjectique fuerint. Universum opus in capita XII. dispescuit, quorum singulis sectionibus non modo computum chronologicum, sed Romanorum quoque Imperatorum, Polonicorumque Ducum nomina præfixit, addita semper notula, num Silesii eo tempore Romano-Germanorum Imperio tributarii, num a Polonis separati, num vicissim cum Polonis aut etiam Bohemis conjuncti vixerint. Tributi mentionem ideo adjectam deprehendimus, quod ex Polonis Scriptoribus fere omnes, atque præ cæteris Joannes Schultzius, Clarissimus nuper Francofordiensium Juris Professor, ante menses aliquot ibi vivis ereptus, singulari opere, quod *de Polonia nunquam tributaria* composuit, tributum a Polonis unquam solutum fuisse Romanis Imperatoribus, contra Conringium cordatissimosque rerum Germanicarum auctores, pernegant. Eruditam hanc litem, magno fervore inter utrosque Scriptores agitatam, duobus fundamentis acquiescere notavit Hankius noster, quorum *prius* est: quam terram Scriptores ancipiti *Poloniæ* vocabulo designent? Veteres enim & recentiores, generali notione *Poloniam* sæpius vocant, non tantum quam hodie cognomento vel *majorem* vel *minorem* nuncupamus, verum ab utraque distinctam etiam quamcunque provinciam cum Polonia sub eodem communi capite conjunctam, Lithuaniam, Russiam, Masoviam, Samogitiam, Prussiam, Pomera-

raniam; quo pacto, quicquid jurisdictioni Polonicæ subditum aut fuit, aut est, Polonicum dici consuevit. Hinc parem ad legem, nostra *Germaniæ* pars *Silesia* sæpius antiquis vocabulo alieno, quam suo, denotari solita, ob annosam cum Polonia conjunctionem, dicta reperitur *Polonia*. Eum ad modum igitur Polonia, quoties aut Germanis aut exteris aliis vel tributaria vel subjecta fuisse dicitur, num tota, num ejus quædam & quænam pars innuatur, occasionem dubitandi præbet: sicque unius vocis ambiguus intellectus miris umbris lucem historicam obscurat. *Posterius* fundamentum hoc est: utrum de Polonia, seu tributaria, seu subjecta, dissentientibus Scriptoribus *Germanicis*, an *Polonicis*, subscribendum in ea re sit, unde priscus & Polonorum & Germanorum status, in alterius nationis gloriam seu adaugendam, seu imminuendam, solide cognoscendus dependet. Hanc controversiam quoties tractare cogitur Auctor noster, primo quidem Poloniam, quatenus Silesiam vocabulo suo non comprehendit, Germanicis Augustis nullo modo unquam subditam fuisse, sed sub Poloniæ tributariæ nomine, vel Pomeraniam, vel Silesiam, veteri Poloniæ conjunctas provincias, intelligi statuit. Addit vero, Germanicis Scriptoribus in hisce Polonorum rebus plus, aut certe non minus, auctoritatis esse tribuendum, quam Polonis, cum quod Germani multo vetustiores sint omnium seculorum auctoribus Polonis, atque in rebus suorum temporum, quibus multa ex parte præsentes interfuerunt, fidem omnino præ recentibus mereantur, tum etiam quod in Germanis major animi candor ubique deprehendatur, Polonos vero in iis, quæ patriæ gloriam obfuscare possunt, multa neglexisse, suamque adeo fidem sublestam reddidisse constet. Quod ad ipsam operis tractationem attinet, laudanda est Viri Clarissimi exactitudo, qui quotiescunque thesin aliquam proponit, præter annorum indiculum, quem semper addit, testimonia integris cujuscunque auctoris verbis exprimit, vetustiores recentibus præponens, quorum rationes punctatim examinat, & cuinam ipse adsentiatur, innuit. Præmisit insuper Exercitationibus hisce prolixam præfationem, in qua 1) quo dictionis genere, 2) quibus e monumentis, 3) intra quos materiæ limites, 4) qua tum veritatis, tum etiam perspicuitatis cura, 5) quo præcipuo intentionis scopo, lectoribus ca-

capiendam exhibeat rerum patriarum notitiam, ingenue profitetur. Hac igitur ratione difficilior annalium Silesiacorum pars, stupendis tot annorum vigiliis a diligentissimo Polyhistore in ordinem redacta, atque ex monumentis, quantum licuit, antiquissimis diducta, non Silesiæ tantum, cujus præcipue gratiam lucubrationibus suis meritus est Auctor, sed eruditis omnibus, illis autem inprimis, qui gentium migrationes, & medii ævi acta scrutari solent, exhibetur. Hac ratione tot illustria Germanorum facinora, tot præclara Silesiacæ fortitudinis decora, quorum famam alias cum ipsa fere memoria priorum temporum infelicitas ob Scriptorum penuriam aboleverat, nova luce donantur, & Piastus, Silesiorum cum Polonis conjunctorum Dux, cujus stirpem, post nongentorum annorum principatum, anno superioris seculi quinto ac septuagesimo, in Georgio Guilielmo, ultimo Lignicensium, Bregensium & Wolaviensium Duce, invida Parca exstinxit, Germanicæ origini ab Hankio nostro postliminio quasi vindicatus, in Boleslao Procero, Mieslao, & Conrado Lasconogo posteris suis, constitutis Silesiorum Ducibus propriis, a Polonorum Ducibus & distinctis & separabilibus, revixit. Hac denique ratione Silesiæ populus ab anno 550, quo etsi non amplius Suevicus, tamen adhuc Germanicus, partim Quadicus, partim Lygius, cum peregrina dissimillimaque Sarmatarum Slavorum Polonorum gente societatem inibat, diu alienum, prius Slavorum, deinde Polonorum nomen, aut obscuratis, aut imminutis laudabiliter gestis sustinere solitus, post DCXIII annos, per quos cum Polonis plerumque sub eodem capite fuerat connexus, aliam reipublicæ formam recepisse conspicitur: pro temporariis Præfectis, perpetuos Duces anno 1163, eosque totius Silesiæ possessores anno 1169 consequutus.

VOYAGE DE GUINE'E, SIVE ITINERIS A GUILIELMO BOSMANNO ad littoris Guineensis in Africa provincias suscepti Historia, XXII Epistolis Gallice scriptis comprehensa.

Ultrajecti apud Ant. Schouten, 1705. in 12. cum fig.
Const. 1 Alph.

MAgna quidem Scriptorum ſeges eſt, qui itinera in utramque Indiam facta litteris conſignarunt, ſed pauciores ſunt illorum libelli, ex quibus Africæ ſtatum, qualis nunc eſt, atque ejus præſertim plagæ, quam *Littoris aurei Guineenſis* nomine Cosmographi indigitant, perdiſcas. Huc enimvero inſervit præſens Guilielmi Bosmanni opuſculum, qui Belgarum Fœderatorum auctoritate Pro-Prætor dicti littoris, Collegii pro ſtabiliendis illic commerciis inſtituti Adſeſſor, atque caſtelli D. Georgii apud Elminenſes Præfectus fuit, & haud ita pridem, poſt felicem ad Batavos reditum, negotiationis exercitæ rationes ſcripto luculenter expoſuit; cui vel ideo major habenda eſt fides atque æſtimatio, quod oculatus omnium, quæ narrat, teſtis fuit, & ea civibus ſuis de præſenti commerciorum ac incolarum illius tractus ſtatu recenſet, quæ intra proximum ævi noſtri decennium contigere. Diſpeſcuerat laborem ſuum in libros quinque, ſed mutavit brevi poſt mentem, & per epiſtolas telam, quam exorſus erat, pertexturus, viginti illarum Gallice exaravit, quibus duas ejusdem argumenti alias, a Davide Nyendaalio & Joanne Snoekio ipſi miſſas, ad calcem ſocias junxit. *Prima* earum monita quædam generalia de Guineenſi littore, ac magis dein ſpecialia de Aximenſi provincia ſuggerit, cujus dominium Batavi atque Brandenburgici inter ſe partiti ſunt, ex quibus hi Fridericiburgum, illi autem D. Antonii arcem a Luſitanis olim conditam poſſident, ea tamen differentia, quod Brandenburgici Præfectorum, quos Directores generales Auctor adpellat, culpa omnia fere perdiderint; Batavi vero, tanquam rei nauticæ ac incolarum magis gnari, magnam ex auro, ebore atque mancipiis mercaturam adhuc faciant. *Secunda* regiones Jabinenſem & Adomenſem; *tertia* regnum Commanienſe, cujus emporium celeberrimum Elmina urbs eſt; *quarta* Fetuenſem, Saboenſem, Fantinenſem provincias; *quinta* Acronenſe & Agonnenſe territorium, nec minus regnum Aquamboenſe, in quo Angli, Batavi & Dani caſtella fundarunt, delineat. *Sexta* tractus, ubi aurum colligitur, ejusque formam ac valorem; *ſeptima* vero auri inde ad Europæos aſportati calculum ponit, atque virorum, quibus colligendi computandique auri munia committuntur, indiculum oſtendit. *Octava* aerem intra montes minus ſanum, morbos inde

de obortos, vulnerumque per decocta olera sanationes, & fulmina plane terribilia sæpenumero illic locorum obvia describit. *Nona* mores incolarum versutos & vafros, vestitum, educationem, linguam, agriculturam, commercia, & quæ ejus generis sunt; *decima* cultum sacrorum, infinitum idolorum numerum, sacrificulorumque fraudes; *undecima* regiminis formam, leges, judicia, tribunalia, regii cultus a plebejo vitæ genere discrepantiam exiguam, Batavorum autem in Aximensium maximam partem imperium; armorumque diversas species; *duodecima* matrimonia; *decima tertia* morborum remedia & funerum ritus; *decima quarta* animalia quadrupedia; *decima quinta* volatilia, pisces, cancros, serpentes; *decima sexta* arbores, frutices, plantas, fruges & legumina; *decima septima* vero singulares de vægrandibus bestiis historiolas nobis depingit. Decimam octavam tandem, XIX, & XX Epistolas descriptioni Quahoviæ, Ladincuriæ, Lampii Provinciarum, fluminum variorum, ac regni inprimis Fidæ impendit. Hæc summa operis lineamenta sunt, quod ob argumenti copiam vetus Plinii proverbium, quo *ex Africa semper novi aliquid* adferri scribit, in memoriam nobis revocat. Ne igitur sicco quasi pede cuncta transeamus, quædam tantum, ac ne ex singulis quidem litteris singula, quæ palato nostro maxime arriserunt, excerpere placuit. Magnum esse littoris hujus Guineensis tractum, ex eo colligimus, quod diversa regna, provincias bene multas, oppida & vicos pene innumerabiles, & spacium aliquot centum milliarium complectitur. Incolarum vero deterrima conditio est, quos levi de causa pro mancipiis vendi, quibusdam in plagis ex rapto solum vivere, alibi victimas idolis mactari, & ultima quæque tyrannidis atrocissimæ pati constat, adeo certe, ut *Anqua* quidam illorum Dux sanguinem humanum (Epist. 2. p. 27.) plus vice simplici biberit. Quid ergo magis optandum esset miseris, quam Christianos nancisci rectores? Sed obstitit mutua inter Lusitanos, Anglos, Belgas, Danos & Brandeburgicos altercatio, quorum alii aliorum conatus turbarunt, atque ex sociis hostes facti bene cœpta pessumdederunt; obstitit, uti Auctor refert, Anglorum militum luxus, Lusitanorum pauperies, Danicarum virium defectio, reliquorum autem inordinatum regimen, quibus id tandem effectum est, ut

dum

dum singuli omnia affectant, omnes deinde vix singula devictorum Æthiopum imperia retinuerint: cujus rei, præter Bosmannum, testes sunt Focquenbrogius Batavus, & Guilielmus Joannes Mullerus Harburgensis Saxo, qui posterior, quod obiter notamus, Augustissimi Regis Friderici III jussu, Danorum ad illa littora navigantium Concionator nauticus extitit, & Fetuanæ regionis, cujus maxima pars tunc temporis ad Danos spectabat, descriptionem Noribergæ 1675, in 8, idiomate Germanico publicavit. Ut vero ad Bosmannum nostrum revertamur, digna lectu sunt, quæ Epist. III. de regno Commaniensi a Batavis circa annum 1687 per Sweertium subjugato, Epist. IX. de *Mulatis*, (genus id hominum est ex Æthiopissa & Europæo prognatum) Epist. XII. de Guineensium polygamia, de adulteriis severe punitis, de neglecta inter conjugatos bonorum communione, de liberis ab hæreditate adeunda exclusis, de circumcisione infantum, de uxoribus post decimum partum per annum integrum solitarie viventibus, ac deinde ad maritos reversis, de puellis in libidinem publica venalium corporum prostitutione damnatis, quarum tres aut quatuor a singulis civitatibus aluntur, tantæ apud Æthiopes existimationis habitæ, ut Batavi nihil non a Barbaris extorquere possint, si meretrices dictas in castella sua captivas abduxerint. Nec minus illud memorari meretur, quando Epist. XIII. mactata in funerum solennitatibus, etiam per infantes, mancipia tradit; quando Ep. XIV. elephantes plumbeis haud æque ac ferreis globis feriri, & eodem in tractu animal ἀνθρωποφάγον, Barbaris *Koekeboe* & *Arompo* dictum, inveniri scribit, cujus generis quoddam in nundinis vernalibus hujus anni, ex Africa in Germaniam delatum, heic Lipsiæ conspeximus; quando Epist. XVII. elephantem in horto arcis Elminensis deprehensum, vix ducentis scloporum ictibus occisum narrat. Cæterum quod ad regnum *Fida* attinet, in Guineensium confiniis situm, magnam Auctor operam ultimis tribus epistolis, in recensendis ejus sacris, legibus, pœnis, reditibus, incolis, frugibus, bestiis ac finibus adhibet. Colloquutus est aliquoties perquam familiariter cum ipso Fidensium Regulo Bosmannus, quum mancipiorum emendorum gratia illuc diverteret, atque hoc modo ex oculari inspectione dominationis arcana, genium incolarum,

rum, & sacrorum formulas perdidicit. Misertima gentis sub Tyranno vita est. Quævis elegantioris formæ puellulæ in gynæceum regium vel invitæ abripiuntur, atque ex illis, quarum Regem satietas & fastidium cepit, integræ quotannis cohortes exteris advenientibus divenduntur. Quisque incolarum tot sibi idola fingit, quot consultum ac necesse duxerit; ex omnibus autem serpentes agmen ducunt, quos in ea veneratione habent, ut delubrum regni celebratissimum *Domum Serpentis* nuncupent, ad quam peregrinationes frequenter instituunt, hostias quotidie deferunt, atque fortunatum inde in negotiis successum præstolantur. Illorum cultui certi sunt constituti Flamines, homines nauci ac fraudulenti, qui artibus suis superstitiosam plebeculam argento emungunt, & Vatiniani inter conjuges odii semina spargunt. Serpentes autem, quorum ingens multitudo per ædes singulas discurrit, uti neminem lædunt, ita vicissim a nemine læduntur, sed eodem frequenter cum hominibus cibo victitant, & ab incolis tanta religione immunes ab adgressionibus servantur, ut quum Anglorum negotiatores anguem in hospitio obvium occidissent, ac cadaver foras projecissent, universa mox civitas, in qua patrata fuerat cædes, in rabiem quasi conversa, convolaverit ad arma, neque prius quieti sese dederit, quam Anglis internecione occisis, mercibusque illorum igne penitus absumtis. Accidit etiam anno circiter 1697, ut porcus anguem ob morsum sibi inflictum devoraret, idque tanta festinatione, ut Æthiopum, qui adstabant, nemo serpenti suppetias ferre posset. Conversi ergo ad sacrificulos suos Barbari, infortunium ordine exponunt, qui facinus execrabile mirum in modum detestati, questus ad Regem deferunt, edictumque ab ipso extorquent, quo porci per universam regionem idcirco deleri jubebantur; cui quoque mandato tam properanter satisfactum legimus, ut maxima suilli gregis multitudo letho succumberet, donec ex Purpuratis aliquis Regem ad edicti antiquationem precibus ardentissimis permoveret. Contigit alius Auctori nostro casus, ut ex laqueari nimirum conclavis ejus quotidie serpens in mensam prandii tempore descenderet. Bosmannus, quum ad Regis colloquium circa id tempus admitteretur, per jocum conquestus est, quod diebus singulis dea-

ster

ſter quidam gentis ſerpens apud ipſum haud invitatus pranderet, quem a menſa arcere & hoſpitio depellere cogatur, niſi Rex ſumtus ad victum novi hoſpitis impenſos liberaliter reddat. Quid ergo factum? Regulus narratiuncula Bosmanni mire delectatus, ut ſerpentem quiete illuc divertere permitteret, hortatur, atque impenſarum loco pinguem Auctori bovem dono, mittit. Præter Flamines, ex ſequiore ſexu ſagas & ſacrificulas habent, fœminas magnæ inter Barbaros auctoritatis, quæ *Deorum* ſe *filias* vocant, & maritis, quibus junctæ ſunt, morem in pauciſſimis gerunt. Ex illis una ante quatuor, aut quod excedit, annos ex inferno ſe rediiſſe contendebat, cujus ignem ac tormenta ita graphice depingere noverat, ut cum Franciſco Quevedo Hiſpano, qui ſimili ratione apud Plutonem aliquando per ſomnium divertiſſe fabulabatur, de palma ingenii certare potuiſſet. At enim vero ex hac profunda gentis ſuperſtitione ſatis colligere eſt, quam difficulter ex iis unus vel alter ad Chriſtianæ veritatis lucem ex Paganiſmi tenebris converti queat. Expertus eſt obſtinationem illam R. P. Thomas Auguſtinianus, qui cum Purpurato cuidam prædiceret, gentem univerſam infernalibus olim flammis, ni reſipiſceret, vexatum iri, id ſolum reſponſi accepit: *Parentes, Avi Atavique noſtri eandem vitæ rationem, eundem idolorum cultum ſequuti fuerunt, ac nos: ſi ergo illi æterno igni deſtinantur, par hercle exiſtimo, nos velut illorum poſteros eadem ſorte gaudere, qua prædeceſſores noſtri gaviſi ſunt.* Jactitarunt equidem Galli, ſe in Africano littore univerſam regionem Aſſinenſem, cujus incolas maximam partem ſubjugarunt, ad Chriſtum adduxiſſe, Principem gentis Pariſios veniſſe, ab Epiſcopo Meldenſi, poſt adprobata Romanenſium dogmata, ſub Ludovici Hannibalis nomine baptiſmum accepiſſe, die poſtmodum 27. Februarii anni 1701. ex Cardinalis Noallii manibus ſanctiſſimæ cœnæ Dominicæ ſymbolum accepiſſe, Divæ autem Virgini Mariæ ditiones ſuas votiva tabula dedicaſſe, & d. 24. Martii, tribus Gallorum navigiis bellicis ſub equitis Damonii ductu inſtructum, in patriam remeaſſe. Sed fabulam ſapere nuncium iſthoc Gallicum, commentitiumque Principem ex mancipiorum, quæ Galli ex Africa in Americam deportant, numero unum fuiſſe, & poſt reditum in Africam pri-

pristinæ servituti se reddidisse, asserit Bosmannus: qui Mercurii Europæi auctorem, ex quo verba (Epist. XX. p. 448.) protulit, alterius adhuc mendi insimulat, dum Gallus Pseudo-Principem illum Regem Syriæ adpellavit, quum Assinensem scribere debuisset. Unum adhuc addimus, natos scilicet videri ad servitutem hos Æthiopum populos, quos inter usu receptum est, ut a parentibus liberi, a maritis uxores, quarum singuli plures ducunt, ad lubitum levi pretio vendantur, quæ mancipia mercimoniorum in illo tractu præcipua portio sunt, ac in ipsa servitute nihil magis exhorrescunt, quam ne ab emtoribus velut quædam mensarum lautitiæ, aut pullorum instar saginentur.

FULGOR FULGINII IN SPLENDORIBUS SANctorum, sive R. P. D. JULII AMBROSII LUCENTII, Cistertiensis Abbatis, Elogia Sacra.

Romæ, typis Bernabò, 1703, 4.

Constant plag. 30.

F*ulginium*, celebre Veteris Umbriæ oppidum, mercatura dives est, maxime vero, si Francisco Scotto in Ital. Itin. fidem habemus, rerum saccharo coopertarum nundinis valde frequentatur, ut Italis adeo in vulgi facetiis *Foligno delle strade inzuccherate*, seu Fulginensium viæ ac plateæ saccharo tinctæ quasi aut imbutæ vocitentur. Cujus urbis cives quosdam præcipuos, vitæ ac morum sanctimonia, miraculorumque post obitum patratorum, quæ putant, celebritate illustres, quadraginta & septem, elogiis posteritati commendare voluit R. P. D. Julius Ambrosius Lucentius, Abbas Ordinis Cisterciensis, Sacræ Congregationis Indicis Consultor, & pluries in S. Liberiana Basilica extra ordinem Pœnitentiarius Apostolicus, Apostolici Catechismi in Urbe Minister &c. Nuncupavit is lucubrationes suas Clementi XI. Pontifici hodie Maximo, atque in eo præcipue operam collocavit, ut illorum, quos Ughellus *in Fulginatensium Episcoporum Catalogo*, & Ludovicus Jacobillus in edito *de Sanctis atque Beatis Umbriæ, quos ad Cœlitum gloriam evexit Fulginium* opere, seu leviter tantum memorarunt, seu quorum obliti plane sunt, graviore stylo laudaret atque describeret; fœminis quoque in illorum, quos adduxit, censu haudquaquam neglectis. Dignus Clarissi- Elog. XLI. p. 191.

rissimi Abbatis labor est, quem illi, qui Fulginatium gloriæ favent, & meritorum a prædecessoribus in ædes sacras collatorum recensione delectantur, optime sibi commendatum habeant: neque enim in solis sanctissimorum virorum elogiis scribendis acquievit, sed paraphraseos quasi loco, singulis notas suas adjecit, in quibus præter personarum natales atque res gestas, locorum insuper fata & familiarum vicissitudines, annaliumque, ex quorum voluminibus omnia hauserat, titulos atque auctores subjungit. Quam quidem styli rationem quum sibi præfixisset, elogio statim secundo (p. 19. sq.) quod D. Paulo, Gentium ac inprimis Umbrorum Apostolo dicavit, disputatiunculam addit: an ex eo, quod asseratur Paulus æqualis in potestate cum cæteris Apostolis, possit confundi Primatus Petri cum Apostolica potestate Pauli? Elog. III. Umbriæ, & in illa Fulginii urbis statum breviter exponit. Elog. IV. Saxovivensis Archicœnobii (auctoris formula utimur) claritudinem extollit: magnum quippe & fulgentissimum inter Italiæ septa Deo sacra Saxovivum est, ipsi fere Casino æquandum, auctum scilicet ad numerum nonaginta duorum monasteriorum, quæ se ipsi adjunxerunt per universam Umbriam, Picenum, Etruriam & Latium; quibus in locis & aliæ monachales Cellulæ, animarum curatæ Ecclesiæ, & plura Hospitalia eidem se subdidere, quibus Saxovivensis Archimandrita, tanquam caput & Abbas Generalis, sub Saxovivensis Congregationis nomine jura dicit; quam dignitatem D. Maynardus Benedictinus, illustri stirpe Teutonica natus, & e Stiria Germanorum in Italiam profectus, primus sustinuit, Elogio XV. ab Auctore nostro laudatus. Num. XXIV. Eliseæ familiæ apud Italos celeberrimæ præconium; n. XXV. S. Petri Confessoris, qui Fulginatium Divus tutelaris est, & *Lachrymosus* atque *Almificus* vulgo vocatur, elogium; n. XLII. Augustini Minoritæ, *illuminati* cognomento dicti, vitam; n. XLIV. Oratorium Boni Jesu Congregationis S. Philippi Nerii, per Ven. P. D. Jo. Baptistam Vitellium nobilem Fulginatem institutum, cum dulciariis ex saccharo apud Fulginienses pinsi solitis comparatum; n. XLV. Jo. Baptistæ Jacobilli, Ludovici Jacobilli, quem de Sanctis Umbriæ scriptorem supra laudavimus, gentilis, virtutes stylo consignatas Lector inveniet. Cæterum ex illis, quorum scripta in-
sub-

subsidium adsciviт, Nicolaum quoque Tignosium in Originibus Fulginensibus, Sigismundum de Comitibus Fulginatum in Commentariis de Historia sui temporis, Durantem Dorium in Historia Trincia, Felicem Ciattum in Historia Perusina, Pompejum Compagnonum in Regia Picena, Aloysium Catharinum de Nobilitate Neapolitana, Franciscum Zazzaram de Nobilitate Italica, aliosque plures citavit, quorum opera hisce in oris rarius obvia, & paucissimis inter nostrates cognita esse credimus. Quare optandum non modo est frequentius Italorum cum Germanis librorum ac litterarum commercium, sed admonendus etiam doctissimus Abbas, ut post viros, qui Fulginium vitæ sanctimonia illustrarunt, eorum quoque, qui litteris apud Fulginates maxime inclaruerunt, catalogum pari diligentia contexere, & in lucem emittere sustineat.

DE DRIE SEND-BRIEVEN VAN DEN H. JOHANNES, en die van den H. JACOBUS, ontledet en scrifftmaatig verklaart.

i. e.

Trium S. JOHANNIS & unice S. JACOBI Epistolarum Analysis & analoga Scripturis Explicatio. Autore JOHANNE CHREYGHTON V. D. M. Franekerano.

Franekeræ, apud Jacobum Horreum, 1704. in 4.
Constat alph. 4. pl. 17.

EA cum Reverendo & Clarissimo Autori mens esset, ut S. Codicis libros eruditis commentationibus illustraret, Divi Johannis inter alios & Jacobi, in quibus operam poneret, epistolas selegit, eo quod priores omnem pietatis vim ac rationem complectantur, posterior Ecclesiæ doceat fata, tum superiorum temporum, tum olim eventura. Primam quippe inter Johanneas eo maxime consilio conscriptam ab Apostolo fuisse, ut pietatem inculcaret, ejusque ex N. T. genio ac indole, ipsaque Evangelii doctrina originem arcesseret, quo confirmaret credentes, tepidis stimulos adderet, ac infideles excitaret. Tribus autem universa partibus absolvitur, præfatione c. I, v. 1-4. tractatione c. I, 5-V, 12. & epilogo c. V, 13-20. In tractatione ita versatur Apostolus, ut

præf. **

p. 3.

p. 4.

p. 23.

& piorum gaudium, si in communionem veniant Ecclesiæ, Deoque fruantur, consummari posse doceat; & quo illud impleatur, definiat modum. Utrumque hoc ordine exequitur, ut tum generatim notas ostendat fidelium, quibus de salute sua, gaudiique complemento certiores redduntur; quarum tres constituens, pri-
p. 24. mam c. I, 5-II, 1. secundam c. II, 3. 4. 5. tertiam c. II, 6-14. exponit, cui mantissam velut ac appendicem subjicit v. 15-29: tum speciatim media suppeditet, quibus hanc fidei πληροφορίαν, in gaudii sui complementum, juvare pii debeant & confirmare c. III-V, 12.
p. 393. Epilogus denique fidelium enumerat prærogativas, ex certitudine isthac ceu fructus oriundas, partim in precum παῤῥησίᾳ v. 13-17.
p. 396. partim in perseverantia credentium ac immutabilitate sitas v. 18-20.
p. 427. Secundæ in dubium Grotius vocat autorem, alium substituens Johannem, Ephesinæ Ecclesiæ presbyterum; confutatus eo nomine ab Hammondo. Sane nobis quidem patrum, Irenæi, Clementis Alex. Tertulliani, &c. longe, quam Grotii, potior autoritas est. Cete-
p. 428. rum rem omnem, cui volupe est, apud Gomarum videat. Epistolæ vero argumentum adhortationem complectitur, qua sartam tectam jubet doctrinæ servare integritatem, & a Pseudo-Doctorum sibi cavere corruptelis, Anti-Christi scilicet anteambulonum. Eo itaque omnis tendit, ut contra seductorum, qui Anti-Christo viam straverunt, insidias instruat Ecclesiam & muniat. Præfatio-
p. 444. ne constat v. 1. 2. 3; tractatione, quæ (1) ad vitæ rationem Christiano nomine dignam hortatur v. 5-7. (2) a seductione cavere jubet v. 8. 9. (3) de consuetudine & conversatione cum falsis doctoribus instruit v. 10. 11; & Epilogo v. 12. 13.
p. 469. Tertia præter inscriptionem v. 1. exordium complectitur
p. 477. v. 2-4; tractationem (qua Gajum Apostolus a charitate ac liberalitate commendat v. 5-8, de Diotrephæ vita ac moribus refert v. 9.
p. 501. 10, ad munificentiam hortatur v. 11, ac Demetrio testimonium perhibet v. 12.) & epilogum, quo literarum brevitatem excusat v. 13. 14. 15.

Jam vero, ut ex ungue, quod ajunt, agnoscas leonem, quam ipsa textus explicatione fidem ac industriam probaverit Autor, exemplo docendum. Locus vix alius æque interpretum in se curas ac studia convertit, quam v. 16. cap. V. Ep. I. Joh. quem de pec-

peccato in Spiritum S. loqui, ſunt qui affirmant, alii negant. Autori quæ circa eundem ſententia ſit, paucis luſtrabimus. Primo itaque phraſin, ἁμαρτίαν ἁμαρτάνειν, quam ſæpe alias pondere carere, & ſimpliciter peccandi actum deſignare largitur, ſingulari h. l. emphaſi gaudere, totamque enormium, quæ in oculos incurrunt, & imperitis offendicula, piis mœrorem pariunt, peccatorum ſeriem ac nexum notare obſervat. Quod vero ad mortem peccatum dicitur, de morte æterna ac ſupremo impiorum ſupplicio utplurimum accipiunt doctores; minus ſane commode, quod ad hunc ſenſum peccata omnia ad mortem forent, cum omnia gehennam mereantur. Nec eſt, quod regeras, peccatum ut ad mortem non ſit, Divinæ id miſericordiæ, ac merito Chriſti fide apprehenſo acceptum eſſe ferendum: cum ne ſic quidem electorum ante converſionem patrata delicta, imo & ἀπροαίρετα fidelium, ex illorum numero ac cenſu excludenda ſint. Hac itaque cum non procedat, alia aggrediemur via. In genere mortis vocabulum ſtatum denotat ἀνάλγητον, ſenſu motuque carentem; qualis metu incuſſo v. g. in Nabale conſpicitur, cujus cor mortuum fuiſſe, h. e. torpuiſſe ac obſtupuiſſe, 1. Sam. XXV, 37. dicitur. Haud equidem negandum, Deut. XXII, 26. peccatum mortis, morte dignum notare delictum; aſt alia hic loquendi formula obtinet, ubi peccatum AD mortem vocatur, æque ut Joh. XI. a Chriſto morbus AD mortem dicitur, qui mortem comitem habet. Tale ergo hic notabitur peccatum, quod mortem ſpiritualem, ἀναλγησίας, cordisque duritiem in peccante ſecum affert. Quo ſenſu Eucherius quoque in de quæſtion. difficil. N. T. in h. l. phraſin exponit. Nec cum Cocceji hæc pugnant explicatione, qui de plenaria a veritate defectione, inexpugnabili conjuncta cum duratione, exiſtimat agi. Monet itaque Apoſtolus, ut, ſi quis fratrem ſuum non ad mortem videat peccantem, miſericordia ejus capiatur, precibusque converſionem illius juvet. Nec irritas has fore preces ſtatuat, cum vitam ei, in cujus gratiam ſunt fuſæ, impetrent. Ubi quidem vita oppoſitam, quam ſupra diximus, morti ſignificationem habet, ut velut illa indurationem, ſic hæc converſionem notet ad vitam. At enim vero ſollicite hic circumſpiciendum, an frater peccans admonitionibus locum det, & iræ Divi-

Margin: p. 402. (beside "carere, & ſimpliciter…"); p. 403. (beside "peccatum dicitur…"); p. 404. (beside "ergo hic notabitur…"); p. 405. (beside "ſpiciendum, an frater…")

Divinæ comminatione convinci animum ac moveri patiatur: unde felicem precum exitum & peccatoris augurari liceat conversionem. Contra vero ea pro peccatoribus ad mortem, qui indurati in peccatis pergunt, omnesque hortationes, incitamenta,
p. 406. minas susque deque habent, orare Apostolus vetat. Quanquam enim fidelium non sit, judicem agere & damnatoriam in alterum sententiam ferre: cum παῤῥησίᾳ tamen ac fiducia, pro ejusmodi homine intercedere non licebit; voto solum locus erit, velit Deus, si ita ipsi visum fuerit, misereri. Non enim amplius de exauditione certos reddere, vel ad preces hortari Apostolus audet, quam quoad ex verosimillimis pateat indiciis, ejusmodi Deum in peccatore excitare motus, ex quibus spes oriatur, fore ut divina ac irresistibili potentia convertatur, & propter Christi merita salvetur.

p. 508. Ad D. Jacobi epistolam Autor progressus, postquam eorum, qui θεοπνευστίαν ejus in dubium vocarunt, notasset errorem, accuratam ordinis, qui prima quidem fronte alicui forte deesse videbitur, rationem habendam monet. Quippe in tanta argumenti
p. 509. varietate (ubi cap. I. statim de oppressione fratrum & tolerantia, tum de sapientiæ origine, mox de laudabili divitum gloriatione, porro de peccandi illecebris, de refrenanda hominis ira, de fructuosa verbi Divini auscultatione, denique de iis, quæ ad sanctum Numinis cultum pertinent, agitur) non ad verborum nexum esse attendendum, sed rerum, quibus universa, & pro tem-
p. 511. porum ratione varia Ecclesiæ N. T. facies contineatur. Eamque Cocceji autoritate sententiam confirmat. Ac ne mirum id cuiquam videatur, alias quoque in Apostolicis, utramque scilicet Petri, & Judæ epistolas propheticas esse, & Paulum haud dubie 2. Thessal. 2. de ortu, indole ac interitu Anti-Christi vaticinari affirmat. Quinimo id ipsum ad Christi facere gloriam Ecclesiæque splendorem, si & Apostolorum aliquos prophetico instructos spiritu ac lumine dicamus: ut in Johanne, Petro, Juda, Paulo, liquido conspiciatur. Cur ergo, quæ cæterorum fuit, eam Jacobo dignita-
p. 512. tem denegemus? Cæterum epistolæ, non in tractatus forma, Divinum id opusculum prodiisse, tum inscriptio probat, tum epistolis præmitti solitum votum. Nec obstat, quod epistolari careat

reat clausula, quæ brevitatis forte studio omissa est; æque ac I. Johannis ἄνευ προοιμίου orditur, soloque τοῦ Amen obsignatur. Argumentum, in quo versatur, institutio est, de officiis, quibus tum universa in genere Ecclesia, tum quodlibet ejus membrum, in ancipiti fortuna operam dare debeat, quo dignum se Evangelio sanctaque gerat vocatione, & Dei exinde gloria regnique ejus oriatur splendor. Eo itaque omnis tendit, ut sanctum Dei consilium aperiat, qua via quibusve modis Ecclesiam suam regere, & ad istud perfectionis ac gloriæ perferre culmen decreverit, quod ultimis temporibus tenere debeat. Hinc est, quod a patientia in adversis orditur, & in gentium desinit conversionem. Ordine constructa est tali, ut inscriptionem c. I, 1. excipiat tractatio, quæ duabus partibus constat, & tum generalem exhibet officiorum expositionem, quæ pro fortunæ diversitate variis temporibus Ecclesiæ incumbunt, tum exactiorem fatorum enumerationem, quæ doctrinæ juxta ac regiminis ecclesiastici respectu, varie postremis seculis eam sint afflictura, c. II-V. ad fin. Quod restat, de autore adhuc monendum, duos fuisse in Apostolorum ordine hoc nomine claros. Jacobum Zebedæo satum, & Jacobum Alphei filium Matth. X, 2. 3. Quorum alter, qui frater Johannis, cum mature nimis, & ante, quam datæ epistolæ tempus patitur, Herodis sævitia occubuerit Act. XII, 2. satis apparet, posteriorem illum epistolæ extitisse autorem. Sunt, qui tertium addunt e LXXII discipulorum numero, cognomine Justum: Erasmus quatuor numerat; æque tamen firmis, ac pro Alphei filio, argumentis destituuntur. Et hæc fere sunt, quæ circa præcognita monenda censuit Autor. Jam quod ad ipsam epistolæ explicationem attinet, ea maxime crucem fixerunt eruditis, quæ cap. II, 14. sqq. de fide operibus instructa disputat Jacobus. At vero his controversiam prædici existimat Noster, quæ de veritate & sinceritate fidei Ecclesiæ cum Romano-Catholicis sit futura; quam omnem ita partitur, ut propositionem v. 14. ejusdem ἔκθεσιν ac explicationem v. 15. 16. 17, uberiorem porro deductionem v. 18, 25, & conclusionem v. 26. exhiberi statuat. Jam itaque, quod v. 14. fidem habere dicit Apostolus, non de fiducia, sed confessione ac prædicatione doctrinæ fidei seu Evangelii capiendum: æque ac de

p. 513.
p. 514.
p. 650.
p. 651.

operibus fidei maxime illis loquitur, quæ doctrinam Evangelii
p. 653. ornant, & ad institutionem fratrum faciunt. Sic quæstionis cardo in eo vertitur, an nuda salutaris doctrinæ professio, operibus destituta, spem facere salutis queat? quod Apostolus negat, mentemque suam egeni exemplo v. 15. 16. illustrat, cui ni misericordiam impertiatur fides, ac ipso juvet opere, vanam esse ac irritam pronunciat.
p. 655. Ubi quidem spiritualiter pauperes Autor intelligit, quibus Ecclesiæ (Pontificiæ) antistites verba dent, fumosque vendant, nec divinarum rerum cognitione aut salubri eos imbuant doctrina; unde nudi vestibus salutis, & spiritualis cibi inopia laborantes, ad fores stent sacerdotum, inani tamen cum benedictione, & solenni isthac formula, *abi in pace*, dimittantur.
p. 658. Inde ad thesin Apostolus redit v. 17. fidem absque operibus, i. e. Evangelii doctrinam operibus, quæ ad rudiorum pertinent institutionem, destitutam, esse mortuam, quod pro tali habeatur, quæ ad Ecclesiæ nil prosit instructionem. Id enim mortuum alias in Scriptura dicitur, quod operatione, quam edere debebat, caret;
p. 660. quo sensu peccatum a Paulo mortuum asseritur Rom. VII, 6. 8. Jam vero uberiorem huic effato deductionem v. 18. sq. Apostolus subjicit, litem exponens, quam Pontificiis hoc de fidei dogmate moturi sint Orthodoxi, Satanæ profunditatem penitius habentes perspectam.
p. 662. Cum enim ex operibus cognosci fides debeat, ex Pontificiorum sane tyrannide, persecutionibus, oppressione piorum, ἐθελοθρησκείαις item, monasteriorum fundatione, peregrinationibus religiosis, &c. minime eam elucere: quare hoc fidei defugiant examen, antiquam prætendentes fidem ac tot seculorum ferentem ætatem, nec ulterioris adeo inquisitionis indigam. Ad
p. 663. (see above)
quæ v. 19. regerit Apostolus, recte quidem ipsos facere, quod credant, unum esse Deum; nec tamen id sufficere, siquidem nec Diaboli istud in dubium vocent: qua appellatione Bekkerus sacerdotes gentilium, Antonides Pontificios cum suo Flamine antistites, Autor vero malignos designari putat spiritus, qui idem credentes nihil ea propter feliciores evadunt, verum contremiscunt.
p. 665. (see above)
p. 666. Idem porro Apostolus deducit, allato gemino e V. T. typo; Abrahamum ex operibus justificatum, i. e. pro justo declaratum
p. 669. & cognitum affirmans, quod jam ante fidem haberet, quam filium

um mactare vellet, ad justitiam sibi imputatam. Ubi prolixe cum Paulo Jacobum Autor confert, notamque ἐναντιοφανείαν e medio tollit. Hinc porro sequi docet, neminem ex fide qua tali solum justificari, seu pro justo declarari & agnosci, nisi opera indivulso nexu fides sibi habeat conjuncta. p. 679. Quæ porro de Rahab meretrice Apostolus affert, ea faciem exhibere Ecclesiæ Autor existimat, circa prima reformationis tempora, quibus pii multi & qui bonam mentem amabant, ad verum transeuntes Christianismum, legatos Christi & heroas seu orthodoxos doctores receperint, foverint, ipsorumque in propagando Christi regno conatus juvarint. p. 681. Inde reformatam Ecclesiam ex operibus justificari Autor concludit, in qua operosa fides & viva veram sponsam demonstret, cum in Pontificia mortua maneat fides. p. 683. Tandem colophonem controversiæ Apostolus imponit v. 26. fidem declarans Ecclesiæ Pontificiæ operibus destitutam, inertem esse ac fidei potius simulachrum, æque ut ipsorum conventus sacri, vita ac spiritu carentes, exanguis ad instar cadaveris sint habendi. p. 685.

SAMUELIS MORLANDI OBSERVATIONES quædam novæ circa partes & usum florum in plantis.

Excerptæ & translatæ ex Actis Philosoph. Angl. No. 287. Anno 1703.

Nitida & curiosa florum textura, una cum toto suo apparatu oculis se sistens, Viros haud paucos, singulari eruditione & sagacitate celebres, in penitiorem sui investigationem invitavit. Cum autem isti, qui in Historia naturali perficienda, & naturæ operationibus evolvendis, suam collocant operam, non eadem felicitate, qua reliquas res naturales prosecuti sunt, hanc materiam tractaverint; non irritus forsan erit conatus, accuratius in fabricam & usum dictarum partium inquirendi, quo vegetabilium propagatio & harmonica naturæ methodus melius cognosci & intelligi valeat.

Dudum jam observatum fuit, singulis seminibus inesse plantam seminalem, inter binos lobos positam, prima stamina con-

tinentem, & primum nutrimentum teneriori plantæ subministrantem. Verum D. Grew, cujus industria & sagacitas hoc doctrinæ genus maxime excoluit, solus, quod sciam, observavit, farinam illam, seu pulverem subtilem, qui certo tempore ex thecis seu apicibus seminiformibus, in staminum summitate excrescentibus, protruditur, munia certo modo præstare spermatis masculini. In eo tamen deficere mihi videtur, quod eam in externam tantummodo superficiem uteri vel vasculi seminalis spargi, & semina inclusa per emanationes quasdam spirituosas vel impressionem energeticam impraegnare statuat.

Jam inquirendum restat, annon convenientius supponere liceat, semina, intra propria involucra provenientia, in principio ovis animalium nondum imprægnatis esse similia? item farinam esse congeriem plantarum seminalium, quarum singulæ in singula ova sint deducendæ, antequam hæc fœcunda evadant; porro stylum, quem Rajus vocat, vel partem superiorem pistilli ex Tournefortii sententia, esse tubum, pro plantis hisce seminalibus ad ovarium & in ova deducendis formatum; denique maximum earum adesse proventum, inter se differentium, ut una ex tam multis angustum adeo ductum, sibi adæquatum, invenire & transire possit.

Quæ ut evidentius appareant, observationes communicabo, circa situm horum staminum & stylum, in quibusdam plantis factas. *In Corona Imperiali* uterus seu vasculum seminale plantæ centro floris insidet, & ab hujus summitate stylus exurgit, & vasculum seminale cum stylo repræsentat pistillum. Hoc ambiunt sex stamina, quorum extremitatibus singulis apices tanto artificio affiguntur, ut vel a lenissimo vento hinc inde moveri possint; eadem enim gaudent cum stylo altitudine, qui in hac planta, quemadmodum per totum suum corpus, ita in summitate maxime, concavus & apertus est. Quibus addendum, quod styli extremitati adhæreat crista quædam, ex villis pinguibus constans, & ad farinam ex thecis suis dilabentem recipiendam & retinendam, ut videtur, formata. Hæc itaque farina, vel mediante pluvia, vel a vento, detruditur ad tubum, donec ad vasculum seminale pertingat. In *Caprifolio* stylus oritur a rudimentis baccæ cujusdam, in quæ inferi-

feritur versus summitatem floris monopetali; ex cujus floris medio propullulant stamina quædam, farinam suam styli, in hac planta itidem cristati, orificio immittentia. *Allium* uterum habet tricoccum, cujus centro inseritur brevis stylus, ad apicum altitudinem non exsurgens; hinc isti magis eminentes, globulos suos eo commodius illius orificio committere possunt. Inde etiam est, quod nullam cristam in hoc stylo, prout in modo commemoratis, observare potuerim.

Atque ex his concludo, quod, quoniam pulvis hic subtilis curiose præparatus certo tempore prorumpit, tubus etiam adest, qui eundem commode recipere possit, & quidem, si apicibus pulverem suppeditantibus non directe supponatur, singulari apparatu pro eodem retinendo donatus, necessario sequatur, tubum hunc pro pulvere recipiendo esse formatum. Quodsi enim hæc stamina ductus excretorii tantum forent, particulas excrementitias secernentes, relictis reliquis in seminis nutrimentum abituris, quid opus esset, excrementa hæc in tam curiosa deponere repositoria? Certe in alium quemvis potuissent collocari locum, quam ad vasa seminalia, quibus profecto noxas potius inferrent. Quibus accedit, tubum hunc exsiccari, quamprimum thecæ hæ contentis suis vacuæ existunt.

Sed ut ne amplius urgeam, plantam seminalem constanter in ea seminis parte locatam esse, quæ styli insertioni proxime adjacet; in *fabis*, *pisis* & *phaseolis*, immediate sub illo loco, quem oculum vocamus, mediantibus microscopiis majoribus, manifestam deprehendi perforationem, directe ad plantam seminalem locatam, in quam hanc intrare existimo. Et certe credo, fabas & pisa, quæ non progerminant, eadem destitui.

Nec in aliis plantis apparatus ille, quo sæpe commemoratus pulvis intra tubum aliquem ad ovula deducitur, desideratur. In *leguminosis* enim *plantis*, si petala florum caute avellamus, videbimus siliquam arcte membrana quadam cingi, circa extremitatem in varia stamina, farina onusta, abeunte, quæ firmiter fibrarum fasciculo in tubi extremitate sito uniuntur, sicque farina ad siliquam derivatur. In *Rosis* erecta visitur columna, ex variis conflata tubis, invicem junctis, sed facile separandis, quorum singuli ad

proprias ducunt cellulas, ſtaminibus in magna copia eam cingentibus. In *Tithymalo* oritur vaſculum tricoccum, quod quamdiu parvum & exile exiſtit, fundo incumbit, imprægnatum autem exſurgit & longo innititur petiolo, ita ut quis crederet, nullam eſſe inter hoc & apices in ima parte ſitos communicationem. Pili *Fragorum* & *Baccarum Rubi Idæi* ſuperficiem inveſtientes, totidem ſunt tubuli, quorum ſinguli ad propria abeunt ſemina, hincque flore primum ſe aperiente, circulum adeſſe ſtaminum intra petala, & integram aream internam ſylvam horum pilorum repræſentare videmus, qui poſtquam ſuos globulos receperunt, & ad ſemina deduxerunt, hæc in pulpam elevantur carneam.

Explicatio Figurarum.

TAB. VI. Fig. I. II. III. IV.

TAB. VI. *Figura* I. repræſentat aſphodelum.

A. Suprema piſtilli ſeu tubi extremitas, in quam plantæ ſeminales intrare, & per quam eædem ad ſemina nondum imprægnata deduci ſupponuntur.

bbb. Apices ſemini-formes, qui maturi aperiuntur, & pulverem ſuppeditant in tubum A injiciendum.

C. Locus vaſorum ſeminalium circa terminum tubi ſitorum & flore tectorum.

Figura II. ſiſtit plantam leguminoſam.

D. Siliqua in flore latens.

E. Tubus a ſiliqua ortus, plantas ſeminales ad eam derivans.

F. Tunica membranoſa ſiliquam inveſtiens aperta.

gggg. Apices, qui, antequam integumentum aperiatur, videntur ab angulis ejus oriri, & per petala florum orificio tubi admoventur, ut ſuam farinam huic inſerere poſſint.

Figura III. exhibet fabam Gallicam a latere.

i. perforatio, per quam planta ſeminalis primum ingredi ſupponitur.

Figura IV. Eandem oculis ſiſtit diviſam.

h. Planta ſeminalis.

Adri-

TAB.VI. ad A. 1705. M. Jun. pag. 278. /99.

Fig. VII.



F. VI.



Fig. VIII.



Fig. V





Fig. I.




Fig. IV.



Fig. III.



Fig. II.





Fig. IX



ADRIANI RELANDI DISSERTATIO ALTERA de Inscriptione Nummorum quorundam Samaritanorum, ad Spectatissimum Virum JACOBUM de WILDE: in qua de Amphora Mannæ nummis illis inscripta, & asini cultu, Judæis per calumniam objecto, agitur.

Accedit

JOH. BAPT. OTTII, LINGUÆ SANCTÆ IN Athenæo Tigurino Professoris Publici, Epistola de Nummis quibusdam Samaritanis, ad Excellentissimum Virum ADRIANUM RELANDUM, *cum Hujus Responso.*

Trajecti ad Rhenum, 1704, in 8. Constant plagulis octo, & tribus tabulis æneis.

Tres partes hic libellus habet, I. Clarissimi Viri Adriani Relandi Dissertationem alteram de nummis quibusdam Samaritanis, ad Amplissimum Virum Jacobum Wildium: II. Doctissimi Viri Joh. Baptistæ Ottii Epistolam de eisdem nummis & similibus ad laudatum jam Relandum: III. Hujus ad Clarissimum Ottium Responsionem. De prima parte hæc breviter more nostro subnotamus.

Tertius annus est, cum Vir Clarissimus, Adrianus Relandus, Dissertatiunculam de Nummis quibusdam, præsertim Samaritanis, quos in Nobilissimi Viri, Jacobi de Wilde, Gazophylacio primum viderat, ad eundem Antiquitatis peritissimum Virum daret, quam nos anno 1703 mense Aprili recensuimus. Hanc operam cum non displicuisse Viro Doctissimo cognovisset, scripsit alteram ad eundem Dissertationem, quæ in hoc libello prima est: &, sicut in priore, abhinc triennio excusa, in literis nummorum examinandis occupatus fuerat, ita in hac, quæ in illis expressa vasa erant & signa alia, sibi constituit curatius explicanda, etiam explicavit eruditissime. Primum erat in nummis illis calix apertus, quem negat Clarissimus Auctor urnam Mannæ esse, ut visum est nonnullis, etiam Villalpando, cujus nummum in pri-

priore Tabula num. V. æri incisum exhibuerat; quia apertio aliquid vacuum significet, & in ipsius vasis medietatem vel oculis, si intendamus, liceat inspicere; deinde figura ipsa delineata sit calicis potius, quam urnæ, aut huic vasis similis. Urnam autem Mannæ in alio nummo ejusdem tabulæ contectam dicit conspici, ne quid heterogeneum incidat, ac purissimæ Mannæ misceatur. Id probari ait σάμνυ nomine ad Hebræos Epistola cap. IX, 4, quod ex Pollucis Onomastico illustrat, qui σάμνυς & σαμνία inter vasa vinaria numeret, unde Comicis sit *καταςαμνίζειν τὸν οἶνον*, *vinum in stamnos diffundere:* & Aristophanis Scholiastes in Batrach. act. 1. scen. 1. σαμνία δὲ καὶ σάμνυς τοὺς ἀμφορεῖς τοῦ οἴνου φασίν: quod etiam Phavorinus in Onomastico dixit, & Auctor Etymologici Magni. Sic stamnus amphora est his interpretibus: Amphora autem Isidoro in Originibus est ita vocata, *quod hinc & inde levetur, & ejus ansæ geminatæ videantur aures imitari.* Est enim idem quod ἀμφιφορεύς, qua voce Homerus usus est, eamque Hesychius exposuit, quod vas sit *ἑκατέρωθεν ὦτα ἔχον*, *cui ex utraque parte auris sit*, sive manubrium. Jam vero colligit, in dicto nummo vas utrimque auritum conspici, quod urnæ, qua Manna adservabatur, quam maxime conveniat. Nec enim amphoras tantum vini esse receptacula, aut alius liquoris, olei, muriæ, apud Catonem & Martialem; sed aridorum etiam, ut cinerum & ossium de busto collectorum, apud Homerum Iliad. ψ. de Patroclo: & auri, argenti, plumbi apud Corn. Nepotem in Hannibalis Vita cap. 9. Pergit de Amphoris disserere, quæ vel rudes erant, quibus pice obductis vel gypso, in cellis & horreis per multos annos vinum servabatur: & hæ plerumque fictiles erant, unde per κεράμια Eusthathius, Hesychius & Suidas interpretantur: etiam vitreæ, quemadmodum in Satyrico Petronius de Opimiano centum annorum vino, (quod ex Vellejo, Plinio, Martiale Noster describit) *statim allatæ sunt amphoræ vitreæ diligenter gypsatæ.* Addit de figuris amphorarum, easque depictas exhibet: etiam quid *jugulare Falernum* sit apud Martialem lib. 1. epigr. 19. exponit. Altera amphorarum species elegantioris formæ, non in cellis deponi solebat, sed cum phialis, scyphis, crateribus ostentari. Tales Lentuli Spintheri am-

amphoras ex onyche factas Plinius XXXVI, 7 memoravit: quibus & Urnam Mannæ, in nummis nitidius exsculptam, adnumerari doctissimus Auctor æquum censet. Postea in ipsam vocem צנצנת, ut urna illa Hebraice vocatur, inquirit, quam missis Judæorum ineptiis, a צנן vel צאן, Hebræis deperdita, Arabibus superstite radice, quæ recondere & servare sonat, deducit. Et quod in Targum hæc urna צלוחית translata est, de hac quoque voce ibidem disputat. Judæos autem, de urnæ materia varie sentientes, θεοπνεύστου Apostoli auctoritate configit, a quo στάμνος χρυσῆ, *vas aureum* appellatur. Hinc excurrit in auricularum amphoræ descriptionem, quales in urna nummi Wildiani etiam conspiciuntur. Græci ὦτα illas ansas vocant, & Homerus τρίποδ' ὠτώεντα Iliad. Ψ. quo *diota* Horatii etiam referenda est. Ex Polluce ac Phavorino plura hujus generis adduntur. Ab auribus vas tale festive Aristophanes ὄνον, *asinum* dixit: ad quem modum etiam Athenæi IV, 23 ὄνους γέμοντας οἴνου doctissimus Auctor interpretandos censet, quod γέμειν, etiam Casaubono observante, de interno onere, ut navium est; non de externo jumentis imposito, a Græcis usurpetur. Atque idem ex Petronii *Asello Corinthio in promulsidari* posito demonstrat. Philosophatur hinc de Sileni fabula, qui Bacchi famulus asello vehi fingebatur: & de voce κάνθαρος, *cantharus*, quam a κάνθων, *asinus*, putat derivatam esse: sed scitissimum & maxime ad fidem pronum est, quod de asino, seu capite asini profert, in Hierosolymitani templi penetralibus, quæ ethnicorum calumnia erat, dedicato. Ortum enim ipsi maledictum ab ὄνῳ, *asello*, videtur, id est aurito vase seu urna mannæ ibidem olim adservato: quod doctissimi Bocharti conjecturæ præfert, ex Coptica lingua calumniam explicantis, qua ΠΙΕΩ *asinus* prope easdem literas habeat, quas Scripturæ sacræ formula ΠΙ ΙΑΩ, פי יהוה, *os Domini*: quia non magis *os* Dei, quam *manum*, *oculos*, eodem modo sæpissime descriptos, Judæi adorasse dici possint: nec appareat, Ægyptios hujus calumniæ architectos primos exstitisse.

Sequitur Clarissimi Viri *Johannis Baptistæ* Ottii ad celeberrimum Relandum Epistola, ex qua hæc excerpta recensemus.


In nummo suo primo (duos autem nobilissimus Fromont, exul Gallus, æneos communicaverat, exesos quodammodo: quibus alii duo accesserunt) in primo, inquimus, nummorum delineatorum (quem nos Figura V, &, ut ex conjecturis restitutus est, Figura VI exhibemus) doctissimus Auctor conjectura restituit duos fasces, quorum in medio germinans virga superavit ceteras. Hos antea putavit fascem baculorum XII tribuum significare, e quibus unus tribus Levi seu Aaronis germinavit tulitque fructus. Quod vero duplex in nummo vel vas vel fasciculus apparet, mutata sententia existimat, in hoc & similibus nummis לולב *Lulaf* Judæorum signari, sive fasciculos, quibus in festo Tabernaculorum utebantur. Interjectis aliis de *Hosanna*, quo nomine & festum & fasciculum nuncupaverint; & de arborum genere, unde Lulaf Judæi petierint; putat vulgarem in multis Europæ populis hinc morem ortum esse, quo Calendis Majis arbores vel virides ramos ante domorum fores ponant, qui a tempore seu mense illo Meyen appellentur. Vas autem in tribus Relandinis & uno Hottingeri de צלוחית *lecytho* seu *ampulla* explicat, qua eodem festo e Siloam haustam aquam in ara exteriore libaverint: quod non modo ex Judæorum scriptis, verum etiam ex ipso sacro Codice tam Veteris quam Novi Testamenti constare putat, & eodem verba Esa. XII, 3, nec non quæ ipse Salvator noster Johann. VII, 37 in illo Tabernaculorum festo prolocutus est, referri posse, tanquam ab ritu illo petita, existimat.

TAB. VI. Fig. V. VI.

Fig. VII. VIII.

In nummis, quos exhibet numero 3, (nobis Fig. VII & VIII) vitis folium expressum esse contendit, & eo adfert Flori verba III, 5, Criticorum quidem dissensu vexata, ex Lipsii autem lectione (quam non tantum vulgatæ, sed Grævianæ etiam, propter eosdem nummos anteponit) ita restituta, *sub aureo vitem cælo.* Et quod Tacitus *vacuam sedem & inania arcana* dixerit, de simulacro Numinis, quo abstinebant Judæi, interpretatur, non quod nihil quidquam ibi visum fuerit; & τῷ πάνυ Grævio, id ex Josephi de Bello lib. VI, 14 probanti, eundem auctorem opponit ex lib. I. cap. 5. nisi hic sanctum templi cum sancto sanctorum confunditur. Quapropter aliud opinioni suæ præsidium quærit, & in vite aurea invenisse credit, quam, eodem Josepho te-

TAB. XI. ad A. 1705.



teste lib. XIV. 4, Pompejo Aristobulus dono miserat, eamque, si non surrepta ex sancto sanctorum fuerit, ad imitationem tamen ejus, quæ in sanctissimo loco custodiebatur, effigiatam fuisse autumat. Hæc ille de figuris nummorum; post quas de literis adscriptis ita judicat:

In primo Relandino legit שנת ארבע *anno quarto:* & aliorum collatione שנת שתים *anno secundo*: in postica לגאלת ציון *a redemptione* seu recuperatione *Zionis*, & in minore חרת ציון *libertas Zionis*. Deinde agit de Judæorum מנין שטרות *æra contractuum*, ad quam etiam I Maccab XIII, 41 respiciatur: de qua quod ex prima clarissimi Relandi dissertatione ante biennium dictum est, liceat jam nobis brevioribus esse. Ex annis, quos sic satis definitos doctissimus Auctor putat, colligit tandem, omnes Samaritanos nummos (exceptis siclis argenteis, si modo veri dentur) Simonis Maccabæi tempore percusos esse. Etiam in Ludolfiano nummo, priore Relandi Dissertatione expresso (quem vere Jobi Ludolfi, summi Viri, fuisse agnoscimus) legit שמעון *Simeon*, seu *Simon*; & in altera facie לחרות ירושלם *liberationis Jerusalem*; ac itidem sibi de altero minore, cum Ludolfiano ibidem delineato, etiam in Hottingeri Tabula III, nomen *Simonis* in serto legendum esse, persuasum habet. In suo primo nummo solitarium ח, Samaritice effigiatum, vel חרות, *libertas*, vel חצי *semis* legendum censet: licet semisiclum, ab Alstedio descriptum, pro ficto habeat, a nemine usquam vel visum vel possessum. Deinde siclos quosdam examinat, & suspectos novitatis ex signis haud dubitandis reddit.

Succedit clarissimi Relandi Dissertatio tertia, qua doctissimi Ottii Epistolæ amice ac placide respondet, &, in quibus ille dissentit, erudita modestia examinat, suamque in prima Dissertatione propositam sententiam tuetur. Quatuor autem sunt, in quibus secus sensit Ottius, quorum tribus tantum jam Relandus respondit: quartum præterit, aut meliori otio reservavit.

Primo, ubi ipse legerat in nummo שנתא רכד *anno 224*, clarissimus Ottius legit שנת ארבע *anno quarto*, videlicet ab initio principatus Simeonis. Sed neque in hoc, neque in altero, quem ille *secundum annum* putat præscriptum ha-

habere, nomen Principis Simonis invenitur, ſicut I. Maccab. XIII, 42. & XIV, 27: nec concedit doctiſſimus Auctor, ſub ſolo Simone nummos hujusmodi procuſos fuiſſe. Nec ex nummis illos annos probari certo poſſe demonſtrat, quia in Relandino ſit שנת ש, quod explicari poſſit *anno 300:* Ottianus nihil habeat niſi שתי; & quod diverſi typi ſint, defectum unius ex altero negat ſuppleri poſſe. De iſto autem nummo, quo Ottius *anno quarto* legebat, ad Diſſertationem ſuam primam Auctor noſter remittit, qua clare per ſingulas litteras, & illorum temporum ſcribendi conſuetudinem, docuerat, *anno 224* ſignificari, nec opus eſſe ut repetat. Hinc ad alteram faciem progreditur, qua ipſe legerat לגאלת מיון *liberationis a Græcis;* ille, *liberationis Zionis*, quæ etiam Joannis Harduini in Chronologia V. T. ſit ſententia, ut annus notetur, quo Simon arcem Zionis occupaverit. Diſſenſus ergo de poſterioris vocis litera prima eſt, quam ille צ, hic מ putat valere, quod ductus litterarum in libris & nummis non ubique ſibi reſpondeat. Sicut vero, exempli gratia, in ח manifeſta eſt diverſitas; ita poſſe etiam in מ eſſe Auctor cenſet: & dum ille מ vocis *Jeruſalem* in nummis perinde, ut in libris, formatum objicit; reſpondet hic, ectypos illos nummos eſſe, qui plerumque ad mentem & opinionem ejus, qui depingat, exprimantur: in ipſis autem Villalpandi & Kircheri nummis מ vocis Jeruſalem plane aliud eſſe, propiusque cum initiali litera vocis convenire, de qua jam ſit hæc diſputatio. Præterea diſtinguit inter Zionem montem, & inter arcem, quam Simon recuperavit, extra Zionem poſitam, I. Maccab. III, 50, ut lectio *Zionis* ne hiſtoriæ quidem conveniat.

Denique de palmis in tribus ſuis nummis addit, non faſciculos Tabernaculorum eſſe, qui ea denſitate ac forma pingi non poſſint, nec inde fructus palmæ pendere tam longe pendulo caule. In publicis lætitiis Judæos ramis palmæ uſos eſſe, Nehem VIII, 15, I. Maccab. XIII, 51. II. Maccab. X, 7; non ſummo totius palmæ cacumine, quod in nummis appareat, quia abſciſſio ejus toti arbori exitialis ſit: quod Salmaſii etiam auctoritate confirmat.

Quod vero Relandinos nummos lectiſſima virgo Maria Wildia ex paterno theſauro elegantiſſime depinxerat, ſicut Ottianos

nos Anna Wasera, Caspari Waseri, Viri post fata etiam laudatissi-
mi, abneptis; idcirco gemina elegia, in laudem præstantissimæ ar-
tificis Wildiæ composita. opusculum hoc Relandus noster fini-
vit, quæ plura moneri de Ottii epistola possint, alii tempori otioque
reservatis.

AUREUS CONSTANTINI AUGUSTI NUMMUS de Urbe, devicto ab Exercitu Gallicano Maxentio, liberata explicatus.

Romæ, typis Lucæ Antonii Chracas, 1703, 8.
plag. 2.

QUi antiquarios inter transalpinos doctrinæ & sagacitatis fa-
ma diu jam floruit, Clarissimus *Michael Angelus de la Chausse*, TAB. VI. Fig. IX.
nummo musei sui ex auro percuso, cujus antica pars caput Con-
stantini lauro cinctum, verbaque circumscripta *Constantinus P.
F. Aug.* postica vero Imperatorem equo insidentem, dextraque
protensa conspicuum, cum epigrapha *Gloria Exercitus Gall.* sub-
tus denique literas *P. Tr.* exhibet, dissertatiuncula hac justam æta-
tem figere conatur. In opinionem namque Illustris Comitis, Fran-
cisci Mediobarbi, qui ejus quidem mentionem fecit, sed anno
CCCVII Æræ Christianæ, quo cum Maximini Herculei filia Fau-
sta nuptias Treviris celebravit Constantinus, signatum esse sensit,
ea de causa concedere abnuit, quod illa tempestate, Gallicani militis
ope, Imperator nihil susceperit memoratu dignum. Licet enim
superiori anno Ascaricum & Regaisum, Francorum Reges, sub po-
testatem suam redegerit; istam tamen expeditionem neutiquam
hic commendari posse, eo quod Cæsareo solum axiomate tum
temporis eminuerit Constantinus. Augusti vero titulum a Ga-
lerio demum A. CCCVIII ipsi impositum fuisse, quem deinde
Senatus Romanus A. CCCXII, post celebrem illam victoriam de
Maxentio partam, virtutis ergo detulerit. Immorari paululum
videas hic Nostrum descriptioni arcus triumphalis, in honorem
Constantini inter Palatinum & Cœlium montes erecti, quem ex
destructis præstantioribus Urbis monumentis, Augusti, Trajani &
M. Aurelii puta, Baronii aliorumque fide asserit exornatum, abso-
lutum vero ipsis Decennalibus Imperii Constantini votis solutis, ac

Vicennalibus denuo susceptis. Tempus autem, quo nummum suum cusum existimat, in annum CCCXIII rejicit, cum nimirum Constantinus pacata Urbe, & sorore sua Constantia Licinio in uxorem data, in Gallias rediisset, ac Treviris aliquamdiu commoratus, in Francos atque Alemannos Rhenum transituros exercitum duxisset. Feliciissimum enim expeditionis hujus successum designare & alia duo numismata aurea, in quorum altero mulier plorans sub trophæo, addito lemmate *Gaudium Romanorum*, atque in inferiore parte *Francia*; in altero eadem figura cum voce *Alamannia* compareat. Præterea quoque supra laudatum Comitem Mediobarbum nummum aureum Constantini, Marte gradivo, hinc & inde duobus captivis ad pedes stipato, & epigrapha *Virtus Exercitus Gall.* illustrem, ad bellum istud referre. Cum itaque gloria virtutis comes habeatur, quin & utriusque nummi antica facies eandem inscriptionem *Constantinus P. F. Aug.* ostendat, hinc utrumque etiam uni eidemque anno vindicandum fore, Noster perquam verosimile credit, necquicquam contrariari, quod elogium *Maximi*, Constantino post domitum Maxentium Romæ tributum, in prædictis nummis non occurrat, utpote cujus nullum quoque vestigium exstet in numismatibus aversa parte *Gaudium Romanorum*; *Gloria Exercitus*; *Restitutori Libertatis*, aliaque verba præ se ferentibus, de quibus tamen certum sit, illa post reportatum de Tyranno triumphum cælata fuisse.

IDO WOLFFII OBSERVATIONUM CHIRURGICO-Medicarum Libri duo, cum scholiis & variis interspersis Historiis Medicis editi a JOHANNE CHRISTIANO WOLFFIO Medicinæ Doctore.

Quedlimburgi sumptibus Theodori Philippi Calvisii, 1704, in 4.
Constant $1\frac{2}{1}$ Alphab.

Repletus est præsens liber Medico-Chirurgicus maximam partem cruentis historiis, quas pro dexteritate & virili Ido Wolffius, Illustrissimi Principis Anhaltini Chirurgus νῦν ἐν ἁγίοις, conscripserat.

rat. Hic enim Chirurgi filius Chirurgiæ totum a teneris annis se consecraverat, cujus prima cum posuisset fundamenta, parte Inferioris Saxoniæ perlustrata, Daniam, Prussiam, Poloniam & Moscoviam adiit, præstantissimosque Chirurgos, scientia & manu peritos, conquisivit, ex iisque salubria præcepta avidissime hausit. Reversus ad suos, alterum meditatus est iter, inde in Belgium, deinde Angliam, hinc Galliam profectus, ibique Chirurgi castrensis munere per aliquot annos functus est. Quæ igitur diversis hisce in terræ plagis & regionibus vidit, audivit, vel dum Servestæ praxin exercebat, observavit, solerti manu consignare integrum duxit. Atque hæ sunt Observationes, quas Cl. Filius ipsius Latinitate donatas non solum publici juris fecit, verum etiam Commentario fere perpetuo ornavit, variisque historiis Chirurgicis, Medicis, atque Anatomicis firmavit, tum & causarum scrutinium addendo, rationibus Philosophico-Medicis illustravit. Ex omnibus quasdam nunc nominasse sufficiat observationes, quæ non ubivis obviæ existunt.

Sic *Libri I. Observatio 15.* jacturam oculi & tandem mortem ex pulvere pyrio tabaco admixto; *Obs. 16.* ex hemicrania cæcitatem & rupturam corneæ; *Obs. 20.* menses per mammas erumpentes; *Obs. 21.* vulnus in cordis cono sanatum; *Obs. 27.* vulnus ventriculo per transversum inflictum curatum; *Obs. 32.* intestinorum abscissionem sine ægri detrimento; *Obs. 39.* uteri verum prolapsum, & *Obs. 41.* partum post matris mortem recenset. *Lib. II. Observatio 4.* cephalalgiam a vermibus sub cute in vertice nidulantibus; *Obs. 15.* tumorem femoris per fascinationem inductum, & exemtis septem ossibus albis curatum allegat.

LIBRI NOVI.

Histoire du Vieux & du Nouveau Testament, enrichie de plusieurs Figures en Taille-Douce. Pr Mr. Basnage. A Amsterdam dans l'Imprimerie de J. Groenevvoud, 1705. 4.

De Synodi Carentonensis, a Reformatis in Gallia Ecclesiis A. 1631. celebratæ, Indulgentia erga Lutheranos, Dissertatio Theologico-Historica, Autore D. Thoma Ittigio. Lipsiæ apud Heredes Joh. Grossii, 1705. 4.

Quin-

Quinti Septimii Florentis Rivini, JCti, Enunciata Juris ad Ordinationem Processus Judiciarii Saxonici Electoralem collecta. Ex schedis edita Parentis a Filio D. Jo. Florente Rivino. Lipsiæ apud Jo. Frid. Gleditsch, 1705. 4.

Casparis Henrici Hornii, JCti, Jurisprudentia Feudalis Longobardico-Teutonica. Witteberga apud J. W. Meyerum & G. Zimmermannum, 1705.

D. Jo. Alberti Fabricii Bibliotheca Graca. Hamburgi apud Christianum Liebezeit, 1705. 4.

Wilh. Ern. Tentzelii Saxonia Numismatica Lineæ Albertinæ. Pars I. Prostat Francofurti ad Mœnum apud Frid. Knochium & Lipsiæ apud Ph. W. Stockium, 1705. 4.

D. Joh. Bartholdi Niemeieri de Conjugiis prohibitis Dissertationes junctim editæ. Helmstadii apud Sal. Schnorrium, 1705. 4.

Anacrisis Apocalypsios Joannis Apostoli, auctore Campegio Vitringa. Franequeræ apud Franciscum Halmam, 1705. 4.

Antonii Teisserii Catalogi Auctorum, qui librorum catalogos, indices, bibliothecas &c. scriptis consignarunt, Auctarium, seu Pars altera. Genevæ, apud Chouetum & Socios, 1705. 4.

Antonii Van Dale Dissertatio super Aristea de LXX Interpretibus. Additur Historia Baptismorum & Dissertatio super Sanchoniathone. Amstelod. apud Jo. Wolters, 1705. 4.

Andreæ Christiani Eschenbach Dissertationes Academicæ. Noribergæ apud W. Michaelis, & Jo. Adolphi, 1705. 4.

Theodosii Schöpfer Gerontologia, seu Tractatus de Jure Senum. Quedlinburgi, apud Th. Ph. Calvisium, 1705. 4.

D. Christoph. Franckii Demonstratio Deitatis Christi, ex immotis S. Literarum fundamentis deducta. Kilonii, apud J. S. Riechelium, 1705. 4.

D. Val. Ern. Löscheri Ion, sive Originum Græciæ restauratarum Libri II. Lipsiæ apud Heredes Grossianos, 1705. 12.

Conformité de la Foi avec la Raison, ou Défense de la Religion. Par Mr. Jaquelot, 1705. 8.

Voyage du Sieur Paul Lucas au Levant. A la Haye, chez Meindert Uytwerf, 1705. 12.

*** *** ***

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Julii, Anno MDCCV.

SAXONIA NUMISMATICA, oder Medaillen-Cabinet &c.

Hoc est:

SAXONIA NUMISMATICA, SIVE NUMMOPHYLacium Numismatum Mnemonicorum & Iconicorum, a Serenissimis Electoribus Ducibusque Saxoniæ Lineæ Albertinæ cudi jussorum, collectum a WILHELMO ERNESTO TENTZELIO, Consiliario & Historiographo Regio Polonico & Electorali Saxonico. Pars I.

Sumtibus Christiani Wermuthii, Numismatum Sculptoris. Prostat Francofurti ad Mœnum apud Knochium, & Lipsiæ apud Stockium, 1705. in 4. Constat Alphab. 1. plag. 7. & tab. æneis 16.

Opus præstantissimum, & cui simile in Germania nunquam hactenus fuit editum, aggressus est Amplissimus Tentzelius, dum Nummophylacium numismatum mnemonicorum & iconicorum, a Serenissimis Electoribus Ducibusque Saxoniæ cudi jussorum, pandere & ex historiarum monumentis illustrare instituit. Octo istud absolvetur partibus, quarum quatuor Lineæ Albertinæ, quatuor Ernestinæ consecrabuntur. Prima Albertinæ destinata est Duci Alberto, ejus conditori, successoribusque hujus ad Augustum usque Electorem claris. Secunda incipiet a Christiano I Electore, desinetque in Johanne Georgio I. Tertia a Johanne Georgio II fausta capiens auspicia, in hodierno Electoratus Principe Here-

de subsistet. Quarta Duces Weisenfelsenses, Merseburgenses ac Cizenses complectetur. Prima pars Lineæ Ernestinæ ab Ernesto Electore, illius conditore, usque ad Johannem Fridericum pertinget. Secunda dabit Lineam Coburgicam & Altenburgicam, pridem extinctas. Tertia adhuc florentes Lineas Vinariensem & Isenacensem. Quarta denique Gothanam.

Et solidam certe hoc in genere eruditionem a Celeberrimo Autore quisque sibi pollicebitur, qui eidem fortunam numismata talia noscendi & in ectypis colligendi tantam, quantam Historicorum Saxonicorum nulli antea, obtigisse cogitaverit. Quam ut ipse in præfatione Tomi primi, nunc prodeuntis, latius deprædicat, sic haustæ hinc notitiæ specimina non una hactenus jam in lucem publicam prodire jussit. Equidem quintuplex opus numismaticum edendi consilium cepisse se aliquando innuit, quo Historiam Invictissimi Imperatoris LEOPOLDI nuperrime defuncti, tum *Saxonicam* & *Brandenburgicam*, *Ecclesiasticam* denique & *Literariam* nummis illustraret. Cujus rei publice spem fecit in directa ad Serenissimum Electorem Brandenburgicum, hodie Borussiæ quoque Regem, dedicatione humillima Colloquiorum suorum Menstruorum, anni 1694. mensi Julio, splendidissimam Academiæ Fridericianæ Halensis inaugurationem depingenti, præfixa. Quin proximo anno ipse Berolinum accessit, optatoque ad nummophylacium Electorale gavisus aditu, Consiliario Begero, quem 20 Febr. hujus anni defunctum merito lugemus, rariora quævis commonstrante, in usus suos plurima descripsit. Unde natus est Brandenburgicorum numismatum Index mense Colloquiorum Julio 1695. Sed cum tota Serenissima Linea Saxonum Ernestina, defuncto D. Caspare Sagittario, Prof. Jenensi, A. 1694. Historiographi Saxonici characterem ipsi clementissime contulisset, sui omnino duxit officii, numismata Saxonica præ cæteris colligere atque describere. Cœpit ergo A. 1696. certis ea classibus disponere, optimamque *nuptiis* Gothæ-Ducalibus occasionem præbentibus, quæ in Domo Saxonica hactenus ejus generis prodierant, enumerare. Proximo statim anno tribus schediasmatibus illustravit, quæ in *Encænia*, in *Electrices Ducissasque*, ac in *Dies natales* cusa ipsi obtigerant, quibus A. 1699. numismata in *consecrationes baptismales*, *homagia*, *bellum*

pa-

pacemque, *ordines & ludos equestres*, *exequias* denique facta subjunxit. Quinque priores harum novem diatribarum auctiores dedit, cum Bielckius Jenensis A. 1700. uno omnes fasciculo comprehenderet.

Omnem vero industriam hactenus probatam multum superat labor, quem huic destinavit operi, quod Germanica pariter ac Latina lingua concipere instituit, ut summa Saxonicæ gentis gloria, non in Germania tantum nostra, sed quaqua patet Latina doctorum lingua, magis magisque resonet. Præterea figuras numismatum æneas ubique in tabulis peculiaribus repræsentavit, easdemque ex Historiarum & Genealogiarum monumentis docte illustravit.

Hac vice Tomus operis primus prodit, nummos a Serenissimis Electoribus Ducibusque Saxoniæ Lineæ Albertinæ cudi jussos complexus, e quo in specimen nonnulla huc afferemus. Initium facit Amplissimus Tentzelius ab ALBERTO, Duce Saxoniæ, qui ob res fortissime gestas *Animosi* cognomen merito tulit, hodiernæque lineæ Electoralis ab ipso denominatæ Parens felicissimus extitit. Hujus nullum se vidisse fatetur numisma mnemonicum, quod extra omnem dubitationis aleam positum fuerit. Utut enim aliqui superbiant thalero, quem Dux Albertus A. 1486. in electione Romanorum Regis Maximiliani I. Francofurti ad Mœnum cudi jusserit, sive in ludorum equestrium tunc celebratorum memoriam, sive, quod Albertus Præfecti Aulici Marescallique Regii instar tunc fuerit, ut statim in coronatione Aquensi ad dispergendum parati essent nummi; thalerum tamen illum supposititium, & ad monetam Frisiæ minorem, in libro monetarum Belgicarum Antwerpiæ A. 1627. edito delineatam, extensum effictumque videri affirmat. Nihilominus tamen duo in memoriam Alberti cusa affert numismata, vetustius unum, & alterum recentius, quorum istud Augusti Electoris mandato, hoc vero novissime a Wermuthio Gothæ sculptum fuisse, & quæ in isto brevius de vita obituque Ducis Alberti habeantur, prolixius exponere observat.

Pergit dehinc ad Ducem GEORGIUM, inter cujus numismata ea inprimis celebrat, quæ is in memoriam suæ in Ordinem

Aurei Velleris factæ cooptationis fieri fecit: quorum unum Diverso signatum, confert eum simili Friderici Palatini, infelicis Bohemiæ Regis, Imperiali admodum ominoso. Sed & istius meminit, in quo Georgius, tanquam *veteris fidei Assertor constantissimus & Ecclesiæ filius obedientissimus*, laudatur & deprædicatur. Curiosam sapit eruditionem, quod in gratiam eorum observat, qui, cur Dux Georgius modo cum, modo sine barba, uno eodemque nonnunquam anno, in thaleris effictus sit? anquirunt. Nempe A. 1534. Dominica *Esto mihi*, quæ in XV. Cal. Martii tunc incidit, obiisse memorat Georgii uxorem Barbaram, Casimiri Poloniæ Regis filiam, præcedente eam filia Margaretha, prima conjuge Joachimi II. Marchionis, post Electoris Brandenburgici; unde tantum concepisse Georgium mœrorem refert, ut, cum nullam iste barbam antea nutrivisset, nec numismatibus monetisve expressisset, emergente tunc luctus tempore longissimam alere cœperit, eamque ad vitæ usque finem retinuerit. Factum inde autumat, ut, quos pro Novi Anni mercatu A. 1534. Georgius cudi fecerit, unciales barba adhuc caruerint, quia mense demum Februario conjuge is privatus fuerit; sed qui nundinis Paschalibus & Michaelicis illati sint, eos longam ejus barbam ostendere addit, unde postea Barbati nomen Georgius acceperit. Quem anno ætatis suæ 66 adornari fecit nummum rarissimum elegantissimumque idem Georgius, in gratiam Concilii generalis excogitatum conjicit, quod Papa A. 1537. primum mense Majo ac deinde Novembri Mantuæ celebrandum indixit. Tunc sane Georgium, qui inter veteris fidei Defensores auctoritate opibusque præcipuus fuerit, minime negligentem se præbuisse, quin Legatis potius ad Concilium mittendis nitidissimum numisma destinasse credit. Licet autem Concilium Mantuanum impeditum fuerit, proximo tamen confestim anno triplicem occasionem istud numisma dispertiendi oblatam reputat, partim membris fœderis sub summi fide silentii adversus Protestantes a Catholicis Principibus sanciti; partim Regi Ferdinando, qui novæ arcis visendæ gratia, Dresdam mense Majo venerit; partim denique Statibus provincialibus, & illis cumprimis octodecim Nobilibus, quatuor Ecclesiasticis, & totidem e civitatum Magistratibus, qui debilioris

ris ingenii filio, Duci Friderico, ad gubernandam Rempublicam additi fuerint. Ultimum hoc fuisse censet numismatum ipsius Ducis Georgii jussu factorum; unicum namque hujus filium, tunc adhuc superstitem, mense Februario A. 1539. morte inopinata peremtum, infelicem Senem XV. Cal. Maji eodem anno, ætatis suæ 68. insecutum fuisse memorat. An quisquam subita tunc rerum omnium inversione, de nummis cogitaverit exequialibus, valde dubitat, ac nihil de illis unquam se vel legisse vel cognovisse innuit. Nummos tamen, quibus Georgius, aliquot post obitum annis, repræsentatus fuerit, indicare haud omittit.

Post numismata memoriam duorum ex Georgii filiis, secundi puta JOHANNIS, & quinti, natura simplicis & ad rerum gubernationem inepti, FRIDERICI, asservantia, ad ea properat, quæ HEINRICI Ducis referant effigiem, & singularem in successione fraterna fortunam, istisque mnemonicum addit in SEVERINUM Principem, Heinrici istius filium secundogenitum, qui a Parente Oenipontem missus, ut cum Regis Ferdinandi liberis educaretur, diem ibi supremum obiit, anno ætatis ineunte XII. in cœnobio Stambsiano sepultus; & gamicum in Heinrici ejusdem filiam primogenitam, Fribergæ A. 1515. natam, & anno ætatis decimo nono Georgio, Marchioni Brandenburgico, quinquagenario, matrimonio copulatam, cui aliud associat, cujus pars adversa, præter insignia Brandenburgica & Saxonica, refert dictum: DEUS. DAT. UTI. SPERO. & annum clↄ Iↄ XXXIV. Id quod rem magni momenti innuere reputat. Cum enim verba hæc ordinarium Marchionis symbolum haud exprimant, tacite eadem respicere arbitratur prolongatam, difficilemque dotis numerationem, quam a Duce Georgio negatam, Friberga demum interveniens præstiterit.

Pauca sunt, quæ de MAURITII numismatibus affert. Licet enim Principem hunc multa fortitudinis prudentiæque specimina, pace ac bello, ante turbas Smalcaldicas edidisse largiatur, nullum tamen hactenus in illorum gloriam numisma se deprehendisse profitetur. Potissima sub ipso cusa obsidionem respicere monet Lipsiensem, a Joanne Friderico Electore A. 1547. susceptam. Neque tamen illius dememinit, quod Luckius exponat,

 quod-

quodque Mauritium habitu Electoris indutum sistat; & in duobus nummis, in duodecimam ultimamque expeditionem, qua Elector tot victoriis coronatus vitam ipse amisit, cusis definit.

Omnium vero prolixissimus est in delineandis nummis sub AUGUSTO cusis. Maximus enim hic Elector, uti tot facinoribus heroicis inclytus, artiumque tam liberalium quam mechanicarum promotor singularis extitit, sic plurima quoque fabricari fecit numismata mnemonica. Non referemus ea, quæ exercitiis sagittariorum destinata fuerunt, sed iis potius aliquantum adhuc immorabimur, quæ altioris paulo videntur esse indaginis. Referas huc illa, quæ in aversa parte sistunt navem, mari agitatam turbido, scopulisque proximam, in cujus velis expansis Christus cruci affixus delineatur, maloque adstat Elector, gladium Electoralem humeris imponens, quem hostes undique equis adnatantes telis gladiisque petunt, ille autem Christo confidit, eum quasi allocutus: TE GUBERNATORE. Horum numismatum intentionem alibi quidem ad bellum Gothanum Noster retulerat, sed postmodum in eas delapsus est cogitationes, finito potius Principum conventu, Numburgi mense Januario & Februario A. 1561. habito, eadem consecrata, & exempla Electoribus & Principibus ibi congregatis postmodum transmissa fuisse. Quamvis prorsus inficiari nolit, typaria hæc ante vel post obsidionem Gothanam denuo impressa, præcipuosque militum ductores iisdem donatos fuisse. Hinc de numismatibus, quæ procul dubio in memoriam obsidionis Gothanæ facta sunt, ulterius disserit, & elegantissimum postea nummum, in memoriam Formulæ Concordiæ compositum, quo Elector Saxo Brandenburgicum amice complectitur, repræsentat. Utut enim ille annum referat 1574, annisque fere duobus interjectis, prima demum istius libri lineamenta ducta, eaque hinc exterorum Electorum Principumque Theologis ad recensendum transmissa, & denique A. 1577. aucta consummataque a tot centenis subscripta fuerint, suum tamen de hoc numismate assertum ita salvat, ut istud non ad initium modo, sed ad progressum quoque Formulæ Concordiæ spectare innuat. Neque indigna sunt consideratione numismata, quæ Annam Electricem *Natam Daniæ Reginam* appellant. Oviforme istud, quod ex

ex altera parte effigiem Augusti, ex altera vero Abrahamum ante altare, cui præter ligna filius Isaacus ligatus impositus, stantem gladiumque stringentem, cum epigraphe Germanica, *Abraham vertrauete Gott*, repræsentat, sententia peculiari sic interpretatur, ut innui eodem statuat negotium cum Augusti filio ex novenis unico superstite, *Christiano*, gestum, quo Elector eundem die 24. Januarii A. 1581. Consilii intimi Præsidem constituerit, bonoque publico quasi devoverit & immolarit, Deo cum Abrahamo adeo confidens, fore, ut is suo tempore Ecclesiæ Reique publicæ multam afferat utilitatem. Forte & curiosis non displicebunt bina numismata, Adamum ab Eva seductum præferentia, licet Pasquini scholam redolere videantur. Tacemus alia, quæ haud citra insignem animi voluptatem lustrari poterunt.

Cæterum cum numismatum nonnullorum prior saltem pars sive adversa, ad manus Nobilissimi Auctoris pervenerit, posteriori seu aversa deficiente, circulum ideo illis vacuum adjici curavit, ut curiosis ad prototypa pleniora exquirenda, sibique transmittenda, stimulum adderet.

ΑΡΡΙΑΝΟΥ ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΣ ΑΝΑΒΑΣΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΒΙΒΛΙΑ ΕΠΤΑ ΚΑΙ ΙΝΔΙΚΗ.

ARRIANI NICOMEDIENSIS EXPEDITIONIS Alexandri Libri VII & Historia Indica. Opera JACOBI GRONOVII.

Lugduni Batav. excudit Petrus van der Aa, 1704. fol.
Constant Alph. 4. pl. 5.

Nitidissimam hic Arriani Nicomediensis editionem exhibemus, quam summo studio multorumque labore annorum a se confectam, Cosmo III. M. Etruriæ Duci Serenissimo dedicat Celeberrimus Gronovius, quia in ejus Bibliotheca latuerant præstantissimi codices, quibus nitorem hunc suum de novo quasi regenitus Arrianus debet. Et materiam quidem longe nobilissimam, expeditionem scilicet maximi, post omnium memoriam hominum, Regis ab hoc autore luculentissime descriptam, se, ut hunc laborem susciperet, potissimum movisse ait Editor solertissimus. Inde jam ju-

juvenem se justam incessisse cupidinem, autorem hunc tot sordibus inquinatum purgandi: imprimis cum omnes adhuc editiones lectorum expectationem de intelligendo Arriano turpiter fefellissent, ipsique adeo editores, magni licet inter Eruditos nominis, Arrianum non intellexissent; præ aliis autem istius, quæ anno 1668. in Zelandia & Westfrisia prodierit, editionis autor nihil fere toto opere nisi plagiarium egisset. Se igitur, cum nullum Arriano parari præsidium, nullum intelligendo ipsi accendi lumen, nisi e codicibus MSC. optimis posse intelligeret, itinere in Italiam suscepto, clementia M. Hetruriæ Ducis, operaque humanissima Illustris Magliabechii, quatuor optimos codices nactum in Bibliotheca Medicea S. Laurentii, in alium etiam deinde Origenis Philosophumenis adjectum longe emendatissimum incidisse: unde meliora & saniora reliquis afferre, ipsumque Arrianum, opere per triginta annos expolito, restituere potuerit. Quo non parum contulisse dicit, quod illum etiam codicem acceperit, quo Bonaventura Vulcanius usus fuit: qui vel liberius paulo versa, vel a Latini sermonis commoditate aliena emendaverat, & alia quædam in ora libri apposuerat, quæ supponi mallet; quod bona se fide exsecutum ait Gronovius: prætereaque se varias lectiones, quas ille ex exemplari hujus Historiæ Augustano excerpserat, in communes usus adhibuisse, adeo ut jam perfectus & integer videri Arrianus queat, nihilque ipsi desit, quam unica lacuna de Hephæstione, quam vel ab aliis invento aliquo Arriani corpore suppleri, vel jam suppletam rectius tractari, cum Gronovio optamus. In notis suis ad Arrianum, id unum fere agit Gronovius, ut e codicibus MSC. sibi visis varias lectiones conferat, textum ab innumeris mendis purget, ea ratione interpretationis accuratioris fundamenta struat, atque adeo autorem tam afflicte corruptum, & tam invenustis interpretationibus deformatum, omni ex parte adjuvet. Lectionis quidem emendationem sæpissime optimo, quem appellat, codici acceptam refert. Ejus ope v. g. pro nomine Africano seu Ægyptio Ἀννύβας, Macedonicum nomen Ἀῤῥύβας restituit, eaque occasione etiam alia de nominibus Indicis & Macedonicis affert, p. 110. §. 22. Ex eodem codice, quem instar omnium esse dicit, de inventa elegantissima lectione, ubi χεῖν pro Infin. med.

med. χρῆναι ponitur, exultat p. 164. §. 70. Hoc denique prælucente, obſcuram & ab ipſis interpretibus magis etiam obſcuratam librorum Arriani ſexti & ſeptimi diſtinctionem detegit: & librum peculiarem de rebus Indiæ, ab aliis pro ſeptimo, ab aliis pro octavo Arriani libro venditatum, non cum Voſſio Indica ſive Indicorum nomine appellandum, ſed nomine Ἰνδικὴ, ſubintellecta voce συγγραφὴ ſeu χώρα, ſignandum oſtendit. Eſt tamen & ubi ab optimo codice iſto, & reliquis omnibus diſcodat, & vel ulceris aliquid adhuc ſubeſſe indicet, vel aliunde opem afferre ſtudeat Gronovius. Sic p. 179. §. 40. contra fidem & conſenſum omnium, etiam optimi, codicum, ex ipſa hiſtoriæ veritate & Suidæ citatione Arrianum emendat: p. 110. n. 22. vero in textu omnium codicum conſenſu adprobato, lacunam quandam alicunde forte ſupplendam ſubeſſe ſuſpicatur. Poſt textum accurate emaculatum, de verſione ac interpretatione, vel emendanda vel confirmanda, ſollicitus eſt Vir Celeberrimus. Ut ex innumeris vel unicum proferamus, p. 166. n. 76. voces ἀτὰρ ἐχ ἥκιστα τῷ τῆς προσκυνήσεως νόμῳ, quas tam mirifice interpretati Gronovio videntur alii boni viri, ut vix ab iis vel illas ipſas, vel omnis iſtius periodi connexionem recte fuiſſe perceptam opinetur, ita vertit: *tum etiam, quod in his non eſt minimum, ritu adorandi.* Alibi verſionem datam pluribus aliorum Autorum locis adductis illuſtrat, remque p. 167. §. 83. & Φράσιν pag. 166. §. 78. confirmat, & elegantiores Græciſmos p. 89. §. 96. variis exemplis, etiam N. T. adductis annotat. Alibi ſelectiores ex antiquitate Græca obſervationes, quæ Autori celeberrimo deeſſe non poterant, adfert: quales ſunt, quas p. 219. §. 11. 12. de nomine Βουκέφαλος & Βουκεφάλος, de variis equorum Macedonicorum appellationibus, de ipſo Bucephalo ejusque forma, ſigno, & capitis amplitudine, & plurimis aliis locis ex optimis Autoribus contexit. Frequentiſſimæ autem, ut in aliis operibus Gronovianis, ita & in his Commentariis Virorum doctorum cenſuræ occurrunt. Freinsheimium ſane p. 57. §. 94. dum velites τοξόταις includit, præ Latinitatis ſtudio inſanire dicit: eundem p. 65. §. 15. vagæ cujusdam & indecentis varietatis arguit: Scaligeri & Mauſſaci errorem p. 88. §. 94. notat: Henricum Valeſium in not. ad Excerpta Peireſciana p. 110. oſcitantiæ con-

vincit p. 89. §. 95, quia Arrianum de eo, quod Hercules Tartessius Tyriusque unus idemque sit, dubitare asserit. Imprimis autem autores editionis Frisicæ de A. 1668. nihil dicere vel ignotum, vel suum, p. 115. §. 42: Facium nasutissimum p. 110. §. 22. & 311. 1. ineptum & ridiculum p. 166. §. 76. esse: Vulcanium audacter & perperam autoris contextum mutare p. 89. §. 96. alios aliter errare perhibet: adeoque omnem operam, quæ aliis forte etiam moleste sedula videri possit, in Arriano suo ornando & vindicando usurpat. Eodem spectat & exercitatio appendicis loco addita, de fossa ex Euphrate. Cum enim magna cura Arrianus exsequatur alveum, qui Pallacopas appellatur, ut lectores cognoscant, quis sit qualisque, & cui bono ac usui illic fuerit ductus, indeque in Eruditorum libris nominetur; sui esse muneris duxit Gronovius, ut extremam manum operi admoturus, cum lectoribus communicaret, & quæ de hoc Pallacopa scripta repererit, & quid in illis ab Arriano verissimo & fidelissimo descriptore ejus digrediatur, ideoque prorsus rejiciendum sit. Primo igitur Salmasii de hoc opinionem in Exercitat. Solinianis p. 703. expressam ad verbum refert, eamque in Joh. Jac. Hoffmanni obscœnæ molis Lexico nonnullis mutatis repetitam esse, nec tamen ubique verum dicere ait. Inde Isaaci Vossii descriptionem examinat: & quamvis in ea quædam a vera rei consideratione alienissima esse declaret, istam tamen P. D. Huetium, tanquam egregium aliquid, suis Gallis in libello de Situ Paradisi p. 85. ostentasse; Marshamum vero paulo quidem prudentiorem, non tamen ab omni errore in hac materia liberum fuisse, allato prolixo Strabonis testimonio, variisque Facii, Vulcanii, Isaaci Vossii & Marshami versionibus, in Arriani locum lib. VII. in capitis 21 fine collatis & examinatis, docet. Potissimum tamen Is. Vossii versionem sub censuræ incudem revocat, eaque incredibilem errorum aggerationem contineri, per plures plagulas declarare sustinet. Nos alienissimum esse in disputando a viris doctis quibuscunque characterem illum, quo e Seneca allato opus hoc Gronovius claudit, cum ipsomet optamus: *Hinc sibi indulget, ex libidine judicat, & audire non vult, & ea quæ invasit tenet, & eripi sibi judicium suum, etiamsi pravum est, non sinit.*

OMI-

OMINOSUM NOMEN, CUJUS DUCTU URBS augusta URATISLAVIA centum anagrammatibus incrementa & fata sua turbato ordine adumbrat, auctore CHRISTIANO ROHRMANNO.

Lipsiæ apud Christ. Bauchium, 1705. 4.
Constat plag. 6.

SOlent ab iis, qui Poësin exactius callent, inter lusus metricos Anagrammata quoque numerari, quæ ab epigrammate vix aliter differunt, quam quod in illis inscriptio sit brevior, in hoc descriptio plenior; in illis nominis notatio, vel alterius ominis ex nomine deductio, in hoc autem simplex cujuspiam rei, vel personæ, vel facti indicatio fiat; in illis semper, in hoc rarius syllabæ ac litteræ mutentur. Nacta sunt statim ex viris doctis patronos haud minori numero, quam obtrectatores, quorum illi cum poësi nata natum quoque esse anagramma, & divinam quandam emphasin ex litterarum transpositione derivari, adeoque novum sortium poëticarum genus dici debere arbitrantur: isti autem nugas tantum difficiles, stultumque ineptiarum laborem adpellant, quando laureati quidam versifices unum idemque nomen ita misere lancinant, lacerant, transfodiunt, admutilant, discerpunt, ut vix nescio quis Podalirius sit illi sanando. Atque hanc ipsam controversiam magno fervore, coram Petro Wesenbecio, ante centum & quod excedit annos, discusserunt bina Gothanæ Scholæ lumina, ex quibus Joannes Weitzius Anagrammatomastigem, Andreas Wilkius vero illorum defensorem strenuum egit, quorum duæ de Anagrammatismis scriptæ ad Wesenbecium epistolæ, circa annum M DC III, Erphordiæ typis impressæ prodierunt. Equidem negari non potest, quod pleraque anagrammatum aut sensu plane cassa sint, aut obscura adeo, ut ad intelligendum Delio natatore opus esse cuivis videatur: quæ sane nominum truncationes nullius haberi debent momenti, & in causa fuerunt, cur isthæc litterarum carnificina, cui superiori seculo vates fere omnes certatim subscribebant, nostra ætate apud cordatiores vilescere atque antiquari cœperit. Cæterum ea, quæ sententiam in-

integre absolvunt, neque vim sensui inferunt, laudem omnino suam merentur, nec absque insigni delectatione legi possunt. Quem quidem in censum illa veniunt, in quibus e. gr. Sigismundus-*Musis dignus*; Eucharistia-*vis theriaca*; Piastus-*sat pius*; Logica-*caligo*; Galenus-*Angelus*; Civitas Norimbergensis-*nescis? urbium regina est*, scribitur. Novimus apud Erythræum in Pinacotheca de Aurato quodam Litteratore memorari, quod vaticinatus sæpe fuerit anagrammatibus: quæ res ne fidem omnem videatur excedere, eo facere possunt anagrammata, quorum ductu ex nominibus, laudator-*adulator*; Gustavus-*Augustus*; Cartesius-*Sectarius*; Calvinus-*Lucianus*; Faustus Socinus-*infaustus Socius*; Alstedius-*sedulitas*; Cornelius Jansenius-*Calvini sensus in ore*; ebrietas-*re bestia*; herba Nicottiana-*in bona charitate*; effingitur: quibus exemplis Morhofii τῦ πάνυ testimonium subjungimus, qui in suis de Lingua & Poësi Germanica Commentariis Part. II. Cap. XVI. ex nomine cujusdam per litterarum metathesin exsculptum fuisse narrat, quod is ipse homicidium aliquando patraverit.

Non infelix iisdem lusibus videtur esse Silesiorum natio, ad poësin præ multis aliis facta quasi & nata. Reusneros, Treutleros, Heermannos, Henelios, Cunrados, aliosque vetustiores silentio præterimus, quando nuperrime Christianus Rohrmannus *Uratislaviæ*, quæ Silesiorum metropolis est, clarissimum nomen centum anagrammatibus celebravit, quorum, quod ob rotunditatem numeri omnia sensum integrum non absolvant, illustrationi inserviunt additæ explicationes, stylo lapidari concinnatæ, in quibus incrementa urbis, fata varia, celebres Duces, illosque subsequutos Reges ac Imperatores, Status deinde Provinciales, situm loci peramœnum, structuram ædium magnificam, ampla commercia, cultos civium mores, arguta dictione adumbravit. Sunt enimvero inter illa quædam plane egregia, quibus Polonorum adversus Silesios odia, repurgata apud Uratislavienses sanctissimæ religionis dogmata, fidem incolarum erga Augustissimos Imperatores illibatam, intactam ab hostibus in tricennali bello urbem, mirum Senatus Breslei erga scholas & litteratos favorem, bonum regiminis publici ordinem, felicia juven-

ventutis ingenia, solum frumento fertile, aërem regionis salubrem, aliaque urbis memorabilia eleganter expressit. Dignam judicarunt hanc operam ex Mæcenatibus nonnulli, quam non modo typis Auctor exscriberet, sed Senatui quoque Illustri nuncuparet: qua ratione bina nobis ex urbis vocabulo anagrammata in memoriam redeunt, alterum quidem Italicum: *Viva l' Austria*; Latinum vero alterum, quo Uratislavia *lauta a Viris* dicitur, ab illis nimirum, qui ob præclara erga Celsissimam Domum Austriacam obsequia, & perennem ad juvandas stabiliendasque elegantiores litteras adfectum, tantam nominibus suis famam circumdederunt, ut in ipsos obvia in quibusdam Romanorum inscriptionibus verba quadrare omnino dixeris: POSTERI VIRTUTEM IMITANTOR.

M. JO. CHRISTOPHORI WOLFII HISTORIA Lexicorum Hebraicorum.

Witenbergæ, apud Christ. Theoph. Ludovicum, 1705. 8. Plag. 16.

Auctor Clarissimus Celeberrimorum in orbe literato Duumvirorum, J. H. Böcleri & D. J. A. Fabricii, exemplo excitatus scriptionem hanc succepit, qui cum Græcorum Lexicorum historiam tradiderint, noster operæ pretium facturum se esse putavit, si eandem operam Hebraicæ Linguæ præstaret. In quo negotio ita versatus fuit, ut integrum schediasma in quatuor capita distingueret, quorum primum Judæorum Lexicographos complectitur, serie Chronologica recensitos; secundum Christianos Lexicorum scriptores enumerat; tertium in eorum notitiam ducit, qui Lexica Hebraica vel promiserunt, vel perfecta in MSS. inedita reliquerunt; quartum denique illorum facit mentionem, qui consilia de optima Lexicon Hebraicum scribendi ratione dederunt. In eam vero præcipue curam incubuit, ut origines Lexicorum Hebraicorum assequeretur, priusquam ad Lexicographorum recensionem industriam applicaret; quo consilio ad Grammaticarum Hebraicarum origines attendit, cumque persuasus fuerit, Grammaticæ vocumque studium conjunctum semper fuisse, easdem utriusque origines existimare non dubitavit. Proinde

tribus potissimum argumentis utitur, e quibus probet, Judæos seculo post C. N. X, quo literarum principatus ad Arabes fere transierat, Arabum potissimum exemplo excitatos fuisse, ut Linguæ Hebraicæ rationes certis regulis comprehenderent. Argumenta illa partim a tempore, quo Grammaticæ Hebraicæ concinnari cœperunt, literarumque in eo statu, partim ab ipsis Hebræorum Grammaticis, partim denique a methodo, quam Grammaticos præcipue secutos esse constat, petenda putavit. Hanc suam sententiam tum Judæorum quorundam, tum Christianorum, Jo. Buxtorfii, Jo. Morini, J. H. Hottingeri, Bartoloccii aliorumque testimoniis confirmat, & tandem comparato utroque vocum Grammaticæque studio, ostendit, ad eandem temporis epocham Lexicorum Hebraicorum originem referendam esse. His explicatis, Judæorum Lexicographorum recensionem aggreditur, quam ita instituit, ut, quoad ejus per Historiæ Judæorum Literariæ tenebras fieri potuit, constituto, quo singuli vixerint, tempore, de ratione, quæ singulis, in negotio hoc expediendo placuerit, esset solicitus. Familiam Judæorum ducit R. *Menahem ben Sarugh*, qui sæculo post C. N. X exeunte vixit: agmen claudit R. *Juda Jonas*, qui nostra memoria Lexici Hebraici conscribendi consilium cepit, sed non æque exsecutus est, de quo exponit Bartoloccius P. III Biblioth. p. 52. Hinc Christianorum Lexicographorum recensionem eadem ratione exorsus, examinata quorundam opinione, qui ante Jo. Capnionem seu Reuchlinum, ex Christianis nonnullos Hebraicæ Linguæ copias in Lexico Hebraico disposuisse putant, evincit, Reuchlino laudem hanc relinquendam esse: qua occasione de odio, quod Vir optimus ex studio Linguæ Hebraicæ, isto sæculo insolenti, apud plerosque incurrit, fusius exponit, & alia monet, quæ ad pleniorem laudati Viri cognitionem pertinent. Hunc alii Christianorum Lexicographi ordine excipiunt, de quorum plerisque modestum Auctor formare solet judicium, idque sæpius ὁμοψήφοις aliorum testimoniis confirmat. Quod ut exemplo constet, B. Joh. Foersteri, de quo Class. II. §. 9. disseruit, mentionem faciemus, cujus quidem Lexicon multis nominibus commendat, & ex eo potissimum, quod ille inter primos omnium felicissime copiosissimeque, in indaganda formali vocum Hebraicarum significa-

ficatione, cujus magnam in Lingua Hebraica rationem habendam esse censet, versatus fuerit, auctorque & dux exstiterit celeberrimis sæculi nostri Lexicographis, *Neumanno* scilicet, *Wegnero*, & *Gussetio*, ut eandem viam insisterent. Nihilominus tamen nimium ejus in Judæos odium reprehendendum putat, quod effecerit, ut de eorum laboribus & notitia Linguæ Hebraicæ sinistre judicaret, eamque nullo loco habendam esse statueret, imo homines illos pessimi criminis insimularet, & corrupti sacri codicis ageret reos. Eandem rationem in æstimandis reliquorum Lexicographorum laboribus secutus est, inprimis vero in Cl. *Casp. Neumanni* & *Jac. Gussetii* methodo exponenda multus est §. 52. & 55. De qua quid sentiat, multis dicere per instituti rationem non licet: illud tamen omittendum non est, quod singulare utriusque studium, in certitudine Linguæ Hebraicæ vindicanda, & eliminandis ex ea antiphrasticis loquendi rationibus, laudet maxime & commendet. Desinit tandem in recensione *Portæ Linguæ Sanctæ*, quam Venerandus Vir M. *Paul. Mart. Alberti* novissime omnium Hebraicæ Linguæ studiosis aperuit. Dum in Classe III Lexicorum ineditorum meminit Autor, §. 4 inprimis dolet, *Fr. Junii* Lexicon Hebræum, cujus specimen Colomesius p.140 Opusculorum in Is. Vossii bibliotheca exstare testatur, Imbonatus vero p. 44 Bibliothecæ editum esse falso putavit, ad finem non fuisse perductum, de quo Viro plura scitu digna affert, quemadmodum ibidem §. 11 de Jo. Drusio pluribus disserit. In Classe IV Aug. Pfeifferi, Andr. Mulleri, Sam. Bohlii, Abrah. Gibelii, Th. Bangii, & D. Gothofr. Wegneri de concinnando Lexico Hebraico absolutiore consilia perpendit, & §. 8 optat, ut desideratissimum & nuper iterum in dissertatione epistolica de noviter tentatis in litteratura Hebræa promissum opus Venerandi Dn. D. Val. Ern. Lœscheri, Delicienssium Antistitis, *de causis Linguæ Hebraicæ*, publicæ luci exponatur, quia nihil ab eo exspectari possit, quod non ingenio inventum & elaboratum industria sit. His appendicis loco Auctor accedere jussit catalogum scriptorum, qui peculiaribus Lexicis significationes Nominum Propriorum, quæ Hebræa, Chaldaica, Græca aliisve linguis expressa in V. vel N. T. occurrant, qui data opera & singularibus scriptis hoc egerunt; quos sequuntur,

tur, qui in alius argumenti ſcriptis obiter quaſi, vel certe non adeo accurate idem tetigerunt argumentum, quo refert Dictionariorum Univerſalium Scriptores, qui eruditorum ſermonibus celebrantur, quales ſunt *Car. Stephanus*, *Nic. Lloydius*, *Jo. Jac. Hofmannus*, *Lud. Morerius*, & noviſſime accuratiſſimeque omnium *Pet. Baylius*, quorum labores pro merito laudantur. Hæc brevis eſt totius ſchediaſmatis ſciagraphia, quod paſſim variis annotationibus eſt inſtructum, quæ tum ad pleniorem Lexicographorum, de quibus diſſerit, notitiam faciunt, tum varia Hebraicæ Linguæ & Antiquitatum Judaicarum momenta elegantiorisque literaturæ capita illuſtrant. Sic p. 10 ſqq. in notis refutat eos, qui cum Jo. Clerico ac Campegio Vitringa, hiſtoriam de commixtione Linguarum Babylonica aliter interpretati ſunt, eamque non niſi de animorum diſſenſione accipiendam cenſuerunt. Ibidem p. 12 recenſet eos, qui hiſtoriam Linguæ Hebraicæ perſcripſerunt, & p. 13 laudat præcipuos, quorum induſtria in conſtituendo typographiæ inventore elaboravit. Hinc p. 24 ſq. Steph. Morinum & Richardum Simonium confutat, qui punctorum vocalium originem ab Arabibus repetere non dubitarunt. Jarchii appellationem minus accuratam eſſe, & cum Iſaaci nomine commutari debere evincit p. 31. Summam fuiſſe Judæorum in deſcribendo ſacro codice diligentiam, probatur p. 44 ſq. variis hanc in rem allegatis auctoribus, ubi ſimul p. 46 mos loca S. Scripturæ ex memoria allegandi, Patribus ſolennis, immutationi eorum ſæpe occaſionem dediſſe obſervatur. Danielem a Judæis minus recte ex Prophetarum numero removeri, docet. v. 51 ſq. & p. 53 variæ libros inſcribendi rationes, Orientalibus receptæ & pleræque obſcuræ illuſtrantur. Varii Imbonati errores, quos in allegandis auctoribus commiſit, notantur p. 75. Ἀυτοδιδάκτων exempla, & qui de his commentati ſunt, ſcriptores habentur p. 97. De craſſa Judæorum ignorantia variorum teſtimonia afferuntur p. 100 ſq. qui p. 106 ſq. a corrupti ſacri codicis ſcelere immunes pronunciantur, variis, qui huc ſpectant, allatis auctoribus. Illorum notitia, qui alias linguas cum Hebraica contenderunt, peti poteſt ex pag. 111. Plures qui longum temporis ſpatium elaborandis ſcriptis impenderunt, recenſentur p. 121-123. De poeſi Hebræorum Lectorem inſtruit p. 137 ſqq. &

p. 144

p. 144 sq. non contemnendum scriptorum numerum, qui Hebraica Judæorum scripta ad Buxtorfii exemplum congesserunt, exhibet. Ex his exemplis judicium facile formari potest de reliquis annotationibus, quas Auctor subinde non exiguo numero contextui sermonis adspersit. Cæterum in schediasmate hoc conficiendo Bartoloccii & Imbonati laboribus usus est, sed ita, ut subinde utriusque errores animadverterit & emendarit.

SOLUTIO PROBLEMATIS PASCHALIS.

Romæ, typis Rev. Cam. Apost. 1703. in 4. maj. Constat plag. 13, cum 5 Tab. æneis.

IN hoc Opusculo Illustris Autor (quem *Franciscum Blanchinium* esse, Summi Pontificis Magistrum Cubiculi hoc tempore Honorarium, ex eo ipso accepimus, cujus beneficio libellus ad nos pervenit, Reverendo Abbate *Dominico Passionco*) sibi hoc problema solvendum proponit: *An disponi possit Cyclus Paschalis, constans annis Gregorianis, qui Pascha semper indicat tempore congruo, h. e. mense primo, die Dominica intra hebdomadam tertiam Lunæ?* Quamvis vero multi *Mathematici* negativam amplexi fuerint, *Noster* tamen affirmativæ veritatem se evicturum confidit. Demonstrationis loco affert ipsum Cyclum a se constructum, quem Octogrammum ideo vocat, quia Epactis saltem utitur ad investigandam Novilunii diem, octo autem literis in Calendario Romano antiquo olim ordine sæpe recurrente per totum annum continuatis (quas Nundinales communiter vocant omnes, *Noster* vero ad Cyclum Lunæ pertinere credit) ad indicandam Lunam decimam quartam, ante quam per Canones *Concilii Niceni* Pascha legitime celebrari nequit. Ast ne hac ratione oriatur confusio cum literis Dominicalibus, loco literarum *Julii Cæsaris* A B C D E F G H, assumit sequentes L M N O P Q R S. Ut igitur novi hujus Cycli Octogrammi veritas pateat, postulata quædam, rationem numerandi Lunam decimam quartam ac diem æquinoctii definiendi concernentia, præmittit: quoniam, ut notum est, in computando Paschate omnis labor huc redit, ut indicetur dies Dominica, Lunam decimam quartam, post æquinoctium vernale primam proxime sequens. In postulato

cha Alexandrino producta; usu & doctrina SS. *Athanasii*, *Ambrosii*, *Cyrilli*, *Proterii*, *Paschasini* & *Leonis Papæ* comprobata. Cæterum pleniorem Cycli sui octogrammi expositionem in peculiari opusculo pollicetur *Autor*, in quo singulorum assumtorum rationem redditurus est. Interea hunc suum Cyclum *Mathematicorum* censuræ proponit, rogans, ut si ullius anni Pascha minus recte ordinari cognoverint per numeros ejusdem Cycli, id velint libere arguere ac distincte notare: quorum judicia cum enixe flagitet, atque eadem se revereri plurimum profiteatur,
Tab. VII. Tabulam præcipuam hic subjicere visum est. Ipse vero Autor Expositioni Cycli sui Octogrammi geminam subjungit appendicem. In prima dubia solvit, quæ occasione Cycli sui Octo-
dub. 1. grammi proponi possunt. Quærit scilicet 1. Num major habenda sit ratio decimæ quartæ diei Lunæ ac Plenilunii, quam Novilunii, in disponendis Epactis Cycli? ubi affirmativam amplectitur,
dub. 2. tanquam Canonibus Bullæ *Gregorianæ* additis conformem. 2. Quale sit criterium rectæ connexionis dierum cycli cum plenilunio & quarta decima? ubi respondet, quartam decimam Cyclarem, comparatam cum plenilunio medio, recte positam, si immediate præcedat diem civilem, in quam incidit Oppositio media, vel si cum eadem die civili Oppositionis mediæ aliquando concurrit, dummodo dies 14 Cycli totam non excludat quartam
dub. 3. decimam mediam. 3. Num recte posita decima quarta cyclari, ætas Lunæ vere proposita videatur ex Epacta illi quartædecimæ respondente, adeo ut legi ita possit in *Martyrologio*, juxta antiquum Ecclesiæ morem; & num omnia, quæ *Gregorius* sancivit, exacte custodiantur? ubi iterum affirmativam probat per Cycli
dub. 4. sui Octogrammi cum præceptis *Gregorii* convenientiam. 4. Num dies Novilunii ex Epacta Cycli Octogrammi constanter inveniatur, ut vera dici possit ex veteri more, vel a jugatione media, vel a prima phasi? ubi respondet, quamdiu in Epactis Cycli nec præcessio motuum mediorum ad Meridianum Romanum relata major occurrat, quam horarum 12, nec postpositio major, quam horarum 24; tamdiu ætatem Lunæ juxta morem antiquum Ecclesiæ & Bullam *Gregorianam* vere proponi. 5. Num Cyclus Octogrammus legem Cycli tantum servet in literis eorumve numeris, an

…licandum nouilunium, et …nnali, et Octagrammo. …rum 1184.

IX 2400	X 2500	XI 2600	XII 2700
R 5 IV	O 5 XXIX	O 2 XXIII	L 3 XVIII
XV O 3	X L 4	V Q 5	XXIX O 5
XXVI R 6	XXI Q 3	XVI N 3	X L 4
VII O 4	II L 5	XXVI R 6 XXVII Q 6	XXI Q 3
XVIII L 3	XIII Q 4	VII O 4	II L 5
* N 5	XXIII O 2	XVIII L 3	XIII Q 4
XI S 4	V O 5	* N 5	XXIV S 6

Tabula III aßignans cuilibet anno literam Dominicalem ex Cyclo solis XXVIII stylo Gregoriano. Saecula Periodi Clementinae

Anni Expansi cuiusque saeculi				I 1600 B V 2000 B IX 2400 B	II 1700 VI 2100 X 2500	III 1800 VII 2200 XI 2600	IV 1900 VIII 2300 XII 2700
0	28	56	84	b a	d c	f e	a g
1	29	57	85	g	b	d	f
2	30	58	86	f	a	c	e
3	31	59	87	e	g	b	d
4	32	60	88	d c	f e	a g	c b
5	33	61	89	b	d	f	a
6	34	62	90	a	c	e	g
7	35	63	91	g	b	d	f

an etiam in Epactis? ubi respondet, se præcipuam legem servare in numeris literarum, unde & Octogrammum appellarit; in Epactis vero servari Cyclum decennovennalem successionis instauratæ per enneadecaëteridas quocunque seculo.

Appendix altera duas habet partes. Prima ostendit rationem decimæ quartæ Paschalis, & cujuscunque diei Lunæ numerandæ; in qua juxta Patrum monita, & leges Pontificum atque Conciliorum, summopere cavendus sit concursus Lunæ decimæ quartæ cum die Paschali; & hujus excursus ultra tertiam hebdomadam Lunæ, quod utrumque per suum Cyclum constanter præstitum iri profitetur. Pars altera anni Solaris quantitatem ex observationibus definit, & cum *Gregoriana* comparat. Ex observationibus suis, collatis *Waltherianis*, Autor quantitatem anni Tropici colligit 365 d. 5 h. 49'. 2''. 38'''; ex iisdem atque observationibus *Hipparchi*, eandem deducit 365 d. 5 h. 49'. 0''. 24'''; ut adeo differentia sit 2'. 14''. Cumque *Cassinus* ex observationibus *Hipparchi* atque suis, eandem derivaverit 365 d. 5 h. 49'. 1''. 31''', tuto quantitatem anni assumi, qualem *Mathematici Gregoriani* assumsere, nempe 365 d. 5 h. 49'. 12''. Illam enim 12 sec. differentiam ex *Hipparchi* observationibus, consentiente *Cassino*, dirimi non posse: cum organa, quibus ille in observandis æquinoctiis usus, ipso *Ptolomæo* haud diffitente, quartam diei partem non satis exacte definiant.

Colophonem opusculo addit Adhortatio ad eos, qui de Cyclo judicaturi sunt. Indicat in ea ipse Autor Paschata, quæ præsenti seculo in controversiam vocari poterant, nempe annis 1700, 3, 7, 10, 20, 24, 27, 34, 44, 47, 54, 74, 78, 81, 98, quibus in Paschate indicendo communes Tabulæ a Paschate Cycli Octogrammi spatio unius hebdomadæ; & annis 4, 23, 42, 61, 80, 99, in quibus eædem ab eodem spatio unius Lunationis dissentiant: atque monet, in examine Tabularum communium nullam rationem habendam esse illorum annorum, in quibus numeratio Epactæ communis loco quidem movet quartam decimam

Paschalem, in aliam diem transferens ab ea, quæ illi juxta hypotheses congregationis *Gregorianæ* deberetur; sed legitimum tamen Paschatis diem idcirco non turbat. Examinat quoque ipse Pascha anni 1707, atque contendit, illud juxta Canones Concilii *Nicæni*, decreta *Gregorii* & *Auctorum* præstantiorum sententiam, qui Calendarii emendationem promoverunt, d. 17 Aprilis indici debere.

XENOPHONTIS OPERA OMNIA, QUINQUE Voluminibus comprehensa, Græce & Latine, curante EDUARDO WELLS.

Oxonii, e Theatro, 1691, 1693, 1696, 1700, 1703, in 8. Constant Alphab. 6 plag. 17, præter figuras aliquot æneas, & chartas geographicas.

PRæclare utique sibi consultum statuent φιλέλληνες, quod cum a plurimis retro annis Xenophontem in librariorum tabernis anxie desideraverint, neque intra seculi spatium, & quod excurrit, Leunclavianam illam elegantissimam ulla alia, nisi forte Parisina de A. 1654 nova habenda, editio exceperit, Oxoniensium tandem beneficio conjunctim teneant tersissimi Scriptoris opuscula auro quovis cariora. Licet enim studiosæ pubis emolumento prodesse maxime voluerit Clarissimus Editor, quæ ut in Anglia Grajis deliciis maturius ac felicius, quam vix alibi, innutriri solet, ita illarum promos condos in nativo splendore, sine peregrino notarum apparatu, familiares sibi reddere docetur, non poterit tamen non adultioribus quoque institutum hoc valde commendari, siquidem variantes lectiones & criticas observationes parcius attextas, judiciosa operum dispositio & diversa alia ornamenta largiter pensant. In quinque autem volumina dum Xenophonteam supellectilem universam distribuit Noster, primum continere jussit libros VIII de Cyri majoris institutione; alterum de Cyri minoris expeditione libros VII; tertium Hellenicæ Historiæ libros VII, una cum Chronologia Xenophontea, quæ Celeberrimum, atque in temporum calculo signando acutissimum Dodvvellum autorem habet. Proximum ab hoc in duos tomos abit, ita ut alter præter Memo-

morabilia Socratica, Socratis etiam Apologiam, alter librum Oeconomicum, quin & Oeconomicorũ Ciceronis, in quibus hic Paraphrasten Xenophontis egit, fragmenta Latina exhibeat. Ultimum denique reliquos minores tractatus omnes complectitur, iterum duabus constans sectionibus, quarum prior Orationem de Agesilao Rege, de Rebusp blicis Lacedæmoniorum atque Atheniensium libellos, Convivium, Hieronem sive Sermonem de Rege, Rationes item Redituum seu de Proventibus commentatiunculam includit: secunda vero libros de Re Equestri, de Magisterio equitum, quem ad Gryllum filium scriptum putant, de Venatione, tum & fragmenta Epistolarum, ac Veterum, Græcorum inprimis, testimonia de Xenophonte comprehendit; quibus subnectitur series Chronologica Imperatorum Persicorum, ad examen paulo ante laudati Dn. Dodwelli revocata, nec non rerum memorabilium Index copiosissimus. Tantum de structura exteriore, quam Doctissimus Editor hic perquam apposite observavit. Interiorem elaborationem quod attinet, ipsemet in Præfatione ostendit, Græcum textum ad Heinrici Stephani & Leunclavii impressa exemplaria a se proponi, neutri autem semper fidem additam, sed discrepantibus a se invicem lectionibus, illam civitate donatam, quam vel Autoris sensus, vel verborum connexio efflagitare visa sunt. Interpretationi vero Latinæ Leunclavii presso se gradu inhæsisse ait, nec ab illa facile discessisse, nisi ab Autoris mente aperte divortium fecerit. Denique tam textum, quam versionem, in capita & sectiones congruas dispertiendo, legentium commodo se velificatum profitetur; quemadmodum & e quatuor tabulis geographicis huic editioni insertis, tres primum a se delineatas offerri, quartam, quæ Cyri expeditioni inservit, P. du Val deberi meminit. Tandem inter præcipua editionis suæ ornamenta merito numerat Chronologiam Xenophonteam, supra indigitatam, quæ Thucydideæ proxime succedit, resque in Græcia per XLVIII annos gestas, atque a Xenophonte literis consignatas, accuratissimo mensium, imo quoque nonnullibi dierum quibus singulæ acciderunt, intervallo metitur. Quod ipsum quanti laboris Summo Viro fuerit, quilibet haud difficulter divinaverit, qui Petavii & Petiti in hac palæstra agones limis saltem oculis adspexerit.

LIBER

LIBER SATYRARUM SEXDECIM FREDERICI NOMII, Anglariensis, Presbyteri, Arguti inter Concordes Academici Insensati.

Lugd. Bat. apud Jord. Luchtmans, 1703. 8.
Constat plag. 12.

SErius ad nos, quam par fuerat, pervenit hoc Satyrarum opus, quod Juvenalem, quem antea Italice haud infeliciter transtulerat, imitatus Auctor Clarissimus composuit, Illustri Viro Antonio Magliabechio dedicatum. Constat id sedecim omnino Satyris, quarum prima Prospero Mandosio, *cur Satyras scribat?* exponit, & dum aliorum Poetarum vitia recenset, Catellam etiam, haud ignobilem alioquin Poetriam, quæ & hujus seculi, & antiquos Poetas, ipsumque Maronem superasse existimetur, perstringens, sibi propositum esse ait, ut ostendat more sacrorum Concionatorum, quæ putet vitanda, utque in vitia, non in personas invehatur. In secunda Satyra, quam ad Magliabechium ipsum dedit, *hodiernum & antiquum tempus de vitiis colloquentia* inducuntur; ubi inter alia impudentiam nonnullorum scriptorum sugillans, multis verbis exsecratur Auctorem libelli famosi, adversus eundem Magliabechium, Virum integerrimum, instigatione & invidia cujusdam, quem Curculionem ficto nomine vocat, conscripti. Tertia Satyra, quæ Bernardino Ramazzino inscripta est, *ineptias hominum in testamentis* evolvit, domestico, ut apparet, exemplo irritatus. Quarta ad Petrum Cannetum Abbatem Camaldulensem dirigitur, & *de indignis acquirendi modis* conscripta est, fictioneque haud ineleganti constat. Quinta *de malis Principum ministris, & de ingrato Principum animo erga bonos fidosque ministros* agens, Carolo Antonio Sinibaldo inscribitur, in qua sua quoque fata depingit, & imprimis Mecænates sibi deesse queritur. Ita enim de suis carminibus p. 67:

Semisepulta jacent perituris condita chartis
Omnia, nec spes ulla manet; contraria Phœbo
Nam Procerum mens est. Pereant. Ego cætera sperno.
Europæ at decore optarem mihi Buda superstes
Viveret, & longos Thuscis legeretur in annos.

Lo-

Loquitur autem de Poemate Heroico, quod Etrusco sermone scriptum prelo paratum habet. Sexta, quæ Francisco Redi consecratur, quantum in Medicina tum Veterum tum Recentiorum versatus sit, docuit, quippe dum *ab observationibus illustrari Medicinam* probat, inutilia nonnulla Medicorum inventa sugillat, utilia laudat. Septimam Poeta ad Poetam Joannem Franciscum Bonomi dedit, in qua multa sunt jucunda *de Pedissequarum pravitate*, at, quæ de sua pedissequa refert, jucundissima. Octava, qua *in Adulatores* invehitur, summo pariter Poetæ Jo. Francisco Rotæ dicata est, a quo elegans Epigramma recepit Noster. Quod idem præstitit Godefridus Gulielmus Leibnitius, ad quem Satyram nonam dramaticam, qua *Versipelles* colloquio inter *Poetam* & *Musam* instituto considerat, transmisit. In decima Auctor diversus a Juvenali, qui castrensem vitam urbanæ anteponit, *damna belli*, ad Poetam maximum Vincentium de la Vitella a Filicaria, luculenter describit. Sed imprimis elegans est sequens, qua Jacobum Gronovium compellat, Satyra, quocum ei, ut ex utriusque præmissis epistolis patet, frequens olim Pisis sermo fuerat. In ea *de injustitia sub optimo Principe* agit, & se quoque ab aulico quodam afflictum queritur. Duodecima, quæ *non esse deflendas diuturnis lacrymis uxorum mortes* docet, ad Jo. Georgium Grævium, qui nuper exstinctus nunquam satis lugeri poterit, dirigitur. Hic & vitia quædam mulierum describit, & quæ commoda mors afferat, ostendit, obscuritatemque in fine excusat, quod ea a satyra vix removeri possit. Cæterum illud nobis observasse sufficit, quod ad verba, *Cucurbita cum sale*, quod vetus dictum est de sapiente, notat, ideo Academiam Inthronatorum Senensium pro corpore erigere cucurbitam, in qua sal servetur, cum lemmate: *intus meliora latent*. Inde Satyra decima tertia prolixius de se ipso agit Auctor, *paucis se minimisque rebus contentum agere extra patriam*, probans; nec ingratum Lectori vel Auctori nostro erit, Benedicti Bachinii, cui dicata est, judicium ex epistola ejus responsoria, ad finem Satyræ subjuncta, hic adscribi. Est autem hoc: *Quid Satyræ tuæ desit, non video. Sermo non modo Latinus, sed Satyram decens; vivida, & alacris ingenii vis, qua ictu eodem, diversa, quotquot offendis, vitia perstringis & jugulas; festiva gravitas, quam sententia-*

tiarum frequentiam sale condis; rerum copia, per quam Satyram vere saturam scribis & efficis; imitatio diligens, qua quisque corruptissimo in seculo vitiosus se sibi objectum sentiat; omnia tandem ad optimam prudentis & philosophi normam rigide castigata. De sequenti Satyra Francisco Berrettario dedicata, *de Justitiæ impiis Satellitibus* inscripta, nihil dicemus, ne prolixiores simus. Neque reliquis duabus immorabimur, quarum altera *de exoticis eduliis, titulis, aliisque rebus nostra ætate quæsitis cum excessu*, Salvatoris Perotti; altera *de nimis cupidis rei familiaris*, Petri Andreæ Farzonii de Accoltis præfixa nomina habet.

DN. NICOL. CHRISTOPHORI S. R. I. L. BAR. & Equit. de LYNKER &c. Consilia seu Responsa cum argumentis, summariis & indicibus.

Jenæ, apud Ern. Claud. Baillar, 1704. fol.
Constant 15 Alph. 11 Plag.

QUi nuper aliquot Decisionum Centurias in lucem edidit Illustrissimus Lynckerus, nunc satis amplum quoque Consiliorum, quæ aut Facultatis Scabinatusve Jenensis, aut suo etiam nomine conscripsit, volumen Orbi Erudito sistit. Continet duas Centurias, quarum cum ipse satis accuratam prolixamque exhibeat diatyposin, integrum nobis erit eo Lectorem remittere, & summa solum brevitate, paucis exemplis propositis ostendere, quantam de reliquis spem possit debeatque concipere. Nullam vero Jurisprudentiæ partem Illustrissimus Autor reliquit intactam, sed selectas Juris Publici & Privati, Canonici ac Feudalis, Matrimonialis etiam & Criminalis, Processusque civilis materias eleganter exposuit ac enodavit. In Jure Publico attigit Quæstiones illustres: utrum Regalia Electoribus per Auream Bullam Caroli IV. concessa ad terras non Electorales pertineant? *Resp.* 9. Utrum præscriptione immemoriali immunitas a contributione provinciali possit acquiri? *Resp.* 25. De præcedentia Comitum Palatinorum, *Resp.* 41. De Superioritate Territoriali in feudum oblata, *Resp.* 193. aliasque quam plurimas. In Jure Canonico illustravit ma-

teriam de Bonis Mensæ, *Resp.* 2. De Potestate Clavium, *Resp.* 10. De Resignatione Canonicatus, *Resp.* 34. De Jure Reformandi Religionem in Imperio, *Resp.* 58. De Jure Sacrorum Principis Reformati in Subditos Lutheranos, *Resp.* 81. De repetitione pecuniæ ob Parochiam datæ, *Resp.* 178. &c. Ex Jurisprudentia Feudali *Resp.* 20. docet, sufficere consensum Domini a creditore petitum esse, licet Dominus eum præstare nolit. De Revocatione Feudi a Patre alienati agit *Resp.* 116. De simultanee investito citra possessoris consensum, *Resp.* 156. Ad Processum Criminalem imprimis faciunt, quæ de Processu Banni *Resp.* 7: de crimine læsæ Superioritatis Territorialis, *Resp.* 94: de usu SCti Sillaniani, *Resp.* 103: de pœna conatus capitali, *Resp.* 127. traduntur. Ad Processum civilem spectant, quæ *Resp.* 128. de Reconventione: *Resp.* 168. de Appellatione ob Nullitatem deserta: de Purgata Contumacia per probationem legitimorum impedimentorum, *Resp.* 200. Autor differit. Juris vero Matrimonialis privatique, quibus materiæ Legales inter vivos mortuosve excutiuntur, Consilia ubique occurrunt quam plurima, sed nobis sufficiet ex hisce ostendisse, quantum de integro hoc præstantissimo opere sibi polliceri queat Lector, qui facile ex diligenti ejus lectione cognoscet, Responsa hæc secundum rationem solidæ doctrinæ Lynckerianæ esse elaborata.

JOH. BARTHOLDI NIEMEIERI, SS. THEOL. D. ejusdemque in Illustri Academia Julia Professoris Publ. & Ordin. de Conjugiis Probibitis Dissertationes junctim editæ. Accesserunt Supplementa cum Indice Rerum.

Helmstadii excudit Salomo Schnorrius, 1705. in 4.
Constat 3. Alphab. 14. plagulis.

QUo magis arduæ, & quo frequentiores in judiciis moveri solitæ sunt quæstiones circa causas matrimoniales, eo plures quoque circa easdem enodandas occupati esse voluerunt. Horum aliquos, eos præcipue, quos in sua Bibliotheca reconditos habet, in Præfatione Operis Celeberrimus Autor noster recenset, quibus

tamen plures addi possunt. Quorum vestigia lecturus Tractatum, *de Conjugiis prohibitis* agentem, inque decem Dissertationes dispertitum, hac vice sistit. In *prima Dissertatione* de Conjugio, ejusque institutione ac fine agitur, moneturque, conjugia non solum esse divinæ providentiæ objectum, sed & eadem legibus dirigi posse; sicuti & Jura circa personas, ex quibus conjugalis societas constare debet, præsertim quæ vel sanguinis, vel affinitatis vinculum respiciunt, non pauca constituerint. Qua occasione de Linea & Gradibus agitur, & quæ dicuntur, exemplo Genealogiæ Christi & Abrahami declarantur. *Altera Dissertatio* divinas prohibitiones ad consanguineos pertinentes exhibet, ac post generalem prohibitionem *Levit. XIIX. 6*, in specie producit prohibitionem conjunctionis (1) *patris cum filia*, & vice versa filiæ cum patre; (2) *filii cum matre*, & vice versa matris cum filio, *Levit. XIIX. 7*; (3) *avi cum nepte ex filio aut filia*, *Levit. XIIX. 10*: atque eorum, qui huic naturæ instituto vim intulerunt, facit mentionem, specialiter de Chami, secundi Noæ filii, nec non de filiarum Lothi turpitudinis facto, deque Anare, quem vivo patre Sibbone, cum matre incestum commisisse, nonnulli existimant, sermonem injiciens; (4) *fratrum ac sororum*, Levit. XIIX, 9. XX, 17. Qua occasione de filiorum & filiarum Adami, de Abrahami & Isaaci, de Amnonis & Thamaris conjugiis agitur. Mentio quoque fit conjugii comprivignorum, nec non eorum, qui contra naturæ institutum sororibus suis se miscuerunt. Agitur (5) de prohibitione *amitæ*, ex *Levit. XIIX. 12. XX. 19.* quæ occasionem præbet de conjugio Amrami cum Jochebeda ex Exod. VI. 20. disserendi; (6) de prohibitione *materteræ* ex *Levit. XIIX. 13. XX. 15.* ubi etiam disquiritur: an vitrici soror *amitæ*, & novercæ soror *materteræ* nomine veniant, ac per consequens, an & illæ jure divino sint prohibitæ? Pariter an *avunculus* & *patruus* divinis hisce legibus sint comprehensi? Id quod ibi negatur. *Tertia Dissertatio* affinitatis rationem habet, conjugia hoc nomine divinitus prohibita expendere incipiens. Talia sunt (1) conjugium *privigni cum noverca*, juxta *Levit. XIIX. 8. XX. 11. Deuter. XXII. 30.* Ansam hæc lex præbet de facto Rubenis, illudque subsequente pœna, Genes. XXX. 3. 4; de facto Absolonis,

nis, patris sui concubinas comprimentis; Adoniæ Abisagam ambientis; patris cujusdam & filii unam puellam communem habentium, Amos II, 7; nec non Corinthii incestuosi, hujusque excommunicatione, 1. Cor. V, 1 sqq. disserendi. Disquiritur etiam an lex ista divina ad *vitrici* quoque *viduam*, aut ad *privigni viduam* sit extendenda? (2) Conjugium *vitrici cum privigna* sive filiastra. (3) Conjugium vitrici *cum privigni*, vel privignæ filia, Levit. XIIX. 17. *Quarta Dissertatio* itidem affinitatem respicit, prohibitionem *socrus* ex *Levit. XIIX*, 14 expendens, ut & *nurus*, *Levit. XIIX*, 15. Ratione illius disquiritur: an lex de non contingenda socru defunctæ uxoris novercam quoque complectatur? item, an sponsæ, sive defunctæ, sive adhuc viventis, a sponsalibus autem resilientis, matrem ducere liceat? ratione hujus vero, de conjunctione Jehudæ Patriarchæ, cum Thamare agitur. Quæstio etiam movetur: an quis per hanc legem divinam privigni viduam ducere possit? item, an patri filii sui defuncti sponsam ducere sit integrum? *Quinta Dissertatio* legem de non ducenda *patrui uxore* sive vidua, *Levit. XIIX*, 14. & pœnam legi huic *Levit. XX*, 20. additam expendit; id simul considerans: an hæc lex sit naturalis sive moralis, an divina positiva, eaque forensis? item, an per hanc legem patrui quoque magni vidua, nec non avunculi vidua sit prohibita. Quo in negotio dispensationum nunc negatarum, nunc factarum exempla afferuntur. Attingitur quoque quæstio de avunculi magni vidua, de patruo & avunculo; quam in rem diversa tum vetustiora, tum recentiora, factarumque in hoc negotio dispensationum exempla adducuntur. Agitur quoque de conjugio cum patruo magno & avunculo magno, nec minus de conjugio cum fratris vel sororis privigna. *Sexta Dissertatio* ex *Levit. XIIX. 16.* prohibitionem conjugii *cum fratria*, exceptionemque ab illa lege, quæ *Deuter. XXV*, 5. habetur, investigat, deque leviri citatione, ejusque jure ac ritibus agit. Peculiariter de facto Herodis Antipæ, Philippi, fratris sui, uxorem sibi sociantis, nonnulla affert, partemque Genealogiæ Herodis in tabula sistit. De eo quoque disquiritur: an in lege de non ducenda fratria dispensatio locum inveniat? ejusque generis conjugiorum aliquot exempla in medium proferuntur. Quæstionem

denique de eo movet: an quis fratris ſponſam, aut etiam viduam, quam uxoris frater ſibi ſociatam habuit, ducere poſſit? *Septima Diſſertatio* legem de non ducenda *uxoris ſorore* ex *Levit. XIIX, 18.* conſiderationi ſubjicit, inter alia docens, certam quandam polygamiæ ſimultaneæ ſpeciem eadem eſſe prohibitam: an vero eadem lege uxoris defunctæ ſoror pari ratione interdicatur, in quæſtionem vocat, diverſas ſententias, ac varia exempla ſive præjudicia in medium afferens. Immiſcet quæſtiones: an prohibitio illa ad ſponſæ defunctæ ſororem ſit extendenda? item, an uxoris defunctæ fratris vel ſororis neptis, aut uxoris defunctæ fratris vidua, vel ejus conſobrina duci poſſint? *Octava diſſertatio* de conjugiis jure Eccleſiaſtico prohibitis agit, commonſtrans, leges divinas connubiales ab Eccleſia & Rebuspublicis, in legum naturæ & divinarum περιφυλακὴν, longius eſſe extenſas, quæ tamen extenſiones in naſcente Eccleſia fuerint parcæ, nec tertium lineæ collateralis æqualis gradum egreſſæ; cum tempore vero acceſſiſſe prohibitionem gradus quarti, mox quinti, ſexti ac denique ſeptimi; jure tandem Canonico prohibitiones ad quartum gradum fuiſſe revocatas. Jus Civile inſuper cognationis legalis, ac ſpiritualis rationem habuiſſe, docet. Commemorat triplex affinitatis genus, affinitatem in perfectam & imperfectam diſtinguit, ac tandem de religionis diſparitate, an & quouſque hæc nuptiis impedimento ſit, nonnulla attingit. *Nona diſſertatio* eſt de Diſpenſatione circa Conjugia prohibita. In qua, ut ratio Diſpenſationis cognoſci poſſit, differentia inter æquitatem, ſive interpretationem legum κατ' ἐπιείκειαν, & diſpenſationem indicatur. Poſtea disquiritur: cujus generis ſint leges divinæ connubiales? ac leges quidem ad lineam rectam pertinentes naturæ leges eſſe Clar. Autor agnoſcit, inter leges vero lineam collateralem reſpicientes, ſententiis hinc inde expenſis, aliquas eſſe forenſes exiſtimat. Qua in re fundamentum poteſtatis latet. Supponit hæc Autor noſter in *Diſſertatione decima*, quæ itidem eſt de Diſpenſatione in Conjugiis prohibitis; in qua porro quæſtio: an prohibitiones matrimoniorum divinæ perſonas tantum expreſſas, an vero gradus quoque æquidiſtantes reſpiciant? expenditur; ac quamvis Maxime Reverendus Autor in priorem iſtius quæſtionis partem in-

inclinet, non tamen diffitetur, per Canonum etiam decreta & legum civilium sanctiones gradus quoque æquidistantes esse prohibitos. Quod ipsum ficuti in Republica ad potestatem legislatoriam pertinet, ita etiam in his edictis prohibitoriis dispensandi potestas Majestati civili, vel quæ ejus æmula est, Superioritati territoriali est relinquenda. Subjunguntur tredecim observationes prudentiam, quæ in dispensando requiritur, adjuvantes, quas inter decima, discrimen inter illa conjugia, quibus Deus capitalem pœnam determinavit, atque ea, quibus pœnam capitali supplicio minorem proposuit, inculcans, non postremo loco est habenda. Accedunt tandem *Supplementa*, quibus nonnulla, quæ in ipsis Dissertationibus tradita sunt, declarantur atque illustrantur. Horum non postremam partem faciunt, quæ circa conjugium Judæi cujusdam Hildesiæ anno 1595. sunt acta, cujus rei D. Henricus Heshusius & D. Johannes Olearius in Præfationibus libello, de Baptismo a Judæo circa illud tempus suscepto, vernacula lingua exarato & sequenti anno typis exscripto præmissis, nec non B. Gerhardus in Locis de Conjugio mentionem fecerunt. Sub finem subjunctus est *Rerum Index*. De cetero, quæ in hoc Opere attinguntur, quæstiones ab utraque parte secundum suas rationes expenduntur, ex jure non solum Divino, sed & Civili, nec non Canonico & Ecclesiastico deducuntur, non pauca ad Genealogias spectantia commemorantur, ac, quod operam hanc præcipue commendat selectis Facultatum Responsis confirmantur. Ut adeo Maxime Reverendus Autor Collegæ sui, *B. D. Friederici Ulrici Calixti* judicio, in Epistola primæ Dissertationi subjuncta de se lato, quo ipsum *Judaicarum, Ecclesiasticarumque simul ac Civilium rerum peritissimum* esse perhibuit, abunde satisfecerit; nec dubium sit, quin opus hoc plurimis, etiam iis, qui in judiciis circa causas matrimoniales versantur, plurimum sit profuturum.

DOMINICI QUARTAIRONII RESPONSIONES ad nonnullas Assertiones pro Reformatione Kalendarii Gregoriani de Paschate anni 1700.

Romæ, ex Typographia Rev. Cam. Apost. 1703, 4. Constant plag. 5.

Au-

AUtor Assertionum, ad quas respondet Clarissimus Quartaironius, non nominatur, reverentiæ causa: unde neque nos nominare eum sustinemus; est enim ex Astronomorum nostræ ætatis principibus. Ipsæ tamen assertiones integræ in hoc opusculo exhibentur, numero 16. Contenditur in iisdem, Pascha anni 1700
assert. 1. per Epactas Gregorianas non legitime fuisse definitum: nam Epactam IX Plenilunium medium retulisse ad d. 4 April. h. 11, Lu-
assert. 3. nam decimam quartam ad d. 4 Aprilis, Pascha ad d. 11 Aprilis; cum tamen ex Tabulis Astronomicis Epactarum cum Tabulis præstantissimorum Astronomorum ad meridianum Romæ supputatis, intra horæ quadrantem consentientibus & *Libro Expositionis Kalendarii* insertis, idem Plenilunium medium d. 3 April. h. 11 post meridiem, quo die etiam Ephemerides id exhibent, supputetur;
assert. 4. adeoque evidens sit, pro Luna decima quarta diem 3 Aprilis, cumque hæc in Sabbathum inciderit, pro die Paschali diem 4 April. assumendam fuisse. Asserit ulterius, decretis *Gregorii XIII* conve-
assert. 5. nire Pascha anni 1700 ad diem 4 April. relatum, quia per Tabellam Epactarum, Compendio a *Gregorio* ad Principes Christianos & Academias misso insertam, Epacta anni 1700 revera educatur X, quæ Lunam decimam quartam ad d. 3 Apr. consequenter Pascha
assert. 6. ad d. 4 April. refert. Errorem vero in disponendis Epactis commissum esse ab iis, qui *Aloysio Lilio* auctori Kalendarii denato suf-
assert. 7. fecti sunt, ob erroneum Plenilunii medii computum. Probat
assert. 7-16. deinde, Sanctos Patres, qui Canones Paschales in usum Ecclesiæ condiderunt, in decimam quartam Paschalem assumsisse diem, cujus meridies Plenilunium medium pluribus horis, & quandoque die uno & amplius præcederet. Quem in finem exempla producit ex Canone omnium, qui supersunt, antiquissimo *Hippolyti Portuensis Episcopi*, statuæ ejus marmoreæ, in Bibliotheca Vaticana nunc expositæ, Græce inscripto; ex methodo, qua Episcopi Alexandrini, quibus Concilium Nicænum Paschatis curam commiserat, Lunam decimam quartam determinarunt; ex epistola 82 *Ambrosii* ad Episcopos per Æmiliam constitutos; ex Canone Paschali *Theophili*; ex Cyclo *Cyrilli*, qui ex Theophilano desumtus, a *Leone* Papa approbato; & Tabella *Compendii Gregoriani* superius citati.

Sin-

Singulis assertionibus singulas subjungit responsiones *Quartaironius*: quarum summa in compendio huc redit. Pascha anni 1700 per Epactas Gregorianas legitime fuisse definitum, cum Plenilunium medium supputatum sit a Clavio secundum hypothesin Ecclesiasticam, a qua recedendum non sit, propter decreta Gregorii XIII & Clementis VIII. Plenilunia media a Censore, contra mentem horum Pontificum, ex Tabulis Astronomicis vulgaribus computari, in annis centesimis non bissextilibus, qualis est annus 1700. Quæ ut clariora evadant, Clavii supputationem Ecclesiasticam Novilunii Januarii pro anno 1700 producit, ac inde Plenilunium medium Paschale determinat ad d. 4 April. h. 11. 10. 25. Lilio mortuo suffectos, nullos commisisse errores, quod a *Clavio*, *Petavio*, aliisque Kalendarii Gregoriani defensoribus, contra *Scaligerum*, *Vietam*, *Mæstlinum*, *Calvisium* aliosque, jam dudum fuse sit ostensum. Errare Censorem, dum arbitretur, causam omnium Epactarum mutationis dependere ex calculo motus Plenilunii medii centesimorum non bissextilium, & præcipue ex anno 1700, cum causa mutationis omnium Epactarum fuerit æquationis Lunæ Epocha, a Reformatoribus seculo Dionysii posita, uti a *Gregorio XIII* in Bulla indicatum. Ex omnium Reformatorum doctrina, & Epactarum Cycli constructione Liliana, evidenter colligi, decimas quartas centesimorum non bissextilium non debere esse necessario ante Plenilunia media, & consequenter, etiamsi Plenilunia media Ecclesiastica centesimorum non bissextilium essent vulgari calculo supputata, adhuc decimas quartas Lunæ & dies Paschales in Tabula temporaria festorum mobilium nullo modo mutari debere. *Hippolyti*, *Eusebii*, *Theophili*, *Cyrilli*, *Victorii* & aliorum cyclorum Paschalium, ante *Dionysii Exigui* seculum, epocham pro exemplo nobis inservire non debere, cum fuerint constructi, antequam Ecclesia Græca & Latina in Paschatis celebratione convenirent. Dies Paschales post Concilium Nicænum, quod Pascha eodem die, quo Romæ, ab omnibus Christianis celebrari voluit, ab Alexandrinis determinatos, non tamen ab Ecclesia Occidentali observatos, non esse secundum mentem dicti Concilii. Ambrosium cum reliquis Patribus existimare, in computo Ecclesiastico aureos numeros in perpetuum esse debere regulam infallibilem ad inve-

niendam decimam quartam Paschalem: decimas igitur quartas Paschales Theophili, cum illæ non sint ex aliquo cyclo deductæ, non posse quoque inservire pro regula Cycli Epactarum. Nec Reformatores Gregorianos in constructione cycli Epactarum, cyclum doctrinamque *Cyrilli* imitari potuisse, cum deterior sit illo Theophili, uti *a Petavio* demonstratum, nec Patres Latini, imo nec omnes ex Græcis eodem usi sint, teste *Paulo de Middelburgo. Leonem* assignare hanc causam, cur Theophilanum secutus fuerit, quod studio unitatis & pacis maluerit Orientalium definitioni acquiescere, quam in tantæ festivitatis observantia diffidere. Astronomos Gregorianos ideo non usos esse Tabellis in Compendio Gregoriano positis, quod juxta illas Pascha sæpius ante Plenilunium medium in decima quarta Luna, cum Hebræis & hæreticis Quartadecimanis, contra expressam *Gregorii XIII* mentem, celebratum fuisset.

Subjungit Autor sub finem opusculi sui 3 Tabulas, quarum prima ostenditur, 18 decimas quartas Paschales biduo præcedere diem Plenilunii medii, in spatio unius seculi a Concilio Nicæno, quo tempore posita fuerit radix æquationis Epactarum a *Lilio*; secunda docetur, *Dionysii Exigui* seculo decimas quartas Paschales Plenilunia media biduo nunquam præcedere, nec posticipare, nisi una hora in anno 512, & sex horis in anno 588; tertia monstratur, 475 decimas quintas Paschales ex Epactis Calendarii (cujus radix æquationis Cycli decemnovennalis ponitur tempore Concilii Nicæni) deductas, præcedere Plenilunia media uno die, & multoties biduo intra 17 secula. Addit tandem Bullam *Clementis* VIII, pro confirmanda Claviana Kalendarii defensione d. 17 Mart. 1703 editam, & Opusculum a Mathematicis *Gregorii* XIII eidem Pontifici oblatum, & hactenus MSC. in Bibliotheca Vaticana asservatum, (sub titulo: *Ratio corrigendi Fastos confirmata, & nomine omnium, qui ad Kalendarii correctionem delecti sunt, oblata Sanctiss. D. N. Gregorio XIII.*) in quo continentur Canones, quos sibi in reformatione Calendarii servandos proposuerant: quia ad utrumque in suis responsionibus sæpissime provocat.

JO.

JO. ALBERTI FABRICII SS. THEOLOGIÆ D. & Prof. Publ. Bibliotheca Græca. Accessit Empedoclis Sphæra, & Marcelli Sidetæ Carmen de Medicamentis Piscium Græce & Latine, cum brevibus notis.

Hamburgi, sumtu Christiani Liebezeit, 1705, in 4. Constat Alphab. 5.

QUod multi voluerunt, pauci confectum dederunt, id nunc accuratius expedire celeberrimus Fabricius allaboravit. Cum enim Leonis Allatii, Jo. Conradi Dieterici, Philippi Labbei, Emerici Bigotii, Erasmi Vindingii, Henrici Christiani Henninii destinata vel perierint, vel premantur; Meursii vero, Vossii, Jonsii, Bœcleri, Gaddii, Gesneri, Gyraldi scripta ita comparata sint, ut partim accessionibus, partim emendatione indigeant: tum vel maxime id sibi datum intellexit, ut exquisitiorem instituti rationem iniret, ac plenius de hoc argumento dissereret. Equidem, qua est modestia Vir clarissimus, non diffitetur, quam latissime hoc opus patere, & ita fere constitutum esse, ut unusquisque harum rerum intelligens non possit non ultro intelligere, illud & difficultatis ac laboris plenissimum esse. Hinc tantum abest, ut magnifice de se sentiat, aut aliorum censuras aspernetur, ut potius æquorum idoneorumque hujus rei existimatorum examini sua sponte se submittat. Id quod eo valet, ut copiosiori laude ipsum adficiendum putemus, utpote qui ad exquisitissimam eruditionem summam modestiam adjunxit. Uti vero legentibus & diligentius exquirentibus plenissime constabit, ingenti solertia, & accuratione maxima institutum hoc confectum esse, ita nos officii nostri memores summa capita persequemur. Complectitur præsens volumen duos priores suscepti operis libros, quibus tum scriptores, qui Homerum ætate præcessisse dicuntur, tum qui ab eo usque ad Platonem claruerunt, enarrat. In universum id dedit operam maxime, ut, quæ de auctoribus explorata sunt, vel referret ipse, vel a quibus prolixius pertractata fuerint, indicaret. Hinc non edita solum eorum scripta, sed ea quoque, quæ in Bibliothecis delitescunt, diligenter adnotavit, & in deperditis

ditis recensendis non minori cura versatus est, quo pertinet notitia Tragicorum deperditorum Lib. II, c. IX, & Comicorum Lib. II, cap. XXII, ut reliqua taceamus. Omnium vero plurimum laboris in editionibus rite enarrandis posuit, eoque connisus est, ut accuratissima earum historia, eaque non ex catalogis oscitanter corrasa, sed ipsis, quoad fieri potuit, inspectis libris concinnata exhiberetur. Sæpe quippe evenire solet, ut non evolutis libris, sed aliorum fide ac verbis suffulti, turpiter erremus; cujus erroris materiam facile suppeditare potest editio Amstelodamensis notarum Ulrici Obrechti in Dictyem, ubi pag. 24, ceu Noster pag. 34 monet, male excusum, primam ἔκδοσιν Mediolanensem A. C. 1627 prodiisse. Nam Obrechtus, uti ex Argentoratensi ejus notarum editione patet, scripserat A. C. M CD LXXVII, hoc est 1477, pro quo typographus legit 1627. Subinde etiam cognomines scriptores studuit distinguere, quemadmodum fecit p. 91, postquam de Horo Apolline duorum de Ægyptiorum Hieroglyphicis libellorum auctore egit, per quem pag. 88 Isidis filium, aut vero Apollonidem cognomento Horapium intelligit, ex cujus libro *Semenuthi* quædam proferat Theophilus Antiochenus lib. II ad Autolycum f. 85. Quem non diversum putat ab Apollonio Ægyptio, qui memoretur Lib. III fol. 127. Reinesio autem, cui liber Semenuthi, Chemici argumenti Lib. III Var. Lect. pag. 380 visus est, non assentitur, cum historica sint, quæ utroque loco proferat Theophilus. Quæ dum commentatur, notat §. VI. Hieroglyphica Hori Græce A. 1505 ab Aldo vulgata, primum A. 1515 Augustæ Vindelicorum a Bernardino Trebatio Vicentino Latine conversa esse, adeoque falli Garassium Doctrin. Curios. p. 1024, qui affirmet, Hori Hieroglyphicorum primum interpretem Jo. Mercerum Parisiis A. 1548 fuisse. Non minori solertia pag. 784 varios Socrates distinguit, quorum cum septendecim commemorasset, se nescire profitetur, quem Socratem respiciat Scholiastes Apollonii ad lib. I, ubi laudat Σωκράτην ἐν τῷ πρὸς Εὐδόθεον. At vero, quando apud eundem laudetur Socrates in libris Κτιστικῶν, legendum esse Sosicrates, quemadmodum & in Laertii codicibus Socratis nomen pro eodem Sosicrate irrepserit, etsi uterque locus imposuerit Vossio p. 414 de Historicis Græcis. Idem præstat pag. 574 de

de Æschylo Tragico agens, a quo distinguit Æschylum Mathematicum. Tribuit huic Meursius in Biblioth. ποικίλα χρώματα a Suida in Κάλαϊς laudata, sed quæ potius Æschylo Alexandrino, judice Fabricio, vindicanda videntur. Tacemus quamplurima loca alia, in quibus caute & cum cura ejusdem nominis scriptores distinxit ac separavit. Quod quam præclaro a Fabricio factum fuerit, illi facile intelligunt, qui norunt, quanti ex cognatione nominum orti sint errores. Idem evenit Suidæ, qui Pherecydi Syrio Theogoniam tribuit, cum alteri, non multo juniori, Atheniensi asserere debuisset, uti animadvertit Noster pag. 780. Neque vero non laudandum, Indices etiam auctorum in variis scriptoribus, antiquis præcipue Scholiastis allegatorum, suis locis insertos esse, quorum sequentes in hoc opere comparent: I Scriptorum in scholiis minoribus ad Homerum allegatorum, pag. 302: II Scriptorum laudatorum in scholiis ad Iliados IX a Conrado Hornejo in lucem editis, p. 305: III Scriptorum ab Eustathio in commentariis ad Homerum allegatorum, accommodatus ad paginas editionis Romanæ, p. 306, ad quem conficiendum usus est industria egregiorum Juvenum, Petri Zornii Hamburgensis, & Joannis Christophori Wolfii Wernigerodensis: IV Scriptorum ab interpretibus Græcis Hesiodi laudatorum, pag. 386: V Scriptorum in scholiis Græcis ad Pindarum, allegatorum p. 539 ex editione Oxoniensi: VI Scriptorum in scholiis Græcis ad Æschylum allegatorum, p. 590 ex editione Londinensi: VII Scriptorum in scholiis Græcis ad Sophoclem allegatorum, pag. 606, ad quem concinnandum opera eruditi Juvenis, Stephani Bergleri, Transylvani, usus est: VIII Scriptorum in scholiis Græcis ad Euripidem laudatorum, pag. 627, cujus ipse Fabricius auctor est: IX Scriptorum in scholiis Græcis antiquis ad Aristophanem allegatorum, opera laudati Bergleri concinnatus, pag. 685. Hæc generatim a nobis dicta sunt; nunc accuratiorem præstantissimi operis imaginem exprimamus. Libro I, qui capitibus sex & triginta absolvitur, de Scriptoribus, qui Homerum ætate antecessisse dicuntur, agit, collatisque idoneis scriptorum testimoniis, reliquisque argumentis diligenter comparatis conficit, plerosque Homero juniores esse. Exhibentur id genus Scriptorum septuaginta,

in quibus recensendis potius literarum ordinem sequutus est, quam temporis, qui nullus est in tam incertis & commentitiis. De Chirone agens, inserit Marcelli Sidetæ de medicina ex piscibus carmen, quod in codice Mediceo, cujus apographum vidit in bibliotheca Illustris Viri, Marquardi Gudii, inscribitur: Μαρκέλλου Σιδήτου χόλια Χείρωνος περὶ ἰχθύων. Separatim hoc poema, seu potius fragmentum, Parisiis a Morello Græce, sub titulo *Marcelli Sidetæ* Ιατρικῶν περὶ ἰχθύων editum est, cumque vix separatim Græce editum reperiatur, operæ pretium duxit clarissimus Fabricius, integrum, & versione sua ac notis locupletatum, hoc loco repræsentare. Quam copiosissime autem de libris, qui sub Hermetis Trismegisti nomine, vel jam feruntur, vel olim jactati sunt, ejusque inventis refert cap. VII, IIX, IX, X, XI, XII, ac pag. 46 memorat, nonnullos cum Henocho eum confundere. Tollit hoc loco Hottingero aliisque dubitationem, qui mirantur, qui evenerit, cur Henochus recentioribus Arabibus *Edris* dicatur. Suspicatur quippe, hoc, ut alia multa, a Græcis petitum esse, quibus ἴδρις *doctum* ac *peritum* significat. Non minus copiose cap. XIIX, XIX, XX, de Orpheo, cap. XXIX, XXX, XXXI, XXXII, XXXIII, de Sibyllis, atque Sibyllinis oraculis tradit, ac pag. 176 ita pronunciat: *Si de Sibyllinis, & quæ passim apud scriptores memorantur, oraculis sententiam dicere jubear, sæpenumero sane fraudes & casum, sed ista quoque tria interdum* (nempe Deum, quo non indignum sit casus magnos, & mutationes rerumpublicarum variis modis mortalibus prædicere, malorum Dæmonum ludibria, ac denique furorem naturalem fortioremque imaginationem) *in aliis quidem aliud, principii loco fatebor me agnoscere.* Quod vero ad quartam Virgilii eclogam attinet, non Sibyllæ oraculum, sed Hesiodi fabulam de quatuor mundi ætatibus respici, late pag. 182 seq. ostendit. Speciatim cap. XXXIII de Sibyllinis, quæ hodie extant, judicium suum exponit, quod eo redit: non hac collectione libros Sibyllinos Tarquinio oblatos, nec carmina Sibyllina altera, neque aliam ethnicam integram Sibyllinorum συναγωγὴν contineri, operamque ac oleum perdere, qui certæ Sibyllæ, Erythrææ alia, alia Samiæ, alia nescio cui alii, quæ habemus oracula adscribunt. Imo nullum ver-

versum in hac collectione pro Sibyllino & antiquo oraculo, ante nativitatem Christi exaudito, haberi oportere, nisi peculiariter de eo ex aliis antiquioribus & indubitatis monimentis constet. Et quamvis partem magnam (confusam licet, & librariorum culpa passim depravatam) Sibyllinorum, quibus Patres usi sint, hæc complectatur collectio, non tamen omnia & integra Sibyllina, quibus veteres Ecclesiæ Doctores usi fuerint, ea contineri: imo vero & illa, quæ a Justino, & reliquis secundi & sequentium seculorum, adducantur Sibyllina, minime omnia auctores habuisse Sibyllas, sive mulieres fatidicas Ethnicas. Quando, & a quo, quove in loco conficta fuerint, non plane ipsi exploratum est; id vero adfirmat, nec ab Ethnicis aut Judæis, sed a Christianis conficta, & ad confundendos Ethnicos Sibyllæ nomini falso subjecta fuisse. Tandem & hoc addit, neque ullo edicto Romæ pœnam capitis propositam fuisse illis, qui ea, quæ nos habemus, vel illa, quæ Patres allegarunt, Sibyllina legerent, neque ab Augustino singularem quandam Sibyllinorum συναγωγὴν concinnatam esse. Inde libro II. cap. I, sequ. de Homero quam accuratissime agit, & tum scripta ejus, diversasque eorum editiones, tum interpretes, scholiastas, metaphrastas, versiones, laudatores, obtrectatores & censores, & reliqua persequitur. Id memoratu dignum est, quod pag. 296 tradit, Homeri, Poetarum principis, Iliadem & Odysseam una cum Batrachomyomachia & Hymnis (cum nullus ante liber Græce typis exscriptus esset) annitente Demetrio Chalcondyla Atheniensi, alteroque Demetrio Cretensi, Florentiæ A. 1488 in fol. Græce primum evulgatam fuisse, qua editione, non ubivis certe obvia, Reverendi & celeberrimi senis, Esdræ Edzardi, beneficio se usum testatur. Neque hoc prætereundum, fuisse, qui Homerum Persice, Indice, Anglice, Hispanice, Belgice, Gallice, Germanice converterint, de quibus pag. 300 agit. Idem evenit Æsopi fabulis, quæ in Hebraicam, Italicam, Gallicam, Anglicam, Hispanicam, Hungaricam, Danicam Germanicamque linguam, imo & dialectum Græco-barbaram translatæ sunt, uti infra p. 401 seq. docet. Capite VIII de Hesiodo tractat, iisque accedit, qui eum Homero supparem, annis tamen aliquanto juniorem statuunt. Inde Cap. IX de Æsopo aliisque fabularum scriptoribus, & cap. X de epistolis, quæ ad Pha-

Phalaridem referuntur, ac de reliquis epistolarum Græcarum Scriptoribus, variisque earum collectionibus commentatur. Hinc cap. XI ad Theognidem, Phocylidem, aliosque Sententiarum Græcarum Auctores & Collectores progreditur, & cap. XII de Pythagora & Empedocle, scriptisque ad hos relatis verba facit, tandemque p. 469 Empedoclis Sphæram, notulis ac versione Q. Septimii Florentis Christiani illustratam subjungit. Imo vero ne Pythagoricorum apud veteres memoratorum notitia deesset, & eorum & mulierum Pythagoricarum indicem, secundum literarum ordinem concinnatum, pag. 508 sistit. Caput XIV Legumlatores persequitur, ea potissimum ratione, ut primo de Zaleuco, Charonda, Zamolxi, Lycurgo, Dracone & Solone paulo fusius disseratur, deinde celebriorum Legislatorum veterum index ad litterarum seriem digestus exhibeatur. Eodem instituto utitur capite XV, ubi de Pindaro aliisque Lyricis refert. Cujus ad scholia quod attinet, collecta ea a Thoma Magistro, & Demetrio Triclinio, ex commentariis deperditis variorum, Ammonii, Aristarchi, & ejus discipuli Aristodemi Alexandrini dicit. Equidem Gorgonem Pindari Scholiasten laudari a Michaele Neandro in præfatione ad Catechismum Lutheri Græce a se redditum, pag. 67; sed id ex male intellecto initio scholiorum ad 7 Olympionic. ortum esse. Neque approbatur ipsi judicium auctoris Bibliographiæ Curiosæ, Jo. Henr. Boeclero a plerisque tribui solitæ, cui Scholiastes Pindari est vilissimus omnium, & in quo pauca majoris momenti reperiantur. His confectis, cap. XVI de Thespide & Æschylo, cap. XVII de Sophocle, & cap. XVIII de Euripide commemorat, in quorum recensendis scriptis singularem diligentiam adhibuit. His cap. XIX subjungitur Tragicorum, quorum perierunt fabulæ, notitia ordine alphabeti digesta. Caput XX Herodotus, Historiarum Scriptor, & XXI Aristophanes Comicus occupant, quos cap. XXII Comicorum deperditorum notitia, eodem quo Tragicorum modo disposita excipit. Capite XXIII de Philosophis plerisque ante Socratem, tum de Socrate, Cebete, (cujus Tabula ab Ambrosio de Morales, Petro Simone Abril, & Gundisalvo Correa Hispanice, ab Augustino Mascardo Italice, a Jo. Davies Anglice, a Bellegardeo Gallice, a Jacobo Georgio Schulzio Ger-

Germanice, a M. Antonio Gillis Belgice conversa est) & aliis quibusdam Socraticis agit. Inter scriptores ante Socratem numerat quoque Heraclitum Ephesium, cognomento σκοτεινὸν, miraturque in Morerii Lexico, etiam nonæ editionis, Heraclitum Hesiodi, Pythagoræ, Xenophanis, & Hecatæi, quibus omnibus fuerit junior, præceptorem venditari. Scripsisse ipsum unicum opus, sed cujus varios titulos, sive potius elogia, ex Laertii IX, 12, in Δηλίου κολυμβητοῦ referat Suidas, idque non numeris adstricta, sed soluta oratione. Falli proinde monet Nicolaum Le Nourry in Apparatu ad Bibliothecam maximam Patrum, utpote qui existimaverit, versus Heracliti Jambicos a Clemente lib. IV Strom. p. 494 adduci. Ibi enim non Heracliti versus commemorari, sed dictis Heracliti soluto sermone conceptis a Clemente subjici versus Tragici alterius: neque locum Plutarchi lib. de Oraculorum defectu pag. 415, ὥσπερ τὰ Ἡρακλείτου καὶ τὰ Ὀρφέως ἐπινεμομένην ἔπη, eruditum alias interpretem accurate reddidisse: *quæ ut Heracliti & Orphei versus invasit*; vertendum enim fuisse: *Quæ ut Heracliti scripta & Orphei versus invasit*. Toto etiam cœlo aberrare elegantissimum Menagium, in notis ad Laertium p. 395 editionis Wetstenianæ, nostro Heraclito tribuentem libros, quos commemorat Plutarchus in commentario contra Colotem, pag. 1115, τὸν Ζωροάστρην, τὸ περὶ τῶν ἐν ᾅδου, τὸ περὶ τῶν Φυσικῶς ἀπορουμένων: manifestum quippe esse, eo loco Plutarchum de Heraclito quodam juniore Peripatetico agere. Sed & in eo Menagium rationem fugere addit, quod subjungat, Heraclitum Ephesium etiam scripsisse libros περὶ πολιτείας, & Diodotum Grammaticum negasse, quod volumen περὶ Φύσεως esset Heracliti. Nam in illo ipso opere Physico Heraclitum ait περὶ πολιτείας egisse, atque ita quidem, ut Diodotus sibi persuaserit, quæcunque de Natura præmiserat, consideranda esse tanquam partem minus principalem. Cap. XXIV de Hippocrate ejusque discipulo Polybo dicit. Exhibet hoc loco epistolam Theophrasti Renaudoti ad Andream Dacerium *de exiguo operæ pretio, quod ex versionibus Syriacis & Arabicis ferri potest, ad emendandum & illustrandum Hippocratem aliosque scriptores Græcos, præsertim Medicos*, ex Gallico in Latinum sermonem a se translatam. Caput XXV Thucydidi &

 Cte-

Ctesiæ; caput XXVI decem celebrioribus Oratoribus Atticis, Antiphonti, Antocidi, Lysiæ, Isocrati, Isæo, Lycurgo, Demostheni, Æschini, Hyperidi ac Dinarcho, nonnullisque aliis, qui obiter commemorantur, consecratum est. Tandem *emendanda & addenda quædam* subjiciuntur. Nos vero libenti prolixoque adfectu exoptamus, ut celeberrimus Auctor secundis rebus tantaque valetudinis prosperitate utatur, quanta ad reliquas exquisitissimi instituti partes perficiendas, ac cætera ingenii monimenta perpolienda requiratur.

DE ECCLESIASTICÆ HIERARCHIÆ ORIGINIbus Dissertatio, Auctore D. BENEDICTO BACCHINIO Monacho Benedictino-Casinensi.

Mutinæ, typis Antonii Capponi, 1703. 4.

Constat 2 Alph. 4 Plag.

UT argumentum nobilissimum, a tot hactenus viris doctis pertractatum, nec exhaustum tamen, aut undequaque vere explicatum, in se quoque perscrutandum susciperet Doctissimus sæpiusque nobis ex merito laudatus *Benedictus Bacchinius*, singulari se occasione inductum ipsemet in Præfatione profitetur. Nimirum cum in Bibliotheca Serenissimi Ducis Mutinensis, in *Agnelli*, qui circa dimidium seculi noni de Ravennatis Ecclesiæ Pontificibus scripsit, codicem manuscriptum incidisset, dignum reputavit opus, quod suis observationibus ac dissertationibus illustratum, publici juris faceret. Jamque ad Vitam Joannis Episcopi cognomento Angeloptis pervenerat, legeratque, quæ de præstito per Valentinianum Augustum Joanni isti privilegio narrantur, cum in eam se necessitatem conjectum intelligeret, ut celebrem de antiquitate Juris Metropolitici Ravennatis controversiam ipse quoque discuteret, cumque Ravennatis Metropolis origo definiri certo vix posset, nisi totius Hierarchiæ Ecclesiasticæ initia essent explorata, factum ita est, ut paulatim a singularibus ad universalia progrederetur, atque sic rem omnem summo studio perquirenti nasceretur tandem eruditissimus hic tractatus, in tres divisus partes, quarum I universæ Hierarchiæ Ecclesiasticæ, II Metropoleum Ita-

Italiæ, III ſpeciatim Juris Metropolitani Eccleſiæ Ravennatis originem exponit.

Pars I.

Quod nimirum ad primam ipſius Hierarchiæ originem attinet, agi de ea ſolet a quamplurimis, ſed varie, & ſi verum dicendum cum Bacchinio noſtro eſt, valde ambigue, ut ubi conſiſtas, difficulter invenias. Equidem communis fere ea ſententia eſt, Hierarchiam primum ad normam Romani Imperii conſtitutam, imo Apoſtolos ipſos ad civilium provinciarum formam Eccleſias fundaſſe: aſt ubi ad ſpecialia devenitur, rem involvi ſatis & impedite tractari, etiam ab eruditiſſimis videas, & in diverſa abiri. Alii non tam ad ipſum Romanæ politiæ ſtatum, in conſtituendis Metropolibus Eccleſiaſticis, reſpexiſſe Apoſtolos fatentur, quam ad urbium celebritatem & frequentiam. Alii ubivis Eccleſiaſticas Metropoles ab initio fuiſſe autumant, ubi provinciarum veterum Metropoles apud profanos auctores laudentur. Alii nec ubique tamen, nec ſemper id factum, ſed ab ea regula ſubinde, ob quaſcunque cauſas, Apoſtolos exorbitaſſe agnoſcunt. Mirum vero, etiam ex iis, qui Apoſtolos ipſos Eccleſiarum fundatarum ſtatum ad Romanum civile Imperium attemperaſſe cenſent, eſſe qui, ubi Imperii ſtatum deſignare volunt, talem proferant, qualis nonniſi circa quarti ſeculi initia obtinuit; cum tamen ab Apoſtolorum & Tiberii ævo, usque ad Conſtantini M. ætatem, plures Romanum Imperium vices paſſum fuerit. Itaque rem omnem, quam penitius inquireret, dignam Bacchinius judicavit, ea tamen cautione adhibita, ut cum ſibi cum viris magni nominis rem fore noſſet, invidiæ declinandæ cauſa, & ex modeſtia, diſſentientium nomina plane ſupprimenda cenſuerit, allegaſſe tantum eorundem ſcripta contentus. Aggreſſus ita rem ipſam, dum Parte I, quæ maximam totius operis conſtituit, Hierarchiæ ipſius originem evolvit, id agit magna induſtria, ut opinionem vulgatam, qua provinciarum Romanarum ſtatum præ oculis habuiſſe, in fundandis Eccleſiis Metropoliticis, Apoſtolos credunt, ex animis hominum evellat, eumque in finem Capite I Imperii Romani formam, qualis Apoſtolorum ævo viguit, accurate deſcribit, ineptamque plane oſtendit, ad quam Petrus Apoſtolive alii accommodare ſe, in conſtituendo Eccleſiarum jure atque ordine, potuiſſent. Ubi, ut

C. I.

ex multis unicum attingamus, ſpeciatim docet, Metropoles Romanis dictas, non quod provinciæ Præprætor aut Proconſul apud eas reſideret, ſed vel quod olim Regum ſedes fuiſſent, vel ex Auguſtorum ſolum liberalitate. Ex quo factum etiam, ut ea prærogativa, jam in una provincia pluribus urbibus, jam uni civitati in pluribus provinciis fuerit conceſſa. C. II. Capite II eadem fini Judaicæ Gentis ſtatum ac civilem politiam, ejusque varias vices, juſto commentario exhibet, alte exorſus, nec ſolum, qualis Apoſtolorum ævo, ſed etiam ab ipſis initiis, Reipublicæ conditio fuerit, quantaque populi illius frequentia per Orientem univerſum paulatim diffuſa, utque extra Palæſtinam etiam Judæi, ubi incolebant frequentius, ſuis legibus fuerint uſi, ſuisque Synedriis gaviſi, ita tamen, ut Hieroſolymam pro metropoli habuerint, ejusque Synedrii magni majeſtatem, etiam tributis oblatis, agnoverint, late ediſſerens. Ubi curioſæ quamplurimæ obſervationes & notatu digniſſimæ ſe offerunt, ſed a nobis ſilentio prætereundæ, quia habenda brevitatis ratio. C. III. His ergo præſuppoſitis, Capite III ſuam tandem ſententiam proponit, vulgarique exploſa, tres ante omnia periodos propagatæ religionis Chriſtianæ conſtituendas cenſet, primam, cum ſolis Judæis Evangelium annunciaretur; alteram, cum Gentiles etiam iis in locis, ubi frequentes habitabant Judæi, admiſſi fuere; tertiam, cum Gentilibus promiſcue, etiam ubi rari aut nulli Judæi inveniebantur, Evangelii doctrina patefieret. In prima ergo periodo, quin Eccleſia Hieroſolymitana eminuerit, quam etiam aliæ in Judæa, ubi Synedria erant, velut metropolitanam agnoverint, Judæorum politiæ accommodata, dubitandi locus non eſt. Qua occaſione, inter alia, Reverendus Auctor antiquiſſimi Scriptoris Apollonii, teſte Euſebio Hiſt. l. 5 c. 18, traditionem, quod Servator Apoſtolis ſuis præceperit, ne intra duodecim annos Hieroſolymis excederent, a qua recentes rerum Eccleſiaſticarum Scriptores magno conſenſu receſſerunt, recte explicatam tuetur. In altera, ubi Gentiles Judæis mixti Evangelii luce colluſtrati ſunt, cum Judæorum tamen habita ratio præcipua fuerit, moribus Judæorum plurimum quoque dandum fuiſſe, Auctori vero eſt perſimile. Ita in Oriente primum quidem Antiochiæ, deinde Alexandriæ, in quibus urbibus & frequentiores Judæi habitabant, & illuſtrius ſuis le-

legibus utebantur, primæ ſedes fundatæ ſunt, quibus Eccleſiæ Chriſtianæ aliæ, tanquam metropolitanis, eſſent obnoxiæ: in Occidente vero Romæ, & quidem tanquam in centro unitatis, princeps omnium ſedes conſtituta, ubi & Judæorum magna frequentiâ, & Gentilium omnis ſuperſtitio convenerat; ad quam fundandam ac ordinandam, Apoſtolorum primi ſummique, Petrus ac Paulus, Coepiſcoporum inſtar, ita tamen ut utriusque verticis jura ſolum a Petro in Succeſſores, Romanos Pontifices, fuerint transmittenda, ſymbolam ſuam contulerunt. In tertia periodo, cum ad Gentiles, etiam ubi Judæi aut nulli, aut perpauci commorabantur, Evangelii gratia emanaſſet, fundatæ certe & ab ipſismet Apoſtolis, & ab eorum Succeſſoribus Eccleſiæ fuerunt, nec paucæ, ſed quæ Romanam unicam pro Metropolitana venerarentur: quemadmodum nec alii ad veritatis lumen Gentiles convertebant, quam qui a Petro & Succeſſoribus Epiſcopali charactere inſigniti, eumque in finem miſſi fuiſſent. Ut adeo diverſa ſatis in fundandis per Orientem & Occidentem Eccleſiis methodus notari mereatur, cum per Orientem Epiſcopi non conſtituerentur, niſi poſtquam ex pluribus, partim Judæis, partim Gentilibus, Eccleſia jam coaluiſſet, per Occidentem a Romana Sede Epiſcopi crearentur, qui in Italiæ, Hiſpaniarum, Britanniæ, Africæ, Galliæ, Germaniæ regiones miſſi, Gentiles converterent, & Eccleſias regendas ſibi fundarent demum: unde perpetua illa novarum Eccleſiarum erga Sedem Romanam, cujus auſpiciis vel ut coloniæ fuerant conditæ, tanquam matrem ac metropolin reverentia. Atque hæc, pro inſtituti noſtri ratione, brevis ſumma eſt Bacchinianæ de Originibus Hierarchiæ Eccleſiaſticæ ſententia. Nam quin ſucceſſu temporis inſecutæ ſint mutationes, & paulatim, inprimis poſtquam Imperatores ipſi religioni Chriſtianæ nomen dediſſent, multum ex forma civili trahere ſacrarum dignitatum momenta cœperint, vel iſtæ Archiepiſcoporum Conſtantinopolitanorum molitiones, ex ſede Imperii Orientalis Primatum vindicantium, atque tot de honoris prærogativa & parœciarum finibus contentiones ac jurgia abunde comprobant. Sub finem meminit quoque recentiorum quorundam Auctor, qui conficto quodam Gentilium ſacrorum ſyſtemate, ad ejus exemplar primas

Ecclesiarum sedes Petrum composuisse arbitrantur: sed eam sententiam indicasse, censet idem quod confutasse.

Pars II. Ad Partem ergo Secundam progressus, cum nullæ ab initio Ecclesiæ Metropolitano jure in Orbe Occidentali, præter Romanam, fuerint gavisæ, amplificata autem sensim re Christiana, plures emerserint, etiam in ipsa Italia, de harum speciatim originibus certiora prodere annititur. Itaque Italiæ primum civilis fata, variasque divisiones, quas per tria priora a nato Christo secula passa est, prosequitur, ut doceat, recentiora omnino esse Metropolium Italicarum jura, quam censent illi, qui eas ex provinciarum civilium numero atque forma, qualis tamen quarto demum seculo fuit, metiuntur. Cumque Mediolanensis inprimis Ecclesiæ, a D. Barnaba quippe, ut putant, fundatæ, Metropoliticæ auctoritatis antiquitas celebrari valde soleat, quam incertis omnia fundamentis nitantur, ostendit, ut Mediolanensium etiam Episcoporum Catalogum inconstantiæ ac hiatuum arguat. Res omnis denique eo redit, ut evincatur, in universa Italia, præter Romanum, Metropolitam nullum ante Synodum Nicænam fuisse, nec Mediolanensem ante D. Ambrosium. Subjicit Clarissimus Auctor, quod ad præsens argumentum spectet, vexatissimi sexti Canonis Nicæni, ex typo Hierarchiæ Ecclesiasticæ, qualis Nicæni Concilii tempore fuit, expositionem suæ hypothesi convenientem, indignatus haud obscure Ruffino interpretibusque aliis, qui dum ad suorum temporum rationem & opinionum præjudicia respexerunt, Canoni per se non obscuro, pro luce caliginem offuderunt.

Pars III. Tertia Pars paucis absolvitur, etsi ejus causa totus apparatus fuerat instructus. Nempe ex dictis jam colligere est, juris etiam Ravennatis Metropolitani initia serius esse constituenda, quam ab Hieronymo Rubeo Historiarum Ravennatum scriptore non solum, sed Salmasio quoque, Marca aliisque factum. Non dissimulat Reverendus Auctor, præeuntem in sua sententia se habuisse aliquo modo Cardinalem Norisium, qui in Dissertatione de Synodo V Oecumenica cap. 10, ex D. Petri Chrisologi Sermone 175 in Marcellini Vicohabentini Episcopi ordinatione habito, tunc primum

mum docet Ravennatem Ecclesiam jure Metropolitano fuisse ornatam. Attamen rem omnem ab Agnello suo demum clarissime expediri tradit, qui in memorato supra de Ravennatis Ecclesiæ Pontificibus opere, ubi Johannis illius, cognomento Angelòptis, qui immediate Petrum Chrisòlogum præcessit, & Bacchinio conjectante, anno 432 sedere cœpit, anno 439 defunctus, Vitam persequitur, expresse narret, illo ipso Johanne Episcopo sedente, Ecclesiæ Ravennatensi a Valentiniano Augusto XIV civitates cum Episcopis subditas, primoque illi Pallium in signum Metropolitani juris concessum. Ut adeo primus Ravennas Metropolita Joannes Angeloptes fuerit, ejusque successor Petrus Chrisologus primus, quem axiomate ipso facto usum, ex Marcellini Vicohabentini ordinatione novimus.

CATALOGI AUCTORUM, QUI LIBRORUM Catalogos, Indices, Bibliothecas, Virorum Literatorum Elogia, Vitas aut Orationes funebres, scriptis consignarunt, Auctarium, ab ANTONIO TEISSERIO, Uno e viginti sex Academiæ Nemausensis, adornatum, sive ejusdem Catalogi Pars altera, continens ferme bis mille quingentos Auctores.

Genevæ, sumptibus Chouet, G. de Tournes &c. 1705. 4. Alph. 2.

CUm primum Nobilissimi Teisserii Catalogum in Actis nostris, Suppl. T. II Sect. 1, ex merito commendaremus, utile futurum credidimus, si librariæ rei studiosi, quæ in eo notata non inveniant, aut quæ nova prodire cernant, ad istam pertinentia, diligenter isti allinant. At eo labore levavit quodammodo curiosos industrius Auctor ipse, edito nuper admodum locupletissimo ejus operis supplemento, totidem ferme iterum, quot ipsum continere tum diximus, auctores, nempe circiter bis mille quingentos, complexo. In hoc, quod & *alteram* operis *partem* vocari cupit, eundem, quem in prima parte, ordinem servat, & indices itidem undecim accuratissimos adjicit. Quos vero titulos asteriscis no-

notavit, eos sibi a Vincentio Placcio, τῷ νῦν ἐν ἁγίοις, fuisse communicatos, gratus profitetur p. 265. Cæterum non eos tantum libros hic recenset, qui sub prelo jam sudarunt, sed & hos, qui in manuscriptis adhuc latent, aut propediem exspectantur. Sic *Cajenovii*, Galli, librum de lingua Provinciali ejusque Poetis, p. 37; *Charleti*, Canonici Divionensis, Historiam Diœceseos Lingonensis, cui adjungetur Catalogus virorum doctorum, plus quam sexcentorum, ut & aliorum virorum, qui tam in toga, quam sago clari fuerunt, p. 40; *Christophori Hendrichs* Pandectas Brandenburgicas, p. 45; *Cornelii a Beughem* tum alia, tum & Bibliothecam Bibliothecarum, qualem hic exhibemus, p. 53; *Georgii Calixti*, Professoris quondam Helmstadiensis, librum de Historiarum scriptoribus, propediem edendum, p. 89; *Joannis Baptistæ Capponi*, Medici Bononiensis, Bibliothecam Medicam, cum Notitia Manuscriptorum totius orbis, aliaque, p. 130; *Joannis Groningii*, J. U. D. Wismariensis, Antiquam & Novam Wismariam, in qua sistentur nomina Literatorum, qui jam ab aliquot sæculis in illa urbe floruerunt, eorum effigies, vita, bibliothecæ & scripta, p. 148; *Martelli*, Secretarii Academiæ Tolosanæ, Vitas illustrium virorum, qui Tolosæ floruerunt, p. 196; *Richardi*, Presbyteri, Regis Galliæ Historiographi, Historiam Academiarum Gallicarum & Academicorum, qui in illis floruerunt, p. 235; *Valerii Zani*, Bononiensis Academici Gelati, Bibliothecam Bononiensem auctiorem, p. 260; & *Ottonis Sperlingii*, junioris, Catalogum Scriptorum Historiæ Danicæ & Suecicæ, qui brevi exspectetur, p. 270, aliquando editum iri testatur. Qui typographici quandoque errores, ob absentiam Auctoris celeberrimi, Berolini nunc commorantis, irrepsere, facile emendari poterunt. Ita enim e. g. pro Rechenbero & Rechembero p. 3 Rechenbergium; pro Burcardo Golth. Struvio p. 32 Burcard Gotthelff Struvium; pro Georgio Sclucberto p. 86 Georgium Schubartum; pro Meimbonio p. 109 Meibomium; pro Mart. Zeidlero p. 200 Zeillerum; pro Th. Creeck p. 254 Creech substituendum esse, unusquisque videt.

*** *** ***

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti, Anno MDCCV.

ARCHIVORUM VETERIS TESTAMENTI LIBRI Tres. Autore P. SCIPIONE SGAMBATO, Neapolitano, Societatis Jesu.

Neapoli, apud Michaelem Aloysium Mutium, 1703. fol. Alphab. 6.

Diligentiam, quam in Veteris Testamenti Apocrypha impendere Maxime Reverendum Jo. Albertum Fabricium in Actis A. 1703 p. 382 memoravimus, quodammodo antevertisse, licet alia paulo methodo alioque instituto, videtur Eruditissimus præsentis libri Auctor, qui omni studio id egit, ut, quæ passim allegantur, scripta ad Vetus Testamentum ab aliquibus relata, sed Pontificiis ipsismet haud diffitentibus, Divina auctoritate haud gaudentia, Ecclesiæque testimonio destituta recenseret. Qui ipsius labor variam quidem expertus fortunam est, antequam ad Eruditorum manus perveniret. Editionem namque cum moliretur ipse Auctor, miro fato mente deturbatus, plurimos per annos obscurum pulvereque obsitum opus jacere permisit. Sed Thomas Strozza, Socius Jesu, Societatis suæ gloriæ & publicæ Eruditorum utilitati consulturus, e tenebris id protrahere, post istius mortem, aggressus est, quanquam successu itidem parum secundo, cum post factum impressionis initium & ipse expiraverit. Hinc tandem obstetricantes illi manus præbuit felicioribus auspiciis Dominicus de Georgio, Utriusque Juris Doctor Neapolitanus, cujus liberalitati ac industriæ editionem deberi, in directa ad ipsum decicatione palam profitetur Jo. Hieronymus de Onuphrio.

Primarium vero negotium cum Veteris Testamenti Viros sapientia illustres eorumque monumenta ac libros respiciat, haud inconsultum duxit Noster, de lingua his familiari prolixam satis tractationem præmittere. Hanc itaque Hebræam fuisse uti constat, sic de eadem capitibus in non unis docte disseruit. Vindicata nimirum ejus antiquitate linguarum quarumcunque aliarum originem multum superante, plura in medium affert de germana ac propria illius scriptura, quam Assyriacam vocat, ipsamque illam fuisse statuit, qua nunc in Hebraicis scribendis communiter utamur, cui Transfluvianam opponit, seu Samaritanam, quæ vilior sit ac vulgaris. Veterem interea scripturam dici Assyriacam ea propter innuit, quod eandem in Assyria a parentibus Abrahamus hauserit, ac inde secum in alias oras attulerit, ut ut ipse forsan, posteaquam Euphratem transierit, recentiorem excogitasse credendus sit.

His prælibatis, ad ipsos Veteris Testamenti Sapientes sese confert, & post pauca, quæ de singulorum libris genuinis monet, apocrypha potissimum eorum scripta enarrat. Liber *primus*, antequam ad homines descendat, Deum & Angelos scriptores introducit. Ac Deo certe præter libros allegoricos, & in his præcipue Librum Vitæ, apocryphos etiam attribui observat, quales illi tres, quos pro tribunali sedens quolibet anni initio aperire vulgo Judæis perhibeatur. Angelorum apocrypha facit Scientias Divinas atque utiles, Scientias exotericas & malas, Phylacteria, Dispositiones Angelorum, Librum Jaldabaoth, Raziel, & plures alios. Hinc ab Adami exorsus apocryphis, qualia Liber Generationum Adam, Liber Adami Primi, Psalmus Cantici in diem Sabbathi, Apocalypsis, Scientiæ, Cognitio, Testamentum Lucis; ad Sethum pergit, & ejus post alia Libros XIV, quos ipsi tribuunt Sethiani, & Libros L, quos ei liberaliter concedunt Mahometani, allegat. Succedunt cum suis apocryphis Egregori, Oannes, Thoyt ante cataclysmum sapientiæ laudem consecutus, Enos, Cainan, Henoch, Mathusale, Lamech, Noë ejusdemque uxor Bath-Enos, Cham, Japhet uxorque illius Sambetha, quæ in Sibyllinis cum marito se in arca fuisse gloriatur, Sem qui & Melchisedech, Phœnices, Heber, quorum postremus tanquam Indorum & Sinarum pater introducitur, horumque adeo disciplina simul tangitur.

Liber

Liber *secundus* Viros Prophetiæ nomine claros ſiſtit, & quæ cuivis horum adſcribantur apocrypha, teſtatum facit. Agmen inter hos ducunt Abraham,Iſaac,Jacob, Joſeph,duodecim Patriarchæ cum ſuo Teſtamento, Job, Moſes atque Aaron. Moſis occaſione Jannem quoque & Mambrem, quem vocat, illius antagoniſtas nominat, nec ſeptem Prophetarum Gentium dememinit, quorum coryphæus uti Jobus conſtituatur, ſic ei aſſociari refert Eliphazum Themanitem, Baldadum Suhitem, Sopharum Naamathiten, Elihu Filium Barachielis Buzitem, Balaamum, & hujus patrem,qui Beor nuncupetur. De Sibyllis, quæ Gentium credantur Prophetides, paucula interſpergit. Hinc porro comparent longo ordine Jethro, Joſue, filius Nun, & ſeptem Prophetides Iſraelis, Mirjam,Debora, Hanna, Abigail, Holda, Eſther; Eleazar inde Magnus Sacerdos, Phinees,Samuel,David Rex, Nathan, Gad, Achias Silonites, Iddo, Semajas, Salomo, Agur, Lamuel, Elias, Jonas, Oſeas, Amos, Jehu filius Hanani, Jeſaias, Sobna ſcriba, Ezechias, Michæas, Joel, Nahum, Habacuc, Obedias, Sophonias, Manaſſes Rex, Chozai Scriptor hiſtoriæ Manaſſis, Helkias Summus Sacerdos, Urias ſub rege Joachim clarus, Jeremias, & alii usque ad Baruchum, poſt quem adduntur Mardochæus, Eſther Regina, Aſſuerus Rex, Esdras, Nehemias, Tobias denique & Judith.

Poſteaquam deſierit apud Hebræos Prophetarum nomen, vigere cœpiſſe ait honorificum Sapientum titulum, qui diſciplinas publicis in conventibus tradiderint. Unde natæ ſint Hebræorum Academiæ, quas in duas veluti ſectas dividit, alteram, Orientis, Babylonios & Indos, Occidentis alteram Syros, Alexandrinos, Hiſpanos, Italosque comprehendentem. Circa has Liber occupatur *tertius*, qui ab Academiis Babylonicis ſive Orientis orditur, & Neardeana Ezechielis, Mata-Machaſia, Sura, Pombodita quæ dictæ fuerint, declarat. Occidentales conſtituit Hieroſolymitanam, Tiberienſem, Japhneam, Biterenſem, Niſibenam, Alexandrinam, & Tolitolanam. De ſingulis ubi nonnihil diſſeruit, quinam in Bibliotheca Hieroſolymitana reperti libri fuerint? disquirit. Porro Viros magnæ Synagogæ eorumque monumenta literaria recenſet. Quid Philoſophi Græcorum ex fontibus Hebraicis hauſerint? indagat; & ſeorſim Hecatæum Abderitam in

hunc censum vocat. Post renovatam Berosi memoriam Siracidem in scenam producit, & Eleazaro, qui Ptolomæo septuaginta duos Senes ad legem Græce reddendam submiserit, laudato, de ipsismet LXX Interpretibus controversias præcipuas, quæ vulgo moveri solent, pertractat. Aristææ, utut Græcus genere fuerit, locum tamen inter scriptores Hebraicos ideo assignat, quod ejus de LXX Interpretum evocatione liber Hebraice a R. Azaria Edomæo versus prostet. Cleodemum Malchum, Agathobulum, Aristobulum, Ezechielem Alexandrinum, Phocylidem, Lysimachum, Jasonem Cyrenæum, Judamque Essenum breviter descriptos reliquis etiam associatos dat. Machabæorum liber, qui Hebræis Antiochi libellus appellatur, in Latinam linguam translatus inseritur. Denique R. Jochanan filius Mathathiæ, R. Elias cognomento Propheta, Demetrius, Eupolemus, Jonathan Filius Uzielis, Auctor Libri Sapientiæ, R. Nechonias ben Hakkana, Samuel Parvus, Ananias filius Ezechiæ, ac ultimus omnium Cœcilius Rhetor Augusti ætate celebratus, suo quisque ordine in conspectum prodeunt. Quamvis autem larga satis nominum clarissimorum seges hunc in librum constipata sit, minor tamen longe, ac in duobus antecedentibus, scriptorum apocryphorum numerus comparet, cum personas modo plerorumque nominare ac breviter delineare Autori allibuerit.

CASPARIS HENRICI HORNII, JCti, JURISPRUDentia Feudalis Longobardo-Teutonica, aucta variis accessionibus, mandatis, privilegiis, consiliis, responsis feudalibus, aliisque argumentum illustrantibus.

Wittebergæ, apud J. W. Meyerum & G. Zimmermann, 1705, 4.
Constat 5. alph. 4. plag.

OPus hoc, jam ante decennium, publici juris factum est, dum illud Consultissimus Autor, Dissertationibus Academicis, in cathedram produxit. Cum vero Exercitationum illarum exempla deficerent, subinde ab illis, qui ejus Scholas frequentare soliti sunt, interdum & ab aliis admonitus, de repetenda illarum editione cogitare cœpit, quod propositum, tardius quidem, sed ita tamen executus est, ut quamplurima posthæc lecta & observata ad-
di-

diderit, multa etiam emendaverit immutaveritque, adeo ut plane alia facie & habitu liber jam in lucem prodeat. Secutus est, in hoc opere Examen Juris Feudalis Strykianum, ut illud etiam commentarii in hoc vicem subire queat. Primo itaque de origine & auctoritate Juris Feudalis ac Jurisprudentia Feudali disserit, postea naturam, definitionem & divisionem Feudi, ac in specie Feuda propria & impropria explicat, tum ad personas Feudum concedentes, & acquirentes, nec non nuptias & tutelam Feudalem progreditur. Quibus expositis, res in Feudum dandas, Regalia, ac in specie Regale metalli fodinarum jus expendit, explicatis etiam servitutibus, Feudo impositis. Inde ad modos constituendi & acquirendi Feudum, ac speciatim, ad præscriptionem feudalem, & investituram, juramentumque fidelitatis, investituræ annexum, descendit. Quo labore peracto, dispositionem testamentariam circa feuda, successionem descendentium, ascendentium, collateralium, legalem & pactitiam explanat, eique tractationi renovationem investituræ, Laudemium, obligationem & contractus, qui inter Dominum & Vasallum occurrere solent, revocationem feudi alienati, & obligationem feudalem, ex quasi contractu, denique modos, quibus obligatio feudalis solvatur, ac delicta feudalia conjungit, totique operi, actionum feudalium judicii & processus feudalis explicatione, finem imponit. Ubique autem istum scopum habuit Consultissimus Autor, ut cupidæ legum juventuti rationem monstraret, qua, inter tam varia jura, partim in patrio solo nata, partim peregre, ex Italia, allata, quibus Germania etiam, circa beneficia, utitur, iter ingrediendum, ut ad habitum illum, quem Jurisprudentiam Feudalem dicimus, perduci illa possit. Quamobrem non tantum quid Longobardis placuerit, verum etiam, quæ Saxonum, aliorumque Germaniæ populorum, instituta antiqua fuerint, ac sub nomine Alemannici vel Suevici juris feudalis, innotuerint, explicare, simul vero etiam, quid Imperatorum & Regum Romano-Germanicorum constitutiones, atque Imperii nostri leges, tum antiquæ, tum recentiores, tum denique provincialia jura, Electoralium præsertim Saxonicarum terrarum, & vicinarum his regionum, in recessu habeant, quidve tam circa feuda Imperii, quam alia, usus fori & praxis servet, tradere annisus est, prout ipse in præ-

fatione, Lectores hæc edocet. Nonnulla saltem exempla, ex quibus alia dijudicare liceat, adjiciemus. In Capite octavo §. 51 de jure Palatinorum differit, ac inter alia de Palatinatu Saxonico refert, quod idem, ab Imperatore Sigismundo, in Fridericum Bellicosum, Misniæ Marchionem, cum Ducatu & Electoratu, nec non Arce & Oppido Altstedo, ubi frequentissime olim Palatini jus dixerint, fuerit translatus, adeo ut, vi Aureæ Bullæ & investituræ Sigismundi, cum dignitate Electorali ita coaluerit, ut ab ea nunquam separari queat, unique soli Potentissimo Electori Saxoniæ proprius sit factus. Atque ob hanc causam factum esse, porro arbitratur Noster, ut a Friderici Bellicosi tempore, Serenissimi Electores Saxoniæ, Palatinorum Comitum titulo uti, supervacuum crediderint. Electorali dignitate, a linea Ernestina, in Albertinam translata, Palatinatum Saxonicum, eadem quoque fata oportuisse experiri, amplius censet Consultissimus Autor, cui etiam non obsit, quod oppidum Altstedum, lineæ Ernestinæ fuerit restitutum, cum ab oppido illo, Palatinatus nunquam dependerit. In Capite nono, regale metallifodinarum jus prolixius nonnihil persecuturus, præsupponit, totum terrarum orbem a Deo Adamo & Evæ fuisse concessum, adeo ut, sine Dei & Protoplastorum consensu, nemo quicquam sibi asserere potuerit; dominium porro universale ad posteros esse devolutum, ut talis communio inter eos extiterit, qualis inter plures cohæredes esse solet, exceptis saltem iis, quæ, vivo Adamo, alicui jam propria facta essent. Quia vero ista communio, aucto genere humano, diu durare non potuit, ea familiæ herciscundæ ratio inita est, ut quilibet illa, quibus ad sustentandam familiam, opus haberet, retineret, reliqua vero in medio relinquerentur, atque haberentur pro derelictis, & cujuslibet paterent occupationi: hinc, ex sententia Nostri, pacto minimum tacito, ex rebus communibus, fuere factæ nullius. Ejusdem ergo, cujus ceteræ res, conditionis fuerunt quoque metalla: hinc qui fundum vacuum occupat, etiam metallorum, sub illo latitantium, dominus existimandus est, & quidem non tantum extra civitatem, sed & regulariter in civitate. His præsuppositis, Excellentissimus Autor docet, quod jure Romano quædam metallifodinæ publicæ, aliæ vero privatæ fuerint; sed in Germania Regalibus indistincte sint an-

annumeratæ: id quod cum aliis, tum metallifodinarum Saxonicarum, & in specie Freibergensium, exemplis amplius declarat. Postea inquirit in veritatem sententiæ illius, qua multi Doctores Saxonici, in terris Electorum & Ducum Saxoniæ, usu receptum esse existimant, ut is, qui de feudo, cum jurisdictione superiore & inferiore investitus est, metalla viliora, ut cuprum, stannum, plumbum aut ferrum, in feudo suo quærere, ac reperta sibi servare queat. Absoluta hac disquisitione, partes juris metallifodinarum adducit, ac, ostensa Statuum Imperii, fodinas auri argentique in suis territoriis possidentium, præ cæteris, qui illis carent, quoad rem monetariam, prærogativa, ostendit, qua lege, in fundis alienis, metalla hodie scrutari liceat, adjiciens, in terris Potentissimi Electoris Saxoniæ, Magistros montium, auri quoque fodinas probabiliter concedere posse, id est, potestatem ipsis esse datam, *auff alle metalle berckwerck zu verleiben*. Cum igitur ab Imperante & Republica, metalli fodinæ, certis conditionibus, in privatos deveniant, ideo varia negotia eo nomine intercedere solent, quorum indolem deinceps Noster explicat. Inter illum igitur, qui metallifodinas concedit, & fodinarum cultores, *denen gewercken*, contractum velut emphyteuticum celebrari, & metallifodinas minime pro feudis haberi posse, censet. Inter ipsos autem fodinarum exercitores, societatis contractum, cui tamen singularia quædam insint, esse arbitratur. Quoad dominum denique fundi, qui agrum ad fodiendum, sub conditione accipiendæ portionis hæreditariæ, *eines Erbkukus*, concedere debet, & fodinarum exercitores, negotium extraordinarium subesse, ex eoque actionem in factum oriri, existimat, ac de libro metallico publico, *dem Gegenbuch*, ut & de salinis ac thesauris, coronidis loco, nonnulla adjicit. Circa accessiones, quibus Consultissimus Autor, tractatum hunc feudalem augere & exornare voluit, nihil aliud nobis agendum videtur, quam ut syllabum earum exhibeamus. Præter dissertationem itaque, de Feudo Franco, quæ tractatui ipsi inserta est, in Appendice prima habetur (1) Mandatum feudale Joh. Georgii IV, cum mandato Joh. Georgii I, quorum illud de renovatione investituræ, hoc de alienatione feudorum agit. (2) Mandatum feudale Serenissimi ac Potentissimi Regis Poloniæ & Electoris Sa-

xoniæ Friderici Augusti de dato Thorun. 4 Jan. 1703. (3) Forma investiturarum, in Curia Electorali feudali Saxonica. (4) Formula dilationis pupillaris in Aula Electorali Saxonica. (5) Formulæ novæ decisionis de signis feudi hæreditarii & fœminini. (6) Marchionatus Lusatiæ Inferioris Privilegia, a Ferdinando I & Maximiliano II eidem concessa. (7) Rescriptum Serenissimi Principis Christiani, Saxoniæ Ducis, de clausula liberæ dispositionis, literis novis investiturarum inserenda. (8) Tabulæ investituræ Cæsareæ, super quibusdam bonis, officio hæreditarii Janitoris Imperii annexis, quas illustris stirps Wertherorum accepit A. 1698. (9) Formula pactionis feudalis, *lehn reverses*, qua simultanee investiti concedunt illi, qui eos admisit, liberrimam de feudo dispositionem. (10) Programma Academicum, quo quæstio excutitur: utrum Comes Palatinus veniam ætatis, in territoriis Ordinum Imperii, impertiri queat. (11) Aliud, quo discutitur quæstio: utrum jus primogenituræ in testamento prohiberi possit, & si a majoribus prohibitum, num novus jussus parentis, de eo introducendo, liberos obliget? In Appendice secunda exhibentur (1) Consultatio de Principatu Olsinæ in Silesia: utrum feudum proprium sit, an improprium, & quidem tale, quod fœminas admittat? conscripta a Georgio Franzkio A. 1647. (2) Consultatio pro Serenissimo Principe Dn. Adolpho Friderico, Duce Megapolitano, qua quæstio, utrum jus primogenituræ & linealis successio, an vero ordo succedendi, secundum propinquitatem, in hac Familia Serenissima, locum inveniat? excutitur, ac posterius affirmatur. (3) Viginti alia Responsa Juridica, nomine Facultatis Juridicæ Witembergensis, maximam partem emissa.

D. LUDERI MENCKENII P. P. DISSERTATIOnes Juridicæ. Accedunt V Decades Controversiarum & XII Programmata cum Indicibus necessariis.

Lipsiæ, apud Emmerichium, 1705, in 4to.
Constant 5 Alph. 8 plag.

Quas per quatuor, & quod excurrit, lustra in Academia Lipsiensi publicæ ventilationi subjecit Dissertationes Juridicas, eas nunc, in unum collectas volumen, in publicam lucem edidit Consul-

ſultiſſimus Autor. Præmiſit iis præfationem, qua Auditores ſuos alloquitur, qui aut olim ipſius lectiones frequentarunt, aut nunc iis interſunt, aut accedent in poſterum, ac his imprimis linguæ Latinæ culturam, ordinisque in ſtudio Juris ſervandi ſedulam commendat curam. Singularum Diſſertationum materias,& titulus operis,& index exhibet, ex quibus ſatis patet, eſſe eas ex omni Jure, Civili, Feudali, Canonico & Saxonico ſelectas, nec inanes quæſtiunculas, ſed themata, quorum conſtans in foro & quotidianus uſus eſt,continere. Sic, ut ex iis,quæ ad Jus Saxonicum pertinent, ſaltim aliquas exempli cauſa adducamus, *Diſſertatio XX* oſtendit, aſcendentes ad ſucceſſionem feudalem adſpirare non poſſe, niſi ſimultaneam obtinuerint inveſtituram, Feudi autem, ex pacto cum ſimultanee inveſtitis alienabilis, naturam prolixe exponit *Diſſertatio XXVI.* Plura haud addimus, inſtituti noſtri habituri rationem. Sed ad Decades Controverſiarum progredimur. Sunt & eæ olim in Academia Lipſienſi peculiaribus Diſſertationibus propoſitæ, ac continent quinquaginta controverſias Juris varii, ita ut ſupplementi inſtar eſſe poſſint iis, qui Gymnaſio Polemico Conſultiſſimi Autoris hactenus fuerunt uſi. Singulis Theſibus non modo conſentientes diſſentientesque Doctores, ſed & Legum ac rationum obſtantium reſolutiones ſubjiciuntur. Tandem Dodecas Programmatum coronidis loco accedit, quibus ad Exercitia Diſputatoria publica, quæ repetitis vicibus Autor noſter inſtituit, Juventutem legum ſtudio deditam invitavit. In quibus cum ſingulis fere quæſtiones Forenſes diſcutiantur, non minus, quam ipſas Diſſertationes, Lectoris Benevoli deſiderio ac expectationi confidimus ea ſatisfacere poſſe.

ECLAIRCISSEMENT SUR LE LIVRE DE LA GEneration des Vers dans le Corps de l'Homme.

i. e.

DILUCIDATIO LIBRI DE GENERATIONE Vermium in Corpore humano.

Amſtelodami, apud Thomam Lombrail, 1705, in 12.

Conſtat 3. plag.

LUstrum jam præterfluxit, postquam *Nicolaus Andry*, Doctor Medicinæ Facultatis Parisiensis, Tractatum suum *de Generatione Vermium in Corpore humano*, a nobis *Anno 1700. Mense Novembri pag. 519.* recensitum, publici juris fecit. Quanquam vero remedia anthelmintica inibi commendata a quibusdam Medicis, in talismodi casibus, non sine successu in usum fuerint vocata, prout testatur Epistola præsenti libello addita; non destitit tamen *Ludovicus Lemeri*, cujus *de Alimentis* Tractatum *in Actis nostris Anno 1703. Mense Septembri pag. 396.* excerptum dedimus, in Epistola ad Dn. Boudin data, nostrique itidem libelli calci adjecta, eundem salse perstringere. Extitit vero alius, qui suum nomen quidem non professus, attamen Nicolai Andry in præsenti Dilucidatione causam agere, atque ad objectiones a Lemerio factas respondere sustinuit. Cum autem ad tria potissimum capita omnia ea, quæ fuerunt opposita, a Defensore redigantur, ita ut quædam in tractatu dicto quidem reperiantur, redargutione tamen neutiquam digna, quædam Authoris menti affingantur, quædam denique ceu sphalmata inter Errata jam dum fuerint notata; nos missis omnibus, ne contra morem nobis hactenus propositum agere videamur, ea solummodo, quæ pag. 15. & seqq. *de nutritione ossium & sensu medullæ* Noster disserit, brevibus commemorabimus. Putat enim, quanquam ossa mediantibus vasis sanguineis suum nutrimentum hauriant, absurdum tamen non esse, statuere, medullam pariter nutrire ossa. Quod si enim ossa sint solida, nec insigni cavitate prædita, qualia sunt ossicula aurium, cornua cervorum, & damarum, infundi materiam nutritiam in ipsum ossis corpus; sin vero sint concava, non solum ad corpus ossis, sed & ad cavitatem eandem deponi. Foraminula enim adesse exilia in interiori ossis superficie, per quæ ex medulla ad ossis substantiam vasa ablegentur. Et quemadmodum in animalium adultorum substantia, vasa sanguinea non conspiciuntur, etiamsi revera adsint; ita existimat Noster, singula ossa medulla omnino gaudere, etiamsi hæc, propter cavitatem vel exiguam vel nullam, in conspectum minus veniat. Cum enim, qua nutritur os, sit materia oleosa, eaque maxime subtilis & depurata sanguinis, sequi exinde, hanc sive ad cavitatem sive ad substantiam ossis deponatur, dici debere medullam.

lam. Imo idem officium præstare cavitatem ossium, ad quod pennarum avium cavitas formata est, credit; siquidem hæc non solum agilitatem, vim & levitatem volucribus conciliat, sed & penus vicem gerit, ex quo toti pennæ corpori nutrimentum sit petendum. *Sensum medullæ* quod attinet, quanquam, quibus crus vel brachium abscissum est, sub ossis mutilati ligatura novi doloris sensum edant, quamprimum medullæ lintea admoventur; vel animalia ejulatus renovent, si mediante stylo ossis detruncati medulla attingatur; sensum tamen ullum medullæ competere, negat Noster. Cum enim hæc sit materia oleosa, fluida & liquida, intra vesiculas membranaceas subtilissimas inclusa, æque absurdum esse, huic sensum tribuere, ac sanguinem sentire, statuere, putat. Quando autem quidam Anatomicorum medullam per fasciculum plurimarum vesicularum membranacearum, oleosa quadam fluida & liquida materia refertarum definiunt, eundem applausum mereri eosdem putat, quem illi, qui succum citri fasciculum vesicularum membranacearum, acido & transparente liquore refertarum, esse dicunt; imprimis cum iidem asserant, medullam transpirare, per ossis texturam vehi, hocque in mortuo animali livore contaminare; quæ certe proprietates non membranaceæ texturæ, sed fluido corpori competant. Ita ut sensus non medullæ, sed ejus involucris membranaceis verius tribuatur.

JOH. BERNOULLI MOTUS REPTORIUS EJUSque insignis usus pro Lineis Curvis in unam omnibus æqualem colligendis, vel a se mutuo subtrahendis; atque hinc deducta Problematis de Transformatione Curvarum in Diario Gallico Paris. 12 Febr. 1703 propositi genuina Solutio.

QUartus agitur annus, ex quo solutum habui problema de *transformanda Curva Algebraica in alias innumeras Algebraicas longitudine æquales*, non diu ante mihi propositum ab egregio quodam Belgii Mathematico. Idem postea, quod viderem posse præstare insignem usum pro dimensione & comparatione curvarum, publice proposui in Diario Gallico m. Febr. 1703,

 con-

concesso totius modo tum incipientis anni decursu, spe fretus fore ut per ejus solutionem unam vel alteram, Geometria recondita incrementum esset captura non spernendum. Sed ultra præstitutum limitem (intra quem nihil solutionis comparuit) jam fere sesquiannus est elapsus, necdum tamen dedi meam solutionem; quod fateor oscitantiæ an oblivioni meæ imputandum, forsan diutius duraturæ, nisi excussisset eam visa mihi nupera Clarissimi Joh. Craigii Solutio, publicata primum in Transact. Philos. Londin. anno 1704 num. 289, & postea transscripta in Acta Erudit. novissimi Aprilis.

Quid de hac solutione sentiam, mearum est partium paucis prius aperire, quam meam proposuero, neque id facere verebor, cum mihi constet, Clarissimi Auctoris popularem Celeberrimum Newtonum sententiæ meæ ab Amico quodam (cui eam privatim perscripseram) intellectæ per totum suffragari. Quare non ægre laturum spero acutissimum Craigium, si, quod in ipsius solutione desidero, amice & candide proponam. Illam, utpote brevem, huc „ transscribo totam: Sint, inquit, w, s, coordinatæ Curvæ datæ; & „ Curvæ quæsitæ sint coordinatæ x, y: tum ex conditione proble- „ matis erit $dw^2 + ds^2 = dx^2 + dy^2$. Ponatur $dx = dw -$ „ $m\,dz$, unde erit $dy = \sqrt{ds^2 + 2m\,dw\,dz - m^2\,dz^2}$; in hac „ pro ds substituatur ejus valor per w. dw & determinatas ex- „ pressus: & *pro dz assumatur talis valor ex w, dw & determi- „ natis compositus, ut valores quantitatum dx, dy sint summabi- „ les:* Et sic habentur x ac y coordinatæ curvæ quæsitæ. Q. E. I.

Nihil unquam expediri potuisset brevius, non nego; sed & ipsa nimia brevitas est suspecta; re vera enim quis quæso, vel leviter attendens, non viderit statim postulari gratis, *& pro dz assumatur talis valor ex w, dw & determinatis compositus, ut valores quantitatum dx, dy sint summabiles?* Postulatum hoc non minus difficile videtur quam ipsum problema, imo si illud dixero difficilius, non adeo a veritate alienum dixero; superaddit enim tacite problemati conditionem aliquam præter necessitatem, quæ hæc est, quod non tantum curvam curvæ, scilicet totam toti, sed etiam partes partibus æquales fieri jubeantur, quæ tamen posterior con-

conditio non exigitur in problemate; sufficit namque exhibere curvam datæ æqualem, licet partes æquales in illis determinari non possint. Exempla interim, quæ Vir Clarissimus adducit, & quæ an recte soluta, examinare nondum vacavit, non magis probant generalem problematis solutionem, quam si quis per nonnulla exempla æquationum quadratarum & cubicarum a se resolutarum contendere vellet, se monstrasse viam generalem resolvendi æquationem cujuscunque sit dimensionis.

Videtur Doctissimus Craigius ipse quodammodo agnoscere imperfectionem suæ solutionis. Sub finem enim, ubi innuit Problema Diophantæum, quo petitur *Dividere summam duorum quadratorum in duo alia quadrata, quorum latera sint rationalia*, affinitatem habere cum nostro, quod putavit necessario idem esse quam *Dividere summam duorum quadratorum in alia duo quadrata, quorum latera sint summabilia*, rectissime subdit, solutionem mei problematis communes tantum fluxionum methodos inversas requirere, & artificium in debita laterum quæsitorum assumtione consistere, scilicet ut sint summabilia; quo satis nobis indicare vult, quod, quemadmodum illa fluxionum methodus inversa nondum ad perfectionem est perducta, sed immane quantum adhuc circa illam a Geometris desideratur, ita etiam solutio sua, quæ illam methodum requirit, perfecta dici non possit: artificium autem (quod ipse ita vocat) assumendi latera debito modo, ut sint summabilia, haud dubie arcanum est difficillimum. Non ergo illud in solutione generali fuisset supponendum, sed demonstrandum, quod dum fiet, meam nunc solutionem cum alio, quod me eo deduxit, novo invento communicare nequaquam gravabor.

Verum hoc loco non est dissimulandum, quod acceptum ferimus Illustri nostro Leibnitio, felicioribus auspiciis rem aggresso. Is quippe mihi sub initium anni superioris perscripsit aliquod tentamen solutionis neutiquam paralogisticæ, imo cui nihil deerat, nisi ut laborem calculi (qui ad perplexitatem haud facile superabilem deducere videbatur) tollendi modum ostenderet. Via autem, quam ineundam censuit Vir perspicacissimus, consistit in coevolutione duarum curvarum ope styli commune circumplicatum filum ten-

tendentis & describentis tertiam aliquam curvam, quæ si algebraica sit ut & una ex evolutis, altera etiam necessario erit algebraica, non minus quam ipsa etiam coevolutarum differentia semper per rectas lineas algebraice determinabilis existit. Ex quo prævidit Illustris Leibnitius, coevolutas posse fieri longitudine æquales, evanescente scilicet illa differentia; adeoque ut curvæ datæ algebraicæ inveniatur alia algebraica æqualis, nihil aliud faciendum esse, quam ut assumatur pro arbitrio aliqua curva algebraica (specifice tamen determinata & debite collocata) quæ præstet speculi vicem, id est, quæ tangentes curvæ datæ tanquam radios incidentes sub angulo æquali reflectat, & per eorum intersectiones causticarum more formet novam curvam algebraicam: hæc enim cum data curva faciet duas coevolutas pro assumta illa arbitraria per filum describenda. Et quia de casu tantum speciali in calculo agitur, ut nimirum coevolutarum differentia sit nulla, debito modo assumere jubet sive speciem, sive parametrum, sive situm, sive aliud quid curvæ arbitrariæ, quo in proposito casu illa differentia evanescat, atque adeo datæ evolutæ inveniatur altera æqualis.

Ampliorem ejus rei explicationem non dabo: a nemine enim pro dignitate sua melius tractabitur, quam ab ipso Inclyto Viro, proinde humaniter rogando, ut communium studiorum bono & incremento methodum suam, hactenus non nisi levi penicillo adumbratam, perficere, & inprimis, quomodo arbitraria illa speculi vices subitura sine operoso & molesto calculo specifice determinanda vel collocanda sit, ut coevolutarum differentia evadat datæ æqualis vel nulla, compendiosam aliquam viam aperire nobis dignetur.

Mea nunc inventa daturus, præmitto Geometrarum more nonnullas definitiones & postulata.

Defin. I. Per *normales extremas* intelligo lineas rectas ad utramque curvæ alicujus extremitatem perpendiculariter ductas. Sic BN & AN (Fig. I.) sunt normales extremæ curvæ ACB.

TAB. VIII. Fig. I.

Defin. II. Amplitudo curvæ ad eandem partem concavæ est angulus, quem constituunt normales extremæ. Sic angulus BNA est amplitudo curvæ ACB.

Defin. III. Secare curvam in *partes æque amplas* vel *ampli-*

plitudinis æqualis, est eam ita dividere, ut partium singularum normales extremæ constituant angulos æquales.

Defin. IV. Curva curvam *obrepere* dicitur, si mobilis super immobili moveatur motu parallelo, & interim altera alteram continuo tangat, partibus convexis sibi mutuo obversis. Mobilis autem curva vocetur *Perreptans*, & immobilis *Perreptanda*.

Defin. V. Curva Curvam *subrepere* vocatur, si similis fiat motus hoc tantum discrimine, quod nunc curva perreptans convexitate sua inter *rependum* tangat continuo partem concavam curvæ perreptandæ.

Ut clarius hi duo motus intelligantur, possunt quodammodo comparari cum deviatione navis, qua scilicet fit, ut dum ex. gr. a Borea in Austrum vi venti fertur, interim simul ab occulto quodam aquarum motu in aliam rapiatur plagam; quo pacto duas licet concipere curvas, quarum unam uno, alteram altero latere navis perpetuo tangit, quarum proinde una a navi *obrepitur*, altera *subrepitur*.

Fingamus igitur (Fig. I & II.) curvam ACB immobilem seu perreptandam, aliamque mobilem seu perreptantem ECF, quæ posito primo vertice E in verticem A, axique EG in axem AD vel cum eo in directum, moveatur postea ECF motu parallelo per ACB, hoc est ut axis EG & sibi & AD maneat semper parallelus; habebitur fig. I. motus *obreptionis*, & fig. II. motus *subreptionis*. TAB. VIII. Fig. I. II.

Defin. VI. Curvam *Reptoriam* voco, quæ describitur hoc motu per punctum quodvis in plano perreptantis curvæ ECF situm, ut ex. gr. AEH per verticem E, vel LGM per punctum G in axe.

Defin. VII. Curvarum perreptandæ & perreptantis ACB & ECF, partes illas duas AC & EC, quæ jam suum officium fecerunt, illa rependo, hæc reptionem patiendo, vocabo *partes eadem reptione defunctas*.

Postul. I. Curvæ datæ algebraicæ postulantur dari quoque algebraice tangentes & normales.

Postul. II. Postulatur Curvam datam algebraicam secari posse algebraice in partes quotcunque æque amplas.

Lem-

Lemma I. Curvis perreptanda & perreptante existentibus algebraicis, erit quoque, quæ hinc generatur, reptoria algebraica. Liquet ex postul. I & II. nam constat partes eadem reptione defunctas AC & EC esse æqualis amplitudinis, adeoque assumto arcu AC ad lubitum posse algebraice determinari arcum æque altum EC, hinc & punctum E in curva reptoria AE.

Lemma II. Omnes curvæ reptoriæ vel quæcunque earum partes eadem reptione descriptæ inter se sunt æquales & similes. Patet hoc ex parallelismo motus; sumantur enim in plano perreptantis ECF duo quæcunque puncta describentia E & G, quibus connexis per rectam EG, manifestum est hanc rectam per motum reptionis singulis momentis translatam per intervallum minimum in situm priori parallelum, descripsisse utraque sua extremitate lineolas parallelas & æquales, quæ cum sint elementa curvarum AEH, LGM, constat propositum.

Coroll. I. Tangentes ductæ ad extremitates omnium reptoriarum vel quarumcunque earum partium eadem reptione descriptarum, parallelæ sunt omnes tam inter se quam communi tangenti ducta per punctum contactus curvarum vel partium eadem reptione defunctarum.

Coroll. II. Reptoria cum partibus perreptandæ & perreptantis eadem reptione defunctis semper est ejusdem amplitudinis. Hinc jam fluit utilissimum, quamvis facile

Theorema I.

Omnis Reptoria vel quæcunque ejus pars est longitudine æqualis vel summæ vel differentiæ partium perreptandæ & perreptantis eadem reptione defunctarum; nempe summæ, si motus fiat per obreptionem; & differentiæ, si per subreptionem.

Demonstr. Concipiatur (Fig. I & II.) Perreptans ECF progredi in situm proximum, ita ut vertice ejus E perveniente in e, punctum simul perreptantis m cadat in punctum perreptandæ n; clarum nunc est, lineolam Ee, quæ per Coroll. I. parallela est lineolis Cn & Cm, fore illam in fig. I. æqualem summæ $Cn + Cm$, & fig. II. differentiæ earundem, $Cn - Cm$; nam per parallelismum motus fit, ut progressus puncti E nempe Ee sit æqualis distantiæ pun-

punctorum *n* & *m*, quæ vero distantia, cum particulæ C*n* & C*m* in directum jacere censeantur, non differt ab earundem summa in fig. I, & a differentia in fig. II. Sunt vero E*e*, C*n* & C*m* elementa suarum respective curvarum AE, AC & EC; ergo etiam collectim sumtis elementis, erit Curva Reptoria AE æqualis in fig. I summæ perreptandæ & perreptantis AC + EC, & in fig. II differentia earundem AC — EC. q. e. d.

Scholium.

In memoriam hic sibi revocabit B. Lector, quod Illustre Virorum par, summus Leibnitius, & acutissimus, dum viveret, Hugenius præstiterunt, introductis scilicet ab hoc *Evolutionis*, ab illo *Tractionis* motibus, non sine insigni pro notitia curvarum emolumento; sed nunc judicet pro æquitate sua, annon noster motus *Reptionis* illis duobus saltem adjungi mereatur. Sive enim ejus facilitatem & simplicitatem, sive utilitatem spectare velit, deprehendet eum in omni parte mirifice excellere. Quis enim motus facilior & simplicior, quis vero etiam ad praxin accommodatior, quam qui sibi semper parallelus est? Quantæ autem sit utilitatis, præter ardui problematis solutionem mox dandam, vel hoc arguit, quod nobis introitum referet ad abstrusiora & tantum non hactenus desperata circa curvas cognoscenda & efficienda. Quorum unum alterumve tantum notabo: Et primo quidem, cuivis statim obvium est, quomodo datis duabus aut pluribus curvis algebraicis, facile alia nova algebraica inveniatur, cujus area æqualis sit summæ vel differentiæ arearum datarum, erecta scilicet tantum ad communem abscissam nova applicata summæ vel differentiæ datarum applicatarum æquali. At vero si non areæ, sed longitudines ipsæ datarum algebraicarum, in aliam novam algebraicam conflari, id est, inveniri si debeat curva algebraica, cujus longitudo æquetur aliarum datarum vel summæ vel differentiæ; hoc jam quod hactenus a nemine effectum reperias, nostræ videtur reservatum methodo, rem mirabili brevitate absolventi. Etenim si primo duas ex datis curvis sumas, earumque unam obrepere facias, alteram habebis reptoriam duabus datis æqualem, ad quam si eodem modo addas tertiam datam curvam ope obreptionis denuo instituendæ,

prodibit alia nova reptoria tribus iſtis datis curvis longitudine æqualis, cui ſimili modo quartam, poſtea quintam, & plures porro addendo, habebis tandem unam omnibus ſimul curvis datis æqualem, & quidem per Lemma I algebraicam, ſi tales quoque fuerint datæ; ſicubi vero differentia vel ſubtractio curvarum facienda occurrit, loco tunc obreptionis ſubreptionem inſtituendam eſſe, non neceſſe duco ut moneam.

Quæ cum ita ſe habeant, nulla poſthac erit res ardua, curvas non tantum diſſimiles, ſed & diverſorum omnino generum in unam (ſubintellige *algebraicam*, ſi illæ tales fuerint) colligere, vel a ſe mutuo ſubtrahere, vel partim ſubtrahere & partim addere; atque vel differentiæ, vel partim differentiæ, partim aggregato unam æqualem conſtruere curvam. Sic ex. gr. non ſolum ellipſes quotcunque diſſimiles (quod tamen antea ſat magnæ difficultatis fuiſſet) ſed ellipſes cum hyperbolis & parabolis per noſtram methodum facile coaleſcent in unam, hoc eſt, ſine magno labore exhibebo jam curvam algebraicam, quæ ſola trium ſectionum conicarum datarum longitudinem exæquet. Ex hiſce vero deducitur ſequens in abſtracto propoſitum

Theorema II.

TAB. VIII. Fig. III. *Sint* (Fig. III.) *curvæ quot & qualescunque ADL, ACM, ABN, ſitque alia curva APR cujus abſciſſa AO æqualis abſciſſarum ſummæ AE + AF + AG reſpondentium partibus AB, AC, AD æque amplis; & applicata OP æqualis applicatarum ſumma EB + FC + GD: Dico curvam AP æquari longitudine omnibus curvis AB + AC + AD. Quod ſi vero AO eſſet ſumma abſciſſarum tantum aliquarum mulctata reliquis abſciſſis, & ſimiliter OP ſumma reſpondentium applicatarum mulctata reliquis applicatis: Dico fore etiam curvam AP æqualem ſummæ curvarum unarum mulctatæ reliquis curvis. Ex. gr. Si AO ſit = AG + AF − AE, & OP = GD + FC − EB, erit curva AP = AD + AC − AB. Dico tandem etiam, in utroque caſu fore curvam AP æqualis amplitudinis, cujus ſunt AB, AC vel AD.*

Demonſtratio hujus ex præcedenti theoremate haud difficulter

ter colligitur: immo & immediate ex calculo differentialium directo peti poteſt, quare illa relicta revertor ad motum noſtrum reptorium; qui hoc alterum notatu dignum nobis ſuppeditat, quod eſt inventum de dimenſione linearum curvarum per circulares a me jam olim publico exhibitum in Actis hiſce anni 1695 m. Aug. & Nobiliſſimis Duumviris Leibnitio & Tſchirnhauſio tantopere laudatum eod. an. m. Novemb. Quo oſtendi, duas curvas eadem evolutione condeſcriptas per duo quælibet fili evolventis puncta habere ſummam vel differentiam æqualem arcui circulari. Lubet ergo nunc oſtendere, quomodo hoc theorema, quod tunc ſingulari demonſtratione muniveram, non ſit niſi ſpecialiſſimus duntaxat caſus præſentis hujus de Reptoriis.

Sit enim (Fig. IV.) curva perreptanda quæcunque ACB, ſed perreptans ECG ſit jam circulus; ſumaturque punctum deſcribens reptoriam LOM, in ipſo centro O; patet ſtatim reptoriam LOM, eſſe hoc caſu eam, quæ deſcriberetur per evolutionem eandem, per quam deſcriberetur ipſa ACB; puncta enim O & C intervallo ſemper æquali & perpendiculari ad curvas LOM & ACB exiſtentia, haſque proinde æquidiſtantes facientia, facile concipiuntur neceſſario eſſe in filo communi evolvente. Habemus igitur curvam LO per obreptionem, æqualem ſummæ; & per ſubreptionem, æqualem differentiæ curvæ AC & arcus circularis EC, adeoque & hunc arcum utroque modo æqualem differentiæ curvarum LO & AC. Quando vero circulus ſubrepens ECG minoris eſt convexitatis, quam curva perreptanda ACB, id eſt, quando curvatura circuli ECG includit curvaturam ACB, illius nempe radio majore exiſtente quam radius circuli oſculantis in C; erit tunc differentia inter AC & EC penes arcum EC tanquam majorem, unde ſumma curvarum AC & LO partes concavas ſibi jam obvertentium habebitur æqualis arcui circulari EC. Verum enim vero cum parum ſit naturalis & incommode peragatur motus ſubreptionis, ubi ſubrepens includit ſubrependam, poſſunt hæ vices ſuas permutare ita, ut nunc circulus ſubrependæ, illa vero ſubrepentis functionem obeat; ſciendum quippe in genere, per converſionem perreptantis in perreptandam & viciſſim, nihil in reptoria, quæ deſcribitur, immutari præter ſitum.

TAB. VIII. Fig. VI.

 At-

Atque ita veritatem theorematis ex actis citatis tanquam corollarium ex novo hoc motus reptorii invento deduximus, ubi præterea notare convenit fundamentum, cur curvæ ex evolutione condescriptæ nihil aliud sint quam species reptoriarum, id quod in hoc consistit, quoniam circulus ECG ob partes suas similares sive motu rotationis, sive motu reptionis feratur super AC, centro suo A eandem utroque modo describit curvam LOM: atqui rotando, uti notum est, fit condescripta ex evolutione: Ergo constat, quod indicare volui.

Ne vero diutius Lectorem detineam, propero tandem ad solutionem genuinam problematis in Diario Gallico propositi de Transformatione Curvarum, quod, si unum excipias Amplissimum Leibnitium, qui non infeliciter adeo rem est adorsus, in hunc usque tamen diem, quantum constat, nondum perfectam a quoquam accepit enodationem, & ne ab illis quidem, quod miremur, qui nihil non pervium sibi & multa sibi solis perspecta putantes, alios provocando nec modum, nec mensuram tenuerunt: qualis vero causa sit veterni corripientis eorum sagacitatem hac in parte, hujus loci non est inquirere.

Problema.

Datam curvam algebraicam transformare in alias innumeras etiam algebraicas ejusdem cum ipsa longitudinis, sed quæ sint dissimiles datæ, tam quoad totum quam quoad partes.

Solutio I. per Motum obreptionis. Esto curva data algebraica ACB, (Fig. V.) quæ per postul. II. secetur in partes aliquot æqualis amplitudinis, ex. gr. in duas AP & PB. Convertatur una ex iis ut AP circa rectam tangentem in P tanquam circa axem, ut convexitas in contrariam mutetur sumatque situm αP; in hoc situ obrepat pars αP partem PCB ita scilicet, ut inter rependum semper servet situm $\alpha C\pi$ parallelum primo αP. Curva reptoria, quæ hinc describitur $P\pi Q$ per punctum aliquod ad lubitum assumtum in plano curvæ $\alpha C\pi$ ut π, erit una ex quæsitis. Est enim per Theorema I. $P\pi Q = \alpha C\pi + PCB = $ (quia $\alpha C\pi = \alpha P = AP$) $AP + PB = APB$. Est autem $P\pi Q$ curva algebraica per Lemma I. Adeoque datæ curvæ algebraicæ inventa est alia alge-

TAB. VIII. Fig. V.

algebraica æqualis: cui postea eadem methodo inveniri potest æqualis secunda, & deinde secundæ tertia, tertiæ quarta & ita in infinitum. Sunt vero etiam omnes dissimiles, quoniam semper pars interceptoriæ extrema Pπ æqualis est partibus PC + πC, hoc est parti alicui intermediæ inter extremitates curvæ datæ APB; quod necessario dissimilitudinem curvarum, partiumque ejus arguit, excepto unico casu, quo nempe curva data æquabilis convexitatis, omnesque adeo partes similares, id est, si curva data esset circulus, quem igitur hic exceptum volo, daturus infra pro eo solutionem peculiarem. Ergo transformata est omnis curva data excepto circulo in alias innumeras sibi æquales, & quidem omnes algebraicas si proposita sit algebraica. q. e. f.

Coroll. I. Curva inventa prima PπQ dimidiæ est amplitudinis, cujus est data APB; secunda amplitudinis est partis quartæ, tertia octavæ, quarta decimæ sextæ, & sic porro, decrescentibus scilicet amplitudinibus curvarum in progressione geometrica subdupla; unde ultro hic se nobis offert nova ratio rectificandi curvas per approximationem. Cum enim recta linea nihil sit aliud quam curva amplitudinis infinite parvæ, curvæ utique nostræ ipsi APB æquales per successivas operationes inventæ quanto minoris fiunt amplitudinis, tanto magis ad rectas lineas accedunt.

Coroll. II. Si curva proposita secetur in tres partes amplitudinis æqualis, eæque per methodum supra traditam conflentur in unam curvam, habebimus iterum novam propositæ æqualem, quæ postea similiter in aliam & hæc iterum in aliam (& ita quoties libuerit) transformabitur. Pari ratione, si ab initio secetur curva data in quatuor partes æqualis amplitudinis, prodibit nova progressio infinita curvarum inventarum datæ æqualium; per quinquisectionem curvæ datæ rursus nova obtinetur curvarum series; nec non nova & nova semper habetur per sectionem in sex, in septem, in octo &c. partes æqueamplas. Et ita satisfactum est problemati non uno modo tantum, sed modis infinitis, quorum singuli innumeras exhibent curvas datæ æquales. Hi modi si combinentur, prodibit numerus modorum infinitorum infinitus, quibus ulterius combinatis sine fine, exoriuntur novi semper infinitatis gradus, quibus præcedentes quasi absorbentur.

Coroll. III. Alia præterea ratione obreptio initialis peragi potest, mutato nimirum (fig. V.) situ partis AP vel αP, ut extremitates partium non contiguæ ab initio se tangant, hoc est, ut extremitas α partis αP tangat extremitatem P partis PB, hacque dispositione instituatur obreptio. Fiet enim reptoria PπQ omnesque reliquæ postea ut prius describendæ a prioribus diversæ, & tamen ipsi propositæ APB æquales. Hic autem modus inprimis locum obtinet, quando curvæ partes PA & PB sunt æquales & similes, uti fit, cum APB esset ex. gr. aliqua ex sectionibus conicis, in qua punctum P foret vertex summus; quo casu curva reptoria PπQ per priorem modum descripta esset nova tantum sectio conica sed parti PA vel PB omnino similis, id quod non satisfaceret problemati, quippe quod requirit curvam propositæ dissimilem. Atque hic in universum est notandum, quotiescunque curvæ perreptans & perreptanda sunt eædem vel tantum similes, seque tangunt ab initio reptionis in punctis similibus, curvam reptoriam hinc generatam illis semper etiam fore similem; cujus ratio attendenti haud difficulter patescit. Quando igitur dixi in solutione curvam PπQ dissimilem esse ipsi APB vel parti AP, excepto solo casu, quo data curva APB esset arcus circuli, ista verba sub hac restrictione dicta velim, ut nimirum si proposita constet duabus partibus PA & PB æqualibus & similibus, situs tunc partis αP prius permutetur, admoto scilicet α partis αP ad punctum P partis PB: alioquin certe reptoria descripta PπQ foret parti AB vel PB omnino similis.

TAB. VIII. Fig. V.

Solutio II. per Motum subreptionis. Esto Curva data algebraica ACB (Fig. V.) ad quam construatur prius alia similis LMNR, illiusque dupla, quod quomodo fiat dudum est cognitum, ducendo tantum ex assumto quodam puncto O per singula curvæ datæ puncta rectas OL, OM, ON, OR duplas suarum partium OA, OP, OC, OB: Deinde sumta LMNR pro perreptanda & APCB pro subrepente, atque admoto B ad L, vel A ad R, fiat subreptio; dico reptoriam hinc genitam fore æqualem propositæ APB; est enim æqualis differentiæ inter LMNR & APB per theorema nostrum I. differentia vero æquatur ex constructione ipsi APB. Ergo &c. q. e. f.

No-

Nota, quod pro subreptione inchoanda dixerim admovendum esse A ad R, vel B ad L, secus enim si A ad L, vel B ad R admoveretur, reptoria prodiret eadem cum APB. Fateor equidem, hoc incommodum certis casibus, etiamsi adhibita illa cautela, posse occurrere, tunc nempe, quando curva data APB duas habet partes PA & PB inter se æquales & similes. Hoc vero inconveniens multis modis tolli potest; construendo ex. gr. dimidiæ tantum AP, curvam similem in ratione tripla, id est, ut ubique OL ad OA, OM ad OP, se habeant ut 3 ad 1. Sic enim admoto A ad M vel P ad L, si AP subrepserit ML, habebit reptoriam dissimilem & duplam ipsius AP, adeoque toti APB æqualem. Cæterum prærogativa aliqua gaudet hæc construendi methodus super præcedentem, dum non indiget postulato II. Sectio enim curvarum in partes æqueamplas molestiam quandoque in praxi creare posset, quæ autem hic commode evitatur. Sciendum interim hoc artificium, quod nititur prævia constructione curvæ similis ad habendam curvam dissimilem & æqualem propositæ, posse etiam in motu obreptionis locum habere. Etenim si construatur curva LMNR datæ APB similis sed semissis tantum longitudinis, quod fit, bisecando rectas ex polo O eductas OA, OP, OC, OB; obrepat postea LMNR se ipsam inverso ordine, hoc est curva LMNR bis describatur, atque una obrepat alteram, facto scilicet reptionis initio ab unius extremitate L applicata ad extremitatem R alterius; manifestum est, reptoriam hinc exurgentem (quippe æqualem per theorema I. duplici LMN) æqualem esse propositæ APB, ut & eidem dissimilem, nisi forte partes PA & PB essent æquales & similes, quo casu adhibenda foret medela modo supra allata. Cæteroquin tamen hoc notandum in favorem prioris solutionis, quod per hanc posteriorem non quemadmodum per priorem amplitudines reptoriarum decrescant, ipsæque adeo ad rectitudinem magis magisque accedant, sed ex adverso omnes prodeant amplitudinis, cujus est curva proposita.

Solutio singularis pro circulo. Pervenio tandem ad casum unicum (si curva data circularis est) qui solus solutiones nostras generales non agnoscit, iisque non comprehenditur, quem propterea jam supra excepi. Nam quomodocunque circulus circulum

per-

perreptet, sive obrependo, sive subrepando; reptoria quoque orietur semper circularis, cujus causa est (ut supra jam monui) æquabilis convexitas circuli, seu partium ejus non interrupta similaritas. Ne igitur hoc uno in casu, inter infinitos, immo omnes alios a nobis solutos, aqua nobis hæreret, excogitanda fuit pro Circulo peculiaris solvendi ratio petita ex methodo, jam olim mihi pro aliis curvis non infeliciter adhibita, ut videre est in Actis hisce A.1694 pag. 396 & 397, ut & A. 1695 pag. 64, ubi ea usus fui ad construendam curvam paracentricam per longitudinem curvæ algebraicæ, atque jam tum monui eam consistere in divisione quadrati differentialis propositæ in duo alia quadrata, quorum latera sint integrabilia, adeo ut videre possit Clarissimus Craigius, suæ solutionis fundamentum jam pridem mihi innotuisse; quanquam tamen pro universali venditare nollem. Interim ecce solutionem pro circulo:

TAB. VIII. Fig. VI. Esto Circulus, cujus peripheria transformanda sit in curvam aliam algebraicam, describatur primo circulus alius ABE (Fig. VI.) cujus radius CA = 8 radiis circuli propositi, ut scilicet quadrans AB totam circumferentiam datam contineat bis: Sit radius CA vel CB = a, abscissa CD = x, adeoque applicata DP = $\sqrt{aa-xx}$; construatur nunc alia curva HGR hac conditione ut sit abscissa CF = $\frac{3aax-x^3}{3aa}$, & applicata FG = $\frac{aa-xx}{3aa}\sqrt{aa-xx}$; quo facto erit semper, uti calculanti facile patebit, portio curvæ HG ducta in radium æqualis segmento circulari APDC, adeo ut sumta CD = ipsi radio (quo casu segmentum APDC degenerat in quadrantem circuli (AB) hinc fiat CF = CR = $\frac{2}{3}a$, & FG = o; ipsa autem curva HGR ducta in radium = quadranti circuli CAB = quadranti circumferentiæ APB ducto in semiradium: unde curva HGR = $\frac{1}{2}$ APB = (per constr.) toti circumferentiæ datæ; quam igitur mutavimus in æqualem aliam curvam algebraicam, hæc vero porro per præcedentes solutiones in alias infinitas transformabitur, quare nunc dedimus problema ex omni parte solutum.

Erratum. A.1704. pag. 380. l.9. pro *differentiatio* lege *tertia differentiatio*.

VAL.

VAL. ERNESTI LOESCHERI, D. ION, sive ORIGINUM GRÆCIÆ RESTAURATARUM Libri II.

Lipsiæ, apud Heredes Grossianos, 1705, 8. plag. 7.

ANimus Auctori Maxime Reverendo, nostroque in colligendis Eruditorum Actis jam a pluribus annis Socio solertissimo, S. Theol. Doctori & Delitiano in vicinia hoc tempore Præsuli fuit, hac lucubratione ostendere, falso hactenus creditum, quod Græci Asiatici, Iones, Dores, aliique ex Europa in Asiam migraverint, cum omnes potius Græci ex Asia in Europam pervenerint. Quo consilio inductus rem istam tentaverit, in calce opusculi p. 102 enarravit, meditari se nimirum Origines Religiosas, opus errorum fontes & Historiæ sacræ adyta reserans, quodque multos in re sacra scrupulos eximere possit: in quo dum versatur, animadvertit, vulgarem de Græcorum natalibus hypothesin bonæ causæ & Mosaicæ Historiæ multum adversari, imo cum se ipsa pugnare. In hac illum sententia confirmarunt Strabonis quædam testimonia, qui Græcorum unus hac de re sincere, etsi tecte, loqui videtur.

Methodi causa duos operis hujus libros fecit, quorum primus Analyticus dicitur, & Græcorum de suis originibus tradita resolvit, ut veritas inde appareat. Nam cap. I Auctor conquestus de fabuloso antiquissimæ Græcorum Historiæ statu, Marshamum & Clericum ait eandem corrigere cœpisse, Græcos fabularum amantissimos fuisse, omnium vero turpissime se dare, quando se autochthones profiteantur; ubi collatis veterum testimoniis, Pelasgum, Arantem, Orum aliosque, quos Græci e terra enatos fabulantur, explodit. Capite II de interitu antiquissimorum Græcæ Historiæ monumentorum disserit, eumque haud ægre ferentibus Europæis Græcis accidisse existimat, quia eorundem affectatæ antiquitati non favebant. Herodotum vero patrem Historiæ dictum, quia, cum Asianus esset, Europæis tamen natalium primatum adscripsit. Affertur præterea hujus rei peculiaris ratio: Asiaticos nempe Græcos libertate amissa, patriæ pertæsos, ac popularium suorum in

Europa gloria captos, nationis causa omne studium in Græciam Europæam ornandā contulisse, hacque occasione, quæ jactantiæ causa initio ferebantur, inter historicas veritates paulatim recepta esse. Hinc Græcos propriis argumentis confutaturus ex Herodoto, Strabone, Pausania aliisque ostendit, migrationem Ionicam, Phorbantis aliasque, quibus Græci in Asiam venisse feruntur, tanti non esse, ut tanta res ex ipsis deduci possit, & priusquam eæ contingerent, Græcos in Asia vixisse; Titanes quoque, unde familiæ Græcorum summæ deriventur, Asiaticos fuisse, nec non Cabiros. Ex adverso Auctor probat, Deucalionem, Lelegem, Cadmum, Pelopem aliosque cum integris gentibus ex Asia in Helladem ante istas migrationes advenisse; Herculem Asiaticum Idæum esse omnium ejus nominis vetustissimum, ad quem multæ Græcorum Archæologiæ ultimo redeant; insulares denique Græcos antiquiores esse iis, qui in Europæ continenti degebant. Quo loco notanda est Auctoris observatio, consuevisse Græcos, quoties diffiteri nequeunt, se magnum quid ab exteris accepisse, (ne Orienti id acceptum ferre cogantur) ex Ægypto talia derivare, eamque ob causam Deucalionem, Danaum &c. Ægyptios appellare. Ad specialia se confert cap. III, utque res omnis eo dilucidius pateat, antiquissimos Græciæ populos omnes excutit; principio Pelasgos & Leleges, ad quos omnes fere Helladis populi suos natales referunt, posthæc Pæones, Dryopes, Caucones, Aones, Mygdones, Hyantes ex Asia advenisse proban.. Hinc sigillatim de Argivis agit, quorum nomen, consentiente Scholiasta Dionysii, ab ערגה derivat, ut Argos idem sit, ac terra littoralis; Argivos vero & Sicyonios Reges priscos rejicit: Arcades, Thessalos, Cretenses, Atticos, Spartanos, Bœotios ab antiquitatis possessione deturbat; Iones, Dores & Æoles antiquissimi generis Pelasgici & Lelegici fuisse; denique Cares aliosque Asiæ minoris populos olim ad Græcos late dictos pertinuisse, demonstrat. Tandem cap. IV reliqua, quibus sententiam suam confirmari credit, argumenta convasat: Deos scilicet Græcorum, Philosophiam, Poesin, leges, ludos Olympicos, Græcorum ipsorummet confessione, ex Asia in Helladem transiisse, Asianos quoque Græcos antiquissimas habuisse colonias, mercatura & navigatione, quæ gentes propagant, præ cæteris excelluisse. Quo loco Auctor duas ob-

observat esse Poetarum perantiquas familias, alteram agrestem, Dorica dialecto gaudentem, historiæ male curiosam, Orpheo patre atque adeo ex Thracia oriundam; alteram comptam magis, Ionica suavitate se commendantem, historia & hymnis excellentem, quæ ex Græcis Asiæ littoribus descenderit.

Liber II, quem Syntheticum Celeberrimus Auctor nominat, ejus hypothesin de Græciæ originibus rectius constituendis exponit, quam ex veterum Historicorum reconditis quibusdam testimoniis, advocatis in subsidium sacris Bibliis, quæ priori libro certis de causis non tetigerat, animo concepit. Græcos omnes ait a Japeti filio Javane ortos, diuque ab illo Ἰαῦνας & Ἰάονας appellatos, simulque quis Ion fuerit, cujus multa penes scriptores recordatio est, atque a quo opusculo huic nomen est, expendit. Ionum nomen principio Græcis omnibus commune, postea a multis repudiatum, Herodoto auctore, narrat. Primos in Asia Græcos, Iones semper dictos, Jovem & succedente temporum corruptione, Jovinonem sive Junonem (fœminam quæ ex vetustissima traditione salutem orbi universo allatura esset,) coluisse, leges & linguam Ebræis propiorem habuisse tradit. Eosdem sub Pelasgorum nomine ad Hellespontum in Europam transiisse, Argivis Arcadibusque conditis; horum esse Pæones, Dryopes, Aones aliosque obliteratos Helladis populos, nec non Phoroneum, Ogygem κ. τ. λ. Hos principio non fuisse barbaros, aut cœlum stellasque coluisse, (quam vulgatam originibusque religiosis maxime inimicam hypothesin vocat) sed paulatim, interruptis cum Oriente commerciis, in barbariem pervenisse contendit. Porro quosdam in Asia remanentes Græcos ait Lelegum nomen accepisse, qui insulas Ægæi maris, & insulari posthæc itinere Peloponnesum incolis repleverint; Scythas vero paulo post dominatum Græcæ etiam Asiæ nactos, sua quoque numina, Apollinem & Dianam, ac Scythicas quasdam voces in Græcismum intulisse. Successu temporis credit Iones quosdam, eosque Elisa prognatos, qui Elysii dicebantur, per Hellespontum in Europam descendisse, ac Pelasgis fuisse intermixtos, quorum memoriam Hellas, Elienses, Elotæ, Elissus, Eleus, & Eleusin servaverint. His Cecropem & Deucalionem annumerat, atque interea Leleges in Asia Dorum, Carum, Ly-

ciorum &c. nomina accepisse, Elysios vero, qui in patria remanserant, Æoles appellatos fuisse opinatur. Græcos Europæos censet temporis lapsu in barbariem magis magisque delapsos, Jovem cum Cretensi quodam principe, Apollinem cum artifice Delio, & Dianam cum Delia quadam virgine confudisse, adventu vero Beli, Cadmi & aliorum, qui literas Phoeniciosque Deos, Adonidem præsertim & Venerem attulerint, sensim e barbarie sublevatos fuisse, præsertim Pelopis opera, qui ex Asia cum suis venerat. Interea Phrygum gentem in Asia dominatum adeptam, Deam suam salutarem, Cybelem & Phrygica quædam vocabula Græcis dedisse existimat; Thraces vero, qui in Europa tum inclarescebant, Helladem putat sub jugum misisse, illatis in eandem numinibus quoque suis, Baccho, Marte & Cerere, tum Orgiis, Poesi Orphica & Philosophia; atque tum Lelegum, Dryopum & ejus generis vetustarum gentium nomina periisse. Hæc vero omnia gesta esse credit ante Trojanum bellum, in quo Asiaticorum Græcorum gloria conciderit; nihilominus tamen posthæc Heraclidas, h. e. Herculis Idæi, non Thebani, posteros venisse in Helladem, & principatum plerisque in urbibus occupasse. Tandem fugitivos quosdam Græcos Europæos, ut par pari referrent, Ionica, quæ dicitur, migratione in Asiam abiisse, ejusque principatum passim obtinuisse; Lydorum vero potestate invalescente, omne priscorum in Asia Græcorum decus periisse contendit. Atque hoc pacto origines Græcas eousque se perduxisse credit, quo Historicis tuto fides haberi possit. Ea vero omnia p. 98 in Canone quodam Chronico exhibet, quem deficiente justa Chronologia, *p. 20, 21*, juxta ætates Clarissimorum in Græcia antiquiori Virorum, ab Olympiadum origine retro ad Ægialeum eundo, descripsit.

DE SYNODI CARENTONENSIS A REFORMAtis in Gallia Ecclesiis A. 1631 celebrata Indulgentia erga Lutheranos, Dissertatio Theologico-Historica, Autore D. THOMA ITTIGIO. Accedunt ejusdem quatuor programmata festalia publico nomine conscripta.

Lipsiæ, apud hæredes Joh. Grossii, 1705. in 4. plag. 11.

Dum

DUm aliqui Theologi ex iis, qui nominari amant Reformati, inter suam nostramque Ecclesiam unionem, sæpius frustra tentatam, perficere hoc tempore multo labore conantur, Summe Reverendus D. Ittigius noster, pro ratione munerum, quæ in Academia & Ecclesia nostra ornat, quid de ea conciliatione sentiendum sit, quidve sperandum, in Dissertatione dicta accurate expendit. In præfationis initio, D. Johannis Braunii, Theologi Grœningensis, in dedicatione Commentarii in Epistolam ad Hebræos hoc anno editi, quem proximo mense recensebimus, spem de successu exoptato pacis ecclesiasticæ vanam esse indicat, conceptam tum ex sapientiorum primariorumque per totam Saxoniam Ecclesiarum Antistitum magna humanitate Reformatis demonstrata, tum maxime ex ordinatione Celsissimi Electoris gloriosissimæ memoriæ, qui non ante multos annos jusserit, ex Cocceji operibus aliquot centena coemi exemplaria, ut quælibet Ecclesia suum haberet. Nam fratres, quos vocat, Lutheranos, a quibus se audivisse Braunius refert, falsa narrasse ei de Cocceji operibus, inter ipsos Reformatos male audientis, & Saxonicis Theologis ob hypotheses ejus novas displicentis. Quod si vero etiam Ecclesiæ Saxonicæ singulæ exemplum eorum operum possiderent, non magis hoc ad unionem religionis Reformatæ facere, quam si Lutheri & Theologi alicujus Lutherani opera inventario alicujus Ecclesiæ Reformatæ addantur. Unionem autem Ecclesiæ Lutheranæ cum Reformata Theologus noster optandam potius quam sperandam arbitratur, immo talem, qualem Braunius optet, ne optandam quidem, cum discors ejusmodi concordia Deum offensura, & præsentissimum Lutheranis periculum allatura sit. Si enim, ex Braunii consilio, Lutherani cum Reformatis contra Papistas arma conjungere velint, metuendum esse Lutheranis, si communicatam carni Christi majestatem Divinam contra Pontificios tueri velint, ne Reformati relictis suis fratribus, arma cum Pontificiis conjungant, aut pugnantibus Lutheranis contra Papistas Jansenianos, ad castra horum abeant, & tela contra Lutheranos vertant. Etenim, quæ Reformati nonnulli de universali gratia Dei & Christi merito dicunt, ludificationes esse, Johannem Clericum etiam novissime observasse, quippe qui Holzfusii tractatum de prædestinatione, electione & reprobatione hominum re-

censens, tales Universalistas a Supralapsariis & Sublapsariis reipsa nihil differre, & Holzfusium, dum Synodum Dordracenam gratiæ universali non adversari obtendit, non modo Arminianis, sed ipsis etiam Reformatis in Belgio & Helvetia ludibrium debere, Tom. VI Biblioth. Selectæ p. 419 scripserit. Notato insuper Braunii more Lutheranos, quos fratres iteratis vicibus salutaverat, quotquot pacem dolosam respuunt, fratribus ignorantiæ & rixarum annumerantis, ejusdemque falsa persuasione, momenta controversiarum inter Lutheranos & Calvinianos nullius ponderis æstimantis; ad alteram partē præfationis progreditur, in qua occasionem & argumentum tractationis suæ memorat sibi suppeditasse Patres Synodi Carentonensis, A. C. 1631 congregatos, qui Lutheranis, ut sacra Cœna cum Reformatis uti, conjugia cum Reformatis contrahere, & infantes ad baptismum Reformatorum offerre ipsis liceret, permiserunt. De hac Synodi sententia quid judicari debeat, in Dissertatione ista discutitur, cujus summam dare operæ pretium est.

Carenton Galliæ vicus ad fluvium Matronam, duabus minoris spatii leucis Lutetia Parisiorum distans, celebris est templo, Henrici IV permissu a Reformatis structo, ad quod ex Lutetia aliquot millia hominum ad cultum suum publice exercendum confluere solebant, donec viginti ab hoc annis, & hoc & reliqua templa Reformatorum in Gallia, vel destruerentur, vel ad alios usus converterentur. Ejusdem celebritatem auxerunt Synodi Nationales tres, a Reformatis Galliæ Ecclesiis ibi habitæ; prima A. C. 1623, altera A. 1631, tertia in fine A. 1644 & initio 1645. Primam illam decretis Synodi Dordracenæ non admodum favisse, vane gloriari Remonstrantes, ex Actis ostenditur. Tertia Synodus Mosen Amyraldum & alios nonnullos Reformatos in Gallia, universalem gratiam asserentes, exemplo Alensonensis Synodi non approbavit, sed tantum toleravit, prohibens sub pœna depositionis omnibus Pastoribus & Professoribus suis scribere, concionari aut disputare contra se invicem, super articulis declaratis in Synodo Alensonensi, ullosque libros super illis publicare. Eadem Romanæ Ecclesiæ amasios, Jacobum Codurcum, Pastorem & Professorem Nemausensem, statione muneris sui ecclesiastici & academici dimovit, & Theophilum Brachetum Milleterium pro membro Ecclesiæ Refor-

formatæ non agnoſcendum declaravit. Præterea decrevit, a muneribus ſuis removendos Paſtores & Profeſſores, qui in controverſiam traherent peccati Adamici imputationem, neminemque deinceps ad ſacrum miniſterium admittendum, qui erroris illius foret particeps. Quæ in iſta Synodo geſta dum narrantur, alia notatu digna inſperguntur Nos accedimus ad Synodum Carentonenſem medio tempore habitam, cujus illa fuit erga Lutheranos indulgentia.

Verba decreti ſic habent: *Quando Auguſtanæ Confeſſionis Eccleſiæ cum cæteris Reformatis in omnibus veræ religionis principiis & articulis fundamentalibus conveniunt, cultumque exercent purum ab omni idololatriæ & ſuperſtitionis labe, ſi qui ſint iſtius profeſſionis homines, qui cum caritatis & lenitatis ſpiritu ſacros eccleſiarum noſtrarum cœtus frequentent, earumque communionem expetant, iis ſine omni abjuratione prævia liberum eſto, ad ſanctam Chriſti menſam nobiscum accedere, matrimonia cum noſtræ confeſſionis hominibus contrahere, & infantes baptiſma tingendos de more offerre & ſuſcipere, dum noſtris Eccleſiis in hoc ultimo caſu ſancte ſpondeant, ſe infantes, quos de ſacro lavacro ſuſceperint, neque directe unquam, neque indirecte, adverſus eam, quam noſtræ eccleſiæ credunt ac profitentur, doctrinam ſolicitaturos, ſed ea duntaxat fidei capita edocturos, de quibus inter noſtras ipſorumque eccleſias convenit.* Hoc decretum, quod Reformati Doctores Irenici Spiritus Sancti ductu, ſumma ſapientia, ſummaque caritate conditum, ad pacem inter Reformatos & Lutheranos ineundam laudabant, hodieque commendant, Pontificiorum indignationem excitavit: quippe qui tentatam per Cardinalem Richelium concordiam inter Pontificios & Reformatos repudiari, & contra Lutheranis offerri, ægre ferebant, ideoque eorundem ea de re judicia ſiniſtra prodierunt, quæ Auctor noſter Summe Reverendus addidit. Occaſionem decreto dedit mercator quidam Germanus, Auguſtanæ Confeſſioni addictus, Lugduni in Gallia vivens. Is civis alicujus Lugdunenſis Reformati filiam ambiens, non ſolum Reformatorum cœtibus frequens aderat, ſed etiam profitebatur, ſe cætera doctrinæ & diſciplinæ Reformatorum capita ita probare, ut etiam cum ipſis communi-

municare, & cum quodam e Reformatis affinitate conjungi paratus esset, modo ne, quam in Lutherana Ecclesia hauserat, de Dominica in Eucharistiæ Sacramento præsentia, sententiam mutare cogeretur. Ministri Reformati dubii, quid sibi faciendum esset, ad Synodum Nationalem propediem habendam referre constituerunt. Hæc igitur consulta, eam quam diximus indulgentiam fecit. Fundamentum ejus ponit, tum in fundamentali utriusque Religionis consensu, tum in cultu Lutheranorum puro ab omni idololatriæ & superstitionis labe. Sed fundamentalem illum consensum dici quidem, sed nequaquam esse, qui dudum demonstrarunt, nominantur Nicolaus Hunnius, Theologi Wittebergenses & Darmstadienses, Hutterus, Hulsemannus : confessio autem ingenua Synodi laudatur, opponenda calumniæ Reformatorum aliorum, qui nostris Ecclesiis ob doctrinam de adoratione Christi hominis, de usu imaginum in templis, de virtute baptismi, de præsentia corporis Christi in Eucharistia, & aliis quibusdam articulis, idololatriæ & superstitionis labem aspergunt.

Ipsa indulgentia tribus capitibus continetur. *Primum* est, licere Augustanæ professionis hominibus, cum caritate & lenitatis spiritu sacros Reformatorum cœtus frequentantibus, eorumque communionem expetentibus, sine abjuratione prævia, ad sanctam Christi mensam cum Reformatis accedere. Enim vero ingenuum Lutheranum salva conscientia hanc communionem desiderare, aut ad sacram cum Reformatis cœnam accedere non posse, probatur (1) quod dubium sit, an apud Reformatos, symbola terrena sine re cœlesti exhibentes, integrum Eucharistiæ Sacramentum administretur. Negasse Lutherum, Balduinum, Waltherum, Jacobum Martini, alios; & si cum Theologis quibusdam nostris concedamus, verum Cœnæ Sacramentum a Calvinianis accipi, tamen (2) Lutheranos avocari admonitione Divina sæpissime repetita, de commercio cum heterodoxis, quoad cultum & fidem, fugiendo; insuper (3) cum Sacramenta sint notæ discretionis, & species confessionis illius fidei & doctrinæ, quam Ecclesia, in qua Sacramentis utimur, agnoscit, docentibus ipsis Reformatis, non posse Lutheranum sacra Cœna in Ecclesia Reformata uti, nisi publice profitendo, se ejusdem doctrinam amplecti, & contrariam rejicere; ad-

adhæc (4) Lutheranum scandalo aliis, hypocritamque futurum, ac hoc suo facto heterodoxos in pravis suis opinionibus confirmaturum, contra interdictum Divinum, & praxin primitivæ Ecclesiæ. Ideo(5)nostrates quosdam Theologos, Lutherum, Olearium Helmstadiensem, Menzerum, Balduinum, Finckium, a Calvinianorum Cœna adeo abhorruisse, ut Lutheranis eam ne in necessitatis casu quidem permiserint. Accedit (6) quia alii Reformati, non sine multis cautelis & conditionibus, suæ communionis hominibus concedant ejusdem cum Lutheranis Cœnæ communionem, quæ ex Bergio, Zacharia Ursino, Henrico Altingio adducuntur, aliam a Lutheranorum doctrina mentem aperte declarantes. In quibus cautelis tamen frustra sollicitos esse Calvinianos Noster monet, cum Lutherani Theologi in sua doctrina pertinaces ad sacra sua non admittant. Immo (7) Synodi Carentonensis indulgentiam non tam ad pacem cum Lutheranis, quam ad seductionem eorum spectare; quas insidias Dallæus dissimulans, atque rationem concessionis afferens tolerantiam in adiaphoris, & infirmitatem errantium, refutatur. Neque tandem (8) omnium Reformatorum eandem esse, quæ Synodi Carentonensis, sententiam; &, si eadem esset, non tamen probari etiam ab iis nostratium, qui a pace cum Reformatis ineunda non alieni fuerunt, inter quos F. U. Calixtus. Hæc de capite primo eoque præcipuo indulgentiæ Carentonensis.

Alterum caput consistit in concessione libertatis matrimoniorum cum Reformatis contrahendorum. In quo magna facilitas Synodi deprehenditur, conjugia a Synodo Middelburgensi A. 1581 & Nicolao Vedelio valde improbata concedentis, sine ulla lege & restrictione. Scilicet præsumsisse Synodum Noster judicat, facilius fore, ut uxores Reformatæ blanditiis suis maritos Lutheranos ad Reformatam religionem perducerent, quam ut mariti Lutherani uxores Reformatas a sua religione averterent. A Nostratibus conjugia cum heterodoxis non simpliciter improbari, sed sub certis conditionibus permitti ostendit. Temere autem concedenda non esse, ex Scripturis S. Ordinationibus ecclesiasticis, Patrum Ecclesiæ sententiis, & Canonibus Conciliorum evincit. Tertium decreti Carentonensis caput indulget Lutheranis infantes Reformatorum e baptismo suscipere,

 ita

ita tamen, ut apud Presbyterium sancte spondeant, se infantes de sacro lavacro susceptos, neque directe, neque indirecte ad aliquod sollicitaturos, quod cum Reformata doctrina non congruat. Miratur Theologus noster, Synodum, Lutheranos cum Reformatis in principiis religionis & capitibus fundamentalibus consentire, & in cultu nulla idololatria & superstitione laborare asserentem, solicite cavere, ne infantibus Reformatis aliquid Lutheranæ doctrinæ affricetur, eandemque inter medias blanditias tam iniquam conditionem a Lutheranis exigere. Candidius alios Reformatos censet egisse, qui Lutheranos ab hoc officio prorsus excluserunt, docetque ex Theologis nostris, quibus cautelis adhibitis Lutheranus apud Reformatos patrini officio defungi queat: contra autem Reformatum, a parentibus Lutheranis ad id invitatum, recte arceri, nec nisi sanabilem & docilem admitti: instruit quoque Ministrum, uti se gerere debeat, si Reformatum aliquem aut alium heterodoxum admitti, Magistratus sub remotionis pœna jubeat.

His de Syncretistico Carentonensis Synodi decreto notatis, concludit Theologus, id non posse magis a nobis probari, quam fucatam illam concordiam, eodem anno 1631, ab aliis quibusdam Reformatis in Colloquio Lipsiensi propositam. Adjecta Programmata Festalia publico nomine conscripta & proposita sunt, primum contra novos Ecclesiæ Reformatores in Festo Reformationis Lutheri, d 31 Octobr. A. 1702; secundum de Christo omnibus nato, contra Reformatos in Festo Natalis Christi, anno eodem; tertium, Danhauerum a Chiliasmi suspicione vindicans in Festo Paschali, A. 1703; quartum de novellis Prophetis in Festo Pentecostali eodem anno.

CONSIDERATIONI SOPRA UN FAMOSO LIbro Franzese intitolato la Maniere de bien penser *&c.*

i. e.

OBSERVATIONES IN LIBRUM GALLICUM CElebrem de Sententiis Ingeniosis, divisæ in VII Dialogos, in quibus Quæstiones nonnullæ Rhetoricæ atque Poeticæ agitantur, & plurima Scriptorum Italorum, qui tum ligato tum pedestri sermone claruerunt, loca defenduntur.

Bo-

Bononiæ, apud Constantinum Pisarri, 1703, in 8.
Constant Alphab. 2 plag. 6.

CUm elegantissimus inter Gallicos Scriptores Dominicus Bouhours, Societatis Ignatianæ Religiosus, in notissimo de Sententiis ingeniosis libro, ut alios aliarum gentium, ita Italorum celebriores passim Oratores & Poetas perstrinxisset, illustris Marchio Joannes Josephus Ursius Bononiensis id negotii suscepit, ut tum cives suos a Bouhoursii criminationibus vindicaret, tum integrum, quem prædiximus, librum censoria quadam virgula, absque omni tamen verborum acerbitate, summaque cum modestia notaret. Id quod tanto cum successu perfecit, ut præclare de sua simul & Italiæ fama meritus, summo non Italorum modo, sed Gallorum etiam plausu exceptus fuerit. Cujus rei vel solum hoc fidem facit, quod bonæ causæ fiducia Apologiam suam eruditissimæ apud Gallos fœminæ Annæ Daceriæ dedicarit. Equidem si omnia, quæ notatu digna in hoc opere videntur, hic repræsentare conaremur, vastum mare ingrederemur, eosque, quos nobis alioqui præfiximus, limites longe excederemus. Breviter itaque tantum indicabimus, quid singulis Dialogis contineatur, & deinde quid pro Italis suis afferat Ursius, curatius paulo dispiciemus. Enimvero Dialogus primus introductione in librum integrum constat, ubi Crameri Vindiciarum nominis Germanici contra obtrectatores Gallos, & inprimis hunc ipsum Bouhoursium, Noster mentionem injicit. p. 31. Dialogo secundo librum Adversarii summatim considerat, & de sententia ingeniosa, tum generaliter, tum sigillatim agit. Tribus sequentibus de sententiarum talium veritate, novitate, sublimitate disputat, singulaque diligenter expendit. Duos vero ultimos defensioni civium suorum impendit. Quos ipsos nunc diligentius perlustrare, & ex iis selecta aliqua, quæque eximiam Auctoris nostri eruditionem testentur, excerpere in animo est. Si tamen antea monuerimus, quicquid de sententia a Criticis tam Græcis, quam Latinis atque Italis, iisque antiquis & recentioribus dictum fuit, summo cum judicio hic in compendio, & ita quidem exhiberi, ut de suo multa addiderit doctissimus Marchio. Cæterum ut propositum nobis munus exequamur, Dialogo VI Tassum defensurus, in laudes ejus primo excurrit, & Fontanini Amintam p. 469.

p. 474. defensum pro merito prædicat. Censet autem, Gallorum nonnullos ea de causa Tasso infensos esse, quod neminem adhuc inter suos habeant, qui Epico carmine exquisito, & tantæ, quantum id postulat, majestati respondente cultu enituerit: cum Itali contra Cornelio & Racino, Tragici inter Gallos cothurni principibus, libentissime & sine omni
p. 479. 480- livore herbam porrigant. Rapinum interim & Bajuletum, ceu
485. Tasso non satis æquos, præ cæteris refellit, eisque Boilavium, e-
p. 489. munctæ alias naris & morosi satis ingenii censorem opponit, cui Tassi Episodia atque Digressiones, quæ prædictis displicent, non
p. 512. parum probentur. Notat etiam Bouhoursium, quod Berniam
p. 513-516. cum Ariosto confuderit. Hinc rem ipsam aggressus, primo Tassi ex Hierosolyma liberata de Argante versum, quem Gallus culpaverat, tuetur: *Minacciavia morendo, e non languia.* Idque auctoritate Flori, Salustii, Panegyristæ Constantini, Sidonii Apollinaris, Claudiani & Lucani, apud quos frontis minæ & oculi minaces in ipsa morte occurrunt, factum, Bouhoursiumque negligentius in
p. 518. Tasso legendo se gessisse observat. Annotat quoque Verbum *languere* apud Italos, non de corpore tantum, sed animo etiam
p. 526. adhiberi; id quod ex Petrarcha & Dante ostendit. Defenditur deinde Tassus, quod Cœlo videndi potestatem tribuat, dum alicubi canit:

E'l Lume usato accrebbe, e senza velo
Vol o se mirar l' opere grandi il Cielo.

p. 529 seqq. Ubi doctissime de illis translationibus sive metaphoris agit, quæ rebus sensu carentibus actum quendam & animam dant; neque tamen Pallavicini censuram rejicit, qui ejusmodi formulas ex Phi-
p. 547. seqq. losophorum foro proscribit. Cum porro Gallus Tassum ceu veterum exscriptorem momorderit, Noster ei hoc potius laudi vertendum ducit, & Scipionis Gentilis, Julii Guastavini, Joannis Petri de Alexandro, Beniique & Biragi studium commendat, qui loca veterum a Tasso expressa sedulo annotarunt. Aggreditur inde singulos a Bouhoursio eo nomine perstrictos versus, & primo quidem hunc:

p. 555. Guerreggio in Asia, e non vi cambio, o merco

quem Curtio, si Gallo fidem habemus, sublegisse debuit, apud Ennium, imo Homerum & Virgilium inveniri docet. Mox alterum

E

E Sdegna negl' inermi esser feroce

quem iterum Curtio subduxisse arguitur, cum Virgiliano notissimo: p. 559.

Parcere subjectis, & debellare superbos

congruere ostendit. Male quoque Tassum ideo carpi demonstrat, quod Servii Sulpicii ad Ciceronem de *cadaveribus urbium* verba sua fecerit, cum tamen ante eum idem egerint Ausonius, & Sannazarius de Partu Virginis. Fatetur denique, Tassum in illo versu p. 560.

Di fine arme e di se stesso armato

Salustium respexisse, qui de Mithridate: Corpore ingenti perinde armatus, sed ita tamen, ut Salustium superarit, cum Heroem suum non magnitudine corporis sed animi metiatur. Ad alia mox progressus, cum Bouhoursius hæc in Episodio Sofroniæ & Olindi carmina vellicarit: p. 570.

Amor, ch'or cieco, or Argo, ora ne veli
Di benda gli occhi, ora ce gli apri e giri

copiose de oppositionibus agit, & circa ejusmodi contraria atque pugnantia amorem versari demonstrat; quæ dum explicat, venustissimum simul amoris characterem format. Cum vero Bouhoursius querimoniam Armidæ tanquam nimis artificiosam taxet, respondet, pleraque a Virgilii Didone mutuata, & eodem modo Chimenen in Roderico sive Cido Cornelii, imo subtiliter magis & artificiose dolere. Ostendit deinde, sententiæ illius, qua anima amantis in ipso quidem extingui, in amica vero vivere dicatur, primum auctorem esse Platonem, & apud Horatium amicos *dimidium & partem animæ* vocari. Quid quod Augustinus in Confessionibus diserte *se*, post Amici obitum, *dimidium vivere noluisse* dicat. Hinc cum Gallus in hæc verba incurrit: p. 572 seqq. p. 578. p. 582-598.

Sarò, qual più vorrai, Scudiero o Scudo

lusumque verborum ceu puerilem reprehendit, monet Noster, figuras ejuscemodi apud plerosque Poetas & Oratores, imo Historicos & Philosophos frequentissime deprehendi, simulque Bellegardium Abbatem, Italos hoc nomine taxantem, eadem culpa teneri demonstrat. Cum deinde Bouhoursium male habeat, quod Tassus de imaginibus in Regia Armidiæ insculptis dixerit: p. 599-608. p. 610-617.

Manca il parlar: di vivo altro non chiedi:
Ne manca questo ancor, s'a gli occhi credi

Noster postquam Epigramma parallelum ex Josepho Baptista celebri Italorum Lyrico, qui anno 1669 obiit, attulisset, & sanum de eo judicium interposuisset, Tassum huic longe præfert, & eodem schemate plerosque Græcorum, ex Latinis vero Virgilium, atque ex recentioribus Gallorum celebriores Poetas usos fuisse, observat.
p. 613-621. Querela deinceps Tancredi solerter expenditur, cumque Gallus iterum glorioso nimiæ artis crimine eam postulet, Noster erudite docet: esse utique Poetæ officium, ut naturam curate imitetur exprimatque, sed ita tamen, ut non omnem idcirco ornatum negligat. Cum præsertim amantes præ cæteris ingeniose doleant, & Cornelius apud Gallos, tales nobis in plerisque Tragœdiis suis querimonias suppeditet; nec Moynius & alii Gallorum Poetæ ab
p. 638 seqq. hac culpa immunes sint. Apostrophe postea Tancredi ad dexte-
p 654 seqq. ram suam exemplo veterum, Virgilii præsertim, defenditur. Et dum in certamine singulari Tancredi & Clorindæ anima per vulnera exiisse dicitur, geminæ Tibulli, Ovidii, Silii & Virgilii locutiones afferuntur: quodque ira id quod supererat vitæ, ne effugiat, retinere & morari asseritur, ea de re verba Medici Galli celeberrimi Chambræi proferuntur, & ex Petronio additur: *Dolorem vi-*
p. 659. 660. *res restituere.* Incogitantiæ porro arguit Gallum, quod ex Suenone Danorum Regis filio, Heroe Christiano, nescio quem nobis Saracenum effingat, formulamque, qua totum corpus unum vul-
p. 667. seqq. nus esse dicitur, veterum auctoritate niti docet. Verba exinde Rinaldi ad Armidam Cant. XVI. Stroph. 22: *Non puo specchio ritrar si dolce immago*, quæ Censor notaverat, defendit, & jampridem Platonem in Alcibiade primo, ut & Petrarcham ita locutos
p. 670. fuisse tradit. Denique dum Armida negat, se mortem, donum alioqui optatum, a Tancredo, in quem crudele odium habeat, accipere velle, ita quoque Sophoclem Ciceronem, Plutarchum, & ex Hispanis Cervantem Saavedram & Calderonem, inclytos Scriptores, locutos fuisse demonstrat. Quibus, si de nostro aliquid adjicere fas est, tritissimum illud Virgilii: *Timeo Danaos & dona ferentes*. addi poterat: ut & alterum illud Ciceronis ad Atticum Epist. 2. Libri IX: *Cæsar solet, cum se purgat, in me conferre*

re omnem illorum temporum culpam : Ita me sibi fuisse inimicum, ut ne honorem quidem a se accipere vellem. Hac Tassi defensione integer Dialogus sextus absolvitur, quam postquiam Marchio noster adornasset, Dialogo sequenti septimo ad Baptistam Guarinum, Guidobaldum Bonarellum & alios progreditur, & ex solutæ orationis auctoribus Pallavicinum inprimis Sfortiam contra Censorem Gallum tuetur. Miratur autem ante omnia Bouhoursium, cum ex præstantissimis Italorum scriptoribus flores se collecturum professus sit, Petrarcham tamen, Bembum, Casam, Carum, Molzam, Transillum & alios magni nominis scriptores omisisse. Quod vero ad Guarinum attinet, Bajuletum carpit, cui ex tot Guarini adversariis atque patronis, solus tantum Jason de Noris cognitus fuerit. Cumque is lasciviæ Guarinum postularit, strenue Noster ejus causam agit, Gallumque interpretem culpat, quod versus Itali Poetæ liberiores interpretatione licentiosa deteriores reddiderit. Commendat vero illustrem Poetriam Susæ Comitem, quæ dum Guarini Pastorem Gallicæ consuetudini traderet, intra modestiæ ac pudoris limites se continuerit. Bonarelli duplicem, quem in Phyllide Scyria exhibuit amorem, ab ipsis alioqui Italis non semel reprehensum, itidem contra Bajuletum tuetur, dumque id agit, modestiam Gallorum in tractandis amoribus laudat. Schediasmata vero quædam ab Anonymis profecta, Historiam nempe Palatii Regii, Amores Fœminarum illustrium, & alia ejusmodi librorum venena repudiat. Inprimis autem displicet nostro Præfatio, quam interpres Gallicus Petronio in vernaculum sermonem converso præfixit. Cæterum ad Guarinum revertens, Epigramma seu Madrigale, in quo cum Ludovico Gradenico Musas omnes extinctas & sepultas esse vult, exemplo non Sannazarii modo, & Petrarchæ, sed veterum quoque niti docet, imo ex ipsis Gallis Menagio & Saraceno subsidia comparat. Hinc ejusdem in Prologo Pastoris fidi versum, ubi de Encelado, sub Ætna jacente canit:

p. 680. p. 683. p. 689. p. 690. p. 694. p. 695. p. 696-705. p. 707. seqq.

Non sò se fulminato, o fulminante
Vibra il fiero Gigante
Contro il nemico Ciel fiamme di sdegno

ita

ita defendit, ut falsam quidem esse concedat sententiam, verisimilem tamen affirmet, quod apud Poetas non tantum permittatur sed laudem quoque mereatur. Nec deesse, quibus se Guarinus muniat, auctoritates Lucretii & Nasonis, qui Ætnam tonare, & fulmina jactare fingant. Quod si denique verborum tumorem incuses, Alpheo fluvio, Dei apud Paganos personam sustinenti, ta-
p. 716-721. le quid permitti posse arbitratur. Cum porro Bonarellus eo nomine a Censore taxetur, quod de Celia fugitiva dixerit:

Conoscerollo a i Fiori
Ove saran piu folti

inconstantiæ & levitatis non immerito ille ipse arguitur, qui Racano Mariam Medicæam laudanti eandem figuram indulserat: ostenditurque auctoritate Calpurnii, imo ipsius Maronis, non de Reginis tantum atque Heroinis, quod Bouhoursius vult, sed de puel-
p. 722-726. lis quoque amatores ita loqui solere. Inde Gallo non probanti, quod Bonarellus ex oculis amicæ lucem fundi dixerat, cujus splendore illa e vestigio proderetur, respondet, cum apud Terentium in Eunucho simile quid occurrat, isque eo nomine a Gallo commendetur, non intelligere se, quare cum Bonarello tam severe agat. Eademque opera Testa, cui inter Italorum Lyricos, Chiabrera forte excepto, principatum dat, & Gratianus in Granata debellata, ei-
p. 732-738. dem noxæ affines excusantur. Marinum postea, ceu Hetruscæ Poeseos corruptorem, vehementer accusat, Bajuletumque, qui hunc ipsum verbis selectis usum fuisse scripserat, explodit, tandemque Quintiliani verbis usus, dulcibus Marinum vitiis placuisse profitetur,
p. 739. 740. & Poetis, qui ex ejus disciplina prodiere, non admodum favet. Caroli deinde Mariæ Maggii Hymni in Ludovicum XIV conditoris partes contra Bouhoursium tutatur, ejusque Apologiam, quam Clarissimus Ludovicus Antonius Muratorius in Vita Viri adornarit,
p. 740. 741. magnifice laudibus celebrat; Lemeniumque & illustrem Arcadum Academiam, ut & Furfuraceam Florentinorum, ceu instauratores
p. 747. Hetrusci carminis prædicat. Ægre vero fert, Gallum multos Poetarum ex Italis proletariorum versus, ceu specimen insignis cujusdam artis, in medium attulisse. Cæterum a Poetis ad pedestris
p. 747. sermonis scriptores progressus, trium præ cæteris, Sfortiæ nem-
p. 758 seqq. pe Pallavicini, Stradæ, & Thesauri patrocinium suscipit. Pallavicinus

cinus nimirum, in venusto doctoque de Stylo & Dialogo libello, Joannis Baptistæ Rinuccini, Antistitis Firmani, de Episcopi officio librum hortis, qui in locis incultis atque squalidis, arte Magica momento excitantur, comparaverat. Quod Bouhoursius improbavit, indecorum Episcopo ratus cum Mago conferri. Cui Noster ex Servio reponit, comparationem non inter personas, sed inter studia instituti, idque Virgilii exemplo, qui Trojanos cum formicis comparaverit. Observaverat porro Bouhoursius, librum Rinuccini non satis bene portentis Magorum assimilari, quæ solidi nihil præ se ferant; ad quæ Noster: non repræsentari hac Allegoria durationem, sed potius admirabilitatem. Sic Homerum Græcorum & Dardanorum, saxis invicem se petentium, conflictum cum nivibus a Jove emissis conferre: neque enim hic æqualitatem, sed simplicem similitudinis rationem requiri. Quod testimoniis Rhetorum tam veterum, quam recentiorum copiose docetur. Dum vero p. 762. hoc agit, quasi in transcursu, comparationem a Ludovico Borbonio, Principe Condæo, inter Ignatium Lojolam & Cæsarem, interque Xaverium & Alexandrum M. argute institutam, ita commendat, ut tamen, si ad Bouhoursii obrussam exploretur, vix tolerabilem fore contendat. Ostendit deinceps, quænam inter Metapho- p. 766. ram, Imaginem & Comparationem differentia intercedat, idque ex ipsius Pallavicini libro prædicto. Quem quoque, quod Lucretii p. 776. seqq. dictionem paulo obscuriorem larvæ faciem tegenti, non ornanti, comparaverat, contra censoriam Galli notam tuetur, illum ipsum simul incusans, Metaphoram cum larva conferentem, quod rectius ænigmati conveniebat. Promovet inde gradum ad Stradam, qui Libro III, Decad. II de Bello Belgico scripserat: *Adeo non ex va-* p. 789-793. *no observatum, cura esse Deo Principum vitam. Quasi non magis cordi in homine, quam Imperatori in exercitu novissimum mori datum sit.* Quæ verba Noster a Bouhoursii vellicationibus vindicans, qui Turennii & Gustavi Adolphi exemplo adductus, contrarium nonnunquam accidisse statuerat, non ad id, quod raro, sed quod plerumque fit, respiciendum esse contendit, Galloque simul exprobrat, quod perperam & contra mentem Stradæ verba prædicta verterit, & similes ejus in Auctorum interpretatione errores recenset, ridiculum ex Novi Fœderis a Bouhoursio

p.794-797. Gallice facta explanatione, hujus rei specimen proferens. Quod porro Strada L. III, Decad. II *de militibus dimidiato corpore pugnantibus, sibique superstitibus ac peremtæ Partis ultoribus* dixerat, id Noster exemplo Lucani factum asserit. Cui merito addas insignem Lucretii locum Libro III v. 612 seqq. de membris curribus falciferis abscissis, ita inter alia canentis:

Falciferos memorant currus abscindere membra,
Sæpe ita de subito permista cæde calentes,
Ut tremere in terra videatur ab artubus id, quod
Decidit abscissum: cum mens tamen, atque hominis vis
Mobilitate mali non quit sentire dolorem:
Et simul in pugnæ studio quod dedita mens est,
Corpore cum reliquo pugnam, cædesque petissit.

p.799 seqq. Ad Thesaurum demum Noster deflectit, qui in Idea argutæ dictionis, non ita pridem Latio in Germania nostra a Viro clarissimo donata, de flammis missilibus, & inprimis de pyrobolis dixerat, quod cœlum incendere, fulmina ipsa fulminare, & sidera terrere velle videantur, Bouhoursio eam ob causam notatus. Cui Noster respondet: sibimetipsi quasdam in hoc Scriptore formulas improbari, quod nempe eosdem ignes, parvos Averni serpentes, Typhonesque minutos vocarit, sed quod ad verba prædicta attineat, licentiam quandam Poeticam in ejusmodi descriptionibus locum habere, & apud Virgilium, umbonem aureos ignes vomere, ac clamore cœlum incendi. Emolliri insuper αὔξησιν per verbum *videantur*, quo apposito omnis, si qua adsit, durities mitigetur.

p.804. Addit ipsum Censorem ita peccare, qui odores exquisitissimos ad cœlum ferri alicubi dicat, quod odoribus vix satis competat. Quamvis Plauti in Pseudolo exemplo sese tueri forsitan possit, apud

p.798. quem odor in cœlum volet. Nec omittendum est, quod Noster monet, secundam Ideæ Thesauri partem, in qua de vitiis dictionis argutæ agendum fuerat, desiderari. Tandem libro elegantissimo finem imponens Illustris Marchio, Gallos elegantiæ studia curate tractantes, inprimis autem Artem Poeticam Dacerii & Rhetoricam P. Lamy miris laudibus extollit, suosque cives haud obscure reprehendit, quod elegantioribus hujuscemodi literis tantum non neglectis, inanium modo miratores existant. Nos, ut & ipse & alii iti-

itidem ab Italia Viri docti atque ingeniosi, non suis magis, quam nostris quoque Philologis, calcar ad has studiorum amœnitates excolendas admoveant, merito optamus, doctissimique, quem supra celebravimus, Ludovici Antonii Muratorii, cujus beneficio hæc ipsa Ursi commentatio, licet serius aliquantulum, ad nos pervenit, quos in litteris ad Actorum Collectores datis promittit, *duos de Consummata Italorum Poesi tomos* anxie expectamus.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS RIVINI, REG. Polon. in Sen. Appell. Consil. & Scabini Lipsiensis, Enunciata Juris ad Ordinationem Processus Saxon. Electoralem, edita ex schedis paternis à D. T. FL. RIVINO.

Lipsiæ, apud Johann. Frider. Gleditsch, 1705, 4.

Constant Alph. 9. plag. 14.

Quæ dudum expectata fuere causarum Patronis, iisque qui foro suam operam addicere cupiunt, sæpius antea iterum iterumque calamo descripta, in publicam nunc lucem prodeunt Excellentissimi Autoris Axiomata ad Ordinationem Processus Saxonici Electoralem, opus iis, qui aut causas perorant, aut judiciis & dicasteriis assident, aut rerum forensium notitia instruere cupiunt animum, utilissimum longe ac fere necessarium. Longam enim rerum judicatarum continet seriem, Decisionumque, quæ in Scabinatu Lipsiensi, aut summo Provocationum Consilio, causas amputarunt, uberem exhibet copiam, ut facile, quo libellum dirigere actor, qua ratione sententiam concipere judex, quidque de dubio litis eventu pars sperare debeat, ex opere hoc præstantissimo queat intelligi. Nobis ex tanta rerum copia, veluti in fertilem delapsis campum, licebit aliquot saltem quasi decerpere flores, ac ex quibusdam axiomatibus ostendere, quantum commodi, ex diligenti libri hujus lectione quilibet sibi queat promittere. Ita judicatum fuisse refert, ad demonstrandam paupertatem sufficere attestatum Domini Jurisdictionis, *Tit. I. Enunc. 14.* Contra pœnam Advocatis dictatam Leuterationi aut Appellationi non esse locum, *Tit. 3. Enunc. 34* Pro confesso & convicto haberi non posse reum, qui nuncium citationem, quam nondum legit, reportare coegit, *E-*

nunc. 65. Tit. 4. In Reconventione non attendi privilegium fori de non evocando, *Tit. 6. Enunc. 14.* Morte Curatoris extingui Actorium ab eo datum, *Tit. 8. Enunc. 28.* Septiduum Saxonicum consensu partium non posse prorogari, *Tit. 10. Enunc. 53.* Cautionem pro reconventione & expensis, non esse præstandam in causa Matrimoniali, *Tit. 13. Enunc. 3.* Reos, si super actione juramentum delatum sit, ob litis contestationem negativam, exceptiones quoad membra libelli negata annexas perdere, *Tit. 16. Enunc. 14.* In Leuteratione juramenti delationi esse locum, si Guaranda nondum sit præstita, & lis tantum eventualiter contestata, *Tit. 18. Enunc. 32.* Reum ad probationem exceptionum haud admitti, si Actor juramentum super actione tota relatum præstiterit, *Eod. Tit. Enunc. 62.* In Processu Summario & Possessorio summarissimo interrogatoriis esse locum, *Tit. 20. Enunc. 47.* Uxorem contra mariti sororem ad testimonium dicendum non compelli, *Tit. 22. Enunc. 18.* Ad juratam diffessionem mulierem sine Curatore se posse offerre, *Tit. 25. Enunc. 37.* In examine testium, ad perpetuam rei memoriam, Judicem competentem adeundum, offerendos articulos, partemque adversam ad danda interrogatoria esse citandam, *Tit. 29. Enunc. 1.* Libros mercatorios, licet sint juramento confirmati, non habere vim documenti Guarantigiati, ut executive ex iis agi queat, sed probationem adversus eos & juramenti delationem admitti, *Tit. 20. Enunc. 10.* Sententiam Universitati Syndicum non habenti latam, non transire in rem judicatam, adeoque post decennium adhuc, Leuterationem vel Appellationem posse interponi, *Tit. 34. Enunc. 13.* Arbitrarie puniri eum, qui processum nullitatis arguit, ac nullitatem probare nequit, *Tit. 38. Enunc. 13.* Jus primæ licitationis maritum sine curatore, & patrem per filium mandato haud instructum, consequi posse, *Tit. 39. Enunc. 36. & 38.* Pecuniam creditricis, quæ nupsit debitori, pro dote haberi, *Tit. 41. Enunc. 2.* In Oppignoratione bonorum Emphyteuticorum, & Domini directi, & Domini jurisdictionis consensum esse necessarium, *Enunc. 5. Tit. 46.* Arrestum a Curatore mulieris sine ipsius interventu valide impetrari, *Tit. 51. Enunc. 10. &c. &c.* Sed hæc speciminis loco sufficiant: quæ ideo adducenda esse duximus, ut intelligere possit L. B. plenum esse practicarum que-

quæstionum casuumque elegantissimorum hoc opus. Quod non sine commodo singulari nobiscum fatebuntur, qui integrum evolvere, aut seriem saltem Enunciatorum, quæ singulis Titulis præmittitur, diligentius perlegere, ex re sua judicabunt.

THE RELIGION OF A PRINCE.
Seu
TRACTATUS DE RELIGIONE PRINCIPIS, IN quo Scripturæ Sacræ præcepta, optima in regnandi arte axiomata esse probantur; profanis Machiavelli, Hobbesii aliorumque principiis oppositus a GUILIELMO NICHOLLS, S. T. D.

Londini, apud Th. Bennet, 1704. in 8. pl. $14\frac{1}{2}$.

MUnificentia singularis, quam Serenissima Magnæ Britanniæ Regina, mox post suscepta regni gubernacula, quæ hodie Orbis cum adplausu tractat, decimarum ac primitiarum largitione, erga pauperioris sortis Clerum gratiosissime exhibuit, (de qua initio mensis Maji nuperi diximus,) Rev. Autori, in Actis hisce sæpius non sine laude memorato, occasionem præbuit, præsentem libellum conscribendi, quem etiam Serenissimo laudatissimæ Reginæ nomini devote consecravit. Cum enim Ipsa hoc modo, regni sui pariter ac orbis universi incolis, summæ pietatis bonitatisque egregiæ documentum præclarissimum dederit, non male se acturum Autor existimavit, si ad exemplar istud exquisitissimum, vere Christiani Principis imaginem delinearet, quidque illum deceat, quid minus, breviter exponeret.

Persecutus ergo illud rite est in hocce Commentario, cui quædam præmissa est *Introductio*, in qua Atheorum, Democraticorum, & Epicuræorum nefandæ, quas de Principibus regnandique ratione fovent, sententiæ summatim recensentur; Machiavelli pessimus de Principe liber gravissime perstringitur, tandemque occasio, quæ Autorem ad scribendum impulit, ulterius exponitur. *Tractatio* ipsa in tres maxime partes dispescitur, officiaque continet, quæ tum erga Deum, tum erga finitimos Principes ac Status, tum erga eos, quibus parendi gloria relicta est, Principi præstanda sunt.

 Ea,

Ea, quæ Deo debentur, aut ad cultus Divini sinceritatem, aut ad vitæ integritatem, aut ad religionis curam defensionemque referuntur. Quæ Statibus finitimis Principibusque exhibenda sunt, partim religiosam pactionum ac fœderum cum aliis sancitorum observationem, partim belli non nisi justis de causis suscipiendi rationem, partim erga victos armisque subactos clementiam respiciunt. Quod denique ea attinet, quæ Principes iis, quibus præsunt, debent, in eo ipsorum officium consistere dicitur, ut amore magis quam timore imperium firment, ut justitiam, indulgentiam, munificentiam pacemque inter suos confirmandi studium nunquam non sectentur, ut præterea bonis consiliis aures benevolas præbeant, eademque sequantur. Hæc duodecim capitibus ita explicantur, ut nec argumenta desideres, quibus falsa Atheorum & Machiavelli sectatorum principia acute refelluntur, nec rationes & exempla desint, sive ex sacris sive ex profanis desumta litteris, quibus vera sententia confirmatur atque declaratur. Tandem *conclusio* operis sese offert, in qua Autor non modo probat, quod ille demum Princeps veram virtutis gloriam mereatur, qui officiorum supra traditorum benememor sit, sed etiam ostendit, quod singula, quæ hactenus dixerit, in Serenissima Magnæ Brittanniæ Regina, tanquam in speculo limpidissimo, compareant.

NOVA LITTERARIA.

DE rebus Moscoviticis Excellentissimus Huyssenius, quem Augustissimo Moscorum Monarchæ a consiliis status & belli esse, & Serenissimi Principis Alexii Petrovitii educatoris juventutis munere fungi, supra mense Majo indicavimus, plura nobis retulit, digna utique, quæ cum curioso Lectore communicemus. Præ cæteris in instaurandis apud Moscos literis occupatus fuit aliquandiu Ernestus Glückius, Mariæburgi antehac Præpositus & Pastor Primarius, quo in loco (falso enim Narvam pro Mariæburgo scripsimus loco citato, quod mendum cupimus corrigi) triennio abhinc a Moscis captus, & literaria supellectile spoliatus est. Is, dum in vivis esset, (nuper enim mense Majo, haud parvo rei lite-

terariæ in illis locis detrimento eum obiisse, relatum est,) a Cza-
rea Majestate quotannis accepit 3000 Rublones, si ita loqui cum
Moscis fas est, seu 6000 circiter unciales Germanicos, ad sum-
tus Gymnasii sive Scholæ Illustris, quæ sub ejus moderamine
Moscuæ in palatio Nariskiorum aperta est. Ad eam frequen-
tandam & Nobiles & Plebeji publico edicto invitantur, eoque
vacatio a militia his, qui eam postulant, datur, & promotio cer-
tissima promittitur. Docentur autem hic gratis a variis Magi-
stris Græca, Latina, Gallica, Italica atque Turcica. Neque
minus & PP. Jesuitæ, Missionarii, in suburbio Germanorum, præ-
ter Latinam linguam, Mathesin atque disciplinas militares ado-
lescentes docent. Pariter & Patres Græci spectatæ eruditionis,
e dissitis regionibus evocati, publice sumtibus Supremi Mosco-
rum Monarchæ,& linguas, Græcam & Latinam, & Philosophiam
atque Theologiam (qualem antea Kioviæ, & Romæ quoque
aut Patavii didicerunt) profitentur, & publicas nonnunquam
Disputationes de thesibus typis impressis instituunt. Ut quoque
S. Literæ in lingua Ruthena emendatius legerentur, idem Prin-
ceps Potentissimus curam novæ atque accuratæ versionis Theo-
logis aliquot insignioribus demandavit. Medicinam diligenter
præ reliquis Bidlojus, Asmes, Kellermannus, Blumentrostii,
Carbonarius, S. Czar. Maj. Archiatri, excolunt. Imprimis ve-
ro Bidlojus Batavus, in theatro Anatomico, splendido, quod
inhabitat, ædificio, sæpius præsente tota Aula, anatomen corpo-
rum humanorum, quæ vel morbo vel ex vulnere contabuerunt,
instituit. In Observatorio Angli quidam Arithmeticam, Geome-
triam & Artem Navigandi publice docent, auscultantibus Ruthe-
nis plus quam ducentis, quibus & pro ratione profectuum stipen-
dia solvuntur, tum qui prævio examine digni reperti sunt, ru-
de donantur, & congiarium adepti in militiam mittuntur. Et
ne quid ad incrementum literarum desit, libri omnis generis, spe-
ciatim belli Ducum Vitæ, in linguam Ruthenicam transponuntur,
& publicæ quoque Relationes, de rebus in Europa nuper gestis,
singulis septimanis idiomate patrio imprimuntur, & pro exiguo
pretio venduntur, ut vulgus quoque & sequior sexus rerum,
quæ

quæ apud exteros geruntur, noſcendarum ſtudio accendantur. Sed ut porro de libris in Moſcovia nuper impreſſis aliquid recenſeamus, prodiit Moſcuæ anno proxime elapſo *Idea Antichriſti*, auctore Stephano Jaworowsky, Phil. ac Theologiæ Doctore, qui e nobili Polonorum familia oriundus, in Kiovienſi olim Academia Profeſſor fuit, nunc Archi-Præſul ſive Metropolita Rezanenſis & Muromienſis audit, Vir ſpectata eruditione & facundia in cathedra Scholaſtica & Eccleſiaſtica, ut Auguſtiſſimus Moſcorum Imperator eum ad functiones Patriarchæ in Imperio Moſcovitico obeundas vocaverit. At de eo libro, cum multa contineat curioſa, proxime dicemus. Imprimis autem Auctor Lexici Slavonico-Græco-Latini, de quo alibi diximus, Polycarpow, Zcareæ & Patriarchali Bibliothecæ Præfectus & Director Typographiæ Moſcoviticæ, in qua per acceſſionem Narvenſis, nunc omnium linguarum typi reperiuntur, quem modeſtia morum, & linguarum Græcæ, Latinæ, Slavonicæ notitia commendant, librorum edendorum curam habet diligentem. Quippe ejus jam ſtudio prodierunt *Syſtema Arithmeticum* in fol. *Alphabetarium trilingue* in 4. *Idea Antichriſti* in 8. ut & *Florilegia* SS. Patrum Græcorum, e. g. Joh. Chryſoſtomi, Gregorii Nazianzeni, Cyrilli Alexandrini, Theophylacti &c. His nonnulla addemus Vilnæ in Lithuania impreſſa. Prodiit ibi A. 1701 in 4. *Tetrachordium Tragicum Paſſionis Mortisque Salvatoris ac Domini noſtri Jeſu Chriſti, Veri Dei & Hominis, pro ſalute humana inhumaniter ab hominibus paſſi, Hiſtoriam reſonans, ad concordem quatuor Evangeliſtarum harmoniam intentum, &c.* cujus auctor eſt Euſtachius Kotowicz Epiſcopus Smolencenſis, qui omnem laudis vanæ ſpeciem fugiendo, nomen titulosque ſuos taceri voluit. Nunc vero ibi imprimuntur: *Enodatio Caſuum difficilium circa Sacramentum Matrimonii occurrentium, ad uſum fori tam interni, quam externi*, in 8. nec non *Corona Auſtralis Polonica in Polo ſeptenis effulgens ſideribus, ſive Encomia totidem Reginarum Poloniæ ex Familia Auſtriaca, cum Documentis Ethicis, Proſa & Metro*, in 4.

* * * * * * * * *

N. IX.

ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Septembris, Anno MDCCV.

Alle de Wercken van den Heer *P. C. HOOFT.*

i. e.

PETRI CORNELII HOOFT OPERA OMNIA IN quatuor partes distributa.

Amsterdami apud H. Wetstein & P. Sceperum, Ultrajecti apud Gu. van de Water, & Lugduni apud Dan. van den Dalen, 1704, fol.

Constant in universum 30 Alph. & 9 plagulis: Figurarum vero æncarum 1 Alph. plag. 7, præter eas, quæ Parte III una cum Emblematibus sunt impressæ.

MErito id Excellentissimi olim inter Batavos Viri, Petri (Cornelii filii) Hooft, Satrapæ Mudensis, Polyhistoris ac Poetæ sine exemplo, datum memoriæ fuit, ut opera ejus omnia, dudum quidem maximam partem edita, junctim nunc typis descripta, luci publicæ denuo exponerentur. Divisa sunt in quatuor partes, quarum *prima* & *secunda* celebratissimam ejus complectuntur Historiam Belgicam, ab eo tempore, quo Carolus V Imperator Belgicarum provinciarum cum regnis Hispanicis annexisque ditionibus aliis regimen Philippo II filio tradidit, usque ad exitum fere Advocatiæ Comitis Leicestriæ, quartum nunc recusam: de qua & tanto omnium cum applausu olim excepta, & hodieque publice æstimata, plura dicere non attinet. *Tertia* opera ejus exhibet miscellanea, quo spectant Historia Henrici IV Galliarum Regis, Narratiuncula de fatali-

talibus exsurgentis Domus Mediceæ infortuniis, Auctoris ad viros celeberrimos Epistolæ 218, Opuscula aliorum in linguam Belgicam ab Hooftio versa, Comœdiæ ejusdem, Emblemata & Poemata cujuscunque generis. Quæ quidem jam A. 1671 a filio Arnoldo, Equite S. Michaelis ac Scabino Amstelodamensi, fuerunt edita, nisi quod *David van Hoochstraten*, qui novæ hujus editionis curam habuit, & epistolas quasdam antea non vulgatas, a Nobilissimo Viro *Gerhardo van P.pebroch* suppeditatas, & Poematibus illud inprimis, quod A. 1700 Florentiæ compositum, ad Academiam in Hollandia sub nomine *Kamer in Liefde bloejende* eo tempore florentem olim miserat, neglectum quidem hactenus, velut immaturum, sed dignum tamen, quod legatur, visum adjecit. *Quarta* Taciti opera, in linguam Batavorum ab Auctore olim incredibili studio, nec minori felicitate conversa, primumque Amstelodami A. 1683 publicata, comprehendit.

Atque hæc de splendido licet opere dicta, pro instituti nostri ratione suffecerint, cum non nisi recens primum vulgatos libros recensere consueverimus. Neque tamen ingratum Lectori Benevolo futurum arbitramur, si cum Illustris Hooftii Vitam, Historiæ ejus Belgicæ in his operibus præmissam, & quondam a Gerhardo Brand, celeberrimo illo Historiæ Remonstrantium auctore compositam deprehendamus, ex ea quædam excerpta demus, ne cuiquam, quantus Vir Hooftius fuerit, ignoretur. Natus nimirum ille est Amstelodami d. 16 Mart. A. 1581, patre *Cornelio Petri Hooft*, Consule Amstelodamensi, matre *Anna Blavia*. Studiis mature innutritus, ingenium ostendit linguæ & poeseos Batavicæ inprimis cupidissimum, quo tempore *Collegium* illud *in Amore florens*, cujus supra meminimus, Amstelodami eo decore splendesceret, ut aliquando inter ejus membra quinque Consules & octo Scabini Amstelodamenses numerarentur. Itaque, cum illud in excolenda lingua poesique patria unice versaretur, illi se addixit totum, *Henricum Laurentii Spigelium* (cujus opus palmarium *Speculum cordis*, Hertz-Spiegel/ una cum opusculis aliis A. 1694 in Hollandia recusum est) in primis magna tum auctoritate pollentem æmulatus. Postea Academiam Lugdunensem ea tempestate longe florentissimam, cum *Josephus Scaliger*, *Franciscus Junius*, *Pau-*

Paulus Merula, *Carolus Clusius*, *Bonaventura Vulcanius*, aliique præclari Viri doctorum munere fungerentur, incoluit, & sub tantis præceptoribus absoluto studiorum Academicorum cursu, integrum inde fere triennium itineri per Galliam, Italiam, Germaniam facto, summo cum fructu impendit. Unde jam A. 1609 a Principe *Maurìtio Auriaco*, prævia Ordinum Hollandiæ Præpotentium nominatione, Satrapæ Mudensis, Prætoris Gœlandiæ, & Officialis supremi Vesopensis munere, magnæ utique dignitatis, ornatus est: etsi id quoque Parentis in Rempublicam & Domum Auriacam meritis fuit datum, qui tum superstes, octogenarius demum A. 1626 decessit. Interea Noster, postquam Comœdias ac Tragœdias quasdam edidisset, Vitam & Res gestas Henrici IV Galliæ Regis Belgico sermone, ut alia omnia, adornavit, octo fere annorum annis eam in rem impensis, eo applausu, ut *Hugo Grotius* in Epistola ad Hooftium, quæ est inter epistolas ejus Amstelodami A. 1687 editas ducentesima decima sexta, non dubitarit gratulari tanti Regis Manibus, quod tantum Scriptorem invenerit, & Rex Galliæ Ludovicus XIII postea præstitam gloriæ Patris operam remuneratus fuerit, collatis Nostro A. 1639 Nobilitatis insignibus & Equestri S. Michaelis ordine. Ast præcipuæ tamen ipsi curæ Historia Belgica fuit, cui componendæ jam tum A. 1628 manum cœpit admovere, & toto deinde vitæ decursu insudavit, donec A. 1647 Hagæ Comitis, quorsum ad spectanda Friderici Henrici Principis Auriaci, qui non ita pridem decesserat, solennia funebria profectus fuerat, morbo oppressus expiravit, nondum absoluto sexagesimo sexto ætatis anno. Corpus defuncti Amstelodami in Templo, quod vocant, Novo tumulo paterno illatum est; postridie vero in Theatro urbis publico, honori ejus non oratio solum parentalis a *Brandtio* nostro conscripta, ast ab *Adamo van Germes*, actore in scena solertissimo, recitata, sed &, cum illa finita esset, una e præcipuis ab Hooftio elaboratis Tragœdia, cui *Geerard van Velzen* nomen est, populo fuit exhibita: quod exemplum repetitumne postea fuerit, nobis quidem non constat. Fuit de cætero Vir linguæ patriæ & poeseos longe studiosissimus, ut cum Poetria etiam quadam Tesselschaede, seu ut ipse per anagramma vocabat, Sachteseldeles, per semisæculum fere, amicitia ipsi literarum commercio ex-

culta intercesserit. Inter Poetas veteres Virgilium, inter Historicos Tacitum, cujus opera bis & quinquagies perlegerat, & styli concisam ingeniosamque rationem imitatus fuerat, summo loco habuit. Utique hinc factum, ut in Historia Belgica aliisque scriptis lectorem requirat attentissimum, & acumine ingenii minime destitutum: quo respexit forte & Poeta Belgicus celeberrimus, *Joost van den Vondel*, quando ad Amicos dicere solitus fuit, in universo Belgio neminem se nosse, qui par sit vel unico folio componendo ea sublimitate, qualem universa Hooftii Historia Belgica spiret. Inter Belgicæ Historiæ Scriptores Italos, Cardinalem Bentivolum: inter Historiographos quoscunque alios, Thuanum æstumatissimos habuit. Ex Amicis *Constantinum Hugenium de Zuilichem*, *Casparem Barlæum*, *Vondelium*, *Grotium*, *Vossium* præcipue coluit. In administrando Satrapæ munere, æquum se omnibus præbuit, sorditiem maxime exosus, ut ex bonis etiam condemnatorum fisco addictis, partem sibi debitam viduæ aut hæredibus aliis donaverit, autochirorum inprimis, quos nonnisi ex insania peccasse, persuasum habebat. Religionem Reformatam profitebatur, sed inimicus zelotis, ut edicta etiam adversus Romano-Cathŏlicos lata executioni mandare non sustineret. Symbolo usus, *omnibus idem*, id consecutus est, ut nec ipse quemquam offenderit, & vicissim raro exemplo, aliorum odium atque invidiam feliciter effugerit. Conjugium, ut de hoc postremo loco dicamus, duplex ipsi obtigit, primum A. 1610 cum *Christina van Erp*, ex quo suscepti liberi mature exstincti sunt; alterum A. 1627 cum *Leonora Hellemans*, e quo genitus *Arnoldus* Filius, Eques S. Michaelis & Scabinus Amstelodamensis, cujus jam supra a nobis facta est mentio.

EXPOSITIO LITERALIS ET MORALIS SANCTI Evangelii Jesu Christi secundum quatuor Evangelistas. Autore R. P. F. NATALI ALEXANDRO, Ordinis F. F. Prædicatorum, in Sacra Facultate Parisiensi Doctore, & emerito Theologiæ Professore.

Parisiis, apud Joannem Anisson, 1703, in fol.
Alphab. 8.

Post

POst multa variaque opera in lucem hactenus abs se emissa, in Scripturæ tandem Sacræ lectione acquiescere, inque ejus meditatione consenescere decrevit doctissimus, nobisque sæpe memoratus R. P. F. Natalis Alexander. Sanctum igitur Evangelium in manus sumsit, ejusque expositionem continuam, juxta quatuor Evangelistarum ductum adornavit, literalem sensum primo, ac postmodum moralem quoque dilucidans. In literali sensu pandendo, parallela potissimum Scripturæ loca, & sanctorum Patrum Commentarios se excussisse, profitetur; venerandamque, quam appellat, Traditionem ubique se præ oculis habuisse addit. Vulgatam versionem Latinam pressius secutus est, quamvis & Græci textus & Orientalium versionum vim, sicubi opus duxit, attingere haud neglexerit. Quam Eruditos plerosque viros data dudum opera illustrasse censet, Evangelistarum concordiam & harmoniam, breviter tantum se delibasse, nullus dissimulat. Moralem vero sensum non minori, ac literalem illum, industria prosequendum sibi venire ratus est, quandoquidem Divini verbi prædicatoribus animarumque pastoribus, quibus Evangelium populo explicare ex officio incumbat, consulere hoc pacto decreverit. Veterem namque concionandi rationem, quam sancti Patres & antiqui Episcopi sectati sint, in Ecclesiam revocari optat, ut nimirum totius Evangelicæ lectionis, quam quisque auditoribus proponit, series explicaretur, sensuque literali, quantum necesse est, exposito moralis erueretur, cui præcipue Ecclesiastes insisteret. Novam namque (& suæ fidei sociis, ut constat, admodum familiarem) concionandi rationem parum probat, quæ, unica Evangelii sententia pro themate assumta, extra quam divagetur ut plurimum Concionator, ejusque se velut immemorem in progressu sermonis ostendat, humanis conceptibus, ingeniosis licet, sterilibus tamen & exsuccis, ac elegantibus quidem, sed sæpius infructuosis morum humanorum picturis, auditorum pascat, seu potius jejunos dimittat animos, ac molli eloquentia comtæque orationis ornatu ac leporibus demulceat, non instruat, non moveat, non flectat. Quod cacoethes tollere se studuisse innuit hoc Commentario, quem forte coronidem impositurum conjicit operibus suis reliquis, cum ultra sexagenariam ætatem provectus, lassescere jam incipiat. Cæterum a famosis illis

propositionibus quinque, ab Innocentio X & Alexandro VII in sensu Jansenii damnatis hæreticisque, nuspiam non se abhorrere testatur; quanquam a sanctorum Doctorum, Augustini & Thomæ, dogmatibus de Gratia per se efficaci, & omnino gratuita sanctorum Prædestinatione, aut a sanioris disciplinæ moralis defensione, ne latum quidem unguem se deflexisse, simul affirmet.

JOH. BRAUNII, SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS, ejusdemque & Hebrææ Linguæ in Academia Groningæ & Omlandiæ Professoris, Commentarius in Epistolam ad Hebræos, cum indicibus locupletissimis & quibusdam tabulis æneis.

Amstelodami, apud Henricum & Viduam Theod. Boom, 1705, in 4. Constat 5 Alph. & 19 plag.

DEdicavit celeberrimus Autor Commentarium suum pereruditum Omlandiæ Ordinibus, eorumque Deputatis Novemviris: in qua dedicatione, Ecclesiæ Christianæ deploranda hoc nostro ævo facie expensa, luget, dari nonnullos, qui tentatam inter Lutheranos & Reformatos unionem impedire satagant. Largitur, controvertentes olim Theologos ab utraque parte peccasse: ast cum iniqua malorum commemoratione nemo ad concordiam adducatur, in comitiis pacis primum caput poni debere sanctam malorum oblivionem. Cordatioribus Theologis, tam Lutheranis, quam Reformatis, rixosorum hominum privatam hostilitatem, asperitatem ac contentiones, & olim improbatas, & hodienum improbari. Inprimis per totam Saxoniam, sapientiores primosque Ecclesiarum Antistites magnam Reformatis demonstrare humanitatem: id quod maxime factum sit a Celsissimo Electore gloriosæ memoriæ, qui ante non multos annos aliquot centena ex Cocceji operibus coemi jusserit exempla, ut quælibet Ecclesia suum haberet. Concedit equidem, nec Lutheranos facile eo adduci posse, ut cum Reformatis in omnibus consentiant, nec Reformatos omnes Lutheranorum sententias amplecti posse; non tamen omnem opinionum dissensum diversam religionem illico dicendam esse, cum nec olim unquam extiterit, nec hodie ulla existat religio, quin fratres in variis capitibus a se recesserint, ho-

hodieque recedant. Cum igitur Reformati & Lutherani in fundamentalibus religionis Christianæ capitibus conveniant, & errores fundamentum fidei ac vitæ sanctimoniam evertentes unanimiter detestentur, adeoque ambo certissime membra Ecclesiæ Christi existant; cur externum fraternitatis vinculum accedere non debeat, rationem esse nullam. Ostendit inde, ambos eadem de Deo, ipsius decretis & decretorum executione credere. Si vero quis objiciat, non tamen eodem modo hæc credi a Reformatis, quo a Lutheranis, illi Noster respondet, modum non facere ab stabilienda salutis fundamenta, sed versari ut plurimum circa subtilitates nullius momenti, atque circa controversias, quæ hactenus nondum decisæ creduntur, nec facile ad mentem cujuslibet decidi possunt; nec eum qui ignorat, posse dici damnatum, cum pauci reperiantur, inprimis inter illiteratos, qui de modo edocti sint, immo multi Martyres, ob fidem in Christum mortem obeuntes, eundem ignoraverint. Non statim, quæ nobis dura videntur, pro duris habenda esse; fieri enim posse, ut autoris mentem non recte capiamus, aut ex ejus thesi consequentias deducamus, quas ipse non admittit. Non tamen improbat consilia de convocandis ex utraque parte Theologis doctis, prudentibus, pacificis, ut serio controversis capitibus examinatis, in timore Dei tentent, quo usque alter alteri obviam ire possit. Adhortatur tandem suos ac seipsum, ut si Lutheranis pacem inire nondum visum fuerit, ipsi tamen a sua parte omnia odia, simultates, dissidia & discordias, quæ pacem turbent, deponant, certi promissionum Divinarum de optatioribus temporibus, quibus major erit in Ecclesia cognitio, & membra Jesu Christi profundam pacem colent.

Quod jam Commentarium ipsum spectat, probe quidem noverat Noster, paucos esse Scripturæ libros, in quos stylum magis exercuerint interpretes, quam in Epistolam ad Hebræos. Cum tamen expenderet, eam continere totam Veteris & Novi Testamenti Theologiam, ita ut ipsa intellecta, reliqui verbi Divini libri, ac profundiora mysteria arcanaque in iis contenta, ipsæ etiam antiquitates, ritus, mores, observationes atque ceremoniæ sacræ & profanæ, Prophetarum secretiora dicta & revelationes ænigmaticæ, sanctiores denique pietatis normæ ac regulæ intelligerentur,

ad

ad quæ tamen omnia una non respiciunt interpretes reliqui quia laborem ab aliis sæpius jam iteratum in se susciperet, non dubitavit, operam potissimum dans, ut, quæ ad verborum & rerum intelligentiam, ad nexum & ad scopum Spiritus S. scitu necessaria, breviter, clare & solide exponeret. Quoniam vero Epistola ad Hebræos multum facit ad evertendos Socinianorum errores, hunc usum quoque constanter ostendit, & ne videatur, quod sæpe accidit, ipsis affingere, quæ minus concedunt, contra Schlichtingium inprimis aciem stringit. Expositioni Epistolæ præmittit Prolegomena, in quibus prolixe docet, eam jure haberi pro Canonica; autorem agnoscere Paulum, a quo scripta sit, cum Romæ sub imperio Neronis captivus detineretur, ad Judæos in dispersione; & tandem in scopum Scriptoris inquirit, quem esse contendit avocationem Hebræorum ab observantia legis Mosaicæ, & adductionem eorundem ad Christum Servatorem. Unde tres contineat partes, 1. Exhortationem, ut, cultu Mosaico relicto, in Christum credant, a cap. 1 ad vers. 19 cap. 10. 2. Admonitionem ad veram pietatem, in fide & sanctitate perseverantiam, a v. 19 cap. 10 ad v. 20 cap. 13, & 3. Preces pro sanctis a v. 20 cap. 13. usque ad finem. Hinc nervose ostendit scopi partialis cujuscunque capitis cum scopo totius Epistolæ nexum.

Quoniam vero Noster probe novit, nexum inter veritates revelatas cum cura observatum multum facere, tum ad agnoscendam sapientiam, potentiam, bonitatem aliasque perfectiones Divinas, tum ad confirmandam Scripturæ sacræ autoritatem Divinam, non singulis solum capitibus & versiculis contenta præfigit, atque nexum eorundem tam inter se, quam cum antecedentibus monstrat, sed in singulis quoque propositionibus, nexum inter subjectum & prædicatum, ex eorundem natura & analogia fidei, sicubi fieri potest, ostendit. Verborum significatum ex principiis philologicis, & collatione locorum parallelorum Scripturæ, ubi necessitas hunc laborem efflagitat, vindicare non negligit. Si quæ phrases ritum quendam sive sacrum sive profanum sapiunt, ita ut sine istius cognitione earum emphasis intelligi nequeat, ex antiquitatibus sacris atque profanis eundem enucleare, quemque phrasis ad eum habeat respectum, docere studet. Singulorum quæ asserimus

mus, unicum saltem proferemus exemplum, ut Lectori de nostro judicio suum interponendi ansam demus. Ita e. gr. ad comma primum capitis primi notat, vocem πολυμερῶς Græce sonare *pluribus partibus*, convenire autem cum Hebræo לפרקים, quod & partes & tempora notet. Verbum enim פרק significare *rupit*, unde descendat Germanorum Brechen/Belgarum breeken/forte & Latinorum fregit, ubi פ sit raphatum F, & ק mutetur in G, quia ejusdem organi. Inde פרק idem esse ac μέρος, partem, ac πολυμερῶς idem, quod per plures partes, vel etiam per plura capita seu articulos, cum *perek* quoque significet caput vel articulum. Observat vero ulterius, פרק quoque notare definitum tempus, ut πολυμερῶς idem sit ac לפרקים multis temporibus. Omnes significatus hic invenire locum demonstrat, quia omnes gignunt sensum Scripturæ sacræ apprime conformem, ita ut nulla subsit ratio, cur unum potius intenderit Spiritus Sanctus quam alterum. Connexionem igitur prædicati atque subjecti hujus propositionis, *Deus multis temporibus per varias partes & capita locutus est*, ex diversis Fœderis gratiæ œconomiis, ad quas Coccejus ipsiusque discipuli in demonstrationibus Theologicis recurrunt, deducit. Ita *ad com. 35. cap. 11.* notat, vocem τυμπανίζειν descendere ἀπὸ τοῦ τυμπάνου, quod a verbo τύπτω derivat & cum Hebræo תוף convenire ostendit, & ex Suida & Scholiaste Aristophanis baculum significare probat, quo verberant, & juxta Stephanum denotare palum, ad quem alligati sontes fustibus contundebantur, observat. Unde cum non solum ex 2 Maccab. 6. v. 28, sed & Suida & Hesychio probari possit, tale olim supplicii genus obtinuisse, quo rei palo alligati & distenti baculis percuterentur, donec toto dorso pellis quasi extraheretur; per vocem τυμπανίζειν ab Apostolo illud designari, tandem concludit. Similiter ad *comma subsequens ejusd. cap.* vocem ἐπρίσθησαν de tali supplicii genere interpretatur, quo sontes serra dissecabantur, cum tale supplicium olim obtinuisse, ex 2 Sam. 12, 31. 2 Chron. 20, 6, ex Rabbinis atque ex Patribus, ut Origene, Tertulliano, Hieronymo, Epiphanio, Justino Martyre &c. constet.

Cæterum cum Doctissimus Autor nexum veritatum in hac Epistola revelatarum constanter explicet, eæ autem officium Christi-

mediatorium, & omnem salutis sub Veteri & Novo Testamento dispensationem accurate declarent: quantum ad diversas fœderis gratiæ œconomias distincte concipiendas in suo Commentario contulerit, quivis facile judicabit. Et quoniam idem argumenta Socinianorum ex ratione petita ex solidis demonstrationibus Metaphysicis accurate destruit, & contorsiones locorum Scripturæ ab istis factas ipsis rationis evidentibus principiis contrarias esse demonstrat (cujus rei exemplum videas p. 547, ubi Socinianorum errorem refellit, Christum in principio potestatis esse dependentem a Deo, atque independentem in executione & operatione, & demonstratione Metaphysica evincit, nullam creaturam fieri posse a Deo independentem, ita ut nulla creatura independens a Deo concipi possit, quemadmodum nullus potest concipi Deus dependens) ad profligandos veritatis revelatæ hostes multum omnino contulisse censendus est Autor in Theologia Coccejana & Philosophia Cartesiana versatissimus: quos suos in utraque progressus prorsus insignes luculenter demonstravit, non solum in scriptis pluribus antehac editis, sed & per ἐπίμετρον de æterna Filii generatione ad calcem libri subjectum, contra eos directum, qui generationem æternam Filii œconomicam tantum esse affirmant: cum qua thesi non solum Tritheismum, sed & Polytheismum ipsum, eumque innumerabilium Deorum, necessario connecti, ex intimis Theologiæ ac Philosophiæ principiis evincit.

GYMNASII TICINENSIS HISTORIA ET VINdiciæ, a Seculo V ad finem XV. Authore ANTONIO GATTO, in eodem Gymnasio Antecessore.

Mediolani, typis Josephi Pandulfi Malatestæ, 1704. 8.
Plag. 15.

QUæ in Karoli Antonii de Luca Melphictani libro, *Laurea Legalis* inscripto, & recensionem omnium fere publicarum Academiarum complexo, ignotum quo fato, quave incuria, prætermissa plane est celeberrimi *Gymnasii Ticinensis* seu *Academiæ Papiensis* Historia, eam nunc ab oblivione vindicatam Vir omni eru-di-

ditione præditus, *Antonius Gattus*, Mediolani, una cum Vindiciis quibusdam typis evulgavit, non exiguo rei literariæ emolumento. Professos esse in eo omnibus sæculis Viros cujuslibet scientiæ clariores, Karolum illum Antonium de Luca, velut Jureconsultum, eo minus latere potuisse Gattus commonet, si modo ipsi noti Baldus, Præpositus, Jason, Decius, Curtii, Gallaratus, Tornielli, Tortus, Costa, Menochius, Merenda, Ramos, Pechius & alii plurimi, qui Jus Civile in Ticinensi Schola publice docuerunt. Equidem operis difficultas ipsum quoque Gattum facile primum absterruerat, partim quod antiqua Universitatis & urbis monumenta undique perquirenti, post depopulationem urbis initio XVI sæculi, omnia interiisse referebant; partim quod ex veteribus Italorum & Gallorum Scriptoribus soli Saccus, Breventanus, Spelta ac alii posterioris ævi Historici offerebantur. Ast quum sors inopina Romam Gattum perduxisset, tum *Justus Fontaninus*, celebris Cardinalis Josephi Renati Imperialis Bibliothecæ, cujus Præfectus est, copia ipsi facta, tum Abbas *Dominicus Passionaus*, Græcæ & Latinæ eruditionis studiosissimus, eum incitarunt, ut desiderium vindicandæ Ticinensis Academiæ, quod fere deperierat, rursus in ipso reviviſceret, isque peregrinus in Urbe *Synopsim* ejus typis editam evulgaret. Quæ ad *CLEMENTEM XI*, hodiernum Pontificem Maximum, literarum amantissimum, delata effecit, ut ille Gattum ad osculum pedis admissum summa benignitate exciperet, & singularem dein quoque eidem per literas cujusdam honorem polliceretur. In patriam Roma reversus Gattus, nihil amplius, medias inter belli turbas, de edendo opere cogitasset, nisi ipsum suis literis ad illud edendum impulissent Viri toto terrarum orbe celeberrimi, *Antonius Magliabecchius* & *Ludovicus Antonius Muratorius*, ille Regiæ Celsitudinis Magni Ducis Etruriæ, hic vero Serenissimi Ducis Mutinæ Bibliothecarius.

Itaque ubi in *primo*, *secundo* & *tertio* operis hujus, multam variamque eruditionem complexi, *capite* de urbis Ticinensis, ab Italis hodie *Pavia* dictæ, antiquitate & nobilitate quædam hucusque ignota præfatus esset, & inter reliqua, eam primum quidem municipium & coloniam Romanorum fuisse, deinde vero perpetuam Regum Longobardorum sedem factam, & in ea a Theode-

rico magnificum palatium, *Regia Ticina* & *Civitatula* seu sermone Italico *Citadella* dictum, fuisse exstructum, notato P. Eustachii a S. Ubaldo errore, qui perperam hoc ad urbis dedecus trahere conatus erat, comprobasset; nunc ad ipsius Gymnasii Ticinensis Historiam conversus, in *capite quarto* Scholas Ticinenses jam sub Boethio, qui A. 526 a Theoderico morte fuit damnatus, & Ennodio Episcopo, qui teste Guillelmo Cave A. 521 est præmortuus, floruisse demonstrat, opinione Sacci, Bellovacensis & Vossii de Ennodii ætate una rejecta. Dehinc *capite V* floruisse Ticini bonarum artium studia, regnante Karolo M. ex eo palam est, quod hic, antequam in Italiam veniret, ex ea urbe Parisios Petrum Pisanum, qui cum Julio Judæo disputationem illic habuerat, acciverit, edocerique ab eo Grammaticam in palatio suo voluerit, postea que vicissim Joannem Albinum, Monachum pereruditum, qui cum mercatoribus ex Scotia Parisios venerat, *sapientiam venalem* se habere professus, Papiam miserit, ut sublimiores illic scientias traderet. Id quod in *capite sexto* ulterius confirmat, contendens, quod licet Monachum istum, a Karolo Papiam missum, Sangallensis aliique Albinum, aliqui vero Joannem vocent, utroque tamen nomine Joannem Albinum vocatum, non dubium sit; perinde ac Alcuinum, Karoli M. præceptorem, Flaccum Albinum nuncupatum scribat Joannes Mabillonius: quam sententiam etiam Jacobus Usserius in præfatione ad Epistolas Hibernicas adprobet. Ipsum autem Joannis Albini, Scoti, Papiam adventum circa A. 780 contigisse, id est quod in *capite septimo* ex Mabillonio conjicit. Posthæc in *capite octavo* ad Petrum Pisanum reversus, tum hunc e Scholis Papiensibus ideo a Karolo M. in Galliam vocatum, ut primus esset Parisiensis Academiæ institutor, cum Bulæo, Parisiensis Universitatis Historiographo; tum Scholas Papienses illis sæculis non Episcopales seu Cœnobiales, sed publicas & universales fuisse, comprobat. Quo facto in *capite nono* Monasterium S. Augustini Joanni Albino, ceu locum illustrem, in quo scientias profiteretur, a Karolo M. assignatum; & in dicto Monasterio jam ante Karolum M. Benedictinos adfuisse; Canonicis item Regularibus in eodem ante annum MCCXXII locum datum, contra Joannem Mabillonium evincit. Ab his temporibus, in

in *capite* ſubſequente *decimo*, Scholas Papienſes in publicam demum Academiam cum privilegio Karoli M. & Ludovici Pii erectas conjecturat; & Synodi VI Eccleſiæ Gallicanæ de Scholis tribus publicis loco diligenter expenſo, Innocentii Cironii & Ludovici Thomaſſini opiniones circa ejusdem loci intellectum refellit; ac præ cæteris quoque Monachi Sangallenſis ſive Notkeri Balbuli Hiſtoriam ab erroribus, ipſi a Joanne Launojo publice objectis, vindicat. Progreſſus abhinc in *capite undecimo* ad Karolum Calvum, ejusdem ſtudium & amorem erga ſcientias magnis Nicolai & Joannis VIII Pontificum elogiis extollit, ex eo ſatis etiam eluceſcentem, quod Ticini Regio Longobardiæ diademate ab Ansberto Archiepiſcopo coronatus, omnia Papienſibus, & ſic probabiliter etiam Univerſitati ab Avo conditæ & a Patre protectæ, privilegia confirmaverit. Ubi & Papiam ab Hunnis poſtea incenſam, ſed non plane everſam, contra Frodoardum & Hugonem Flaviniacenſem affirmat; & celebrem inter Otricum & Gerbertum coram Othone II diſputationem addit. Circa A. MXXX Lanfrancum Papienſem, Magiſtrum omnium ſuæ ætatis doctiſſimum, Pariſienſes Scholas, a Petro Piſano inſtitutas, reſtauraſſe, eundemque Papiæ Anſelmum de Badagio Mediolanenſem, qui poſtea ſub nomine Alexandri II ad Pontificatum evectus fuit, diſcipulum adeo ſibi gratum habuiſſe in *capite duodecimo* meminit, ut quum Lanfrancus jam conſecratus Archiepiſcopus Cantuarienſis Romam profectus eſſet, propter litem cum Thoma Eboracenſi Archiepiſcopo, ei Pontifex e throno aſſurrexerit, & ipſum, ut legitur in Vitis XXIII Abbatum S. Albani, his verbis exceperit: *Aſſurgo tibi tanquam Magiſtro, & deoſculor tanquam Pædagogum, & non tanquam Archipræſulem.* Cæterum hoc ſæculo & ſuperioribus, Jus Civile in Italorum Academiis, Italia a barbaris gentibus devaſtata ubique & oppreſſa, velut prorſus deperditum delituiſſe monet, donec regnantibus Innocentio II Pontifice Maximo & Lothario II Cæſare, in bello contra Rogerium Normannum, Amalphi ſeu Melphi, urbe Apuliæ, inventæ fuerint Juris Pandectæ, ſupra omnem memoriam diu ibi ſervatæ; & inſtitutos inde promotionum ad lauream legalem ritus, quos aliqui jam ſub Auguſto initium habuiſſe, falſo credant. Poſtea quum Academia Pariſienſis a Lanfranco Papienſi ad vetuſtum

 de-

decus restituta, ita floreret, ut seculo XII ingens Germanorum & Italorum multitudo ad eam conflueret, factum inde, ut Fridericus Ænobarbus, ne ex Italia & Germania Parisios peterent humanarum artium studiosi, eos insignibus privilegiis ad Germaniæ ac Italiæ Gymnasia A. 1158 Authentica *Habita* invitarit, quam Gattus idcirco integram in *capite decimo tertio* refert, ut ejus auctorem, occasionem & sensum a Lupoldi Bebembergii, Petri Rebuffi, Bulæi & aliorum falsis opinionibus, tum hoc, tum sequente *capite decimo quarto* vindicet. Nec successus etiam Ænobarbi conatum destituit. Nam privilegiis relatæ Authenticæ *Habita* literarum cultores invitantibus, ita in Italia publicæ scientiarum Academiæ floruerunt, ut Gattus in *capite decimo quinto* non solum Alexandrum Necham vere scripsisse credat, Parisiensem tum Academiam Philosophia & Sacra Scriptura Italicis, Jurisprudentia autem Italicas Parisiensi præcellere; sed & Petrum Danielem Huetium erroris notet, quod in libro Gallico de origine Fabularum Amatoriarum, vulgo Romanzi, perperam asserat, sæculo XII & XIII Italiam scientiarum & virorum doctorum fuisse prorsus ignaram; quum tamen istis temporibus Papias, Vir ille Græce atque Latine eruditissimus, Ordo Monachorum Cistercienſium scientiarum cultu insignis, Guarinus de S. Victore, Guillelmus Papiensis, Joannes Bossianus, Sinibaldus de Flisco & alii quamplurimi floruerint. Postmodum Scholas Papienses a Karolo IV non institutas, sed restauratas, ex ipso Cæsareo diplomate, *capite decimo sexto* allato, demonstrat, & ex eo Bernardini Corii, Paulli Merulæ, Laurentii Schraderi & aliorum complurium errorem, Ticinensem Universitatem demum hac ætate institutam, refellit. Atque denique in *capite decimo septimo*, quod restauratum a Karolo IV Papiense Gymnasium fuerat, a Bonifacio IX P. M. confirmatum, & a Ludovico Maria Sfortia, Duce Mediolanensi, novis privilegiis illustratum fuisse, ex utriusque diplomatibus confirmat.

Habemus ita in hoc libro, stylo undique terso conscripto, celeberrimæ Academiæ Ticinensis per XI secula memoriam, una cum ejus Vindiciis aliisque rebus multo pluribus, Historiam Regum Longobardorum egregie illustrantibus. Et jam a Gatto, quæ in hoc opere promissa legimus, tum secundam Historiæ partem de Vi-

Viris Illustribus Universitatis Ticinensis, ad exemplum Antonii Riccoboni de Gymnasio Patavino dispositam, tum de *Antiquitate Urbis Ticinensis* librum singularem, tum alia usque adhuc desiderata, avide expectamus.

DISSERTATION SUR MAGNIA URBICA.

h. e.

DISSERTATIO DE MAGNIA URBICA, IN QUA demonstratur, hanc Augustam minime esse Conjugem Maxentii Imperatoris, uti quidem hactenus creditum fuit.

Parisiis, apud Petrum Cot, 1704, 8vo. Constat plag. 5½. una cum folio ære expresso.

REI nummariæ studium, cui pretium nostra posuere ætate eruditorum quamplurimi, adeo feliciter succenturiatur superiorum temporum historiæ, ut juxta ordinem chronologicum concinnæ numismatum series ex omni fere metallo jam inveniantur, unoque quasi oculi ictu heroes, prout antiqua sibi succedentia secula factis suis illustrarunt, conspici queant. Fateri tamen omnino habet Dn. Genebrier, Medicinæ Doctor, & Dissertationis hujus ad Illustr. Dn. Foucault, Marchionem de Magny, exaratæ Autor Nobilissimus, hæsitasse sæpe vel expertissima ingenia circa rariores Augustorum Augustarumque nummos, quoties historia illorum nomina vel plane silentio involvit, vel corrupta exhibuit, ipsisque haud satis constitisse, quosnam nummophylaciorum angulos ornare debeant Marinus, Pacatianus, & Nigrinianus brevissimi ævi Principes, aut Barbia Orbiana, Cornelia Supera, & Severina, quarum mariti antiquariorum solertiam diu effugerunt. Noster vero Marino post Philippos sedem suam assignat, siquidem Zosimus ac Zonaras hunc Tyrannum sub Imperatoribus illis turbas in orbe Romano dedisse tradant. Pacatianum, post Chamillardi, Gallandi & Baudelotii investigationes, eodem referendum censet, cum celeberrimi illi viri ostenderint, Pacatianum eundem esse cum Jotapiano & Papiano Historicorum, quemadmodum contigit, ut illis Balatus aut Balbatus appellatus fuerit, qui in nummis Vabalathus,

thus, Diadumenus qui Diadumenianus, Aurelianus qui Aureolus exprimitur. Nigriniani ætatem in peculiari ſcripto curatius ſe definiturum promittit, quam huc usque factum, dum filius vulgo audivit Alexandri Tyranni Africæ, Maxentii tempore ad ſeditionem prolapſi. Quantum ad Barbiam Orbianam, quam alii Trajano Decio aſſeruerunt, uxorem illam Alexandri Severi ſtatuit, quia in averſa parte nummi hujus Imperatoris viſitur; Hetruſcillam e contra in matrimonio Decii vixiſſe; Severinæ autem Aurelianum maritum fuiſſe; Corneliam Superam Valeriano Juniori conjugem dari e conjecturis Triſtani, quas tamen Clariſſimus Vaillantius, perſpecta earum bonitate, calculo ſuo muniverit. Utcunque vero Imperatricibus hiſce de conjugibus proſpectum, Magniam tamen Urbicam, de qua diſſerendi campum ingreditur Noſter, inter incertas hactenus erraſſe Auguſtas, & congruum ſibi maritum oſculari haud potuiſſe. Licet enim Occo poſt Maxentium eam locaverit, illiusque veſtigia preſſerit Longelonus, Triſtanum tamen idem faciendo ingenue proteſtatum eſſe, non ideo ſe hunc ſequi ordinem, quod Magniam Urbicam uxorem Maxentii crederet, ſed quod certo perſuaderetur, eam Magnentium minime conjugem habuiſſe, ceu nonnulli putarint. Eadem oberrare quoque chorda Patinum atque Begerum, priorem quidem hoc cum additamento, Maxentio illam potius eſſe ſociandam, quam Magnentio, quia non conſtet, hunc ſobolem procreaſſe. Harduinum vero, quem a ſagacitate commendat, propius ferire ſcopum, dum Carini aut Numeriani contoralem Urbicam dixit, at cum rationem haud ſtringentem ſatis effato ſuo adjecerit, Occonis aliorumque ſequacium opinionem nunquam non prævaluiſſe. Notum videlicet erat, Maxentium patrem fuiſſe Romuli, alteriusque filii incerti nominis: cum itaque Magnia Urbica, illaudata alias in monumentis hiſtoriarum, in numiſmatibus elogio, *Venus Genetrix*, inſignita extaret, protinus eam Maxentio junxerunt paranymphi nimis creduli, oſcitantiæ ſuæ haud ficulneam excuſationem in lemmate iſto ſe reperiſſe arbitrati. Verum quam fallax, quamque lubricum ſit ejusmodi argumentum, nemo non deprehendet, utut lynceis oculis minime inſtructus. Noſter ſane, tacentibus Scriptoribus, quoties ad nummos tanquam triarios res rediit, examinare jubet tum

tum Inſcriptionem ipſam, tum literarum totiusque ſculpturæ formam. Deinde & hoc præſupponit, cujuslibet Auguſti Auguſtæque ſuæ, quin & liberorum ſuorum numismata, non modo in allegatis paſſibus, verum etiam in certis notulis, quæ infimam monetæ partem occupant, quam proxime ad ſe invicem accedere debere. Quod poſtulatum dum pluribus urget, characterum, qui a Gallieni inde ævo ad ætatem usque Numeriani, in nummorum vel media, vel inferiore parte (dans le Champ ou dans l' Exergue) copioſe occurrunt, prælongum ſyrma colligit, quales exempli gratia adduxiſſe ſufficiat: ΚΑΑ, ΚΑΒ, ΚΑΓ. ΚΑΔ, XXIA, PXXI, SXXI, SMSXXI. Mox hoc conſectarium exinde elicit, quod ſi Urbica maritum agnoviſſet Maxentium, illius certe imagine ſignatum æs non diſpares notas præ ſe ferret, quam hujus; quæ diſſimilitudo cum habito examine manifeſto ſe prodat, tutiſſime etiam pronunciandum judicat, amborum nummos diverſiſſimo tempore operas monetariorum exercuiſſe. Quin & ſententiam ſuam adeo veram æſtimat, ut, etiamſi hiſtoria Magniam quandam Urbicam conjugem perhiberet Maxentii, huic tamen, quæ in nummis obvia, aliud tempus aliumve maritum, cui major convenientia monetæ & notarum inibi exſculptarum fidem conciliaret, ſit quæſiturus. Cum enim Romulus æquales parenti ſuo Maxentio characteres gerat, eccur Urbicæ, quæ pro matre venditatur, abſimiles adpoſuiſſent monetales? Ex eodem differentiæ fundamento refellit opinionem eorum, qui Magnentio aut Decentio Urbicam noſtram nuptiis alligant, parum curantes veritatem Hiſtoricam, quæ illi unicam ſolum uxorem, Juſtinam ſcilicet, rariſſimæ prudentiæ ac pulchritudinis fœminam, poſt mortem ejus Valentiniano junctam, attribuit.

Remotis igitur ſententiis omnium minime probabilibus, ad Celeberrimum Harduinum, cui Magniam Urbicam Carino aut Numeriano, ut ſupra dictum, copulare viſum fuit, jam deſcendit, ejusdemque conjecturam non deſtitui quidem ante laudata inſcriptionis ac cælaturæ conſonantia, lubenter fatetur, at cum Aurelianus, Tacitus, Florianus, Probus aliique Principes adhuc ſuperſint, quorum nummi pari gaudeant ſimilitudine, matrimonia ſingulorum diligentius exploranda putat, priusquam alicubi ſubſiſtere de-

tur. Aurelianum quod attinet, illum ſtatim choro hoc excedere autumat, quoniam Severina uxor ipſius noſcitur. Tacitum vero, testante Vopiſco, uxorem ſuam gemmis uti paſſum non fuiſſe, alienam itaque ab eo prædicandam Urbicam, quæ in nummo N. 1. adpicto margaritis ac pretioſis lapidibus onuſta comparet. Florianum porro, duorum quippe menſium & præter Senatus auctoritatem Imperatorem, multo minus Urbicæ congruere. Deinde nec Probo eam vindicari oportere, cui longe alia ac diverſiſſimi vultus fœmina in metallione gazophylacii Regii, N. 2. hic expreſſo, ad latus ſtatuitur, ceu ipſemet Autor inſtituta oculari inſpectione deprehendit. Reſtare igitur Carum, ejusque filios Carinum & Numerianum, Auguſtos omnes, e quibus Magniæ Urbicæ maritum deligere fas ſit. Se quidem a primo momento, quo nummos ſequioris ævi congerere cœperit, conjugem ipſi adjudicaſſe Carum, tum quia nullibi memorent hiſtorici, uxorem Cari vita deceſſiſſe, antequam is Auguſti faſtigium aſcenderit, tum quia nemo inficias eat, geminam illum ſobolem e thalami conſorte ſuſtuliſſe. Ex adverſa parte Carinum novem uxores duxiſſe ac rejeciſſe, pulſis plerisque prægnantibus; unde haud ſubleſtum reſultet indicium, nec ſatis temporis illum habuiſſe, ut unam earum Auguſtam declararet, neque etiam duos ex una liberos procreaſſe, animo ejus ad divortia adeo proclivi, quæ omnia ad Magniam Urbicam plane non quadrent. In Numeriano ceſſare equidem tot impedimenta, ceſſare tamen & argumenta probantia, matrimonii vinculum inter ipſum modoque dictam Auguſtam coaluiſſe. Quodſi autem in ejus fratrisque locum ſubſtituatur Carus, utriusque genitor, tum plana omnia atque expedita reddi. Epigraphen namque in nummo Magniæ Urbicæ, *Venus Genetrix*; nec minus aliam, *Pudicitia Auguſtæ*, in numiſmate maximi moduli, cujus hic N. 3. ectypum damus, proſtantem, ſeſe mutuo quaſi reſpicere, egregieque aſſerto ſuo favere, ſiquidem duo parvuli, qui ad pedes Deæ Pudicitiæ togati adſtant, pro Carino & Numeriano reputentur. Reliqua, quæ Nobiliſſimus Autor tam circa prænomen Magnia, quam circa nomen Urbica ſollicite conquiſivit, B. L. majore cum voluptate ipſemet luſtrare poterit, ut ita hic acquieſcere nobis integrum credamus.

TAB. IX. Fig. I.

Fig. II.

Fig. III.

DIS-

TAB. IX. ad A. 1705. M. Sept. pag. 402.

Fig. I.



Fig. II.



Fig. III.



Fig. IV.



Fig. V.



Fig. VI.



Fig. VII.



Fig. VIII.



Fig. IX.



DISSERTATION SUR NIGRINIANUS.

i. e.

DISSERTATIO DE NIGRINIANO, CUJUS Ævum summa hactenus incertitudine laboravit, deque aliis Principibus, quorum nummi Antiquarios sollicitos tenent.

Parisiis, apud Petrum Cot, 1704, 8vo.
Constat 4 plag. tabulaque ænea.

PRomissi sui in commentatiuncula de Magnia Urbica facti non immemor Doctissimus Dn. Genebrier, M. D. Nigrinianum in epistola hac, ad celeberrimi nominis Philologum Dn. Baudelotium de Dairval conscripta, certiori quoque ætati asserere contendit. Occonis etenim vestigia sub Constantio eum collocantis, ac Sergii Consulis illo ipso tempore, quo Constans Magnentii insidiis perierit, collegam statuentis, merito vitanda judicat, tum quia cælatura numismatum Nigriniani, sub N. IV ad oculum patens, & characteres KAA inibi expressi, tum quia Inscriptio DIVO NIGRINIANO, ac Consecratio in aversa facie adjecta, seculo Constantiniano conciliari haud possent. Tristani vero conjecturam existimantis, Nigrinianum Alexandro, qui in Africa tyrannus extitit, filium dari posse, inniti saltem testimonio Zosimi, qui Maxentium ab Alexandro filium ejus, jam adultum atque oris venustate inprimis commendabilem, fidei obsidem sibi depoposcisse narrat. Cum igitur historia nomen ejus taceat, descriptioni cæterum allatæ Nigrinianus in nummis satis congruat, occasionem inde suspicandi Tristano obortam, hunc ipsum forte Alexandrum parentem habuisse. Quantumvis autem speciosa videatur ista conclusio, nihil tamen in se ponderis continere Noster arbitratur, siquidem regula alibi a se tradita, quod eorum Principum numismata, quorum ætas in unum incidit tempus, tam quoad sculpturam atque epigrapham, tam quoad notulas circumstantes sibi simillima esse debeant, firmo talo consistat. Jam vero differentiam inter Alexandri & putativi filii ejus Nigriniani nummos adeo notabilem sese exserere, ut nulli ambiguum esse queat, quin longe dispare ævo ambo vixerint, Nigrinianique etiam moneta propter characteres KAA, ad decennium

TAB. IX. Fig. IV.

 nium

nium illud, quod Aurelianus, Tacitus, Florianus, Probus, Carus ejusque liberi fascibus suis nobilitarunt, utpote quo dictarum literarum usus invaluit, ableganda veniat. Indagaturus itaque Nobilissimus Autor, sub quo Principum illorum Nigrinianus ad regiminis partem adspirare potuerit, seculi istius gesta prolixe recenset, luceque meridiana fere clarius ostendit, inter Tyrannos seu qui tumultu concitato Augustale nomen involarunt, locum ipsi haud competere. Deinde anquirit, num filiis aut consanguineis memoratorum Imperatorum annumerari possit, atque in Aureliani vita, varia scopo suo accommodata se reperisse autumat. Vopiscum filium sororis suæ ab eo interfectum perhibere: quidni is Nigrinianus fuerit, quem vel invidiæ emolliendæ causa, vel ob detectam ejus innocentiam, consecrari curavit Aurelianus? Nec quicquam porro obstare, quin filius ab ipsomet susceptus haberi queat, etiamsi Vopiscus de filio nihil plane dicat, imo filiam solam eum reliquisse testetur. Hujus namque silentium rem minime conficere, & si quam maxime concedatur, superstitem tantum fuisse Aureliano gnatam, annon & vivo parente filius decedere potuit? Provocat ideo non solum ad Suidam, qui sanguine uxoris filii sui manus polluisse Aurelianum affirmat, sed ad Acta etiam Martyrii S. Columbæ, quæ nuptiis filii hujus Imperatoris piissimam fœminam tentatam memorant, ut Soli aliisque Deastris sacrificaret. Quodsi ergo Aureliano, suffragantibus Scriptoribus, filium tribuere liceat, non improbabile quoque reddi, eundem Nigriniani nomen ab uxore, Nigrinia forte dicta, mutuasse, ceu Domitianus a Domitia nomen accepit, quandoquidem Nigriniæ & Nigriniani nomina apud Romanos a longo jam tempore celebrata fuerint. Neque tamen opinioni huic mordicus inhæret Nobilissimus Autor, sed pro ingenii sui felicitate, aliam suppeditat conjecturam ab exquisita similitudine, quæ inter Nigriniani nummos & Cari atque Numeriani consecrationem exhibentes intercedit, petitam. Nigrinianum scilicet Numerianum forte patrem agnovisse, cumque eo ab Apro interemtum, a Carino vero, qui omnibus superstes vixit, Diis adscriptum fuisse hariolans. Utri jam sententiæ adstipuleris, deprehendes sane, Nigrinianum nullo modo Constantini Africæ Tyranni familiæ aggregandum, sed ad Augustorum ætatem, quorum

rum supra mentio facta, referendum fore. Jam ulterius pergit Noster, nimiæque credulitatis arguit, qui e Galerio Maximiano & Maximiano Juniore diversos sibi fingunt Augustos, multisque demonstrat, unum eundemque Principem sub dispare látere nomine, ipsissimum nempe, qui a Flavio Valerio Maximiano, cui Senioris interdum appellatio tam in nummis, quam in marmoribus tribuitur, in consortium Imperatoriæ dignitatis adsumi meruit, nec inficiandum certe asserto ejus figuras N. V. VI. VII & VIII egregie favere. TAB. IX. Fig. V. VI. VII. VIII. Quantum ad numismata verbis DN. CONSTANTIUS JUN. NOB. C. signata, quorum specimen N. IX prostat, non Constantio Constantini filio illa, sed Gallo fratri Juliani Apostatæ vendicanda, cum Celeberrimo Harduino sentit, pluribusque argumentis hoc inventum deducit. Fig. IX. Tantum de ipsa epistola. In præfamine autem objectionibus Dn. Henrionis, qui in consessu Academiæ Inscriptionibus intentæ, d. 14 Nov. 1704 problema ejus de Magnia Urbica Cari uxore operose refutaverat, abunde respondet, novas easque pereruditas suggerens rationes, quibus vinculi istius conjugalis probabilitas evinci possit.

DISSERTATION SUR LE JANUS &c.

h. e.

DISSERTATIO DE JANO ANTIQUORUM, deque nummis eo pertinentibus.

Parisiis, apud Petrum Cot, 1705, 8vo.

Plag. $3\frac{1}{4}$.

SCopus hujus opusculi, Illustri Foucaultio, Marchioni de Magny, Regis Galliarum Consiliario Status atque in Inferiore Neustria Præsidi, a Dn Gros de Boze nuncupati, eo tendit, ut, quicquid vel mythologia, vel historia, vel res denique nummaria de Jano notatu maxime dignum offert, id curiosis omne in nuce, quod ajunt, proponatur. Inter alia vero non injucunde disquiritur, num Jani templum Imperatorum gentilium more obserari jusserit Constantius Constantini filius, quoniam Ammianus Marcellinus Histor. libr. XVI de ipso affirmet: *Concluso Jani templo, stratisque hostibus cunctis, Romam gestiebat visere.* Sed Autori

no-

nostro persuasum est, priora verba non in propria, sed tropica significatione accipi oportere, ut bellum penitus confectum, pacemque initam designent: siquidem & in honorem Ludovici XIV Franciæ Regis nummus missilis cum Jani templo fuerit cusus, addita inscriptione: *J'en ay la clef*; unde tamen paganismum adhuc in Gallia vigere, nemo temere suspicabitur. Occasione autem Calendarum Januarii, quibus priscos olim Consules munia sua quotannis in æde Jani auspicatos fuisse constat, haud sibi satis exploratum monet, nunquid ejusmodi solemnium Augusti etiam subsequentes, sub auspicium regiminis sui peregerint? Licet enim Clarissimus Vaillantius hoc statuere videatur, propter nummum Pertinacis, in cujus aversa parte Janus bifrons cum lemmate, *Jano Conservatori*, apparet, attamen cum reliquorum Principum ne ullus simile sacrificium in nummis celebrari fecerit, proinde peculiarem ibi subesse rationem Noster existimat, eandemque e Julio Capitolino depromendam, utpote qui Pertinacem ipsis Calendis Januariis ad Reipublicæ clavum adscendisse refert. Quo admisso, sponte etiam sua inde flueret, Imperatorem ipsa Jano sacra die ad istud fastigii evectum, haud alii Numini convenientius, quam Jano, sui suarumque rerum conservationem publice commendare potuisse.

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII INTRODuctio in Alchimiam.

Jenæ, sumptibus Johannis Bielkii, 1705, 4.
Constat 8 plag.

ETiamsi exosa maxime Medicis sit, explosa vulgo, & male audiens communiter Alchimia, valet tamen & de ea illud Philosophi: Introite, etiam hic Dii sunt. Non negligenda enim est Ars Alchimistica, cum sit necessaria, licita, honesta, jucunda, utilis, & cautos nos reddat atque pios. Quæ cum perspexerit Illustris Wedelius, in Chimica arte nulli secundus, animum induxit, præsentem de Alchimia adornare Introductionem, selectioraque insimul ingenia ad hoc studium invitare, eademque excitare, ut communi vel divisa opera solvantur ænigmata, separentur inutilia, ex-

explorentur arcana, parcatur una inutilibus ſumptibus, omniaque, Spiritus Sancti auſpiciis, ad Divini nominis gloriam & humani generis commodum impendantur.

mpoſſibilem equidem eſſe, arguunt quidam, ſpecierum diverſarum immutationem, ſeu naturam ſpectes, quæ eandem abhorret, ſeu artem, quæ non ultra naturam ſapit; obſcura eſſe omnia, quæ ſcribant Alchimiſtæ, & hoc ipſo recondi & occuli fraudes; diſſona minimum tradi, abſurdis & incognitis terminis ludi; proceſſus ſi deſideres, reperiri integra plauſtra, in fine abire in fumum & cineres omnia; hinc contemtui & ſcommatibus vulgi ſeſe exponere, & carceribus, tormentis aliisque gaudia concepta luere, qui arti huic invigilent, exiſtimant. Quanquam autem negari non poſſit, fraudes quandoque ſubeſſe, vel conceptas, vel illatas ab aliis; habet tamen fundamentum ſuum ars. Cum enim volatile poſſit figi ab igne, a miſcela, a fixantibus aliis, immaturum maturari, digeri & exaltari, aurum vero hinc & argentum ſulphure & mercurio puro, eoque fixiſſimo gaudeant; credibile eſt, nec pro abſurdo habendum, idem recluſum, panſum, digeſtum & exaltatum poſſe corrigere & fixare metalla reliqua fermento ſeminali, ut centraliter inde digeſta & exaltata, fixato alteratoque ſulphure & mercurio, immutari & converti in aurum poſſint, pollentia ſingula unctuoſitate intime obvolvente partes terreas lutoſas & mercuriales. Cujus rei experimenta allegat Author Clariſſimus, artemque olim ab Ægyptiis, Arabibus, Græcis & Romanis exercitam eſſe pronunciat. Artificibus interim commendat pietatem, lectionem & meditationem, ſingulorumque ſedulam repetitionem, ac continuationem. Noſſe enim eos oportet genium Scriptorum obſcurum, parabolicum, ænigmaticum; diſtinguere Authores, quos ſolos fere adire & audire datur; cognoſcere naturam, ignem, ejusque regimen & adminiſtrandi modum, avaritiam odiſſe & taciturnos eſſe. Peculiaris eſt & ab omnibus aliis diverſus modus tradendi & ſcribendi Alchimiſtarum, quod partim antiquitatem ſapit ſapientiæ Veterum mythologicæ, partim ſecretam artem, quam velut ſtudio magis involvere & obvelare quam detegere ac docere voluere. Hinc modo per ſigna, modo per characteres, modo per numeros, modo per figuras, modo per colores,

res, modo per nomina nova rem explicuerunt. Quoad materiam universalem, in partes abiere Alchimistæ, & quot capita, tot sensus, quot nomina, tot res in experimenta vocatæ fuere, ut nihil fere tam absurdum sub Sole videatur, quod non in censum venerit. Sic alii in elementis eandem indagarunt, ut in terra, tam pura, Virginea, Adamica, quam in uliginosis nigro-rubentibus pratorum & fossarum cespitibus; item in aqua, rore, pruina, quinimo & in aere. Verum hæc materia non nisi remotissima est, hinc alii ad tria naturæ regna animum applicuerunt, ex vegetabili tartarum e. g. seligendo, ex animali urinam, stercus, semen humanum, & salivam præparando, ex minerali vitriolum, sal commune, nitrum, sal ammoniacum, arsenicum, cinnabarim, Saturni mineram tractando. Plerisque tamen argentum vivum & antimonium arrisit. Est enim mercurius metallum quasi indifferens fluidum, volatile quidem adhuc, sed fixandum facile, cum auro symbolisat pondere & substantia, & pollet sulphure occulto. Sic antimonium duo continet metallorum elementa, sulphur & mercurium, finit aurum privative & positive, solvit idem blandissime, ac intime, dealbat & calcinat. Non autem absolvitur tinctura uno solo ingrediente, sed minimum duobus, quod maris & fœminæ symbolo innuere voluerunt, nec abnuerunt tamen tertium, sed vel ut spiritualem amorem vocando magis quam corporalem. Utut vero plurimi unum fere ac solum aurum eligant & intendant, tanquam nobilius ac instar omnium; non pauci tamen ob fixitatem & communes cum auro dotes, etiam argentum in hunc censum vocant, ut hinc tinctura duplex detur ad rubrum & ad album. Usum quod concernit Lapidis Philosophorum, adhiberi hic dicitur (1.) ad metalla ignobiliora tingenda in perfectiora, (2) ad roboranda viscera, spiritum vitalem, & tollendos morbos, chronicos præsertim, alioquin per naturam curabiles, (3) ad gemmas artificiales, (4) ad vitrum malleabile reddendum, (5) ad dignoscendam DEI Opt. Max. admirandam sapientiam, vel sola cognitione contento animo, (6) ad vitam producendam. Tacemus pietatem, eleemosynas & alia. Sed nec desunt, qui Alchimia abutuntur; siquidem dantur, qui ex professo negant, Lapidem Philosophorum auri materialis conficiendi esse medium & medicinam, ar-

arbitrantes, totum illud opus non esse nisi avaritiæ vel persuasionis vanæ prætextum, indeque nata figmenta; moraliter potius intelligendos esse Philosophos, sive primam & ultimam causam scrutatos, alios materiam, alios generationem & corruptionem, mortem ipsam, alios non nisi Deum Optimum Maximum; singulos hoc vel illud velut lapidem seu terminum, atque principium, in quo omnis cogitatio acquiescat, ac figatur, posuisse. Seorsim ulterius Christiani progressi, ad divina & sacra applicavere hoc ipsum, ita ut alii artem penitus negaverint, alii affirmarint quidem, sed eandem ad universa quasi religionis arcana traxerint. Imo alii tria principia chimica materialia ad S. S. Trinitatis mysterium perquam absurde & tantum non impie applicarunt. Alii ipsam Scripturam S. huc detorquent, & maxime Canticum Salomonis, Apocalypsin &c. unde materiam & colorem & nihil non arcessunt, ne dicam universam Salvatoris nostri passionem, mortem, resurrectionem, adscensum ad cœlos, & reliqua huc trahi. Tangendus denique & ille est abusus, ne fallatur, vel spem vanam sibi quis concipiat, fraudulentia quacunque inductus, multo minus malitia & pravitate adulterandi aurum & argentum.

ANTIQUITATES WALCKENREDENSES, oder Historische Beschreibung der Käyserlichen Freyen Reichs-Abtey Walckenried/ꝛc.

Seu

DESCRIPTIO HISTORICA LIBERÆ IMPERIALIS Abbatiæ Walckenredensis, Ordinis Cisterciensis, quæ celebratissima quondam fuit. Auctore JOHANNE GEORGIO LEUCKFELD, Pastore Primario Groningensi.

Lipsiæ & Nordhusæ, apud Carolum Christianum Neuenhahn, 1705, in 4to.

Constat Alphab. 4, plag. 9.

PErcelebris olim fuit Abbatia Walckenredensis, dignaque adeo in qua describenda non unus Autorum desudaverit. Primus

Johannes Letznerus, editis plurium cœnobiorum historiis satis notus, sed nimium credulus auctor, antiquitates Walckenredenses collegerat, cui labori cum esset immortuus, incidit in ejus schedas Johannes Eckstormius, & ex illis *Chronicon Walckenredense*, immutato paulum, quem Letznerus secutus fuerat, ordine chronologico, Latine composuit ediditque Helmstadii, A. 1617, in 4. Enimvero Johannes Henricus Hoffmannus, diligentissimus apud Cellenses Archivarius, perlustrato opere Eckstormiano, & collatis nonnullis manuscriptis rarioribus, & plurima latuisse Eckstormium, nec pauca ab eo incerta fide relata reperit, quod justis ad eam historiam subsidiis omnino fuisset destitutus. Quamobrem ipse *Rerum sive Antiquitatum Walckenredensium libros X* consignare instituit, quorum tamen non nisi tres priores absolutos in schedis reliquit. Quantum demum Clarissimus Leuckfeldius hic præstiterit, qui & Hoffmannianis illis reliquiis diligenter usus est, & varii generis monumentis aliis ac scientia rerum monasticarum Germaniæ instructissimus, ad consignandas has *Antiquitates Walckenredenses* accessit, facile judicare poterunt, qui eas vel leviter inspexerint. Nos, cum prolixum nimis foret, singulorum capitum justo ordine dispositorum lemmata huc transscribere, præmissis tantum nonnullis de institutione Abbatiæ, speciminis loco de jure Advocatiæ in eandem, e P. II, C. 2 quædam memorabimus, collatis etiam iis, quæ huc e P. I, C. 18 & 22 pertinere videbuntur.

Nimirum Abbatia Walckenredensis in pago Saxoniæ Inferioris Zurrigau, qui Thuringiæ proximus est, sita, nomen quidem villæ cuidam Gertrudæ Nordheimensis Comitissæ, quæ eodem in loco fuisse quondam memoratur, institutionem autem Adelheidi Comitissæ de Clettenburg debet, quæ Cistercienfibus, paulo post Ordinis institutionem, A. 1127 sedem illic concessit, & sumtus liberaliter suppeditavit, horrendis quidem imprecationibus in eos, qui male illis usi fuerint, effusis. Hinc tametsi non neget Auctor, in ea Abbatia non minus atque in reliquis Cisterciensium monasteriis, supremum Advocatiæ jus solis Imperatoribus & Imperio fuisse proprium, quorum privilegia Walckenredensibus concessa recitat P. I, C. 18, illos tamen probat Advocatiam inferiorem Comitibus primum Clettenbergensibus, & eorum stirpe A. 1260 defici-

ciente, Hohnſteiniis, ad quos & eorum ditio pervenit, demandaſſe. Et licet, mortuo A. 1323 Abbate Johanne, ab Hohnſteiniorum, quippe excommunicatorum, Advocatia ſeſe quodammodo ſubtraxerint Walckenredenſes, impetrato eodem anno ab Imperatore Ludovico privilegio de eligendo novo Advocato, electisque poſtea Comitibus de Weringerode, jus tamen ipſum tantum abeſt ut penitus amiſerint Hohnſteinii, ut potius integrum retinuerint. Id quod vel ex eo liquet, quod, cum tempore reformationis Carolus V A. 1551 ſupremam tutelam monaſterii in ſe ſuſcepiſſet, Hohnſteinio deinde Comiti Erneſto imperatum fuerit edicto Ferdinandi Regis, ut pro eo, quod ipſi incumbat, inferioris Advocatiæ munere, curaret diligenter, ne quid in ea Abbatia detrimenti paterentur ſacra Pontificia: ut taceamus, Erneſti hujus filiis, ſolenni poſtea formula, A. 1557 jus illud ab eodem Ferdinando fuiſſe confirmatum. Interim inficiandum non eſt, Fridericum III Impetorem, publico decreto A. 1457 lato, Ducibus Saxoniæ & Landgraviis Thuringiæ univerſis injunxiſſe, ut tutelam Walckenredenſis Abbatiæ ſui & Imperii nomine in ſe ſuſciperent. Proinde cum ob res novas ab Abbate Joanne Holtegelio (is enim primus A. 1543 Proteſtantium ſacra in monaſterium introduxit, quæ deinde A. 1546 cura Johannis Spangenbergii firmata & ſtabilita ſunt,) ſuſceptas, inter ipſum & Erneſtum Hohnſteinium haud ſatis conveniret, Mauritius Dux Saxoniæ, poſtea Elector, ut ea occaſione in ſtabilimentum juris ſui uteretur, unum atque alterum A. 1546 ad Abbatem delegabat, qui denunciarent, Ducem cœnobium, in quod vetus ipſi jus eſſet, occupaſſe, & Pontificios abuſus abrogare conſtituiſſe; quod cum prolixis ſed modeſtis litteris deprecatus eſſet Holtegelius, mox Dresdam, & cum eo venire variis de cauſis recuſaſſet, Lipſiam vocatus eſt, quo in loco de monaſterii rebus cum Mauritio egit. Hinc etſi Abbas ipſe Mauritio clam faveret, eidemque quotannis pullos equinos duos in recognitionem juris tutelaris mitteret, Erneſtus tamen ſuæ domui, tum jure territoriali, tum hæreditario, Abbatiam Walckenredenſem, ſi monachos in ea deficere contingat, competere ſcriptis aſſerebat, quæ monachi ipſi ſuo calculo approbabant. Magis de tuendo hoc jure, mortuo poſtea A. 1552 Erneſto, qui Pontificiis perquam deditus

 erat,

erat, filii ejus quatuor laborabant, & ne Abbas equos illos ad Mauritium deinceps transmitteret, serio prohibebant. Unde cum aliquoties Mauritius, frustra tamen, illos postulasset, demum A. 1553 in expeditione adversus Albertum Marchionem Brandeburgicum occupatus, pernoctansque in eo cœnobio, ita compellasse Abbatem dicitur: *Qui fit, Domine, quod equos nobis non mittis?* (Herr/ wie kömmts/ daß ihr uns die Fohlen nicht schicket?) cumque is respondisset, *Domine Clementissime, quod factum hactenus non est, fiet deinceps*, (Gnädigster Herr/ was nicht geschehen ist/ soll noch geschehen/) subjecisse, *bene facis, ita enim erimus amici*, (da recht/ so bleiben wir Freunde.) Postquam in eadem expeditione occubuisset Mauritius, juris sui armis prosequendi occasionem nactus deinde est successor ejus Augustus, eo quod novus Abbas Jacobus Marsilius cum Hohnsteiniis Comitibus in præjudicium monachorum fuisset pactus A. 1564. Quamvis enim pactum illud confirmasset Maximilianus II Imperator, attamen Monachi ad Augustum se contulerunt, qui mox anno sequenti, militum manum, ductu Henrici de Saltze, in monasterium immisit, & jam dilapso Marsilio, alium Abbatem Wolffgangum Langium eligi a monachis curavit. Delata inde ad Cæsarem querela, ita demum Dresdæ A. 1568 conventum est, ut Abbatia Walckenredensis, præter Comites Hohnsteinios, superiores etiam tutelares Electores Saxoniæ haberet, iisdemque, loco equorum antea transmissorum, trecentos florenos annuos exhiberet, & præterea quartum quemque puerum scholæ Walckenredensi, quæ tum florere cœperat, ab illis commendatum suis sumtibus aleret. Verum, ut verbis in pariete quodam ejus monasterii conspicuis utamur, *A. 1574 jus tutelare permutatione a Domo Saxonica devolutum est ad Reverendissimum & Illustrissimum Principem Henricum Julium postulatum Episcopum Halberstadensem, D. Brunsuic. & Lunæburg. Qui etiam A. 1592, Comite Hohnsteinio ultimo vita functo, Comitatum sui juris fecit, & Administrator hujus monasterii a Cœnobitis est electus & declaratus.* Henrico Julio mortuo, Fridericus Ulricus, ac deinde Christianus Ludovicus, Duces Brunsuicenses, atque post hujus obitum Georgius Wilhelmus, constituto A. 1665 inter ipsum & Johannem Fridericum fratrem pa-

pacto, Abbatiam tenuere. At cum, Brunsuico A. 1672 capto, nova inter Duces Brunsuicenses pactione, Dannenbergensis Comitatus Cellensi stirpi transscriberetur, vicissim Walckenredense coenobium ad Celsissimos Duces Brunsuico-Guelferbutanos, Rudolphum Augustum & Antonium Ulricum pervenit. Et hæc quidem hactenus. Cæterum Auctor singularem ubique rerum Germanicarum scientiam prodens, & singulis fere capitibus universaliores quasdam observationes præmisit, & ubi occasio, de pluribus aliis Germaniæ monasteriis erudite disseruit. Sic e. g. P. I, C. 3 de Cisterciensium institutione, C. 5 de monasteriorum origine, C. 6 de monasteriis Portæ Mariæ & Sichemensi, quæ a Walckenredensi derivantur, C. 7 de dedicationibus templorum, C. 13 tum generatim de monasteriorum, tum speciatim de Walckenredensium Fraternitatibus, C. 14 de reliquiarum veneratione, & obiter de reliquiis, Aquis asservatis, C. 16 de anniversariis a monachis passim celebrari solitis, C. 22 de usu & necessitate reformationis; P. II, C. 2 de origine advocatiæ monasteriorum, C. 3 de officio ac dignitate Abbatis, C. 7 de officio Prioris accurate egit. Demum Latina quædam supplementa e manuscriptis & impressis libris rarioribus adjecit. Illud tamen & monendum, Auctorem post recensitos scholæ Walckenredensis Rectores atque Conrectores, de pluribus viris eruditis, qui ex ea prodiere, agere constituisse, quod tamen consilium, ne in nimiam molem liber excresceret, mutavit. Optandum autem, ut & quæ de his collegit, & quæ alia de monasteriis Germaniæ prelo parata habet, ex instructissima penu propediem promat.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI AUCTORE Domno JOHANNE MABILLON, Presbytero & Monacho ejusdem Ordinis e Congregatione S. Mauri. Tomus primus & secundus.

Lutetiæ Parisiorum, apud Carolum Robustel, 1703 & 1704, in fol. Constant Alph. 18.

POst editam in lucem Historiam Actorum Ordinis Benedictini Sanctorum, quorum Seculum sextum, quod est a nato Christo

undecimum, in his Eruditorum Actis A. 1703 pag. 463 recensuimus, Benedictinos nunc Annales multo studio, & dexteritate non minori, Clarissimus Mabillonius composuit, inque iis res monasticas, inde ab ortu S. P. Benedicti ad nostram usque ætatem, per secula amplius undecim in Occidente gestas, latius excussit, amplumque adeo illorum temporum Ecclesiasticæ Historiæ spatium feliciter emensus est. Labore autem improbo heic opus cumprimis fuisse, haud inficiabitur, qui differenti in præfatione Mabillonio attenderit, quippe in qua de antiquissimorum monumentorum defectu admodum conqueritur, cum Majores sui Ordinis facere optima, quam scribere, magis soliciti, de Historia adornanda digerendisque Annalibus parum cogitaverint, quippe quibus prima cura fuerit de moribus formandis, & ad regulæ ipsis familiaris normam componendis, post quam illustrium quorundam sanctitate Virorum præclara facta in literas referre, inque exemplum aliis proponere ipsis visum fuerit. Non defuisse tamen plane notat, primis etiam illis seculis, historiarum Scriptores, (quanquam hi illustrandæ potius patriæ suæ aut domesticæ historiæ, quam monasticæ, in scripta redigendæ operam impenderint, sive, quod difficile esset per illa tempora literarum commercium, sive quod disjuncta essent a se invicem monasteria, nulla fere societate confœderata;) in qua classe extiterint apud Italos *Paulus Warnefridi* & *Erkempertus*; apud Gallos *Aimoinus*, *Glaber-Rodulfus*, *Hugo Flaviniacensis*, *Ordericus Vitalis*, multique alii, ex Anglis *Venerabilis Beda*, *Ingulfus*, *Guilielmus Malmesburiensis*, *Matthæus* uterque, *Westmonasteriensis* & *Parisius*, aliique magno numero historici. nec pauciores apud Germanos, in quibus *Lambertus Schafnaburgensis* sit præcipuus, qui omnes patriis suis historiis, si quæ in monasteriis Benedictinis commemoratu digna ipsis occurrerent, inserere non omiserint. His adjungit *Reginonem Prumiensem*, *Hermannum Contractum*, *Marianum Scotum*, *Sigebertum*, qui generalis Historiæ indices potius scribentes, quam Annales, de rebus quoque monasticis quasdam retulerint particulas. Primum e Benedictinis, quod quidem sciat, librum de Viris illustribus sui Ordinis scribere aggressum esse sub finem seculi quarti-decimi observat *Raymundum de Rialaco*, monachum Conchensem apud Ruthenos, qui librum suum in qua-

quatuor partes distribuerit, in quarum prima agat de summis Pontificibus Ordinis monastici, in secunda de sanctis Martyribus, in tertia de Episcopis, in quarta denique de Abbatibus & Monachis, uti legatur in codice Lirinensi, in quo hic liber habeatur. Ante eum tamen *Petrum Casinensem* libros duos, unum de viris illustribus, alterum de sanctis ac justis Casinensibus conscripsisse refert, & neutrum vidisse ait *Johannem Trithemium*, qui primus hoc de argumento scripsisse hactenus creditus sit. His accessisse monet Martyrologiorum monasticorum Scriptores, quos inter primas teneat *Guillelmus*, Abbas S. Pauli in Urbe, patria Cadurcensis, qui A. 1372 Calendarium omnium sanctorum monachorum, nec dum editum, composuerit; præ quo longe notiorem vocat *Arnoldum-Wion* Belgam, qui sequaces postmodum habuerit *Hugonem Menardum* e Gallis, e Germanis *Gabrielem Bucelinum*, & *Ægidium Cranbeck*, qui Calendarium itidem Benedictinum quatuor tomis cum æneis figuris non ita pridem vulgaverit. Paulo minus prolixum appellat Martyrologium *Thomæ Maibeuw* Angli, qui Trophæa Benedictino-Anglicana tribus in voluminibus suspenderit, iisque quartum de Scriptoribus adjecerit. Multum quoque ad historiam Benedictinam contulisse fatetur ejusdem nationis *Clementem Reinerum*, qui insignem librum, Apostolatum Benedictinorum in Anglia nuncupatum, ediderit. Tandem vero sub initia præcedentis seculi, *Antonium Yepesium* Hispanum, Vallisoletanum Abbatem, quod nemo ante eum tentaverit, generale totius Benedictinæ historiæ Chronicon scribendum suscepisse innuit, virum sane doctrina & eruditione ad id perficiendum non mediocriter instructum, qui istud ad sex, ut vocet ipse, centurias perduxerit, inque seculo duodecimo substiterit. Verum quia non satis amplas ad prolixum opus istud suppetias in promptu habuerit, ac præter Baronii Annales, vitasque sanctorum quorundam, & Hispaniæ monasteriorum tabularia, cætera fere ipsi defuerint, historiam suam omni ex parte absolutam ipsum reddere non potuisse addit, ac veretur, ut quid elimatius ac solidius elucubrare potuerit *Constantius Cajetanus*, qui in Commentario ad vitam Gelasii II profiteatur, se habere præ manibus Annales Benedictinos, quos propediem sit editurus. Defectum ergo illum passim adhuc obvium

vium cum deprehenderent primarii Congregationis S. Mauri Præpositi, delectos e suis studiosos fratres ad colligenda Benedictinæ historiæ monumenta designasse memorat, qui perlustratis tum Galliæ, tum aliarum regionum bibliothecis & archivis, copiosam inde supellectilem retulerint, e qua ante omnia Sanctorum Benedictinorum Acta primigenia, tanquam præcipuum historiæ hujus fundamentum, in unum corpus redacta, & in lucem emissa sint, cum *Acherii* Spicilegio tomis tredecim. His magna ex parte vulgatis, *Ludovicum Bultellum*, postquam monasticæ historiæ Orientalis specimen edidisset, Occidentalem itidem, id est, Benedictinam, Gallico idiomate ab origine pertractare aggressum esse meminit, at primis duobus voluminibus, quæ quatuor seculorum facta contineant, in lucem emissis, dum sequentium temporum historiam prosequeretur, subita morte correptum, opus imperfectum eum reliquisse dolet.

His interim aliisque quibusdam subsidiis instructum se arduum hoc negotium auspicatum esse affirmat, & Annales hos in libros secundum annorum, quoad licuit, seriem distinxit, quandoquidem hanc factorum in suas classes distributionem magis historicæ methodo convenire autumavit, quam continuam cujuslibet vel Monasterii vel Sancti historiam. Cæterum ad omnes haud descendit minutias, nec proinde integras cujusque monasterii, exceptis quibusdam illustrioribus, historias perscripsit, nec singulorum abbatum, virorumque illustrium, vel prioratuum, nec omnium denique sacrarum cujusque loci reliquiarum indices contexere sibi proposuit. Videas econtra amplissimam ipsi materiam suppeditatam, non a florenti modo Ordinis statu, verum etiam a prolapsionibus ipsius, uti & mirificis subinde renovationibus, quas longo ordine recenset, & alia subinde admiscet, quæ Lectoribus vel ob jucundam varietatem non poterunt non gratissima accidere. Nos in gustum aliqua hinc decerpemus, & quæ vel ad monasteriorum diversorum historias, vel ad sanctorum, virorumque ac fœminarum alias illustrium, vitam & res gestas, vel ad antiquos ritus atque consuetudines, vel ad classes ejuscemodi alias referri merebuntur, specimina digito indice commonstrabimus.

In Tomo itaque primo, qui libros complectitur octodecim, & ab ortu S. Benedicti, ad annum usque Christi septingentesimum per-

pergit, monasteriorum tot historiam texit, quot referre instituti certe nostri haud est. Provocamus modo ad ea, quæ de *Lirinensi*, seculo quinto ineunte condito, p. 13, de *Agaunensi* p. 29, de monasterio *S. Germani Autisiodorensi* p. 46, de *Casinensi* p. 55, & passim alias; de *Terracinensi* p. 64, de S. *Maximini Trevirensi* p. 153, de S. *Marcelli* monasterio *Cabilonensi* p. 173, de *S. Radegundis* parthenone *Pictavensi S. Crucis* p. 192, deque ejusdem monasterio *Virorum* p. 200, de monasterio *Luxoviensi* p. 211, *Westmonasteriensi* p. 285, de *Basilica S. Dionysii* p. 340, de *S. Juliani* monasterio *Autisiodorensi* p. 366, de *Floriacensi* p. 380, de *Corbejensi* p. 444 (plura ut taceamus) ex historia antiqua disserit. E numero personarum sanctitatis aut doctrinæ causa illustrium, aut quovis alio ex capite celebratorum, primas fere tenet triga Virorum undiquaque decantatissimorum, sanctus puta *Benedictus*, cujus vitæ delineatio per libros quinque priores se diffundit, sanctus deinde *Maurus*, &c, qui ex temporum ordine postremus est, *Gregorius Magnus*, cujus scripta quoque prolixius recensentur, ejusque missio Augustini in Angliam argumentis non unis p. 241 asseritur. Præter hos ex innumeris fere nominamus *Clarum* atque *Maximum*, S. Martini discipulos; S. *Lupum*, qui postea Trecensis fuit Episcopus, ejusque fratrem germanum, *Vincentium*; *Cæsarium*, Episcopum Arelatensem; *Augendum*, Condatiscensium Abbatem; *Fulgentium*, Episcopum Ruspensem; *Dionysium Exiguum*, cujus cyclus examinatur; *S. Remigium*; *Turibium* monachum, quem ab Episcopo distinguendum statuit; *S. Æmilianum*; *Sylverium* Papam, monastica veste indutum; *S. Albinum*, Episcopum Andegavensem; *S. Placidum* martyrem; *S. Germanum Capuanum*; S. *Germanum*, Episcopum Parisiensem; *Chlotarium*, cujus obitus imprimis & sepultura in S. Medardi basilica refertur, p. 146; *Nicetium*, Episcopum Trevirensem; S. *Radegundem*, ex Regina monacham Pictavensem parthenonis S. Crucis; *Guntchramnum* Regem, qui utrum factus fuerit monachus, in dubio relinquitur, p. 227; *S. Columbanum*, Abbatem Luxoviensem; *Hildefonsum Toletanum*, quem velut insignem virginitatis Mariæ patronum Autor introducit, p. 458; *Fructuosum*, Abbatem Complutensem, S. *Audoenum*, &c. Ad consuetudines antiquas &

 ri-

ritus olim receptos referimus, quæ narrat de monachis in Clericos & Laicos jam olim distingui solitis p. 18; de negato fœminis in basilicas monasticas aditu p. 86; de genere pœnitentiæ ab Episcopis & Presbyteris non raro ob crimina graviora, & maxime ob homicidium impositæ, dum in partibus Franciæ interioris mos inoleverit, ut quisquis propinquum suum gladio peremisset, & postea pœnitentia ductus ad Pontificem crimen admissi facinoris detulisset, hanc modo pœnam luere necessum habuerit, ut isto decernente, ex ejus gladio ferrei nexus componerentur, & collum homicidæ, venter atque brachia constringerentur ex istis ferreis vinculis, sicque is ex patria pulsus peregrinaretur Romam, ac per diversa Sanctorum loca, usque dum divino nutu vincula illa resolverentur, p. 87; de Eucharistia monacho insepulto a S. Benedicto missa, p. 89; de S. Benedicto, num moribundus sub utraque specie communicaverit, p. 114; de precum exauditione e pannorum ad sepulchra sanctorum deferri solitorum pondere colligi solita, scilicet immisso sepulchris palliolo seu panno prius ad stateram appenso, orantes jejuni vigilias ibidem aliquot agebant, & post voti sui compotes se futuros credebant, si pannum inde pondere graviorem efferrent, p. 145. De Abbatum & Abbatissarum ordinatione solenni, tempore Gregorii M. jam tum recepta, agit p. 254; de tonsura, insigni monasticæ professionis, & nonnisi jacto tirocinio collata, p. 259; de monasteriis virginum in provincia Bætica, monachorum administratione & præsidio gubernatis, p. 314; de Advocatis monasteriorum institui cœptis circa A. 644, p. 390; de juramentis ad reliquias Sanctorum factis, p. 453, & quæ illius generis plura sunt. Jactata quibus volupe est cognoscere miracula, largam eorum segetem in Benedicti imprimis vita reperient, suscitatosque ibidem defunctos, dæmonem alapa inflicta fugatum, & quæ sunt alia, deprehendent. Quod Chlodoveus, ob raptum S. Dionysii brachium, mente privatus fuerit, in dubio relinquere videtur, p. 423 seq. ast antea p. 418 eundem impunem, anno regni sui quartodecimo, cum Gallia gravissima fame laboraret, absidem super ejusdem Dionysii sepulcrum a Dagoberto erectam, & puro tectam argento spoliari, istudque spolium per Aigulfum monasterii abbatem, egentibus ac peregrinis distribui jussisse, observat. Mirum est, quod p. 555 perhibet de

de Fratre quodam monacho ministrante, cui nomen Cædmonis, qui, tametsi poeticem nunquam didicisset, carmina tamen religioni ac pietati apta, ex tempore Anglica lingua pangere, ac perite canere noverit, nihil unquam frivoli aut profani componere solitus, sed ea tantum, quæ ad religionem pertinerent. Curiosis forte haud displicebunt, quæ p. 549 in medium affert de picturis quibusdam veteribus, Petrum tres claves manibus gestantem referentibus, circa quas conjecturas suas eo tendere affirmat, quod illæ forsan originem traxerint e cœlesti civitate Jerusalem, in visione Ezechieli & Johanni ostensa, quæ in quadro posita ex parte qualibet tres portas habuerit, Ezech. XLVIII, 31 seq. Apoc. XXI, 13. Quanquam & compendiosius dici posse admittat, tribus illis clavibus significari cœlum, purgatorium & ecclesiam militantem, aut certe tres orbis partes tunc notas, in quas Petri se extendat autoritas.

Hæc ex Tomo primo allegare visum fuit. Secundus res gestas ab A. C. 701 ad annum usque 849 complectitur, & methodo prorsus eadem, quam in antecedenti observare placuerat, res ejuscemodi notatu dignas, quales hactenus commemoravimus, ab oblivione vindicat. Quinque tamen præ cæteris majori observatione digna Autor ipse judicat: conversionem nimirum Germanorum & Septentrionalium populorum ad Christianam fidem per Benedictinos promotam, itemque vitæ monasticæ in illis plagis propagationem; scholarum deinde publicarum, cum iisdem in locis, tum in aliis, institutionem, ex qua literarum & sacræ doctrinæ traditio, quoad illa quidem tempora tulerint, ad posteros promanarit; tum instaurationem sacri monasterii Casinensis, curatam per Petronacem Abbatem & Casinates monachos, qui post ejus eversionem a Longobardis factam, Romæ in patriarchio Lateranensi consederint; primam porro monasteriorum Ordinis S. Benedicti ad primigenias leges reformationem; ac catholicorum denique, ceu vocat, dogmatum defensionem, a Benedictinis susceptam & peractam. Magnam insuper per illa tempora de cultu imaginum apud Orientales disceptatio cum fuerit, latius de eadem hinc inde disserit, ac Johannem Damascenum, Platonem, Theodorum Studitam, aliosque, exilia, carceres, variaque tormentorum genera pro eo pertulisse refert. Et cum hæc controversia in Gallicanas

 quo-

quoque partes promanarit, autore imprimis Claudio, Taurinensi Episcopo, qui cultum istum impugnare & profligare annisus sit, Pipini, Caroli M. & Ludovici Pii, Regum, cura atque studio effectum dicit, ut ne latius hoc malum serperet; unde calamo tantum & stylo in secus sentientes actum fuerit, viam reliquis aperiente *Theodemiro* Abbate, tum *Dungalo Recluso*, quibus *Jonas Aurelianensis* Episcopus, & *Walefridus Strabo* Augiensis Abbas accesserint. De his vero viris illustribus, itemque de *Paschasio Radberto*, *Lupo Ferrariensi* Servati aliquando cognomine insignito, *Rabano Mauro*, *Wandalberto*, *Usuardo*, *Adone*, *Notkero*, *Haimone* Halberstadiensi episcopo, *Ratramno*, aliisque singularia & jucunda plurima commentatur.

Uterque Tomus appendices peculiares nactus est, & primus quidem duplicem, quarum prior *Apologiam* exhibet *antiquæ traditionis*, quæ ab ipsis Ordinis Benedictini incunabulis, ad hæc usque tempora, inviolate deducta perhibetur, *quod* nimirum *S. Maurus a Benedicto in Gallias missus fuerit*. Hanc apologiam studiose composuit *Theodoricus Ruinartus*, de qua A. 1703, p. 438 diximus, eidemque subjuncta est Dissertatio *de Gregorii M. Monastico instituto*. Altera appendix varia exhibet monumenta, nondum hactenus edita, probationi tamen enarratorum in ipso Tomo multum servientia, quæ maximam partem accepta referri debere dicit Claudio Stephanotio, Romæ nuper mortuo, dum Procuratoris officio pro Congregatione S. Mauri illic fungeretur, quippe qui multa Collectaneorum volumina, tum ex Gallicanis Bibliothecis & Archivis, tum ex Italicis congesserit. Secundi Tomi appendix monumenta ejusdem generis, diplomata & alia his similia exhibet, inter quæ sub num. 56 excerpta apparent ex epistola Joannis Schilteri, Jurisconsulti Argentoratensis, *de situ loci Campi mendacii*.

Nec illud prætereundum autumamus, nonnullas etiam picturas, quæ quid momenti continent, æri incisas in hoc opere exhiberi, quas inter duæ imprimis eminent, Monasterii Casinensis prospectum conspectumque repræsentantes, & post pag. 56 Tom. II insertæ. Quemadmodum de cætero peculiare *de Scriptoribus Benedictinis* opus pollicetur Autor solertissimus, in quo singula eorum recensere opera, & a genuinis dubia ac spuria secernere in-

instituit; sic duobus hisce Tomis duos alios, qui jam typis parati sint, quamprimum successuros spondet, in quibus ad seculum usque duodecimum perductam haberi Historiam Benedictinam innuit.

CAUSA QUESNELLIANA.

Sive

MOTIVUM JURIS PRO PROCURATORE CURIÆ Ecclesiasticæ Mechliniensis contra P. PASCHASIUM QUESNEL &c.

Bruxellis, 1704. 4. Constat 2 Alph. & 13 plag.

Multis ab annis celebre est *Paschasii Quesnelli*, Presbyteri Oratorii Berulliani, nomen, quod cumprimis operibus Leonis M. editis, & convictu ac familiaritate cum Antonio Arnaldo summa illustravit. Hunc eadem, quæ Gabrielem Gerberonium, de quo proximo Junii mense p. 242 sqq. diximus, mansere fata. Cum enim alterum ejus cohortis, quam Jansenianam vocant, caput haberetur, multisque ab annis in Belgio, præsertim Bruxellis latitasset, jussu Archiepiscopi Mechliniensis captus, publiceque a Procuratore Curiæ Ecclesiasticæ accusatus, cumque effracto carcere abiisset, die decimo Novembris A. 1704 lata ab Archiepiscopo censura damnatus est, velut Jansenismi convictus, & excommunicationem commeritus. Ut hujus sententiæ causas nemo ignoraret, jussit eas Archiepiscopus hoc libro in lucem proferri, addito ingenti probationum numero.

Procurator in Præfatione de turbis hactenus in Belgio per varios libellos contra Episcopos excitatis conqueritur: ubi inter alia narrat, Petrum van Hamme, Presbyterum Congregationis Oratorii, ob disseminata talia scripta, ab Archiepiscopo Mechliniensi die 29 Octob. A. 1701 condemnatum; Gerberonium, Quesnellum, & Arnoldum Josephum Brigodæum, quem Quesnelli Secretarium vocant, die 30 Maji A. 1703 Bruxellis captos; & hunc quidem, postquam crimen fassus esset ac deprecatus, dimissum fuisse, præterea Nicol. Blanckart, Presbyterum Ordinis Begardorum, ejusdem fabulæ socium, Jansenismi causa damnatum esse, atque palin-

odiam die 3 Julii A. 1704 cecinisse, Quesnellum vero, nocte inter 12 & 13 Septembris A. 1703, effracto carcere aufugisse.

Sequitur Archiepiscopi Edictum citatorium, quo jubetur Quesnellus ad XXIX articulos respondere, die 13 Februar. A. 1704 publicatum. Atque in articulorum illorum probatione, per universum volumen Auctor se diffundit. ***Primum*** accusationis caput Quesnello exprobrat, quod, postquam jussu Superiorum Oratorii Berulliani, formulam Jansenianæ condemnationis subscriptione sui nominis approbare renuisset, e Gallia in Belgium aufugerit, ibique sub laica veste delituerit; quam in rem Acta Comitiorum Oratorii, Epistola Quesnelli ad P. Henr. Norisium, postea Cardinalem, aliaque hujus generis adducuntur. ***Alterum*** caput eo redit, quod in Belgio varias excitarit turbas. Nimirum quod Ægidium de Witte, Decanum Mechliniensem S. Mariæ trans Diliam, qui de Pontifice Romano irreverentius senserit, cujusque quatuor Propositiones a Facultate Theologica Lovaniensi damnatæ p. 23 recensentur, editis libellis quibusdam defenderit (quo loco asseritur, ea, quæ post annum 1687 sub Arnaldi nomine prodierint, vel eidem attribuantur, scripta, illo jam languescente, a Quesnello elaborata esse;) quod Patres Oratorii Montensis contra capita Ordinis in negotio Janseniano suscitarit; quod Duacenam Academiam, edita A. 1688 sub nomine Gery Apologia Historica duarum Censurarum Lovaniensis & Duacenæ, turbaverit; Jacobum Gilbertum, Theologum ejus Academiæ, A. 1687 a Parisiensibus Theologis Jansenismi causa damnatum (cujus censuræ formula p. 42 seq. exstat) nec non Fr. de Laleu, Rivettium, Lignium, aliosque Professores Duacenos, ob VII Propositiones Jansenismo affines, jussu Gallorum Regis ex Academia ejectos, & juverit, & defenderit, quorum ad Quesnellum & Quesnelli ad eos Epistolæ multæ, aut earum excerpta adducuntur; quod imperatæ ab Episcopis Belgis subscriptioni Formulæ Anti-Jansenianæ omnibus modis obstiterit, cumprimis vero contra Archi-Episcopum Mechliniensem libellum, *Tres-humble Remonstration*, ediderit; quod Ecclesias Fœderati Belgii, Romano Pontifici addictas, ad novandum constanterque in novationibus persistendum, & Pontificis decretis obsistendum animarit, Hugoni Heussenio, Ægidio Wittio, An-

Andreæ Schurio, Carolo Bontio, Guilielmo Prauwelio, Johanni Christiano Erkelio, aliisque clericis Hollandicis (quos in Pontificem contumaces & injurios, allatis eorum literis Auctor citat) amicus, consultor adjutorque fuerit; quod Archiepiscopi Sebasteni causa omnis ab initio ejus arbitratu gesta sit, in quo perstringendo Auctor p. 105 seq. multus hic est, plurimasque ejus & amicorum ac secretarii Donkeri Epistolas in ejus præjudicium publicat, ac novos Catechismos, usumque sacrorum, præsertim Missæ, in vernacula ab eo in Ecclesias Belgicas inductum conqueritur: quo loco utrumque Pontificis Decretum contra Sebastenum p. 127, 157, Breve Pontificis ad Clerum Hollandiæ p. 146, Cardinalis Paulucci Epistola lectu dignissima ad Sebastenum p. 158, nec non Quesnelli Consilium, quo Clero Hollandico suadetur, ut Decretis Pontificiis non obtemperet, p. 139 seq. inseritur, libellique pro Archiepiscopo Sebasteno hactenus editi p. 160 seq. sub censuram vocantur. *Tertia* accusatio Quesnello imputat, quod Mich. Baji doctrinam renovaverit, novæque operum ejus editioni faverit: *quarta*, quod Jansenii hæresin propugnaverit; quo loco celeberrimus Du Pin, ex Epistola quadam ad Quesnellum scripta p. 170, Jansenismi suspectus redditur, eaque accusatio p. 245 allato Pontificis contra illum decreto confirmatur; decretum Episcopi Aptensis contra notas Quesnelli in Novum Testamentum p. 178 seq. inseritur, idemque liber multorum omnino errorum, adductis ex eo locis variis, accusatur. Articulo V Quesnellus accusatur, quod Pontificis decretis in causa Jansenii latis detraxerit, tanquam fraude obtentis vel alteratis: Art. VI, quod jusjurandum *facti* Janseniani, ab Alexandro VII imperatum, exigere sacrilegum & toti Ecclesiæ injuriosum esse dixerit: Art. VII, quod post Breve & Decreta Innocentii XII contenderit, sensum formulæ Anti-Jansenianæ obvium non damnare sensum a Jansenio intentum: Artic. VIII, quod contra Alexandri VII declarationem propugnaverit, factum Jansenii, quod vocant, sub Innocentio X non fuisse examinatum: IX, quod publice dixerit, nondum advenisse tempus reddendi Jansenio justitiam, & illatam ipsi injuriam reparandi, minatusque sit, se Jansenii defensionem contra Clerum Gallicanum suscepturum esse.

Prolixissima est accusatio X, in quam fere omnia, quæ reliquis

liquis capitibus continentur, denuo relata sunt. Agit ea de factione Janseniana, ea præsertim, quæ Arnaldo auctore orta, ad nostra usque tempora per Galliam & Belgium serpat. Enarratis enim Arnaldi, Pascalii, Nicolii aliorumque veterum factis, Arnaldo in ea factione Abbatis, Quesnello Prioris, Ernesto Ruth d' Ans Canonico Bruxellensi Sub-Prioris nomen datum a sociis refert, Quesnellum vero, post Arnaldi obitum, præcipuum ordinis universi rectorem fuisse, singulis fere annis a sociis conventicula habita, & de communi causa actum esse (cujus rei exemplum aliquod, allato Conventus A. 1701 Mechlinii habiti Decreto, p. 264 datur) collectas pecuniarias identidem fuisse collatas, quibus præsertim Ludovicus Vaucelius, qui res Jansenianorum communes Romæ curaverit, & Jo. Libertus Hennebel, qui Jansenianorum Lovaniensium causam ibidem egerit, alerentur; data quoque sociis nova nomina, ut Arnaldus diceretur *Davi*, sive Davides, Quesnellus *Mr. de Fresne*, Vaucelius *Walloni*, quinimo Papæ etiam, Regi Galliæ, Cardinalibus & Ecclesiæ Præsulibus nova ab illis agnomenta in privatis literis data esse, quorum clavem p. 320 seqq. Lector inveniet, unde Procurator *undecimam* accusationem petiit. Cumprimis vero legi meretur Epistola Jansenianorum præcipuorum, ad Legatum Regis Galliæ Comitem d' Avaux A. 1684 scripta, quæ p. 256 exstat, in qua illi Regi Gallorum per Legatum pacis quasi conditiones obtulerint eo tempore, quo armistitium inter eundem & ejus hostes sanciebatur. Accusatio XII Quesnello imputat novam editionem libri, qui *Phantasma Jansenismi* dicitur, a Clero Gallicano publice condemnati: XIII, quod de damnatione Dissertationum suarum ad Leonis M. Opera, a Congregatione Cardinalium Indicis librorum prohibitorum publicata, contumeliosissime scripserit: XIV, quod literas in Pontificem Romanum, Cardinales, Episcopos, Regem Galliæ, & eum, qui nunc Hispaniæ Regnum usurpat, nimium quantum injurias ad alios dederit, & ab aliis acceperit; qua in re Procurator admodum prolixe versatur: XV, quod Senatum Regium Montensem, ob prohibitos publico Decreto, (quod p. 392 integrum datur) libros Jansenianos, indignis modis tractarit: XVI, quod proscriptos a Pontificibus Gerberonii libros dilaudaverit, auctoremque multis modis adjuverit: XVII, quod sedi-

tio-

tiosa Ernesti Ruth d'Ans, amici sui, scripta limaverit: XVIII, quod acriter invectus sit in eos, qui quadraginta Doctores Sorbonicos, propter notissimam ad Casum Conscientiæ Jansenianum responsionem, (quæ una cum Brevibus ea de causa a Pontifice scriptis, & plerorumque ex his palinodia, p. 404 seq. inseritur) damnarunt, iisque qui a pristina sententia discessere, perfidiam exprobrarit: XIX, quod Archiepiscopum Parisiensem, Cardinalem Noallium, versus quem summam publice professus fuerit venerationem, privatim cavillis variis perstrinxerit: XX, quod varia scripta prohibita hactenus ediderit, vel recudi curaverit. Adscribuntur autem Quesnello auctori, & hic & aliis locis, sequentes potissimum anonymi aut pseudonymi libri: *Novum Testamentum cum Notis Moralibus*, *Testamentum spirituale Arnaldi*, *Fides & Innocentia Cleri Hollandici*, *Causa Arnaldina*, *Defensio duorum Brevium*, *Status Academiæ Lovaniensis*, *Traditio Ecclesiæ Romanæ de Gratia*, *Apologia Historica Censuræ Lovaniensis & Duacenæ*, *Disciplina Ecclesiæ*, *Bubursius convictus*, *Justificatio Arnaldi*. Accusatio XXI ingeminat, multa Quesnelli scripta Romæ proscripta esse, v. gr. Observationes in Leonem, Apologiam Censurarum, Causam Arnaldinam, quædam etiam tortoris infami manu combusta esse: XXII urget, Historiam Congregationis de Auxiliis, cujus embryonem, ut ait, Serrius Dominicanus conceperat, a Quesnello expolitam, invitoque Senatu Regio publicatam esse: XXIII, eundem, dum in carcerem redigeretur, edendis aliquot libris prohibitis operam navasse: XXIV, Quesnellum edendi voluminis magni CLVI scriptorum Jansenianorum, consilium cepisse: XXV, eundem Arnaldo morienti Sacramenta secreto administrasse: XXVI, cum privata auctoritate in ædibus suis sacra fecisse: XXVII, eum & contemsisse excommunicationem, aliosque, ut eandem temnerent, docuisse: XXVIII, eum Decreta Pontificis contra libros novaturientes multoties sugillasse: denique XXIX, eum varia scriptis suis inseruisse, quæ Pontificum Bullis e diametro opposita sint.

Atque hæc singula potissimam partem ex schedis epistolisque in Quesnelli museo, cum caperetur, inventis, & mira copia hic adductis, nec non ex amplissimis librorum ejus excerptis probantur.

tur. Subnectitur Archiepiscopi lata A. 1704, die 10 Novembr. contra Quesnellum sententia; in qua, repudiata ejus protestatione, reus criminum hactenus recensitorum, & in excommunicationem delapsus pronunciatur, jubeturque, ut in monasterium aliquod Gallicum, agendæ pœnitentiæ causa, se conferat, atque ab omni in Diœcesin Mechliniensem reditu excluditur.

IDE'E GENERALE, &c.

i. e.

IDEA UNIVERSALIS LIBELLI, QUI SUB TITULO MOTIVI Juris Procuratoris Curiæ Ecclesiæ Mechliniensis contra P. Quesnellum editus est, auctore PASCHASIO QUESNELLO.

. . . . 1705, plag. 7, in 12 maj.

Audito Quesnelli accusatore, fas est eundem causam suam non deserentem, sed pro virili se defendentem, non prorsus negligere. Pollicetur ille prolixam ad Causam Quesnellianam Responsionem, cujus prodromum esse *Ideam* hanc vult, questus ante omnia in Præfatione, se nequaquam jure ut fugitivum tractari, cum injuste captus sit, forum Archiepiscopi legitimis rationibus recusaverit, Divinoque auxilio, cujus multa indicia recenset, sit liberatus. Inde in opella ipsa, testatus animum sorte sua contentum, adversariisque plane non inimicum, XIX enumerat Artificia, quibus accusationem istam niti, detectisque istis omnino everti opinatur. Nam I reticeri prorsus ait protestationem suam (cujus summam repetit) legitime contra forum Archiepiscopi, quippe sibi inimicissimi, factam, quæ cum ab arbitris repudiata sublataque non sit, ipso jure nullum esse ait, quicquid contra se Archiepiscopi nomine agatur. II dissimulari a Procuratore ait, quod sine antegressa facti informatione in carcerem redactus sit. III Romani Pontificis mandatum falso prætendi, neque per istud excusari Archiepiscopum posse docet, qui recusatus licet, & inimicitiæ erga se convictus, sententiam tamen ferre non destiterit. IV Adversarii sui probationes plerasque ex epistolis aliisque schedis vi sibi ereptis, truncatisque, & Jesuitarum manibus (professisque adeo inimicis suis) traditis peti-

titas esse monet, easdemque V maximam partem rejectaneas esse, & per plures adeo annos neglectas in scriniis delituisse, privatas denique & animi interdum causa aut sub fide amicissimi silentii scriptas; posse hoc pacto vel innocentissimum quemvis, si privata secretissimaque ejus scrinia expilare liceret, criminibus obrui; talia vero, cum cogitationum jure utantur, puniri non posse, nec ad humanam jurisdictionem pertinere. VI admonet, adversarium suum schedas istas sæpenumero male intellexisse, v. gr. quando voces jocosas in Gratiam a Nicolio recens inventam dictas, in Gratiam universalem, quam Jesuitæ defendunt, vibratas esse contendit; ubi VII addit, exemplisque probat, eundem ficta in schedis istis nomina interdum male interpretatum esse, atque inter alia Stephanum & Michaelem le Vassor confudisse. VIII & IX urget, quam plurima prorsus aliena, augendi voluminis seque vel mole ista opprimendi studio, Causæ Quesnellianæ inserta esse, ac præterea se suosque velut professos Ecclesiæ hostes, erga quam sint inviolabili reverentia, depingi, excitandi solum odii gratia. X eodem consilio seditiosas sibi voces imputari scribit, cum summa ubivis cum veneratione, Galliæ præsertim Regi, causas rerum exposuerit, inque præpotentium adversariorum præventiones, & ministrorum artes, culpam omnem rejecerit; falli sane vel optimos Principes, neque tamen ægre ferre, si ex errore revocentur. Addit XI ea, quæ inter Regem Gallicum & Vicarios Apamienses, jussu arbitratuque Pontificis, gesta sint, malitia cum insigni sibi & Jansenianis imputari; nec non XII Auctorem Causæ Quesnellianæ ipsum Regem Ecclesiamque Gallicanam, ejusque de auctoritate Pontificis doctrinam, audacter cavillari, damnatam seditiosamque nominare; quo loco Quesnellus infallibilitatem, quam vocant, Pontificis dudum ab Ecclesia, interque alios a Jac. Masenio Jesuita, repudiatam esse probat. XIII falso sibi imputatum affirmat, quod Paulum per omnia, & sine ulla subordinatione, Petro æqualem esse statuerit, atque hujus farinæ alia. XIV ad Cleri Hollandici causam se confert, maleque turbas istas sibi imputari contendit. Consilium, quod rogatus secreto dederit, se non nisi maxima cum circumspectione, planeque non ea intentione, ut sibi obsecundarent Clerici, qui Sebasteno Archiepiscopo adhærent, dedisse;

consilium vero, quod citra fraudulentum animum detur, consulenti damnosum esse non posse, quippe cum vel sanctissimorum consilia, (v. gr. Augustini, cum Bonifacio Comiti ingressum in monasterium dissuaderet) interdum male cadant. XV factionem sibi aliisque Arnaldi amicis injuste tribui affirmat; non alio se consilio, quam defendendi Augustiniani de gratia dogmatis causa unitos esse, parique jure Augustino, Prospero eorumque amicis factionis crimen inuri posse. XVI Brigodæum, quem male Secretarium suum vocari ait, excusat; XVII autem summa sibi injustitia adscribi dicit libellos quosdam, ad quos manu sua nonnulla corrigens aut ludens adscripserit, maxime vero postrema Ant. Arnaldi scripta, qui tertio vel quarto ante obitum die adhuc scribendis libris operam dederit. XVIII Vaucelii acta sibi inepte etiam imputari ait, eique ipsi multa injuste vitio dari, exemplis docet. Denique XIX adversarium loca quædam suarum in Novum Testamentum Notarum in sensum minus orthodoxum rapuisse conqueritur.

TRACTATUS DE JURE PRIMARIARUM PRECUM, Autore JOHANNE EHRENFRIED MAYERO U. J. D. Sacr. Reg. Majestatis Dan. Norweg. nec non Reverendiss. Serenissi. Abbatissæ Quedlinburgensis Consiliario.

Quedlinburgi, apud Th.Ph.Calvisium, 1704 in 4. Constat 14 pl.

Consultissimus Autor, à prima origine Jus primariarum precum repetiturus, initio rei Christianæ penes clerum & populum constitutionem ministrorum Ecclesiæ, neglectis summarum Potestatum suffragiis, fuisse, eumque constituendi modum adeo postmodum placuisse censet, ut Divinæ & Apostolicæ traditioni, i. e. eodem interprete, legi universali & immutabili, Cyprianus eum adscribere non dubitaverit. Ex quo autem Principes Christo nomen dederunt, cum universa rei Ecclesiasticæ cura, istam etiam juris sacrorum partem, jure quodam regulari eos sibi vindicasse; id quod exemplis nonnullis, ex Historia Romana, Francica, Germanicaque desumtis, Noster illustrat. Sed infelicibus Henricorum tem-

temporibus, jura Imperatorum, per Pontifices Romanos, fuisse imminuta, ut tamen illi reliquias aliquas, ex priori jure Regio circa sacra, quasi e communi naufragio, servarint, ad quas etiam pertineat Jus Primariarum Precum. Hujus igitur tum nomen, tum indolem, allata definitione, explicat Consultissimus Autor, illudque ex jure patronatus Regio, seu jure sacrorum repetit, adductis etiam aliis titulis minus principalibus, quales esse censentur jus patronatus vulgare, antiqua consuetudo, & advocatia seu protectio Ecclesiarum universalis. Postea rejicit titulos falsos, inter quos primo loco comparet privilegium Papale, ex quo Curiæ Romanæ assecla jus primariarum precum repetunt, quodque quatuor potissimum argumentis, a suprema Pontificis circa sacra potestate, Concordatis nationis Germanicæ, propria Imperatorum confessione, ac bulla quadam Pontificia, a Speculatore, ut ferunt, visa desumtis suffulciunt; quæ singula Noster diluit. Alii existimarunt, Imperatoribus primarias preces ex eo competere, quod olim fuerint Cathedralium Ecclesiarum Canonici; sed nec hæc sententia calculum Nostri meretur: quemadmodum ipsi nec illi probantur, qui superioritatis territorialis titulo jus hoc Imperatoribus vindicant; virtute tamen Regalium his illud attribui posse, amplius idem existimat, modo terminus ille recte accipiatur. Exposita Juris primariarum precum origine, Doctissimus Autor ad universam Germaniam, i. e. regiones, quæ adhuc Imperio Romano-Germanico subsunt, illud vim suam extendere docet, eamque doctrinam variis quæstionibus, in specie ea, an in Episcopatu Metensi, Tullensi & Verdunensi, idem adhuc effectum sortiatur? illustrat; cumque jus illud in quolibet collegio Clericorum, ubi antecessores hactenus id exercuerunt, Cæsari competat, ideo illud præscribi posse censet: non obstante vero hoc, vel simili impedimento, in Capitulis etiam Protestantibus Cæsarem illud obtinere, ostendit. Quibus ad liquidum deductis, cætera capita enarrat, adeoque de idoneitate Precistarum, de beneficiis Ecclesiasticis, Canonicatibus, Præbendis earumque varietate, de mensibus ordinariis & extraordinariis, de primariarum precum effectu, Cæsaris præsentatione, de communicatione hujus juris Cæsarei, adecque de primariis precibus Imperatricis, Regis Romani, Electorum

horumque Conjugum, nec non Vicariorum, fuse satis, inspersis etiam, pro re nata, documentis publicis, disserit.

MANUALE PROCESSUS IMPERIALIS, SIVE Compendiosa Introductio ad Praxin Augustissimi Judicii Cæsareo-Imperialis Aulici, in gratiam Studiosorum Juris, animum ad praxin Imperialem applicantium, revisa, variis additamentis, præfatione atque indice aucta, nunc primum prelo commissa a J. F. C. J. U. L.

Norimbergæ, apud W. Michaelem & J. Adolphum, 1704. 8.
Cõnstat $17\frac{1}{2}$ plag.

COnstat hæc Introductio duabus sectionibus, quarum prior causas Justitiæ, posterior Gratiæ exhibet. In illa ergo, præmissis generalibus quibusdam, de Processu tam Ordinario quam Summario, de Processu Appellationis, Materia Attentatorum & Mandatis eorum Revocatoriis, Relatione Actorum & Processu Expensarum, Protracta vel Denegata Justitia, & Remediis eam promoventibus, de Querela Nullitatis, Processu Mandatorum tam cum quam sine clausula, nec non de causis Pignorationum, Arrestorum & Fractæ Pacis publicæ, de Rescriptis, Processu Citationis, sive Simplicis Querelæ, & Citatione ex L. diffamari, Processu Summario, Commissionis scilicet tam Aulicæ, quam Austregalis, nec non Processu Informativo, de Remediis contra Sententias a Consilio Imperiali Aulico latas, Restitutione in integrum, & Revisione sive Supplicatione, ac tandem de Sententiarum Executione disseritur. In hac vero Requisitio Feudorum Imperii majorum & minorum, ut & Confirmatio Tutorum & Curatorum exponitur. Rei isti paululum illustrandæ, nonnulla adjiciemus. *Sect. I, c. 3* de attentatis agitur, quæ ex doctrina Nostri sunt, quando Judex aut pars appellata, post interpositam rite appellationem, ulterius in cognoscendo, decernendo, exequendo aut turbando progreditur. Quodsi igitur attentata ab appellante legitime probentur, tum Judex appellationis, per mandatum attentatorum revocatorium, eadem nulla declarat, simulque attentanti eorum, in certo termino, revocationem ac redintegrationem pœnaliter injungit. Hoc facto, si intra terminum excipiendo comparuerit attentans, &

& mandatum sub & obreptitie obtentum esse monstraverit, tunc hic punctus (sit venia termino forensi) attentatorum per replicas & duplicas, ut alius processus, ventilatur, & desuper eodem tempore, quo in puncto principali, sententia fertur. Si vero attentans nec attentata revocaverit, nec jus suum probabiliter deduxerit, tum Judex appellationis ulterius, & tandem etiam arctius mandatum attentatorum revocatorium sub pœna dupli, cum citatione ad videndum, se incidisse in pœnam prioribus mandatis insertam, decernere solet, & si nec huic paruerit, tum declaratio pœnæ, & paritoria, cum comminatione banni, subsequitur, & fiscus suum officium interponit. Aliquando ipse appellans attentatum committit, quo casu appellationem deseruisse, eique in totum renunciasse censetur. Quæ omnia quo eo magis intelligantur, Noster duplicem formulam, qua tam mandatum attentatorum revocatorium, quam mandatum arctius, cum reproductione mandati prioris, peti solet, subjicit. *Sect. I, cap. 5* exponitur appellatio ob protractam vel denegatam justitiam interposita. Quod si adeo justitia denegetur, solet decerni citatio contra partem ream, ut ad assumendam litem, in Judicio Imperiali Aulico, intra spatium bimestre, compareat, & si id negligat, sententia in contumaciam, uti in aliis processibus, pronunciatur. Ob protractam vero justitiam decernuntur promotoriales, quibus judici moroso tempus, ordinarie unius mensis, quandoque tamen, ob circumstantias relevantes, longius, ad justitiam administrandam præscribitur; quæ formulis necessariis Noster iterum illustrat.

THE HISTORY OF MAN.

i. e.

HISTORIA HUMANI GENERIS, SEU MIRAcula naturæ humanæ, respectu virtutum & vitiorum atque defectuum, variis exemplis tum antiquis tum modernis ex icata.

Londini, apud R. Basset & W. Turner, 1704. 8. Alph. 1, pl. 14.

Non est ut de hoc libello multis agamus. Saltem significamus, locos communes, seu, ut Naudæus loqui amat, tapantia illo contineri, exempla scilicet memorabilia, ad varia capita relata, & fide dignis veterum & recentiorum auctorum testimoniis roborata. Ne ta-

tamen nullum plane specimen e libro exhibeamus, pauca admodum
p. 14. inde delibare nobis visum est. Elegans & lectu jucundum est, quod de
Waltero Rawleigh, cujus celebre apud Anglos nomen est, refertur, quod eo primum gratiam Reginæ Elisabethæ fuerit promeritus, quod cum spatiantem forte, & ob cœnum in via objectum, gradum jam in aliam partem dirigentem observasset, confestim vestem splendidissimam humeris detractam in cœnum projecerit, ut recto tramite incedere commode Regina posset. Inde cum illi ad aulam accessus patuisset, fertur in loco quodam, ubi sæpius commorari Elisabetha consueverat, fenestræ hunc versiculum inscripsisse:

Fain would I climb, but that I fear to fall,

hoc est, *quam cupiam ad majora adniti, sed timeo, ne labar;* quibus lectis Regina illico rhithmum adjecit:

If thy Heart fail thee, don't climb at all,

id est, *si nihil audes, nusquam connitere.* Quæ verba animum illi addidisse putantur, ut inde facile ad altiora pervenerit.

p. 31. Inter humilitatis & modestiæ exempla præter alios recensetur Josephus
32. Hall, Episcopus Norvicensis, de quo refert, eum nunquam cuiquam ægre
fecisse, & dicere solitum, *stultum esse cum superioribus, dubium cum æquali-*
124. *bus, & abjectum ac sordidum cum inferioribus contendere.* Ad historiam
Leopoldi Imperatoris, nuper defuncti, pertinet, quod A. 1672 missus ex An-
glia Viennam fuerit legatus Bernardus Gascoign, qui Jacobo Duci tum Ebo-
racensi uxorem peteret Claudiam Felicitatem, Archi-Ducem Austriæ: at
cum rebus omnibus jam perfectis, & Legato reditum meditante, ipsa Augu-
stissima Imperatrix Margareta Theresia decederet, immutatam fuisse Cæsaris
voluntatem, Legatoque indicatum traditur, aliam quærendam Duci sponsam
128. esse, quod ipse eam ducere uxorem constituisset. Eidem Jacobo id dedit con-
silii frater Carolus II Rex, ne Pontificiam religionem in Angliam invehere ali-
337. quando tentaret; rem enim eam periculo plenam & plane impossibilem futu-
ram. Quanti intersit circumspecte in omnibus rebus agere, vel ex eo intelli-
gitur, quod celebris Angliæ poeta VVilmot, Comes Roffensis, cum a Rege Ca-
rolo II admonitus, ut sibi satyram adversus virgines aulicas compositam com-
municaret, per nimiam festinationem, satyram aliam, qua Regem ipsum pete-
345. bat, ei obtulisset, prorsus gratia Regis exciderit. Singulari humanitate conspi-
348. cuus fuit Thomas Cranmerus, Archi-Ep. Cantuariensis, quippe in proverbium
434. abiit: *si huic injuriam inferas, certus esse poteris, te ex eo statim tempore per o-*
mnem vitam habiturum faventissimum. Cæterum quæ hic de genio nationum suis locis habentur, digna forent, quæ a nobis transscriberentur, si locos communes colligere & ipsi cuperemus: etsi nec ipsa chartæ angustia, ut plura addamus, permittit.

* * * * * * * * *

N. X.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Octobris, Anno MDCCV.

JOHANNIS HENRICI BERGERI, JURISCONsulti, Regis Polon. & Elector. Sax. in Summo Provocationum Senatu Consiliarii & Antecessoris Vitembergensis, Enarratio L. 10. ff. de Jur. fisci & L. 2. C. qui & adv. quos in integr. rest. Accesserunt ejusdem operæ Academicæ novissimæ.

Lipsiæ, sumtibus Hæredum Lanckisii, 1705, in 4to.
Constant 1 Alph. 17 plag.

Duplici nomine se commendat eruditissima hæc Excellentissimi Autoris Commentatio, & argumenti dignitate, & tractationis præstantia. Leges enim, quas nobis exhibet, adeo gravium causarum momenta continent, ut vix in digniore opera Celeberrimi Viri occupari potuisset industria, & ipse in iis enarrandis tam erudite versatus est, ut feliciorem leges, quas commemoravimus, interpretem nancisci nequeant, cum & ingenii sublime acumen, & accuratam omnis Jurisprudentiæ scientiam, & assiduum rerum forensium usum, singuli fere ostendant paragraphi. Primum locum occupat Dissertatio de Jure Fisci in dubiis quæstionibus *ad L X Pand. de Jur. fisci*, quam Autor A. 1694 publice defendit. In hac cum nihil occurrat, quod non notatu sit dignissimum, tum imprimis juvabit ipsum de discrimine Steuræ & Cameræ §. 3 & 4, de dubio, ambiguo & obscuro, nec non de interpretatione quæstionum dubiarum §. 9 seqq. elegantissime disserentem audire. Sequuntur Casus varii, de quibus eas proposuit Excellentissimus Autor regulas: contra fiscum esse pronunciandum, si pri-

 vati

vatus de damno vitando & fiscus de lucro captando sit solicitus §. 14, pro fisco contra privatum, quoties is damnum aversatur, privatus lucro inhiat §. 17, si uterque lucrum intendat aut damnum fugiat, æquali fiscum cum privatis jure uti oportere §. 20 & 21; quas singulas & exemplis confirmat & legibus corroborat, hasque solicite, quoties thesibus obstare videri poterant, explicare, & in speciem pugnantes subtiliter conciliare studet. Ostendit deinde, qua ratione Modestinus in *d. l. X* debeat intelligi, variasque Doctorum, imprimis Fr. Duareni, Ant. Merendæ & Antonii Augustini rejicit expositiones §. *26 seqq.* Postea regulas antea propositas confirmat, & quartam imprimis contra Baldum ejusque asseclas, fisco nimium faventes, strenue tuetur, ac L. L. obstantibus *38 & 35 ff. d. Re Jud. l. un. C. de sent. adv. fisc.* solide respondet. Unde nec a jure dotium, nec ab Ecclesia aut a minoribus, quæ ad fiscum deducantur, argumenta valida esse monet *ib. 31-41.* Exempla quoque elegantissima suppeditat, quibus contra fiscum, tam in quæstionibus juris, quam facti dubii, pronunciandum monet. Ad causas juris controversi refert quæstiones: utrum filio hæreditate materna, quam adiit, per restitutionem in integrum iterum abstinente, ad proximos successores hæreditas, an ad fiscum pertineat? item de superfluo ex cessione actionis contra L. Anastasianam facta, quod alii fisco, alii debitori vindicant, cum Excellentissimus Autor utroque casu contra fiscum pronunciandum esse censeat. Quæstiones vero facti dubii quam plures attulit, ex materia delictorum & contractuum, probationum, testamentorum & aliis, quas singulas juvabit expendisse. Tandem an hactenus dicta ad vectigalium ac domaniorum causas quoque pertineant, dispicit, ac utrumque addita distinctione feliciter expedit. Jam ad alteram Dissertationem pervenimus, quæ *ad L. 2 C. qui & adv. quos* conscripta est; verum cum eam jam in Actis *Anno 1696 M. Nov. p. 518 L. B.* exhibuerimus, paucis saltem monendum erit, non *Thesi 38* tantum egregium supplementum, quo *Nov. 155 c. 1* explicatur, accessisse, sed integram quoque Dissertationem de restitutione in integrum ob reverentiam denegata, quam sub Autoris præsidio Leistenius *Anno XCV* defendit, esse additam. Restant Autoris nostri *Novissima Academica* i. e. *Sermo solennis ad*

De-

Decanum ordinis Philosophici in congressu Candidatorum adornatus, & *Oratio de Jureconsultis Academiæ Vitenbergensis*, qui proximo superiore seculo vixerunt, recitata *Anno 1703*, cum tertium Consulatu Academico abiret. Continet ea memorias omnium Jureconsultorum, qui ex eo tempore, quo primi secularis Academici instructa sunt solennia, per integrum seculum floruerunt. Exhibet uno intuitu elogia, vitas & scripta celeberrimorum Virorum, Zangeri, Lud. Personæ, Bartholomæi Reusneri, Luc. Becmanni, Hirsbachii, Franzii, Ben. Carpzovii, Erasmi Unruh, Val. Guilelmi Fœrsteri, Conr. Carpzovii, Jer. Reusneri, Gothofr. Reuteri, Grossii, Jo. Strauchii, Christiani Taubmanni, Crullii, Prætorii, Augustini Strauchii, Vackii, Godofr. Suevi, Coselii, Ritteri, Ziegleri, Klengelii, Lyseri, Nergeri, Martini, Ledereri, & qui nuper in vivis esse desiit, Ge. Mich. Heberi &c. Sed & ex Facultatis Juridicæ Assessoribus aliquos commemorat, quos inter Ritterum, Schulzium, ac Excellentissimum Lenzium Ser. Princip. Sax. Weissenfelsensis Vice-Cancellarium imprimis meritis extollit encomiis. Interjectæ sunt passim observationes eruditissimæ, ex quibus unam ac alteram saltem adjecisse juvabit. Ita p. 183 docet, *Henning. Wittium* falli, qui *Jo. Dauthium* inter Jurisconsultos Witenbergenses retulerit, cum is Lipsiæ quidem, non autem Witembergæ, publica autoritate Jura professus fuerit. Hirschbachii sub præsidio, Conradum & Benedictum Carpzovios Dissertationes de Regalibus, copiose ac erudite conscriptas defendisse, *p. 186* annotat, dumque in laudibus Augustini Strauchii occupatus est, felicitatem Jurisconsultorum Brandenburgicorum extollit, qui Academicis exercitationibus subacti in Aulas evocentur, & difficillima negotia feliciter procurent, quod Fuchsiorum, Rhetiorum, Spanheimiorum ac Coccejorum illustria satis ostendant exempla, eademque fortuna, quem diximus, Strauchium usum fuisse commemorat, cum Serenissimus Sax. Elector non modo gravissimis quibusque negotiis eum adhibuerit, sed & Ordinarii Præsidis munere in Academia Witenbergensi defunctum, sanctioris Senatus Assessorem esse voluerit. Sed quis singula in tanta rerum ubertate persequetur? Nos avidis reliqua Lectoribus relinquimus & ad aliud Excellentissimi Autoris opus, quod selectarum Observationum Forensium amplissimam exhibet copiam, accedimus.

JOH. HENR. BERGERI JURISCONSULTI ETC.
Electa Processus Executivi, Possessorii, Provocatorii & Matrimonialis.

Lipsiæ, sumtibus Hæredum Fried. Lankisch, 1705. in 4. Constat 2 Alph. 11 pl.

JUnctim nunc prodeunt in lucem Dissertationes quatuor elegantissimæ, quas proximis annis Illustris Autor proposuit, sed insignibus auctæ incrementis. Prior continet *Electa Processus Executivi*, in qua Autor primo diversitatem processus ordinarii & extraordinarii seu summarii evolvit, ac utilissimam §. *4* causarum patronis cautelam suppeditat, qua ratione in causis, ut vocant, summariis adversæ parti interrogatoria exhibendi occasionem præcidere valeant. Dein processus summarii duas constituit species, regularem & irregularem, monetque actionem hypothecariam, imo injuriarum æstimatoriam & recantatoriam etiam executivo, si res ita ferat, processu posse institui; cautelam tamen suppeditat actoribus, ne salutarem sibi semper credant summariam hanc experiundi rationem, cum in executivo processu nec probationi per testes, nec jurisjurandi delationi locus relinquatur. Postea requisita instrumenti guarentigiati tradit, negatque pro tali haberi posse obligationem impersonalem, in qua creditoris nomen haud sit expressum, aut quæ causam debendi, licet inter mercatores agatur, haut contineat, cuive addita sit clausula, *solvam quam primum potero*, cum ea id operetur, ut quis ad celerem solutionem adstringi nequeat. Ex instrumento tamen a tutore subscripto pupillum, debitoremque principalem a fidejussore, actione mandati executive conveniri posse docet. De obligatione mulieris sine curatore contracta, aut cui curator ex intervallo demum accessit, §. *12 seqq.* differit; mulieremque & sine curatoris auxilio ex mutuo obligari, & apocham conficere, ac ex omni contractu, cui curator ex post facto consensum præstitit, teneri existimat *dd.* §§. Instrumentum autem guarentigiatum quandoque posse subsistere, licet nec ab ipso debitore subscriptum subsignatumve sit, nec clausula *manu propria* ei adjiciatur, §. *20 & 21* addit. Hinc ad rationem tractandi causas executivas pergit, ac advocatum actoris jubet

bet esse cautum, ne responsionem aut litis contestationem ab adversa parte petat; reis vero suppeditat exceptiones, quæ adversus instrumenta guarentigiata locum habeant, ubi inprimis quæ de exceptione chartæ blancæ & implementi non secuti, compensationis item ac non numeratæ pecuniæ tradit, evolvi merentur. Denique de *processu cambiali* notabilia quam plurima affert, sententiamque ***Mandati Electoralis de exceptione solutionis compensationisve adversus cessionarium cambii non competente*** explicat. Subjicitur *programma*, quo Excellentissimus Autor ostendit, ad evitanda perjuria quandoque in processu executivo recognitionem per testes, contra Juris regulas admitti; quam sententiam summi Provocationum Judicii præjudicio corroborat. Altera Dissertatio exhibet *Electa Processus Possessorii*, ac observationum practicarum plenissima est. Pragmaticorum initio notat errorem, qui in possessorio, quod vocant, ordinario, summario processui locum esse negant, cum ipse, ratione processus, omne judicium possessorium censeat esse summarium, etiam in materia servitutum, licet Celeberrimus Schilterus eam exceperit, cujus rationibus Autor respondet §. 1. Summarium ergo possessorium tantum ratione causæ dici, in eoque tantum de possessione præsenti & momentanea retinenda, non de adipiscenda vel recuperanda agi, contra Carpzovium defendit §. 4. Dein modum procedendi in possessorio summarissimo explicat, ac in casu necessitatis summique periculi, citationem posse omitti monet §. 5. Cumque in eo vel per modum actionis in factum, vel per inhibitionem procedatur, varia circa hanc monita suppeditat, ac imprimis inhibitione pœnali ex pluribus capitibus decreta, si ea ex parte cassetur, ex parte confirmetur, integram tamen mulctam dictari, nec transactionem cum adversario inhibitum a pœna liberare monet, & utrumque summi Provocationum Senatus præjudiciis confirmat §. 6. Hinc qua ratione possessio præsentanea in rebus corporalibus & incorporalibus acquiratur, inquirit, ac possessionem libertatis naturalis quoque probatione indigere contendit; quam sententiam dudum placuisse Excell. Autori, ex Resolutionibus ejus Lauterbachianis potest constare. Sequitur elegantissima de Jure Cerevisiario digressio, ubi de jure coquendi, ven-

dendi, cogendi & prohibendi civitatum, de dimensione milliaris, de jure hospitationis, de pœna eorum, qui cerevisiam illicite vendunt, quam plurimas congessit observationes. *vid.* §. *12-19*. Postea observat, possessionem contra singulos acquisitam, non nocere universitati §. *20*; in summario possessorio naturalem possessionem sufficere, etiamsi non sit annua, licet ipse non diffiteatur annuam possessionem & a Lipsiensibus Jurisconsultis requiri, & eorum sententiam in summo Appellationum Judicio fuisse aliquando comprobatam, §. *21 sqq*. Actus possessorii requisita tradit §. *24*. Contra Principem non valere possessorium summarium, nec eorum satis certam esse sententiam, qui decennalem possessionem subditos tutos reddere credant, indicat §. *26*. Ubi ad modos probandi progreditur, ostendit in summarissimo possessorio rotulos Notariorum, non tamen depositionem generalem sufficere §. *30*. Jurisjurandi autem delationi æque, ac super exceptione spolii, locum esse tuetur §. *31*. Cæterum ex sententia Autoris remedium possessorii momentanei non competit ei, qui a possessione dejectus est, nec hæredibus, cum ad eos possessio ipso jure haud transeat *th. 33-34*, quibus possessorium ordinarium ac Paulianam actionem dari concedit *th. 35*. Tandem ad sententias definitivas processus summarii accedit, ac quo modo eæ rite concipi debeant, docet §. *38*; cumque monuisset, qua ratione victoria in possessorio a restitutione fructuum in petitorio liberet, contra sententiam de possessione in summarissimo judicio latam, nec leuterationi, nec appellationi aut supplicationi relinquit locum, additis tamen quibusdam limitationibus, quæ §. *45* continentur. Accessit, ne quicquam deesset operi, huic Dissertationi Exercitatio paraphrastica, quæ XII Leges priores *Tituli Pand. de Acquirenda vel amittenda possessione*, erudite interpretatur, ac singularum sensum, satis quandoque obscurum, feliciter eruit. Facile ex hactenus dictis L. B. poterit intelligere, qua ratione reliquæ Dissertationes, quæ *Processus Provocatorii & Matrimonialis Electa* continent, conscriptæ sint. Quare sufficiet nobis saltim aliquas observationes selectas ex iis excerpere, quarum uberrima se ubique offert copia. *In Dissertatione* igitur *Illtia* docet, provocationem ex *L. diffamari*, ob injurias verbales simplices frustra ab imperitis Advocatis suscipi, multo minus

nus eam cum actione injuriarum cumulari posse *th. 12. 13.* Remedium dictæ Legis coram quolibet judice posse institui, diffamantis vero arbitrio relinqui, quo in foro actionem principalem velit movere, *th. 20 & 22. In Th. 31* Carpzovii, Ziegleri aliorumque rejicit sententiam, qui diffamante per contumaciam emanente in primo termino, saltem responsionem simpliciter *bey Straffe Ungehorsams* injungendam censent, monetque eam statim sub pœna perpetui silentii posse imponi. Quæ de termino duplicato, intra quem actio principalis institui debeat, Doctores vulgo tradunt, ea sine Lege dici, adeoque a Judice negligi posse asserit *th. 35.* De provocatione ex *L. si contendat*, rite instituenda legi merentur, quæ §. 48 Autor disserit, qui itidem monuit, contra eum, qui instrumentum guarentigiatum habet, dictam provocationem non admitti. Ex *Electis Processus Matrimonialis* observare licet, eum qui consobrinam stupravit, non teneri ad eam alendam, cum ipsa stupratoris uxor fieri nequeat, *th. 9.* Consistoria Ecclesiastica partes litigantes, quæ sub civitatum aut nobilium jurisdictione sunt, mediate, suppressa tamen clausula in subsidium, in præfecturis autem immediate in jus vocare, *th. 13 & 14.* Minorem & mulierem, in causis matrimonialibus, personam standi habere in judicio, hanc quoque, si ob stuprum actionem ad matrimonium ineundum aut dotem constituendam moveat, non vero si alimenta infantis nomine petat *th. 17 sq.* Oblationem ad jurandum non esse necessariam, sive juramentum contra matrimonium, sive pro matrimonio sit præstandum, *th. 37* ostendit. De jurisjurandi delatione in actione matrimoniali, prolixe agit *th. 23 seqq.* Processum vero desertorium accurate describit *th. 50 seqq.* Sed nos pluribus hisce non immorabimur, cum selectarum Quæstionum ac Observationum Practicarum tantam ubique deprehendamus copiam, ut, si potissimas tantum persequi ac commemorare velimus, verendum foret, ne nimium excresceret ac instituti nostri metam excederet oratio. Quare ad ipsum opus præstantissimum B. L. ablegamus, ac paucis tantum monemus, adjectam esse Electis his Processus Executivi, Possessorii, Provocatorii & Matrimonialis, *Disquisitionem Quousque Actori Reove in foro Sax. Elect. liceat deferre Jusjurandum?* In hac Autor actori etiam super replica ac articulis elisivis, & post

li-

litem a reo non recte aut eventualiter tantum contestatam, potestatem facit reo deferendi jusjurandum, huic vero, si negative litem contestatus sit, omni tempore licentiam utendi delatione juramenti largitur, etiam postquam articulos reprobatorios obtulit in ipso termino productionis aut recognitionis, sin affirmative litem fuerit contestatus, usque dum ei injuncta fuerit exceptionum probatio, aut ad eas probandas ipse se obtulerit, potestatem hanc ipsi esse salvam existimat. Quæ omnia plenius est persecutus, variisque ampliationibus & limitationibus, observationibus, cautelis ac consiliis exornavit illustravitque. Quod reliquum est, cum præsentes commentationes satis ostendant, quam dextre, accurate ac feliciter Excellentissimus Autor, in discutiendis dijudicandisque causis forensibus versetur, *Electa Processus Ordinarii*, quorum in præfatione spem fecit, cum iis, qui eruditissimos ipsius labores suo pretio æstimare norunt, avide expectamus.

CONFORMITE' DE LA FOY AVEC LA RAISON.

h. e.

FIDEI ET RATIONIS CONSENSUS, VEL Religio defensa contra præcipuas objectiones in Lexico Historico-Critico Petri Balii sparsim obvias. Autore J. JAQUELOTO.

Amstelæd. apud H. Desbordes & D. Pain, 1705. 8.

Constant Alphab. 1 plag. 5.

IN duas partes abit hoc opus Autoris de Religione Christiana optime meriti, cujus alia quoque ejus generis scripta in Actis
c. II. III. nostris recensita inveniuntur. In primæ partis limine, statim brevis repetitio instituitur argumentorum, alibi ab ipso Viro clarissimo,
c. IV. ad demonstrandam existentiam Dei, fuse magis deductorum. Inde de natura Religionis in genere agit, quam fœdus Dei cum homine definit, quo bonis præmia, pœnas improbis, ex infirmitate lapsis per pœnitentiam remissionem criminum polliceatur. Utque ejus indoles clarius patescat, primo Deum ab hominibus exigere obsequium, illudque ipsas promissiones Dei supponere, probat; inde Deum peccata infirmitatis tantum condonare, majora
c. V. punire, resipiscentibus dare veniam. Porro quid Scriptura de

Deo

Deo nos doceat, ostendit, & quæ revelatio ad religionem pertinentia alia suppeditet, de fide nempe, de merito & efficacia mortis Christi, de Divinitate ejus, & denique de S. S. Trinitate. c. VI. c. VII. VIII. Quibus fundamentis religionis Christianæ breviter repetitis & variis observationibus illustratis, ad id jam accedit, ob quod cum maxime ille scriptionis labor ei fuerat susceptus. P. II. c. I. Atque primo quidem difficultates examinat, quas in historia creationis deprehendisse sibi videntur ei, quos impugnandos sibi sumsit. Monet hic ante omnia, stabilita semel revelationis veritate, scrupulos hujusmodi neminem jure ad Pyrrhonismum solicitare debere. Deum item non Philosophorum vel oblectandis vel instruendis ingeniis, sed salutis avidorum, qui simplices magnam partem sint & indocti, animis informandis historiam illam consignari voluisse. Indeque I. neminem offendere debere colligit divisionem Mosis rerum conditarum in cœlum & terram, quæ similis visa antagonistis divisioni maris in guttam aquæ & oceani, cum vulgares nonnisi conceptus, sensus maxime ferientes, hic sequi voluerit. II. Nec mirum esse, terræ creationem inprimis describi, quæ sensibus usuique nostro maxime sit obnoxia; magnorum corporum cœlestium obiter, & in tantum, in quantum terræ huic ministrant, mentionem fieri. III. Nec illud absonum, quod mane & vesperæ, dierumque adeo mentio fiat, antequam luminaria cœli condita essent: vel enim spatium tantum temporis intelligi, ei, quod inter Solis ortum & occasum intercedere solet, æquale; vel uti Mosen tantum ista φράσει, ut realem distinctionem & διάστημα inter creationem diversorum operum indicaret; vel denique Mosen ita tantum opus creationis per sex dies distribuisse, ut ad legalem dierum Heptadem aliquam relationem haberet. c. II. Difficultates porro succedunt contra œconomiam veteris Testamenti & leges rituum, fœdusque unicæ familiæ concessum. Quod inconveniens non videtur Autori propterea, quod Deus creaturam rationalem & liberam male viribus suis naturalibus usam, libertati suæ inde permittere potuerit. Nec inde ullam vel injuriam in ceteros homines redundare, vel aliquid a ratione alienum committi, quod nobilioris finis causa cum Abrahamo & posteris fœdus Deus iniverit. Ceremonialem vero cultum Deo non indignum esse, cum ille totum mundum occupaverit, memoriam beneficio-

rum Dei conservaverit, & cum *Spiritu*, h. e. arcano mysteriorum Novi Fœderis sensu fuerit conjunctus. De libertate hominis in sequentibus diligenter agit, putatque pugnam rationis & affectuum luculenter probare arbitrii libertatem; sine ea enim affectum, semel occupato animo, libere dominio suo fruiturum. Sed nescio an attenderit, motui etiam mechanico motum contrarium dari posse, vincereque denique alterum, sed non sine alterius nisu in contrarium. Sic arbor a vento concussa naturali tamen inclinatione contrarias petit partes, motui motu contrario, sine omni tamen libertate. Dubii circa origines mali moralis solutio eo redit, quod abusus perfectionis maximæ, qualis est libertas, Deum jure impedire non potuerit, quo minus creaturam perfectione tanta gaudentem conderet. Difficultatibus circa malum physicum, afflictionesque hominibus innocentibus, infantibus, ipsis quoque brutis animantibus ægre haud raro facientes, itemque circa æternitatem pœnarum, quæ post vitam subeundæ sint, ex communibus fere fontibus solutiones petuntur. Inde vero imprimus quæ in favorem Manichæorum a Cl. Bælio prolata fuere, item quæ ad demonstrandam fidei & rationis pugnam attulit, & de necessitatis cum libertate convenientia, nec non de prædestinatione, sub examen revocantur. Ex illis deligamus controversiam de rationis & fidei pugna, ut eo specimine indoles hujus scripti rectius innotescat. Hic itaque primo summum Autor exaggerat periculum doctrinæ rationem fidei contrariam statuentis, atque adeo naturæ humanæ fidem amplexuros renunciare cupientis; quod absurdum pariter atque impossibile esse ostendit. Inde de omnibus dubitari nec posse nec debere ostendit: esse enim res, in quibus ratio clare & sine metu erroris pronunciet: esse alias, quæ assensum ejus suspendant: alias denique, quas certo sese ignorare noverit. Ut absonum itaque est præcipiti judicio ferri, ubi vel dubites vel ignores, ita non minus esse inconveniens Pyrrhonismum sequi in omnibus. Mirum porro esset, & indignum plane, velle Pyrrhonismum religionis superstruere principiis, atque istis illum stabilire: quasi quæ rationi evidentia sint, religio tollat, atque omni in rebus certitudini destruendæ inserviat: cum tamen summa harmonia sibi invicem religio & ratio respondeant, seque mutuo sustineant.

c. III. IV. V.
V.
c. VII.
c. VIII. IX.
c. X.
c. XI.

neant. Primo nempe rationem inservire cognitioni argumentorum, quibus veritas religionis demonstratur, ut disponatur mens humana ad obsequium autoritati Divinæ præstandum, quod gratia sine ratione nunquam persuadeat. Neque secundo rationem, stabilita Scripturæ autoritate, penitus cessare: quæ verosimilitudinem difficultatemque rerum revelatarum apprehendat, & cui istud exercitium circa veritatem verosimilitudinemve rerum revelatarum, nec adimat autoritas Divina, nec ejus natura adimi patiatur. Tertio aliis etiam in rebus, quæ a ratione unice dependent, id quod semel verum est & evidenter probatum, veritatem suam retinere, licet consequentiarum series ad res incomprehensibiles nos deducat. Sic enim materiæ divisibilitatem in infinitum, rem summæ evidentiæ & certissimæ veritatis esse, quamvis concipi non possit, partes arenulæ numero æquare partes totius universi. Quarto perceptionibus nostris attendendum esse, ut gradum certitudinis in iis recte cognoscamus. Unicam vero regulam, ex qua certi de nostris perceptionibus reddamur, esse claritatem earum. Cum vero sæpe pro claris habeamus, quæ clara non sunt, videndum esse, an superficiem tantum rei, an interiora quoque cognoscamus, & an aliquid in iis ignotum tanquam notum supponamus: porro item an illud, quod incertum est in re & ignotum, id, quod certo de ea nobis innotescere videtur, destruat, an minus. Quod si non faciat, relinqui alteri illi suam certitudinem, neque ad Pyrrhonis castra esse fugiendum. Porro dari res ita differentes, ut nihil invicem habeant commune, quas *diversas* dixeris simpliciter, quarumque differentiæ causa nulla alia sit, quam quod una non sit altera: sicuti soni v. g. & coloris diversitas aliter explicari non possit. Alias *contrarias* esse & sibi *oppositas* invicem, quarum contrarietatis ratio ex indole earum reddi possit: qua ratione lineæ rectæ curva opposita sit, quod hæc non, sicut illa, a puncto ad punctum per brevissimum, quod interjicitur, spatium procurrat. Denique claritatem idearum nostrarum ex eo cognosci posse, si aliis usu rationis pollentibus explicatæ, eodem ab illis modo, quo a nobis, apprehendantur. Hisce regulis jam putat Autor nos dirigi posse, quousque in dubitando procedere, quando in propositione tantum probabili acquiescere, quando denique certi plane

 &

& convicti esse debeamus. Quantum vero ad autoritatem infallibilem, sufficere, si clare sensus ejus percipiatur, ut penitus illi obsequamur, cum in eam nec error cadere possit, nec impostura.

Jam istam methodum potioribus capitibus religionis applicandam censet. Certis nempe nobis de sensu verborum Divinitus revelatorum, autoritatem Dei præcipuum persuasionis nostræ esse fundamentum, quæ nullum dubium possit admittere infallibili Spiritus Sancti testimonio nixa. Hoc tamen non impedire, quo minus ratio examinet, cognoscat, explicet veritatem decisionum fidei, non ut si comprehendere non possit, rejiciat, sed ut uniat se cum fide eique se jungat, verum esse experta, quod fides ipsi proponit. At credere clarissimum Bælium, atque in iis quæ de Pyrrhone disseruit, & ad defendenda ea postea attulit, tueri, rationem ejusque evidentissima principia in tali examine revelationi semper adversa esse. Quod aliter se habere, inductione facta Autor monstrare conatur.

Primo Deum esse unum solum, colendum, atque fiducia prosequendum, docere Scripturas: ei vero rei rationem contradicere, ne ipsum quidem clarissimum Bælium affirmaturum. Revelationem mundum ex nihilo a Deo conditum nobis sistere: rationem ad assensum præbendum inclinari, tum quod verosimile hoc sit ipsi, tum quod a variis dubiis eam liberet; quorum utrumque fusius demonstratur. Animæ immortalitatem a revelatione adstrui: nec eam rationem destruere, quæ spiritualem naturam ex partibus compositam non esse, nec adeo in eas resolvi, Dei vero sapientiæ, ut eam annihilet, parum conveniens esse, agnoscat. Nec quidquam hic opponi posse, nisi dicamus, spiritualem naturam rationem non admittere: id quod dici non posse, paulo fusius Autor probat, ostendendo ipsam rationem sibi non facile persuadere, ut vitam, motum, cogitationem materiæ tribuat, & pro iisdem habeat rem cogitantem & materiam, quæ diversorum generum esse deprehendat, inque iis omne, quod in talibus rebus exigi potest, diversitatis fundamentum, juxta superius dicta animadvertat. Parti morali religionis rationem non contradicere, quin potius hanc clarissime æquitatem præceptorum Divinitus allatorum confirmare.
Ab

Ab articulo de Trinitate non destrui rationem, maleque ex eo contra rationem inferri, quod *tria unum sint*: ut enim ista *contradictio in adjecto* ex articulo de S. Trinitate consequatur, necesse esse, ut vox *persona* in hoc mysterio naturam unam & singularem notet, separatam & distinctam ab omnibus aliis, prout significat quando de creaturis usurpatur. Cum vero id sibi non velit in abstrusissima hac doctrina, dici etiam non posse, quod ex ea sequatur, *tria esse unum*. Mysterium porro incarnationis non destruere essentialem proprietatem corporis animique humani, quæ est componere unam personam, licet humana Christi natura propria, ut loquuntur Theologi, ὑποςάσει destituta, subsistat in ὑποςάσει τῦ Λόγυ. Nempe clarissimo Bælio, contradictionem cum evidente rationis principio hic admittenti, solam vocem *personæ* offendiculo fuisse. Quod ut removeatur, observat Autor, quod si corpus fingamus exanime, mechanice tamen motum, omnesque functiones suas obiens; illud quidem *personam* non fore, intellectu quippe destitutum, bene tamen *suppositum*, ut quod ipsum sit *principium*, prout in scholis loquuntur, *activum*. Simili modo si fingamus animam corporis exsortem, cogitantem; eam, ut quæ intelligat, *suppositum* fore *personale* sive *personam*, quippe quæ sit principium rationale. En igitur, pergit Autor, *duo supposita*, quæ Deus ita unit, ut *unum suppositum* vel *unam personam* constituant. Quid magis jam rationi adversum in unione hypostatica? Divina natura unitur humanæ, omniumque actionum humanarum & rationalium directionem suscipit, quæ pertinent ad exercitium mediatorii officii; quemadmodum anima humana *diversi suppositi*, corporis nempe, directionem suscipit ita, ut actiones illius voluntati hujus sint obnoxiæ. Atque adeo eodem jure, quo anima & corpus conjuncta, *unum suppositum* sunt, *una persona* etiam dicentur divina & humana natura, vinculo unionis invicem conjunctæ.

Verum jam satis speciminis. Hoc optandum, ut clarissimus Autor ipsos clarissimi Bælii discursus κατὰ πόδα lectoribus suis repræsentare, & accurata analysi instituta, quid imbecillitatis ratio in eis ostendat, quid speciei ingenium & eloquentia ipsis conciliaverit, ostendisset. Verendum enim, ne lectores sic satis bene instructi a lectione hujus libri sibi visi discedere, ubi in ipsum opus

Bælianum inciderint, lumine ingenii ejus, & quæ pene singularis ipsi est, vi dicendi quasi attoniti, denuo constrictos se sentiant atque impeditos.

Appendicis loco huic opusculo breve *de anima & libertate* subjicitur systema, melius dilucidandis iis, quæ contra adversarium suum in ipso opere disseruerat clarissimus Autor, inserviens. In eo primo adstruitur, quod anima se spiritualem esse sentiat, quodque cum iis, quibus aliter videtur, controversia de vocibus tantum sit, ut qui id, quod nos spiritum vocamus, corpus novæ plane atque ignotæ speciei adpellitent. Inde ostenditur, animam cognoscere seipsam atque existentiam suam, atque adeo aliquid a seipsa sine objectorum externorum percipere subsidio. Discrimen porro intellectus & voluntatis & relatio ad corpus explicatur, in quo organorum rectam dispositionem ad exercitium facultatum animæ requiri ostenditur. Animæ per rectam dispositionem corporis obfirmatæ quasdam propositiones occurrere insito suo quasi gaudente lumine; ut oculo occurrunt objecta quædam suum lumen habentia eoque ipsum illustrantia, quæ statim cognoscantur. Aliter se rem habere cum aliis, quæ obscuriores sint, & quibus lumen proinde ab animo quasi sit accendendum. Ad primum genus spectare v. g. omnes consequentias, quæ deducuntur ex conceptu existentiæ, quales sint, quod non ens agere non possit, quod impossibile sit idem simul esse & non esse, quod numerus binarius bis sumtus quaternarium conficiat, &c. Propositionum posterioris generis lapidem lydium esse regulam: *quicquid omnibus rite expensis clare & distincte percipitur, illud verum est.* Perceptiones dari posse sine omni corporum intercursu, falsumque esse, quod nihil sit in intellectu, quod non prius in sensu fuerit. Animam non posse non desiderare, quæ pertinere ad felicitatem suam cognoverit, & aversari contraria, hancque esse voluntatem. Bona ad felicitatem spectantia vel corpus respicere, vel animum, eaque sibi invicem subordinata esse ea proportione, quæ intercedit inter dignitatem corporis & animi. Virtutis esse, hanc subordinationem tueri & observare. In volitionibus concurrere cogitationem, quæ repræsentet aliquam propositionem, & imperium ad agendum determinans, in quo sit velle & non velle. In hoc jam esse libertatem;

tem; quæ ut rectius cognoſcatur, obſervandum eſſe primo, quod cognitio, quam habemus de nobis ipſis, efficiat, ut amor proprius & emolumenta privata ordinarie voluntatem determinent, nihil inde detrimenti accipiente libertate; certe enim in talibus conſenſum animi absque controverſia inveniri. In aliis cognitionem non eſſe æque claram, in iis cura opus eſſe & prudentia, quo recte utamur libertate. Controverſiam, an libertas conſiſtat in eo, ut faciamus, quod faciendum eſſe judicamus, an vero conſiſtat in eo, ut faciamus quod volumus facere, de vocibus eſſe, non de re ipſa. Non autem conſiſtere in indifferentia libertatem; hanc enim, cum rationalis ſit homo, nonniſi ex profunda poſſe procedere ignorantia: penitus vero ignorantem, vel plane non agere poſſe, vel non niſi ſtolide, actionemque ex mera ignorantia profectam eſſe nec humanam, nec liberam. Nec tamen etiam libertatem abſolvere unice judicium animæ, quo æquam eſſe juſtamque cenſeat actionis alicujus perpetrationem omiſſionemve. Si ita enim res ſe haberet, hominem in perpetuæ vacillationis ſtatu fore, nunc hanc, nunc aliam, prout diverſam ab objectis acceperit impresſionem, inchoantem actionem. Non neceſſario itaque hominem determinari a rationis judiciis, ſed libere ſecundum judicia rationis, ſecundum quæ ſe ad actionem determinavit, procedere. Optime denique libertatem ejusque indolem monſtrari, ex conſideratione actionum quarundam hominis imperiique animi in corpus. Evidens itaque eſſe, in rebus, ubi affectus & commodum privatum voluntatem non abripiunt, nos facultatem habere libere in mentem revocandi ideas, ad veritatem aliquam inquirendam pertinentes. Sentire nos eandem libertatem in approbando præjudicio quocunque contra rationis dictamen; libertate enim niſi frueremur, ſemper rationis dictamen prævalere neceſſe eſſe. Eandem nos experiri, ubi inter virtutem vitiumque medii conſiſtimus, atque vel illam vel hoc ſequimur; & magis etiam in actionibus corporis indifferentibus, animi nutum ſequentibus, v. g. brachii extenſione, oculi occluſione &c. Quod ipſum ut quomodo fiat explicetur, Autori nec illuſtris Leibnitii placet hypotheſis, nec *cauſarum occaſionalium* ſyſtema, ſed optime hæc receptam magis in ſcholis doctri-

ctrinam explicare putat, quæ statuit Deum, qui essentiam existentiamque rebus largitus est, facultates quoque eis concessisse, per quas naturis suis convenienter valeant operari: animamque adeo etiam, ad animandum dirigendumque hoc corpus conditam, potentias quibus id præstare possit, nactam fuisse. Firmatur id aliquot rationibus, nec obstare dicitur, quod modum non assequamur, quo spiritus in corpus operetur: sufficere enim, quod de re constet. Cetera hanc hypothesin pluribus difficultatibus solvendis aptissimam esse, quibus nec illustris Leibnitius, nec causarum occasionalium patroni se facile possint extricare.

AUGUSTI BUCHNERI ORATIONUM ACADEMICARUM Volumina tria. Quorum primum Panegyricas, secundum Festas, tertium nunc primum editum Literarias continet. Subjuncta est huic Editoris M. JOH. JAC. STUBELII, Illustris Scholæ Misnensis jam Rectoris, Oratio de Exscensionibus nocturnis Alumnorum Electoralium, & Buchneri Autoris Vita per eundem descripta.

Francofurti & Lipsiæ, apud Godofredum Leschium, 1705, in 8.

Constant Alphab. 2, & plag. 19.

QUomodo commendatus pridem a nobis fuerit meritissimus de politiore literatura vir, *Augustus Buchnerus*, inspicientibus annum Actorum Eruditorum 1683 p. 147 & seqq. patet; ubi cum recensendum fuerit Volumen II. Orationum, *Festas* continens, a *M. Joh. Jacobo Stübelio*, Rectore tum designato Scholæ Annæberg. nunc Rectore constituto Illustris Afranei, ex arrosis fere chartis in lucem productum, hoc tempore occasio suppeditatur, cæteras etiam orationes Autoris illius incomparabilis enarrandi, dum idem Editor Clarissimus partes Orationum ejus tres in unum compegit volumen, in forma librorum octava, juventutis commodo emissum. Earum Pars III nunc primum cura ipsius publico data, & dedicatione diserta Ephoris Generosissimis Illustris Afranei Lycei, Domino *Centurio a Miltiz*, & Domino *Joachimo Dieterico Bosen*, inscripta est. Quia vero parte prima comprehensas Panegyricas &

& funebres nondum indicavimus in Actis nostris, non alienum erit, eas nominare, antequam tertia ista inclusas ordine percurramus. Dicta Panegyrica I. est a Gustavo, *Gustavi Adolphi* Suecorum Regis filio, huic ipsi Suecorum Regi, ob partam A. M DC XXXI Lipsiensem victoriam. II. Ob eandem victoriam a Buchnero ipso recitata VII Idus Sept. A. M DC XXXIII. III. Electori Saxonico D. *Joh. Georgio* I. dicta, ob ejus adventum A. M DC XLVI. IV. Eidem A. M DC XLIIX, cum climactericum magnum feliciter superasset. V. Eidem, ipsis exequiarum solennibus A. M DC LVII. VI. Ejusdem Viduæ, Dominæ *Magdalenæ Sibyllæ*, ipso exequiarum die, A. M DC LIX. VII. Ad D. *Joh. Georgium III*, cum Parentem Serenissimum lugeret, ac novum Principatum auspicaretur. VIII. Ad eundem Electorem, cum a Comitiis Ratisbonensibus rediisset. IX. In excessum *Henrici* Sen. L. Bar. a *Frisen*, Elect. Sax. in sanctiore Senatu Consiliarii, cancellorumque ac in Appellat. Curia Præsidis A. M DC LX. X. *Friderico Metschio*, S. Rom. Imp. Thesaurario, & Saxoniæ Electori a Consiliis sanctioribus, nec non in Appellationum Curia Præsidi, A. M DC LVI. XI. Memoriæ *Pauli Roberi*, SS. Th. D. nec non Ecclesiæ Wittebergensis & cæterarum Circuli Elector. Saxonici Superintendentis A. M DC LI. XII. Memoriæ *Dan. Sennerti*, Medici A. M DCXXXIX. XIII est Allocutio alterius nomine scripta A. M DC XLIX ad Imperatorem *Ferdinandum III*. Sequuntur has funebres orationes numero XXIX breviores, e quibus potiores tantum referemus, quales sunt I. dicta in funere D. Balthasaris *Meisneri*, II. in fun. D Friderici *Balduini*, III. in fun. D. Wolffgangi *Franzii*, IV. in fun. D. Benedicti *Carpzovii*, V. in fun. D. Johannis *Strauchii* J. U. P. VI. in fun. D. Godofredi *Reuteri*, VII. in fun. D. Tob. *Mævii*, VIII. in fun. Joh. *Blumii* J. U. D. IX. in fun. Mauritii *Blumii* Med. D. X. in fun. D. Danielis *Sennerti*, XI. in fun. Ambrosii *Rhodii*, Mathes. P. P. Cæteræ pleræque in funeribus studiosorum aut fœminarum adolescentiumque ac puerorum sunt habitæ. Merentur tamen adhuc memorari XXIV, quæ est gratiarum actio dicta post funerationem Leonh. *Hutteri*, Theologi, & XXIX, qui sermo est ad exequiatores post funerationem Erasmi *Unruhii* Jurisconsulti habitus. *Festæ* reperiuntur loco a nobis supra citato. *Tertiæ Partis*

Orationes *Literarias* vocari placuit, quod pleræque rem literariam spectant. Prima quidem de *Eloquentia* egit, cum Buchnerus Johanni *Avenario* successisset. II. *De Papismo cum Ethnicismo comparato*, cum Rectoratus fasces D. *Franzio* traderet. III. De *Exercitatione Styli*, pronunciata a M. Keimanno. IV. *Ad præcedentem* ipsius Buchneri *responsoria*. V. *Knispelii* Magistri novi de *Catonis Distichis*. VI. *De iisdem* Buchneri. VII. De *Literarum Periodis*. VIII. De *Simplicitatis* & *Gravitatis vocabulo e Plinii Panegyrico*. IX. Lectioni *Annalium Taciti*, X. Prælectioni *Cornelii Nepotis* præmissa. XI. Est declamationi gemina, qua exponitur, *quid Carolus I Britanniæ Rex loqui potuerit*, *lata in se sententia ferali*. XII. Complectitur ea, quæ nobilissimus autor dixit, cum Decani Collegii Philosophici partes sustineret. His subjunxit *Stübelius* editor orationem quandam a se ipso compositam & recitatam, cum adhuc Conrectoris munere in Misnensi schola illustri fungeretur, qua *Exscensiones alumnorum nocturnas* reprehendit.

Totum opus ornatum addita *Augusti Buchneri Vita*, *per eundem uberius descripta*. Cujus recisam & arctatam, ut Priolus historiam suam vocat, epitomen hic dabimus. Nactus est ille Dresdam patriam, ubi natus Prid. Kalend. Novembris A. MDXCI e familia nobili & antiqua, reique militaris ac pyrotechnias peritia valde inclyta. Patre gavisus est *Paulo Buchnero*, Principibus maximis, Sabaudiæ Duci, Daniarum Regi, ac Imperatori *Rudolpho II* æstumatissimo, & ab Electoribus Saxonicis *Augusto*, *Christiano* I & II tormentariæ rei ac fabricis præesse jusso, ab Imperatore Rudolpho vero torque ac diplomate scutoque condecorato, sibi posterisque servando: matre Maria Crœsia Consulis Dresdensis filia. In schola Dresdensi, ubi pueritia ejus formata, Kunadus dicit in Programmate funebri, eum inter medios Teutonas Græcum, inter Dresdenses Romanum apparuisse; ac Schubartus auctor est, jam tum eum in literarum osores & stultitiam eorum carmine lusisse. In Portensis vero ad Salam seminarii convictu, cui Idibus Novembris A. MDCIV adscriptus est, fulgor emicuit clarior, æqualibus cunctis in Latina Græcaque lingua præripientis palmam. Triennio hic acto, Patre orbatus est: sed alterum permansit, demum A. MDCX in Wittebergensem Academiam missus; in cujus album

bum relatus est XIII Cal. Decembris, Pro-Rectore tum D. Leonh. *Huttero*, ac Rectore Duce Saxonico *Augusto*, Electoris Joh. Georgii I fratre. Cumque hanc ipsi aream nobiliorem ac palæstram assignaverit providentia Divina, in qua se probaret orbi, factum est, ut illico Jo. *Rhodenburgio* Antwerpiano successor in arte ac professione poetica suffectus fuerit, A. MDCXVI, virtute ac doctrina ipsius jam satis spectata: quo tempore quoque primus inter 46 competitores lauream philosophicam accepit. Initio se Jurisprudentiæ studiis mancipare decreverat: sed haud multo post, dulcedine semel gustata Musarum mansuetiorum, & famæ nominis inde capiendæ, mutavit consilium suum, & illis pro virili se applicuit firmius. Per totos autem XL annos spartam Professoris Poeseos ornavit, diciturque in Epitaphio suo humaniorum literarum summus vindex ac stator. Et a *Kunado* verissime affirmatur, ab Augusto isto augustissima literas bonas accepisse ornamenta. A Stübelio, Malagonellio illi Oratori Romano celebri longe præfertur, genere dicendi casto & æquabili, & instar limpidissimi amnis profluente, quo parem nesciverit. Nec tamen hic dissimulat, scribendo meliorem habitum quam dicendo, ubi timidior fuerit, nec expeditus omnino, unde proverbium etiam tunc frequentatum, esse Oratorem *Saxoni* loquendi non gnarum. Quod tamen laudi ejus nil deroget. Quod oris volubilitati decessit, studiosa pensavit & solicita compositione, qua periodos omnes dimensus est artifici calamo. Vidisse se ille dicit unius ejusdemque orationis aliquot exempla, ejusdem ipsius manu exarata, varieque hinc inde interpolata, & aliis aliisque coloribus expolita. Neque omittit id ei proprium ac singulare, quod, cum concinnanda fuit vel oratio quædam, vel epistola, vel alia scriptio, non rosit ungues, ut vulgus meditantium solet, sed icones argute pinxit in chartæ margine. Industriæ illius & eruditionis præmia recenset, famam celebrem, etiam apud exteros, laudes amplissimas ac dignitates spectabiles. Præter Professionem Poeticam Oratoria ei etiam collata fuit A. MDCXXXI, Joh. *Avenario* vivis exemto. A. MDCXVII, demandata jam ei erat Ephoria Electoralium alumnorum, quam per annos XXXIII obiit. Senior Collegio Philosophico uno præfuit anno diutius. Academiæ totius Senior A. M DC XLIX etiam

per XII annos hoc tenuit decus. Fasces Academiæ ter, Decani munus octies sine exemplo gessit. Optime vero de Academia, illi adhuc obligata, meritus est, non modo doctrinis, sed etiam consiliis publico salutaribus, & gravioribus in comitiis, & apud ipsum Patriæ Patrem, negotiis curatis, cum ejus etiam opera multi facti fuerint idonei aulicis ministeriis cum gloria & ex utilitate communi obeundis. Nunquam in cassum abiere spes, ubi manum ille admovit, ac vix unquam nisi lætus nuntius reversus est, cum ablegatus ad orandam Academiæ causam ivisset, quam periculosissimo tempore conservavit, suada illa & gratia sua, qua valebat apud Magnates. Pingitur ubique decorus torque aurea, cui appensa Electoris *Joh. Georgii II* effigies adamantibus enitescens. Enumerantur virtutes ejus plurimæ, sapientia, prudentia, humanitate temperata incredibili gravitas, candor eximius, pacis & concordiæ amor, modestia, avaritiæ fuga, cum nec lucrum privatis scholis quæsiverit, neminem cogendum ratus ut gratum se præstare vellet, comitas, sobrietas ac frugalis vita. Pietas ejus inprimis prædicatur, etiam in carminibus sacris pangendis exhibita, & comprobata delectatione ac lætitia sancta, quam ex odis Davidis, quas Psalmos vulgo dicimus, petiit, & exquisitiore studio, quo sacra coluit publica, præ cæteris auditus cantu Deum celebrans. Quo collimavit potissimum symbolum ab eo electum: *unum est necessarium.* Hoc excellentiæ ipsius argumentum certum, quod poesin cum oratoria facultate nexu rarissimo copulavit. Quæ laus ipsius Ciceronis & Virgilii non est. Nec in Latina tantum, sed etiam Germanica Poesi excolenda, cum *Opitio* amico suo strenuum se ostendit, Dactylici præcipue carminis inventione ac usu. Quare in Societatem sic dictam frugiferam allectus, & cognominatus fuit der Genossene. Sicut & Germanica ejus, quæ videre lucem, Poemata referuntur; nec silentur quotquot ejus prodiere scripta, nominatis iis etiam, cum quibus amicitia ei intercessit, & qui eum ad se pertrahere voluerunt, inter quos primo loco Potentissimus Rex Suecorum & Gothorum *Gustavus Adolphus* reponitur, qui eum ad varias professiones in Academia sua Upsaliensi clementissime invitavit. Id quoque non tacetur, quod Elector Saxoniæ præficere ipsum Illustri Portensi ludo cogitarit, licet Col-

Collegis aliter visum fuerit. Significatur juxta, cum de suscipiendo Gymnasii Hamburgensis Rectoratu cum eo actum fuerit, amorem patriæ ac Academiæ Wittebergensis obtinuisse, ut maneret. Tum fortunæ ipsius rationes exponuntur, quæ non beatissima quidem, nec tenuissima tamen fuerit. Matrimonium iniit faustum cum virgine pudicissima Elisabetha, *Jacobi Crusii* Jurisconsulti filia, cum qua vixit feliciter 45 fere annos, & e qua filias quinque & sex filios procreavit, undecies pater factus, quamvis duo tantum filii, Martis castra secuti, totidemque filiæ superstites vixerint. Filius natu major *Christianus Augustus* apud Electorem Saxonicum rei tormentariæ & fabricarum præfectus fuit supremus. Gnatarum natu maxima Elisabetha conjugem sortita est D. *Hen. Coselium*, Pandect. P. P. & Curiæ Elect. Scabinatus & Fac. Jurid. Assessorem. Alteram Dorotheam duxit uxorem *Otho Prætorius* soceri optimi successor non indignus. Reliquum fuit, ut de valetudine his aliquid adjiceretur, annis prioribus jam non robustissima, servata tamen ultra naturæ leges, inter morbos, quibus tentata est, usibus publicis, Divino beneficio, usque ad annum ætatis septuagesimum, quo podagræ doloribus & calculi valde vexatus ac denique fractus, A. M DC LX d. XII Februarii exspiravit placide. Quam columnæ primariæ illius Academiæ prolapsionem orbis literarius lamentationibus justis prosequutus est. Exequiæ XI Cal. Martii paratæ. Concio funebris ab *Abrahamo Calovio*, parentatio ab *Ægidio Strauchio* habita. Corporis exuviæ in æde sacra, quæ arci contigua est, compositæ: ubi monimentum erectum visitur. Monetur denique, rariora manuscripta *Buchneri* reperiri apud Samuelem *Cnaubium* Wittebergæ, quorum partem etiam *Stübelius* & *Hübnerus* tenent, tempore suo evulgandam.

RAYMUNDI VIEUSSENS, DOCTORIS MEDICI Monspeliensis, Regiæ Societatis Londinensis Socii, Novum Vasorum Corporis Humani Systema.

Amstelodami, apud Paulum Marret, 1705. in 12. pl. 20.

Cum *Nobilissimus Autor*, cujus nomen aliquoties in nostris inclaruit Actis, in præsenti opusculo cumprimis secretoriorum p. 142.

& excretoriorum corporis ductuum originem demonstrare constituerit, haud præpostere videbimur agere, si prius innuamus, quinam canaliculi secretoriorum & excretoriorum nomine ab *Autore* insigniantur, & qualis utrorumque notetur discrepantia, quam tubulos recenseamus, qui conformationem *Uteri*, *Cotyledonum*, *Mammarum*, *Vasorum sanguiferorum*, *Lienis*, *Hepatis*, *Renum*, *Pancreatis*, variarumque *Capitis* partium, ingredi observentur.
p. 90. Etenim ductus, recrementitios solummodo succos ex arterioso sanguine secernentes, musculorum videlicet & membranarum lymphatici, secretorii; humores vero excrementitios segregantes, more spongioso-urinosorum renum ac biliferorum hepatis tubulorum excretorii appellantur: qui autem ductus nunc recrementitiorum, nunc excrementitiorum humorum secretioni vacant, uti vasa vesiculoso-lymphatica uteri, partim pro secretoriis, partim pro excretoriis venditantur. Utriusque tamen generis canalium dum alii immediate,
92. alii mediate succos secernendos aut excernendos ex arteriis depromunt, illi primarii, hi secundarii cognominantur: sicque membranarum vasa lymphatica & adiposa pro secretoriis primariis, atque ii tubuli, qui spongiosam uteri substantiam contexentes ex propria illius membrana nascuntur, pro secretoriis secundariis habentur; prout renum ductus urinosi excretoriis primariis, & biliferi ductus internæ folliculi fellis superficiei appensi, excretoriis secundariis annumerantur. Secretoriorum demum vasorum alia imme-
93. diate, alia mediate, succos ex arterioso sanguine secretos in venas
94. exonerare pariter atque excretoriorum ductuum alii immediate, alii mediate, humores excrementitios ex interioribus corporis eli-
95. minare, indigitantur; vasis lymphatico-nerveis & adiposo-nerveis titulum a nervulis mutuantibus iis, qui cum lymphaticis & adiposis vasis strictissime coalescunt eorumque cavitatibus inhiant. In hoc interim vasa lymphatica *Autoris* a *Bartholinianis* discernuntur, quod priora ex arteriis emergant, & in venas partim, partim in spongiosam alicujus partis substantiam, desinant, posteriora
118. vero ex venis oriantur, numerosa v. g. lymphatica uteri muliebris ex venis membranæ propriæ, atque nunc in receptaculum lumbare, nunc in ductum thoracicum, nunc in venas alias terminentur. Sed ad partes ipsas deveniendum, quas ex tubulis ejusmodi con-

contextus, post præviam earundem in aqua coctionem vel macerationem, nec non exsiccationem, microscopii subsidio specialius Noster annotat, initium ab *Utero*, cum humano, tum ovillo, faciens, quod filius, Medicinæ Doctor, primam ipsi subministrasset ansam in utero mulieris, ex abortu denatæ, eorum vasorum vesiculoso-lymphaticorum, quæ sub interna membranula porosa reticularem plexum efformant, principium in arteriis finemque in venis detegendi. p. 2. Circa generaliorem uteri virginei atque ovilli gravidi, in superficie itidem permultis lymphaticis *Bartholinianis* stipati, structuram ratione membranarum advertit, utrumque uterum ex tribus membranis, communi una & duabus propriis, coalescere, quarum communis a peritonæo oriunda innumeris lymphatico-nerveis tubulis ac paucioribus sanguiferis interspersis, propriarum vero prima innumeris ductibus sanguiferis ac indefinitis lymphaticis, partim ab arteriis, partim a communi membrana prodeuntibus ac fibras musculosas mentientibus, præsertim in gravidis, quando eorum nonnulli ob nimiam ostiolorum aperturam tenuissimas simul sanguinis particulas admittunt, evidenter constet. 7. 15. 16. Quoad specialiorem vero texturam, uterum muliebrem ab ovillo distinguentem, in illo duabus membranis propriis spongiosam notat interjacere substantiam, intra poros suos irregulariter dispositos succum dictorum lymphaticorum recipientem, atque ex parte ad venas, ex parte ad uteri cavum, intervenientibus finibus subrotundis ac porosis deponentem: quæ, etsi vasorum retiformium præ se fert speciem, ob tunicarum tamen defectum vix verorum ductuum nomine insigniri mereatur, per quam vero apta, ut in gravidis succum simul lacteum a nonnullis vasculis dilatatis recipiat, ad glanduloso-vesiculosam placentam uterinam transferendum, in non-gravidis autem singulis mensibus fæces transcolatæ lymphæ colligat, quæ successive acescendo, incalescendo atque fermentescendo, sanguinis, per venas compressas remeare impediti, secretionem & excretionem menstruam per lymphatica expansa spongiosamque uteri substantiam sine ulla vasorum ruptione producant. 8. 9. 13. E diverso in ovillo utero primam membranam propriam cum secunda partim immediate, partim intermediis cohærere cotyledonibus, pocula quodammodo æmulantibus, quales aquæ 14.

fri-

frigidæ immersi hanc mox lacteam reddant, per triduum vero in ea macerati explicatis suis vasis lymphatico-nerveis, per innumeras propagines tenuissimas invicem communicantibus, exiguum aspergillum, seu potius omnino evolutum acaciæ florem referant,
p. 20. ductibus ejusmodi lymphatico-nerveis ex arteriis proficiscentibus ac in venas desinentibus, absque eo, ut propagines emittant, utero ovillo æque ac muliebri inhiantes. Membranarum hinc fœtus ovilli structuram arctumque cum cotyledinibus & vena umbilicali nexum investigaturus, ubi chorion & amnion duas membranas
22. strictissime unitas, e vasis sanguiferis & lactiferis contextas ad laticem, cui fœtus innatat, ab hujus cutis tubulis lymphatico-nerveis recipientes & continentes, allantoidem vero sero urinoso turgidam ac e lymphaticis & sanguiferis vasis conflatam, monstravit, prolixam ad primas vias instituit digressionem, ut cum viam ad renes brevissimam & latissimam, quam acidulæ, spirituosa, aliaque assumpta cito emetiantur, tum ventriculum primum simul
25. alimentorum liquidorum esse colatorium, patefaciat. Viam scilicet istam, primum per ventriculi lymphatico-nervea vasa, ex arteris ortum ac in venis terminum obtinentia, venas gastricas & gastro-epiploicas, deinde per similes intestinorum tenuium ductus lymphatico-nerveos, venas mesaraicas, innumeros venæ portæ ramos, superiorem inferioris trunci venæ cavæ partem, dextrum cordis sinum, arteriam & venam pulmonarem, sinistram cordis cavitatem, superiorem trunci inferioris aortæ partem & arterias emul-
30. gentes, haberi indigitat. Per tubulos autem ventriculi lymphatico-nerveos, æque ac intestinorum, aliquid liquidi ad venas transcolari, adjumento essentiæ croci, ventriculo post internam superficiem aqua frigida detersam infusæ, atque intra bihorium non modo stomachi parietes, sed & vasa sanguifera tam ventriculi quam omenti cum ductibus hujus adiposis, flavo colore inficientis, comprobat, simulque observationibus eorum confirmat, qui vitam aliquamdiu protraxerunt, etiamsi in cadaveribus ipsorum dissectis
37. omnis via, vel a ventriculo ad duodenum per præternaturalem pancreatis magnitudinem ac indurationem, vel ab intestinis ad
40. vasa lactea per horum defectum atque mesenterium gypseum, penitus
34. apparuerit intercepta. Essentia tamen croci quia pariter e ven-

ventriculi, semoto omento, inversi ac suspensi fundo sensibiliter stillare soleat, aliquid pinguedinis quoque per omenti ductus adiposos ad ventriculum deferri, adeoque fermentum ventriculi, alimentis coquendis dicatum, e miscella succi hujus adiposi, spiritu quodam acido volatili saturati, spiritus animalis nitrosis aeris particulis imprægnati, atque laticis lymphatici, resultare colligit. Sed ad chorion rediens, modo hujus cum cotyledonibus uteri connexionem ope exiguorum corporum glanduloso-vasculosorum subrubrorum, tanquam totidem placentularum, mera vascula sanguifera pluraque lymphatica involventium; modo cohæsionem membranarum fœtus & placentæ uterinæ cum utero intercedentibus atque coalescentibus lymphaticis, ita fieri tradit, ut in productione & accretione fœtus ovilli atque humani, fusius explanata, non sanguis, sed succus lacteus a cotyledonibus per placentulas & ab utero per placentam uterinam ad venam umbilicalem fœtumque transcolari ac propagari intelligatur. Quemadmodum vero *mammis* insignis cum utero intercedit consensus, ita illarum porro similem cum hujus declarat conformationem, utpote ex membrana propria & substantia glanduloso-vesiculosa non aliter compositam, quam quod vasa sanguifera & lymphatico-nervea, ab arteriis enata & ad venas partim, partim ad substantiam vesiculosam abeuntia, membranam compingant, textus autem spongiosus laticem lymphaticum partim mediate, dictorum lymphaticorum medio, partim immediate ex arterioso sanguine derivet, ac per tubulos lactiferos ad papillas dispenset. Majorem solummodo albedinem spongiosi mammarum corporis majori firmitati vasorum lymphatico-nerveorum deberi, nonnisi lympham tenuiorem atque a fæcibus depuratam admittentium, cum uteri lymphatico-nervea molliora crassiorem fæculentioremque lympham recipiant, sicque texturæ vesiculosæ cineritium inducant colorem. Quo luculentior nihilominus lymphatico-nerveorum vasculorum in utero, mammis, aliisque partibus exortus ex arteriis reddatur, in progressu tam in genere *vasorum sanguiferorum* exteriores & interiores glandulas vesiculosas, i. e. vesiculas pellucidas, e tubulis diversi generis simul intextis resultantes, observationibus, experimentis & rationibus demonstrare, quam in specie *aortæ* ac *ve-*

Marginal references: p. 32. (beside "mentis coquendis…" line); 41. (beside "…resultare colligit. Sed"); 44. 52. 54. (beside "membranarum fœtus…"); 59. & seqq. (beside "membrana propria…"); 63. (beside "per tubulos lactiferos…"); 73. (beside "interiores glandulas vesiculosas…").

na cava singulas tunicas una cum secretionis modo extricare anni-
titur. Ex iis, quæ in cadavere alicujus a rupta pulmonum vomi-
75. ca mortui observavit, evidentissimus contextus glandularum vesi-
culosarum nimis dilatatarum in pericardii membranis propriis pro-
priaque cordis & auricularum illius membrana, extima demum
superficie omnium vasorum cordis, una cum pericardii & cordis tu-
bulis lymphatico-nerveis, nobis haud silendus videtur. Aor-
82. tam vero, non minus atque arteriam pulmonalem, in quatuor
dirimens tunicas, primam earum nerveam ex implicatione diversi
generis vasorum, alteram vasculosam ex vasculis rubris, subflavis
88. sive sanguiferis, ac cineritiis seu lymphaticis constructam, utram-
que vasculoso-vesicularem, respectu vesiculosarum glandularum
83. a vasorum diversis flexibus concinnatarum, tertiam spongiosam
fluidum succum in poris suis irregularibus continentem ac radicem
87. omnium ductuum constituentem, quartam denique interiorem,
sat validam, licet pia meninge tenuiorem, poris innumeris pro-
pter varios succos ex arterioso sanguine continuo secernendos in-
91. structam, pluribus explanat. Ne manca tamen ista tunicarum
videatur evolutio, propagines nervorum prosequitur, quæ interio-
rem arteriarum texturam a primo sui ortu ad extremos usque fi-
nes subeant, statimque in exiguissimos abeant tubulos membra-
naceos, cum tenuissimis spongiosæ arteriarum tunicæ ductibus secre-
toriis coalescentes & una cum ipsis membranas constituentes, qua-
tenus corporis membranæ non solum lymphaticis, vel adiposis,
vel lymphaticis & adiposis simul, sed & nerveis ductibus constent,
spiritum animalem in secretorios canales, pro liquorum fluiditate
99. atque vi augenda, exonerantibus. Ne autem circa ductuum adi-
posorum ex arteriis originem dubium relinquatur, præterquam
quod pinguedinem consideret, tanquam ramosas sanguinis arte-
riosi partes, tum ad omentum, quod in musæo siccum asservat, du-
ctuum adiposorum perspicua foramina immediatumque ex arteriis
108. ortum ac finem in venis apertissime sistens, tum ad croci essen-
tiam, a sinistro cordis ventriculo intra viginti quatuor horas ad to-
tum magnæ arteriæ truncum, binas arterias coronarias & super-
stratam ipsis pinguedinem penetrantem, hæcque cuncta colore cro-
103. ceo perfecte tingentem, provocat. Quemadmodum vascula lym-
pha-

phatica, quæ in membranis veſicularum ſucco cryſtallino gravidarum contextum repræſentent, dilatata nimis ipſum ſanguinem recipere, exemplo portionis inteſtini coli inflammatæ dat demonſtratum. Eum præterea, qui hæſitat, num arteriæ capillares variis ſuis inflexionibus veſiculoſa quadantenus vaſcula referant, tandemque in venas deſinant, adeoque arteriæ & venæ continuos canales conſtituant, jubet intueri *lienem* humanum, poſt aliqualem membranæ communis a propria in parte convexa ſeparationem, per menſem in aqua maceratum, certoque pollicetur, deprehenſurum illum eſſe, viſcus hoc non ſolummodo mirandum vaſorum haberi plexum duplici membrana obvolutum, ſed minores quoque ejusmodi plexus arterioſas propagines in venas minores abire, tenuisſimis forſan nonnullis exceptis, quas ductuum lymphaticorum vices ſupplere, ac in venas terminari ſuſpicatur, quod indefinita ejusmodi vaſcula tam in membrana communi ſplenis ſuilli, quam intra texturam interiorem ejus aliquamdiu in aqua macerati, propter craſſiorem ſanguinem copioſiori lympha diluendum, nudis oculis detexerit. Ad venas progrediens, in venæ cavæ ramis tunicas, ab arteriis mutuatas & minori vaſculorum apparatu inſtructas, deſcribit tres: communem ac mediam e vaſis diverſi generis varie intertextis conflatas, atque interiorem ſpongioſam, indefinitis foraminibus, partim ſenſibilibus ſive oſtiis ductuum venoſorum, partim inſenſibilibus, ſeu ſpiraculis lymphaticorum & adipoſorum tubulorum, pertuſam. Venæ portæ ac venæ cavæ per totum *hepar* diſtributionem exhibet talem, qua innumeræ utriusque propagines in membranaceas cellulas ovales abeant, inque his pro hepatis glandulis conſtituendis diverſimode convolvantur, per veramque anaſtomoſin invicem conjungantur. Quoties enim jecur ſuillum in tenues lamellas dividatur, atque hæ in frigida macerentur, toties utramque earum lamellarum ſuperficiem cellulis membranoſis inſtructam, interiori autem cujusque cellulæ ſuperficiei ſpeciem quandam muſci cinereo-ruffi, non niſi extremos ſines propaginum venæ portæ cum capillaribus cavæ immediate unitos comprehendentis, ad nutum conſpici. Circa venam denique pulmonarem non aliud addit, quam quod illa pro pulmonaris arteriæ ſobole jamjam a *Malpighio* fuerit habita; quoniam po-

p. 110. 113. 114. 115. 116. 117. 119. 120. 121.

tiorem curam gerit rationem patefaciendi, qua omnium arteria-
rum conicarum parietes a ſanguine e ſinubus cordis propulſo per
totum ſui tractum ab invicem diducantur, ſimulque a vaſculo-
rum ex ſpongioſa illarum tunica naſcentium oſtiis una dilatatis,
ſive ſenſibilibus, ſive inſenſibilibus, magnitudine, figura & ſitu diſcre-
pantibus, nunc ſanguis, nunc alius ſuccus proportionatus admit-
tatur, totque humores diverſi vi dictorum vaſculorum elaſtica,
mox, dilatatione arteriarum ceſſante, ad venas pariter, atque ſecre-
torios & excretorios tubulos propellantur: quave virium celer-
p. 123. rima fiat jactura, ſi v. g. in febribus malignis motus cordis ad bre-
viſſimum etiam tempus intermittat. Aſt tædioſum Lectori haud
dubie foret, ſi in iis ulterius commemorandis, quæ *Autor* de reni-
bus, ductibus biliferis, pancreate, tandemque de pia craſſaque me-
ninge, cinerea cerebri ſubſtantia, quarto ſpinalis medullæ involu-
cro, vaſis ſanguiferis cerebrum irrigantibus, glandula pineali, val-
vula cerebri majore, infundibulo & glandula pituitaria, fuſius edo-
cet, quibusque propria errata in *Neurographia* quoad ultimas partes
commiſſa candide corrigit, tantæ inſiſtere vellemus prolixitati: ex
omnibus proinde ſolam ſufficiet *renum* ſtructuram percurrere, e dua-
143. bus membranis ac duplici ſubſtantia coagmentatam. Exterior renum
144. membrana adipoſa ductus, quos obtinet adipoſos, immediate ex arte-
riis fertur adſciſcere, atque exiliſſimas eorum productiones ad renum
venas extimas per membranam propriam æque ſpargere ac propria
146. membrana, nervulis, multis vaſculis ſanguiferis & indefinitis lympha-
148. ticis conſtans, tenerrima lymphatica filamentorum ſpecie ad easdem
149. venas demittat. Exterior vero renum ſubſtantia, glanduloſa adhuc re-
putata, omnis vaſculoſa, i. e. ex arteriis, venis atque innumeris du-
ctuum adipoſorum & lymphaticorum utriusque membranæ pro-
ductionibus coagmentata, non minus adſtruitur, atque interior eo-
155. rum compages ex triplici tubulorum genere, arteriis puta, venis
159. & ductibus urinariis deducitur. Arteriarum videlicet emulgentium
ramos cum nervis unitos, emiſſis propaginibus arterioſis & ſub
albis filamentis ad utramque membranam, modo verſus renum
161. pelvim tendendo ſub hac alias atque alias e lateribus ſuis exiguiſſi-
mas propagines, in exiliſſimas venas ubique ſocias abeuntes to-
tamque pelvi ſubjacentem glanduloſam ſubſtantiam conſtituentes,
exer-

exerere, & quidem tot, quot membranaceæ ſint fiſtulæ, ex elongato pelvis margine conflatæ; modo cum venis verſus extimam re- 162.
num ſubſtantiam excurrendo in plures faceſſere arcus majores, minores alios intra & extra ſe comprehendentes, ac interiorem renum compagem in duo veluti hemiſphæria dividentes, a quorum antica & concava parte ad interiorem, a convexa vero & poſtica parte 163.
ad exteriorem renum ſubſtantiam indefiniti ſurculi, venulis ubique ſtipati, propagentur. Ex antica pariter & concava arterioſorum 171.
arcuum parte, ut & ex antica facie vaſculoſorum plexuum renalium atque ex arteriis concomitantibus ſpongioſos ductus urinarios, urinam transcolantes & in nonnullis animalibus unum corpus cinereo-albo-ſpongioſum, in aliis plures caruncꝋlas ſive papillas concinnantes, primam nanciſci originem, ratione, experimentis ac ob- 175.
ſervationibus, uberius evincitur. Antequam tamen explicatione 198.
Figuræ finiamus tranſcriptæ, qua in rene vervecino, ſecundum longitudinem a parte convexa ad pelvim usque ſecto, arcus omnes arterioſi una cum membranaceis ſuis fulcimentis interiorque facies vaſculoſorum plexuum renalium, exemta ſubſtantia vaſculoſo-ſpongioſa, repræſentantur, *Experientiſſimo Autori* de Syſtemate hoc vaſorum corporis humani non poſſumus non applaudere, eatenus omnino novo, quatenus ante eum vaſorum *Bartholinianorum* lymphaticorum principium a venis, cunctorum vero reliquorum tubulorum ſecretoriorum & excretoriorum exortum præciſe ab arteriarum tunica ſpongioſa, & nonnullorum finem in venis, nondum, quantum novimus, aſſeruit ullus, etiamſi arteriarum cum venis continuationem *Svvammerdammius*, *Leuwenhœckius*, *Craanius*, *Liſterus* aliique, aut ſaltem conjunctionem intercedentibus veſiculis *Mayow*, immediatamque ſimpliciorum organorum ſecernentium ex arteriis originem *Nuckius*, *Ruyſchius*, *Cowperus*, &c. jamjam divulgaverint.

Explicatio Figuræ I Renem vervecinum exhibentis.

TAB. X. Fig. I.

A A A A Extima, ſeu glanduloſa renis vervecini ſubſtantia.
B . . . . Arcus arterioſi minimi paulo ſuper majores arcus conſtituti.

C .... Arteriæ venas comites habentes, quæ e superna & postica arcuum arteriosorum majorum facie nascuntur, & extimæ renis substantiæ convexam illius partem occupanti efformandæ impenduntur.

D .... Arcus arteriosi majores.

E .... Ea vasculosorum plexuum renalium pars, quæ arcubus majoribus & minoribus arteriosis circumscribitur.

F .... Arcus minores arteriosi.

G .... Hæc vasculosorum plexuum renalium pars, quæ a margine pelvis ad minores usque arteriosos arcus protenditur.

H .... Cavitas pelvis.

I .... Membranaceæ fistulæ e margine pelvis elongato conflatæ, seu membranacea arcuum arteriosorum fulcimenta, quorum parietes tenuissimi evadunt, dum in arcus arteriosos & venosos abeunt.

K .... Ostium ureteris.

XX .... Propagines arteriosæ ex arcubus arteriosis majoribus emergentes.

DE AURE HUMANA TRACTATUS, IN QUO integra ejusdem Auris Fabrica, multis novis Inventis, & Iconismis illustrata, describitur; omniumque ejus Partium usus indagantur. Quibus interposita est Musculorum Uvulæ atque Pharyngis nova Descriptio & Delineatio, Auctore ANTONIO MARIA VALSALVA, Imolensi, Philosophiæ & Medicinæ Doctore, in Bononiensi Universitate ad Incisionem & Ostensionem Anatomicam Professore conducto, nec non Nosocomii Incurabilium Chirurgo.

Bononiæ, typis Constantini Pisarii A. 1705. in 4. Constat 1. Alphabet. & Figurarum Tab. X.

Præfat. Quamvis *dexterrimum nostrum Anatomicum* ii haud laterent, qui majorem in Auribus humanis scrutandis & delineandis posuerunt industriam, inter quos *Celeberrimum Dominum du Verney* cumprimis extollit; quia valde nihilominus dubitaret, an tale organum, cujus partes exiguæ durissimo inclusæ habentur ossi, cujusque vul-

vulgatæ historiæ nec inter se, nec cum aure ipsa, in multis conveniunt, adhuc penitus perlustratum esset, proprias vires in admirando ejusmodi sensorio studiosius investigando experiri voluit, ut quæ in eodem aut illustrari, aut augeri, aut etiam inveniri labore & diligentia possent, in lucem protraheret. Neque indefessam *accuratissimi Autoris* sedulitatem, tantæ spei innixam, felicibus successibus caruisse, præsens tractatus, nitidissimis atque curiosissimis figuris ornatus, eo apertius loquitur, quo evidentius, cum circa *Auris humanæ structuram*, *tribus cavitatibus*, *exteriori* videlicet sive *auricula & meatu auditorio*, *media seu tympano*, & *interiori sive labyrintho* constantem, tum circa omnium ejus partium usus, plura nova sistit detecta, quæ vel sola cum Benevolo Lectore nunc imus communicatum. Ut ab *auricula* vero & *meatu auditorio* faciamus initium, varia hic, ab aliis neglecta, innuenda veniunt, *glandulæ* nempe *cutis sebaceæ*, *cartilaginis quidam processus*, *glandulæ tragi*, *auriculæ musculus anterior*, *musculi tragi & antitragi*, *novum auriculæ ligamentum*, *verum auditorii meatus incessum observandi ratio*, *glandularum meatus auditorii corpus reticulare*, *auriculæ & meatus auditorii rami venosi a peculiari vena occipitali oriundi*, *nonnulla basis cranii foramina*, *certior nervum in odontalgia adurendi locus*, *atque in parotide humana lymphatica seu conglobata glandula*. Cutis auriculæ glandulæ salutantur sebaceæ, quod humorem secernant sebo similem, naturaliter post sui exsiccationem in furfureas abeuntem particulas, quales glandulæ in spina pariter & alis nasi, aliisque faciei partibus, potissimum sub palpebris, nec non in capillata capitis parte, atque circa collum & scapulas reperiantur. Præter notas auriculæ eminentias ac foveas, a cartilagine efformari solitas, exiguus & acutus in parte hujus anteriori, ubi helix immediate supra principium meatus auditorii concham claudit, ostenditur processus. Prout eæ parvæ glandulæ tragi vocantur, quæ ciceris exilis magnitudine super cartilagine ad tragum versus finem collocantur, cum glandulis lymphaticis inguinalibus & axillaribus convenientes, cum parotide autem non confundendæ. Externis auriculæ musculis quatuor, uni superiori & tribus posterioribus a *Casserio* inventis, quintus anterior adjungitur, a temporalis musculi membrana imme-

Marginal notes (right margin, in order): C. I. — p. 3. — 4. — 5. — 7.

mediate supra exortum processus zygomatici ab osse temporum enatus, &, antequam auriculam attingat, in duas divisus partes, quarum altera in partem anteriorem superioris conchæ cavitatis, altera vero paulo superius in partem anteriorem cavitatis scaphæ infigatur. Duobus autem auriculæ musculis internis, utrumque extremum intra illam obtinentibus, ac in capitibus potissimum macilentorum conspicuis, nomina a trago & antitrago ita imponuntur, ut musculus tragi, ambitu fere circulari circumscriptus, fibris carneis externam tragi faciem occupare, musculus vero antitragi basin ad posteriorem antitragi partem habere, & pyramidis in forma assurgentem in conchæ marginem, ubi anthelix desinit, inseri perhibeatur; quibus musculis in auricula fibræ carneæ, a gibbo conchæ circa ejusdem dimidium recedentes & in anthelicem transversim extensæ non minus associentur, atque fibræ aliquando carneæ musculis externis a quadrato colli ad inferiorem auriculæ partem soleant accrescere. Auricula cum osse
9. temporum non solum per musculos exteriores, sed & per nexus membranaceos, imprimis per ligamentum, cohærere asseritur, quod acutum illum processum in auriculæ cartilagine indicatum, itemque superiorem cartilaginosi meatus auditorii partem, cum temporali osse ibi colliget, ubi ab hoc zygomaticus processus erum-
10. pit. Quo meatus auditorii, a coarctione conchæ incipientis & usque ad tympani membranam per os temporum progredientis, tota cavitas cylindro quidem elliptico comparata, sed satis tortuosa atque serpentina exacte cognoscatur, cera vel alio liquato cor-
12. pore jubetur repleri. Membrana adiposa ad meatus auditorii solummodo medietatem dicitur elongari, statimque ab ingressu in fibras carneas abire reticulari ordine dispositas atque suis areis glandulas ceruminis, a *Domino du Verney* primum descriptas, fulcientes, cum e diverso auriculæ cutis eundem meatum investiat totum suaque expansione membranacea, in quam circa medium ejus gracilescit, ipsius membranæ tympani exteriorem faciem
14. constituat. Dum arteriæ ac venæ exteriores traduntur, mentio fit nonnullorum ramorum venosorum, qui sanguinem non in venam jugularem, sed singularem prorsus reducant, ex eo occipitalem appellandam, quod plures ramos alios ab occipitis partibus acci-

accipiat, utrinque alias post mammillarem processum per novum
foramen cranium subintrans, atque sanguinem in sinus laterales
exonerans. Qui funiculus nerveus pone auriculam superiora capitis petit, & in odontalgia omnium certissime aduri potest, si ignitum ferramentum quatuor digitos longum tergo tragi, & quidem per transversum auriculæ applicetur, non tam a portione paris septimi dura, quam ab eo potius nervo statuitur proficisci, qui
inter primam & secundam colli vertebram emergit, atque deorsum primum vergens mox sursum reflectitur. Ex glandulis tragi
similique majuscula, in parotide etiam humana sub auriculæ lobo p. 16
multoties deprehensa, auriculæ pariter ac meatui auditorio vasa
esse lymphatica, quamvis a nemine hucusque visa, haud frustra
conjicitur. Sed *tympani* cavitatem ingrediamur, atque in hac
membrana tympani compositionem ex duabus laminis, *modum* C. 2.
processus mallei minoris musculum a Casserio inventum detegendi, *demonstrationem ejus membranæ mobilis*, *cujus interventu*
basis stapedis cum fenestra ovali connectitur, *foramina tympani*
cum cavitate cranii communicantia, nec non *tubæ Eustachianæ*
musculum, tanquam nova, una cum *nova musculorum uvulæ &*
pharyngis descriptione, perlustremus. Tympani membranam,
elliptica peripheria stipatam similisque figuræ (nisi quod ex una 18.
parte interrumpitur) osseo annulo stricte inclusam, ex duræ meningis partim, partim cutis meatus auditorii, expansione membranacea coalescere, sicque notabili robore pollere, in humano declaratur fœtu. Antequam Autori de *Experientissimi nostri Rivini* hiatu membranæ tympani ex *Munnicks* libro de Re Anatomica 19.
constitit, circa interruptam annuli ossei partem indagando, aliquando ab eodem exiguum quoddam & sincerum foramen in
tympani membranæ circumferentia, ubi mallei processus minor
illam aliquantum versus meatum auditorium elevat, observatum
fuisse exponitur, in quale tamen postmodum, cum soli setæ porcinæ
immissioni minus fideret, frustra sæpius inquisiverit, licet in statu
præternaturali fluidorum a tympano ad meatum auditorium transitus variis observationibus confirmetur, simulque in ulcerum auris medela balsami Peruviani instillati usus certissimus commendetur. 20.
Ex tribus mallei musculis, hujus processibus, majori, minori 21.
25.

& minimo implantatis, ille præcipue, qui in minorem mallei processum desinit, in lacertosis atque violenta morte defunctis investigari atque tunc oculis usurpari promittitur, si, cavitate tympani aperta, incus a malleo separetur, & tympani membrana blande e vicinia removeatur, in quantum ille paucis constans fibris totus
p. 31. sub incudis corpore meatuque auditorio condatur. Stapedis basin ellipticam, nullis pertusam foraminulis, fenestræ ovali, quam exacte claudit, per tenuem membranam, circa stapedis capitulum paulo firmiorem, ita cohærescere, ut sursum deorsumve, si opus, per eandem fenestram possit moveri, ex singulari surditatis specie, ab induratione hujus membranæ ossea dependente, satis evincitur. Relictis tamen quatuor ossiculis periostio, non vero sanguiferis vasis destitutis, ac in infantibus magis densitate minori quam magni-
32. tudine ab adultorum discrepantibus, foramina potius commemoremus, quæ viam sanguini aut ichori a cranii cavitate ad aurem concedunt, atque circa superiora in illo sinuositatis mastoideæ pariete occurrunt, quo ipsa a cranii cavitate distinguitur & sub quo malleus cum incude articulatur, etiamsi aliquando super ipsam quoque tympani cavitatem, nunc duo eorum, nunc tria, nunc saltem unum reperiantur, specillum plerumque ac liquorem per
38. tubam Eustachianam in cavum cranii injectum admittentia. Talia siquidem, quæ per aures soleant excerni, subinde revera a ca-
39. vitate cranii promanare, observationibus diversis adstruitur; sicuti ortus humoris, quo tympanum irrigatur, vel a membrana, qua investitur, vel interstitiis, cranium & duram matrem interjacen-
40. tibus, reputatur. Canali a tympani cavitate supra palati extrema
43. dimisso, & ab inventore tuba Eustachiana vocando, musculus attribuitur, qui & hanc tubam, & foraminum nasi internorum extremitatem dilatet, quatenus fibræ carneæ ex latere anteriori tubæ Eustachianæ, a parte ejusdem membranacea, nec non a contiguo extremo margine partis cartilagineæ per totum illud spatium, quod inter tubæ finem ejusque osseam partem interponitur, deprehendantur progredi, atque, postquam oblique descendendo tendinem efformarunt, per inferiorem partem internæ alæ processus pterygoidis excurrere, donec rursus circa inferiorem marginem foraminum nasi internorum diffundantur atque in horum

rum membrana terminentur. Quoniam vero tubæ isti cum musculis uvulæ & hisce cum pharyngis musculis continuitas intercedit, usumque tubæ Eustachianæ absque certis uvulæ motibus præstari nequit, tanto magis historia musculorum uvulæ & pharyngis subnectitur, quanto longius etiam vulgares eorundem descriptiones & iconismi a vero abesse videantur. Uvulæ quippe tria musculorum ostenduntur paria: quorum primum, aptius salpingo-staphylinum, quam pterygo-staphylinum internum, appellandum ab inferiori tubæ Eustachianæ parte ossea emergat, hincque sub inferiori membranacea parte ejusdem tubæ oblique ad uvulæ basin descendat, ibique cum fibris comparis musculi quasi continuetur; secundum vero par glosso-staphylinum a lateribus linguæ in parte ejusdem inferiori paucis fibris erumpat iisque aliquantum restrictis ad latera versus uvulæ medium infigatur; tertium denique pharyngo-staphylinum amplam originem ab inferiori pharyngis habeat parte, ubi in œsophagum incipiat restringi, & per anteriorem pharyngis partem lateralem assurgens, cum ad ipsius superiora pervenit, fibras suas instar arcus inflectat, sub tonsillis protensus atque parti inferiori & laterali uvulæ connexus. p. 45.
Pharyngis autem, veluti superioris œsophagi partis, membrana glandulosa, musculis ac tribus orificiis instructæ, quinque musculorum paria cum uno impari exhibentur, suisque nominibus insigniuntur. 47.
Primum par, quod vulgo cephalo-pharyngæum audit, idem innuitur, quod pharyngo-staphylinum jam nominatum fuit, staphylo-pharyngæum etiam salutandum, quia pharyngem non minus ac uvulam valeat movere. 48.
Alterum par, glosso-pharyngæum potius, quam sphæno-pharyngæum vocatur, quod a lateribus linguæ in parte hujus inferiori confusam cum musculo glosso-staphylino sortiatur originem, hinc per superiorem pharyngis partem circulari quasi incessu ita pergens, ut fibræ unius musculi cum fibris alterius, interposita tamen lineola veluti tendinosa, concurrant. 49.
Quemadmodum tertii paris stylo-pharyngæi principium a processu styliformi, atque finis in lateribus pharyngis jamjam constant, ita quartum par, omnino novum, hyo-pharyngæi titulo indigitatur, quod duplicem in osse hyoide obtineat insertionem, longiorem nimirum in appendicibus cartilagineis, breviorem vero in

in processibus ejus cornuris, a quibus terminis fibræ aliquantulum oblique recedentes versus superiora pharyngis inclinent, & in hujus medium lata expansione desinant, cum oppositis rectam ibi li-
p. 50. neam tendinosam componentes. A musculorum hujus paris violenta distensione peculiarem luxationis speciem inferri posse, notabili exemplo confirmatur. Quintum par thyro pharyngæum nuncupatur, quia ab utroque latere thyroidis, per totam hujus altitudinem duas acutas productiones formando recedat, & suis fibris oblique ascendendo in partem posteriorem pharyngis ad ejus medium in rectam lineam tendinosam more antecedentis desinat, in quantum Casserius pharyngæum vulgo dictum ex duo-
51. bus musculis compositum jamjam annotarit. Ultimus, qui restat musculus, crico-pharyngæus denominatur, ad sphincteris naturam magis accedens, dum fibræ ejus, sub inferiori paris thyropharyngæi productione ab eadem cum ista cricoidis parte recedente, transverse tendunt atque œsophagi principium cingunt.
C. 3. Tandem, ut auris conformationem absolvamus, indigitanda supersunt: *cavitas orbicularis ante canalis semicircularis majoris orificium proprium*, *canalium semicircularium proportiones*, *scala tympani & vestibuli differentia*, *quinque vestibuli foramina nervos transmittentia*, *tresque canalium semicircularium zonæ sonoræ*; ceu quæ in interiori auris cavitate sive *labyrintho*, vestibulum canales semicirculares, & cochleam involvente, fuerunt observata.
61. Canalium semicircularium, cavitate elliptica, interdum cylindrica præditorum, major qui audit, altero orificio cum canali semicirculari minori gaudet communi, canalem quasi communem con-
63. stituente, altero autem proprio in orbicularem quandam cavitatem dilatatur, cum canalis semicircularis minimus per duo orificia, alterum latius, alterum angustius, videatur communicare.
64. Quam proportionem autem tres isti canales semicirculares inter se observent, in multis quidem subjectis magna cura fuit indagatum; quia vero in diversis diversa apparuit, talisque etiam in Tabula peculiari adumbratur, exactam eorundem longitudinum propor-
68. tionem vix determinari posse, merito colligitur. Dum cochlea per septum aliquod, partim durius, partim mollius sive zonam cochleæ, in duas dirimitur scalas, harum ea, quæ per fenestram rotun-

rotundam tympanum respicit, scala tympani, quæ autem vestibulum spectat, scala vestibuli salutatur, atque intuitu non solum situs, sed & capacitatis, figuræ & superficiei, utramque inter insignem ha- p. 69.
beri discrepantiam animadvertitur, in quantum scala tympani cavitatem latiorem & irregulari figura donatam, asperamque superficiem, scala vero vestibuli cavitatem minorem & ellipticam atque superficiem levem, obtineat. Altera nervi acustici mollioris por- 72.
tio, quæ in sinuositates versus vestibulum excavatas sese insinuat, non per tria, sed quinque foramina eam vestibuli partem, quæ canalibus semicircularibus opponitur, supra orificium scalæ vestibuli traditur ingredi, atque totidem surculis in tenuissimam membranam uniri, modo in vestibulo medio suspensam, modo præsertim in auribus non recentibus propter exsiccationem, fornici ejus adnexam; a qua tamen vestibuli membrana aliæ membranæ ad tres canales semicirculares per horum quinque ostia distribuantur, zonæ sonoræ appellandæ, quod strictioris teniolæ sive parvæ zonæ figuram referant, ac potissimum motibus sonoris excipiendis inserviant. Altera vero ejusdem nervi mollioris por- 76.
tio, sinuositatem versus cochleæ centrum excavatum intrans, per minima foramina cochleam dicitur subire, ibique partem septi membranaceam sive zonam cochleæ constituere. Neque vasa 77.
sanguifera, & fortassis etiam lymphatica, cum nervis versus labyrinthum a cerebro delabi ambigitur, cum in oculo bovis ad multos dies in aqua macerato, per nervum opticum non solummodo vasa sanguifera, sed & lymphatica insignia, apparuerint diffusa. At- P. 2. C. 4.
que tot novis in tribus auris humanæ cavitatibus lustratis, progredi demum convenit ad ea, quæ circa cunctarum partium descriptarum usus singularia videntur. Quoniam scilicet motus so- 84.
nori ab auricula validius repelli debent, ideo illa auriculæ pars, quam idem motus jamjam subituri contingunt, nempe concha, circumquaque dispositis musculis, in tonico perpetuo motu persistentibus, ex unaquaque ejus parte firmari putatur. De glandulis sebaceis, si per omnem fere cutem adessent, in universum ambigitur, annon quibusdam tumoribus cysticis, præsertim steatomati, originem præbeant, quod partim materia in steatomatis folliculo contenta, similis omnino illi sit, quæ in talibus glandulis reperi-

 tur,

tur, partim in nulla alia parte æque frequenter, ac in palpebris,
p. 87. ejusmodi tumores observandi & secandi veniant. A cartilaginis incisuris, in meatus auditorii principio occurrentibus, sonoros motus egregie corroborari, exemplo talis polyphonicæ declaratur tubæ, quæ ex pluribus conglutinatis chartarum stratis formata voces tunc præ aliis intendit, quando interna strata hic illic laxato glutine, ab invicem paulo discedunt, vel studio etiam inter strata
91. illa intercapedines relinquuntur. Circa venam occipitalem proponitur problema: cur Natura, quem sanguinem deorsum in jugularem venam expeditius demittere potuisset, pertusa peculiari foramine calvaria, intra hanc compellere in lateralem sinum maluerit? In soni per quatuor ossiculorum motum mechanicum ab
C. 5.
94. auditorio meatu ad labyrinthum propagatione ossicula ista provectibus venditantur, ita sibi invicem adaptatis sive unitis suaque hypomochlia habentibus, ut manubrio mallei versus tympani cavitatem plus minus repulso, mox basis quoque stapedis sursum plus minus per ovalem fenestram moveatur, & illo versus meatum auditorium recedente, hæc itidem eodem momento versus
98. tympanum relabatur. Hinc a stapedis musculo altiorem hujus basis per fenestram cum membranæ ruptura ascensum non tantummodo impediri, sed & impulsorum ossiculorum restitutionem promoveri, aut saltem præcaveri, ne in validiori eorundem restitutione tenuis stapedis cum reliquis ossibus commissura dissolvatur.
101. Membranam tympani ruptam haud difficulter in integrum restitui posse, variis comprobatur observationibus; a sono autem omnino commoveri, exactiori scrutinio aliarum tympani
106. partium in eundem usum conspirantium confirmatur. Per foramina in tympano detecta, fluida morbosa a cavitate cranii modo ad meatum auditorium, modo ad oris cavum, modo ad nares ex-
112. pelli, itemque per eadem aerem externum in duram matrem immediate agere, atque odoramenta in affectibus apoplecticis insi-
116. gnem virtutem exerere posse, uberius docetur; quemadmodum, si tuba Eustachiana claudatur, auditum illico amitti, observationi-
121. bus demonstratur. Uvula cum musculis pharyngo-staphylinis & salpingo-staphylinis, aliquando ad exquisite audiendum eatenus usum præstare posse statuitur, quatenus orificium pharyngis, quod ver-

versus nares aperitur, a dictis musculis uvulam versus medium hujus orificii simul trahentibus obturetur, obturatumque minorem aeris quantitatem transmittat. Et auditum a musculorum salpingo-staphylinorum erosione omnino graviorem reddi, per experientiam omni dubio liberatur. Tandem sonori motus, interveniente membranæ tympani atque ossiculorum motu ad labyrinthi vestibulum delati, eo ordine canales semicirculares atque cochleam percurrere fusius indigitantur, ut ab eisdem intra vestibulum labyrinthi commune canalis majoris & minoris orificium, nec non canalis minimi orificium augustius, utpote fenestræ ovali e directo opposita, primum ingressis, hinc per tres canales ac tria reliqua orificia ad vestibulum, demumque ad scalam vestibuli in cochlea reflexis, potissimum tres canalium zonas, zonamque cochleæ, latitudine & longitudine propter diversorum tonorum perceptionem distinctas, tanquam primarium auditus organum, affici distinctius constet. De cætero spem *industrius Autor* facit, se posthac, si otii penitusque artificis copia suppetat, naturalem hanc auris humanæ anatomen artificiali, dudum desideratam, esse illustraturum. Ex Figurarum autem elegantissimarum Tabulis decem, Indici antepositis, eas inprimis transcribere visum fuit, quæ Tabulam V, VI & X constituentes, novæ musculorum uvulæ & laryngis descriptioni lucem præferunt, omnesque auris partes, auditui maxime inservientes simul junctas, atque proprio situ & magnitudine exprimunt.

p. 122. C. 6. 126. 136. 140. 144.

TAB. X. Fig. 2.

Uvulam exprimit, secundum partem anteriorem, cum suis musculis juxta novam descriptionem delineatis. TAB. X. Fig. II.

A. Uvula.
BB. Musculi salpingo-staphylini.
CC. Musculi glosso-staphylini.
DD. Musculi pharyngo-staphylini.
ee. Tonsillæ.

Figur. 3.

Pharyngem exhibet, secundum partem anteriorem, cum suis omnibus juxta descriptionem datam orificiis & musculis; exceptis musculis glosso-staphylinis, in præcedenti Figura lit. CC. sufficienter depictis. Fig. III.

FF. Mu-

FF. Musculi salpingo-staphylini.

G. Uvula sua membrana, nec non parte glandulosa, denudata, ut appareant fibræ musculares in eandem se inserentes. Eadem vero uvula sursum aliquantum tracta, ut orificium pharyngis ad nares aliquatenus in conspectum veniat.

HH. Musculi pharyngo-staphylini, sive mavis staphylopharyngæi; a quorum dextro membrana investiens sublata est, ut fibrarum ejus * * integer processus manifestetur.

II Musculi glosso-pharyngæi: quorum progressus, ut ex toto appareret, pars superior membranæ pharyngis ablata fuit.

KK. Orificium ad nares.

LL. Musculi stylo-pharyngæi.

MMMM. Musculi hyo-pharyngæi.

NNNNnn. Musculi thyro-pharyngæi.

OO. Musculus crico-pharyngæus.

P. Oesophagi principium.

QQ. Orificium ad os.

rrrrrr. Glandulæ hic illic in pharyngis cavitate conspicuæ.

S. Orificium pharyngis ad œsophagum.

TAB. X. Fig. IV.

Figur. 4.

Pharyngem sistit, omnesque ejus musculos secundum partem posteriorem.

AA. Musculi salpingo-staphylini.

BB. Glosso-pharyngæi.

CC. Glosso staphylini.

* Uvula sua membrana, nec non parte glandulosa denudata; eademque sursum aliquantum retracta, ut orificium ad nares conspiciatur.

DD. Orificium pharyngis ad nares.

22. Musculi pharyngo-staphylini.

EE. Stylo-pharyngæi.

FFFF. Hyo-pharyngæi.

GGGGgg. Thyro-pharyngæi.

HH. Crico-pharyngæus.

33. Linea tendinosa, quam concurrentes musculi glosso-pharyngæi, hyo-pharyngæi, thyro-pharyngæi componunt.

I. Oesophagus.

Fig. 5.

Fig. 5.

Aurem exprimit ab anteriori parte, ſive qua finem ſpectat, aliquantum tamen verſus occiput inclinatam, ut diſtinctius quatuor oſſicula in conſpectum veniant.

a. Extremitas aquæductus Fallopiani, a qua auditorii nervorum paris portio dura erumpit.

b. Portio oſſea ex parte ſinuoſitatis maſtoideæ, illa nempe, cui alligatur proceſſus brevior incudis, ideo relicta, ut de ejusdem incudis hypomochlio melius conſtet.

c. Muſculus minimi proceſſus mallei. Muſculus vero proceſſus minoris huic oppoſitus obſervari non poteſt, quia totus ſub incude & meatu auditorio reconditur.

d. Muſculus proceſſus majoris, qui per totam tubæ Euſtachianæ longitudinem extenditur, a canali ſuo oſſeo liberatus.

e. Cartilaginis tubæ Euſtachianæ anterius latus, in quod præcedentis muſculi fibræ carneæ inſeruntur.

ff. Muſculus novus tubæ Euſtachianæ.

g. Muſculus ſtapedis, liberatus a canali ſuo oſſeo.

1. Canalis ſemicircularis major.

2. Canalis ſemicircularis minor.

3. Canalis ſemicircularis minimus.

4. Veſtibulum, in cujus ſecundum hanc partem inſpecti fornice duo tantummodo foramina occurrunt ex quinque illis, quæ nerveos ſurculos in ejusdem cavitatem transmittunt. Tria, quæ ſuperſunt foramina, in ſequenti Figura ſub oculos cadunt.

5. Canalis cochleæ.

6. Nervorum auditoriorum portio mollis, unam ſui partem verſus cochleam demittens, alteram vero, quæ in ſurculos quinque dividitur, in veſtibulum protendens: ex quibus ſurculis duo abſciſſi, ne duo illa, per quæ ipſi ingrediebantur, modo indicata foramina obtegerent.

Fig. 6.

Aurem delineat, viſam a parte poſteriori, ſive qua occiput ſpectat, eousque tamen verſus anteriora inclinatam, ut feneſtra rotunda, membrana tympani, & ex parte etiam oſſicula in conſpectum veniant.

a. Aquæductus Fallopianus.
b. Tubæ Eustachianæ principium.
c. Cartilaginis ejusdem tubæ posterius latus.
d. Tubæ finis.
1. Canalis semicircularis major.
2. Canalis semicircularis minor.
3. Canalis semicircularis minimus.
4. Vestibulum, in cujus, ab hac parte inspecti, fornice primo exigua tria foramina in conspectum veniunt ex quinque illis, quæ nerveos surculos in vestibulum transmittunt. Deinde sub iis foraminibus, aliud majus foramen occurrit: & hoc est fenestra rotunda.
5. Cochleæ canalis, intra cujus gyros relicta est sinuositas illa minimis foraminibus pertusa, ex qua ea pars portionis mollis, quæ cochleæ prospicit, eandem cochleam per indicata foramina ingreditur: quæ porro majoris perspicuitatis gratia paulo majuscula, quam naturaliter sunt, ostenduntur. Cætera ex præcedentis Figuræ explicatione perspicua sunt.

Fig. 7.

Exponit membranam vestibuli, item cochleæ & canalium semicircularium zonas, molli nervorum auditoriorum portioni annexas, magnitudine naturali & in eodem situ, in quo conspicerentur, si tota ista labyrinthi superficie, quæ in præcedenti Figura exhibetur, sublata, ipse labyrinthus aperiretur.

TRAITISE OF FLUXIONS, OR AN INTRODUCTION to Mathematical and Mechanical Philosophy, useful for those, that would apply Mathematiks to Nature, by Charles Hayes. Gent.

h. e.

TRACTATUS DE FLUXIONIBUS, SIVE INTRODUCTIO ad Philosophiam Mathematicam & Mechanicam, in eorum gratiam conscripta, qui Mathesin rebus naturalibus applicare cupiunt. Autore CAROLO HAYES.

Londini apud E. Midwinter, etc. 1704. fol.
Constat plagulis 315.

Autor

Autor Nobilissimus & in novo calculo infinitesimali probe versatus, quantitates, quæ partem quantitatis finitæ infinitesimam constituunt, seu differentias infinitesimales sive inassignabiles, cum nonnullis vocat Fluxiones, ad imitationem receptæ phraseos, qua ex fluxu puncti dicimus fieri lineam; quanquam id revera nihil aliud significet, quam motu puncti lineam describi. Voluit autem hanc doctrinam exponere post *Illustrissimum Marchionem Hospitalium*, cujus præmaturum obitum adhuc lugemus, etsi in modis loquendi & notandi nonnihil ab eo recedat. Alia tamen nonnulla alterius generis utilitatis causa adjungit, & in procemio doctrinam Conicam compendiose proponit ex opere nuper edito *Clarissimi Milnes* de Conicis Sectionibus.

Sect. 1 Naturam quantitatum infinitesimalium exponit. *Sect.* 2 Algorithmum hujus calculi tradit, ab *Illustri Leibnitio* in Actis nostris anni 1684 mense Octobri primum propositum, & simul ostendit in multiplicationis Algorithmo, quomodo duorum rectangulorum xy & (x) (y) seu ABCD & AEFG differentia sit $xdy + ydx$. Quod adjectis litterarum notationibus ad ejus figuram hoc modo designare visum est in fig. VIII, ubi AB est x, AD y AE est (x) seu $x+dx$, AG est (y) seu $y+dy$ & ABCD est xy, & AEFG est (x) (y) & GDCH est xdy, & EBCI est ydx. Unde patet, inter ABCD & AEFG differentiam esse GDCH & EBCI una cum CIFH, seu $dxdy$, sed quod habetur pro nullo. TAB. X. Fig. VIII. *Sect.* 3 agit de modo per calculum ducendi Tangentes, incipiens a circulo, paraboloidibus & hyperboloidibus: de ellipsibus quoque & focis tractat: calculum etiam Tangentium ex Curvarum æquationibus ducere docet: deinde ad Curvas non Analyticas procedit. Nonnulla etiam exempla exhibet pro methodo Tangentium inversa, ubi ex valore Subtangentis non difficulter reditur ad æquationem, in qua nulla alia est indeterminata, quam abscissa & ordinata. *Sect.* 4 est de areis curvilinearum superficierum, quas, ubi opus, seriebus infinitis exhibet. Agit & de Logarithmicæ, Cycloidis, Cissoidis & talium areis. *Sect.* 5 de Maximis & Minimis, quam rem illustrat exemplo Dioptrico de facillima via radiorum lucis, & quæ convenit cum linea brevissimi descensus, de quibus in his Actis. *Sect.* 6 de punctis flexus contrarii & regressus in Curvis. *Sect.* 7

de solidorum dimensionibus & speciatim de iis, quæ rotatione generantur. *Sect. 8* de curvarum in rectum extensionibus & evolutionibus. *Sect. 9* de lineis, quæ concursu reflexarum formantur. *Sect. 10* de iis, quæ formantur concursu refractarum; quas lineas quidam catacausticas & diacausticas vocant. Ubi & de focis vitrorum sphæricorum succedaneorum. *Sect. 11* de centris gravitatis linearum, superficierum & corporum. *Sect. 12* de centris percussionis. *Sect. 13* de centris oscillationis & de pendulis isochronis. *Sect. 14* de infinitesimalium usu in Astronomia. Hic motus Planetarum in ellipsibus explicantur, nec tantum *Newtoni* calculus exponitur per lineas trajectorias, sed & *Leibnitii* per circulationem harmonicam & paracentricas impressiones, ex Tentamine ejus de motuum cœlestium causis his Actis inserto. *Sect. 15* de tangentibus curvarum & differentialibus quantitatum exponentialium: cujus calculi fundamenta, ut multa alia hujus operis, ex his Actis transsumuntur, & subinde utiliter illustrantur.

EPISTOLARUM B. PAULI APOSTOLI TRIPLEX Expositio. Autore R. P. BERNARDINO A PICONIO, Minorita Capucino, S. Theologiæ emerito Professore & antiquo provinciæ Parisiensis Definitore.

Parisiis, apud Jo. Anisson, 1703. in fol. Alph. 9.

SCriptorum Paulinorum egregia captus præstantia operis præsentis Autor, Senex venerandus, die eadem ac nocte meditari per longum satis temporis spatium studiose perrexit, & post exactam cujusque capitis discussionem, imo & post plerorumque versuum & verborum saltem obscuriorum explicationem in *Commentario* factam, brevem capitis instituit *Analysin*, in qua velut in speculo exhibetur statim ordo & connexio textus Apostolici, cui denique *paraphrasin* quandam superaddidit, quæ mentem illius fideliter exponeret. Singula autem hæc privatos primum in usus consignavit, nunc vero aliis etiam inservire meditationum suarum publica hac evulgatione laboravit, in qua tamen Analysin & Paraphrasin, utut natu utraque posterior sit, Commentario jure antepo-

reposuit. In *Analysi* capitis cujusque habetur in suas partes resolutio, quæ tamen ordinem & connexionem simpliciter declarat. In *Paraphrasi* texenda sedulo cavit, ne plura diceret, quam cogitaverit Apostolus, indeque mentem cujusvis textus breviter & clare aperuit ipsiusmet Apostoli verbis, aut saltem æquivalentibus, paucis aliquando tantum additis, quæ ad pleniorem intelligentiam visa fuere necessaria. In *Commentario* id egit, ne tricis Grammaticalibus aut quæstionibus mere curiosis animus distractus exsiccaretur. Istis ergo sepositis, earum loco observationes ubique pias, morales & asceticas expositioni admiscuit. Triplicis hujus operæ dilucidationem hanc subministrat. Analysin designare ait in charta quasi Geographica provincias, urbes & oppida, per quæ iter faciendum sit; Paraphrasin easdem provincias, urbes & oppida in semetipsis exhibere notat, verum adhuc quoque summatim quasi & in globo; at Commentarium uniuscujusque urbis templa, palatia, aliaque visu digna quæcunque sigillatim repræsentare innuit. In Prologo, Paulinis Epistolis omnibus generatim præmisso, de earum agit ordine, quem juxta Tillemontii mentem ita concipit, ut primam omnium priorem ad Thessalonicenses, ultimam vero posteriorem ad Timotheum constituat. Sed & singulis seorsim Epistolis peculiares addidit præfationes, in quibus de earum occasione, scopo, summaria idea aliisque ejuscemodi disseruit. Ex iis autem ut vel unicum huc afferamus, notatu haud censemus indignum, quod anceps Autor hæreat, dicendumne cum Theophylacto, quod Epistola ad Hebræos scripta quidem a Divo Paulo fuerit Hebraice, sed ab Interprete perito post in Græcam linguam traducta, sive Lucas ille, sive forsan alius censendus sit? an affirmandum cum Origene, quod cogitata quidem Pauli sint, dictio vero alicujus ex illius discipulis, qui ipsius scribam & interpretem una se gesserit? Quæ in Commentario occurrunt notæ atque observationes, paulo breviores sunt, & a recepta passim, Scriptores ad minimum inter Pontificios, interpretandi ratione vix unquam maximopere discrepant.

BESCHRYVING VAN OUD EN NIEUW ROME.

i. e.

DESCRIPTIO VETERIS NOVÆQUE ROMÆ.

Amstelodami, apud Franc. Halma, & Lugduni Batavorum apud Petrum van der Aa, 1704. in fol.

Constat decem fere alphabethis, & figurarum æncarum justis plagulis circiter 90, præter minores quam plurimas ipsi textui insertas.

Splendidissimum hoc opus, etsi Batavorum præcipue usibus destinatum, dignissimum tamen est, quod ad notitiam omnium, qui bonas literas & elegantius effictas imagines in deliciis habent, perveniat. Postquam nimirum magnum illud Thesauri Antiquitatum Romanarum Græviani opus Bibliopolæ celeberrimi in lucem edidissent, magno inter alia figurarum æri faberrime incisarum numero ornatum illustratumque, ut ex sumtibus eam in rem factis fructus etiam aliquis ad nationalium suorum eos, qui vel Latine nesciunt, vel Thesaurum ipsum comparare non poterant, redundaret, id ceperunt consilii, ut Thesauri velut epitomen quandam, seu breviorem Romæ descriptionem adornandam curarent, sed iisdem figuris, & si quæ obviæ forent, aliis instruendam. Hæc agitantibus commodum in manus incidit Doctissimi Viri *Francisci Deseine*, gente Parisiensis, sed qui fortunarum sedem Romæ constituit, *Descriptio Urbis Romæ*, quam hic Gallico sermone in usum peregrinantium composuerat, Lugduni in Galliis A. 1690 edita, & a nobis in Actis hisce Tomo II Supplementorum Sectione VII p. 345 recensita. Eam itaque instituto suo maxime idoneam, ex Gallico sermone in Belgicum transfundi curarunt, integram, cumque nossent, *Basilii Kenneti Antiquitates Romanas*, Anglice antehac in usum Ducis Glocestriæ p. m. editas, in pretio esse apud Eruditos, a Viro Clarissimo *Wilhelmo Sewel*, quem constat Bibliothecam Orbis Eruditi (*De Boekzaal der geleerde Werelt*) Belgico idiomate hoc tempore adornare, facile impetrarunt, ut illas ex Anglico in Belgicum itidem sermonem traduceret. Ita ex duobus illis scriptis nata nostris *Roma* hæc *Vetus & Nova*, tot ico-

iconismis exornata, quæ non potuit non, Belgis inprimis, longe esse gratissima. Unum est, quod addamus, Romæ Veteri *Picturas* quoque *Antiquas Sepulchri Nasoniorum*, a Petro Santi-Bartoli delineatas & a J. P. Bellorio illustratas, Romæque primum Italice A. 1680 editas, quas Latine a Ludolpho Neocoro conversas Tomo quoque XII Thesauri Græviani inseruerant Editores, nunc Belgico sermone operi huic adjectas esse.

Algemeene Weereld-Beschryving &c.

Hoc est:

GEOGRAPHIA UNIVERSALIS AB A. PHER. DE LA CROIX Gallice primum conscripta, nunc vero in Belgicum sermonem translata a S. DE VRIES.

Amstelodami, apud Fr. Halma, 1705. in 4.

Constat Alph. 10, Plag. 13, Figuris æneis 100.

ET hunc librum Batavorum itidem usui præcipue dicatum, nobis indicare hic paucissimis suffecerit. De prima editione Geographiæ hujus Gallica, in Actis nostris A. 1693, p. 114 seq. diximus, additis etiam animadversionibus nonnullis. Secundæ Germanicæ, in hanc nempe linguam ab Hieronymo Dicelio nostro conversæ & hic illic auctæ, A. 1698, p. 169 meminimus. Tertia hæc Belgica est, quam Simoni de Vries, Viro multis nominibus de nationalibus suis bene merito debemus, qui non solum opus hoc amplificavit magis emendavitque, sed & celeberrimi Sansonis chartas Geographicas & præcipuarum urbium delineationes elegantes adjecit.

SPECIMEN LITHOGRAPHIÆ HELVETICÆ CURIOSÆ, QUO Lapides ex Figuratis Helveticis selectissimi æri incisi sistuntur & describuntur a JOHANNE JACOBO SCHEUCHZERO Med. D.

Tiguri typis Davidis Gesneri, 1702. in 8. Constat plag. 5. & fig. Tab. VII.

QUanta sit solertia Clariss. Authori, scientiam Physicam in altius evehendi fastigium, testatur abunde, quam ante paucos annos publici juris fecit, Physica Germanico idiomate conscripta. Helveticam in specie Historiam naturalem penitius ut pertexat, interdiu atque noctu operam navat non exilem. Cujus testimonium præsens præbet fragmentum, ex quo de ingenti Fossilium figuratorum in Helvetia reperiundorum numero judicare quis facile potest. Historicum potius quam

quam Physicum agit in hoc specimine Vir Clar. ab examine hypothesium & propriarum cogitationum de origine id genus mirandorum propalatione abstinens. Communicabit tamen easdem, majori observationum supellectile si fuerit instructus, in ampliori opere, cui collectanea inde ab aliquot annis se parasse, in præfamine enuntiat. Pro quo conatu suscipiendo & absolvendo ut Deus vires & sanitatem largiatur, omnes boni nobiscum exoptant. In præsenti Fossilia figurata maxime rara & curiosa nominasse sufficiat. Qualia sunt Concha fossilis tellinoides porosa & levis p. 21; Astacopodium binis articulis invicem junctis constans p. 27; Rajæ cauda fossilis p. 29; Lentes lapideæ striatæ, utrinque convexæ, vitreis figura similes, in massa lapidea vario sub schemate conspicuæ p. 30; Cranioides, p. 45; Conchula fossilis echinata p. 49; Conchites ab uno cardinis latere brevissimus, ab altero longissime excurrens, striatus p. 54; auris marina fossilis, p. 58; Ceratoides articulatus striis transversis undatus, & ornamentis foliaceis insignitus p. 59; Echinometræ digitus fossilis stellulis undique exornatus p. 63; Cancri Moluccani fragmentum fossile pag. 65.

LIRI NOVI.

Suidæ Lexicon Græce & Latine. Textum Græcum cum manuscriptis codicibus collatum a quamplurimis mendis purgavit, Notisque perpetuis illustravit &c. Ludolphus Kusterus. Cantabrigiæ, typis Academicis, 1705, fol. Tomi tres.

Antiquæ Literaturæ Septentrionalis Libri duo. Quorum primus Georgii Hickesii S. T. P. Linguarum veterum Septentrionalium Thesaurum Grammatico-Criticum, & Andreæ Fountaine Equitis Aurati Numismata Saxonica & Dano-Saxonica: alter Humfredi Wanleii Librorum veterum Septentrionalium Catalogum Historico-Criticum complectitur. Oxoniæ e Theatro Sheldoniano, 1705, fol. Tomi tres.

Humfredi Hodii de Bibliorum Textibus Originalibus, Versionibus Græcis & Latina Vulgata Libri IV. Oxonii e Theatro Sheldoniano, 1705. fol.

D' Amboinsche Rariteitkamer, of Eene Beschryvinge van allerhande Schaalvischen, benevens de voornaamste Hoorntjes en Schulpen, als ook zommige Mineraalen, Gestenten &c. door Georgius Everhardus Rumphius. T' Amsterdam, by Francois Halma, 1705. fol. cum figuris multis æneis.

* * * * * * * * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Novembris, Anno MDCCV.

DESIDERII ERASMI OPERUM OMNIUM TOmus V, VI & VII.

Lugduni Batavorum, apud Petrum van der Aa, 1704. 1705. 1706. in folio.

Tomus V constat Alph. 7. plag. 16.
- - - VI - - - Alph. 6. plag. 22.
- - - VII - - - Alph. 6. plag. 13.

DE elegantissima, quæ in Hollandia hoc tempore magno studio sumptuque adornatur, Operum Erasmi editione, mense Augusto anni superioris p. 352 sq. diximus, cum primum, secundum ac quartum eorum tomos in his Actis recenseremus. Suffecerit itaque, nunc quidem solum indicasse tres tomos alios, qui ex illo tempore editi nuper admodum ad nos pervenere: ut eo certiori spe omnes, solidioris eruditionis, qualem Erasmi scripta nusquam non spirant, cupidi fruantur, opus integrum & certo & brevi in lucem publicam proditurum. Utique strenue rem urget solertissimus Bibliopola, neque hactenus aliam ob causam tomum tertium Epistolis destinatum premit, quam quod quotidie adhuc ad eum undique ex Bibliothecis illustribus epistolæ hactenus ineditæ perferuntur, quas una cum antea impressis Lectori benevolo communicare gestit: cujus rei jam aliquod indicium a nobis in Novis Literariis mensi nupero Majo subjunctis factum meminimus.

Tomus ergo *Quintus* scripta Erasmi, quæ ad pietatem instituunt, eaque numero triginta novem complectitur. In his Theologum Practicum se exhibuit Erasmus, ac doctissimi Edito-

ris, qui Præfationem præmisit, judicio, dum salutaria monita Lectorum animis instillare nititur, ipse rerum Divinarum amorem, quo animus ejus arsit, abunde prodidit. Tametsi vero idem optet, ut quemadmodum olim pleraque opusculorum horum Galli, Angli, Belgæ, Hispani atque Poloni in linguas vernaculas translata habuerunt, ita & novæ, post tantam linguarum harum a temporibus Erasmi ad hanc usque ætatem mutationem, ad elegantiam seculi eorum versiones adornentur, ut etiam, qui Lat ne nesciunt, ad lectionem eorum alliciantur: ita non dissimulat tamen, esse in iis quædam, quæ nec sibi, nec aliis, sine ulla exceptione probentur; sed pauca ea ferenda esse monet, ob præstantiam doctrinæ ac salubritatem præceptorum in parte maxima obviam. Eminere autem præ cæteris idem censet *Enchiridion Militis Christiani* (cui Lovanii A. 1518 edito quæ præfixa ab Erasmo fuerat epistola, in nostra hac editione in volumen epistolarum amandata est, constituitque trecentesimam vigesimam nonam) *Opusculum de ratione veræ Theologiæ*, *Christiani Matrimonii Institutionem*, & *Viduam Christianam*.

Tomus Sextus Novum Testamentum, cum versione Erasmi Latina Græco textui e regione adjecta, ejusdemque Annotationes exhibet. Quæ quidem nova editio prioribus non uno nomine præferenda est. Nam primum cum in illis numeri commatum non essent additi, in hac & Græcis & Latinis diligenter addi curavit Bibliopola. Dein Annotationes Erasmi, quæ ad calcem subjectæ antea erant, ut facilius conferri cum textu ipso possint, singulis nunc paginis subjiciuntur. Eædem porro, ut commodius inveniantur, referuntur ad numeros versionis Erasmi, cum ipse olim non in suammet, sed vulgatam translationem eas scripsisset. Præterea summa totius Scripturæ & Index rerum, quæ in Novo Testamento leguntur, in editione autem Frobeniana Operum Erasmi A. 1540 non comparent, quod tamen in antiquiore alia Novi Testamenti editione invenirentur, probante haud dubie Erasmo adjecta, ea hic quoque adjecta deprehenduntur: perinde ac additamenta alia elegantia & frugifera, quæ in editione Basileensi anni 1522 leguntur, in secutis aliis dubium quam ob causam resecta. Ut adeo nihil omiserit Bibliopola eorum, quæ

quæ novam hanc editionem quam perfectissimam reddere possent. In Præfatione eruditissimus Editor a suspicione Arianismi, in quam apud nonnullos Erasmus inciderat, quod loca quædam, quæ ad Divinitatem Christi, tot aliis argumentis abunde evictam, probandam præter necessitatem adduci vulgo consueverunt, labefactare in Annotationibus visus esset, breviter eundem vindicat.

Tomus Septimus Paraphrases Erasmi in Novum Testamentum continet, Opus, judicante Editore in Præfatione, quod inter omnes ejus lucubrationes multis maxime placuit, atque Auctori minimam invidiam creavit. Ne vero nec illæ ornatiores prodirent, commata primum diligenter numeris ad marginem notari Bibliopola curavit. Deinde textum quoque integrum Vulgatæ Novi Testamenti versionis in margine exhibuit, primis tantum octo Matthæi capitibus exceptis, quod hujus rei non statim ab initio impressionis in mentem venisset. Denique singulis capitibus summam contentorum complexa disticha præfiguntur, dudum nescio a quo edita, nec nulli tamen usui Lectori futura.

OBSERVATIONES MACULARUM SOLARIUM a R. P. JARTOUX Soc. Jes. Pekino missæ ad G. G. L.

Die prima mensis Novembris anni 1701 hora circiter post meridiem $1\frac{3}{4}$ directis casu in Solem Telescopiis 6 pedum, visa est macula in disco Solis distans $\frac{1}{11}$ circiter a margine inter orientem & meridiem. Illius figura erat oblonga sed irregularis; mole exiguam muscam æquare visa est. Fig. I. TAB. XI. Fig. 1.

Eadem die hora circiter tertia apparuit alia, sed multo minor, inter priorem & marginem Solis, paulo vicinior majori maculæ quam margini. vide Fig. 2. Fig. 2.

Die secunda oriente Sole eædem visæ sunt maculæ, quæ prius, sed paulo a margine remotiores, & inter se magis dissitæ. Tum alia tertia deprehensa est inter primam & secundam versus Astri meridiem; hæc erat minima, nec nisi telescopio duodecim pedibus longo videri potuit. Vide Fig. 3. Secunda longior Fig. 3. apparuit quam hesterna die, ita ut in Solis marginem prope orientem porrigeretur. Maxima seu prima macula visa est circumdata

crassiori aliquo quasi aere in modum atmosphæræ, cujus extrema facile discerni possent. Multæ etiam passim illuxerunt faculæ tres illas complexæ maculas, & ad viciniorem Solis protractæ marginem. Hæc per duas horas ab ortu Solis distincte observare licuit.

Eadem die ante occasum Solis secunda seu minor macula in duas divisa fuit, easque exiguas, sed distinctissimas. Tum non longe a tertia macula mane deprehensa, altera quarta conspecta fuit tenuior, Solisque versus orientem sita. vid. F. 4.

Fig. 4.

Die tertia oriente Sole paulo major visa est prima macula una cum ampliori quasi atmosphæra. Secunda non amplius in duas divisa apparuit, sed vel utræque coaluerunt inter se, vel alterutra evanuit. Quæ superfuit tamen ex illis, erat rotundior quam prius. Tertia situm mutasse visa fuit, eandem rectam lineam cum prima & secunda occupabat. Quarta vero tenuior quæ hesterna die primum apparuerat, magis ad meridiem accessit, fuitque semper minor qualibet altera & primæ ampliorique maculæ propior. vid. Fig. 5.

Fig. 5.

Ex tot maculis sola constans fuit, quæ prima maximaque fuerat; nam cæteræ omnes una cum faculis evanuerant, etiam ante horam post meridiem secundam. Interea duæ aliæ (F. 6.) mole quidem exiguæ, sed obscuritate conspicuæ visæ sunt, inter centrum Solis & constantem priorem maculam æquo ferme intervallo. Tum inter extremas istas alia tertia, denique etiam quarta deprehensa fuit, ita ut duæ extremæ majores, duæ mediæ minores essent, vixque percipi possent. Fig. 7.

Fig. 6.

Die quarta oriente Sole jam non amplius visæ sunt minores maculæ, quæ pridie apparuerant. Sola major illa, de qua prius, conspici potuit, sua semper circumdata quasi atmosphæra. Sed tamen hora post meridiem $2\frac{1}{4}$, eam ferme dixisses divisam in duas, quarum altera minor meridiem, altera major Solis orientem respiceret. Occidente deinde Sole, divisa etiam visa fuit, sed non certo, ita ut dubium adhuc esset, an perforata, an secta in duas foret macula; ea jam tum tertiam Solaris diametri partem percurrisse videbatur. Fig. 8.

Fig. 7.

Fig. 8.

Die

Die quinta oriente Sole, quantum solius telescopii ope judicare potui, deprehendi maculam illam tunc sitam esse in diametro efficiente cum axe Solis angulum circiter viginti quinque gradus orientem inter & meridiem: eamque jam $\frac{2}{3}$ partibus diametri versus centrum processisse. Denique divisam esse in duas, certo compertum est. Quæ minor hesterna die meridiem respicere videbatur, ea hodie versus proximum Solis marginem sita eandem omnino cum majori diametrum occupabat. Fig. 9. Fig. 9.

Eadem die hora circiter post meridiem $2\frac{1}{4}$ divisæ superius maculæ intervallo majori distare ab invicem visæ sunt, ita tamen, ut eadem adhuc quasi atmosphæra concluderentur. Major Solisque centro vicinior juxta minorem in longum porrigebatur: minor vero prope triangularis erat. Cæterum jam tantæ molis non erant, quantæ fuerant altero abhinc die, priusquam divisæ apparerent. Ante Solis occasum magis semper ac magis ad Astri centrum occidere eædem maculæ visæ sunt. Fig. 10. Fig. 10.

Die sexta duplex illa constansque macula Solis axem superasse deprehensa est centrum inter & meridiem, minorque ipsius a centro digressio videtur fuisse $\frac{1}{10}$ diametri. Situs utriusque is fuit, quem fig. 11. exhibet. Fig. 11. Atmosphæra, quam dixi comprehendere maculas, jam etiam in duas dividi tenuiorque fieri visa est. Hæc Sol oriens Fig. 12. Fig. 12.

Eadem die ante occasum Solis maculæ multum ad occidentem processerant.

Die septima Nov. oriente Sole utraque non parum minui macula visa est. Motus ad occidentem videtur fuisse celerior circa axem Solis quam alibi. In ipso meridie transmissa per telescopium Solis imago, & plano perpendiculari excepta eum macularum situm exhibuit, quem ostendit Fig. 13. Fig. 13.

Eadem die occidente Sole, maculæ mihi visæ sunt adeo vicinæ diametro conjungenti orientem & occidentem, ut semper dubitaverim, an illum jam superavissent, nec ne. Etsi minuantur indies plurimum, tamen illas ad extremum discum perventuras existimavi, imo & aliquamdiu postea duraturas, quanquam absoluto orbe recurrere non posse videantur.

Die octavo Sol tam oriens quam occidens, maculas minui & ad septentrionem jam declinare confirmavit: in ipso meridie ab occidente abesse visæ sunt $\frac{1}{5}$ parte diametri.

Die nona orto jam Sole maculæ visæ sunt ab occidentali margine distare circiter $\frac{2}{13}$ diametri. Fig. 14 exhibet macularum situm ipso meridie observatum. Sol occidens eas multo minores & ad marginem eodem cursu procedentes ostendit.

Fig. 14.

Die decima macularum situs e diametro respondebat ei loco, in quo primum deprehensæ fuerant, antequam in duas abirent. In ipso meridie atque occidente Sole illas quidem, sed non illarum atmosphæram per nubila videre licuit. Fig. 15.

Fig. 15.

Die undecima orto jam Sole visa est macula instar puncti oblongi jamjam proxima margini occidentali. Fig. 16. Illi præibat punctum lucidum paulo maculæ quam margini vicinius, sed valde conspicuum. Aliud etiam punctum lucidum micabat in maculæ capite versus occidentem. Prope eandem versus centrum erant multæ aliæ longiores faculæ.

Fig. 16.

Eadem die, hora circiter decima, deprehendi vix potuit macula, quæ non nisi instar lineolæ apparebat vicino Solis margini parallelæ. Micabant etiam duo, de quibus superius, puncta lucida. In ipso meridie eadem macula visa est declinare ab occidente versus septentrionem, viginti aut viginti quinque circiter gradibus. Hora circiter secunda, præter duo superiora puncta micantia, apparuit non longe a macula linea curva perlucida versus septentrionem, quam etiam mane deprehendisse mihi visus sum. Eadem vidi adhuc occidente Sole. Fig. 17.

Fig. 17.

Die duodecima oriente Sole frustra quæsivi maculam, quæ in percurrendo Solis disco insumsisse mihi visa est duodecim circiter dies.

Atque ea sunt, quæ circa Solis maculas homini observare licuit omni ope destituto, tum quadrantis, tum horologii oscillatorii. Verum ea ipsa solum die, qua videri desierunt maculæ, in mentem venit mihi, potuisse me facile constantem illius maculæ locum in disco Solis sine ullo errore deprehendere, qualibet non solum die, sed etiam diei hora, atque ita ejus motum certo metiri, si

ſi nempe teleſcopio aptaſſem duo, ut fit, ad angulos rectos ſe mutuo ſecantia reticula, tum directo ad Solem teleſcopio numeraſſem oſcillationes alicujus globi e filo penduli, dum Sol mox unum, mox alterum ſimul percurrit reticulum, atque etiam notaſſem, cui oſcillationi uterque per utrumque reticulum maculæ tranſitus reſponderet: nam tunc ſive linearum ſive numerorum ope habuiſſem, quonam in Solis loco ſita eſſet macula.

Quod ſpectat ad faculas, cum meminiſſem *Chriſtiano Eugenio* nunquam in Sole viſas fuiſſe, eximiumque illum Aſtronomum ſentire, in Sole nihil eſſe poſſe ipſo Sole lucidius, majori adhibita diligentia, quicquid potui diu multumque obſervavi, idque præcipuum deprehendi, fuiſſe circum faculas quandam diffuſam quaſi fuliginem tenuiori fumo haud abſimilem, ita ut faculæ nullo modo eſſent lucidiores iis Solis partibus, quæ nulla ejusmodi fuligine macularentur. Unde fieri poſſe putavi, ut materia, ex qua conflarentur, vel in quam reſolverentur maculæ, diffuſa per aliquam Solis partem ſua hic denſitate maculas, hic diaphaneitate faculas in Sole efficeret, præſertim cum non apparuerint faculæ, niſi creſcentibus aut jam evaneſcentibus maculis.

UITLEGGINGE VAN DEN PROPHEET AMOS &c.

i. e.

EXPOSITIO PROPHETÆ AMOS, QUA VOCUM EMPHASIS, loquendi formulæ, priſcarum gentium ritus, variæque antiquitates & hiſtoriæ explicantur. Per THEODORUM van TOLL, apud Wudebergenſes Miniſtrum.

Trajecti ad Rhenum, apud Ant. Schouten, 1705. in 4.

Conſtat alph. 3. plag. 3.

QUi edecumatis lucubrationibus ſuis, quibus tum jura Chriſti Regia ex Pſ. LXXII, 1 (in Actis noſtris A. 1687 menſe Martio p. 111. memorata) tum Prophetiam Joelis juſto commentario illuſtravit, ſolidæ eruditionis laudem, publicumque meruit plauſum Reverendus Autor, jam abſolutum expoſitionis vaticiniorum Amoſi opus erudito orbi ſiſtit, nec autoris indignum nomine, nec lectori pœnitendum. Cujus in elaboratione eandem praef. *** 3.

dem secutum se fatetur rationem ac methodum, qua in Joele explicando usus, quamque in præfatione illius commentarii prolixe exposuit.
p. 2. Rem omnem vero ita aggreditur, ut universam Prophetiam in tria partiatur membra, quorum 1. gravissima complectitur judicia Dei ac pœnas Syriis, Philisthæis, Tyriis, Edomitis, Ammonitis & Moabitis infligendas: 2. Judaici extirpationem populi, sublatumque penitus a Juda & Israel regnum juxta ac sacerdotium memorat: 3. regnum Christi divinasque pollicetur benedictiones per Evangelii præconium in conversos Judæos pariter & gentes conferendas.

4. Cum quæ in præcognitis explicari solent, Propheta ipse v. 1 exponat, ad ipsam statim textus exegesin se accingit Autor, ante omnia observans, alium hunc & diversum a Patre Esaiæ, cujus 2. Reg. XIX, 2. 20. 2. Chron. XXVI, 22. Es. I, 1. fit mentio, esse Amosum: quod iste regio ortus sit sanguine, noster autem humili loco natus, & pastoritium vitæ genus secutus. Ubi quidem in significationem vocis נקרים inquirit, quæ cum ad radicem נקר στίζειν, signare, stigmatibus impressis notare, originem suam referat, ob notata ac signata pecora ad pastores translata est. Qua in derivanda origine, varia ex antiquitate lectu haud indigna
5. inspergit. Hinc ad Patriarcharum vitæ institutum pergit, eosque non ex ea, quam Aristoteles reddit, ratione pascendis pecoribus operam dedisse affirmat, quod otio fere diffluant, & sine labore victum parent pastores: sed quod id vitæ genus animum non adeo occupet, aut a divinarum rerum abstrahat contemplatione. Tum & pecorum perquam necessarium in sacris ipsorum usum fuisse: quid quod & pastoritia vita egregia ad rite & sapienter ineundas rationes monita suppeditet, quibus, ex Philonis judicio, Moses etiam, Jethronis oves per quadraginta annos pascens, mansueto po-
6. puli Israel regimini assuefactus fuerit? Tum porro in Ægyptiorum, quo pastores prosequebantur, odii causas paulo curatius inquirit. Et has quidem alii, Manethonis apud Josephum testimonio nixi, in turbas conjiciunt, quas pastores olim Ægyptiis ingentes dederunt, ipsorumque in se animos, irasque hoc pacto
8. concitarunt: alii in pecorum mactatione & cæde collocant, quæ pastoribus frequens, Ægyptiis pecora ceu Numina colentibus, religio-

ligionis fuerit: *Nunquam fas fuit Ægyptiis*, inquit Macrobius L. 1. Saturnal. c. 7. *pecudibus aut sanguine, sed precibus & ture solo placare Deos.* Quod & Juvenalis confirmat: quanquam minus bene huic sententiæ cum Scripturæ testimoniis, Gen. XLIII, 16. XLVII, 16. 17. Exod. IX, 19. convenire videatur. Cunæo quæ circa hanc quæstionem mens sit, ex ipsius verbis l. 1. de Republica
Jud. c. 5. intelligi potest. Et huc quoque faciunt, quæ Jos. Sca- p. 9.
liger Animadvers. ad Chronolog. Eusebii p. 18, Heidegger. Histor. 10.
Patriarch. Exercit. 1, Joh. van der Wayen Varior. Sacr. p. 298, & Burmannus *Wet en Getuygenisse* p. 298 observarunt. Jam ad Amosum redit Autor, c. VII, 14 se inter נקדים referentem: quam vocem cur per *ἀκκαρείμ* LXX Int. lectionis vitio decepti reddiderint, exponit. Thekoam, unde oriundum se ait Propheta, cujus-
que crebra in sacris literis mentio fit, 2. Sam. XIV, 2. XXIII, 26 &c. 11.
Kimchi florentissimum dicit oppidum fuisse regionis Asser: Epiphanius in regionem Zabulon locat, uterque non adeo verisimilibus argumentis nisus. Ex communi sententia urbs Judææ habetur, sex circiter milliaribus, juxta Hieronymum, ab urbe Bethlehem distans, Hierosolymis versus meridiem sita, versus regionem Engeddi & desertum. Quæ licet arida esset & sterilis regio, ovibus tamen alendis sufficiebat, ideoque pastoribus frequens. Quorum e numero cum noster fuerit Propheta, occasionem nactus Autor, locum communem egregie illustrat, qui factum, ut eos
sæpe ad obeunda ministeria sua vocarit Deus, qui nec autoritate, 12.
nec natalium splendore pollerent, sed in re tenui essent, vilesque ac contemti haberentur? Porro occasione verborum v. 1, אשר חזה, cur Videntes olim dicti Prophetæ, & quot cœlestium visionum
in usu fuerint genera, erudite exponit. Sed & ad alia progre- 13.
diendum.

Cum Cap. statim I, p. 37 sqq. pœnas denunciat gentibus Pro-
pheta, in enumerandis ipsarum delictis solenne quasi ipsi est, ut 7.
tria quatuorve memoret peccata: quæ numeri restrictio in varias interpretes sententias traxit. Sunt, qui cum Vatablo, Clario, aliisque e Pontificiis, utroque in unum conflato numero, septenarium efficiunt: commenti præsidium in particulam על singulis præmissam numeris collocantes; tum & quod septenarius multitudinis

 sit

sit & perfectionis numerus, ut in Scripturis Gen. IV, 24, Lev.
XXVI, 18, 21, 24 &c. sic apud prophanos, Callimachum, Phi-
lonem, alios, Dougtæo in Analect. Sacr. Excurs. 169 allegatos. His
ergo ea Prophetæ mens est: bis terve si in me deliquisset Dama-
scus, haud gravatim veniam darem; at cum septima etiam vice,
i. e. creberrime, ad iram me provocarit, suæque impleverit iniqui-
tatis mensuram, haud diutius parcam. Alii rursus non combina-
tos, sed singulos indefinite accipiendos numeros censent, velut
pari dictionis valore apud Homerum τρὶς καὶ τετράκις, & apud
Virgilium ac Senecam, *o terque quaterque* dicitur. Quæ satis
congrue conveniunt cum phrasi, sex & septem Job. V, 19. Prov.
p. 38. VI, 16; septem & octo Coh. XI, 2; duo & tria Job. XXXIII, 29; tria
& quatuor Prov. XXX, 15. Unde sensus emergat talis: quod non
tam ob tria delicta, quæ velut silentio involuta præteriri potuis-
sent, quam ob quartum cumprimis, quod ferrea Gileadi trituratio
sit, contra Syros & Damascum insurgens Dominus, debitas re-
bellioni, superbiæ & contumaciæ ab ipsis repetiturus sit pœnas.
Sed vero alii determinatum hunc numerum malunt, eo quod
quatuor maxime vicibus Israelitis bellum intulerint Syri. 1) cum
in gratiam Asæ regis Judæ, arma caperent contra Baasam regem
Israel, qua in expeditione Syriacus Benhadadi exercitus ingentem
regno Israel intulit cladem, 1 Reg. XV, 18. 19. 20. 2) regnante in Israel
Achabo, quo tempore adverso bis pugnarunt Marte, cæsis ulti-
mo in prælio centum hominum millibus, præter viginti septem
millia, Aphekæ mœniorum ruinis oppressa, 1 Reg. XX. 3) cum
Hazael & Benhadad reges Syriæ cum Joahaso confligerent, ac uni-
versam fere Israelitarum gentem delerent, 2 Reg. XIII, 4) cum Re-
zin rex Syriæ & Pekah rex Israel Hierosolymas obsidione cinge-
rent, Ahaso in Juda principatum tenente, 2 Reg. XVI. Quatuor
ergo bella Israeli & Judæ Syri moverunt, quorum priora licet
inulta, quartum tamen haud impune tulerunt, cum rex Assyriæ
Tiglath-Pileser Rezino bellum faciens, ipso occiso Damascum ex-
pugnaret, civesque sub jugum mitteret. Sunt denique interpre-
39. tum alii, maxime Pontificii, qui tria Damasci delicta de idololatria ex-
ponunt, incestu & cæde, quartum autem triturationem ferream
dicunt. Quæ priora tamen cum non expresserit Amos, bene
Com-

Corn. a Lapide *illa*, inquit, *ex cerebro interpretum confiſta videntur.* Hæc itaque cum ſine fundamento corruant, alii tritiſſimam ingreſſi viam, indeterminatum hunc numerum dicunt, de omni injuria Syriorum, Iſraeli, Judæ aliisque populis illata capiendum. Ita Cyrillus, Hieronymus, Vatablus, Druſius & alii multi, numerum certum pro incerto ſumendum ſtatuentes. Tandem ut ſuam quoque adjiciat ſymbolam Autor, tria priora non ſolum ignota, ſed & inulta exiſtimat delicta fuiſſe, ad tempora usque Amoſi: quartum tamen triturationem eſſe ferream, ſcelerum graviſſimum, quod divinam maturarit vindictam. Quæ autem hæc trituratio fuerit, ex iis vult peti, quæ in Joelem commentatus eſt p. 261 & 443. Hic paucis ſaltem obſervat, per Gilead non unam p. 40.
deſignari urbem, quæ Cyrilli & Theodoreti ſententia fuit: ſed integram regionem tribuum Gad, Ruben & Manaſſis hæreditariam. Tum & ad vocabulum חרצות notat, quod LXX per πρίοναις ſerras 41.
reddant: Symmachus, Aquila & Theodotion τροχὺς rotas: Theodoretus πριονοειδεῖς τροχὺς falcatas rotas: Hieronymus currus, alii aliter. Ferreis itaque curribus ſeu rotis triturationi aptis Iſraelitas a Syris diſſecatos ac ſerratos fuiſſe: quod pœnæ genus in Oriente haud infrequens, teſte Jud. VIII, 7. 2. Sam. XII, 13. 1. Chron. XX, 3. Proverb. XX, 26. Nil itaque cogit, ut cum Mercero improprie de violenta ſumatur oppreſſione. Sed ex his ceu ungue ſufficiat agnoviſſe leonem; cætera B. L. induſtriæ relinquimus.

DE JURE PROEDRIÆ SEU PRÆCEDENTIÆ variarum Quæſtionum Decades duæ, Auctore CASPARE HEINRICO HORNIO JC. & Anteceſſore Wittebergenſi. Editio ſecunda auctior.

Wittebergæ apud Meyerum & Zimmermannum, 1705. 4.
Conſtat 14. plag.

PLeriſque hominibus delicata ſui innata eſt æſtimatio, adeo ut non tantum contemtum aliorum ferre non poſſint, ſed & aliis ſine cauſa poſtponi nolint: hinc non infrequentes, in vita civili, de præcedentia ſunt contentiones. Ex hoc genere Excellen-

tissimus Autor duas decades exhibet, quarum syllabum breviter texemus. In prima decade primum occupat locum quæstio generalis, de moralitate controversiarum præcedentiæ: deinde disquiritur, utrum Consiliarius Principis Imperii titularis præcedat Doctores & Licentiatos? tertia quæstio ostendit, quo loco Comes Sacri Palatii haberi debeat? in quarta disputatur, num is, qui prior licentiam adeptus est assumendi Doctorales honores, postea Doctor creatus, præferendus sit illi, qui medio tempore & Licentiatus & Doctor factus est? Quinta expendit, utrum Doctoris filia innupta mercatoris uxori sit præferenda? sexta rationem litis, inter bibliopegi & lanionis uxores de præcedentia compositæ, exhibet: septima de eo satagit, quis e duobus potior, qui unius ejusdemque temporis rescripta Principis, quibus munera publica conferuntur, insinuant? octava poligraphum municipii, cum senatoribus vel decurionibus de loco certantem, sistit. In nona disceptatur de jure Collegii, quoad vindicandam aut defendendam Præsidis vel Collegæ præcedentiam: decima tractat controversiam, utrum illi, qui in urbibus oppidisque, inter cives vexilliferorum munere funguntur, jus præcedentiæ, intuitu aliorum civium habeant? In secunda decade Consultissimus Autor disceptat de præcedentia Doctorum, eorumque lite cum Consulibus civitatis municipalis: postea præcedentiam substituti Scholæ Rectoris explicat: inde pergit ad quæstionem, utrum actus præcedentiæ, quem antecessor exercuit, in possessorio prosit successori? huic subjungit proedriam Doctorum, intuitu Superintendentium & Præfectorum, hoc etiam addito, quod Collegia Juridica de jure præcedentiæ omnino respondere possint. His adductis, præcedentiam respectivam enucleat, ac quis proedria potior sit, si plures in exercitio jurisdictionis simultaneo concurrant, ostendit: tum præcedentiam Advocatorum, ut & bibliopolæ & mercatoris explanat, atque, evoluta actuum publicorum & privatorum, præcedentiæ intuitu distinctione, castratoribus suum, qui œnopolis, ex quadam rubrica, ab ipsis non allegata præferri cupiebant, ultimum locum cedit. Illustrando Consultissimi Autoris labori, vel unius quæstionis rationes specialius nonnihil recensebimus. In decadis primæ quæstione tertia, ut antea indicavimus, de Comite Pala-

Palatino sermo est. Vivebat ille in civitate quadam municipali, in qua Senatorius ordo eo jure utebatur, ut singuli Doctores & Licentiatos præcederent. Quem ergo locum ipse ambire posset, edoceri voluit, ac id responsi a Facultate Juridica Wittenbergensi accepit, quod Consuli regenti locum honoratiorem cedere debeat, cum velut incola jurisdictioni magistratus oppidani subsit. Hac occasione non tam quæsitum, quam potius pro certo suppositum fuit, quod Comitiva superet dignitatem Doctorum, cum Comites Palatini plerumque a Cæsare accipiant facultatem creandi Doctores; hi etiam, post exactos in Academiis legendo docendoque viginti annos, ex communi sententia, Comitivam nanciscantur; non minus Comites Palatini Nobilibus pares habeantur, in multis quoque iis præferantur, Illustres, Nobiles, Spectabiles & Clarissimi, nec non Consiliarii ac Consistoriales Imperatoris audiant; Comitiva etiam titulis Consiliariorum Cæsareorum, in Capitulat. Leopoldi art. 44 præponatur, ac involvat communicationem exercitii Reservatorum Imperatoris, quæ ne ipsis quidem Statibus Imperii, præcipue extra territoria sua, facta sit. In eandem sententiam, in casu simili, pronunciavit Facultas Juridica Hallensis, & licet pro Doctoribus, contra Comites Palatinos, suffragium tulerit Collegium Juridicum Jenense, attamen quid ejus rationibus reponendum sit, alio Responso Hallensi ostenditur.

JOHANNIS VOET, JURISCONSULTI ET ANtecessoris in Academia Lugduno-Batava, Commentarius ad Pandectas, in quo præter Romani Juris principia ac controversias illustriores, Jus etiam hodiernum, & præcipue fori quæstiones excutiuntur. Pars hæc posterior continet octo & viginti libros posteriores.

Hagæ Comitum, apud Abrahamum de Hondt, 1704. in fol.
Continet Alphab. 12.

PRimam egregii hujus operis partem recensuimus in Actis anni 1699, mens. Novembr. ibique de laudabili Celeberrimi Autoris instituto, de ordine quem sequendum sibi duxit, de elegantia sermonis ipsius, deque singulari ejus eruditione, candore, industria ni-

hil diximus, quod non idem ad partem hanc posteriorem jure merito sit trahendum. Tardius a se impleri fidem, in primi voluminis præfatione datam, de hoc altero tomo edendo, non in sequiorem partem acceptum iri sperat Noster, si se, quotidianis professionis publicæ negotiis districtum, horas tantum subcisivas laboris hujus absolutioni impendere potuisse, cogitaverint Lectores, atque insuper materiarum partis hujus posterioris amplitudinem respexerint ac difficultates. Quamvis autem haud grave sibi futurum fuisse dicit, apparatu majore de pluribus disserere, verbis tamen parcendum censuit, rebusque potissimum, compendiose quidem, nec tamen eo minus pro dignitate explicandis, incumbendum; quarum etiam copia tantum non obrutus, evitare haud potuit, quin pars hæc secunda in longe majorem, quam prima, excreverit quantitatem, ne alioquin, quod quibusdam accidit, posteriora minore videretur diligentia, quam priora, tractasse. Cæterum, cum Virorum doctissimorum lucubrationes, de nonnullis ulterius cogitandi ansam præbuerint, calci totius operis quædam adjecit, quæ non solum iis, quæ in parte priori, sed & his, quæ in hujus secundi voluminis ea parte, quam ante biennium excusam dicit, illustrandis & limitandis inserviunt. Si quid vero tum in hac, tum in priore commentarii hujus parte affectaverit, id unum fuisse declarat, ne quenquam offenderet, neque tumidiore inflatoque scribendi genere uteretur, sed æquabili atque perspicuo; eo excepto, quod in *titulo de quæstionibus*, pro moderato in criminibus indagandis tormentorum usu pluribus agens, aliam quodammodo dicendi rationem adhibuerit, oratione ante annos plurimos publice recitata, nunc typis ibidem descripta.

Ex tanta, quæ nobis offertur, rerum selectissimarum copia, visum fuit, speciminis loco, excerpere sequentia. In titulo de *Sponsalibus* asserit, quod si liberi sub conditione, *si parens in nuptias consenserit*, sponsalia contraxerint, & pater rogatus primo consentire noluerit, deinde vero, sæpius aliis intercedentibus, in nuptias consentiat, filius aut filia ex primo illo dissensu a vinculo sponsaliorum non liberetur (secus ac statuit Brouwerus) sed potius ex consensu paterno post interposito, etiamnum ad nuptias compelli possit. In hujus asserti fidem allegat *arg. L. 12. §. 2. ff. rem*

p. 4, n. 7.

rem ratam haberi; ex *Lege* autem *89. §. 1. ff. Verb. d. Sign.* cum decisionem casus plane diversi contineat, nihil in contrarium concludi posse contendit, proque sua sententia facere dicit placitum Ordinum Ultrajectinorum de matrimonio 6. Octobr. 1584. art. 10. Contra eundem Brouwerum, qui existimat, conditionem illam, *si abortum procuraveris*, sponsalibus adjectam pro non adjecta habendam, hanc vero, *si copulam admiseris*, esse re ipsa adimplendam, nisi mulier pudicitiæ studens, velit matrimonii futuri spe decidere, variis argumentis ostendit, quod ex sponsalibus sub utraque conditione contractis ad nuptias juvenis compelli debeat, sive conditio impleta fuerit, sive implementum ejus sponsa, saniorem secuta rationem, facere aut pati recuset; ne alioquin melioris sit conditionis, quæ turpe factum adimplet, quam quæ mature pœnitens a probro abstinet, & virtutem sceleri anteponit. Sponsalia de præsenti vulgo dicta, a sponsalibus de futuro, quantum ad effectus juridicos, apud Belgas diversa non esse affirmat, licet aliud jure Canonico scripto placuerit; adeoque sponsalia posteriora, verbis præsentis temporis contracta, non debere obesse prioribus, per temporis futuri verba initis, concludit. Non tamen cum Simone van Leeuwen existimandum esse monet, sponsalia posteriora, ab initio in præjudicium priorum haud recte inita, ex eorum genere esse, quæ tractu temporis vires haud assumunt, sed potius firmari eadem, si sponsa, quæ jure potiori nitebatur, mortua sit, aut desistat sponte, ita ut altera tunc sponsum ad nuptias cogere possit. In titulo *de Nuptiis*, polygamiam a Deo in patribus V. T. per quandam conniventiam toleratam, vel saltem non notabilibus pœnis coercitam, revera præceptis Divinis adversam fuisse, remissive asseverat. Edicto Caroli V. de A. 1540. constitutum fuisse docet, eum, qui puellam annis viginti minorem duxerit, quæve adolescenti minori annis viginti quinque nupserit, non impetrato consensu patris aut matris talium minorennium, aut majoris partis proximiorum cognatorum, si parentes deficiant, aut denique ipsius magistratus, cujus jurisdictioni minores tales subjecti sunt, nihil lucrari posse ex bonis talis minorennis seducti vel seductæ, sive donationis, sive dotalitii, sive institutionis, sive legati, sive statutariæ aut pactitiæ communionis titulo. Has

[Margin notes: p. 5. n. 8. — p. 11. n. 20. — n. 21. — p. 17. n. 1. — p. 21. n. 11.]

pœ-

pœnas deinde edicto publico Ordinum Hollandiæ anno 1580. art. 3. & 13. non modo confirmatas ait, sed & matrimonia sine parentum aut alterutrius adhuc superstitis consensu inita, ipso jure nulla renunciata esse; cui consequens sit, ut & ad parentum, qui rigido jure uti velint, desiderium tales conjunctiones, licet con-
p. 22. n. 14. cubitu jam confirmatæ, dissolvi debeant. Patri, qui ob mores prodigos curatorem a magistratu accepit, cum arbitrium remittendæ injuriæ filio suo honesto illatæ relictum non sit, per *L. 17. §. 13. ff. d. injur.* nec concedendum esse putat, ut liberorum suorum nuptias ad suam metiatur vel utilitatem vel vilitatem, atque in eandem sententiam itum fuisse a Parisiensi Senatu, ex Antonio
p. 41. n. 65. sqq. d' Espeisses & Abr. a Wesel commemorat. Jure civili per nuptias non inductam fuisse universalem bonorum inter conjuges communionem allatis in medium argumentis, probat, & his, qui contrarium ex *L. 1. ff. d. act. rer. amot.* nec non ex *L. 4. C. d. crim. expil. hared.* evincere volunt, respondet. Moribus vero Hollandiæ, & aliarum multarum gentium, statutariam esse asserit facultatum omnium inter maritum & uxorem communionem, in cujus origine, objecto, effectu, aliisque circumstantiis exponendis,
p. 38. n. 52. haud vulgarem operam adhibuisse deprehenditur. Ex hac communione descendere dicit, ut & viri contractibus, stante matrimonio celebratis, uxor in Hollandia pro parte dimidia conveniri possit soluto matrimonio, sicut & hæredes ejus, etiamsi non utiliter, sed per mariti temeritatem, aut prodigalitatem dissolutamque vivendi rationem, æs alienum contractum doceatur: ubi tamen indicat, quod uxor nolens, ex continuata mariti prodigalitate manifesta, quæ scortis, alea, similibusque exercetur, diutius obligari, petere possit bonorum separationem, (vulgo *bœdelscheydinge*) qua impetrata publiceque significata, maritus nec ipsam, nec bo-
p. 134. n. 2. na ejus obligare possit. In titulo *de Divortiis* asserit, licentiam illorum toleratam magis, velut malum necessarium, quam probatam fuisse apud Romanos, idque tum ex eo evincit, quod secundum Plutarchum & Sigonium, Romuli lege mulieri maritum relinquendi potestas ademta fuerit, viro autem ejicere uxorem ex paucis tantum causis concessum, si scilicet veneficio circa prolem usa fuisset, aut alienam pro sua subdidisset, aut adulterium commi-

misisset, tum & inde, quod (secundum Gellium) nominatim cautum fuerit, matrimonium Flaminis Dialis non nisi morte dissolvendum esse, quasi ab eo, tanquam summi Jovis Sacerdote, exactior vitæ ratio ac sanctitas observanda fuerit, adeoque minus in eo tolerari debuerit, quicquid a recti tramite videbatur deflectere, quam quidem in aliis, quibus ea virtutis ac integritatis gloria non ita peculiariter commendata erat. Eandem ob causam factum dicit, ut inter probrosas conditiones numerata fuerit illa, qua mater filiam instituerat, si a viro divertisset, ex insigni rescripto Imperatorio in *L. 5. C. d. instit. & substit.* Ad titulum *de Tutelis* statuit, non esse demandandam Judæis tutoriam in liberos Christianos potestatem, idque non quidem Juri Digestorum ob *L. 15. §. 6. ff. d. excus. tut.* bene tamen Juri, quod est in Codice, conveniens esse probat, cum homines isti secundum *tit. ne Christian. mancip.* propter seductionis periculum, ne mancipium quidem Christianum in potestate dominica habere potuerint aut possidere. In Belgio cautum esse ait edicto Ordinum Generalium d. 30. Aug. 1640. ut, si parentum alteruter Reformatæ religionis fuerit, tutela Pontificio non debeat demandari. Universitatis Lugduno-Batavæ studiosis fori quidem peculiaris privilegium indultum esse, attamen & ipsis studiosis minorennibus & studiosorum liberis tutores date Cameram pupillarem civitatis Leydensis, notat. Quod a nonnullis asseritur, tutores ob levem culpam haud fuisse remotos, sed tantum ob dolum vel latam culpam, adeoque per *culpam* propositam in *§. 6. I. d. suspect. tut.* non nisi latam potuisse videri designatam, id gratis subsumi, sed nulla lege evinci contendit: patere enim ex *L. f. C. dict. tit.* & *L. 3. §. f.* it. *L. 4. ff. eod.* tutores ob negligentiam, segnitiem, rusticitatem, inertiam, simplicitatem, ineptiam removeri potuisse; ineptum vero esse, rusticitatem & segnitiem, ineptiam ac simplicitatem præcise latæ velle adscribere culpæ, cum & in levi, imo etiam levissima culpa segnities, negligentia atque inertia deprehendatur; eoque respicere Juris Consultum, quando ait, magnam negligentiam culpam esse, magnam culpam dolum esse *L. 226. ff. d. V. S.* Exemplo militum in expeditione occupatorum, etiam legatos ad exteras gentes missos, eorumque

p. 182. n. 6.
p. 191. n. 5.
p. 211. n. 7.
p. 271. n. 14.

comites ac ministros non inutiliter testari, durante absentia & in
locis peregrinis commoratione, secundum simplicem Juris gen-
tium solennitatem, neglectis solennibus tum loci, in quo mo-
rantur, tum domicilii, unde absunt legationis causa, existimat
Noster, inque eam sententiam etiam responsum esse ait ab Hug.
p. 296. n. 8. Grotio in Resp. Juris C. Holl. part. 3. vol. 2. consil. 241. Mo-
ribus hodiernis non ambigendum esse dicit, quin unusquisque
sive miles sit sive paganus, pluribus testamentis relictis mori pos-
sit, sic, ut in dubio omnia in priore & posteriore voluntate dis-
posita exitum habere debeant, nisi quatenus contraria continent,
quippe quorum intuitu suprema voluntas testatoris potior foret.
p. 365. n. 11. An testamenta illorum, qui in Indias navigant, aut inde redeunt,
in navi condi recte possint coram duobus testibus, jurato de vo-
luntate defuncti deponentibus, antea disputatum fuisse docet
inter Hollandiæ pragmaticos, quorum alii militum privilegia
ejusmodi peregrinantibus tribuerint, alii vero denegarint; sed
postea constitutum esse probat placito Ordinum Generalium,
testamenta navigantium in Indias, aut redeuntium, debere in
scripturam redigi in libro ei rei destinato, & subscriptione
ejus, qui illud scripsit, nec non duorum testium, confirma-
p. 426. n. 61. ri. De jure accrescendi ubi agit, sententiam illorum qui
inter legatarios verbis tantum conjunctos locum illud inve-
nire negant, jure meliori ac rationibus firmioribus niti contendit,
p. 606. n. 30. objectisque dubiis solidissime respondet. Jus Albinatus, vi cujus
in Gallia fiscus succedit peregrinis in isto regno decedentibus, uti
contra naturalem æquitatem & juris Romani principia inductum
Nostro videtur, ita quoque ratione eorum, qui Ordinum Gene-
ralium subditi sunt, conventionibus inter Galliarum Reges &
Fœderati Belgii Ordines identidem abolitum fuisse, idem signifi-
cat. Parciorem antiqui juris civilis circa successiones tractationem
supplere volens, inter librum XXXVIII & XXXIX de Feudis dis-
sertationem inseruit, inque ea hujus quoque Juris elegantem at-
p. 624. n. 20. que perspicuum interpretem se præstitit. Multiplicatam illam va-
sallorum subordinationem, (qua jure feudali Longobardico a Ca-
pitaneis seu valvasoribus majoribus feuda accipiebant valvasores
minores, & ab his iterum valvasores minimi vel valvasini) secun-
dum

dum usum Hollandiæ & vicinarum gentium, ignotam esse docet, ac tantum vasallum, qui a Comitatu Hollandiæ feudum tenet, subfeudum dare posse, ulteriorem vero subinfeudationum progressum non admitti, teste Hugone Grotio. Ab hoc tamen in eo dissentit, quod feuda Hollandica ad dominum directum reverti statuat, si decimum cognationis gradum deficere contingat. Istam enim sententiam ostendit falso niti fundamento, quasi & allodialium successio ad eum gradum coarctata sit; quam successionis intra gradum decimum restrictionem neque juri civili, neque moribus Hollandiæ respondere, post titulum *ad Senatus C. Tertull.* probaverat. Totum jus successionis feudorum hæreditariorum in Hollandia eo videtur ipsi redire, ut primo lineæ, dein gradus, tertio sexus, quarto ætatis ratio habeatur. Cui consequens esse dicit, ut filius secundogenitus potior sit nepote ex filio primogenito, sed & nepos ex filio secundogenito natu major, veluti viginti annorum, præferatur in avi defuncti feudo nepoti ex filio primogenito natu minori, veluti annorum decem; denique filius natu major sororis anteponendus sit filio fratris natu minori, licet, quod ad hoc ultimum attinet, contra placuerit Ultrajectinis. Ex usu hodierno, usque adeo necessariam esse tradit in feudis Hollandicis investituræ renovationem, ut nullus de feudo litigare possit, nisi petita investitura, quam & ideo dominus directus & actori & reo indulgere soleat, salvo tertii cujuscunque & suo jure. Ratione laudimiorum, quæ in recognitionem dominii directi, per vasallos investituram obtinentes, pendi solent domino, nec non curialium, quæ solvuntur ministris curiæ investituræ vacantibus, talem in Hollandia consuetudinem esse refert, ut feudum magnum aut medium per renovationem accipiatur, præstitis laudimiorum nomine decem florenis, parvum vero præstita unius anni pensione; quod autem ad curialia sive curiæ jura attinet, debeantur pro feudo magno floreni viginti duo cum stufero (*stuyver*) pro medio floreni decem, pro parvo quinque. Quænam vero feuda dicantur magna, quænam media, quænam parva, fusius eodem in loco exponit. Etsi olim in Hollandia & vicinis regionibus, feudis quoque obligatio ad servitia militiamque adjuncta fuerit, tamen temporibus Caroli V. feuda magis allodiis hac in parte cœpis-

p. 646. n. 73.
p. 602. n. 22.
p. 648. n. 79.
p. 647. n. 76.
p. 656. n. 98.
p. 659. n. 106.
p. 661. n. 109.

pisse adæquari commemorat, adeo, ut servitia aut militia jam a longissimo tempore non inveniantur vasallis feudorum intuitu indicta fuisse, ac proinde negari haud posse, quod, si non expressa dicti Imperatoris constitutione, usu certe inveterato, ab illo servi-
p. 998. n. 14. tiorum onere jam sint immunes. Furti actionem pœnalem contra furis hæredes competere statuit, non solum, si ex dolo defuncti aliquid ad ipsos pervenit, & si lis cum defuncto sit contestata, sed & si tutor res pupilli surripuerit; tunc enim mortuo tutore, uti cæteras actiones, ita & furti actionem, contra hæredes tutoris datas fuisse, contendit, quia a seipso tutor exigere debuisset,
p. 1114. sibique solvere, *L. 9. §. f. L. 10. ff. d. tut. & ration. distrah.* Ad titulum *de Quæstionibus* graviter de illarum justitia atque æquitate disserit,
p. 1118. multisque rationibus ostendit, quod, si circumspectius, si tardius, si non nisi pene probato crimine, ac reo gravissimis præsumtionibus onerato, judex tormenta decreverit adhibenda, nihil prorsus in illis deprehendi possit iniqui, quod non in carceribus, in testibus, in instrumentis, in jurejurando, in sententia ferenda, in ipsa confessione liberrime emissa, aliisque extra omnem injustitiæ & iniquitatis controversiam constitutis, æque locum sibi vindicet; ac proinde nullam satis urgentem rationem suppetere, cur confessioni per hujusmodi tormenta, cum moderamine adhibita, primitus extortæ, deinceps vero citra cruciatus renovatæ, magis, quam aliis legitimis probandi modis, fides esset deroganda. Atque hæc ex tomo undecimo operis hujus excellentissimi speciminis loco recensita suffecerint.

Medaillen-Cabinet Ernestinischer Haupt-Linie &c.

hoc est

SAXONIA NUMISMATICA LINEÆ ERNESTINÆ Pars Prima, Autore WILHELMO ERNESTO TENTZELIO.

Sumtibus Christiani Wermuthii numismatum Sculptoris. Prostat Francofurti ad Mœnum apud Knochium, & Lipsiæ apud Stockium, 1705. in 4.

Constat Alphab. 1. plag. 9. & tab. æneis. 15.

Pri-

PRimam partem Saxoniæ Numismaticæ ab Amplissimo Tentzelio nuper admodum evulgatam, & a nobis in his Actis superiori mense Julio p. 289. s. recensitam, prima nunc Lineæ Ernestinæ pars excipit, in cujus procemio quæstionem Autor tractat curiosam, *quænam vetustissima sint numismata Saxonica?* Ubi aliter respondendum esse dicit, quando numismata sensu nominentur arctiori, quæ iconibus elegantioribus aliisque scitissimis figuris puro auro argentoque expressa sint; aliter ampliori, cum quicquid est nummiorum mnemonicorum subintelligatur. Illa vix reperiri perhibet Ernesto Albertoque antiquiora: hæc autem, si Spangenbergio fides, longe majorem omnino vetustatem sapere, & eorundem primordia a bracteatorum, qui vocantur, nummorum usu derivanda venire statuit, quos inter plures olim ad facti alicujus publici, structuræque, cumprimis Ecclesiasticæ, similiumque rerum memoriam pertinuerint. Cujusmodi nummum & recentioribus temporibus inter solidos Saxonicos sub grossi forma reperiamus, una parte scutum Saxonicum præferentem, cum inscriptione, HILF SANCT ANNA, h. e. *Adjuva Sancta Anna*; altera Electorale, cum inscriptione: MATER. DEI. MISERERE. MEI. Existimat igitur, grossum illum Fribergæ cusum, consecratumque sive in genere cultui S. Annæ matris Mariæ, Christique aviæ, sub seculi XV finem in Saxoniam invecto, sive in specie ædificio capellæ S. Annæ Fribergensi, ubi pentaelivio virili rhythmus integer ligno incisus conspiciatur, cujus initium nummo impressum sit: *Hilf S. Anna du Gerechte, Mit allen deinem Geschlechte, Amen*, h. e. *Adjuva S. Anna justa cum omni tua cognatione, Amen.* Quod si forte quis opponat elegantissimum aureum argenteumque numisma, cujus antica sistat S. Elisabethæ effigiem cum corona peploque, & inscriptione: ELISABETA. FILIA. ANDReæ. REGis. HUNGARiæ. OBIIT. MARBurgi. ANno. M. CC. XXXI. postica Hospitalis Marburgensis Ecclesiam ab ea fundatam, & in circuitu verba Psalmi CXII: DISPERSIT. DEDIT. PAUPeribus. JUSTITIA. EJUS. MANET. IN. SECULum. SECULI. respondet, falsum esse hoc numisma, neque ducentos adhuc annos superare, quoniam alia ejusdem scripturæ, modi & typi, in Maximilianum I. & Carolum V.

retroque in Carolum M. aliosque Imperatores & Reges facta supersint, omnia ab uno Judæo aurifabro elaborata, & alio forsan tempore occasionem datum iri sperat, qua singularem hanc fraudem ulterius possit detegere. Cæterum ad calcem subnectitur Caroli Gustavi Heræi, Consiliarii Aulici Schwartzburgici, epistola, qua is primæ partis Lineæ Albertinæ numismata annotationibus quibusdam illustrat, eque nummophylacio suo sex alia cum Tentzelio communicat, in supplementum aliquando proditurum differenda. Spondet insuper Amplissimus Tentzelius, quod opere hoc Numismatico absoluto, omnes tam Ecclesiasticos quam Politicos Ministros Saxonicos, quotquot numismatibus innotuerunt, singulari fasciculo velit comprehendere, adeoque rogat præcipuos in Aulis Saxonicis Status Ministros aliosque ex antiquioribus Nobilium Familiis oriundos, ut, quicquid de Parentum Avorumque vita ac numismatibus servent, sibi ad describendum formandumque gratiose & benevole concedant, ne debita operi perfectio curaque desideretur.

Sed ut ad rem ipsam deveniamus, quatuor hæc pars Electorum numismata repræsentat, ERNESTI puta, FRIDERICI III, JOHANNIS & JOHANNIS FRIDERICI, in cujus sorore, MARIA, fratreque JOANNE ERNESTO, clausulam facit. ERNESTI duo tantum affert numismata, alterum quod ejus effigiem ex una, & ex altera Alberti faciem refert, idque in fraternæ divisionis memoriam excusum fuisse conjicit, quanquam & cuilibet liberum relinquat, ut, cum nomina adjecta non legantur, effigies has Friderico Electori Ducique Johanni tribuat. Secundum Ernesti iconem, habitu Electorali splendentem, exhibet, aversa vero pars vitæ curriculum paucis comprehendit, istudque ex Wermuthianis numismatibus petitum est. FRIDERICI III, qui Sapientis cognomen merito tulit, numismata viginti quatuor recenset Tentzelius, e quorum numero prima & primaria illa sunt, in quibus se *Sacri Romani Imperii Locumtenentem Generalem* Elector nuncupat, quem titulum nonnisi ab A. 1507, quo eundem hoc ipso axiomate Maximilianus I. Imperator in Comitiis Ratisbonensibus mactaverit, ad annum usque 1519, quo Imperator modo laudatus obierit, gessisse eum monet, atque illos accurate re-

refutat, qui ad vitæ usque finem hunc ab ipso fuisse adhibitum contendant. Carolum certe V. Imperatorem hoc eum elogio nunquam dignatum esse, ostendit. Notatu dignum illud quoque numisma videtur, in quo ejus collari insculptum cernitur nomen IHS. MARIA, quod tamen illo tantum tempore, quo Pontificiæ adhuc Ecclesiæ addictissimus fuerit Fridericus, non autem postea, cum ad Evangelicæ veritatis agnitionem pervenisset, ipsi arrisisse observat. Ab A. 1522. nummos Fridericianos ambiisse ait hanc inscriptionem: VERBUM. DOMINI. MANET. IN. ÆTERNUM, eodemque anno verba memorata, vel potius eorum literas initiales, manicis quoque primum innexas fuisse addit. Literas C. C. N. S. quæ passim in nummorum, tunc temporis cusorum, angulis compareant, more consueto sic exponit: *Crux Christi Nostra Salus.* JOHANNI Electori septem tribuit numismata, e quibus ullum, & memoriale quidem, ante annum 1530. cusum fuisse negat. Licet enim aliqui huc referant aurea illa vel argentea, quæ pestem, ut velint, Wittebergæ anno 1527 & 1528 grassantem, respiciant, unoque latere serpentem æneum, altero Christum crucifixum exponant, cum dictis Biblicis illuc spectantibus; nihilominus tamen, quoniam nec Joannis Electoris nomen, nec illius insignia ibi conspiciantur, omittere eadem consultius duxit; cum sine dubio pertineant ad alia sacra profanaque numismata, quæ isto tempore a sculptoribus proprios in usus elaborata, magno adhuc numero hinc inde asserventur. E genuinis vero Johanneis istud imprimis notari meretur, quod peculiariter respicere censet speratam quidem & ab Imperatore promissam, dehinc vero negatam feudorum concessionem, quod Tab. V. num. 3. delineatur, & p. 56. f. declaratur. Circa nummos, in quibus effigies Electoris Ducisque Johannis Friderici appareant, in superiori vero aversæ parte epulum Herodis proponatur, & in inferiori Johannis decollatio, cum perigraphe: *Johannes straft den Ehebruch Herodis, drum must er sterben, Marci VI*, quod est: *Joannes reprehendit Herodis adulterium, propterea morti traditur, Marci VI*, hoc observat, quod Joannes Elector, ex Comitiis Augustanis reversus, hanc posticam iconibus istis addi forte curaverit, in memoriam tam frustra speratæ investituræ, aliarumque ob religionem illatarum

rum afflictionum, quam colloquii præsertim memorabilis, die decollationis Joannis, Augustæ cœnando cum Heinrico Brunsvicensi aliisque magnæ dignitatis convivis habiti. Ast insuper tamen aliis expendendum altius relinquit, annon fama jam tum inter homines clanculum sparsa fuerit de furtivis Henrici, Ducis Brunsvicensis, amoribus cum Eva Trottina, ut Johannes Elector illum familiariter in cœna supra dicta monuerit. Cum enim isti magis posthac erumpentes in publicam vergerent criminationem, non septem solum infantes nominabantur, quos Dux cum Eva post fictas illi habitas exequias genuerit, sed is etiam accusabatur, quod antea, illa adhuc in Gynecæo inter virgines versante, aliquot infantes ex eadem susceperit. Quos si quis computaverit, facile hujus rei initium in annum 1530, imo citius, poni posse innuit. In ultimo Johannis Electoris numismate, inscriptionem hanc, tanquam memoratu dignissimam, observari jubet, in qua JOHANnes. PATer. ET. JOANnes. FRIDEricus. Filius. EVANGelii. CONFESSores. INVICTISSimi vocantur. In postica summus Pontifex Hannas throno insidet, ante quem Petrus Apostolus cum tribus aliis personis stat, pone quos clypeolus numero 32 signatus jacet. Perigraphe ex Actis Apostolicis desumitur: ET. LOQUEBANTUR. SERMONEM. DEI. CUM. FIDUCIA. ACTOR. 4. Re diligentius expensa, non adeo absurdum reputat, si quis numero illo breviato 32, tam annum, quam Evangelicorum Confessorum numerum notari dixerit. Quid? si Episcopus in throno sedens Archi-Episcopum Moguntinum, tanquam mediatorem præcipuum, & qui ante ipsum stant Confessores, quadruplices ex Electorum, Principum, Comitum, Civitatumque numero Protestantes significent? Ad Apostolos enim applicationem commode fieri non posse censet, cum, testibus Actis Apostolicis, non quatuor, sed bini tantum, Petrus & Joannes, qui claudum sanaverant, ante summum Pontificem Synedriumque Judæorum constituti fuerint.

Sed partem Tomi hujus secundi potissimam conficiunt numismata JOHANNIS FRIDERICI Electoris, quorum omnino sexaginta numerantur. Singula autem commemorare uti nostrum haud est, sic aliqua dedisse e præcipuis suffecerit. Vulgaris

ris quidem thalerus est, quem sub Tab. VIII. finem num. 3. Noster affert, una ex parte Johannis Friderici Electoris, altera Georgii Ducis imaginibus, titulis insigniumque scutulis signatum. Noluit tamen eundem silentio prorsus involvere, quia mysterium malumque omen nonnulli in eo quærunt, quod gladius Electoris quasi fractus videatur. Equidem qui novit, quanta facilitate in feriundis monetis fiat, ut ferrum paulisper dimoveatur, eum nulla heic admiratione digna judicaturum autumat. Si quis autem, quæ olim cum Imperialibus Cromwellianis, & cum Hannoveranis monetis, quæ duas thaleri tertias seu sedecim grossos valent, aliisque ejusmodi monetis vulgata sint, huc conferre voluerit, eum sensu suo abundare permittit, majoris momenti reputans, quod A. 1695 Electoris hujus imagini, quæ picta in tabula lignea reperiatur in conclavi Ecclesiastico Ducali Vinariæ, acciderit. Eam quippe die conversionis Pauli, durante concione, subito fragore totam perruptam fuisse refert, gladio Electorali illæso manente, prout ipse viderit, & Müllerus in Annalibus suis prolixe exposuerit. Tab. X. num. 4. 5. 6. 7. quatuor affert ejusdem magnitudinis numismata, quorum lemma unum est: GOT. STRAFT. DAS. UBEL. *Deus punit malum*; in postica vero modo hæc comparet inscriptio: DRVM. BIN. ICH Herzog. HENRICH. Von. Braunschweig. VERDRIBN, i. e. *Propterea ego, Henricus Dux Brunsuicensis, ejectus fui*; modo ista: DRVM. HAT. MEIN. HAVS. EIN. BOSEN. GIBEL, i. e. *Propterea domus mea fastigium habet malum*; modo quatuor inter scuta hæc leguntur: GOT. HILFT. AVS. NOT, *Deus ex periculo eripit*; modo sequentia: NOLI. PECCARE. DEVS. VIDET. Singula hæc respicere observat felicissimam illam expeditionem, qua Elector cum Hassiæ Landgravio Henricum, Ducem Brunsuicensem, invadens, totum ejus Ducatum duorum mensium spatio occupaverit. Numisma, quo A. 1545 ante expeditionem Henrici Ducis, Pontificii elatum suum animum publice significarint, & quem sub anni finem Lutherus in literis ad Electorem Saxoniæ, Landgraviumque datis, ac Tomo VIII Altenburgensi fol. 465 relegendis descripserit, nunquam se suis usurpasse oculis fatetur, at varia tamen occasione belli Smalcaldici cusa indicare haud omittit. Neque in allegandis iis us-

uspiam defecit, quæ Joannis Friderici Electoris captivitatem pariter ac subsecutam tandem e custodia liberationem, pro fundamento agnoscunt. Qua occasione commentum illud perridiculum explodit, dum insignem Hispani ostentent ocream, Johanni Friderico in captivitatem abducto exutam, in qua eques cum toto corpore locum inveniat, quamque aliqui in Cimeliarchium Electorale Bavaricum Monachium translatam somnient. Cæterum si quis curiosus fuerit sciendi, quorsum altera Electoris ocrea pervenerit, eum ad Cimeliarchium Gothanum ablegat, ubi illa monstretur, inusitatæ quidem amplitudinis, non tantæ tamen, quantam Hispani jactent, ut totus eques, sed puer tantum quinque vel sex annorum illa se abscondere queat. Tenui eam constare innuit corio fusco, ut facile complicari condique possit, unica tantum solea, non calceneorum, quali hodie utamur, fulcimento. Electoris in maxilla sinistra cicatricem, e pugna Mühlbergensi reportatam, & post in diversis numismatibus expressam, p. 189 seqq. considerat. Titulum *nati Electoris*, quo ultimo vitæ tempore Johannes Fridericus usus fuerit, non Electorem nude se appellans, p. 200 seq. probe attendi cupit, & quid ob eundem monuerit statueritque Elector Augustus, p. 209 enarrat.

His aliisque latius deductis, sub finem nonnulla disserit, primum de MARIA, Johannis Friderici Electoris sorore, eodem patre genita Johanne Electore, sed matre diversa e domo Anhaltina, Philippo inde Duci Pomeraniæ conjugio sociata. Hujus effigiem in nummo A. 1545 cuso apparentem sistit, istumque summi gaudii testandi causa, ob auctam tunc tertio filio Principe familiam, prodiisse conjicit. Copulationem Mariæ hujus cum Philippo Duce Lutherum peregisse, unoque ex annulis sponsalibus e manu sua excidente, ipsum paulo commotiorem dixisse refert: *Hörstu Teufel, es gehet dich nicht an, du wirst nichts ausrichten! Heus Satana, hæc nihil ad Te, ne quidquam efficies!* ad Sponsos vero conversum: *Wachset, und euer Same müsse nicht untergehen! Crescite, & semen vestrum non deficiat!* Ast eventum nihilominus docuisse animadvertit, centum annis post, Ducum Pomeraniæ familiam plane exaruisse. Sorori Johannis Friderici ejusdem fratrem associat, JOHANNEM ERNESTUM, Coburgensem, cujus diem emor-

emortualem, de quo hactenus disceptatum fuit, in octavum Februarii collocandum venire demonstrat.

HUMFREDI HODII LINGUÆ GRÆCÆ PROFESsoris Regii & Archidiaconi Oxon. de Bibliorum Textibus Originalibus, Versionibus Græcis, & Latina Vulgata, Libri IV. Præmittitur Aristeæ Historia Græce & Latine.

Oxonii e theatro Sheldoniano, 1705. fol.
Constant Alphab. 8.

Viginti anni sunt, ex quo Autor Reverendus, quem plurima alia scripta celeberrimum reddidere dudum, edita contra Historiam Aristeæ Dissertatione, a nobis in Actis nostris A. 1686 p. 205 recensita, in republica litteraria nomen sibi primum parare cœpit. In libri istius præfatione, tres alios libros de versione LXXvirali promiserat, quorum tamen editionem varia, quibus inde distractus fuit, negotia ad hoc usque tempus distulere. Factum interea est, ut vir magnus Isaacus Vossius, in appendice Observationum ad Pomponium Melam, paulo acerbius Aristeæ fidem contra doctissimum Hodium defenderet: quod tanto magis accendere debere videbatur eum, ad maturandam editionem librorum cæterorum, & vindicias parandas. Verum impediri se variis studiorum vicissitudinibus hoc facilius passus est, quod, utcunque Vossio visum fuisset, viros tamen passim doctissimos allatorum a se argumentorum vim sentientes invenerit, Menagios, Pagios, Allixios, Pikios, & Dupinium inprimis, qui omnia argumenta sua contra Aristeam Dissertationi præliminari in S. Scripturas inseruerit, suppresso licet, quod paulo ægrius ferre videtur, Hodiano nomine. Equidem in operis de Scriptoribus rerum Ægyptiarum libro IV, ante annos non adeo multos, Vossio satisfacere ipsi quoque fuerat constitutum, idque aperte præ se tulerat in Prolegomenis ad Malalam §. 13. Sed tamen istud quoque institutum nova impedimenta denuo interverterunt, id agentibus fatis, ut hæ ipsæ vindiciæ suo denique loco, hoc est in diutissime expectato opere, quod nunc ob oculos habemus, conspicerentur.

In eo primo loco ipsa Historia Aristeæ comparet, ad fidem nu-

nuperrimæ editionis Oxoniensis impressa, cum vel lectiones diversas vel notas consarcinare, ad Scriptorem suppositititium & nullius pretii, supervacaneum doctissimo Autori visum fuerit. Insequitur Dissertatio contra Historiam Aristeæ, quæ primum operis hujus librum absolvit, in paucissimis ab editione Oxoniensi anni 1684 dissidens. Nempe prima duo capita, demtis nonnullis, ut breviora evaderent, in unum contracta sunt; quædam etiam in sequentibus in epitomen fuere redacta, pauculis quibusdam locis textui inspersis; plura in sequentibus capitibus textui subjiciuntur, quæ tum illustrandis olim dictis, tum imprimis Is. Vossii exceptionibus dispellendis inserviunt. Quod enim Vossius v. g. ad argumentum allatum ex *Hermippo*, dicente post *Cassandri* excessum, *Demetrium Phalereum* in Ægyptum demum adventasse, excipit; licet verum hoc esse concedatur, nihil inde tamen confici posse, nisi id solum, quod tempus, quo in Ægypto *Demetrius* fuit, non XXIV, sed XIV vel XV annorum fuerit: ad id respondet clarissimus Autor, imo & hoc, si verum id esse concedatur, inde confici, quod *Hermippus* non erraverit, cujus autoritatem erroribus imputatis convellere nisus fuerat Vossius. Quod *Antigonus*, cujus metu *Demetrius* ad *Ptolemæum* confugit, fuerit *Antipater*, *Cassandri* filius, qui & ipse *Antigonus* dictus sit, ut visum Hodio, eo impugnat Vossius; quoniam *Antipater* ille *Cassander* potius fuerit dicendus, si binomius extitisset, cum Græci cognomina vel a parentibus vel a præceptoribus acceperint, nec parens autem, nec præceptor *Antipatri Antigonus* fuerit appellatus: id levissimum clarissimo Autori videtur; indita enim a majoribus quoque Græcis nomina fuisse. Sic *Hermodamantis*, qui a majorum uno *Creophilus* appellatus sit, meminisse Jamblichum in Vita Pythagoræ: obstare quoque Vossio nomina *Alexandri Antiochi*, & *Demetrii Seleuci*, qui in Syria, & *Ptolemai Alexandri*, qui in Ægypto regnarunt. Frequens autem in *Cassandri* familia nomen *Antigoni* extitisse, patere ex eo, quod filia quædam *Cassandri*, fratris *Antipatri*, vocetur *Antigone* apud Schol. Theocriti. Imo & nomen ipsi posse fuisse *Antigoni*, cognomen *Antipatri*, quod habere potuerit ab avo suo *Antipatro*, patre *Cassandri*. Ad argumentum Hodii contra *Aristeam* ex eo desumtum, quod nulla patris *Ptolemai Lagi* apud eum

Confer. Acta E. 1687. p. 221.

eum sit mentio, responderat Vossius, factum id ideo, quod ille regno se eo tempore abdicaverit penitus: verum & falsum hoc esse observat clarissimus ejus antagonista (eum enim nunquam regnum deposuisse, Dexippi, Eusebii, Africani testimoniis, & aliis quoque argumentis quamplurimis probari) & si verum sit, nullam tamen rationem reddi posse, cur & *Eleazarus* in epistola, & e Senioribus unus viva voce bene precetur *Ptolemao Philadelpho*, & uxori ejus, & sorori, & liberis, & amicis, patris ne verbo quidem facta mentione. Indignum *Demetrio* Bibliothecarii munus non fuisse, Hodio persuadere conatus eo fuerat Vossius, quod in Galliis quoque Archiepiscopus Remensis, Romæ ex Cardinalibus aliquis, isto officio fungatur: respondet iste, a Vossio quidem allegatos Bibliothecarios honorarios esse, nudo insignitos titulo, quales nulli apud veteres fuerint reperti; custodes saltem Alexandrinæ Bibliothecæ ejusdem conditionis cum ordinariis Bibliothecarum præfectis fuisse, a se exemplis compluribus esse demonstratum. Sed omnia percurrere nimis longum; ad partes itaque sequentes, quæ novæ penitus, nobis potius erit festinandum.

In libro itaque secundo de versionis Græcæ, quæ LXX viralis vulgo dicitur, ætate atque auctoribus prolixa instituitur disputatio. Confectam eam fuisse intra illud biennium, quo cum patre *Ptolemao Lagi* simul Ægypto præerat filius *Ptolemaus Philadelphus*, probabile esse ex eo, quod veterum alii *Ptolemai Lagi*, alii *Philadelphi* regno hanc versionem adscribant, qui hac ratione optime concilientur, ut necesse non sit, cum Junio atque Weemsio statuere, duas diversas sub duobus Regibus istis versiones sacri codicis fuisse confectas: firmare id praeterea disertum *Anatolii Alexandrini* testimonium, & ex recentioribus, plerisque & gravissimis scriptoribus, quorum loca adducuntur, hoc placuisse. Petrum Trecensem vero, Eutychium Patr. Alex. Philonem, Athanasium, autorem Seder Olam, Præfationem Pentateuchi Arabici, Justinum Martyrem, in designanda ætate hujus versionis, multos gravissimos errores commisisse. Versionem hanc neque *Ptolemaorum* autoritate, nec *Demetrii Phalerei* studio esse confectam, sed a Judæis, qui sub *Alexandro M.* & *Ptolemao Lago* magno numero, sive sponte, sive coacti, in Ægyptum deve-

c. I.

c. II.

c. III.

venerant, (quod ex Hecatæo & Josepho discimus,) proprio motu, & in proprios usus. Augumenta, quibus *Ptolemæorum* auspicia & *Demetrii* autoritas versioni huic eripiuntur, hæc sunt: 1. quod sola Pentateuchus conversa fuerit; probabile autem non sit, illos historica populi & prophetica oracula, quæ maxime illorum poterant curiositatem allicere, fuisse prætermissuros: 2. quod versio hæc neglecta & ignota semper fuerit ante Christianismum natum Gentilibus, quod pateat ex omnibus illius ætatis scriptoribus profanis, apud quos summa rerum Judaicarum ignorantia; ignotam autem adeo eam manere non potuisse, si tantorum Regum autoritate confecta, ab iis in tanto pretio habita fuisset. Demetrio & Ptolemæis tribuentes hujus versionis adornationem veteres & recentiores, vel dubiæ fidei esse & supposititios, vel credulos nimis scriptores. Inter illos etiam ipsius comparet Imperatoris *Alexandri Severi* nomen, in oratione quadam apud *Encolpium:* cujus rei non meminisse non possumus, quod inter nostros non ignotum quidem *Encolpii* nomen, ignotam tamen *Historiam* ejus esse, satis sciamus. *Encolpium* enim quidem scripsisse illius Imperatoris *Historiam*, ex Lampridio novimus, sed quis nostrum illam vidit unquam? Extat vero inter Anglos versio ex Græco, ut titulus habet, vernacula illius *Historiæ*, a *Thoma Elyoto*, Medico, A. 1549 edita: quam tamen, judice clarissimo Hodio, non est cur multum Britanniæ invideamus. Spurium enim illum fœtum manifesta prodere ait indicia. Certissimum saltem esse, orationes, quæ in eo multæ habeantur, ab ipso *Elyoto* esse confictas; ejus enim ingenium & orationes confingendi consuetudinem ex aliis ejus scriptis sibi satis esse exploratam. Sed ad
c. IV. versionem nostram redeundum. Eam jam porro confectam docet non ab Hierosolymitanis, sed Alexandrinis Judæis. Certe enim opus non fuisse, ut Hierosolymis exemplaria & legis interpretes accerserentur, quorum inter tot millia Judæorum Alexandrinorum insignem copiam fuisse, necesse sit. Præterea dialectum hujus versionis esse Alexandrinam, quod fateatur Lexicographus Græcus Parisiis A. 1532 a Mich. Vascosano editus. Siclum Hebræorum eos didrachmum vertere, non Atticum intelligentes, sed Alexandrinum, quod ex Josepho Ant. III, 9. & Hieronymo

nymo ad Ezech. IV pateat. Vocem Ebraicam אימרין more Ægyptiorum Οἰφὶ proferre. *Thummim ἀλήθειαν* vertere; id enim Ægyptium quoque esse, ut dudum monstrarit Spencerus de Urim & Thummim c. 4 §. 12. *Josephi* nomen a *Pharaone* ipsi datum ψονθομφανήχ efferre, inflexo nomine ad usum Ægyptiorum, qui tum obtinebat. Ægyptium quoque esse, quod Ῥεφὰν Amos. V, 26 ponitur pro Ebr. כיון. *Ciun* enim, h. e. *Saturnum*, Ægyptiis *Rephan* dictum, idque patere ex Coptica Tabula Planetarum in Prodromi Copti c. 5 p. 147. Taceo cætera a doctissimo Autore observata linguæ Ægyptiæ vestigia. Id quoque, quod tanta fuerit Judæorum hujus versionis aversio, ut jejunio infaustam ejus confectæ declaraverint memoriam, argumento esse, a Judæis Hierosolymitanis eam profectam non esse. Quin & diserta loca Talmudica eam Alexandrinis tribuere. Nec Aquilam Judæum novam versionem Græcam fuisse moliturum, si istam ab Hierosolymitanis Presbyteris esse credidisset. Numero LXXII fuisse, plane absonum videri; quid enim eum numerum suasisset? esse hoc commentum ex affectatione Judæorum illius numeri, in aliis quoque rebus conspicua. Nec fuisse eos, qui in Synedrio considebant: quid enim incredibilius, quam toto Senatu suo gentem fuisse spoliatam, in Ægyptum scilicet commigrante? Nec LXXII fuisse συνέδρους, verum LXX tantum. Quin & esse ex antiquioribus & recentioribus, qui a paucioribus versionem factam dicant, Talmudistas Hierosolymitanos in Massecheth Sopherim, Leusdenium, Simonium. De Judæis quibusdam celebrioribus, qui in isto numero interpretum fuisse dicuntur, Eleazaro, Aristobulo, Simone Justo, Jesu Siracida, Daniele Propheta, Philone, Ezechiele Tragico, incerta esse omnia, & maximam partem manifeste falsa. Judæos Alexandrinos ægre ferentes, discrepantias suæ versionis ab Hebraizantibus passim notari, XL circiter ante Christum natum annis, Divino afflatu eam confectam esse, fingere cœpisse, idque Philoni jam fuisse persuasum, ut pateat ex Lib. 2. de Vita Mosis p. 510. Inde paulo post Philonis tempora, fabulam aliam de LXXII cellulis natales suos accepisse. Hanc triplici argumento destrui, primo autoritate adversa Aristeæ, cujus fidem alias agnoscant adversarii: secundo ex dissensu

c. V.

c. VI.

su veterum, quorum alii LXXII cellulis singulos interpretes, alii XXXVI binos semper inclusos tradant: tertio ex Philonis Judæi silentio: & quarto ex Prologo Ecclesiastici, ubi affirmetur, Scripturarum interpretationem eodem modo, quo aliæ versiones solent, a textus originalis excellentia defecisse. Heinsii conjecturam circa originem fabulæ de LXXII interpretum totidem cellulis sejunctorum consensu, propositam in Aristarcho I, 10, minime esse probabilem: tametsi eam & Rivetus, & Weemsius, (qui eam quidem non Heinsio, sed Josepho Scaligero perperam adscribat) Fridericus insuper Spanhemius, nec non Hottingerus, velut sagacissimam ac admodum plausibilem commendent. Supponere enim eam perperam, quod fabula de afflatu Divino interpretibus Græcis
p.156. præstito, & de numero interpretum septuagenario, & de cellulis diversis, uno tempore orta sit, & alia absurda minimeque probabilia continere. Unice igitur hanc fabulam natales debere eorum studio, qui Divinam hanc versionem credi cupiebant. Simile quid vero
c. VII. de Poëmatum Homericorum correctoribus finxisse Græcos, eamque in rem fragmentum ineditum Stephani Grammatici adducitur. Non totam autem sacram Scripturam a primis illis interpretibus fuisse translatam, sed *Pentateuchum* tantum, idque ipsius Pseudo-Aristeæ, Josephi, Philonis, Aristobuli, Rabbinorum, Hieronymi &c. constare testimoniis, quæ prolixe contra dissentientes
c.VIII. vindicantur. Præterea *solam Legem* illis temporibus in Synagogis lectam fuisse, & separatim ab aliis libris prostitisse. Librum *Josua* post *Ptolemai Lagi* demum fata esse translatum, ex voce γαισὸς constare, quam Gallicam origine, diu post ejus tempora
c. IX. Græciæ civitatem indeptam esse, fuse & erudite monstratur. *Libros Propheticos* cum *Esthera* & aliis quibusdam, sub *Ptolemæo Philometore* habitum Græcum induisse. Occasionem fuisse eam, quod *Antiocho Epiphane* Legis lectionem Judæis in patria sua prohibente, Prophetas loco ejus illi in Synagogis legere occiperent, idque imitatos Alexandrinos Prophetarum versioni operam navare cœpisse. *Antiochum* nempe illum Syriæ a V anno *Ptolemæi Philometoris* ad ejus annum usque XVII præfuisse. Probabile hoc reddere Alexandrinorum Judæorum eo tempore summam cum Palæstinis æmulationem, quo & *Oniticum* templum construxerint: item quod auctor Chronici Seder Olam Zuta referat versionem

nem Legis ad annum Græcorum 140: quod Anatolius inter Legis interpretes *Aristobulum* referat: quod ad *Oniæ* Sacerdotis S. ætatem quidam hanc versionem rejiciant; hæc omnia enim in *Philometoris* incidere tempora. De *Esthera* libro id evincere argumentum Usserii de LXX Interpr. p. 22. Ad id, quod objici ex Siracidæ præfatione poterat, respondendum esse, sermonem ejus pertinere non ad *Evergetem* seniorem, sed posteriorem, *Philometoris* successorem. *Librorum Samuelis* interpretationem *Philone* esse antiquiorem, a quo citetur in lib. de Nominum Mutat. p 826. *Judicum* autem librum ejus ætate nondum Græce versum fuisse, inde patere, quod in lib. de Confus. Lingu. p. 339 locum ex illo libro alleget, in quo versionem Græcam non exprimat. *Jobum* contra & *Psalmos* ante *Philonem* translatos esse evincitur, quia eorum versio ab eo citatur. Denique hoc saltem, quod neque unus totam Scripturam, neque plures communi consilio atque consensu interpretati fuerint, eo probari firmiter, quod summa sit in modo interpretandi disparitas, non in diversis tantum libris, verum & in singulis, ut in uno adeo pensa diversis interpretibus distributa fuisse pateat. Ita nempe easdem voces Hebraicas in locis diversis diverse exprimi: eadem virorum, gentium, & locorum propria nomina diversis vocalibus animata legi: in aliis locis non declinari, in aliis contra, Græca accepta terminatione, inflecti: in aliis locis locorum & gentium nomina Hebræa, Græca in aliis poni: animalium, arborum, lapidum, mensurarum, ponderum nomina diversis & contrariis vocibus passim reddi. Cujusmodi discrepantiarum catalogo texto bene longo, Libro quoque secundo isti corona imponitur. c. X.

Libro tertio, quæ fuerit vel Hebræi textus, vel versionum Græcæ & Latinæ, per omnia retro secula autoritas, ostenditur. Ubi Parte priore libri de textus Ebræi maxime, versionisque Græcæ agitur autoritate, & primo quidem Judæorum antiquissimorum de illis sententia repræsentatur. Ipsos igitur *Judæos Hellenistas* primas textui Hebræo detulisse probatur, idque ex præfamine Ecclesiastici; fabulam de Divinitate versionis Græcæ, post demum invasisse. Apud *Hierosolymitanos* vero Hebræi textus summam fuisse autoritatem, clarius etiam liquere. Josephum eum secutum esse, contra Salmasium, Bochartum, Capellum, alios monstratur. L.III. P. I. c. I.

Judæos tamen *Hellenistas* Græcam omnino versionem in Synagogis legisse, contra Lightfootum evinci ex Tertulliano Apolog. c. 18, Justino Cohort. ad Græc. p. 14, Apol. II pag. 72. Dial. cum Tryph. p. 297. sq. Gemara Hierof. tr. Sotah c. 7, & ex Philonis scriptis. Salmasium errare, per *Hellenistas* Proselytos tantum intelligentem, negantemque Judæos genere & natalibus, in Græcis urbibus dispersos, versionem Græcam in Synagogis legisse. Nullam de discrepantiis versionis Græcæ a textu Ebræo controversiam motam esse, ante circiter initia seculi secundi. Philonis enim tempore ea de re nondum esse disputatum, patere ex L. 2. de Vita Mosis p. 510, nec Josephi, qui passim etiam elogiis Græcam versionem ornet. Christianorum invidia hunc scrupulum ipsos Judæos Hellenistas movisse, idque ex Justino maxime firmari, Aquilæque historia, variisque Hieronymi locis, quibus recentiorum Judæorum testimonia

c. II. accedunt. *Christum* & *Apostolos*, nullo habito discrimine, Ebræum Græcumve textum allegavisse: qua quidem occasione Hieronymi omnia adducuntur loca, quibus Hebræa sequi Christum Christique sequaces agnovit; quibus subjicitur catalogus aliorum quorundam, ubi Hebræa eos exprimere ipse agnoscat Capellus, cujus tamen errores quidam circa ea taxantur, & supplementa locorum nonnullorum præterea ab Usserio ipsoque Autore observatorum adduntur. Cum tamen Hieronymus in quibusdam locis tueatur, Christum & Apostolos nunquam Græcam versionem sequi, ubi recedit a textu Hebræo, in aliis contrarium acriter defendat, res illa accuratius excutitur, repetunturque ejus rei gratia conciliationes quas clarissimus Pocockius in Porta Mosis tentavit. Subjiciuntur inde alia loca Pocockio non tentata, quorum partem *manum conciliatricem omnino fugere*, clarissimus Autor agnoscit: illis tamen quæ Capellus attulit, ut priorem sententiam

c. III. Hieronymi defendat, respondetur. Apostolicos viros Septuagintaviralem versionem plerosque allegasse, eam cum Hebræo textu raro comparare, ut adeo diserta testimonia pro majore hujus vel illius autoritate, rariora etiam compareant. Vexatum tamen illum Ignatii locum, in epistola ad Philadelphienses §. 8. huc forte pertinere, eumque ita esse explicandum, ut velit Ignatius: *Non debere esse quenquam contentiosum; audivisse vero sese dicentes, quod* Evan-

Evangelio nolint credere, nisi ἐν ἀρχαίοις in archivis V. T. hoc confirmatum invenirent. Dicente vero se quod in illis archivis reperiatur, annuisse eos ὅτι πρόκειται quod manifestum hoc sit. Succedunt inde cæterorum Patrum Græcorum, usque ad Nicepho- c.IV - X.
rum Callistum, de autoritate textus Hebræi & Græci testimonia, quæ singula percurrere, variarumque occasione eorum observationum mentionem facere, prolixum nimis & a scopo nostro esset alienum.

In parte altera libri hujus tertii, de antiqua versione *Itala* L.III. P. II.
primum agitur, ostenditurque Patribus, qui ea usi fuerunt, potio- c.I.
rem fuisse *Hebræi* textus & *Græci* N. T. autoritatem. Inde histo- c.II.
ria versionis ab *Hieronymo* susceptæ texitur. Eum, quod caput est, Autor monstrat ipsum fateri, se in quibusdam errasse: versionem c. III.
Græcam Ebræo textui longo intervallo postposuisse: scripta vero ejus, c.IV.
quibus neget corruptos Judæorum codices, tempore posteriora esse iis, quibus id affirmet. Versionem illius ex Hebræo a *Damaso* Ecclesiæ non fuisse commendatam; *Ruffinum* etiam & *Augustinum* non nimis præclare de ea sensisse, qui tamen textui *Hebræo* nuspiam derogent, sed primas ei decernant. Inde seculo V multos c.V.
Hieronymi versionem nondum recepisse, laudasse alios, sed originalibus non prætulisse. Seculo VI & VII quoque non omnes ubique eam secutos esse. Seculo autem VIII *Alcuinum Caroli M.* c. VI. VII. VIII.
rogatu eam totam correxisse, *&* *Carolum* in epistola, ab eo una cum Clero Gallicano Hadriano I Papæ contra Concilium Nicænum II oblata, taxare illud Concilium, quod ex versione Vulgata adduxerit quædam in Hebræis non obvia: nec *Papam* in responsione Hebræos codices propterea reprehendere ausum. Seculo quoque XII cor- c.X.
rectam diligenter a quibusdam versionem Latinam fuisse, inprimis a *Stephano Cisterciensi Abbate*, indeque *Correctoria* Bibliorum nata; ea vero non exemplarium emendationes, sed correctiones ad fidem originalium fuisse, idque ex Lyrano patere, a quo *Hebræus textus & libri correcti* passim jungantur. Seculo XVI etiam, post cœptam c.XIII.
jam reformationem, in crassissima Scripturæ ignorantia, repertos tamen inter ipsos Pontificios esse, qui sane de versionibus, Vulgata maxime, sentirent. Utque cæterorum hujus seculi testium nubem omittamus, ipsum Papam *Clementem VII* sex Judæis & totidem

 Chri-

Christianis Hebraice peritis mandasse, ut novam versionem adornarent, cujus rei mentionem faciant Jo. Campensis in Præf. Psalmorum, Jo. Cochlæus Præf. in Disceptat. de novis ex Hebræo translationibus, Steuchus Eugubin. Præf. in Recogn. & Santes Pagninus Præf. ad Vers. Bibl.

c. XIV. De Historia *decreti Tridentini* ex Petro Suavi & Sfortia Pallavicino prolixius repetita nil addimus, nec de Historia editionum Vulgatæ Sixti V & Clementis VIII, quarum editionum discrepantias innumeras non tantum in *Bello Papali* Jamesius annotavit, sed potiores quoque in opusculo Anglico, cui titulus, *de Corruptione Scripturæ, Conciliorum & Patrum*, ad capita quædam reduxit, cujus ordine digestæ ab Autore quoque hic exhibentur. In editione *Sixtina* plurima loca sine codicum autoritate, tantum quod *Hebræus* textus ita suaderet, esse mutata. Revocatam eam non esse, ex *Angeli Rocchæ* Bibliotheca Vaticana patere, nec ulli ante editionem *Clementinam* de decreto revocationis aliquid fuisse auditum: temere etiam evulgatam cum Bulla eam non fuisse, morte præveniente *Sixtum*, affirmari, cum per varias orbis partes fuerit distracta. In *Clementis VIII* editione, plusquam 2000 loca unice juxta textus originales esse restituta. Et tamen ipsis apicibus versionis Vulgatæ insistendum esse, pronunciavisse *generalem Cardinalium Congregationem* an. 1574.

c. XV. *Decretum Tridentinum* de Textus Hebraici & Versionis Vulgatæ autoritate, magnas inprimis in Hispaniis excitasse turbas; quam in rem longa autorum ab utraque parte pugnantium series texitur. Ex illis autem, qui insano *Vulgatæ* amore tenebantur, ipsa *Hebraica* exemplaria corrumpere quosdam ausos esse, idque factum in Bibliis Regiis Gen. III, 15, ipsummet fassum *Raphelengium*, imo & tale fuisse Psalterium Hebraicum *Lindano* jactatum, quod Isaacus Levita contra eum ostenderit, & Arias Montanus in apparatu suo agnoscat.

c. XVI. Ex *Protestantibus* quosdam plus justo contemsisse *Vulgatam*, candide tamen & moderate alios de ea sensisse; quorum loca diligenter colliguntur. *Ludovicum Capellum*, dum varietatem codicum *Hebræorum* præfervide monstrare sategit, Vulgatæ quoque causam suscipere, eamque ob causam simul & ob antiquitatem punctorum, graves ei motas controversias fuisse, quarum historia texitur, eaque huic etiam libro finis imponitur.

L. IV. Quarto denique libro de *ceteris Versionibus Græcis*, Orige-

genis Hexaplis, aliisque *editionibus* antiquis agitur. Ostenditur hic, *versionem Græcam* LXXvirali *antiquiorem*, quam *Aristobuli* autoritate nonnulli admittunt, extitisse nullam. Falsum quoque præsuppositum esse, *Platonem* nempe ex sacris oraculis quædam decerpsisse, quo inductus *Aristobulus* versionem illam, nemini veterum cognitam, confinxerit. Nullum certe locum proferri posse *Platonis*, quem ex sacris illis monimentis desumtum liquido constet. Rectiusque sentire Lactantium IV, 2, nihil Philosophos Græcorum a Judæis accepisse statuentem, quam Patres Apologetas, quibus alia sententia defensa, ideo tantum ut contemtum Græcorum, quo prosequebantur Judaicas res juxta cum Christianis, immi nuerent. Imo si quid etiam a Judæis profecerint Philosophi Gentiles, ex conversatione potius quam scriptis factum id esse, quæ Augustini quoque de Civitate Dei VIII, 11, & Origenis contra Cels. VI sit sententia. *Lagianam* & *Herodianam* versiones Serario confictas, nullas esse; priorem enim sub *Ptolemæo Lago* confectam non aliam esse a LXXvirali, *Herodianam* ex metachronismo Justini Martyris male confingi. Præter *Aquilæ*, *Symmachi*, *Theodotionis* versionem, *quintam* item & *sextam*, *septimam* etiam admittendam esse, quam perperam nonnulli in editionem *Lucianeam* converterint. Diserte ejus post *quintam* & *sextam*, in H. E. VI, 16. meminisse Eusebium, ex quo colligere etiam sit, eam Hierichunte in dolio Antonini Caracallæ tempore fuisse repertam. Male etiam ad *Psalmos* eam tantum pertinuisse credere nonnullos; *Prophetas* enim *minores* juxta septimam editionem allegare Hieronymum. De *Origenis Hexaplis* inde prolixa succedit tractatio, cui cum in plerisque ad rem maxime pertinentibus cum Huetiana de eo argumento commentatione conveniat, plura de ea addere supersedemus. Id tantum observamus, ut specimen discriminis inter editionem τῶν ὁ in Hexaplis & Κοινὴν prostaret, clarissimum Autorem discrepantias in *Psalmis* & *Esaia* observatas hic sistere, ab Usserio quidem etiam, sed minus accurate emendateque minus, repræsentatas. Post *Hesychii* & *Luciani* novas & correctiores editiones versionis τῶν ὁ, satis omnibus notas, *Joannis Josephi* commemoratur editio, Theodorito in Diss. MS. in Prophetas, & Quæst. 24 in Exodum, item Quæst. 10 in Josuam laudata; qui Josephus an idem sit cum

L. IV. c. I.

c. II.

c. III.

 au-

autore Hypomnestici, aliorum judicio permittitur. *Basilii* inde editio ex Syncello observatur. De *Arami* vero versione Græca, cujus Theodorus Mopsuesten. apud Photium Cod. 177 meminit, clarissimus Autor Allixio & Caveo calculum addit. Hieronymi versionem Latinam non totam a *Sophronio* Græce expressam fuisse, sed Psalmos tantum & Prophetas; multo minus Hieronymianam versionem Græcæ LXXviralis, rursum in Græcam linguam translatam, quod Huetio, nec emendatam ab Hieronymo LXXviralem esse, quod Bellarmino aliisque sit visum. *Patrophilum* Hebræas Scripturas denuo Græce vertisse, ex male intellecto Gregorii Laodiceni loco, Sixtum Senensem & Königium temere sibi persuasisse. *Apollinarium Laodicenum* editionem quandam mixtam ex omnibus versionibus adornasse, perperam ex Hieronymo colligi; de Explanationibus enim eum loqui Apollinarii, in quibus temere & sine judicio, modo hanc, modo illam versionem sequatur. *Versionem XXX hominum* apud Philastrium Hær. post Chr. 91, confictam esse ab hominibus indoctis, quod in Bibliorum Græcorum marginibus Luciani editio allegaretur, indicio ejus facto littera Græca Λ, quæ numeri tricenarii nota sit. Quid si nos dicamus, natum id ex eo, quod in codicibus quibusdam, ubi Aquilæ vel Symmachi vel alterius allegata prius fuit interpretatio, reliqui si consenserint τῶν λοιπῶν titulo allegentur, qui littera initiali Λ, cui quandoque minutæ figuræ o inscribitur, indicatur. Editionem *Heracleensem* non aliam esse a versione Theodotionis, qui ex Ponto ortus fuerit, ubi sita Heraclea. *Græcam versionem* ex *Pentateucho Samaritica* factam esse, sine idoneis argumentis affirmari; & potuisse Patres nonnullos, qui Samaritica allegant, ab ipsis Samaritis de illis edoceri. Versionis inde Græcobarbaræ tum Judæorum Pentateuchi, tum totius Scripturæ Cyrilli Lucaris auspiciis concinnatæ, fit mentio. *Macedonicam* Versionem, de qua Galesinius nonnulla, cerebri Galesiniani fœtum esse. De editionibus hodiernis LXXviralis versionis adduntur multa, ut & de codicibus ejus manu

c. IV. exaratis. Postremo de librorum Biblicorum numero & ordine disseritur, tabulisque confectis qui ille fuerit, & quæ ejus omnibus seculis tum apud Judæos tum Christianos, sive Græcos sive Latinos diversitas, ostenditur.

AN-

ANTONII VAN DALE DISSERTATIO SUPER Aristea de LXX Interpretibus, cui ipsius prætensi Aristeæ textus subjungitur. Additur Historia Baptismorum tum Judaicorum, tum potissimum priorum Christianorum, tum denique & Rituum nonnullorum. Accedit & Dissertatio super Sanchoniathone.

Amstelædami, apud Jo. Wolters, 1705. 4.
Alph. 2, plag. 20.

Quæ tot egregia nuper & olim ingenia exercuit, Historia de versione τῶν LXX, eam & suis observationibus haud indignam judicavit Vir doctissimus Antonius van Dale. Post ea igitur, quæ Ludovicus Vives, Jos. Scaliger, Dan. Heinsius, Joh. Wowerius, Rich. Simonius, Jac. Usserius, Brian. Waltonus, Robert. Bellarminus, Isaacus Vossius, & quem falso quidem mortuum credidit Noster, Humfridus Hody, (at quanti viri?) plenissima nobis messe tradiderunt, haud spernendum sibi spicilegium relictum existimavit, cui & ipsum Aristeæ textum cum versione Latina Garbitii, faciliorem scilicet lectoribus Autorem ipsum cum suis observationibus conferendi copiam daturus, subjunxit. Duos autem omnino, non unicum, eosque admodum discrepantes Aristeas fuisse docet: unum quidem Judaicum, quem totum exhibet; alterum, quatenus ex Epiphanio potissimum conspici possit, Christianum, seu ab homine Christiano quopiam atque Hebraice non callente, sed pro versione LXXvirali militante compositum. Illum quidem Judæum aliquem Alexandrinum, e numero istorum Hellenistarum, qui nobis Apocrypha Tobiæ, Judithæ, similiaque imprudenter obtrudere, sub falsis nominibus conati sint, fuisse existimat, Gentilis quidem præ se personam ferentem, sed pessime illam, sententiis de Deo plane Judaicis, usuque vocis Νόμος, pro legum systemate Græcis ac Latinis plane insolito, sustinentem, ætate inter Philonem ac Josephum medium; Philonis, qui primus forte historiam de LXX Interpretibus publice tradiderit, dicta ulterius adornantem, Josephoque tam lepidam fabellam perficiendam relinquentem. His expositis, a quonam Ptolemæo adornata fuerit Bibliotheca Alexandrina, an a Lagi filio, Cap. I. c. II.

an

an a Philadelpho? primo omnium disquirit: & posteriori quidem institutæ Bibliothecæ laudem, nequaquam vero ista pietatis ac virtutis elogia, quæ ipsi a Philone, Epiphanio, Augustino, ipsoque Aristea tribuuntur, deberi, productis optimorum Autorum testimo-
c. III. niis confirmat. Deinceps etiam Demetrii Phalerei, cujus scilicet egregia in hac versione promovenda tanquam Bibliothecarii opera fuisse perhibetur, considerationem suscipit, ejusque neque tantam pietatem, Divinæque legis venerationem fuisse, quanta ipsi ab Aristea tribuitur, Athenæi testimonio ostendit, neque ipsum omnino eo tempore in aula Philadelphi vixisse, regiave gratia usum fuisse, quo versio facta perhibetur, multo autem minus Bibliothecæ præ-
c. IV. fectum fuisse, e probatissimis Historicis evincit. Quo loco digressione facta ad Lipsii Syntagma de Bibliothecis, & Hodii sententiam, de Bibliothecæ Alexandrinæ antiquitate agit, eamque Pergamena posteriorem fuisse, e Plinio, Vitruvio, Strabone atque
c. V. Scaligero demonstrare conatur. De hujus Bibliothecæ librorum numero, varias Autorum sententias refert. A Demetrio libros sacros e lingua Ebraica, a Philone vero, ex ignorantia patrii sermonis, e Chaldaica vertendos dici; varias etiam variorum, sed minime sibi cohærentes sententias de pretio, quo libros sacros obtinere Philadelphus studuerit, observat. Eandem Scriptorum discrepantiam
c. VI. inter Aristeam, Josephum atque Epiphanium, in Epistolis a Ptolemæo de impetranda hac versione ad Judæos missis, exhibito singularum contextu notat, Epiphaniumque, qui Philadelphi Biblio-
c. VII. thecam in Bruchio collocatam asserit, cum omnium Historicorum suffragio destituatur, errasse existimat: qui etiam finem, ob quem Philadelphus sacros sibi libros verti voluerit, verbis ex Aristea talibus probet, quæ aliorum relationi plane non respondeant; e quibus autem satis appareat, Græculum aliquem Christianum sub illo Aristea latere, cum πίστις, καὶ ἅγιος τόπος, quæ voces in Philadelphi epistola occurrunt, sensu mere Biblico hic polleant. Inter plura alia ἀσύστατα Aristeæ dicta, etiam illud examinandum sibi Autor sumit, quales libros istos 72 Apocryphos simul cum 22 Canonicis Philadelpho a Judæis missos fuisse credibile sit, cum vena intellectus, sapientiæ fons, & scientiæ flumen in istis latuisse dicatur? Et procul dubio Chymicos illos aut Alchymisticos,
qua-

quales plures, scilicet Adami, Mosis, Mirjam, Salomonis &c. recenset, a Verpulo isto intellectos fuisse credit. In sequentibus Justini Martyris potissimum narrationem de ista versione sub incudem c. VIII.
κρίσεως suæ vocat, & præter ingentem ἀναχρονισμὸν, quo Herodem & Ptolemæum συγχρόνους facit, nullibi ipsum sibi constare, nec cum aliis etiam convenire, aliter in Cohortatione ad Gentes, aliter in Apologia rem referre ostendit; frigida esse illa, quæ de consecratione librorum sacrorum Deo (scil. Serapidi) facienda, putida, quæ de LXX domunculis, enarrentur, sacroque Scriptore prorsus indigna declarat. Deinceps occasione pretii ac donorum, quibus tantum sibi thesaurum redimere voluerit Philadelphus, c. IX.
quæque ratione bene subducta mille etiam talenta superarint, pluscula de ipsius in acquirendis libris rarioribus liberalitate e Galeno Pergameno disserit, inprimis autem Æschyli, Euripidis ac Sophoclis tragœdias ut describendas acciperet, XV Atheniensibus talenta dedisse commemorat, simulque trium horum Poetarum insignem apud omnes antiquos gloriam, tragœdiarum ab ipsis scriptarum incredibilem fere multitudinem, summamque ingenii præstantiam omnibus notam extollit: cum contra libri Judæorum paucissimis inter Gentiles fuerint cogniti, nulli fere nominati, adeo ut Hero- c. X.
dotus ne nomen quidem ipsorum exaudivisse videatur: quæ tamen ipsorum obscuritas ab Alexandro M. paulum illustrata sit, cum & aliqui sub ipso Judæi militaverint, & ipse templum eorum intraverit, si fides habenda Josepho: cujus hac occasione splendida mendacia de Alexandri erga Judæos favore, de Divinis ejus somniis ac visionibus Propheticis, de transitu ejus per siccum mare Pamphilium, quin circa ipsas etiam sacras historias taxat, ubi simillima fabulatori Judæo Ben Uzielis de transitu Israelitarum per mare rubrum habeat: quod uberius exequitur, exemplisque de Samsonis nativitate, Saulo ac Davide, (ubi centum præputia, in capita hu- c. XI.
mana numero sexcenta ab ipso commutata sunt,) de Mosis in cœlum ascensu, de Cyri pro Judæis reditum jam e captivitate meditantibus epistola, quibus sexcenta alia addi possent, illustrat. Deinde ad libros Biblicos vertendos redit Autor, & quam rara ante captivitatem Babylonicam libri Legis exemplaria fuerint, quam c. XII.
pauca a captivis in Chaldæam transvehi potuerint, quantaque inde

linguæ Ebrææ ignorantia extiterit, ex ipsa Regum Judæorum, totiusque populi, ac exilii illius, quo tantum non omnes abducti
c. XIII. sunt, historia ostendit. Unde non minus quam ex fastidioso Legis interpretum supercilio, qui raro aliis interpretandæ Scripturæ rationem tradebant, Philadelphi tempore vix LXX Seniores in populo Judaico, plurimam partem in captivitate retento, qui tam prompte Scripturam universam interpretarentur, existere potuisse, concludit: suamque istam conjecturam porro ex ipso Josepho, Scripturis N. T. & Jos. Scaligeri judicio probat, vixque adeo fieri potuisse, ut e singulis populi tribubus sex Legis interpretes mitterentur, existimat: quare & in Massechet Sopherim quinque solum Judæos id opus perfecisse, ab Hilario vero ac Baronio ipsum Eleazarum totumque Synedrium, illius versionis parandæ gratia, in
c. XIV. Ægyptum concessisse, dicatur. Insigniores dehinc fabulas alias huic historiæ admistas excutere suscipit Noster. Huc prædicata ab Eleazaro Philadelphi in Deum Israelis, non obstante incestuoso ejus cum sorore sua conjugio, pietas: Jordanus fluvius in morem Nili agros, perhibente id contra veritatem Aristea, inundans: mustela auribus fœtum concipiens ac ore pariens: codices aureis literis conscripti: sacrorum librorum facta a Ptolemæo adoratio: emissæ, ob adventum librorum, Regis & Aulicorum Ægyptiorum,
c. XV. i. e. Judæis infensissimorum hominum lacrymæ: dies festus atque anniversarius ob hanc versionem celebratus: instituta per VII juxta
c. XVI. Aristeam, per XII juxta Josephum dies, cum Interpretibus ante versionem susceptam convivia: propositæ in illis a Ptolemæo Rege lepidissimæ, & a Senioribus nostris persapienter solutæ, ab Aristea recensitæ quæstiones: accubationes ac preces, remotis ipsis ideo Ægyptiorum Pontificibus, Judæorum more factæ: Menedemus Philosophus LXX Interpretum convivio, (quo
c. XVII. quidem tempore dudum obierat,) adhibitus: ipse porro locus, Pharus Insula, & adgrediendæ interpretationis apparatus: distinctæ, juxta Justinum, Clementem Alexandrinum & Irenæum, 72 cellulæ: tredecim Scripturæ loca Divino instinctu ab Interpretibus immutata: in reliquis accurate sibi respondens τῶν LXX versio:
c. XVIII. plurima contradictoria hic ab Epiphanio, Cyrillo, Novellis Justinianeis, Philone, Josepho, Hieronymo, Justino, & Aristea tradita: fa-

fabula de LXXII Grammaticis, a Pisistrato ad Homeri Poëmata restauranda congregatis ac seorsim collocatis, cum hac nostra de versione illa τῶν LXX comparata, aliiaque pertinent. Sane, quæ capitibus sequentibus de inspiratione Divina circa hanc versionem ex Irenæo, Clemente Alexandrino, & Tertulliano; quæ de quotidiano Interpretum ad Regem accessu; de convivio ad Regis mensam, cum Ægyptiis scilicet, quos adeo abominabantur, habito; de concurrente ad unanimem versionem, juxta Epiphanium & Augustinum, Divino miraculo traduntur, quorsum nisi ad fabulas referantur a prudentioribus? Notatu porro digna sunt, quæ de schismate inter Judæos Hebraizantes & Hellenistas, occasione hujus versionis, an scilicet & illa publice in Synagogis prælegenda sit, ex Actor. VI, 1. IX, 28. XI, 20. & Justiniano Novell. 146 traduntur: item quæ de controversia circa linguam, e qua in Græcam LXX Interpretes Scripturam transtulerint, Ebræane fuerit, an Syriaca, vel Samaritana, vel quod plurimi velle videantur, Chaldæa, observantur; quæ quidem Autor noster in dubio relinquit, satis habens ostendisse, non magnæ hanc versionem autoritatis esse debere. Illud magis certum Nostro videtur, quod solus Pentateuchus versus fuisse ab LXXviris, ex Aristea, Philone, Hieronymo dicendus sit. Quare cum reliquorum Christianorum sententiam, qui 25 Canonicos libros ab iis versos credunt, tum Epiphanii, qui cum Canonicis etiam LXX Apocryphos, tum vero maxime Cedreni nugas, qui præter illos etiam plures alios, decem myriades scilicet, e variis linguis, ab istis LXX in Græcum sermonem translatos existimat, rejicit: If. Vossii sententiam vero, Peutateuchum quidem communi omnium LXX opera, reliquos vero Canonicos libros singulorum studio Græce conversos perhibentis, fundamento destitui demonstrat. Inde ad majores nugas discutiendas abit: fabulam videri, quod intra LXXII dies versio confecta fuerit, quod tamen Waltonus, quamvis nec Justinus, nec Tertullianus, nec Irenæus, nec Clem. Alexandrinus, nec ipse Epiphanius vel Augustinus id asserere ausi fuerint, communi Patrum sententia constare jactarit: ἀσύςατα, quæ Aristeas, Irenæus & Epiphanius de Legis versæ prælectione afferant: nugas denique, quæ de facta ab omnibus Judæis Alexandrinis approbatione hujus versionis perhibeantur, cum & pau-

c. XIX. c. XX. c. XXI. c. XXII. c. XXIII. c. XXIV.

 cis-

cissimi Ebrææ linguæ gnari fuerint, nec exemplaria codicis accurata, unde de versionis bonitate judicare possent, habuerint: nec versio denique alia codicis sacri antiquior adfuerit, e cujus colla-
c. XXVI. tione judicium de versione ista ferre potuissent. Qua occasione,
c. XXVII. Autor noster, prolixiori digressione facta, contra Justinum Martyrem, Huetium aliosque, qui Homerum, Hesiodum, Platonem, Pythagoram pluresque Gentilium Philosophos ac Poetas, plura interdum e sacris literis mutuo quasi sumsisse, suisque scriptis inseruisse perhibent, disserit, idque ob sacræ linguæ ignorantiam, versionis alicujus defectum, interdictam cum Judæis consuetudinem, a-
c. XXVIII. liasque rationes fieri vix potuisse arbitratur: testimonium vero de
c. XXIX. versione aliqua antiqua Aristobuli, ad quod Clemens Alexandrinus provocat, pariter ac Hecatæi & libri Macchab. 2, c. 1 falsitatis ac **νοθείας** maximopere bonis omnibus suspectum esse debere, decla-
c. XXX. rat. Tandem & adoratione seu *προσκυνήσει* versionem confectam a Ptolemæo exceptam, annuoque festo Judæis ac Ægyptiis communi ejus memoriam celebratam, frustra & nugatorie ab hujus versionis statoribus asseri demonstrat, suamque de isto opere sententiam Josephi Scaligeri verbis finit: „ De LXX interpretibus „ scito fabulam a Judæis confictam, a Ptolemæo arcessitos, in unum „ locum conjectos, & non omnium, qui in unum locum convenissent, & capita contulissent, sed singulorum separatorum, qui „ Divinitus in eandem sententiam conspirassent, eam interpretationem fuisse. Quid ergo? cum coegissent eos Ptolemæi Græce „ contractus scribere, & annos a Ptolemæo Philadelpho putare, attribuerunt eam interpretationem ei Regi, qui eis necessitatem Græcissandi imposuisset? Igitur septuaginta interpretum paraphrasis Græca est, non autore Philadelpho, sed Judæorum suadente utilitate conscripta, qui parum Ebraice sciebant, Græce autem loqui & scribere ab ipsis Regibus „ cogebantur. Ea sane, sive a LXX, sive ab uno, quod verius est, „ conscripta mendosissima & falsissima est. Istam Dissertationem ipse Aristeæ textus, cum versione Garbitii, satis quidem illa vitiosa, excipit.

Subjungitur deinde Historia Baptismi cum Hebræorum tum maxime Christianorum, quem posteriorem originem suam e Judai-

daico Proſelytorum baptiſmo Autor noſter deducit, quemque a Servatore noſtro, æque ac Euchariſtiam, occaſione Paſchatos feſti, in Chriſtianiſmum translatum, ac Sacramentum Chriſtianorum redditum eſſe exiſtimat. Namque & Judæos olim eorumque Proſelytos non minus baptiſmo, quam circumciſione & ſacrificiis, in Eccleſiæ gremium admiſſos eſſe, e Maimonide, Elia de Wides, & Petro Bleſenſi probat: quanquam an ritus ille a Moſaicis inde temporibus deducendus, an vero recentior ſit, non ſatis apparere fateatur. Inde Johannis baptiſmum pœnitentiæ novum aliquid in populo Judaico non fuiſſe, Chriſti autem baptiſmum non pœnitentiæ ſolum, ſed initiationis etiam fuiſſe, atque uti Judæi Proſelyti baptizati patrem, matrem, fratres, ſorores relinquere debuerint; ita hunc quoque myſticam regenerationem poſtulaſſe. Baptiſmum Proſelytorum apud Judæos ad res forenſes, Chriſti autem Baptiſmum mere ad Eccleſiam & ſpiritualia ejus bona pertinuiſſe; illum in liberis non continuandum, ſed parentibus Proſelytis baptizatis, eorum proli baptiſmo non opus fuiſſe, hunc contra Chriſtianorum in poſteris etiam continuandum, contra Socinum ejusque aſſeclas, prolixe ex rei ipſius natura, veterumque Patrum teſtimoniis demonſtrat, & ad Socini argumenta reſpondet. Ceterum verba illa, βαπτίζοντες εἰς ὄνομα τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ Πνεύματος, non tam baptizandi formulam, quam illius, a quo inſtitutus Baptiſmus ſit, autoritatem oſtendere; ſucceſſu tamen temporis, quod alia non compareret, pro formula uſurpata putat. Inde ad doctrinam de Pædobaptiſmo accedit, de cujus origine ſententiam ſuam verbis Salmaſii proponit: Primis duobus ſeculis ne-„ mo Baptiſmum accipiebat, niſi qui in fide inſtructus, & doctrina „ Chriſti imbutus, teſtari poſſet ſe credere, propter illud: qui cre-„ diderit & baptizatus fuerit. Ergo prius erat credere; inde ordo „ Catechumenorum in Eccleſia. Poſtea opinio invaluit, neminem „ ſalvari poſſe, niſi qui baptizatus fuiſſet; ideo & conſuetudo nata „ infantibus baptiſmum conferendi. Tempore autem Tertulliani, ad cujus teſtimonium provocat, conſuetudinem illam, diſſuadente licet iſto Patre ortam, ab Auguſtino deinde ſæpius pro Apoſtolica traditione venditatam, iſtis porro fundamentis nixam e Tertulliano, Cypriano, perhibet: 1) Baptiſmum non tam eſſe manda-

 tum

tum ac statutum Servatoris nostri, quam prærogativam ac beneficium, per quod Regnum cœleste detur, *quatenus baptismus est.* 2) Revera Spiritum Sanctum per manus impositionem dari. Huic tamen se sententiæ usu ipso, quod e Gregorio Nazianzeno probat, plurimos opposuisse, & baptismum ad adolescentiam, quin ad 30 usque annum distulisse commemorat, & Constantini ac Theodosii exemplis, Athanasiique ætate, ubi rarus adhuc Pædobaptismus fuerit, confirmat: nec per legitimas quidem Sacræ Scripturæ consequentias illam probari posse putat. Illas igitur, quæ e Marco C. XVI. v. 16. & Matth. XXVIII, 19. eque familiis totis baptizatis 1. Cor. I, 16. 1. Cor. XVI, 15. Act. XVI, 15. & 33. aliisque locis ducuntur, enervare, contrarium vero e variis Doctoribus probare conatur. Ex illa porro de absoluta Baptismi necessitate sententia, Anabaptismi Hæreticorum, imo & Schismaticorum, originem, inde a Tertulliani temporibus derivat. Cypriani, Conciliique ejus ætate & autoritate habiti, discordibus licet Patribus, judicio istam sententiam confirmatam, postea temporis quidem a Romano Pontifice aliisque mitigatam, sed tamen non impeditum, quo minus & hæretici v. g. Ariani, Novatiani & Donatistæ, talionis quasi jure, quosdam orthodoxos rebaptizarent, esse ostendit. Hoc loco, quia non nisi κατηχουμένους ad baptismum admittendos censebat, aliqua ex antiquitate περὶ τῶν κατηχουμένων, occasione Proselytorum Judaicorum, in Christiana Ecclesia usitata, deque Catechumenorum diversis gradibus, alibi tamen etiam obvia, observat: aliqua de Gentilium mysteriosis sacris, & ritibus circa baptismum primitivæ Ecclesiæ, e Patribus notata inspergit: alias ceremonias circa Eucharistiam, v. g. de tempore cœnæ sumendæ, de diæta veterum, panibus usurpatis, variis cibis, de agapis earumque abusibus, nocturnis cœtibus, datisque inde calumniandi occasionibus, osculo pacis, differentia inter clerum & plebem, oblationibus & precibus pro defunctis, de natalitiis martyrum, eleemosynis, de stationibus ac Paschæ jejunio, de crucis signaculo, horumque omnium causis, e variis antiquorum Autorum locis illustrat. Quæ, ut reliqua omnia, Theologorum judicio permittimus.

Tandem & Dissertationem super Sanchoniathone, ejusque cum sacris nostris Scripturis concordia adjungit. In qua Bocharti

ti potissimum, Huetii aliorumque veterum ac recentiorum, testimonia ex illo pro veritate avide corradentium, fiduciam vanumque conatum taxat, ipsosque sæpe gentilia, quandoque aut temere aut maligne conficta, conferre, istisque nugis S. Literarum Soli lucem affundere conari, indignatur. A Judæis certe Ethnicos illa accepisse, totam Israelitarum historiam percurrenti vix vero videri simile: inde & Taautem Sanchoniathonis Mosem, Gideonem ipsius Hierambalem non fuisse, ab eoque Sanchoniathonem legis codices nequaquam accepisse, contra Huetium, e mendaci, qui illud prodiderit, Porphyrii ingenio, ab ipso Huetio probe agnito, Chronologiæque ac ipsius Mosis Sanchoniathonisque de mundi generatione aliisque historiis discrepantia, evincit.

LA GERARCHIA CARDINALIZIA DI CARLO BARTOLOMEO PIAZZA &c.

i. e.

HIERARCHIA CARDINALITIA CAROLI BARTHOLOMÆI PIAZZÆ, ex Congregatione Oblatorum Mediolanensium, Opus Clementi XI Pont. Max. dicatum.

Romæ, typis excusum in officina N. Bernabò, 1703. in fol. Constat Alph. 10.

De Eminentissimo Collegio Patrum Purpuratorum, quos sub Cardinalium nomine veneratur Ecclesia Romana, multi diverso modo, diversoque fine scripserunt. Nostro id potissimum propositum fuit, ut Ecclesiarum, quæ singulis Cardinalium certa ratione concreditæ sunt, statum antiquum pariter & hodiernum, ob oculos ponat. Initium facit ab Episcopis Cardinalibus, quorum olim septem fuerunt, hodie sex duntaxat existunt, nimirum Ostiensis & Velitrensis, Portuensis, Sabinensis, Præneſtinus, Tusculanus ac tandem Albanus. Horum omnium diœceses ita describit, ut primo generatim, quæ olim fuerit, & quæ sit hodie singularum facies, ostendat, deinde loca singula ad quamvis diœcesin pertinentia speciatim exhibeat, quidque ubivis notatu dignum, vel naturæ beneficio, vel hominum munificentia inveniatur, stylo eleganti exponat, p. 3.

ad-

adjecta honorifica commemoratione virorum, vel martyrio ac sanctitate vitæ vel aliis virtutibus ac dignitatibus illustrium, qui aut oriundi fuerunt ex locis recensitis, aut ibi vixerunt, aut sepulcrum
p. 345. ibi fuerunt nacti. Inde ad Cardinales Presbyteros progressum facit, ac primo de Archipresbyteris trium Basilicarum Patriarchalium, nimirum S. Johannis Lateranensis, S. Petri in Vaticano & S. Mariæ Majoris tractationem instituit, cumque de variis illorum appellationibus, item dignitate ac prærogativis disseruisset, varia dictarum Basilicarum nomina, quidque singulæ præ reliquis præcipui habeant, & quorum liberalitate unaquæque splendidior facta
p. 346. fuerit, fusius recenset, subjecta descriptione duarum reliquarum
p. 348. Basilicarum Patriarchalium, nimirum S. Pauli & Laurentii. His præmissis, quænam sit obligatio Cardinalium in Titulis & Diaconiis
p. 351. suis, succincte ostendit, & generatim de Titulorum Cardinalitiorum
p. 355. origine, antiquitate, mutatione ac divisione, nec non antiquo Pres-
p. 360. byterorum & Sacerdotum in Ecclesia ministerio agit. Postea spe-
p. 364. ciatim Titulos ipsos, quorum sunt quinquaginta & unus, ordine exhibet, atque in singulorum tractatione ita fere versatur, ut primam cujusvis Ecclesiæ originem eruat, in prærogativas illarum inquirat, capellas, picturas, monumenta & quicquid in quovis templo maxime conspicuum existit, commemoret, Sanctosque, qui peculiari veneratione illud coluerunt, vel quorum reliquiæ ibi asservantur, nec non eos, qui beneficentiæ suæ documenta ibi reliquerunt, honoris causa nominet, passim quoque miracula & alia notatu digna, quæ singulis in locis acciderint, exponat. Inter hæc inserit alia multa, quæ grata Lectoribus esse debent, ex. gr.
p. 409. de autoritate & antiquitate Vice-Cancellarii Ecclesiæ; de origine,
p. 476. ritu & mysterio ponendi primum lapidem, item nummos subji-
p. 480. ciendi fundamentis templorum exstruendorum; de usu antiquo
p. 550. solam crucem erigendi vel pingendi, sine effigie Redemtoris eidem
p. 531. affixi &c. De illis quoque titulis, qui olim inter Cardinalitios re-
p. 701. lati, sed tractu temporis suppressi fuerunt, nonnulla dicit. Tandem ad gradum tertium Cardinalium, scilicet Diaconorum, transiens, initio de origine illorum, potestate atque officio quædam
p. 704. præfatur, addita de reliquis Archi-Diaconis, Diaconis & Sub-Dia-
p. 716. conis, item de Diaconissis, Sub-Diaconissis & Diaconis, qui *Sekatici*

tici dicuntur, deque benedictionibus Diaconalibus & quibusvis ecclesiasticis, digressione. Deinde eadem fere methodo, qua Titulos Cardinalium Presbyterorum antea recensuerat, singulatim quatuordecim Diaconias, quæ hodienum sunt Cardinalitiæ, pertractat. Etiam illarum facit mentionem, quæ tales esse desierunt, atque ad alia quædam argumenta interdum descendit, quorum notitia non minus jucunda quam utilis esse videtur; in quibus fere præcipua sunt, quæ contra novas Criticorum opiniones de famoso illo simulacro, quod *Bucca Veritatis* nuncupatur, Jovique Ammoni olim dicatum jam prostratum jacet ante Templum S. Mariæ in Cosmedin, nec non ea, quæ de ichnographica delineatione & divisione Basilicarum secundum ritum Græcum, item de Hospitio Apostolico S. Michaelis, ac denique de Ergasterio, ad coercendam dissolutam juventutem a Clemente XI A. 1703. exstructo, adducit. Totum opus uti singularem industriam, rerumque tam sacrarum quam profanarum eximiam cognitionem præ se fert; ita dubium non est, quin ab omnibus eruditis debito honore ac plausu excipiatur.

p. 710.
p. 719.
p. 748.
p. 774.
p. 797.
p. 802.

Friedrich Leutholfs von Franckenberg Europäischer Herold ꝛc.

i. e.

FRIDERICI LEUTHOLFI A FRANCKENBERG Fecialis Europæus, sive accurata Descriptio Europæo-Christianorum Imperii, Regnorum, Rerumpublicarum & Principatuum, juxta statum illorum naturalem ac politicum, bellicas item & pacatas, ecclesiasticas & seculares dispositiones usque ad hunc A. O. R. MDCCV. Tom. I & II.

Lipsiæ, apud Thomam Fritschium, 1705. in fol.
Constat Alph. 20. plag. 3. ac 13. tab. æneis.

Qui Juris Publici, domestici cumprimis, penitiorem ac minus proletariam scientiam imbibere gestiunt, non possunt non de noviter recuso hoc libro, a septendecim jam annis per Germaniam celebratissimo impense sibi gratulari. Præterquam enim, quod

quod omnium in Europa Regnorum, Liberorum Statuum, ac Principatuum, quotquot Christianam fidem colunt, origines, incrementa & vicissitudines, familiarumque illustrium etiamnum superantium stemmata compendiosa serie enarrata, quin & plerorumque aulas, vires, copias, jura quoque atque prætensiones judiciose hic descripta invenient, totius potissimum Imperii Romano-Germanici, ejusque Procerum, nec non ditionum singulis subjectarum exactissimam notitiam, prout e rivulis tam Geographicis ac Genealogicis, quam Historicis ac Politicis haurienda, copiose dispensari, non absque voluptate insigni deprehendent. Quo curatius vero atque uberius hæc omnia prostant, eo majores sane debentur gratiæ Excellentissimo libri hujus Autori, qui adscititio sub nomine modeste latet, quod medias inter arduasque splendidissimi muneris functiones, præclarum hoc opus sub incudem revocare, eaque cum sollicitudine expolire sustinuerit, ut nihil ad elegantiam ejus amplius desiderari queat. Oeconomia autem libri hæc est, ut in præliminari discursu multa, quæ Statui Politico in genere congruunt, maxime vero rationes eum conservandi, ornandi & defendendi proponantur, singulaque exemplis tam vetustis quam recentioribus apposite illustrentur. Hunc excipit primus tomus de Sacro Imperio Romano-Germanico, isque quadripartitus. Prima namque pars Historiam patriam a Caroli M. ævo usque ad Leopoldum Imperatorem nervose contextam sistit. Altera Imperii nomina, jura prærogativa, situm, fines, fluvios præcipuos, fertilitatem, nec non divisionem in X Circulos describit. Tertia summum Imperantem, cæterosque Germaniæ Proceres ac Status exhibet, & in quinque rursus abit sectiones, quarum prior de Imperatore, ejusque electione, coronatione, potestate, reservatis, dignitatibus ecclesiasticis aliisque juribus, quin & de Augusta ac privilegiis eidem competentibus ex professo agit: secunda Romanorum Regem, & quæ electionem ipsius comitari solent obstacula, jura item ac præeminentias ejus inducit: tertia Vicariorum Imperii diversas classes, officium atque autoritatem explicat: quarta porro de Statibus, & jurisdictione territoriali illis propria, modisque simul, quibus majestas hæc analogica limitatur, aliisque affinibus materiis summatim loquitur, mox in titulis quinque speciali-

tribus eorumque articulis ſeparatis Electores ac Principes tam Secu-lares quam Eccleſiaſticos, Prælatos & Civitates Imperiales omnes debito ordine enumerat: quinta denique de Non-Statibus Imperii, ejus tamen membris immediatis ac Vaſallis, præſertim de Perſonis illuſtribus ad principale faſtigium evectis, Nobilitate Equeſtri, reliquisque Communitatibus & Subditis tractat. Huic tandem ſuccedit quarta pars de Conſtitutione ac Regimine Sacri Imperii, prout in rebus Eccleſiaſticis non minus quam in ſecularibus ſeſe exſerit, octo articulis diſtincta, ubi Illuſtrisſimus Autor ſummo cum candore ac judicio Cæſaris præeminentiam ac majeſtatem ejusdemque reſtrictionem, Capitulationis uſum, altercationes circa perpetuam quandam concipiendam obvenientes, Comitia univerſalia, quæque huc pertinent, Leges quoque Imperii fundamentales prolixe enarrat. Nec reticet poteſtatem Imperatoris & Imperii in Eccleſiaſticis negotiis, religionisque & ſcholarum ſtatum, modum itidem adminiſtrandi juſtitiam, ſuprema Tribunalia, manutenentiam legum, ſententiarumque executionem ob oculos ponit. Conventus inſuper particulares, quibus publica ſalus promovetur, Imperii reditus, potentiam, intereſſe ſtatus, commercia, cauſas decrementorum, reſiduasque prætenſiones recenſet, ſicque primum tomum feliciter abſolvit. Omnia vero inibi allata ex Hiſtoricis fide dignis & Comitialibus actis depromit, multa etiam e tabulariis Principum, propriaque rerum experientia, quam ad ſtuporem usque adeptus eſt, confirmat, ut non mirandum ſit, innumera hic occurrere, quæ apud alios fruſtra quæſiveris. Speciminis ſolum loco afferre liceat, quæ p. 250 & ſeqq. circa Sereniſſimi Electoris Saxoniæ jura indagavit. Nimirum licet per Bullæ Carolinæ tenorem ſatis expeditum videatur, Saxoniæ Ducem in ſolennibus Curiæ Imperialis proceſſionibus gladium vagina nudatum Auguſto præferre debere, iſtud tamen juris ab illo non niſi poſt diploma Sigismundi Imper. de Anno 1415 Domin. Quaſimodogeniti promulgatum, quod integrum hic comparet, quiete exercitum fuiſſe; antea enim controverſiam ei deſuper bis moviſſe Wenceslaum Lucemburgi, Lotharingiæ & Brabantiæ Ducem, cui ſedandæ Carolus IV remedia tantum palliativa adhibuerit. Eo etiam ſpectare, quod Elector in omnibus expeditionibus Imperii nomine ſuſ-

susceptis, præsente Augusto aut Rege Romanorum, tribunali bellico præsideat, copiasque suas tanquam Imperii Supremus Campi-Marschallus in principiis statuere possit: etsi haud desint exempla, ubi is neutiquam primas habuerit, & Albertus Saxo anno 1475. in exercitu ad Novesium coacto ultimum cum suis & Imperii majori vexillo agmen clauserit. Forte & mutationem quandam circa militiam Imperii Maximiliani I. tempore & postea subortam. Nihilominus Maximilianum II. anno 1567. Augustum Saxoniæ Electorem summum Imperatorem omnium copiarum, quas Circuli subministraverant, Vicariumque suum declarasse, quin & nostra ætate anno 1689. Leopoldum Johanni Georgio III. gloriosissimæ memoriæ in hæc rescripsisse verba: *Quandoquidem Imperii exercitus modo sit adunandus & conventum jamjam, ut tessera militaris a se emanare debeat, ideo in sexaginta dies se eam Electori transmissurum fore.* Huic quoque juri recte annectendum officium gestandi vexillum Imperii generale seu majus, Des Reichs Haupt-Fahne/una cum Minore signo, der Reichs Renn-Fahne/quoties Imperator ipsemet ad bellum proficiscitur. Quam in rem varias literas producit, ex archivis, ni fallimur, lectu non injucundas, e quibus patet, præsente Cæsare aut Rege, absente autem Electore, Vexilli majoris Imperii portitorem fuisse Pappenheimium, velut Mareschallum hereditarium, eundemque etiam vexillum minus gestasse, si Imperator exercitui non interfuerit, sicque vexillum majus latuerit. Nulli igitur Principum fas esse concludit vexillum ejusmodi Imperii ambire, idque etiam Sereniss. Electorem Brunsvico-Luneburgensem demortuum, Ernestum Augustum, agnovisse, ut licet Vexilliferatum Imperii enixe prensasset, ponderatis tamen Electoris Saxoniæ in vexilla prædicta militaria juribus, sponte destiterit, sibique solum in coronationibus aliisque curiis festivis Imperialibus vexilli alicujus gestationem reservaverit. Jurisdictionem in buccinatores ac tympanistas, sive in aula sive in militia serviant, quod attinet, illam non modo in Conventibus Imperii, aut quoties copiæ Imperii nomine colliguntur, sed semper ac ubique locum habere affirmat, ita ut omnes dissensiones atque lites inter memoratos buccinatores ac tympanistas, ubicunque aularum Germaniæ degant, agitatæ a Saxoniæ Electore, tanquam communi omnium judi-

judice ac patrono, plenissime decidi queant, citra ullum præjudicium, quod Statuum de non evocandis subditis privilegio hoc pacto inferri metuatur, ceu exemplis clarissime demonstrat. Extare eum in finem certam ordinationem ab Imperatore A. 1658. denuo confirmatam, in qua refractariis pro re nata, vel multa XXX marcarum auri puri irrogetur, vel receptio & manumissio tironum interdicatur, vel exclusio a toto consortio prævia causæ cognitione adjudicetur. In Comitiis autem præter jura Archimarschallatui annexa, eminere etiam in Electore Directorium in causis Evangelicis, quod unde incunabula sua accersat, & qua ratione hodienum continuetur, quidve involvat, eleganter exponit. Pergit deinde ad dignitatem Supremi Venatoris Imperii, quam Imp. Leopoldum Joh. Georgio II. A. 1661. d. 28. Aug. renovasse constat, nec minus sententiam Strauchii, adstruentis Electorem Saxoniæ, ut Marchionem utriusque Lusatiæ, nobilitatem conferre posse, quia Bohemiæ Reges olim istud juris in omnibus territoriis suis exercuerint, in translatione autem dicti Marchionatus omnia Regalia nullo excepto cessa fuerint, breviter ventilat, dicendo Serenissimam Dominum Electoralem sibi hoc Regale nunquam arrogasse, nec credidisse illud, utpote Regi Bohemiæ proprium, in se transmissum; explorandum itaque ante omnia, num pristini Marchiones, qui Regali axiomate caruerunt, nobiles creaverint? Plura in tanta selectissimarum rerum copia coacervare facile liceret, nisi persuasi essemus mirandam Illustrissimi Viri prudentiam & sagacitatem per totum opus diffusam, cuilibet jam abunde in oculos incursuram. Quapropter hic subsistimus, id saltem adjecturi in altero tomo Galliæ, Hispaniæ, Lusitaniæ, Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Daniæ & Norvagiæ, Sueciæ, Poloniæ, Hungariæ, Bohemiæ & Borussiæ Regna: tum Venetorum, Fœderatorum Belgarum, Genuensium, Helvetiorum, Luccensium, Genevensium, Ragusanorum & S. Marini liberas Respublicas; denique Romani Pontificis, Ducis Sabaudiæ, Magni Hetruriæ Ducis, Ducum Lotharingiæ & Slesvici, Magni Magistri Ordinis Equestris Johannitici, Ducum Mantuæ & Montisferrati, Massæ & Carraræ, Mutinæ, Monœci, Arausionensis, ut & Parmæ ac Placentiæ Principatus & Dominationes pari methodo atque ingenii ubertate describi.

TOBIÆ GUTBERLETHI, JCTI ET PRÆFECTI *Bibliothecæ Franequeranæ*, *Opuscula*.

Franequeræ, apud Franc. Halma, 1704. 8.
Alph. 1. pl. 3.

SIcut fœcunda fuit admodum Gentilium superstitio in confingendis Diis pene innumerabilibus, quorum cultum plebeculæ miseræ & quascunque nugas dementer arripienti commendarent: ita operæ pretium facturos se arbitrati sunt Viri doctissimi, si, quæ leguntur sparsim in antiquis monumentis de titulis eorum, veneratione, solennibus sacris & ceremoniis, quibus hæc conficiebantur, colligerent diligenter, atque singularibus libris explicarent, & hac ratione lucem his accenderent, qui in legendis aut interpretandis veteris ævi scriptoribus versantur. Accenseri meretur istis præsentium Opusculorum perquam eruditus Autor, qui aliorum exemplis incitatus, Sacerdotes Martis Salios & Deos Cabiros describendos sibi sumsit, & Inscriptiones quoque duas, Smyrnæ repertam unam, atque monumentum Heriæ Thisbes Monodiariæ continentem alteram, quarum utramque in Sponii Miscellaneis Eruditæ Antiquitatis offenderat, suis Animadversionibus illustravit. Et in illo quidem *de Saliis Sacerdotibus* libello, de nomine ipsorum, origine, diversis generibus, vestitu, armis, carminibus, cœnis maxime exponens, a saliendo dictos mavult, quam cum Stephano le Moyne ab Ebræo עלל quod tinnitum significat, propterea quod nequeat doceri, cymbala & crotala Sacerdotes illos pulsasse; eosdemque a Salisatoribus distinguit, qui, Isidoro teste, dum ipsis membrorum quædam partes saliebant, aliquid sibi exinde vel prosperum vel triste prædicebant. Institutos vero primum in Herculis memorat honorem, quos e Dionysii Halicarnassensis & Livii sententia Numa deinde Marti consecravit, & diversis cognominibus appellavit populus, Palatinos videlicet alios Collinosque & Agonales, alios Albanos, prout nimirum vel in Palatino aut Collino, quem Agonalem etiam sive Agonum dictum ostendit e Festo, vel in Albano montibus sua habebant sacraria. Pergit de Collegio ipsorum commentari & diversis in eodem muneribus, in quo Præsul alius sive χο-

ρ-

ὀρχηστής, qui chorum sistebat & saltare faciebat, & saliendi modum dabat; alius Vates, qui Saliaria carmina præcinebat, atque cantus dabat modum; & Magister quoque alius, qui potestatem habebat inaugurandi & exaugurandi, & Salios juvenes instruebat, ut rite portare ancilia, & secundum modulos rythmicos saltare discerent, cujus ordinis ea præstantia, ut in ipsum non nisi Patritii cooptarentur, atque ex his Patrimes solum & Matrimes, h. e. qui utrumque parentem in vivis adhuc haberent; qua ratione cum Virginibus Vestalibus convenerunt, quæ & ipsæ, nisi patrimæ essent & matrimæ, constitui non poterant. Vestem Saliorum describit Noster deinde, atque tunicam pictam sive versicolorem fuisse tradit, super quam æreis baltheis erant cincti, & trabeas induebant fibula contractas, ne saltantibus esset impedimento, capitis tegumento gaudentes fastigiatis in coni formam pileis, ob quos illos Enniano vocabulo tutulatos dici posse credit, cum tutulus metam sive apicem pileis in vertice additum significet. Arma Saliorum, quod inter omnes constat, fuerunt ancilia, quæ male a Dionysio Halicarn. ejusdem cum Thracum peltis figuræ dicta, scuta fuerunt brevia & rotunda, & ovali figura ad ejus similitudinem efficta sunt, quod, eodem Dionysio & Plutarcho testibus, delapsum cœlitus & in Numæ repertum est Regia, qui circumferri illud etiam & annuis sacrificiis voluit honorari. Ea occasione agit de Festo, in quo ancilia circumlata, quod Kalendis Martiis habuit initium, & per dies aliquot celebratum est, quorum ultimus sacer Mamurio, qui ad similitudinem cœlo delapsi ancilis alia fabrefecerat, Numa potissimum suadente. Istis autem diebus arma illa circumtulisse, scribit, sacerdotes, pugionibus & interdum lanceis quoque & virgis ea percutientes, & e sacrario h. e. secreto illo in Martis templo loco, in quo sacra reponebantur, deducentes, & cum singulis vesperis propter urbis amplitudinem in locum illum referri non possent, in extructis eum in finem ædificiis, quæ Mansiones appellata sunt, custodientes, qua occasione hoc ipsū vocabulum explicat. Gestasse, addit, collo pendentia per urbem incedentes, & in Comitio maxime frequentes, qui locus, ex Marliani sententia, Romani fori pars fuit incipiens a porta Palatii & desinens ad ædem D. Mariæ novæ, sic ut sublatis pedibus & alternantibus, qualis fullonius saltus apud Senecam ep. 15. ad tibiam & per vices ferrentur, & aliquando Salii omnes, aliquando qui-

quidam modo ipsorum saltarent. Carmina, quæ canebant, dicebantur axamenta, quam vocem cum Scaligero & Dacerio ab axibus derivat, h. e. tabulis, in quibus descripta habebantur, ut a pueris etiam possent edisci, & Numam itidem Pompilium autorem agnoscebant, prisca Latinorum lingua consignata, & obscura adeo propter obsoleta verba, ut vix ipsis Saliis deinde intelligerentur. Istorum carminum λείψανα colligit quoque Noster, & obscura vocabula secundum literarum ordinem disposita explicat, Varronis potissimum Scaligeriq; atque Festi opera usus, & tandem de Saliaribus cœnis veterum scriptorum testimonia congerit, quæ opiparæ adeo, ut, si quæ magnæ aliæ fierent, Saliares inde dicerentur. Secundum Opusculum absolvit *Dissertatio Philologica de Deorum Cabirorum mysteriis*, quæ quia olim jam prodiit & lecta est, quin labore excerpendi illam supersedere possimus, non dubitamus. Hoc sufficiat monuisse, quod per Deos Cabiros ab Ebræo כביר, quæ vox magnum, potentem, validum notat, dictos Romanorum Penates Gutberlethus intelligat, ab Ænea post Trojæ excidium in Italiam deportatos, Cererem videlicet, Proserpinam, Plutonem, Mercurium, & ante hos Jovem atque Dionysum, quin & Dioscuros Castorem & Pollucem, nec non Æsculapium quoque, qui in multis locis, sub aliis tamen nominibus, culti sunt, Beryti scilicet in Phœnicia, Carrhis in Mesopotamia, imo in Ægypto etiam & Samothracia; sed in ea re non habet consentientem Jo. Antonium Astorium JCtum Venetum, qui Venetiis A. 1703 dissertationem evulgavit de Diis Cabiris, atque nomen hoc a voce Chober, quæ Incantatorem significat & Deut. XVIII, 11. legitur, deducit, & fascinatores arbitratur fuisse præstigiis deditos, nomine Tricopatreum, Eubuleum, & Dionysium, & proximis ante vel post Ogygis diluvium seculis floruisse & orbem pervagatos esse, sicut Zoroaster apud Persas, & Magi alii apud gentes alias, divino quoque honore cultos. Cæterum cum in ipso ætatis flore extinctus sit Gutberlethus, neque absolvere potuerit inde, quæ molitum fuisse, de Telchinibus, Curetibus, Idæis Dactylis, Corybantibus & Magnæ Deûm Matris Sacerdotibus Gallis, ex Dissertationis ejus de Diis Cabiris Præfatione discimus, non possumus non præmaturum doctissimi Viri obitum, & quod iis monumentis, ad sacrorum gentilium interpretationem multum profuturis careamus, dolere.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Decembris, Anno MDCCV.

CORPUS JURIS CIVILIS ROMANI, DIONYSIO GOTHOFREDO JCto Auctore. Cum Appendice seu Auctario eorum, quæ prioribus hujus formæ editionibus defuerunt, & Indicibus singulari cura revisis & locupletatis. Editio novissima Sacratissimo Cæsari JOSEPHO dedicata.

Lipsiæ, sumtibus J. Frid. Gleditschii Bibl. Lipf. & Frid. Knochii Bibliop. Francofurt. ad Mœnum, 1705. 4.

Constat Alph. 11. & plag. 9. chartæ augustæ.

CUm e tot Corporis Juris Civilis Romani editionibus, quæ in Germania, Belgio, aliisque provinciis hucusque prodierunt, nulla a mendis purgata ita fuerit, quin accuratiorem dudum Romani Juris cultores desideraverint, ac præterea ne quidem fœdatarum erratis editionum exempla in officinis librariis amplius prostarent: de nova eaque elegantissima & emaculatissima editione adornanda, jam ab aliquot annis cogitarunt, consiliaque ac sumptus eam in rem contulerunt Bibliopolæ solertissimi, Lipsiensis alter Jo. Frid. Gleditschius, alter Francofurtensis Frid. Knochius. Itaque ne illotis manibus rem tantam aggrederentur, ante omnia præclarissimorum JCtorum mentem explorandam censuere, ecquid ad ornandam perficiendamque editionem novam conferri posse judicarent. Tum textu editionis Francofurtanæ A. 1663 in 4, quem imitarentur, selecto, quod tamen nossent, nec eam a mendis immunem esse, exemplo plane novo ad integra in diversis illustrioribus Germaniæ Academiis JCtorum Collegia confugere non dubitarunt,

oblata cuique certa exemplaris portione, rogaruntque ut eam quam diligentissime reviderent, nec minus in notis Gothofredi, quam ipso Legum contextu errata corrigerent; nec difficulter ab Excellentissimis Viris impetrarunt, ut uno publici commodi promovendi desiderio accensi, strenuam ea in re operam navarent, ac quisque pensum suum magna dexteritate absolverent. Atque ita demum tot præstantissimorum JCtorum studio perpurgatum, & tantum non ab infinitis mendis liberatum opus, Typographo Lipsiensi tradiderunt, nec ordinariis correctoribus satis confisi, Viro juris peritissimo, qui & antea in revidendo Corpore Juris Canonici Pithœano, cum id A. 1695 apud nos sumptu Gleditschii nostri imprimeretur, (Francofurti ad Mœnum hoc anno recuso) suam ea in re solertiam abunde comprobaverat, curam, ne quid novorum mendorum irrepere pateretur, quantum quidem humana industria caveri id potest, commiserunt. Quam Bibliopolarum solicitudinem (nam de typorum elegantia ac chartæ nitore, quæ primo cuique obtutu occurrunt, nihil dicemus) tanto magis laudandam publice censemus, quanto ea est apud alios hodie infrequentior, plerisque, quam emendate libri, quos publicant, excudantur, infra curam habentibus. Cæterum ut in aliis etiam usui publico accommodatior esset editio nec quicquam in ea facile desideraretur, non modo Indices Titulorum Legumque ita locupletati sunt, ut evolutio multo facilior evaserit, sed & opuscula alia, præter ea, quæ in prioribus hujus formæ editionibus comparuere, ex editione Amstelodamensi A. 1663 in fol. repetita accesserunt, nimirum *Notitia Reliquiarum Juris ante & post Justinianum, a Jac. Gothofredo & Josepho Maria Suaresio conscripta: Edictum perpetuum a Salvio Juliano compositum & ad ordinem Digestorum restitutum, & Ordo Edicti perpetui una cum serie librorum, quos JCti veteres ad idem Edictum scripserunt: Antonii Contii JCti Præfatio in librum Novellarum: Constitutio Imp. Zenonis de novis operibus: Julii Pacii receptarum Sententiarum Libri: denique Marqu. Freheri Chronologia utriusque Imperii ab excessu Justiniani usque ad finem Imperii Orientalis, subinde nunc aucta & emendata, & enarratione rerum post ea tempora ad obitum usque Divi Leopoldi Cæsaris locupletata.*

MI-

MISCELLANEA CURIOSA, BEING A COLLEction of some of the principal phænomena in Nature &c.

h. e.

COLLECTIO PRÆCIPUORUM QUORUNDAM Naturæ Phænomenorum a maximis ævi hujus Philosophis explicatorum, una cum variis Discursibus coram Societate Regia ad promovendam Scientiam Physicam & Mathematicam instituta recitatis.

Londini, apud J. B. & Johannem Senem, 1705. in 8vo. Constat 1 Alph. & 5 Tabb. æneis.

PLeraque omnia, quæ in hoc opere continentur, jam in *Actis Anglicanis* publicata sunt: in gratiam vero eorum, quibus pretiosa ista volumina pervolvere non datur, præcipua inventa Physica & Mathematica ex istis seligere, & in unum volumen mole exiguum conpingere voluit Autor, in præfatione observans, se talia exhibere, quæ jam censuræ orbis eruditi exposita approbationem meruere, & quibus tanquam fundamentis firmis posteritas infinita superstruere valebit. Placuit autem ipsi Discursus singulos verbotenus recensere, uti Societati Regiæ vel exhibiti, vel coram ea recitati fuere, ne in compendium missi obscuri evaderent. Præcipui jam leguntur in Actis nostris, nempe A. 1692 p. 307, quæ celeberrimus *Hallejus* de quantitate vaporum ex mari exhalantium, eorundem circulatione, & origine fontium; A. 1684 p. 387, quæ de Theoria declinationis acus Magneticæ; A. 1687 p. 509, quæ de Ventis statis intra Tropicos, eorumque causa; *Tom. 2. Supplem. p. 318*, quæ de calore Solis proportionali in omnibus latitudinibus; *ibid. p. 333*, quæ de inveniendis focis lentium per Algebram modernam; A. 1702 p. 180, quæ de invento a *Rob. Hookio* Barometro marino; & tandem A. 1700 p. 87, quæ *Woodwardus* de Vegetatione Plantarum differit. Quæ ulterius ab *Hallejo* de vera Theoria æstus marini proponuntur, in summi Geometræ *Isaaci Newtoni Principiis Philosophiæ Naturalis Mathematicis*, quæ mense Junio anni 1688 p. 304 & seqq. recensuimus, & *Davidis Gre-*

gorii Elementis Astronomiæ, nobis mense Octobr. anni 1703 p. 452 & seqq. commemoratis leguntur, atque *Newtono* Theoria ista debetur autori. *Newtoni* Theoria lucis & colorum, ejusque uberior explicatio, ex *Optica* ipsius nuper publicata, & proxime a nobis recensenda, peti debet. Ejusdem Theoria Lunæ in eruditissimo opere Astronomico *Gregorii* modo laudato jam est publicata. *Romeri* Demonstratio de successiva Luminis propagatione, non solum ab illustri *Hugenio* in ingenioso *de Lumine Tractatu*, nobis A. 1690 pag. 481 & 561 commendato, sed & a Scriptoribus Systematicis, quales sunt *Joh. Bapt. Hamelius* & *Franciscus Bayle*, fuse sunt exposita, & a nobis ex Tractatu Hugeniano ad annum cit. p. 483 in compendio proposita. *Wallisii* cogitata de Mensura resistentiæ medii in motu projectorum, caput 101 Tractatus de Algebra absolvunt, quem A. 1686 p. 283 recensuimus. *Narcissi* de Sono discursus, generalibus solum terminis, Visus cum Auditu & Opticæ cum Acustica convenientiam exponit. Quæ *Hallejus* de magnitudine atomorum ex ductilitate auri, nec non de variis speciebus quantitatum infinitarum earumque inter se proportionibus demonstrat, atque de distantia stellarum fixarum docet *Franciscus Robertus*, ea jam plerisque innotuisse credimus. Quare de his omnibus in præsenti non dicimus: pauca tamen de discursibus reliquis, qui in præsenti opere continentur, subnectemus.

Exhibet nempe quoque Autor noster sæpius jam nobis laudati *Halleji* Tentamen de causa mutationis declinationis acus Magneticæ, cum hypothesi de structura internarum partium Telluris: in quo cum per observationes probasset, mutationem istam esse universalem suosque habere gradus, utut non omnibus in locis eosdem, causam ejus tandem assignare nititur. Quemadmodum vero ex ipsis Actis nostris A. 1684 mense Aug. p. 392 constat, quod phænomena declinationis acus Magneticæ salvaturus asserat, Terram esse Magnetem quatuor Polis magneticis instructum, & acum magneticam dirigi versus viciniorem: ita facile conjicere poterat, mutationem declinationis inferre mutationem situs Polorum. Hanc declaraturus, Tellurem sibi concipit, ut geminum Magnetem, constantem nempe ex crusta exteriori & nucleo, fluido quodam intermedio interjecto, ita ut tum ista, tum hic binos habeat Po-
los

los Magneticos, & ambo circa commune centrum ac axem diurnæ rotationis intervallo quatuor viginti horarum rotentur. Crustæ globi nostri Terraquei, quem incolimus, Polos tribuit fixos, ita, ut, si hi essent soli, versus quos materia magnetica moveretur acus directrix, hæc constanter eandem haberet declinationem. Ut igitur variatio declinationis explicari possit, nucleo h. e. globo minori intra Tellurem concluso Polos tribuit similiter fixos respectu ipsius, at mutabiles respectu crustæ. Ponit enim, nucleum & crustam inæquali revolvi circa communem axem celeritate, ita tamen, ut inæqualitas nonnisi post plures revolutiones factas reddatur sensibilis: cui determinandæ si sufficerent observationes (quas non sufficere Noster docet) variatio declinationis ad computum revocari poterat. Non autem absurdum esse, sibi concipere concavitatem intra Tellurem, & in ipsa pendulum globum minorem, inde evincere conatur, quod celeberrimus *Newton* in *Principiis Philos. Nat. Mathem.* demonstraverit, densitatem Lunæ esse ad densitatem Terræ, ut 9 ad 5 quam proxime, adeoque Lunam, corpus longe minus, esse densiorem Tellure, corpore longe majori. Quæ cum accuratius expenderet, probabile ipsi visum fuit, plures sphæras intra cavitatem istam contineri, adeoque hanc tandem Telluris assignat structuram internam. Præter nucleum solidum, intra Tellurem duas adhuc alias sibi concipit sphæras concavas cum suis atmosphæris, cumque sphæras inclusas magnitudinibus Veneris, Martis atque Mercurii proportionales statuat, horum Planetarum nomina ad istas significandas transfert. Jam quia diameter Telluris est 8000 circiter milliarium Anglicorum, sphæris concavis crassitiem tribuit 500 milliarium, & atmosphæris altitudinem isti æqualem, ut diameter nuclei prodeat 2000 milliarium. Cum ulterius animadverteret, Venerem, Martem atque Mercurium terrestres nobis nullum præbere usum, qui crustam exteriorem incolimus, atque nostro ævo pro certo haberi, Terram esse e numero Planetarum, omnesque Planetas non sine ratione supponi habitatas, tandem partes Telluris sua habere animantia, e. g. aerem aves & insecta, aquam piscium innumera genera, terram reptilia: non incongruum ipsi videbatur asserere, & globos istos in Tellure conclusos habitari. Quod si objicias,

ſine luce viventia ibi commorari non poſſe, regerit, multos dari modos, quibus lux ibi producatur; nempe vel ea ratione, qua ignes noſtri fatui generantur, atmoſphæras iſtas illuminari, vel fornices concavos variis in locis reſplendere Solis inſtar, vel lumen aliquod ibi produci, cujus nullam nos habeamus ideam.

Idem *Hallejus* tradit Regulam decrementi altitudinis Mercurii in Barometro, pro diverſa hujus ſupra Telluris ſuperficiei elevatione. Supponit aerem eſſe elaſticum, reſiſtentiam elateris æquari ponderi prementi, ſpatia ab aere ſub diverſis preſſuris occupata eſſe in ratione reciproca preſſurarum, gravitatem aeris ſpecificam eſſe ad gravitatem aquæ prope ſuperficiem Terræ ut 1 ad 800, Mercurii ad aquæ ut 10800 ad 1, atque adeo digitum unum Mercurii æquari 10800 digitis cubicis aeris: unde ſi aer ejusdem eſſet denſitatis, atmoſphæræ altitudinem fore 5, 1 mill. atque in aſcenſu 900 pedum ſeu 10800 digitorum Mercurium in Barometro deſcenſurum per unum digitum. Sed quia expanſio aeris in ea ratione creſcit, in qua pondus atmoſphæræ incumbentis decreſcit, Mercurii deſcendentis altitudinem augeri, & ſpatium quodlibet uni digito argenti vivi reſpondens continuo creſcere. Quamobrem aerem ad majorem extendi debere altitudinem. His principiis jactis problemata de determinanda altitudine Mercurii ad altitudinem aeris datam, & altitudinem loci, in qua barometrum collocandum, ut Mercurius datam obtineat altitudinem, curioſa magis eſſe, quam difficilia pronunciat: eademque ſolvit ope quadraturarum ſpatiorum inter Hyperbolam & ipſius Aſymptotos, geminamque computavit Tabellam, in quarum altera altitudines aeris altitudinibus Mercurii; in altera altitudines Mercurii altitudinibus aeris reſpondentes exhibentur. Ex qua colligit, in altitudine 41 milliarium denſitatem aeris ſe habere ad denſitatem nobis vicini ut 1 ad 3000, in diſtantia 53 ut 1 ad 30000, oſtenditque per obſervationes crepuſculorum, aerem ultra 45 milliaria non extendi, nempe ad 44, 4 Anglica ſcilicet, qualium 4000 eſt ſemidiameter terræ. Atque inde ulterius infert, aerem ad 180000 ſpatii partem comprimi poſſe, quod in ſtatu naturali occupat. Quoniam vero hæc conſequuntur, ſi atmoſphæra inalterabilis ſupponatur, atque rarefactionis & condenſationis capax in

in infinitum, utraque vero hypothesis falsa est, si rigorose spectetur: computum quoque istum non satis esse exactum monet. Variari certe specificam aeris gravitatem, dum calor aerem dilatat, & frigus comprimit, dum effluvia particulis aereis graviora immiscentur, quemadmodum salia aquæ permixta pondus ejus augeant. Condensationem terminari in certo gradu per experimenta *Florentinorum* atque *Hoockii in Microgr. cap. 5.* Nec rarefactionem in infinitum procedere, quod particulis elasticis competere debeat magnitudo determinata in statu naturali, exemplo lanæ. Hæc igitur ἀκρίβειαν conclusionum superiorum Geometricam turbare. Unde ☿ in eadem elevatione diverso tempore non eandem obtinere altitudinem. Hinc in causas ascensus & descensus ☿ inquisiturus, primo phænomena recenset, ex quibus concludit, præcipuam ascensus & descensus ☿ causam esse variabilitatem ventorum in zonis temperatis, cui adjungenda sit incerta exhalatio & præcipitatio vaporum in aere: atque ex his causis phænomena resolvit.

Idem ulterius ex communicatis per *Justellum* cum Societate Regia catalogis, in quibus ab anno 1687 usque ad 91 inclusive ætas & sexus omnium Vratislaviæ singulis mensibus mortuorum consignabantur, & horum numerus cum numero natorum comparabatur, construxit Tabulam, in qua singulis ætatis annis adscribitur numerus personarum ad eos profectarum & Uratislaviæ degentium. Hujus Tabulæ multiplicem monstrat usum. Nempe inde deducit non solum omnem numerum Vratislaviæ viventium, qui est 34000, sed & numerum eorum, qui arma gerere valent, ad 9000 assurgentem: imo generaliter concludit, in quacunque civitate, numerum illorum esse quartam circiter numeri omnium incolarum partem. Derivari hinc posse ostendit gradus mortalitatis pro omni ætate; quot mori debeant per annum tuæ ætatis homines, ut certus esse possis, te isto anno non moriturum, hoc enim ostendit sola differentia inter numerum personarum ætatis propositæ, v. g. 25, & proxime subsequentis 26, qui in præsenti casu Vratislaviæ est 7: nec non quot mori debeant, ut persona quædam ætatis cujuscunque non moriatur, antequam attingat ætatem propositam: quomodo inquiratur, quo ætatis anno per-

so-

sona quædam ætatis cujusdam propositæ sit moritura. Quæ speculationes non censeri debent inutiles, cum earundem insignem ostendat usum in definiendo pretio assecurationis, quæ dicit certum quoddam contractuum genus Anglis in plurimis negotiis civilibus admodum familiare. Imo easdem speculationes ad gemina prorsus transfert, qualia proposuit *Wilhelmus Petty* in *Arithmetica Politica*, cujus prolixa recensio occurrit in Actis nostris A. 1691 p. 407 & sqq.

Noster denique ex Hallejanis inventis nobiscum communicat ejus discursum de gravitate & proportionibus, in quibus corpora gravia descendunt, nec non de motu projectorum: in quo cum celeberrimus Autor varias variorum hypotheses recensuisset, ut ipso eorum dissensu difficultatem causam gravitatis efficientem detegendi ostenderet; ab omni prorsus hypothesi abstinet, atque certius philosophaturus, stabilitis quibusdam per experientias indubias gravitatis proprietatibus, methodo demonstrativa ope principiorum Geometricorum & Analyseos Speciosæ regulas deducit, juxta quas corpora gravia descendunt, & projecta moventur.

Præter discursus hactenus commemoratos, in præsenti opere continentur adhuc tres ad Physiologiam spectantes, in quorum primo *D. Georgius Gardenius de Aberdeen* Theoriam generationis; in secundo *Clopton Haverus, M. D.* cujus *Osteologiam* A. 1691 p. 573 recensuimus, concoctionem; in tertio *J. Drake M. D.* influxum respirationis in motum cordis exponunt. Ex singulis quædam scitu non injucunda proferre libet. Quod theoriam generationis attinet, doctissimus ejus Autor ad tria eandem capita revocat, nempe 1. quod animalia generentur ex animalculo, 2. quod animalcula ista originaliter insint semini marium, 3. quod sine ovis in fœminis animalcula in animalia mutari nequeant, ut adeo Eclecticum quasi agens, hypotheses *Harvæi* & *Dn. de Lewenhoek*, quarum hanc A. 1686 mense Oct. p. 475 descripsimus, conjungat. Ad primum stabiliendum sequentibus utitur argumentis: 1. quod *Malpighius* in ovi nondum incubati cicatricula pulli rudimenta observarit, 2. quod subito post incubationem omnes partes appareant, vi experimentorum *Harvæi* atque *Malpighii*, manifesto, ut ipsi videtur, indicio, partes illas non ex fluido

do concreviſſe, ſed ibi jamdum nondum explicatas extitiſſe, ab origine mundi procul dubio per omnipotentiam Dei formatas. Alterum confirmaturus hæc producit argumenta quod 1. in ſemine maſculo omnium animalium innumera animaicula a *Dn. Leeuwenhoek* fuerint detecta: quas obſervationes exhibuimus A. 1682 p. 321. 2. quod per obſervationes *Malpighii* rudimenta fœtus ſolum reperiantur in ovis a mare fœcundatis, non autem in ſubventaneis: 3. quod figura animalculorum a *Dn. Leeuwenhoek* delineata conveniat cum figura rudimentorum fœtus in ovo tum ante, tum poſt incubationem a *Malpighio* deſcripta: 4. quod ex hac hypotheſi reddi poſſit ratio, quomodo multi fœtus una excludantur, & multa ova in gallina per unum coitum cum gallo celebratum fœcundentur: 5. quod prima de Meſſia prophetia novam ex iſta accipiat lucem, in qua vocatur ſemen mulieris, cum omnes homines reliqui ſint ſemen viri: 6. quod eidem adſtipuletur analogia vegetationis plantularum; ſemina enim eſſe plantulas, quæ terræ tanquam utero committantur. Denique ultimum hac ratione evincit: 1. quod animalculum non poſſit in lucem edi, niſi in proprium cadat nidum, quem centrum cicatriculæ in ovis eſſe appareat: unde licet myriades animalculorum in ovum unum cadant, haudquaquam tamen præter unum in lucem edi poſſe. Addit, fortaſſis nidum moli animalculorum ita proportionatum eſſe, ut nonniſi unicum recipere poſſit: quæ ſit ratio raritatis monſtrorum. Abſolutam nidi neceſſitatem in oviparis ad oculum patere. Hanc vero ſolam differentiam inter ovipara & vivipara quoad præſentem materiam in eo conſiſtere, quod in his ova præter cicatriculam & eorum colliquamentum nihil contineant, ita ut fœtus extra iſta in uterum radices protrudere teneatur nutrimentum recepturus: aſt ova in oviparis proprie dici poſſint uterus quidam in ordine ad fœtum, quoniam non ſolum cicatriculam cum amnio & colliquamento, quod immediatum ſit fœtus nutrimentum; ſed materiam inſuper contineant in colliquamentum convertibilem, ita ut fœtus radices ſuas nonniſi in albumen & vitellum ovi agat, unde omne ſuum nutrimentum derivet. 2. Quod hæc cicatricula non ſit originarie in utero, ex frequentibus extra uterum conceptionibus probat, quales occurrunt *in Tranſ. Phil. Angl. n. 139, 150 & 172*, & *in No-*

 vel-

vellis Reip. Literariæ Menſ. Sept. A.1685.p.996. Unde probabile fieri aſſerit, teſtes muliebres eſſe ovaria huic uſui deſtinata. Subjungit 3. quod in confeſſo ſit apud omnes, fœtum in utero per amplum temporis ſpatium poſt conceptionem cum matre connexionem non habere, eſſeque in iſto ovum perfecte rotundum, molis exiguæ, cum fœtu in medio incluſo, qui ſucceſſive funiculum umbilicalem emittat & utero tandem alligetur. Unde appareat, cicatriculam, quæ ſit fons nutritionis animalculi, non oriri in utero, ſed alibi, atque in iſtum deferri tanquam in ſolum aptum, ex quo nutrimentum recipiat ad vegetandum fœtum. Eſſe vero teſtes fœmineas revera ovaria, hoc experimento evincere conatur, quod parere neſciant fœmellæ, ſi abdomen aperiatur ac teſtes exſecentur. Reſpondet tandem tribus objectionibus, quibus hoc ultimum aſſertum ſubeſſe videri poterat.

De concoctione quæ tradit *Haverus*, in compendio huc redeunt. Tribuit nempe ciborum in ventriculo comminutionem ſalivæ, quam pro liquore habet ex gemino alio compoſito, altero nempe acido, altero oleoſo, oleo terebinthinæ non prorſus abſimili, quorum unusquisque e peculiaribus glandulis ſecernatur: id quod ſequenti comprobat experimento. Aſſumſit fruſtum carnis crudæ, idque diſſecuit in minuta magis, ſed iis tamen majora, in quæ maſticatione reducitur, panisque micis admixtis oleum terebinthinæ & oleum vitrioli affudit: quam maſſam cum per quatuor horas in balneo Mariæ digeſſiſſet, in pultem redactam deprehendit. Salivam certe prodere fermentationem, etiam cum non edimus, per bullulas ipſi inexiſtentes utut in ore non agitatæ. Motum ſtomachi per reſpirationem productum cibo diſſoluto cum ſaliva intimius permiſcendo inſervire. Per hanc autem fermentationem apta diſponi alimenta, ut cum bile in inteſtino duodeno fermentare poſſint: quod hoc experimento probat. Cum bilem naturæ ſaponariæ ſupponat, ſaponem in aqua calida diſſolutum oleo terebinthinæ ac vitrioli admiſcuit, & in mixtura fermentationem oriri obſervavit.

Influentiam reſpirationis in motum cordis adſtructurus *Drakius*, *Lowerі* explicationem ſyſtoles ſeu contractionis cordis per mechanicam viſceris hujus ſtructuram laudat; verum explicationem diaſtoles per motum reſtitutionis improbat, cum ſtatus contra-

tractionis fibrarum sit potius naturalis, adeoque non dari possit diastole sine externa quadam violentia, prouti experientia in omnibus musculis doceat, non dari in ullo musculo motum restitutionis confirmans. Ita musculos a potentia antagonistarum liberos esse in statu contractionis, illos similiter, qui antagonistis carent, ut sphincteres gulæ, anus, vesicæ, semper esse in eodem. Quod vero cor sit musculus, isque solitarius, sine ullo antagonista proprio, nec voluntatis imperio subjectus, proxime adeo ad sphincteres accedens, a *Lowero* aliisque dudum esse demonstratum. Musculares fibras cordis per nervos actuatas immediatum esse systoles instrumentum concedit; quin tamen musculi intercostales cum diaphragmate, dum sanguini per pulmones viam pandunt, suum quoque conferant, negari non posse. Ostendit ulterius, vasa sanguifera in pulmonibus in costarum elevatione ac depressione eandem cum bronchis pati debere mutationem, nempe coarctari, dum costæ deprimuntur ac pulmones subsidunt; extendi, dum costæ elevantur & pulmones aere inturgescunt, ut via sanguini ex dextro cordis ventriculo in sinistrum aperiatur. Diastolen igitur fieri asserit, dum a pondere atmosphæræ, quæ musculi antagonistæ vicem subeat, costæ deprimuntur, pulmones subsidunt & vasa sanguifera coarctantur, ita ut sanguis per venam pulmonariam veluti ope emboli cujusdam in sinistrum cordis ventriculum protrudatur. Tandem quædam subjungit, quæ circa foetum in utero moneri poterant.

DE SUSPECTIS DE HÆRESI OPUS. Autore ANSELMO DANDINO CÆSENATE, *olim in Patria Sancti Officii Consultore, nunc utriusque Signaturæ Referendario, & Sacræ Congregationis Indicis Consultore.*

Romæ, apud Vincentium de Romanis, 1703. in fol.
Alphab. 8.

EX officii, quod olim in patria sua gessit, ratione operis hujus ansam Clarissimus Autor arripuisse videtur, in quo suspectorum de hæresi & culpam considerare prolixius intendit & pœnam.

Utriusque tamen contemplationem antecedere jubet aliqua præliminaria, quæ primo circa *suspicionem* in se spectatam occupantur. Hanc posteaquam *criminis incertam* definivit *repræsentationem*, illius a præsumtione differentiam in eo collocat, quod, cum illa solum in malam, hæc vicissim in utramque partem sumi suevent. Suspicionis tres esse gradus innuit, aliamque levem, aliam probabilem, aliam violentam facit. Fontes, unde scaturiat suspicio, modo patriam esse dicit, modo parentes, modo educationem, jam vitam anteactam, mox dicta & facta, interdum & amicos; quæ singula latius exposita sistit, & his absolutis, ad generaliorem *hæreseos* indagationem pergit. Et hæc ipsi est *error intellectus voluntarius, contra aliquam propositionem catholicam cum pertinacia assertus ab eo, qui baptismum accepit.* Ad hujus definitionis ductum in capitibus aliquot proxime sequentibus multa cumulat de errore intellectus, deque voluntario errore, & reliquis vocabulis, quæ ad sensum descriptionis istius principaliorem pertinent. Ad opus ipsum propius accedens, hac quidem vice solam partem primam absolvit, & quinam sint *de hæresi suspecti?* indagat. Principem inter eos locum *blasphemis* assignat, ubi blasphemiæ & definitionem pandit & divisionem, & plerosque blasphemantes hæreseos suspicionem incurrere observat, exceptis forte iis, qui in magna, quam vocat, eamque levi & levissimæ opponit, ebrietate tales se gerant, aut qui passionibus cerebri affecti rationalis facultatis defectum sentiant, (quanquam hos ob malum exemplum castigari posse admittat;) aut qui dormientes blasphement, nisi vigilantes forsan antea linguam male disertam fecerint; aut qui ob iracundiam mentem abalienantem in blasphemas voces erumpant, atque similes. A blasphemis progreditur ad *superstitiosos*, quibus *idololatras* accenset, & *magos*, sed eos tantum, qui paciscantur cum Dæmone, magiam namque naturalem nullius inducere criminis suspicionem observat; *divinatores* item, arte usi Dæmoniaca qui fuerint, & *sortilegos*, qui a Deo eventum non expectent, nec a casu, sed a Diabolo, qua de causa sortes divinatorias omnes rejicit; imo & *vanæ observantiæ studentes* prioribus addit, & *maleficos*, & eos, qui *superfluum, vel falsum cultum Deo exhibeant.* Admodum deinde prolixus est in referendis hunc in censum iis, qui

qui Sacramentis abutantur, sive illi eadem *conficiant* sine potestate, aut debita minus materia, formaque, loco item temporeque haud debito, aut ceremoniis dispositionibusve non debitis; sive illa minus rite *offerant*, aut secus, quam fieri debebat, *conferant*. *Fautores* porro *hæreticorum* de hæresi vehementer suspectos esse pronunciat, sive omittendo peccent, eosque vel non denuncient, vel non capiant, vel non custodiant; sive committendo, dum eos receptent, honoribusve & dignitatibus insignire haud vereantur. Heic sigillatim ad Principes excurrit seculares, eosque hæreticis salvum quidem conductum posse concedere admittit, si solam spectes immunitatem a violentia, sed non item, si de immunitate absoluta quæsiveris; libertatem certe conscientiæ iis a Principibus permitti, aut dignitates in eos conferri posse, inficiatur. Multo magis *defensores hæreticorum* suspicione hæreseos gravari dicit, & inter alia Ministros Sancti Officii, inquisitioni actu inservientes, nec directe nec indirecte impediri posse, absque hæreseos suspicione statuit. Sed de iis, *qui cum hæreticis conversantur*, paulo censet mitius, & conditiones, quibus fieri id liceat, exponit. Quo pacto etiam *retinere libros hæreticorum legereque* aut concessum sit, aut minus? indagat. Denique post commemoratos atroque carbone notatos illos, qui hæreticorum funus comitentur, aut hæreditatem iis relinquant, aliosque, iis præcipue eandem suspicionis notam inurit, qui propositiones hæreticas vel parum Catholicas in medium proferre studeant. Hæc prima operis pars discussit, de qua illud adhuc monemus, quod Index diffusissimus & tertiam omnino integri tractatus partem constituens eidem subnectatur.

LETTERA DISCORSIVA DI APPOSTOLO ZENO &c.

i. e.

DISSERTATIO EPISTOLICA APOSTOLI ZENI, Nobilis Cretensis & Civis Veneti originalis, ad Dn. Abbatem JUSTUM FONTANINI, Bibliothecæ Eminentissimi Dn. Cardinalis Josephi Renati Imperialis Præfectum, de magno Opere Meditationum Philosophicarum Dn. BERNARDI TARVI-

VISINI, Patricii Veneti: qua eadem de origine deque Viris doctis Gentis Tarvisinæ exponitur.

Venetiis, apud Antonium Bortoli, A. 1704. in 8. Plag. 4.

CUm *Meditationum Philosophicarum* Illustrissimi Viri Bernardi Tarvisini primum volumen prelo jamjam exiret, scripta est a Nobilissimo Autore ad venerabilem Fontaninum, ex *Aminta Tassi defenso atque illustrato* scriptisque aliis cognitum jam nobis & laudatum, hæc Epistola, qua non modo argumentum istarum Meditationum, verum etiam concinna Familiæ Tarvisinæ antiquæ & nobilis, inprimisque doctorum ex ea Virorum, & Illustrissimi hujus Bernardi adhuc superstitis historia continetur. Nos ex ea, serius huc allata, more nostro pauca delibabimus. Ponitur inter majores Illustrissimi Bernardi Tarvisini, post paucos, Marcus Tarvisinus, Fundator *Abbatiæ S. Thomæ Cisterciensis ordinis, Torsellanæ diœcesis*, qui A. MCC obiit. Cujus Abbatiæ *Historiam* aliquando in lucem dabit Epistolæ Autor. Deinde eminet Bernardus, qui A. MCCCLXVI floruit, in cujus MS. codice *de transmutatione metallorum*, qui auctior servatur in Bibliotheca Tarvisina, quam in Theatro Chimico Argentorati A. MDCXIII exscriptus legitur, sunt hæc verba ad finem: *Finit hic liber, &c. compositus per Magistrum Bernardum Comitem Tervisianum, qui acquisivit Comitatum & ditionem de Neige in Germania per hanc artem pretiosam & nobilem.* Sequitur Zacharias prior, insignis Venetorum Orator Concilii Constantiensis tempore, cujus *Orationes* ad Romanum Pontificem aliosque eloquentissime habitas in lucem edi optat Autor, atque aliquot earum MSS. Patavii servari a Patribus Eremiticis indicat: deque eodem hoc sese expositurum pollicetur *Libro de Scriptoribus Venetis.* Postea Pauli prioris, magni peregrinatoris, mentionem facit, ejusdemque MS. *Libri Historici & Geographici*, quem apud Hieronymum Petram nuper defunctum viderit sic inscriptum: *de Nili origine & incremento: item de Æthiopum regione & moribus liber singularis, compositus per me Paulum Trivisanum Nobilem Venetum, in insula Cypri, anno reparatæ salutis M CCCC LXXXIII.* Hinc

Hinc post aliquos est Marcus Antonius, Reipublicæ Venetæ Dux Illustrissimus. Deinde Nicolaus, Philosophus inprimis Platonicus, cujus *Ionem* Dialogum Platonicum, *e Græco Italicum* & Venetiis A. M D XLIIX in 8 editum memorat. *Opera* autem *Platonis* ab eodem multis locis signata & notis indiceque aucta, in Bibliotheca Tarvisana se videre meminit. De Andrea JCto agens, errorem Alberici notat, qui in Catal. p. 7. 8. hunc in templo S. Mariæ Matris Domini sepultum scribat, inscriptione deceptus, quam Paulus Tarvisinus Andreæ filiolo suo duorum annorum ætate mortuo posuerit. Postea Marci Herois meminit, ejusque amicitiæ singularis cum Nicolao Barbarigo cultæ, cujus fama permotus Carolus I Rex Angliæ per Legatum suum horum amicorum imagines abs Venetis petierit. Ejusdem Marci, præter libros editos, cum MSS. alios memorat, tum unum *de Religione & de cultu Divino*, Italice MS. in Biblioth. Tarvis. sibi visum. Dehinc ad Franciscum Tarvisinum, unicum Bernardi superstitis fratrem, venit, Nuncium illum quondam Alexandri VIII P. R. ad Galliarum Regem, eoque loco Epistolam integram promit *Maintenoniæ*, qua hæc Pontificis S. ad se epistolii meminit, & Franciscum Tarvisinum laudat. Cujus ejusdem commentarium *de Juramento reis deferendo* editum, item *decisiones* cum *Thomæ Tarvisini JCti decisionibus* edendas, museum porro antiquitatibus refertum, denique *dissertationem Chronologicam* & *Genealogicam* pro veritate Scripturæ S. conscriptam commendat epistolæ nostræ Clarissimus Autor. Qui jam tandem ad Illustrissimum Bernardum Tarvisinum, Meditationum Philosophicarum autorem devolvitur, ejusque parentes, & studia philosophica, philologica, mathematica, pictoria, antiquaria describit; deinde museum, cujus Inscriptiones Græcas & Latinas a *Jo. Ant. Astorio* editum iri confidit; postea Bibliothecam mille & amplius MSS. codicibus refertam, inter quos est *Alex. Tassonis Conspectus Annalium Baronii* tribus voluminibus, quo multi Baronii errores castigantur, &c. quos omnes in *Catalogis MSS.* se commemoraturum promittit Noster; porro scripta nondum publicata XLII; præterea mores atque amicitias ejusdem commemorat, tandemque ad Meditationum ejus Philosophicarum opus progreditur, cujus *Specimen*, librum

brum nempe *de Immortalitate animæ*, Venetiis A. 1699 in 4 prodiisse docet. Ipsum autem illud *Meditationum* opus, non compilatum, sed ex ingenio Autoris natum, in VIII volumina, partibus distincta, dispescitur. E quibus primum Volumen partibus tribus, adversus *Scepticos* rerum veritatem & cognitionem, adversus *Atheos* DEI existentiam & providentiam, deindeque animæ immortalitatem demonstrat. Volumen II Legibus Gentilium rejectis, Scripturæ S. autoritatem confirmat. III Fidei Christianæ veritatem: IV Religionis Catholico-Romanæ præstantiam, Mahometana cæterisque condemnatis: V Pontificis R. dignitatem probat. VI deinde, ad Politica spectans, Legum necessitatem ostendit. VII autem morum doctrinam affectuumque moderationem commendat. Denique VIII viam tranquillius & vivendi & moriendi commonstrat. Hæc ubi latius paulo diduxit Autor Epistolæ doctissimus, libellum concludit. Cæterum eundem Nobilissimum Autorem plura alia & edidisse, & adhuc moliri, non ignoramus. Quippe Tomo I operis, quod *La Galleria di Minerva* inscribitur, & Venetiis A. 1696 in fol. prodire cœpit, p. 65 ejus Vita Joannis Georgii Trissini, p. 78 Vita Joannis Baptistæ Guarini Poetæ celeberrimi, & p. 165 Series Chronologica Auctorum, qui publica auctoritate Historiam Venetam scripserunt, deprehenduntur; ut taceamus, eum Academiæ, quam *della Galleria di Minerva* vocant, Secretarium diserte perhiberi ejusdem operis tomo II p. 165. Quin & elegantissimum ejus Drama *Il Narcisso Pastorale*, intra decem dierum spatium compositum, commendat Joannes Cinelli in Bibliotheca Volante Loculo (*Scanzia*) X, qui hactenus desideratus Venetiis hoc ipso anno prodiit, pag. 9. Denique ex Justi Fontanini libro *L'Aminta di Torqu. Tasso difeso e illustrato* Romæ A. 1700 edito p. 179 didicimus, Apostolum Zenum opus excellentissimum de Poetis Italis moliri, in quo eos contra exterorum censuras defendere conabitur.

OBSERVATIO AD RECENSIONEM LIBRI DE Fidei & Rationis consensu a Domino JAQUELOTO editi mense Octobri proxime præcedenti factam.

Cum

Cum hæc Recensio Clarissimi Jaqueloti sententiam *de Leibnitiana Harmoniæ præstabilitæ Hypothesi* attigerit, quæ nuspiam adhuc in his Actis est explicata; operæ pretium visum est, ad meliorem ejus intellectum, missam nobis ipsorum Dn. Jaqueloti verborum ex Libro recensito excerptorum Latinam versionem adjungere, ut appareat, quis sit consensus aut dissensus. Quia *(inquit pag. 381. 382.)* difficile est, comprehendere, quomodo voluntas motum corpori imperet, Celeberrimus Leibnitius Corpus considerat tanquam machinam tensam & dispositam ad efficiendos omnes motus quos producit, & Animam tanquam substantiam omnes continentem ideas sese successive evolventes, modo motibus omnibus corporis conformi & correspondente. Itaque cum brachium movere volo, evenit, ut brachium moveatur virtute machinæ dispositæ atque tendentis ad brachium in hoc instanti movendum. Hoc modo Anima & Corpus se fere habebunt, ut duo horologia pendula, quæ motus suos pariter iisdemque momentis exercent. Qui causas occasionales defendunt, volunt ob unionem animæ & corporis, Deum ad certorum motuum præsentiam in anima formare certas ideas; & ad præsentiam certorum actuum voluntatis, Deum producere certos motus in corpore. Quod Dn. Leibnitius non probat, quia ista hypothesis perpetua supponit miracula. Systema receptum medium inter has duas sententias tenet, quæ magnas difficultates pati videntur. Videri possit prima specie, in priore systemate libertatem non nisi quandam illusionem esse, cum anima & corpus per causam efficacem & antecedentem ad omnes suas cogitationes & actiones disponantur, tantumque revera evolvatur, quod erat tectum & involutum. *Systema causarum occasionalium* majoribus adhuc difficultatibus laborat, Nam in eo Deus agit omnia, creaturæ non nisi umbræ sunt vanæ, & entia actionis expertia. Quid ergo virtutibus & vitiis fiet? An credi oportet, Deum ad aspectum Betsabæ in anima Davidis ideam concupiscentiæ excitasse, & in animas Pharisæorum impressisse ideas blasphemiæ contra Spiritum Sanctum, cum dæmones viderent ex corporibus dæmoniacorum ejectos? Quocunque effugio, aut quacunque subtilitate utamur, res huc semper redit. Exponit deinde Clarissimus Autor rationes, cur systema receptum,

quo anima in corpus & corpus in animam influxum exercet, ipsi magis placet. Sed tandem ita pergit p. 387. sqq:

Si tamen systema Leibnitianum bene intelligitur, reperietur, in eo non destrui libertatem; anima enim facultatem habet decreta sua formandi, ac volendi quod placet. Et quod actiones corporis ab anima imperatas attinet, non potest officere libertati dispositio corporis ita a Deo formati, ut motus ejus præcise voluntatibus animæ respondeant, quod tali exemplo intelligi potest. Ponamus, Mechanicum egregium scire, quæ ego famulo meo tali die sim imperaturus, eumque posse formare automatum par exequendis omnibus motibus a me ea die imperandis. Certum est, me tunc Automato illi tanquam famulo meo imperaturum ea, qua fruor, libertate, neque illam ipsius automati spontaneam ad suos motus determinationem, quicquam libertati meæ præjudicaturum. Eodem se modo res habet in corpore humano, secundum systema Leibnitianum, quod ideo appellari solet *Systema Harmoniæ præstabilitæ*. Deus formavit nostra corpora tanquam machinas, quæ debent respondere certis motibus nostrarum animarum. Tale Automatum non est impossibile Deo, qui novit omnes determinationes meæ voluntatis, motusque machinæ his determinationibus accommodavit. Hoc systema exemtum est difficultatibus, quæ in aliis reperiuntur. Non intelligitur in systemate recepto, quomodo voluntas agere possit in corpus, & in systemate causarum occasionalium omnia fiunt miraculose, & Deus movet brachium meum occasione meæ voluntatis, corpus proprie loquendo nihil agit. Sed in systemate Leibnitiano agit revera. Quod animam attinet, concipi utique potest, Deum ipsi in creatione dedisse ideas confusas & involutas omnium objectorum universi, quæ evolvantur & distinctæ fiant, prout objecta mutationes producunt in eo corpore, quod animæ est conjunctum, quia Deus ita creavit animam & corpus, ut perfecte sibi respondeant. Anima deinde in sese ipsa agit secundum illas ideas & perceptiones distinctas, ut judicia sua formet, suaque placita ac destinata animo concipiat, secundum electionem quam instituit. Ipsa imperat, & corpus exequitur virtute dispositionis a Creatore ad exequendum ei datæ.

Itaque concludo (*inquit Vir Clarissimus sub ipsum disserta-*

tionis finem) si intelligi queat, animam agere in corpus propria virtute, & quodam genere influxus, qui motum in eo producat, sequendum esse systema receptum. Simplicius enim est aliis & liquidius, (*plus simple & plus dégagé.*) Et in favorem ipsius, adduci potest exemplum Dei cuncta creantis & conservantis sola voluntate. Sed si velimus sequi ideas, quas habemus de corpore & de spiritu, una cum propriis eorum attributis, atque adeo nolimus corpus agere in spiritum, aut spiritum (creatum) in corpus; amplectendum erit systema Leibnitianum. Systema enim causarum occasionalium non nisi mera est illusio. *Hæc Clarissimus Autor*, agnoscens commercium animæ & corporis, secundum naturæ ordinem, non alio modo, quam secundum Leibnitianam hypothesin, intelligibiliter explicari posse. Quoniam in iis, quæ in corpore & anima intelligimus, nihil apparet, quod ad influxum eorum mutuum explicandum inserviat. Cæterum modus, quo Deus agit in creaturas, toto genere diversus est, consistit enim in creando: quoniam ipsa creaturarum dependentia a Deo seu conservatio, continua est creatio. Hanc autem dependentiam veram & necessariam esse, certis demonstrationibus docemur, etsi modum hunc agendi, ob infinitam ipsius agentis naturam, explicare non possimus.

GEOGRAPHIA SACRA, EX VETERI ET NOVO Testamento desumta & in Tabulas quatuor concinnata, Auctore NICOLAO SANSON, Abbavillæo & Galliarum Regis Geographo. Accesserunt in Indicem Geographicum Notæ JOANNIS CLERICI, nec non ejusdem Præfatio.

Amstelæd. apud Franciscum Halmam, 1704. in fol. ch. aug.
Constat Alph. 2. plag. 7. & Tab. Geogr. 4.

Liber iste jam olim, anno nimirum seculi superioris sexagesimo quinto, Lutetiæ Parisiorum lucem adspexit. Cum igitur Francisco Halmæ, Bibliopolæ Amstelodamensi solertissimo, eundem denuo typis exprimere visum fuisset, doctissimum *Clericum* adiit, & ab eo petiit, ut, si qua ratione nova hæc editio exornari augerive posset, illud facere non gravaretur. Vir ille

Clarissimus, quemadmodum nihil prius antiquiusve habet, quam ut bonis literis quacunque data occasione auxiliatrices manus commodet, sic hac quoque vice honestis petitis absque ullo negotio annuit, adeoque ejus opera varia accesserunt, quæ novam hanc editionem splendidiorem longe atque Reipublicæ literariæ utiliorem haud dubie reddunt. Primo enim præfationem præmisit luculentissimam, in qua quendam indiculum eorum texit, qui aut Judæam descripserunt, aut certe quidpiam ad Geographiæ sacræ illustrationem, labore atque industria sua contulerunt. Nec tamen omnes, qui Itineraria olim aut nuper Terræ sanctæ scripsere, in medium attulit, eos tantummodo recensere satis habens, qui antiquam Judæam eruditorum oculis exposuerunt. In hisce itaque recensendis initium facit ab Aristea, qui in Historia LXX Interpretum, & Hierosolymam & Judæam paucis descripsit; agmen vero claudere jubet celeberrimum Fridericum Spanhemium, non ita pridem fato functum, qui prima parte Geographiæ sacræ, Judææ Chorographiam breviter & perspicue tradidit. In hisce autem omnibus, quorum mentionem fecit, tum quæ laudanda, tum quæ desideranda veniant, paucis lectori indicavit. Et tandem, cum in Geographia sacra spicilegium non omnino spernendum relictum fuerit, se ipsum in Commentario suo ad Josuæ librum mox edendo, id sedulo operam daturum esse pollicetur, ne quid inposterum ad Geographiam illam antiquam Judææ probe intelligendam desit. Post hæc Clarissimi Clerici prolegomena, alia, ipsius nempe Auctoris, præfatio sequitur, in qua instituti rationem breviter exponit, quam in adornandis duabus tabulis Geographicis, quarum una totius orbis in Bibliis sacris cogniti partes continet, altera Terram promissam sive Judæam in suas tribus divisam exhibet, secutus fuerit. In iis enim concinnandis, se Terræ sanctæ tabulas omnes & descriptiones, a variis auctoribus exaratas, inter se contulisse, iisque accurate inspectis, Adrichomii typum aliorum omnium optimum, ejusdemque descriptionem reliquis exactiorem cognovisse. Quamvis igitur Adrichomii typum se plurima ex parte imitatum esse, non diffiteatur, diversam tamen ab eo rationem in locorum positionibus se observasse, earumque pene alteram partem immutasse, & ubi Adrichomius ex singulis urbium nominibus

bus plura fecerit, iis verum genuinumque nomen restituisse. Hanc præfationem excipiunt animadversiones in tabulam Judææ, ubi numerum civitatum cujuslibet tribus earumque situm, longitudine & latitudine locorum simul ad marginem adnotata, accurate exponit, ita ut observationes notatu utique dignas subinde inspergat. In hisce autem animadversionibus, lectores sæpissime ablegat ad Indicem Geographicum, quem iisdem Auctor statim subjunxit, in quo regiones & loca omnia, in utraque tabula Geographiæ sacræ descripta, uberius explicat, rerumque simul temporibus utriusque Testamenti in iis gestarum historiam, verbis ex Scriptura S. satis prolixe allegatis enarrat. Quamvis autem Sansonius in hisce, quæ hactenus recensuimus, egregiam plane operam præstiterit, doctissimus tamen Clericus in notis ad Indicem ejus Geographicum evidenter ostendit, Virum Clarissimum felicius, & magis inoffenso pede, in hoc stadio decurrere valuisse, si æque a notitia Hebraicæ & Græcæ linguæ, ac reliqui Geographicæ disciplinæ artificii, instructus accessisset. Quod si enim ipsos fontes adire licitum ei fuisset, multa sane urbium nomina Vulgatam sequendo perperam non scripsisset, nec etiam animadversiones veritati Historiæ repugnantes sæpius attulisset; id quod Clericus in notis jam dictis multis omnino exemplis probavit. Nec solum in iis id egit Vir doctus, ut potissima Sansonii delicta, minoribus prætermissis, emendaret, sed passim quoque addidit, unde plura & meliora peti possint, in eorum gratiam, quorum hæc accuratius nosse intererit. Agmen in hoc opere Geographico claudit brevis tractatus, quem *Judææ* nomine auctor Sansonius insignivit, in quo id potissimum agit, ut brevem historiam contexat eorum, qui hanc regionem diversis temporibus incoluerint. Quibus omnibus accedunt Jesu Christi & Apostolorum Petri & Pauli vitæ, ab eodem in epitomen contractæ, in quibus, verbis ex Scriptura S. desumtis, præcipue describuntur illorum patria, mansiones, itinera & peregrinationes, quæ ut lectorum oculis eo melius repræsententur, in hunc finem utrique operi tabula Geographica est præfixa.

Et sic finem de hoc libro differendi faceremus, nisi unicum adhuc commemorare, operæ pretium fore existimaremus. Nimirum sub finem Bibliopola pollicetur, se suasu Virorum do-

ctorum, Eusebii librum de Locis Hebraicis, quem Clericus quoque in præfatione cæteris omnibus ad Geographiam sacram pertinentibus præstare dixerat, cum Hieronymiana versione, quamprimum editurum esse. In eo autem excudendo, se Jacobi Bonfrerii editionem, quam sequatur, elegisse ait, ita tamen, ut notis subinde novis Clarissimi Clerici illustrata ea proditura sit, eidemque operi subjiciatur descriptio Terræ sanctæ a Brocardo Monacho quondam edita, cujus itidem Clericus in præfatione supra laudata mentionem injecerat. Hæc omnia ita typis imprimenda Fr. Halma adseverat, ut cum Sansonii non nimis spisso opere, ad justum volumen constituendum, conjungi & una compingi queant.

JO. BARTHOLDI NIEMEIERI THEOL. D. ET IN Academia Julia P. P. Theologia Moralis. Editioni huic secundæ accesserunt de Gentilium statu atque conditione post hanc vitam Dissertationes duæ.

Helmstadii, apud Salom. Schnorrium, 1704, in 4to.
Constat Alph. 1. pl. 3.

JAm aliquot effluxerunt anni, ex quo Maxime Reverendus Autor Theologiam Moralem in usum exercitiorum Academicorum adornavit, preloque commisit. De cujus nova editione, ob distracta exemplaria, cum cogitaret, notas, quas in priori promiserat, passim inserere in animo quidem habuit, verum ne auditorum suorum commodis mora injiceretur, hac vice libello nihil addidit, nihilque in eo immutavit. In illo autem eam observat methodum, ut in parte communi finis, cum ultimi & externi, qui est æterna hominis salus, tum proximi & interni, qui est pia & Christiano homine digna vita, rationem habeat, hinc subjecto, homine scilicet justificato & renato, exposito ad media deveniat, ac in parte speciali triplicem statum hierarchicum sequatur, ad illius ordines singula vitæ genera reducens. Ne tamen sine omni additione libellus hic prodiret, eidem Dissertationes duas, de Gentilium statu atque conditione post hanc vitam, jam anno 1694 primum editas, Clarissimo Autori placuit subjungere, in quibus ortho-

orthodoxa sententia, cum S. Scripturæ testimoniis, tum priscæ Ecclesiæ suffragiis atque consensu confirmatur, & contra dissentientes, quorum magnam nubem posterior Dissertatio sistit, non accurate minus quam modeste adstruitur.

JO. ANDREÆ SCHMIDII, D. P. P. ABBATIS MARIÆ-VALLENSIS, Compendium Theologiæ Moralis, in varios Auditorum usus conscriptum, & in subsidium memoriæ tabulis instructum.

Helmstadii, impensis Jo. Melch. Sustermanni, 1705. in 8.
Constat Alphabet. 1. plag. 3.

CUm Theologiæ Dogmaticæ & Ecclesiasticæ Historiæ compendia, maxime in usum suorum Auditorum, hactenus ediderit Reverendissimus Schmidius, commoda discentium non minus se promoturum esse existimavit, si primas Moralis Theologiæ lineas duceret, easque typis exscribendas traderet. Quamvis vero diversi hujus doctrinæ doctores diversas tractandi rationes sequantur, dum quidam solum Decalogi ductum observant, ut veteres nonnulli & recentiores; alii & Decalogi & Orationis Dominicæ ordini insistunt, uti *Hornejus*; alii capita omnia Catechetica respiciunt, ut *Dannhauerus* & *Langius*; alii Locorum omnium Theologicorum rationem habent, uti *Majus*: quamvis etiam juxta monitum *Baconis de Verulamio de Augm. Scient. l. 7. c. 1.* duas hujus doctrinæ partes constituere quis posset, alteram de *exemplari*, seu natura boni, alteram de *regimine* & cura animi, quam partem *Georgicam animi* Baco adpellavit, uti hæc Celeberrimus Autor in hujus libelli prolegomenis p. 11. ipse monet: placuit tamen eidem aliam viam eligere, ac methodum practicis scientiis alias communem retinere. Præmissis nimirum quibusdam prolegomenis, in quibus natura & constitutio Theologiæ Moralis exponitur, in tres partes dispescitur compendium, quarum *prima* vitæ sanctimoniam illiusque oppositum describit; *secunda* subjectum operationis, seu hominem sanctificandum exhibet; *tertia* denique de principiis & mediis ad vitæ sanctimoniam ducentibus agit. Singula autem ita pertractantur, ut theses breviores, in-

inspersis quibusdam notis, in singulis capitibus declarentur, in quorum fine tabulæ synopticæ ad juvandam legentium memoriam adduntur. In brevi alloquio ad Auditores, huic compendio præmisso, Cel. Autor a Deo ad elaborandum majus aliquod Theologiæ Moralis Systema plura eaque specialiora continens capita, nec non ad pertexendas reliquas operas, quas olim auditoribus suis promiserit, vires & otia sibi expetit. Hujus ergo voti ut compos reddatur, nos ipsi benignissimum Numen serio precamur.

D. ÆGIDII STRAUCHII, THEOLOGI OLIM VItenbergensis atque Gedanensis, Theologia Moralis, in Academia Regia Pomeranorum e manuscripto edita atque disquisitioni publicæ exposita a D. JO. FRID. MAYERO, Consiliario Regio, Theologo Prof. Prim. Universit. Pro-Cancel. & Superint. Generali, qui Bibliothecam Scriptorum Theologiæ Moralis & Conscientiariæ adjecit.

Gryphiswaldiæ & Lipsiæ, apud Jo. Wolffg. Fickweilerum, 1705. in 8.
Constant Alph. 2. pl. 9.

QUemadmodum celeberrimi nominis Vir, Jo. Frid. Mayerus, Gryphiswaldensis Academiæ illustre decus, & sui ingenii præstantissimi, & aliorum monumentis editis, eruditum Orbem jamdudum sibi obstrictum reddidit: ita cum præsens Ægidii Strauchii opusculum scholis ultimis Vitenbergæ, antequam Gedanenses accederet, ab ipso traditum, in scriniis instructissimæ suæ Bibliothecæ hactenus delituisset, noluit illud, pro eo quo in rei litterariæ commodum fertur studio, publicæ luci amplius invidere. Equidem auctius quoddam Moralis Theologiæ opus, ab eodem beatæ memoriæ Strauchio elaboratum, plurimorum manibus ferri non ignorat; ex quo ea, quæ huic opusculo deesse videntur, B. Hülsemanni Casibus Conscientiæ, quos itidem ex manuscripto editurus est, addere constituit Summe Reverendus Editor: utilius tamen ipsi visum fuit, præsens compendium, quod ingeniosa brevitate se commendat, Orbi erudito exponere, præsertim cum in usus Doctorum Academicorum illud edere, & XXI disputationibus

bus ad ventilandum studiosis juvenibus proponere susceperit; perinde uti olim in Academia Vitenbergensi, Doctoris publici munere fungens, B. Dorschæi Theologiam Moralem typis publicis exscribi fecerat, & ex cathedra Academica publico examini subjecerat: quod Dorschæi quoque opus ex B. Autoris αὐτογράφῳ, quod interea nactus est, accuratius edere constituit. Ipsum vero Strauchii opus, quod Viro Perillustri, Olao Hermelino, Carolo XII Suecorum Monarchæ a sanctioribus consiliis, una cum Bibliotheca subjuncta Mayerus dedicavit, ita comparatum est, ut primo naturam & constitutionem Theologiæ Moralis, deinde finem atque media tum generalia, tum specialia, exhibeat hac methodo, ut ex propositis quæstionibus, quibus ἔκθεσις quædam subjicitur, conclusiones certæ educantur, quas antithesis demum excipit.

Quod Bibliothecam Scriptorum Theologiæ Moralis & Conscientiariæ attinet, quam Celeberrimus Mayerus in studiosæ Juventutis gratiam collegit, & B. Strauchii libro adjecit, in tres partes illa dividitur, in quarum prima Scriptores nostræ Ecclesiæ, in secunda Reformati, in tertia Pontificii, ordine alphabetico ita recensentur, ut anno, quo quivis mortem obiit, plerumque indicato, librorum huc spectantium titulus exhibeatur, sæpiusque aut de scriptoribus, aut scriptis, judicium quoddam subjiciatur. Dum p. 5. Autor *Jo. Conradi Dannhaueri libros Conscientiæ apertos*, h. e. *Theologiæ Conscientiariæ* tomos duos memorat, monet se primas perfectissimi laboris hujus lineas, quas in gratiam auditorum privatorum Argentorati A. 1647 summus Theologus duxerat, in MSto possidere, quæ lacunas quasdam in posteriori tomo occurrentes, cujus publicationi *B. Dannhauerus* immortuus est, felicissime supplere possint, easque, si Deus vitam viresque concesserit, quas ipsi quoque exoptamus, e tenebris se producturum promittit. Neque prætereundum esse existimamus, quod p. 26 circa *B. Schomeri Specimen Theologiæ Moralis* occurrit, de quo plurimi hactenus persuasi fuerunt, morte laudati Auctoris præmatura factum fuisse, quin opus præstantissimum perficere potuerit. Verum Mayerum nostrum Vir Clarissimus *Jo. Philippus Palthenius*, ipsius Collega conjunctissimus, qui mutui adfectus Pufendorffium inter & Schomerum interpres olim extitit,

alia edocuit, monuitque causam abrupti operis non magis morti tribuendam, quam mutatæ in *Schomero* potius animi sententiæ, qui alia jam ratione opus susceptum aggredi ad *Pufendorffii* sententiam, induxerat in animum. Scilicet (ita Mayerus ipse rem exponit) postquam proscripta, quæ in scholis olim obtinuerat, rerum a revelatione atque ratione pendentium confusione, *Pufendorffius* meram Philosophiam Moralem ita tradiderat, ut ad captum esset omnium omnino hominum, quacunque illi religione tenerentur, & posita certa propositione, quam vocat, fundamentali, reliquæ ex ea theses perpetuo quodam ratiociniorum nexu junctæ deducerentur: monebat idem *Schomerum*, ut Theologiam Moralem, ex sacro Codice traditis unice depromptam, certoque principio innixam, continua cohærentium dogmatum serie extructam, omniumque, qui circa res rationi proprias dissentirent, captui accommodatam nobis daret, ut adeo latus Philosophiæ, utpote natura sua prioris atque latius patentis, quæ eandem subsequitur atque strictius præcipit, Theologia apte clauderet, & in singulis partibus, quæ hominis, quæ Christiani officia sint, distincte cognosceretur. Id quod eo quidem commodius *Pufendorffius* existimabat, quod hoc modo docendi ratio, ipsi Christo usurpata, in usum scholarum adduceretur, qui non dispari ratione summam legis ad *charitatem* reduxisset, quam qua ipse honestatis compendium in *socialitate* tradidisset, simulque surrecturis inter Theologos atque Philosophos controversiis æternus poneretur obex. Hinc adeo, probante *Pufendorffii* sententiam *Schomero*, factum esse, ut non tam de veteri opere continuando, quam de novo concinnando, Theologus summus cogitaverit: spes deinde omnes intervertente morte. P. 28 *Consilia Theologica* Vitebergensia, a Calovio, Meisnero, Quenstedio & Deutschmanno collecta, Mayerus recenset, optatque non modo, ut istorum exemplum alii Doctores Facultatum Theologicarum nostræ Ecclesiæ imitarentur, sed dolet etiam vehementer, scripta ejusmodi sanctissima sæpe ab hæredibus Decanorum negligi penitus ac pessime haberi, mente imprimis volvens, quæ de plurimis Consiliis & Responsis Theologorum Lipsiensium, *Schilteri*, *Weinrichii*, *Lyseri*, *Hopffneri* aliorumque, a *B. Scherzero* olim audiverit. Et quamvis idem fere fa-

fatum eam Facultatem, quam hodie ornat Magnificus Vir, oppresserit, subtraxeritque hucusque *Rungiorum*, *Krakewizii*, *Batti*, *Balthas. Rauens*, aliorumque labores, spem tamen non levem adfulgere dicit, quædam illorum, Deo propitio, improbo studio se adepturum, & publico daturum esse.

ERRATA.

Pag. 16 lin. 18 lege עירדך. Pag. 13 sqq. lege *Theraphim*. Pag. 15 l. 5 pro *filium suum* lege *Levitam*. P. 196 l. 6 pro *parochiales* lege *ecclesiam*. P. 198 l. 9 pro *itaque* lege *atque*. P. 201 l. 33 ante vocem *frequenter* pone *interea*. P. 206 l. 27 pro *pars fructuum* lege *magni autem sint fructus exinde obvenientes, pars illorum*. P. 238 initio lineæ 11 ponatur vox *ipsorum*. P. 239 l. 2. 3 pro *stabilitas* lege *stabilita*. P. 312 l. 13 pro *existimetur* lege *se existimet*.

INDEX AUCTORUM,

quorum Libri aut Inventa hoc volumine recensentur.

I. Libri Theologici & ad Historiam Ecclesiasticam spectantes.

Ju-

II. Libri Juridici.

III. Li-

III. Libri Medici & Physici.

IV. Libri Mathematici.

V. Libri Historici, Geographici &c.

VI. Libri Philosophici & Philologici Miscellanei.

INDEX RERUM
NOTABILIORUM
in hoc volumine obviarum.

Al-

Basi-

Caren-

Com

Jero-

Matri-

Ora-

Pro-

Ele-

* * * * * * * * *

ACTA
ERUDITORUM
ANNO
M DCC VI
publicata.

Cum S. Cæsareæ & Regiæ Polonicæ Majestatum Privilegiis.

L I P S I Æ.

Proſtant apud JOH. GROSSII Hæredes,

JOH. FRID. GLEDITSCH,

&

FRID. GROSCHUF.

Typis JOH. SAMUELIS FLEISCHERI.

A. M DCC VI.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Januarii, Anno M DCC VI.

SUIDÆ LEXICON GRÆCE & LATINE.

Ex MSS. Codd. recensuit, emendavit, notis illustravit, versionem Latinam Porti correxit, indices auctorum & rerum adjecit, LUDOLPHUS KUSTERUS, Humaniorum Literarum in Gymnasio Regio Berolinensi Professor.

Cantabrigiæ, typis Academicis, 1705. Volumina tria in fol. chartæ aug. Constat 27 circiter Alphab.

FRequentiori eruditorum usu Lexicon Suidæ teri cœpit ab anno inde 1499, quo typis Mediolanensibus primum exscriptum fuit. Eam editionem Aldina secuta est anno 1514, ex alio, quod multæ ejus a Mediolanensi discrepantiæ probant, codice MS. expressa. Frobenii inde successit Basileensis A. 1544, nonnisi sphalmatibus & editorum interpolationibus ab Aldina dissidens. Eodem anno prima Suidæ Latina versio Hieronymi Wolfii opera seorsim a Græco textu prodiit, quæ ab ipso recognita emendatior lucem adspexit paulo post Basileæ A. 1581. Tandem Æmilius Portus Genevæ A. 1619 Suidæ textum Græcum, una cum nova sua versione, vel potius paraphrasi, luci publicæ exposuit.

Multa in illa Porti editione, quæ ultima est cæterisque præstantior, a Viris doctis desiderata. Quod neque cum MSS. codicibus, neque cum editis omnibus textum comparaverit, multosque proinde operarum etiam typographicarum errores intactos reliquerit, vel etiam tanquam variantes lectiones annotaverit: quod item in investigandis autoribus, quorum fragmenta adducit Suidas,

das, vel e quibus, non allegatis eorum laciniis, sua depromsit, nullam adhibuerit diligentiam: imo quod ne ipsum quidem secum ipso Suidam, variis locis eadem repetentem, contulerit: aliaque ejus generis, quorum exempla affatim ab ipso clarissimo Kustero in præfatione novæ hujus editionis adducuntur.

Nondum itaque eo ornatu huc usque Suidas prodierat, qui dignus esset ea, qua nunc fruimur, litterarum luce: quem proinde ipsi parare atque induere, Herculeo labore, ingeniique solertia summa, conatus est novum Germaniæ nostræ decus, clarissimus Kusterus. Opus ille istud, arduum sane maxime, aggressus est trium codicum inprimis MSS. Bibliothecæ Regiæ Parisiensis fretus subsidio, quorum primus optimæ notæ est, ætatemque habet annorum D minimum: tum porro variantium Lectionum a Joanne Pearsonio olim ex codice Vaticano, & ab amicis quibusdam ex Colbertino, Vossiano & Antwerpiensi codicibus excerptarum: & denique notarum ejusdem Pearsonii, quas integras suis, nomine ubique autoris addito, Vir clarissimus, juxta cum Portianis, quibus aliquid inesset momenti, inseruit: quod tamen vix numerum facere in vasto notarum, quas ipse adjecit, pelago, facile & primo intuitu inspicientibus patebit.

Qua vero dexteritate istis subsidiis suis fuerit usus, quo eruditionis apparatu, qua ingenii acrimonia, etiam ubi ea destituerent ipsum, puritatem atque nitorem Scriptori suo restituerit, difficile est explicare, experiri præstat. Tria tantum, quæ inter evolvendum sese nobis obtulere, afferemus exempla, ut trinum scilicet operis, ut sunt humana, consummati atque perfecti, specimen hic prostet. In voce βληχὴ ista legimus: Βληχὴ τὰ τέκνα καὶ ὐδαμῶς τοῦ τρόπου, Delio profecto natatore opus habentia. Expeditissima emendatione βληχητὰ restituit Vir clarissimus, istamque ῥῆσιν ex Eupolidis Δήμοις explicat, ubi Hippocratis cujusdam Atheniensis filii perstringuntur Jambis istis duobus:

Ἱπποκράτους τε παῖδες ἐμβόλιμοί τινες
Βληχητὰ τέκνα, καὶ ὐδαμῶς τοῦ τρόπου·

Sic nempe illi leguntur apud Schol ast. ad Aristoph. Nubes p. 180. In posteriore tamen Jambo cum aliquid deesse vel ipsum loquatur metrum, id Viro doctissimo ita supplere visum:

Βλη-

βληχητὰ τέκνα κ' ἐδαμῶς τῶ νῦν τρόπῳ.

Βληχητὰ autem *balantia* esse animantia nemini ignotum, quæ pecora campi vulgo appellamus: neminique obscurum amplius esse potest, ita verba Suidæ esse vertenda: *filii bardi & moribus ævi minime accommodati*. Plane etiam intelligi non poterant verba in Δωδεκαδόρῳ ista: Κυλληνίων ἀνερύσαντες ἔρρεξαν, καὶ οἱ δωδεκάδωρα κέρα ἄλλῳ μακρητένοντι ποτὶ πλατάνιςον ἔπαξαν. Verum incidit Vir clarissimus, pro sua felicitate, in Epigramma ineditum, ex quo depromta ista, ubi duo Arcadiæ pastores Pani Cyllenio juvencam resupinam mactasse, eique duodecim palmorum, h. e. δωδεκάδωρον, cornu dedicatum platano affixisse clavo narrantur. Ejus inter alia sunt sequentia:

τὸν κεραὸν δάμαλιν
Πανὶ Φιλορείτᾳ Κυλληνίῳ αὖ ἐρύσαντες
Ἔρρεξαν, καὶ οἱ δωδεκάδωρα κέρα
Ἅλῳ μακρητένοντι ποτὶ πλατάνιςον ἔπαξαν.

Unde manifestum est, Suidæ verba ita esse legenda: Κυλληνίῳ αὖ ἐρύσαντες ἔρρεξαν, καὶ οἱ Δωδεκάδωρα κέρα ἅλῳ μακρητένοντι ποτὶ πλατάνιςον ἔπαξαν. Cujusmodi emendationes, adeo planas, in ipsum textum statim receptas haut fuisse non immerito mireris. Sed tertium adhuc tibi debemus exemplum. In voce Παλαμήδης ultima verba ita se habent, ὑπολαμβάνω δὲ καὶ τὸν ποιῆσαι, quem locum mutilum esse animadvertit jampridem Leo Allatius, eumque ita supplendum existimavit, ὑπολαμβάνω δὲ καὶ τὸν Ἰλιακὸν πόλεμον ποιῆσαι, ut sensus sit, bellum Trojanum carmine descriptum a Palamede fuisse: certiorem vero ducem secutus clarissimus Kusterus codicem Parisiensem, lacunam hanc ita supplevit: ὑπολαμβάνω δὲ καὶ τὸν ποιητὴν Ὅμηρον αὐτὸ τῦτο πεπονθέναι (invidiam nempe in præcedentibus Suidas memoraverat, qua Palamedem ob præclaram scientiam insectati nonnulli fuere) καὶ μηδεμίαν τῦ ἀνδρὸς μνήμην ποιῆσαι. Nempe in causa indaganda Homerici illius de Palamede silentii, alii quoque soliciti fuere, Apollonius inprimis, quem Achillis de eo Manes interrogasse, apud Philostratum legimus.

Sed luculenta, quam toti operi Vir clarissimus præmisit, præfatio

ſicco pede non erat prætereunda: in qua de Suida ſuo ejusque Lexico complura diligenter obſervavit. Suidam nullum extitiſſe, temere nimis Angelum Politianum affirmare, cum ejus non omnes tantum codices MSS. in operis hujus inſcriptione, verum & Euſtathius meminerit ad Homerum. Cujas fuerit, non conſtare: Samium eum fuiſſe, male nonnullos ex loco in voce Σαμοθρᾴκη colligere; nam verba, quæ iſthuc trahunt, veteris eſſe Scriptoris, nec ad Suidam pertinere. Vixiſſe eum, quicquid viris magnis, Grotio, Wolſſio, Caveo videatur, ſeculo XI, vel XIImi initiis ſub Alexio Comneno, ſi ab ipſo ſint Pſelli loca, in hoc Lexico, quod a nemine huc usque obſervatum, in vocibus Γηώρας, Δέρτρυ & Ἡγήτορες allegata: illius enim ætatis eſſe Pſellum; at potuiſſe loca illa poſt Suidæ tempora ab aliena manu inferciri, quod de primo ſaltem certum ſit, qui etiam in codice Pariſ. non inveniatur. Incertæ itaque ætatis ipſum quidem eſſe Suidam, multa tamen ejus Lexico ſequiore ævo acceſſiſſe, vel ex codice Pariſienſi optimo liquere, in quo multa loca Scriptorum recentiorum, vel plane non, vel margini adſcripta, idque manu nonnunquam recentiore, compareant. Male Gyraldum Suidam Hiſtoricum, cujus apud Strabonem, Apollonii Scholiaſten, & Stephanum Grammaticum mentio, cum Lexicographo confundere. Lexicon ex variis autoribus compilatum eſſe, in quibus tamen Scholiaſtes Pindari, Theocriti & Apollonii non adeo frequentes ſint ac Reineſius exiſtimavit Var. Lect. p. 479. Scholiaſten antiquum Ariſtophanis totum a Suida fuiſſe exſcriptum, non verſa vice, auctiora tamen habuiſſe Suidam illa ſcholia, quam nos hodie, viciſſimque ſcholia illa ex Suida atque aliis a recentioribus paſſim eſſe interpolata; id quod exemplis monſtratur. Judicium & ἀκρίβειαν in hac compilatione paſſim deſiderari: mendoſis codicibus ſæpe compilatorem eſſe ſeductum: homonymorum res uno tenore, quaſi ejusdem eſſent omnes, ſæpe referri: res eorum quoque, qui nomine ſint diverſi, quandoque miſceri: exempla ſæpe loco plane alieno adduci; quod tamen interpolatorum potius quam Suidæ ſit vitium. Quod reliquum eſt, librum multis nominibus, ob Hiſtoriam Litterariam inprimis, cujus varia capita attingat, totque veterum Scriptorum fragmenta, eſſe utiliſſimum. Cætera, quæ de variis editionibus, ſuisque ad novam hancce admi-

miniculis dixit, sub initium hujus ἱςορίας exposuimus. Finem facit Cantabrigiensis Academiæ laude, quæ per quadriennium nidum excludendo huic fœtui benigne ei concesserit. Cui nos quoque eam ob rem, tum communi Reipublicæ litterariæ, tum maxime Patriæ nostræ nomine gratias agimus: ejusque meriti, inter cætera in gentiles nostros collata, perennem apud nos memoriam victuram esse, prolixa voluntate, & ad similia officia præstanda parata, pollicemur.

HENRICI SNELLEN, MEDICINÆ DOCTORIS, Theoria Mechanica Physico-Medica Delineatio, in qua damnosa ejus præcepta ad rationis & experientiæ lancem revocantur, ac practice emendantur.

Lugduni Batavorum apud Jordanum Luchtmans, 1705. in 8.

Constat 1. Alphab.

PRæsentem Theoriæ Mechanicæ Delineationem in duas divisit partes Author Clarissimus, in quarum prima *Baglivum*, Medicum Romanum acriter perstrinxit, ejusque *de Fibra Motrice* a nobis in Actis anno 1703 mense Augusto pag. 338 commendatum *Specimen* sub examen vocat, atque refutat: in altera infamem, uti vocat, juvenibus inquisitionem menstrualium mulierium explodit, in illud fere unicum vires suas intendens, ut demonstret, mechanici ratiocinii fastum & abusum, ubi homines sectæ suæ tantum adulantes non erubescant omnia gratis reponere, quæ nec ipsa natura concedit, nec ars unquam demonstrat, si paucissima, quæ admodum trivialia sint, exceperis.

Quoad primam Partem, quæ contra Clar. Baglivum in medium profert, mittimus, ne contra morem hactenus a nobis receptum agere videamur, in quo Autoris hypothesis Theoretico-Practica consistat, breviter delineaturi. Existimat igitur solida fluidis originem debere suam, illaque his undique stipari, imo ex iisdem consarcinari. Particulas solidas materiam, portiones materiæ immersas ventum æthereum, aut ignem, aut aquam subtilissimam vocat. Materiæ assignat quietem, vimque omnem & potestatem resistendi, & pro tempore retinendi portiones spirituales. Portionibus adscribit motum, omneque momen-

mentum actionis, quæ observatur in materia. Materiæ quantitatem molem vel massam nominat; qualitatem vero inquirit in molis di positione & conformatione varia, quæ præsertim exteriores & ambientes illas superficies istius molis spectat, postmodum poros & tubulos fingit ex molis nexu, situ & ordine. Portionum quantitatem in collectione quadam majori & minori mobilissimarum particularum reperit. Qualitatem vero maximam considerat in materia levissima, associata spirituali immersæ portioni, quæ cum in sua persistat forma, omnibus suis accidentibus stipata, eam exinde spiritualis actionis directionem ad speciales quosdam motus limitari & disponi ab illa materia resistente putat. Materiam insuper ejusque portiones se mutuo afficere supponit, ita tamen, ut quædam inter hæc duo relatio sit, nunc majoris, nunc minoris resistentiæ, aut actionis. Solidam tamen materiam magis pati a fluida portione, quam hanc ab illa, nec tamen materiam immunem esse resistentia, illius motum retardante, alterante, detorquente, ipsique sese adjungente, ac una cum liquida portione ad actus varios concurrente defendit. Primam coalitionem, productionem vel generationem illius massæ deberi existimat parti fluidæ levissimis solidis imprægnatæ, hujusque constanti aut debili resistentiæ suam tribuere conformationem, ex quadam minimarum superficiuncularum aptitudine materiæ ad se invicem accedentis & adaptandæ, ita tamen, ut materia ipsa portioni spirituali intermixtæ suum debeat ornatum & culturam nobiliorem. Portiones has generaliter sumtas dividit in tres partes, qualitate sua distinctas, in aqueas subtiles, in ramosas oleosas acres, & in rigidas salinas. Omnes has portiones momenta suarum actionum limitata offerre addit, respectu materiæ, cui occurrunt; duas equidem priores benigniores in suo opere existere, ultimam vero violentam esse & sæpius sibi fingere & vi parare aditum in materiam. Hasque portiones posse adesse vel abesse judicat pro quantitate & qualitate majori vel minori in ipsa materia, easque posse infinitis modis alterari ex portionibus illis variis, quæ aliunde adveniunt. In statu p. n. prædominium superbum & noxium nostræ machinæ hujus illiusve portionis aut materiæ supponendum esse docet. Modo enim particulæ aquosæ luxuriant, & omnes effectus fiunt lan-

languidi & torpidi portionum ſpiritualium, humores turgeſcunt, partium ſolidarum tonus enervatur, & momento actionis neceſſariæ deſtituitur; tum autem partes ſeroſæ ſunt exaltandæ, ſerique abundantia ſecernenda. Modo portio ſulphurea ſeu ramoſa peccat, & vel nimiam partium acrium, inflammationis auctorum, velocitatem, vel retardationem partium incraſſatarum aut in figura ſua depravatarum; vel ſeroſarum motum inteſtinum concitat, ubi modo illa eligenda ſunt remedia, quæ portionum immerſionem in ipſa materia promovent, ita ut momenta motuum & actionum in illis fluidis ac ſolidis retardentur; qualia ſunt aquea, terræ ſive graves, ſive mucaginoſæ, abſorbentes & involventes, & vena ſecanda; modo purgantia & medicamenta fluidiora, & quæ figuram partium depravatam corrigunt, ut tincturæ minerales & extracta animalium atque vegetabilium locum inveniunt. Modo particulæ ſalinæ abundant, vel una cum ramoſis, per balſamica, & ſpiritu veloci acido inſtructa alexipharmaca corrigendæ; vel una cum aqueis, per mera abſorbentia fixiora, aliquando etiam ſpiritibus ardentibus armata, oleoque ſubtili prædita emendandæ, non neglectis vomitoriis, purgantibus, diureticis & diaphoreticis; vel una cum terreſtribus, ſalino auſtero vel muriatico ſapore imbutis, per ſalia, aquoſa, ſale & oleo non deſtituta, & oleoſa ſpirituoſis juncta alteranda.

Nec defuit, in quem in altera Parte calamum ſtringat Autor. Eſt hic *Johannes Freind*, cujus in *Emmenologia* placita *in Actis noſtris anno antecedente menſe Martio pag. 174* tradidimus. Quæ controverſiæ nos non admodum morabuntur, noſtro officio nos ſatis feciſſe credentes, ſi indicaverimus, ex illorum claſſe Medicorum eſſe Autorem, qui in fermentationem fluxus menſtrui cauſam rejiciunt. Putat enim, loca, in quibus fermentum deliteſcit, eſſe glandoſa glandularum corpuſcula, cum vaſis excretoriis, utpote quæ motui & librationi partium ſpiritualium ſint aptiſſimæ; quamvis ſanguis ſuum etiam conferat munus, & ſpiritus animales, a quibus partium facultates primum imperium acquirunt, quoniam humores ad independentiam majorem horum ope deducuntur, moderamen autem ulterius acquirunt a portionibus variis, per motum extricatis & coacervatis, quæ ſuo acceſſu reliquam

ma-

materiam ſtimulant, & ad fervorem, id eſt ad fortiorem ſenſibilioremque motum, cogunt; hancque ſententiam nec circulanti ſanguini, nec ſenſui communi repugnare exiſtimat, jubetque perpendere, vaſcula ſinuoſa & glandulas fermentum hoc continentes aliquo modo ab æſtu ſanguinis eſſe remotas, ejusque aggeres eſſe oppoſitos ex fibris, valvulis & muſculis ſphincterics in glandulis, unde maximum confuſionis periculum præcaveatur. Multo minus credendum eſſe aſſerit, hoc fermentum extingui; ex eodem enim fonte novam ei ſuppetere ſupellectilem, ex quo vires exhauſtas recuperant ex morbis convaleſcentes. De novo enim reſtaurari ſanguinem, & renovari per alimenta, ut jacturæ denuo reſiſtere poſſit, eumque tempus quoddam requirere, antequam ſpiritualibus illis nobilitetur portionibus, hasque non ſimul & ſemel poſſe communicari lymphæ & partibus ſolidioribus, ſed tantum per vices, cui luxurianti motus illi debeantur. Organa excretiora ſanguinis menſtrui ſtatuit glandularum vaginalium veſicularium vaſcula excretoria in vaginam hiantia. In his enim minima eſt reſiſtentia, quoniam naturaliter pro lympha excernenda laxe tantum connivent, & dum ſanguis orgaſmo quodam a ſpirituum copioſiori influxu & acrimonia lymphæ, præſertim vaginalis tempore menſtruationis turget, hæc copioſior iis horis profluens ſanguini e glandularum cavitatibus per propria vaſa per motum inteſtinum humorum dilatata viam aperit; hujus enim momentum multo majus eſt, quam humorum copiæ. Circa tempus menſtruationis hæc Autoris eſt ſententia: Machina humana tenella ad pubeſcentiæ levioris terminos usque mollis, flexilis & aquea eſt, fibræ patentiores, magis perviæ & perſpirabiles exiſtunt, quæ facillime humores, eo tempore magis ſeroſos, admittunt, & dimittunt per omnes poros, canales, tubulos, utpote minus reſiſtentes actionum etiam leviorum momentis. Lubricitas vaſorum, ſeroſorum humorum ſtatus, villorum flexilitas, ubi motui illius machinæ vegetativæ ſuccurrunt, ſimul loculos extenſos per illam vegetationem replere coguntur, quod fieri nequit, niſi per materiam quantam ſatis tenacem, & glutinis inſtar balſamicam, ſpirituali portione minore in quantitate inſtructam, quæ in eo ſtatu minus excernitur, ex materia debilius attributa, minus oleoſa, magis

gis aquea. In pubertatis flôre ex materia copiosius congesta, sensim firmiori reddita, æque in fluidis ac solidis partibus durities crescit, unde angustiora fiunt vasa & simul retinendæ & subigendæ materiæ fluidæ constantiora, cum totius machinæ decore. Lubricis igitur & mollibus fuga permanente sua, oleosis & tenacioribus aliis injiciuntur vincula, quibus coërcita ope fluoris & resistentiæ magis ac magis attenuantur, in portione subtili accrescunt, momentaque majoris actionis acquirunt, ut sensui ac motui majori tandem perfectiori maturitatem suam nunc adepta inserviant. Illo ipso tempore vigor conspicitur, postquam diluens serum non tam potens adest, ut spirituum vim intercipiat; tunc enim in ipsa vasa fit arietatio, haud raro cum apertura & ruptura eorum minus resistentium, resultans ex copia illarum portionum materiæ antehac immersarum, nunc per fortiorem attritionem emersarum. Exiliores autem partes cum angustissimos poros & canaliculos in glandulis petant, necessario hæ tenui sua substantia redundare faciunt illa loca, vasellaque inflari ad intumescentiam quandam partium minimarum coguntur, quæ postmodum aut sua effundere opus habent, aut vicina loca comprimunt, & angustant, quod semper in motum proxime adjacentium, dein remotiorum humorum redundat. Hi spiritus aut hæ portiones subtiles natæ ex quadam contemperatione materiæ subtilissimæ, aeris, salis irretiti in materia, ad oleosam naturam accedente, sensum & motum cum calore interno augent, texturas in fluidis majus spatium exigentibus replent & distendunt, tandemque magnitudinem ictuum & nisuum materiæ accelerant, ut vasa minus resistentia locum suum pro fluxu menstruo in mulieribus cedere cogantur. Ratio mensium deficientium in vetulis hæc esse videtur Authori: quia in minimis vasculis & glandulis humidum spirituale deficit, aut saltem non luxuriat, adeoque opitulari nequit fluori, & velocitati sanguinis, ut solebat, quoniam fibræ minus tensiles & sensiles sunt, & vasorum oscula callosa durioraque redduntur, ipsaque humorum massa in parte serosa lentior crassiorque evadit, calorque naturalis portionumque e materia emersio minor conceditur, quæ omnia motui intestino & irritationi seu stimulo naturali adversantur.

B *G. G. L.*

G. G. L. DE LINEÆ SUPER LINEA INCESSU, *ejusque tribus speciebus, motu radente, motu provolutionis, & composito ex ambobus.*


L*inea ad Lineam incedit*, si illa spectata ut mota, hac ut quiescente, altera alteram durante motu contingat; & quiescens dicetur *Basis*.


TAB. I. Fig. 1. Si Linea eodem semper puncto suo super alia incedat, nonnisi *Radere* ipsam dicitur, velut, si super linea A B C D incedat linea L M N, puncto M in basi A B C D persistente. Abradet enim eminentiolas, si quæ ponuntur basi adhærere; cum alias Linea, quæ continue suum mutat punctum contactus, adeoque *provolvitur*, eatenus non tam abradat has eminentiolas, quam deprimat; & cum linea super linea tantum provolvitur, dici potest, alteram ab altera *lambi*.

Si Linea radens angulum LMC vel NMB ad basin ABC faciat assignabilem, fieri potest, ut inter radendum circa punctum radens M tanquam centrum titubet, adeoque non incedat sibi parallela, veluti si LMN situ ad priorem parallelo emota ponatur inter procedendum, punctum tamen M in Basi remaneat.

Sed si Linea radens KLMNP angulum nullum assignabilem faciat ad basin ABCD, id est, si ambo polygona constituant curvas in puncto M radente se mutuo contingentes, neque plus quam unam in puncto contactus rectam tangentem habentes, necesse est Lineam radentem suis vestigiis ubique parallelam incedere. Ponamus enim punctum radens esse M, in quo Basis pars BC tangatur. Et quoniam ambæ lineæ ABC & LMN sunt curvæ, quæ se mutuo tangunt, habebunt etiam eandem rectam tangentem, eamque ex hypothesi unicam, quæ adeo ad curvam angulum assignabilem non faciet. Itaque & curvæ ad se invicem angulum assignabilem non constituent. Hinc vero sequitur, curvam KLMN puncto eodem M per basin ABC incedentem non posse nutare, seu angulum inter ambas curvas factum assignabiliter variare, adeoque nec angulos earundem plani lineæ mobilis rectarum in alium locum transeuntium, quibus immotam FGH respiciebant, hac translatione assignabiliter diversos fieri ab iis, qui fuere in priore situ. Sit enim in plano curvæ radentis, quod una cum

TA





cum ipsa moveatur, punctum I, & jungatur recta IK. Dico, hanc sibi manere parallelam durante motu. Assumatur enim immobilis recta H G in plano immobili, per quod ipsum planum mobile semper incedat. Producta recta KI, usque dum ipsi H G (productæ, si opus) occurrat in F, dico, si motus sit radens, angulum HFK non posse variari, licet KLMP aliorsum transferatur. Nam curvas rursus concipiamus ut Polygona, immobile ABCD, mobile KLMP. Cum ergo totum KLMP rigidum censeri possit, non potest nutare, seu rotari circa M, nisi alius fiat angulus LMC. Sed cum is sit infinite parvus, non sufficiet ad assignabilem nutationem, ut LM sese convertens circa M applicetur ad CB, sed ulteriori rotatione opus erit. Ita vero si ponas amplius nutare lineam radentem, necesse est, ut punctum M erigatur a basi, punctis L & K successive ad basin depressis, quibus & successive tanquam sustentantibus centris innitetur radens Linea, ac circa ea gyrabit: cum tamen supposuerimus, punctum M continue basi manere applicatum. Idem est, si rotatio fieri ponatur in contrariam partem, ut non L, sed N ad basin deprimatur. Utroque igitur modo angulus LMC vel NMB assignabiliter mutari nequit, quantumcunque duret motus, modo punctum M semper in basi manere debeat, adeoque nec recta KI ipsi lineæ radenti rigide connexa, seu cum ea mobilis ad rectam HG (ipsi immobili lineæ ABCD rigide connectibilem, seu cum ea immobilem) angulum KFH assignabiliter variare potest.

Hactenus de motu radente potissimum diximus. Sed, si iisdem positis curva KLM super curva BCD velut basi ea lege incedat, ut punctum M dictam lineam KLM sustentans, (seu quo ea basin tangit,) non idem incedat per plura baseos puncta, sed mutetur, alio continue puncto curvæ mobilis ad aliud punctum basis, parsque aliaque parte mobilis ad aliam partem basis applicata; necesse est, ut Curva KLM rotetur circa prius punctum sustentans M, donec aliud, nempe L, basin attingat. Ita hoc jam erit punctum sustentans novum, super quo facta gyratione prius M a basi elevabitur in alteram partem. Hoc motu continuato dicetur curva super basi nonnisi *provolvi*, dicetur etiam altera alteram lambere, & tunc continget, partes baseos ac partes

mobilis Curvæ, quæ provolutione jam defunctæ sunt, inter se æquari; pars enim parti, latus polygoni lateri alterius polygoni congruit, nec una pars unius plusquam uni alterius congruenter applicatur. Insuper si punctum aliquod constans exempli gratia curvæ provolutæ in eodē plano annexum ponatur, illud describet *Trochoidem* I (i) cui normalis erit recta MI a puncto sustentante ad punctum describens ducta. De quo motus genere jam multa apud Geometras habentur. Potissimæque ejus species sunt, quæ dant lineas *Cycloidales* & *Epicycloidales*.

Denique Curva mobilis KLM super basi BCD incedere potest *motu composito ex radente & provolvente*, si, dum M procedit in BC versus D, simul LMN nutet & gyretur circa M, donec L attingat BCD, & loco ipsius M subeat puncti sustentantis vicem, & mox itidem (ut prius fecerat M) simul & procedat in basi, & tamen centrum sit gyrationis Curvæ KLM, per quam nunc M a basi elevetur. Et ratio inter celeritates gyrationis & motus radentis seu paralleli determinabit speciem hujus incessus, in quo nec motus est parallelus ut in puro radente, neque arcus baseos & Curvæ mobilis contactu defuncti inter se sunt æquales, ut in puro provolvente: nam quantitas motus radentis incessui huic immisti est Longitudo, qua arcus curvæ incedentis deficit ab arcu baseos percurso. Punctum autem constans in plano curvæ mobilis designatum, ut J, non jam Trochoidem describet, sed Lineam factam compositione ex motu parallelo seu æquali cum motu radente puncti sustentantis (qui motus toti plano mobili communis est) & ex motu proprio gyrationis, quem exercet punctum describens J circa punctum sustentans; qui motus nonnisi eis plani punctis communis est, quæ tantundem a puncto sustentante absunt.

TAB. I. Fig. 2. Hic motus plerumque a rotis exercetur, cum simul trahuntur & volvuntur, quod fit præsertim, cum axis non satis est lubricatus, quæ causa est aliquando, ut pene tanta sit difficultas in gyrando, quanta in procedendo: unde etiam rotæ non sunt fidum satis medium longitudinem itineris suis conversionibus mensurandi. Ideoque etiam, si quis puram provolutionem desideret, id est, si quis Cycloidem accurate describere velit, vel Epicycloidem (cum circulus super circulo volvitur) vel etiam Trochoidem aliam quam

quamcunque; non sufficit rotam libere incedere, sed necesse est filum vel catenulam rotæ circumdari, quæ inter provolvendum evolvatur, & extensa remaneat in basi. Veluti si rotæ pars TV provoluta per QR ibi reliquerit funis QRX partem QR, dum pars RX adhuc rotæ sit affixa; continuata vero provolutione similiter applicari debeat dicta pars RX basi reliquæ RS.

Porro Curva, quæ basin nonnisi radit, adeoque vestigiis suis parallela incedit, singulis punctis plani sui mobilis describet lineas basi similes & æquales seu congruentes. Nam rectæ 1N 2N, 2N 3N, respective parallelæ & æquales sunt ipsis 1M 2M, 2M 3M, id est, rectis AB, BC, idemque est de motu puncti L, quod de motu punctorum M & N. Et si quis agnoscat, quævis plani mobilis puncta ut L & N describere lineas congruas inter se, idem ei dicendum erit de puncto sustentante M, nempe describere lineas prioribus congruas, cum punctum N ipsi inassignabiliter vicinum assumi possit, adeoque in ipsam tandem incidere intelligatur. Quia autem M describit basin, utique lineæ a punctis L & M descriptæ, Basi congruent. TAB. I. Fig. 3.

Mechanice efficiemus, ut Curva in basi non incedat, nisi radente motu, si ex puncto I recta $I\lambda$ educta sit, quæ ipsi HG normaliter occurrat ad β; crassitie ipsius rectæ materialis HGF radente infra planum paginæ, & crassitie ipsius $I\lambda$ cadente supra: & præterea ex recta rigida $I\lambda$ exeat normaliter alia recta rigida seu regula $\beta\alpha$, cadens semper inter ipsas rigidas immobiles GH, $\gamma\mu$, inter se parallelas, per $H\gamma$ connexas, nec magis invicem remotas, quam ut $\beta\alpha$ exacte inter eas labi seu ultro citrove ire possit. Ponamus regulam $\beta\alpha$, servato angulo recto, posse ascendere & descendere in ipsa $I\lambda$. Ita $\beta\alpha$ libertatem habebit duplicis motus, unius horizontalis (si placet) quo incedit secundum ipsam GH, alterius verticalis, quo prorsum & retrorsum ire potest in recta $I\lambda$. Cum ergo recta $\alpha\beta$ maneat semper sibi in directum, & recta $I\lambda$ sit semper ei normalis; utique recta IL semper suis vestigiis parallela erit, adeoque & Curva KLMN motu parallelo movebitur; dumque interim semper applicatur basi, radet eam eodem semper puncto M. Si basis esset circulus, figura super basi incedens radendo moveretur eo motu, quem *Hobbius* olim vocavit circularem simplicem, & de quo quædam ingeniose jam tum observa- Fig. 1.

vit in *Elementis de Corpore* & *in Problematibus*, & inter alia, quod, dum quælibet recta in plano sic moto designata, manet suis vestigiis parallela, necessario durante motu quævis puncta plani describant lineas inter se æquales & similes. Sed nos addimus, eundem esse hunc motum cum motu Curvæ aliam uno puncto suo radentis.

Cæterum sive motus sit pure radens sive pure provolutorius, sive ex utroque compositus, nihil refert, utrum sit obradens, an subradens; obvolutorius, an subvolutorius; id est, utrum Curva mobilis convexam, an concavam faciem Curvæ immobilis radat vel lambat. Convexa autem facies Curvæ ab alterius Curvæ convexa & concava, sed concava & recta non nisi a convexa tangi potest, adeoque & radi vel lambi.

Porro notandum est, motum *evolutionis*, quem excogitavit *Hugenius*, & motum *coevolutionis*, quem addidit Dn. de T. & cujus utilitates ad construenda Optica & alia problemata ego primus ostendi, esse casus speciales motus *puræ provolutionis*.
TAB. I. Fig. 2. Nam idem est ac si ponas rectam rigidam super basi volvi, simulque filo affixo regi, ne radere possit basin. Ponamus filum QRX extremo quidem X curvæ TVX affixum esse, extremo autem Q rectæ QRS seu regulæ WQRS; Curvam autem (contra quam ante) esse basin immobilem, supra qua incedat recta rigida seu regula WQRS. Hæc primum in situ (W)(Q)(R)(S) posita tangat basin in puncto X, in quod incidit (S), filo toto adhuc existente in regula; quæ deinde volvatur super basi curvilinea XVT, per arcum ejus XV, donec puncto suo R eam tangat in puncto ejus V, relicta parte fili XR in dicto basis arcu XV, reliqua fili parte RQ manente in Regula QS. His positis manifestum est, dum regula super Basi circulari provolvitur, simul huic ipsi Basi obvolvi filum, eumque motum obvolutionis esse tantum contrarium motui evolutionis, & punctum in regula sumtum ut W, hac provolutione regulæ vel obvolutione fili describere Curvam W(W): quæ eadem curva etiam per evolutionem describetur, dum (remota regula, vel manente, ut lubet) filum WQ continuo tensum, & Curvam VS tangens, ita movetur, ut portio ejus RX a Curva VX devolvatur. Pro motu au-

autem *coevolutionis* simili ratione repræsentando opus est, duas regulas rigidas filum inter se partiri, ita tamen, ut de una in aliam transire possit, sed ope styli ad ambas regulas in puncto, ubi se secant, implicitum teneatur. Et quamvis duæ rigidæ rectæ se proprie secare (sua nempe crassitie) non possint, æquivalens tamen effici potest, dum una sub alia transit, & superioris ima, inferioris summa recta pro ipsa regula rigida assumuntur, filumque semper ad duarum istarum rectarum intersectionem stylo applicitum tenetur.

Postremo, quotiescunque una eademque linea rigida movetur in eodem plano, diversisque suis sitibus tanquam totidem Curvis concurrentibus intelligitur formare novam Curvam omnes illos situs tangentem; perinde est, ac si curva rigida mobilis incedat super ea, quam suorum situum concursibus format, tanquam basi, motusque erit modo pure radens, modo pure provolvens, modo denique, ut plerumque fit, compositus, prout conditiones a nobis præscriptæ observabuntur.

Si fingeretur Curva mobilis KLMN dentibus intercisa, basi vero esset obvoluta fili loco catena, cujus articuli dentibus responderent, ita ut inter volvendum dentes articulis insererentur, catenula solo motu radente volutioni admisto propelleretur, vel potius traheretur in basi: quod etsi ad Mechanismum accuratum non sit aptum, inservit tamen ad distinctionem motus radentis & provolutorii melius intelligendam. Pars enim baseos, quam extremitas catenulæ protractæ percurrere intelligetur, detracta a toto arcu baseos, dabit arcum baseos, arcui curvæ mobilis incessu jam defuncto æqualem, modo ab extremo catenæ inceperit incessus. Hæc dudum meditata ut ederemus, occasio invitavit. TAB. I. Fig. 8.

ARCHITECTURE MILITAIRE, OU L' ART DE FORTIFIER les Villes, de quelle assiette ou figure qu' elles soient, suivi d' un Abregé de Geometrie, par le Chevalier DE SAINT JULIEN.

h. e.

ARCHITECTURA MILITARIS, SIVE ARS

mu-

muniendi urbes cujuscunque situs ac figuræ, una cum Compendio Geometriæ.

Hagæ Comitum, apud J. van Millinge, 1705. 8.

Constat plag. $11\frac{1}{2}$ & 30 Tabulis æneis.

NIhil Autor eorum omittit, quæ ad hanc Artem plene percipiendam requiruntur. Quare cum *cap. 1* finem Architecturæ Militaris indicasset, qui est impedire invasionem hostium, & cum exiguo hominum numero ingenti militum armatorum catervæ resistere; mox *cap. 2.* axiomata generalia proponit, subjunctis animadversionibus in eadem *in cap. 3*, & explicatis *cap. 4.* terminis, specialia *cap. 5.* subdit, examinatis quoque quæstionibus problematicis *cap. 6*, ad quas alii affirmative, alii negative respondere solent, quales sunt: utrum præstet, fossas esse profundas & minus latas, an latas & minus profundas? num fossæ aqua repletæ præferri debeant siccis? &c. Jactis hisce fundamentis, *cap. 7.* declarat, ad quodnam præcipue respexerint præcipui ævi nostri Ingeniarii, *Errard* nempe, *Marollois*, *de Ville*, *Comes de Pagan*, *de Vauban*, *de Coehorn*, *de Bombelle* & *de Lorini*, quorum constructiones *cap. 9.* exhibet, unico schematismo illustratas in *Tab. 8*, additis Tabulis ad quasdam conficiendas necessariis, quarum usum *cap. 10.* edocet, cum *cap. 8.* multa disseruisset ad tales constructiones perficiendas necessaria. Quoniam vero tam in veteribus, quam recentioribus muniendi formis, multos notavit defectus, *cap. 15* expositos, quorum notitiam 30 annorum studium & 20 annorum experientia, quos itineribus per Europam ad visenda & examinanda præcipua munimenta institutis tribuit, ipsi facile suppeditabat; excogitavit ipse methodum, dimidio sumtuum compendio maximas Europæ urbes muniendi, easque cum militibus præsidiariis mediocrium urbium contra numerosum exercitum defendendi: quam *cap. 11* exponit. Ea in compendio huc redit. Vid. Tabula 19; quæ nobis est fig. 4. Tab. I. Latus externum constanter assumit 240 sexpedarum Gallicarum, idque dividit in duas partes æquales. Ex centro Polygoni ad medium lateris externi agit perpendicularem DE, atque ex C in F transfert $\frac{1}{10}$ ipsius AB. Inde per punctum F ducit rectas AFI & BFO, lineas nempe de-

TAB. I. Fig. 4.

defensionis majores, faciendo FI & FO 70 sexpedarum, ductaque chorda OI ex ipsius medio P ducit lineas defensionis minores PA & PB. Facies AL & BK facit $\frac{2}{10}$ ipsius AB, junctisque punctis O & L, item I & K, rectis OL & IK, alas determinat. Ne autem defensio ex chorda reddatur inutilis ob majorem propugnaculorum distantiam (vid. Tab. 20, quæ nobis est figura 5, Tab. I.) in medio chordæ A intra fossam cryptam (quam vernaculo idiomate *caponiere* vocat) more Vaubaniano excitat, quemadmodum intelligitur *ex Actis nostris anni 1692 p. 338*. Alam KI in 5 dividit partes, & $\frac{2}{5}$ auriculæ KS, $\frac{3}{5}$ alæ retractæ TV assignat, quam more Vaubaniano rotundam efficit. Fossam ante angulum propugnaculi 20 facit sexpedarum, eamque cum faciebus parallelam ducit. Duplicem chordæ præstruit parmulam. Primæ capitalis EF est 45 sexped. facies 15, fossæ latitudo BF 10; alterius capitalis BG 35, ejus facies cum faciebus primæ aguntur parallelæ, fossæ latitudo est 12 sexped. Receptus militares (*places d'armes*) formaturus CR facit 15, & DR 20 sexped. eos utrinque tegit loricis transversis 5 sexped. longis & 3 latis, in medio M format reductum. In collis tandem excitat suggestum (*le cavalier*) quemadmodum ex schematismo apparet. TAB. I. Fig. 5.

De hac muniendi methodo non nostrum, sed Autoris ipsius judicium exhibemus ex cap. 12. Ostendit nempe, quod polygonum suum sit, ad polygonum plerorumque recentiorum, ut 16 ad 9, adeoque fere ut 2 ad 1: quod suggesta tormentorum hostilia (*les batteries*) parum obesse possint alis, cum hostis viam coopertam tenens ab ala propugnaculi oppositi absit fere 200 sexped quod crypta chordæ præstructa, cum 10 tormenta majora & 100 sclopetarios capiat, sit usus prorsus admirandi in fossa & faciebus defendendis: quod duplex parmula sumtus nonnisi ordinarios requirens alas propugnaculorum tegat, & vires hostiles retardet: quod denique suggesta collis præstructa & casis armatis instructa cum mille homines ab igne hostili tutos & 20 tormenta majora capiant, fere impossibile reddant, ut hostis propugnaculum occupet. Orthographia, quam in eodem capite tradit, est ab aliorum Autorum proposito prorsus diversa, quemadmodum nuda inspectio schema-

TAB. I. Fig. 6. tiſſimi (Tab. 21, quæ nobis Fig. 6, Tab. I.) docet. Cum enim ſat longa experientia didiciſſet, altitudinem operum notabiliter impedire defenſionem, dum primis ſtatim obſeſſionis diebus ab hoſte deſtruuntur, aliis ſaltem ſalvis; ita eadem excitari vult, ut non videantur, niſi hoſte in foſſam delato.

Cap. 13 Methodum muniendi loca irregularia novam tradit. Locum ſcilicet includit vel quadrato vel parallelogrammo, iſti circumſcribens circulum, huic ovalem ex 4 arcubus circularibus compoſitam, arcuum centrum intra parallelogrammum pro arbitrio determinans, prouti ſcilicet circumſtantiæ ſingulares arcus requirunt vel magis, vel minus amplos. Hinc in circumferentiam circuli vel ovalis transfert latus polygoni 145 aut 150 circiter ſexp. operam dans, ut numerum ſexpedarum augendo vel imminuendo, totam peripheriam in æquales aut fere æquales partes dividat, atque ita circulo vel ovali polygonum muniendum inſcribit. Latus quodlibet polygoni in 5 partes æquales dividit, aſſumendo $\frac{1}{5}$ pro collo, & alas ita erigit, ut cum chorda conſtituant angulum 100 circiter graduum. Quodſi jam angulus polygoni ope inſtrumenti transportatorii deprehendatur 80 circiter graduum, longitudini alæ 17 vel 18 tribuit ſexpedas; ſi 108 gr. 20; ſi 120, 24; ſi 130, 25; ſi 135, 26; ſi 140, 27; ſi 144, 28; ſi 147, 29; ſi 150 & ultra, 30. Tandem lineas defenſionis vel ex angulo alæ, vel ex alæ ſecundariæ aliquot ſexpedarum aſſumtæ, ſi alias angulus propugnaculi foret nimis obtuſus, extremitate ducit. Ita obtinentur propugnacula ad ſenſum regularia & receſſibus commoda. Vitia inde vulgaris methodi exponit, atque inſuper monet, ſi in ſua methodo numerus propugnaculorum multiplicetur, eundem imminui, ſi utamur methodo ſuperius pro urbibus amplis muniendis tradita. Sub finem capitis caſus quosdam particulares, qui in praxi occurrere poſſunt, atque cautelas neceſſarias adjicit.

His abſolutis, c. 14 de conſtructione caſtellorum agit, quorum collis & alis eandem magnitudinem tribuendam eſſe contendit, quæ iisdem tribuitur in munimentis. Poſtquam cap. 15 defectus in munitionibus veteribus & modernis, uti jam ſuperius monuimus,

mus, notavit; methodum exponit parandi loricas nunc usitatis præstantiores. Praxin offensivam & defensivam cap. 16 declarat, & cap. 17 de operibus campestribus disserit: cap. 18 de iis tractat, quæ ad munimentorum extructionem necessaria, ac cap. 19 demum exponit, quid de urbibus mediocribus muniendis sentiat.

Subjiciuntur fundamenta quædam Geometrica, quæ Architecturæ militari intelligendæ sufficiunt.

Sächsisches Medaillen-Cabinet. Anderer Theil der Albertinischen Linie.

h. e.

NUMMOPHYLACIUM SAXONICUM. PARS SECUNDA LINEÆ ALBERTINÆ.

Sumptibus Christiani Wermuthii, numismatum Sculptoris. Prostat Francofurti ad Mœnum apud Knochium, & Lipsiæ apud Stockium, 1705. 4.

Constat Alphab. 1, plag. 16, & figuris æneis 35.

PRiorem *Lineæ Ernestinæ* tomum, in Saxonia Amplissimi Tenzelii Numismatica, alter tomus *Lineæ Albertinæ* nunc excipit, cui introitus in vicem præmittitur responsio ad Epistolam Nobilissimi Heræi, tomo Ernestino primo, ut suo loco nuper indicavimus, præfixam, in qua Noster amice admodum modo approbationem sui operis ab isto factam grata mente agnoscit, modo observationes aliquot curiosas ab eodem suppeditatas Supplemento imposterum edendo reservat, modo ad objectiones ejus nonnullas modeste respondet, ac tunc statim ad telam suam ulterius pertexendam nova cum industria se confert, sumto initio ab Electore *Christiano I*, terminoque statuto in beatissimo vitæ *Jo. Georgii I* Electoris termino.

Christiani I numismata omnium Saxonicorum elegantissima appellat, & post exhibita illa, quæ Christiani effigiem Patris Augusti imagini junctam sistunt, ea recenset, quæ in nuptias hujus cum Sophia solenniter celebratas cusa fuerunt; a quibus tamen illud discernit, quod Christianum Electorem & Sophiam Electoris

Conjugem in perigraphe nominat. Licet enim postica ostendat manus duas conjunctas e nubibus prodeuntes corculumque tenentes, inter binos rutæ ramos gladiosque Electorales, cum cæteris, addita inscriptione: NIL CHARITATE DULCIUS FIDEQUE NIL CELEBRIUS; alii tamen, quam nuptiali, occasioni nummum istum destinatum censet, & charitatis fideique laude Conjuges hos Electorales celeberrimos esse apud Scriptores, memorat. In rebus ad solum Electorem attinentibus, nummos iconicos cum illius tantum effigie distributos fuisse observat, interque hos primo loco illum nominat, in cujus adversa, gallina Hennebergica insignibus Electoralibus primo omnium addita conspicitur. Illud numisma, cujus postica duos habet leones erectos sibique oppositos, qui dextrum pedem anteriorem conjungunt, sinistroque alter scutum Electorale, alter Ducale tenent, imminente pileo Electorali, sub quo symbolum tribus lineis: FIDE. SED. VIDE. haud dubie respicere ait homagium, quo Electoratus Ducatusque Saxonicus (quantum hujus possedit Elector) stipulata manu & juramento, arctissime A. 1586 novo Principi conjuncti fuerunt. Pariter ad homagium pertinere; innuit oviforme illud, quo Electoris icon solita inscriptione decoratur, aversa autem virtutes Principem subditosque decentes nominat & conspectui exponit, Concordiam puta, Justitiam & Prudentiam. Anno 1587, die 6 Februarii, Rudolphus II Imperator Electoris Christiani Legatis feuda Imperii contulit. Qua occasione aureum Numismatum genus, in Domo Saxonica nondum hactenus receptum, abs eo illatum fuisse dicit, cujus duas figuras exhibet, in quarum utraque effigies quidem congruit solita forma, inscriptione, annoque 1587 notata, aversa autem utrobique crucem sistit majusculam, in cujus quatuor angulis minor nummus quatuor habet insignium scuta, gladiis Electoralibus, serto rutaceo, leone, aquilaque signata. Major quindecim provinciarum parmulas per circuitum sibi invicem opponit. Quærit ergo, undenam hæc crux in medio? & secus, atque alibi fecerat, respondet, cum hæc aurea numismata ad aureorum Portugallicorum pondus decem ducatorum accedant, cruce eadem non immerito pariter notari. Hinc quæ cusa fuerint numismata in Diætas vel Comitia Provincialia ab eodem Electore instituta, me-

memorat. Occaſione ducatorum, in quibus Elector armatus ſtans conſpicitur, communiſſimum *Ducatorum* nomen in lectoris gratiam explicat, iſtudque non a Ducibus, ſed a moneta Ducatus Apuliæ, cuſa a Rogerio Rege Siciliæ A. 1140 & Ducatus nomine inſignita, derivat, quæ poſt ſub Joanne Dandulo, qui Ducatum inierit A. 1280, auro expreſſa, & ab adjecto lemmate: *Sit tibi, Chriſte, datus, quem tu regis, iſte DUCATUS*, nomine hoc vulgari nuncupata fuerit. Notabilis eſt nummus, qui novendecim provinciarum parmulas per circuitum diſponit; ex eo enim Autor Nobiliſſimus conjicit, Chriſtianum Electorem eo jam tempore, A. 1590, inſignia Juliaci, Cliviæ, Montium, Marcæ & Ravensbergæ, citra cujusquam contradictionem, inter ſua collocaſſe. Tandem ad nummos Chriſtiani Electoris exequiales venit, horumque tot genera, quot Principum Saxonicorum nulli, vel ante vel poſt, eidem obveniſſe innuit, & quid circa illos obſervandum veniat, pererudite explicat.

Poſt Chriſtianum, numiſmata ſequuntur trium fœminarum, utpote *Sophiæ* Electricis, & duarum ex ejus filiabus, *Sophiæ*, Duciſſæ Pomeraniæ, & *Dorotheæ*, Abbatiſſæ Quedlinburgicæ, quarum illam ſeniorem filiarum Chriſtiani ſuperſtitum, hanc autem minimam fuiſſe conſtat. Sed circa hæc Lectorem haud detinebimus, cum potius *Chriſtianus II* ad ſe nos vocet. Or ius ab ejusdem homagialibus Noſter, inter hæc & iſtud refert, quod trium Principum fratrum imaginibus decoratum, in averſa Dresdam repræſentat, cum ponte celebri Albi impoſito, ſupra quam volans Angelus ſchedulam tenet, cujus lemma: DA PACEM DOMINE; ab altero ſchedulæ extremo dependet ſcutum Electorale, & ab altero Ducale Saxonicum, quod numiſma equidem alibi, ex aliorum opinione, ad Ordinem novum a tribus illis Fratribus fundatum retulit, heic vero aliud huic Ordini ſeu Societati peculiariter conſecratum proponit. In duobus aliis non tres amplius icones, ut in præcedentibus, ſimul exhibentur, ſed una facie, ſolius Electoratus hæredis Chriſtiani, & ſub ea parmula gladiorum Electoralium ſiſtitur; altera duorum reliquorum Fratrum, quorum capitibus imminet rutæ Saxonicæ ſcutulum. Cauſam eſſe notat, quod primogenitus regimen Electorale proxime eſſet ſuſcepturus, ſed

priusquam id fieret, trium nomina inscriptionesque antecedentium numismatum retenta fuisse addit, apposito Anno 1601. Inspergit hoc loco quædam de numismate iconico, tam nomine, quam anno destituto, in quo tamen Christiani facies habitusque satis apparet, & in postica Alexandri M. caput conspicitur. Quam conjunctionem nemini miram videri posse judicat, qui cogitaverit, Christianum suo tempore in exercitiis equestribus paucos habuisse pares, indeque apud exteros etiam commendatum fuisse. Quanquam & fortassis respectus habitus fuerit ad formam humana pene augustiorem Alexandro tributam, & in Christiano nostro reapse quoque observatam. Ex quo Christianus, die suo natali, 23 Septembris, anno 1601, Electoratum susceperit, numisma cusum memorat, quod inter alia depromatum referat ex Prov. IX, 10, lemma: INITIUM SAPIENTIÆ TIMOR DOMINI; quod dictum noster præcipue adamaverit, & symbolum sibi constituerit, & albis præterea sæpius inscripserit. Multus dehinc Amplissimus Autor est in describendo illo nummo, qui in testimonium administrationis Electoratus, a Friderico Wilhelmo summa cum laude peractæ, cusus fuit, & hinc in describendis homagii occasione anno 1601 vulgatis pergit, feudorum quoque susceptionem in thaleris memoratam allegans. Inter reliqua imprimis oculo attentiori lustrari merentur, quæ pacificum Christiani II animum, variis in casibus heic latius recensitis declaratum, manifestant, & aliud, quo summa summorum tunc in Imperio Romano Principum cum Electore hoc pacifico concordia significatur. Numismata exequialia quatuor dum delineare aggreditur, famam Electoris prius vindicat adversus communem, sed atrocem calumniam, eum obiisse inter pocula. Quanquam enim negari non possit, ab adolescentia illum, potationibus, ab aliis tamen potius seductum, quam proprio instinctu actum, indulsisse, acri etiam censori, Danieli Eremitæ, propterea notatum; hocce tamen erratum humanum tandem agnovisse illum plurimumque correxisse monet, prout & die emortuali sacrum sermonem attentis auribus perceptum in prandio repetierit, cumque cœnantem apoplexia pridem ab ipso prædicta corriperet, pia aliquot suspiria devotus emiserit.

Antequam ad novum Electorem progrediatur, in hisce num-

nummis indagandis atque exponendis felicissimus Autor, decem interspergit numismata *Hedwigis*, Christiani II conjugis, & aliqua *Augusti*, fratris Christiani natu minimi, sed qui ante medium Johannem Georgium, multis annis improlis obiit, ac Elisabethæ, hujus uxoris, numismata repræsentat; post quæ cum suis longo ordine introducitur *Joannes Georgius I*, unicus Albertini stemmatis propagator, sine quo id plane exaruisset. Hic A. 1601 iter Italicum aggressus est, pro cujus felici introitu cusum Noster autumat numisma, Principem sub ignoto habitu peregrinatum referens. In postica Angelicus quasi Comes scutum Saxonicum palmarium tenet, addito symbolo: SCOPUS VITÆ MEÆ CHRISTUS. In ejus ex Italia reditum, sub Februarii finem A. 1602 feliciter factum, cusum ait numisma, in quo iconi adjiciatur distichon: *JOHANNES, Itala rediens tellure, GEORGI, Dux Saxo, tali frontis honore cluens.* Postica nullam habet epigraphen, sed annum solum 1602 penes insignia, quæ inter Burggraviatus Magdeburgensis scutum est, soli alias Electori proprium, forte non sine futuræ successionis omine. Post nuptiale, quod conjicit, numisma, proximum statim locum nanciscitur exequiale in primam Johannis Georgii conjugem *Elisabetham Sibyllam*, Friderici, Ducis Würtenbergici, filiam; sed luctum mollit connubiale in nuptias cum secunda conjuge, *Magdalena Sibylla*, Alberti Friderici, Marchionis Brandenburgici, lineæ Borussicæ, filia celebratas. In numismatibus Vicariatus Imperii, post mortem *Rudolphi II* a Johanne Georgio administrati, testibus tam felicem se fuisse Autor innuit, ut non solum integros, dimidios, quadrantes & semiquadrantes Imperiales, auro etiam expressos, cum minori aureo nummo, repererit, sed triplicia quoque numismata iconica oviformia, diversæ magnitudinis, ad appendendum inservientia, quæ bona fide heic communicat. Qui ulterius perlustrare Electoris hujus numismata voluerit, mox aliqua ad sagittariorum exercitium A. 1614 spectantia, mox Jubilæo primo Evangelico A. 1617 celebrato destinata alia, mox pietatis in matrem testimonium præbentia non una conspiciet. Diversa hinc sequuntur elegantissimaque, quæ Vicariatum Imperii, ab Electore secunda vice, post *Matthiæ* Imperatoris mortem, A. 1619 susceptum

ptum, memoriæ sempiternæ consecrant. Tacemus plura, quæ largo heic cumulo subministrantur, haud ubivis certe obvia. Magnam illa partem religionis curam, quæ in Electore hoc plane singularis fuit, respiciunt, nec possumus, quin ex tot aliis huc pertinentibus, duo allegemus, Dadleri artificis manu fabrefacta, eandem habentia aversam. Urbem namque sistunt Lipsiam, in forma quadrata sculptam, supra quam duo Angeli maximum tenent clypeum, in cujus fastigio nomen Dei Ebraicum, *Jehovah*, radiis multis illustratum comparet, respiciendo forte verba Psalmi LXXXIV, v. 12: *DEUS est Sol & clypeus*. Ab uno clypei extremo scutum Electorale cum gladiis, ab altero Ducale Saxonicum rutæ trabiumque dependet. Perigraphe rhythmis absolvitur his Germanicis: CHURFürst HANS GORG ZU SACHSEN GUT. FUR GOTTES EHRE WACHEN THUT. UND HALTET HIER EINEN CONVENT. GOTT GEB DRAUF EIN GEWUNSCHTES END. hoc est: *Johannes Georgius, optimus Saxoniæ Elector, pro gloria Dei invigilans, Conventum hic agit, quem Deus ad optatum perducat finem.* Aversa quoque eadem est, excepta subscriptione, in altero Numismatum deleta. Figuræ fabulam innuunt, qua Hercules puer a Virtute ad Apollinem Mercuriumque deducitur; ad significandum, Lipsiam & Academia & Mercatura celebrem, juventutique liberum esse, alterutri pro lubitu accedere. Quorsum & perigraphe spectat: ALCIDI PUERO VIRTUS EN MONSTRAT, (Apollinem & Mercurium) AITQue: QUI PLACET, HUIC DICAS: TU MIHI CARE PLACES. Quare autem verba alteri Numismati subscripta, AD UTRUMQue, in altero deficiant, aliis inquirendum relinquit, & de cætero nummum hunc in memoriam conventus Lipsiensis A. 1631 inventum fuisse docet. Bella post hunc conventum ab Electore fortiter gesta, innuunt sequentium numismatum haud pauca, quanquam & restitutam terris Saxonicis pacem alii læto omine insinuent; quam idem Dadlerus sculptor duobus celebrans numismatibus, alterius aversam eodem Lipsiæ typo, quem descripsimus, signavit, ut initium finemque belli in Saxonia uno quasi obtutu sisteret. Elegantissimus, & qui exequiales Electoris ejusque Conjugis nummos proxime antecedit, ille

ille est, quem in recordationem Transactionis Passaviensis A. 1655, in instituto tum solenni Jubilæo, publicari fecit Elector pientissimus, in cujus memoria æternum benedicta heic cum Autore acquiescimus.

ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΣ ΠΕΡΙΗΓΗΣΙΣ.
h. e.
DIONYSII ORBIS TERRÆ DESCRIPTIO. EDIta a GEORGIO HENRICO URSINO, Gymnasii Ratisponensis Rectore & Prof. Publ.

Typis Joh. Georg. Hofmanni, 1705. in 8. Alph. 1. plag. 14.

INter alios bonos auctores, post restitutas literas a Viris eruditis in lucem protractos, hujus quoque Dionysii carmen sæpissime typis impressum fuit. Ipse Clarissimus Ursinus non diffitetur, editiones hujus operis triginta & amplius numerari posse, quarum numero optandum sane esset accessisse Doctissimi Salmasii annotationes, quas ad Spartiani Severum c. 15 promisit quidem, verum aliis forsan negotiis distractus, fidem non liberavit. An Erasmi Schmidii ad eundem Observationes prodierint in lucem, nec ne, variantibus Doctorum ea de re testimoniis, incertum esse Editor noster ait. Ex quibus tamen omnibus nullam aliam inspexisse mallet, quam novam editionem Anglicanam, ab Ed. Thwaite, Collegii Reginæ Socio procuratam, glossisque Græcis interlinearibus & paraphrasi veteris Scholiastæ e MSCR. primum prolatis auctam. Quamvis itaque actum agere videri posset Doctissimus Ursinus, hoc tamen ipsum non deterruit, quo minus elegantissimo pariter atque utilissimo huic poemati expoliendo, suam quoque manum admoveret, inprimis cum muneris ipsi incumbentis ratio, eorumque auctoritas, quorum voluntati refragari religioni sibi ducit, hoc quasi jure suo ab ipso postularent. In limine statim libri, de ætate atque patria Dionysii nonnulla præfatur, ubi Eustathii errorem refellit, qui ad vers. 350 eum sub Nerone floruisse contendit, nec non eorum, qui Plinii auctoritate decepti, eum Augusto coævum fuisse crediderunt. Quamvis enim ultimæ huic sententiæ Viri doctissimi, Valesius, Harduinus, Pinedo & Vossius una-

nimi consensu subscribant: quantopere tamen isti rei literariæ principes ex hac parte fallantur, Clarissimus Editor, id quod Salmasium omnium primum observasse dicit, ex v. 208, 209 & 210 abunde evincit, utpote in quibus excidii Nasamonum Dionysius mentionem fecerit, quod sub Domitiano demum contigisse, Aristides, Eusebius & Zonaras memoriæ prodiderint. Nec magis probat sententiam Hilli, sub Domitiano, vel paulo post, Dionysium vixisse, exinde colligentis, quod excidii Nasamonum tanquam recentis meminerit: hoc enim argumentum minus firmiter concludere, propterea quod apud Poetas usu receptum sit, res ante multa tempora gestas, quasi adhuc recentes, atque vivis coloribus lectorum oculis repræsentare. Ac proinde Ursino omnium maxime cum Salmasio probabile videtur, Dionysii ætatem ad Divorum Fratrum Marci & Veri tempora referre; id quod exinde potissimum confirmare studet, quod non unius, sed plurium Imperatorum, sub quibus vixerit, v. 355 mentionem faciat, *ἡμῶν*, inquiens, *μέγαν οἶκον ἀνάκτων*. Quod enim Scaliger hæc verba de Severo patre ejusque filiis Caracalla & Geta acceperit, ad hæc usque tempora Dionysii ætatem minus commode rejici, Ursinus existimat. De patria ejusdem varias itidem esse Virorum doctorum conjecturas, quæ tamen multis dubiis adhuc sint obnoxiæ. Quamvis enim ex multis circumstantiis satis probabiliter colligatur, eum ex Græcia oriundum fuisse, attamen quæ urbs Græciæ patria ipsi obtigerit, vel propterea neminem indicare posse, quod Suidas Περιηγήσει Οἰκουμένης Dionysio, modo Milesio, modo Corinthio, modo Samio aut Rhodio, modo Byzantino tribuat, adeoque hac de re judicium omnino suspendere, Ursinus tutissimum esse censet. Jam quod ad ipsam hanc novam editionem attinet, Editor noster Carmini Auctoris, ejusque versioni ab Henrico Stephano profectæ aliquot locis mutatæ, systema figurarum in eo ac troporum, Guilielmi Hilli Angli opera concinnatum, a se interpolatum passim auctumque adjunxit, cum indice vocum & rerum rariorum notatuque digniorum, omnium item nominum propriorum satis prolixo. Notas quidem addere sese ab initio non constituisse ait; cum vero animadverteret, Doctissimum Hillum, cujus operam in Dionysio exornando alias minime inutilem

ipse

ipse agnoscit, tenebras nonnunquam & sibimet & aliis offudisse, atque Eustathii errores consectantem in non leviores ipsum fuisse prolapsum, hunc quoque laborem adire non detrectavit, adeoque notas subjunxit, in quibus primo id agit, ut versionis lectionisve a se mutatæ aut mutandæ rationem reddat, deinceps dubia quædam explicet, atque obscura illustret, quorum uberior explanatio tum ipsi auctori, tum Geographiæ veteri, clarissimam sane lucem fœneratur.

ΑΝΑΚΡΙΣΙΣ *APOCALYPSIOS JOHANNIS APOstoli, auctore CAMPEGIO VITRINGA, Theol. & Hist. S. Prof.*

Franequeræ apud Franç. Halma, 1705. in 4to.
Constat 7 Alphab.

MAgnum sane est, quod tentavit Reverendus Auctor, *ἀνακρίσει* submittendo Oraculi hujus, Divini utique ænigmatis, evolutionem, quam tot implicatam esse ipsemet fatetur controversiis, ut ex ipsis adeo interpretibus toties a se diversis, atque inter se pugnantibus, plus tenebrarum quam lucis sibi fœnerata videatur. Tantis vero scrutinium ejus etsi obstructum fuit difficultatibus, nulla tamen re ab opera tam honesta tamque salutari deterreri se passus est, imo ipsa potius Prophetiæ obscuritas studium ejus inflammavit, maxime cum optime intelligeret, culpam, cur minus dextre hactenus explanata sit, penes eos esse, quorum ingenii acies vel affectuum motu præjudiciorumque violentia fracta hebescit, vel absque digna tam sancto labore præparatione & debita rerum huc spectantium notitia, meditationi applicatur. Ipsam enim Prophetiam haud adeo obscuram esse, ut certa neutiquam dari queat ejus expositio, in qua melior & prudentior Christianorum pars consentiat; non obstante, quod tota emblematibus sit referta ejusmodi, quæ ob rerum in Ecclesia gestarum divitias, æquo jure, tam huic quam illi eventui accommodari posse videantur. Quamobrem id potius dedit operam, ut boni piique interpretis oraculorum divinorum officium omnibus suis numeris & partibus perficeret, sollicitus unico de vera & propria ad interpretandas prophetias clavi, & ea præsertim, quæ oraculi hujus Apo-

stolici penetralia sibi panderet ac recluderet. Clavis autem instar sibi elegit communes quasdam hypotheses, de libri hujus divini scopo, argumento, tractandi modo ac orationis indole, quibus tanquam basibus ac fulcris totum enarrationis ædificium superstrueret, exemplo *Josephi Medi*, cujus tamen *Clavim Apocalypticam* non omnino approbat. Cæterum hypotheses has ut dextre exploraret, solide demonstraret, apteque visis a Johanne suo quasque loco applicaret, præter frequentem & attentam Apocalypsios lectionem, tria adhibuit principia. Aliquem locum, uti ipse differit, fecit *rationi*, quatenus ea ex suis axiomatibus probabile a minus probabili docet discernere; præcipuum *characteribus* ejusmodi *expressioribus*, qui prophetiæ demonstrant scopum, aut quædam mundi tempora vel casus Ecclesiæ extantiores clarius designant, quosque adeo contemplari licet, ut vestigia veri in obscurioribus facile indagandi; tertium denique *collationi* tum affinium Veteris Testamenti prophetiarum, ad quas in hoc libro alludatur, tum variarum ipsius prophetiæ partium parallelarum. Cum vero plures dentur interpretandi ænigmata Apocalyptica suppositiones, præmisit unicuique hujus libri pericopæ majori Ἀνάκρισιν, in qua aliorum, quæ specie quadam probabili se commendant, sententias modeste discutit, suam vero ulterius exponit atque adstruit, data lectori copia, ut interposito proprio judicio, eligat quam repererit solidissimam. Non ingratum B. Lectori futurum speramus, si breve systematis hujus Apocalyptici, tanta cum cura elaborati, schema heic apponatur, quo penitius aliquantisper in singulares Interpretis nostri hypotheses penetrare valeat. Scilicet ponderato sub initium prologo Apocalypsios, omnia Johannis visa in duo dividit genera, quorum *prius* exhibet statum Ecclesiæ catholicæ interiorem, per omnia tempora, sub emblemate Ecclesiarum Asiaticarum septem, a Cap. I, 8, usque ad Cap. IV; *posterius* tria comprehendit visa, quæ maxime statum Ecclesiæ in his terris exteriorem respiciunt. *Primum* repræsentat generaliora & notabiliora Ecclesiæ fata, ab ortu Christianismi & præcipue a temporibus Trajani, ad seculi usque consummationem, a Cap. IV ad vers. 2 Cap. VIII. *Alterum* exhibet septem tubicinia, quibus mala varia describuntur, Romano Imperio, Ecclesiæ Christi inimico, in pœnam a Deo de-

destinata, inque Imperii hujus totali excidio terminanda, hinc usque ad Cap. XI. *Tertio* fata Ecclesiæ, quorum in prophetia duorum postremorum tubiciniorum facta erat mentio, uberius declarantur, quod in quatuor iterum distribuitur partes. Harum (1) ortum & characteres *bestiæ Romanensis* sanctorum persecutricis depingit, Capp. XII. XIII. (2) bestiæ & *Babylonis spiritualis* interitum delineat Capp. XIV. XV. XVI. XVII. XIIX. XIX. (3) agit de *millenario* sanctorum & martyrum *regno* cap. XX. (4) de sponsa Christi, *nova Hierosolyma*, subjecto totius libri epilogo, Capp. XXI. XXII. Vel ex hac patet delineatione, eminere inter Clarissimi Auctoris hypotheses Coccejanam de septem Ecclesiæ Christi periodis, quam omnigenæ doctrinæ floribus ornatam evehere tentavit ad summam probabilitatis ἀκμὴν, totusque in eo est, ut enervet, quæcunque hactenus a præstantissimis interpretibus sententiæ huic opposita fuerunt, non exigui ponderis argumenta. Quin ulterius videtur progressus, quam cæteri systematis periodorum septem defensores, dum emblema Ecclesiarum Asiaticarum tantum interiorem Ecclesiæ statum repræsentare statuit, visa autem Johannis reliqua accommodat fatis Reipublicæ sacræ exterioribus. Id quoq; præ aliis adverti voluit, cum compluribus totius libri ænigmatis lucem affundat, bestiam geminam Cap. XIII depictam typum esse Imperii Romani, verum non Papalis, uti omnibus fere Protestantium Ecclesiarum Doctoribus videtur, sed Gentilis, ex mente Bossueti, cujus se vestigia pressisse, candide fatetur. De mille annorum regno sentit, imaginem quidem aliquam illius extitisse circa Constantini M. tempora, & præludia quædam tempore reformationis, præcipuum tamen prophetiæ hujus implementum adhuc exspectandum esse. Ipsam autem felicitatem & tranquillitatem, qua Ecclesia mille annis fruetur, publicam tribus comprehendit momentis. Primo ligabitur a Christo Satanas, ne gentiles superstitionis atque idololatriæ amore, veræ autem religionis odio inflammatos, impellat ad sæviendum amplius in Ecclesiam; atque adeo interea cessent & publica, quæ eam extrinsecus infestet, persecutio, & falsa, qua intra se affligatur, religio. Dein vindicata in libertatem Ecclesia eriget iterum, secundum antiquæ Apostolicæ disciplinæ præscriptum, sua presbyteria & synodos, in quibus pii, pruden-

dentes & spiritualium rerum intelligentia præditi Doctores, cum honore, qualis veris Christi discipulis debetur, considebunt, & collatis sententiis de regni Christi utilitatibus deliberabunt. Demum qui ut hæretici ab Imperio Anti-Christiano publice damnati & flammis sunt addicti, resurgent ita, ut a calumniis illorum vindicetur fama, & tanquam veri Dei ministri in Ecclesia celebrentur, aliisque exemplo proponantur ac commendentur.

ADAMI CORTREJI OBSERVATA HISTORICO-Politica ad Artic. IV Pacificationis Riswicensis, de abolitione Unionum ac Reunionum Gallicarum in Germania, deque Religionis Catholicæ observantia juxta normam Pacis Osnabrugensis, non Riswicensis, dijudicanda.

Magdeburgi, apud Jo. Dan Mullerum, 1705. 4.
Constant 16. pl.

QUi per plurima lustra illustrandæ Jurisprudentiæ Publicæ non minore labore quam gloria incubuit, Consultissimus Autor, feliciter tandem absolvit Corpus Juris Publici, in quo non modo Leges Imperii fundamentales omnes, sed & Ordinationem Executionis Imperialis, Matriculam Imperii, & Concordata Nationis Germanicæ, quoad singula capita singulosque paragraphos, Observationibus Historico-Politicis illustravit. Quod sicuti integrum sex tomis grandioribus propediem in publicam lucem proditurum speramus, ita ex Observationibus Historico-Politicis ad Artic. IV Pacis Risvvicensis, quas hoc loco L. B. exhibemus, non fallaci præcipimus conjectura, quanta ex illo ad publicam rem utilitas sit redundatura. Prima pars hujus tractationis ad Reuniones Gallicas spectat; altera agit de exercitio Catholicæ religionis in Germania, ad normam Pacis Westphalicæ redigendo. Primum itaque ostendit, inanes & injustos esse Gallorum conatus, quibus omnem fere Germaniam ad patrimonium Regum Galliæ pertinere somnient, cum post institutam & juramento confirmatam nepotum Caroli M. ex Ludovico Pio divisionem, Germania sui juris esse cœperit, ac regnum Francorum Orientale ab

ab Occidentali distinctam constituerit Rempublicam. Frustra ergo esse Gallos, qui demum extincta stirpe Carolina, Germanos Galliæ excussisse jugum asserant, nec posse ab iis divisionem legitime factam, ac tanto temporis munitam spatio impugnari, cum immemorialem præscriptionem inter diversas gentes justam possessionem reddere, non Juri solum naturali, sed & Gallorum legibus sit conveniens. Recenset deinde, quas ditiones sub Unionis prætextu, contra Pacificationis Monasteriensis & Neomagensis tabulas, Rex Galliæ invadere tentaverit, ac summam æquitatem Articuli IVti Instrum. Riswic. Pac. ostendit, qua restitutionem omnium locorum, sub inani hac specie Unionis a Gallis occupatorum, injungit. Transit hinc ad alteram partem IVti Articuli Pacis Riswicensis, quæ de toleranda religione catholica in locis a Gallo restituendis constituit; ubi docet, quo consilio vel dolo potius Galli clausulam hanc dicto articulo annecti voluerint, quam acriter hisce conatibus Protestantium Legati restiterint, ac quam perspicue clausulam istam legibus Imperii contrariam esse ostenderint. Integra legi hoc loco meretur Illustrissimi atque Excellentissimi Legati Electoralis Saxonici, *Christophori Dieterici Bosen*, accurata ac elegantissima Relatio, nomine Legatorum & Plenipotentiariorum Augustanæ Confessioni addictorum, ad Corpus Evangelicum in Comitiis Ratisbonensibus, quam prolixe Autor noster pag. 78 seqq. exhibet. Nec minus materiam hanc illustrat Protestantium Repræsentatio Ratisbonæ facta, qua se nolle obligari Clausula hac iniquissima, declararunt. Tandem quid occasione hujus articuli Gallus in civitate Mompelgardensi militari manu exequi sustinuerit, quid Protestantes in Comitiis Imperii ea de re monuerint, summa fide ac diligentia Autor recenset, spemque componendi dissidii ex arbitrio partium utriusque religionis, in Electorem Moguntinum & Saxonicum, Ducem Magdeburgicum & Neoburgo-Palatinum, ac Coloniam & Ratisbonam collato, ostendit.

JO. MARCKII HISTORIA PARADISI ILLUstrata Libris IV.

Amstelædami, apud Gerardum Borstium, 1705. 4.
Alph. 5. plag. 3.

Mul-

Multa sunt industriæ peculiaris ac eruditionis specimina, a Doctissimo Marckio proximis XXIV annis edita, e quibus Disput. de Sibyllarum carminibus A. 1683 p. 389, Exercitationes Juveniles A. 1687 p. 377, Exercitationes Textuales A. 1694 p. 234, Commentarium in Hoseam Tomo III Supplem. p. 123, aliumque in Joelem, Amosum, Obadiam & Jonam ibidem pag. 325 recensuimus. Monet Clarissimus Auctor in præfamine, se, cum in Franequerana Academia versaretur, A. 168. hujus libri fecisse initium, sed multopere impeditum nunc demum illum absolvisse, adeoque ex opere ejusdem argumenti erudito, quod apud Batavos prodierit (*Salomonis van Til* de Situ Paradisi librum, A. 1704 Actorum nostrorum p. 480 seqq. excerptum, dubio procul intelligit) nec sumsisse notabile operis sui augmentum, nec per dissensum suum laudibus ejus aliquid voluisse detrahere. Quatuor vero libris rem omnem tractavit, ut quicquid ad primam humani generis historiam, explicandaque Geneseos capita secundum ac tertium, spectat, simul cum Paradisi descriptione exponat, eo quod in Paradiso, vel prope eundem gesta sint. Quæ ad Paradisum proxime pertinent, Liber primus exquisite tradit, refutatque initio Philonem, Ambrosium, ac Franciscum

Cap. I. Georgium Venetum, allegorice Paradisum interpretantes repu-

Cap. II. diato Historico ejus & Geographico sensu. Porro de nomine sigillatim disquirit contra eos, quibus *Eden* appellativum voluptatis nomen hic esse videtur, nec non de vocis *Paradisi* natalibus & acceptione, omnibusque expensis pronuntiat, eam nihil aliud notare,

Cap. III. quam hortos majores & splendidiores. Hinc tacto leviter Grotio, qui ad inferos Paradisi sedem Maresio retulisse videbatur, eos qui in cœlis vel aere eundem extitisse contendunt, refellit, nec

Cap. IV. minus eos, qui totum terrarum orbem, ante humani generis lapsum, Paradisum fuisse credunt; a qua tamen sententia Josephum, cui illa vulgo adscribitur, Noster argumentis aliquot absolvit, favetque mediæ sententiæ, quæ Paradisum nec angustum nimis

Cap. V. reddit, nec ad integras regiones extendit. Percenset præterea reliquas de situ Paradisi opiniones, omnesque repudiat, præter eam, quæ Steucho auctore prodiit, atque a Calvino, Huetio aliisque recens recepta est, videlicet in aliqua Babyloniæ aut Mesopotamiæ par-

parte eundem fuiſſe. Inde datis characteribus, qui inveſtigando *Cap. VI.*
Paradiſi ſitui in ſacris literis adaptantur, ſpeciatim Orientalem Aſiæ
plagam, non tamen remotiſſimam, ſed Judæis propiorem, per
קדם indicari putat; præterea Eden illud ipſum, quod a Pro- *Cap. VII.*
phetis deſcribitur, Chaldæis conterminum intelligi, Ezechielis vero
verba, in quibus Eden metaphorice adhibeatur, huc nequaquam *Cap. VIII.*
trahenda eſſe, Nicolai Abrahami cavillationes de duplici Eden exa-
minans. Agit etiam de fluvio Edenis peculiari, & capita quatuor, *Cap. IX.*
in quæ diviſus ſit, quatuor capitales fuiſſe fluvios affirmat. Atque *Cap. X. XI.*
de his non exiguo cum eruditionis Geographicæ apparatu, per ali- *XII. XIII.*
quot capita tractat, Euphratis Tigridisque appellationes, fontes
curſumque ſtudioſe exponit, ac ſpeciatim, quo pacto ex voce Hid-
dekel, Syrorum Diglat, tandemque ipſum Tigris enatum ſit, re-
cenſet, nec non quænam regio Havilah ſit, quid per Bedolah &
Schoham Gen. II intelligatur? quid terra Chus ſit? &c. Quæ hac- *Cap. XIV.*
tenus prolixe tradiderat, tandem in breves quasdam poſitiones *XV.*
redigit, ſimulque refutato data opera Jo. Clerico, Paradiſum ad Jor-
danem collocante, enuntiat, Paradiſum in aliqua Chaldææ ſeu
Meſopotamiæ parte quærendum eſſe, & quidem in Euphratis Ti-
gridisque vicinia; ſpecialem magis determinationem, ex ſolidis ar-
gumentis factam, vix exſpectandam eſſe. Placet tamen illi, Piſo-
nem pro Orientali Euphratis ac Tigridis conjuncti, & in mare de-
ſcendentis alveo habendum, Gihonem vero pro Occidentali, etſi
quodnam Orientale vel Occidentale dicendum ſit, ſemel iterumque
adhuc ambigat, atque inter Calvini Bochartique partes, quarum
illas Scaliger, has Morinus Huetiusque amplexi ſunt, medium ſe
gerit. Quæ ſi cum *Salomonis a Til* cogitatis conferantur, anim-
advertes, eos in ſumma cauſæ convenire, differre vero in levioribus
quibusdam, cum Tilio Gihon ac Piſon peculiares fluvii ſint; utrisque
tamen Havila ſit Chaldæa maritima & Chus Arabia Orientalis.

His ita compoſitis, Paradiſiacæ arbores Marckii noſtri curam *Cap. XVI.*
expoſcunt, quas ad mere allegoricum ſenſum trahendas non eſſe
monet, improbatque Cocceji dictum, quod ſolæ Paradiſiacæ, non
reliquæ creati mundi arbores, cito fructus tulerint. Arborem vi- *Cap. XVII.*
tæ mavult de pluribus ejusdem ſpeciei arboribus, quam de unica
explicare. Nomen ipſum inde deducit, quod omnino præcipuam

præ aliis vim servandæ vitæ naturalis arbor ista habuerit, sed præterea signaculum spiritualis vitæ ac velut sacramentum fuerit. Propugnat etiam contra Mosen Bar Cepha, Bellarminum, ac sigillatim contra Fr. Burmanni Synops. Lib. II Cap. IV §. 12, Protoplastos arboris hujus fructus licite comedisse. *Cap. XVIII.* Inde ad arborem scientiæ boni & mali se confert, conquisitisque variis de eadem doctorum sententiis, censet, & hanc, & priorem istam, specie diversas fuisse ab omnibus arboribus, quæ hodie in orbe supersunt. Hanc ipsam quoque arborem non unicam, sed plures ejusdem generis in meditullio horti dispositas fuisse ait, nomen quoque scientiæ boni & mali, non e proleptico respectu futuræ tentationis, neque ex Satanæ tentantis verbis, neque a facultate ingenerandæ singularis scientiæ ortum pronunciat; sed a conscientia præstitæ obedientiæ, vel commissæ inobedientiæ, tanquam signaculum certissimi præmii, vel inevitabilis pœnæ, additis, (quod alibi etiam observat) vestigiis hujus historiæ in profana literatura occurrentibus. *Cap. XIX. XX.* Exposito reliquo Paradisi ornatu, de tempore plantati hujus horti disceptat, tertiumque creati mundi diem huic operi non levibus conjecturis assignat. Postremo veteres, qui Paradisum vel hodienum exstare docent, refellit, eosdemque, quod extra hanc terram illum quæsiverint, in hunc deductos errorem existimat.

Libro II hominis integri, velut Paradisi incolæ, Historia enarratur. *Cap. I.* Hic in percensendis variis humani generis appellationibus, quas S. Literæ offerunt, earumque investiganda emphasi multus est; *Cap. II.* nec minus ortum totius mortalium generis ex Adamo vindicat, confutatis diligentissime Præadamitarum patronis, a quorum perversionibus præsertim Pauli verba Rom. III, 25 liberat, simulque Franc. Burmannum refellit, docentem, Evam non eadem, nempe sexta orbis conditi die, cum Adamo creatam esse, admistis etiam variis notatu dignis de Adamo non androgyno, de polygamia vetita, atque similibus. *Cap. III.* Primi hominis corpus post hæc contemplatur, ejusque artificiosam compagem Scriptura S. duce miratur Auctor, contra illos præsertim disputans, qui giganteam corporis molem Adamo tribuunt. *Cap. IV.* Animam quoque non leviter considerat, depugnatque cum Tertulliano aliisque, corpoream eandem

dem ſtatuentibus, nec non cum Carteſianis eſſentiam animæ in generali cogitatione ponentibus, imo & cum iis, qui per traducem eam propagari credunt. De imagine Dei ſequens diſputatio agit, quæ in tribus, ſpirituali nempe animæ natura, rectitudine hominis primæva, & dominio in beſtias, conſtitiſſe dicitur. Hic Gerhardum noſtrum, imo Coccejum ſuum refutat, qui animæ facultates ad imaginem Dei non pertinere docuerunt, atque hunc poſteriorem ſpeciatim reprehendit, quod non ſolum juſtitiam primi novique hominis de jure vitam æternam adipiſcendi interpretatus ſit, verum etiam imaginem Dei in dominio brutorum plane non conſtitiſſe docuerit; tum maxime Socinianorum & Pontificiorum circa imaginem iſtam errores caſtigat. Atque hic inter alia, quæ eximia cum cura elaboravit, docet etiam, Angelis ſuo quodam modo imaginem Divinam quoque adſcribendam eſſe, Patrumque diſtinctionem inter imaginem & ſimilitudinem Dei, quarum illa remanſerit poſt lapſum, hæc perierit, repudiat. Poſt hæc de fœdere legali, quod cum Adamo Deus inierit, fuſe diſſeritur, maxime contra illos, qui cum Socinianis ac Arminianis fœdus illud paradiſiacum plane negant: in quibus Auctor primo loco dataque opera Jac. Altingium confutat, ejusque Commentar. ad Hebr. VIII, 6. & ſpecialem hac de cauſa diſſertationem, Tomo V Mantiſſæ Miſcellan. exſtantem, ſub cenſuram vocat, illique interdum Moſen Amyraldum & Burmannum, etſi tolerabilius errantes, adjungit. In iſto fœdere Filium Dei mediatoris partes egiſſe, contra Zanchium negat, & in tranſitu antiquitatem Sabbati ortumque paradiſiacum, repudiata prolepſi, contra ſuorum quosdam vindicat, oraculum Hoſ. VI, 9. de Adamo transgreſſore ſolerter interpretatus. Chriſtum a repræſentatione hominum omnium fœderali in Adamo excipiendum eſſe, quia præternaturali modo conceptus ſit, atque coram Deo potius divinæ, quam humanæ naturæ intuitu, repræſentetur ſymbolicum hujus fœderis interdictum, de non comedendo arboris vetitæ fructu, porro cum ſuis circumſtantiis Auctor enarrat; neque enim vel minima temere prætermittuntur. Adjungitur quoque contemplatio minarum Divinarum de morte, refutatis Socinianorum de mortalitate hominis integri aberrationibus, & notato iterum Altingio, qui mortem corporalem

Cap. V.

Cap. VI. VII. VIII.

Cap. IX. X. XI.

 hoc

Cap. XII. hoc loco plane non intelligi docuerat. Vitæ æternæ promissionem datam Protoplastis, contra Socinianos, ipsumque Altingium, vel hic etiam novaturientem, Auctor præterea ostendit, eundemque errorem Mosi Amyraldo tribuit, atque in eodem illum retun-
Cap. XIII. dit. Signaculum hujus fœderis præcipuum habetur arbor vitæ, imo & altera scientiæ boni & mali, quam Auctor etiam Sacra-
Cap. XIV. mentum fuisse credit. Denique exposita stipulatione & restipula-
XV. tione, inter Deum facta atque Adamum, de antiquatione ipsius legalis fœderis disquirit.

Cap. I. *Liber III* lapsus humani Historiam colligit, initio facto a variis peccati nominibus, quæ seorsim illustrantur, v. gr. עון.פשע,
Cap. II. *παρἁπτωμα.* Ipsum comestionis actum Auctor cum magna perversitate, infidelitate, superba Divinæ similitudinis affectatione, & gulæ libidine conjunctum, adeoque non adeo leviter habendum probat, non assentiens Augustino, Pererio & Burmanno, qui Adamum velut excusaturi, amori ejus erga uxorem fere omnia tribuunt, imo Coccejo indignatus, qui hac de re disputari noluit.
Cap. III. Peccatum vero Hevæ non levius fuisse eo, quod Adamus admisit, contra Bellarminum affirmat, idemque Adamo quasi *κυρίως* apud Paulum alioque adscribi, velut cum quo Deus immediate
Cap. IV. fœdus pepigerat. De culpa soli homini, nullo autem pacto de-
Cap. V. cernenti, vel non impedienti Deo, adscribenda porro differit, indeque ad Serpentem seductorem progreditur, *τὸ ῥητὸν* Codicis sacri studiose servans. Beckerum igitur, Clericum aliosque, qui literalem sensum hic rident, & ad allegorias discedunt, mascule oppugnat; comitemque illis dat Amyraldum, qui in peculiari Dissertatione soli Diabolo, sine ullo serpentis terrestris adminiculo, ten-
Cap. VI. tationem adscribit. Modum tentationis, ut reliqua fere omnia, Vir doctissimus observatis etiam levioribus circumstantiis describit, castigato Abarbanele & Simeone de Muis, qui serpentem nullo prorsus sermone usum, sed ascensu suo in arborem, & pomi esu, tales in Hevæ animo cogitationes excitasse volunt; ubi & Burmannus notatur, præter Scripturam fingens, serpentem se pro legato Dei gessisse, Divinumque ad Hevam mandatum finxisse, nec non Altingius, vocem serpentis, *eritis sicuti Dii*, explicans, *in*
Cap. VII. *cælo habitabitis.* De tempore lapsus ita sentit Auctor, ut nec ni-

nimis illud constringendum ad paucas post creationem horas, nec nimis expandendum ad plurimos post eandem dies putet, dies vero aliquos mansioni Protoplastorum in Paradiso libenter concedat. Post hæc consectaria lapsus tristissimi considerat, & primo quidem loco nuditatem foliis ficus tectam, refutatis Clerici novis inventis, nec non Altingii commento, qui Deum die septimo ab opere gratiæ versus Protoplastos exercendo quievisse, hancque occasionem peccati primi fuisse, docuerat. Sequitur terror & occultatio hominis, explicata ambulatione Dei in horto, nec non examine lapsi hominis judiciali, sententia in mulierem lata, necnon ea quam Adamus sustinuit. De dicto Dei, post lapsum Adamo similitudinem cum Divina quadam persona tribuentis, solerter admodum agit, repudiatisque reliquis explicationibus, & in his præsertim Altingiana, quod Adamus fide sua filio Dei similis fuerit, ironice verba ista esse explicanda ostendit. Ejectionem hominis e Paradiso postea contemplatur, creditque, verba Dei, *ne edat de arbore vitæ & vivat in æternum*, per continuatam ironiam explicanda esse, explodique adeo hominis ineptiam, qui nomine arboris scientiæ ad varias se spes abduci passus erat, facileque & alterum arboris vitæ nomen in sequiorem sensum, magno suo malo, rapere potuisset. De Cherubim, & observatione viæ ad Paradisum ducentis, sequenti capite disputatur; denique communia hominum mala ex lapsu orta enarrantur, & contra ludibria vindicantur, reprehenditurque Josuæ Placæi sententia, quam multis se hodie in Belgio approbare Auctor conqueritur, qui non modo proximam ac immediatam peccati Adamici imputationem in totum genus humanum neget, sed prorsus imputationem istam antecedens ac causam corruptionis esse inficias eat, ut adeo non per primum peccatum, sed propter corruptum habitum, in Adamo primum, dein in posteris ejus omnibus observatum, rei reddamur.

Cap. VIII. *Cap. IX.* *Cap. X. XI. XII.* *Cap. XIII.* *Cap. XIV.* *Cap. XV.*

Liber IV hominis lapsi restitutionem tradit. Nam initio statim monetur, Adamum de sui restauratione probabilem quidem conjecturam ex cognita Dei bonitate facere potuisse, certum vero de ea demum per Protevangelium esse factum. Porro sententia Dei in serpentem obsessum & obsessorem Diabolum simul lata, contra Beckerum aliosque vindicatur. Disseritur præterea

Cap. I. *Cap. II. III.*

 am-

Cap. IV. V. VI. amplissime de Protevangelio, semine mulieris, contritione serpentis, calcanei percussione, & valde quidem luculenter, dissolutis ubique Socinianorum strophis. *Cap. VII. VIII.* Quibus expositis tunicæ pelliceæ Protoplastorum considerantur, & nomen Hevæ datum, quod a vita terrestri, non a spirituali petitum esse, contra Martyrem, Paræum & *Cap. IX. X.* Coccejum Auctor tuetur. Denique expenso Caini nomine, quod ad fidem Hevæ spectare negat, subsecutam Protoplastorum resipiscentiam & æternam salutem contemplatur. Finem operi imponit Oratio de admirandis Christianismi propagati habita, cum Celeberrimus Auctor Spanhemio in docenda Historia Ecclesiastica succederet, in qua id præsertim ostenditur, Deum per ea plerumque subsidia Ecclesiam juvisse, quæ exigua & velut contraria hominibus videbantur.

Dabimus specimina quædam eruditissimi libri, unde de reliquis judicium facilius ferri possit. Primum sententias de situ Paradisi, quas Marckius refutat, quæque in Tiliano opere non notantur, adeoque etiam in ejus excerptis A. 1702 p. 484 a nobis datis non habentur, enumerabimus. Memorat igitur Clarissimus *p. 19.* Auctor, præter ea, quæ citato loco dedimus, quosdam cum Hug. *p. 32. seq.* Grotio Paradisum pene apud inferos quæsivisse, Strabonem Fuldensem vero eum in novo orbe, Belgam quendam apud Nicolaum Abrahamum in Belgio prope Hesdinum posuisse, quosdam apud Nubiensem in regione Sinensi; Tertullianum & post illum Th. Burnetium in terra Australi, Guilelmum Parisiensem in extremo Oriente, Abulensem ad Septentrionem, Durandum & alios Scholasticos sub Æquinoctiali, Naclantum, præter eos, quos Tilius attulit, in Palæstina, Franciscum Junium in Auranitide, Schotanum in Mesopotamia Septentrionali. Has vero opiniones non recenset solum, sed solerter examinat, una cum Theodoreti, Augustini, Hugonis, Bellarmini, Tirini, Musculi & Paræi opinione, qui situm Paradisi plane ignotum esse docuerunt.

p. 296. seqq. Contra giganteam Adami proceritatem, quam nonnulli fingunt, sic disputat: Non esse unicum ait Jo. Lucidum, qui id somniarit, sed plures veterum a Bar Cepha notatos: Heideggerum in ea quidem sententia esse, quod ratio non abnuat, Adamum

exube-

exuberante naturæ vi ad molem notabilem pervenire potuisse; id vero sibi displicere, testatur Auctor, cum a monstris, qualia gigantes sint, perfectior naturæ impetus abhorreat: imo eorundem originem Gen. VI, 1. 4 in sequiorem mundi ætatem demum referri, eosque ut fæcem mundi considerari: ea vero, quæ Jos. XIV, 15. in Vulgata exstant, *Adamum fuisse maximum inter Enakim*, ex ignorantia Ebraismi prodiisse, ibidemque nec de Adamo, nec de Abrahamo, sed de Arbeh Enakæo disseri. Quam in sententiam scriptores Romanæ factionis, Vatablum, Pererium, Cajetanum, Toletum & Torniellum cum Vulgata committit.

Singularis & notatu digna est disputatio, quam Clarissimus Auctor cum Jacobo Altingio init. Docuerat ille, tum alibi, tum maxime Epistola XXVI ad Wetstenium, mortem, quam Protoplastis minatus est Deus, nec spiritualem fuisse, hanc enim non malum pœnæ, sed culpæ, esse; nec corporalem, hanc enim proxime non fuisse lapsum insecutam; aliam igitur mortem intelligi, nempe privationem sensus favoris Divini, cum tormentis & cruciatibus, quos ira Dei infligit. Hanc & Christum pertulisse, & Protoplastos, cum vocem Dei, h. e. tonitrua horrenda audissent, ac fulgetra extimuissent: atque in eo terrore, & inexplicabilibus tormentis integram eos noctem sudasse, eaque de causa velut desperantes se abscondisse ac optasse, ut a montibus collibusque tegerentur, donec altero demum mane articulatam Dei vocem audirent. Quamplurima in his Clarissimus Marckius reprehendit. Mortem spiritualem omnino pœnam esse Numinis ait; imprimis vero declarat, cur mortis corporalis pœna ipso lapsus die Protoplastis non sit inflicta, & confictum spatium nocturni timoris explodit. *p. 457. seq.*

DESCRIPTIO MONSTRI HUMANI BICIPITIS, e literis excerpta, quas NICOLAUS BIDLOO, Czareæ Maj. Archiater, mense Septembr. A. 1705 ad Excellentissimum HUYSSENIUM &c. &c. dedit Moscoæ.

Mensis agebatur Januarius Anni 1704, cum Anilia Moscovita, militis Gregorii Boulagagou uxor triginta circiter annorum, &


& octo menſes gravida, tertio die poſt, quam gravi lapſu in glaciem impegiſſet, fœtum Moſcoæ eniteretur mortuum ſimulque monſtroſum bicipitem, ſexus fœminei. Hujus quamvis reliquæ partes extrinſecus ſpectatæ ſatis bene conformatæ apparerent, niſi quod pectus aliquantum latius eſſet, ſterno nihilominus primum remoto, tum cor, e duobus veluti conflatum, aderat cum quatuor arteriis carotidibus, a ſuperiori aortæ trunco ad utrumque caput adſcendentibus; tum pulmo duobus lobis ita conſtare deprehendebatur, ut a capite dextro ad lobum ejus dextrum, & a capite ſiniſtro ad lobum ſiniſtrum, per geminam arteriam aſperam pateret aditus, adeoque pro lubitu modo hic, modo ille lobus inflaretur, prout tubulus vel ſiniſtri, vel dextri capitis tracheæ immittebatur. Hinc abdomine inciſo, duo in oculos incurrebant ventriculi, orificiis ſuperioribus totidem œſophagis reſpondentes, inferioribus autem in unum tractum inteſtinalem eo modo deſinentibus, quo figura adjecta repræſentatur: inteſtina quippe, renes, veſica, uterus aliaque naturaliter diſpoſita, hepar ſolummodo & lien paulo majora, cernebantur. In oſſium conformationem exactius inquirere haud licebat, quod fœtus integer conſervandus eſſet, idcoque vaſa etiam omnia cera replebantur. Obſervatu de cætero dignum, ab eadem fœmina in primo matrimonio monſtroſum jam fœtum editum fuiſſe, qui figuram canis, manibus ac pedibus exceptis, retulerit, & quatuordecim ſeptimanas ſupervixerit.

Explicatio Figurarum.

TAB. II. A. Fœtus monſtroſi faciem anteriorem,
B. Poſteriorem oſtendit.
C. Pulmonem cum appenſo pericardio.
DD. Duas aſperas arterias.
EE. Siniſtrum atque dextrum pulmonis lobum.
F. Pericardium cum incluſo corde.
G. Ventriculos in naturali ſitu.
HH. Oeſophagos.
I. Dextrum,
K. Siniſtrum Ventriculum,
L. Pyloros, ubi ventriculi exeunt, exhibent.

VITA

TAB. II. ad A. 1706. M Jan. pag. 40.



VITA ET OBITUS VIRI CELEBERRIMI, JACOBI BERNOULLI, utriusque Regiæ Scientiarum Academiæ Parisiensis & Berolinensis Socii, & in Inclutæ Basileensium Academia Matheseos Professoris Clarissimi.

PRæmatura mors Viri Excellentissimi, *Jacobi Bernoulli*, non tantum Academiæ patriæ, verum & universæ Reipublicæ literariæ gravissimam attulit jacturam. Ea accidit die 16 Augusti anni superioris 1705, paulo post horam quintam matutinam, anno ætatis quinquagesimo primo. Clarissimus hic Vir, oriundus majoribus tempore Ducis Albani ob religionem orthodoxam patria Antwerpia pulsis, in lucem est editus anno vergente 1654, d. 27 Decembris, patre Viro Amplissimo Nicolao Bernoulli, Fori Judicialis & Cameræ rationum in Republica Basileensi Assessore integerrimo, octogesimoque ætatis anno etiam per Dei gratiam superstite. Excusso pulvere Gymnasii, Philosophiæ in Scholis usitatæ principia hausit ex institutione Celeberrimi Viri Joh. Jac. Hofmanni, SS. Th. D. & Historiarum in Academia patria Professoris, impetratisque in ea consuetis gradibus, animum ad studium sacrum appulit, magis tamen ex instigatione paterna, quam proprio instinctu. Interea dum juveniles anni calerent, Poesin quoque Latinam, Gallicam, Germanicam excoluit, multaque non infestive lusit, & linguis pariter sedulo operam dedit. Scientias Mathematicas ab ineunte ætate mire deperiit, dum adhuc puer ex inspectione figurarum Geometricarum secretum quoddam oblectamentum capiebat, ut natus ad studium hoc, non factus videretur. Αὐτοδίδακτος in illo fuit, nullius unquam vivi Præceptoris opera usus, quin & librorum pene omnium subsidio destitutus. Si quem sors objecerat, hunc furtim evolvebat, hancque ob causam ultra communis Arithmeticæ, Geometriæ, Astronomiæ praxin non penetravit, nescius ante peregrinationem literariam, quiddam longe præstantius haberi. In prima nihilominus adolescentia penetrans ejus ingenium eluxit in celebri problemate Chronologico, de inveniendo anno Periodi Julianæ, ex datis tribus Cyclis, Solis, Lunæ & Indictionum; quod occasione propositionis secundæ partis primæ Deliciarum

rum Mathematicarum Schwenteri, ante decimum octavum ætatis annum, proprio Marte ſolutum dedit, neſciens eo tempore, ejusdem Problematis ſolutionem a P. Billy Jeſuita, celebri Mathematico, tanquam inſigne artis ſpecimen, in Diario Pariſienſi jam antea publicatam extare. Peregrinationem ſuam iniit Noſter A. 1676, & Genevæ Eſtheram Eliſabetham a Waldkirch, a ſecundo a nativitate menſe cœcam, ſcribere docuit, Burdigalæ vero Tabulas Gnomonicas univerſales (nondum quidem editas) condidit. Peragrata Gallia domum redux A. 1680, ſuaſu amicorum, R. P. Malebranchii celeberrimum opus de Inquirenda Veritate, & Carteſii Philoſophica primum cœpit evolvere, hujusque philoſophandi modum potius quam principia approbavit, & poſtquam illuceſcentis Cometæ occaſione, ingenii quendam luſum de futura ejus apparitione, vernacula lingua edidiſſet, ſecundo Rheno Belgium petiit. Hic ſanioris Philoſophiæ & demonſtrationum mathematicarum dulcedine primum ineſcatus, Elementa Euclidea docuit prius quam didicerat, abditaque Geometriæ Carteſianæ repetitis aliquoties conatibus penetrare cœpit, mox etiam *Conamen ſuum de Motu Cometarum* in Latinum tranſtulit, ac multo quam prius auctius edidit, Tractatumque ſuum egregium *de Gravitate Ætheris* conſcripſit. Hinc perluſtrata Flandria Brabantiaque, Caletum usque pergens, in Angliam trajecit, ubi ſalutatis Illuſtri Boylio aliisque Celeberrimis Viris, Congregationi hebdomadariæ Academicorum augendis majoremque ad perfectionem perducendis ſcientiis inſtitutæ, ſemel interfuit; dein mari Hamburgum vectus, per Germaniam recto tramite patriam repetiit, & paulo poſt brevi excurſu Helvetiæ Cantones inviſit. Patriæ redditus A. 1682, eo ſtudia ſua impendit, ut publico prodeſſet; quem in finem per aliquot æſtates Collegium quoddam Experimentale Phyſico-Mechanicum aperuit, eoque primus rerum harum pulcherrimarum in Academia Baſileenſi auctor & evulgator extitit. Profecturus poſtea Heidelbergam, ubi vicaria ejus in docenda Matheſi deſiderabatur opera, domi retentus eſt per ſubſequens matrimonium, quod A. 1684 contraxit cum Stupanorum Medicorum ſuo tempore non incelebrium nepte & pronepte, e qua geminæ prolis maſculæ & fœmininæ parens factus. Tum vero Mathematica denuo ſerio tractare inſtituit,

tuit, præcipuosque Autores & suo usui legere, & inter legendum aliis explicare cœpit, unaque docendo & meditando sic profecit ipse, ut interioris Geometriæ adyta non tantum brevi recluderet, ac præstantissima tum Veterum tum Recentiorum inventa sibi plana perspectaque redderet, verum etiam propriis inventis scientiam quotidie magis magisque locupletaret ac perficeret. Mortuo postea Celeberrimo Petro Megerlino, J. U. D. & Mathem. apud Basil. Professore, ejus in locum unanimi Procerum calculo suffectus est A. 1687 d. 15 Febr. Spartam sic nactus genio suo & studiis convenientem, magno eam cum applausu & honore exornavit, omnibusque deinceps Academicis dignitatibus, atque inter eas Rectoratu Universitatis semel, & Philosophici Ordinis Decanatu ter, pari cum successu & dexteritate omniumque applausu functus est. In sua statione operam suam studiosæ juventuti ita commodavit, ut nulli eam expetenti denegarit, quamdiu corporis id vires permiserunt; hinc plures exteri tanti viri fama allecti Basileam advolarunt, docta ejus institutione fruituri. Mira in docendo pollebat facilitate, suaque dexteritate difficillima quæque Auditoribus suis ita propinare novit, ut plane nescirent, ludone an somno ea arcana didicissent. Academicis quoque debemus exercitiis egregium ejus tractatum *de Seriebus infinitis*, in quo abdita nobis pandit Geometriæ mysteria. Indies sic novis inventis augere perrexit Geometriam, eaque cum in Actis Eruditorum Lipsiensibus, ut nemo non deprehendet, qui vel indices Tomorum Mathematicos inspicere sustinebit, tum in aliis Eruditorum Diariis cum publico communicavit; quibus ita se exteris commendavit, ut A. 1699 non tantum Regiæ Scientiarum Academiæ Parisiis, & A. 1701 Berolini, utriusque noviter tum instauratæ, præter omnem spem suam & expectationem, cum Ingeniosissimo Fratre *Joanne Bernoullio*, in Groningensi hactenus, nunc in Basileensi Academia Professore Mathematum celeberrimo, fuerit adscriptus, verum etiam tum natalium splendore, tum eminentiorum munerum dignitate Nobilissimi Viri, Illustrissimus Dominus, *Rogerus Brulartus*, Marchio de Puyzieulx & Silleri &c. &c. magni Galliarum Regis ad Helveticam Gentem Legatus Excellentissimus, & Illustrissimus Dominus *Guilielmus Franciscus de l'Hospital*, Eques, Marchio S. Memii & Montelerii, Comes An-

tremontii, Dominus in Ouques, la Chaise & le Beau &c. &c. dum viveret, excellentissimus Geometra, benevolentia sua insigni cum dignati sint. Cum celebratissimis pariter in Republica literaria Viris, inter quos brevitati studentes heic loci tantum nominabimus Illustrissimum Dn. *Leibnitium*, Serenissimi Electoris Brunsuicensis Consiliarium Status & Societatis Berolinensis Præsidem, & Parisiensis ac Londinensis Socium, Dn. *Christophorum Pfautzium*, in Academia Lipsiensi Matheseos Professorem famigeratissimum, Dn. *Nicolaum Fatium Duillierium*, Regiæ Londinensis Societatis Sodalem dignissimum, arctam amicitiam coluit, crebris ab iis exhilaratus literis. Verum enim vero aliis inserviendo, se ipsum consumsit. Nam continuis suis meditationibus, totque insomnibus noctibus, quibus reconditioris Geometriæ recessus perscrutando, publico prodesse studuit, corporis contra vires ita debilitavit, ut varii periculosique morbi, cum quibus conflictatus est, insequuti sint. Podagræ enim, a qua a multo jam tempore vexabatur, febris tandem accessit hectica, cum præcedente tussi perquam violenta, quæ cum in dies magis magisque augeretur, nullam ipsi reconvalescendi spem reliquit; unde omnibus in domo sua dispositis, mortis meditationi se totum tradidit, sicque decimo sexto, ut dictum, Augusti die ærumnosam hanc vitam cum meliore commutavit. Paucis ante postremum diebus, amicos rogavit, ut *Spiralem Logarithmicam* circulo inscriptam cum epigraphe, *eadem mutata resurgo*, sepulchri sui saxo insculpi curarent, ad insignes proprietates, quas primus deprehendit, alludens, cum ea se non solum sui evolutione generet, sed etiam sui ipsius caustica existat, *seque adeo ipsam post varias mutationes* de novo *producat*; hacque in re Celeberrimus noster defunctus Archimedis exemplum imitari voluit, qui insigne suum inventum, de proportione sphæræ ad circumscriptum cylindrum, tumulo suo inscribi jussit. Inventa ejus plurima & pulcherrima, quæ in Actis Eruditorum & alibi extant, non recensemus; addere contenti, cum magnum seculi nostri inventum, *Analysis infinitesimalis Leibnitiana* prodiisset, Nostrum de usu ejus, atque applicatione præsertim ad Physico-mechanica, ex facili exemplo ab Autore exhibito (demonstratione scilicet Curvæ Isochronæ) novam subito lucem hausisse, & in eum *calculum* Ana-

Analyticum excolendum (quem *Differentialem*, eique reciprocum *summatorium* vel *integralem* vocant) magno studio & successu incubuisse, eximiis Problematibus solutis; ut inter maximos tanti inventi propagatores jure meritoque haberi possit, Leibnitiusque defuncti Amici & semper lugendi memoriæ hoc distichon consecrarit:

Infinita Tibi terris Lux fulsit in ipsis
BERNOULLI, & quisquam Te superesse neget?

VITA ET OBITUS VIRI CELEBERRIMI JOHANNIS CHRISTOPHORI WAGENSEILII, Juris Publici & linguarum Orientalium in Incluta Noribergensium Academiæ Professoris Clarissimi.

CUm non una vice Celeberrimi Viri, Joannis Christophori Wagenseilii, in Actis nostris mentionem fecerimus, non possumus quin de ejus quoque vita, summa cum laude peracta, quædam referamus. Hic insignis Polyhistor, cui incluta Noriberga anno 1633 die 26 Novembris natale solum dedit, Holmiæ prima studiorum fundamenta jecit, privati inprimis præceptoris, Jacobi Bretspecheri, doctrina usus. Cui magistro A. 1645 in Pomeraniam reditum paranti comitem se jungens, primum Gryphiswaldiam, dein Rostochium cum ipso salutavit, insequente autem anno cum parente, Georgio Christophoro Wagenseilio, mercatore spectatæ fidei, e Suecia reduce, Noribergam rediit, ac impetrato in prima Gymnasii classe loco, sub Joannis Riedneri moderamine, tanta intra trium annorum spatium spatia confecit, ut omnium judicio dignus haberetur, qui Academiam adiret. Almam Altorffinam sexto decimo ætatis suæ anno ingressus, a Clarissimorum Virorum, inprimis Ruperti, Hackspanii, Ludwelli & Georgii Königii ore per integrum lustrum indivulsus pependit, magnamque variæ eruditionis supellectilem sibi comparavit. Cujus ut & morum probe compositorum fama mox ad summos aliquot Proceres penetravit, eosdemque permovit, ut ipsius operam in formandis filiorum moribus efflagitarent. Quorum desideriis ille quoque annuit, & in peregrinatione cum Illustrissimi Sacri Romani Imperii Comitis Ernesti ab Abensperg & Traun, Sacræ Cæsareæ

Majeſtatis Conſiliarii Intimi & Inferioris Auſtriæ Mareſchalli Filio, Ferdinando Erneſto, ſuſcepta integrum fere ſexennium conſumſit, atque intra idem univerſam Galliam, Hiſpaniam, Belgium, Angliam & Germaniam perluſtravit, imo ferente ſic occaſione, e Gadibus Hiſpaniæ in oppoſitum quoque Africæ littus trajecit. Quam multiplicem fructum ex hoc itinere reportarit, noſtrum hic non eſt dicere. Id tantum notamus, quod ubique ſummorum ac celebrium virorum affectum ſibi conciliarit. Unde Taurinenſes in Academiam Incultorum, & Patavini in Recuperatorum Societatem eundem ſponte ſua receperunt. Quid quod per Johannem Capellanum, Johanni Baptiſtæ Colberto, Ludovici XIV Galliarum Regis ſupremo Status Miniſtro, commendatus, a Rege ter repetita vice ampliſſima accepit congiaria. In Gallia igitur non exiguis cumulatus beneficiis, ab eadem quoque publicum eruditionis teſtimonium, ſummum in utroque Jure axioma, impetrare voluit, eodemque in Academia Aurelianenſi d. 29 Junii A. 1665 ſolenni ritu condecoratus fuit. Quamvis autem apud exteros fortunarum ſuarum ſedem facile invenire potuiſſet, natale tamen ſolum miris illecebris eum ad ſe traxit. Noribergam itaque A. 1667 reverſus, vix officia ſua Illuſtri Noribergenſium Senatui obtulerat, cum Juris Publici pariter atque Hiſtoriarum Profeſſio in Academia Altorfina ipſi demandaretur. Quarum utramque d. 15 Aprilis feliciter exorſus ſumma cum laude ornavit, & illam quidem ad beatum ex hac vita diſceſſum; hanc autem in octavum usque annum, quo eandem cum linguarum Orientalium Profeſſione commutavit. Anno 1676 Sereniſſimus Princeps Adolphus Johannes, Comes Palatinus Rheni, Carolique Guſtavi Suecorum Regis Frater germanus, magnam ſobolem Adolphum Joannem & Guſtavum Samuelem fidei ejus curæque commiſit, ipſi vero Wagenſeilio ſplendidum Conſiliarii honorem contulit. Memorari quoque meretur, illum, cum negotiorum quorundam gratia A. 1691 iter Viennam Auſtriæ inſtituiſſet, in ſacrum conclave, iterata vice, a divo Leopoldo quam clementiſſime admiſſum, a ſummis Imperatoris Magni Miniſtris ac Proceribus clementer habitum, nec non aliis illuſtribus atque eruditis Viris admodum comiter tractatum fuiſſe. Neque ſilentio prætermittendum, quod, cum Petrus Valckenierius, Præpotentium Fœderati Bel-

Belgii Ordinum apud Helvetios Legatus, lautis conditionibus ei provinciam LL. OO. in Academia Lugdunensi publice docendi obtulisset, Noricorum cum Batavorum Athenæo commutare noluerit. Singularis hic in patriam affectus cum insignibus meritis permovit splendidissimum Scholarcharum Norimbb. Collegium, ut A. 1697 ejus munera munere Doctoris Juris Canonici adaugeret, eumque membrum ordinarium Ordinis JCtorum, & post beatum Georgii Matthiæ Königii obitum Bibliothecæ Academicæ præfectum quoq; constitueret: quod tamen munus mox insequente anno, ob ingravescentem ætatem in humeros celeberrimi sui generi, Dn. Prof. Molleri, devolvit. Inclutæ Academiæ Rectoratum pariter ac amplissimæ Facultatis Juridicæ Decanatum bis gessit. Præclara ingenii monumenta a B. Wagenseilio edita hic recensere supersedemus, cum eadem orbi litterato dudum cognita sint atque perspecta. De matrimonio ejus gemino ac morte pauca quædam adhuc adjicimus. A. 1667 d. 21 Aug. Mariam Barbaram, Friderici Praunii, Censoris Norimbergensis, & Barbaræ Oelhafiæ filiam, Jacobi Heusii, Mercatoris, viduam, sibi matrimonio junxit; atque ex ea quatuor liberos suscepit. Inter quos primus filius, Ferdinandus, biennis decessit: filia, Helena Sibylla, insigne sexus sui decus, Nobilissimo Viro, Danieli Guilielmo Mollero, Comiti Pal. Cæs. inque Academia Altorfina Metaphysices & Histor. P. P. Clarissimo, nupsit: alter Filius, Gabriel cognominatus, J. U. L. Memelii Borussorum Secretarii Regii & Advocati Ordinarii munere fungitur: filia altera, Maria Sabina, quindecim solum menses in hac mortalitate transegit. Priori hac conjuge A. 1701 e vivis sublata, nuptias secundas cum Susanna Barbara, Reverendi admodum Viri, Georgii Christoph. Langii, Diaconi quondam ad S. Sebaldi Norimbergensis relicta vidua, celebravit. Per integrum fere tori hujus quadriennium cum morbis conflictatus, superiori anno die nono mensis Octobris vitam cum morte commutavit, cum annum ætatis septuagesimum secundum, muneris autem Professorii octavum & trigesimum ageret.

SALOMONIS GLASSII S. S. THEOL. D. ET Ecclesiarum in Ducatu Saxo-Gothano Superintendentis, Philologia Sacra &c. Accessit sub finem hujus operis ejusdem Logica Sacra jamdudum flagitata, prout eandem ex manuscripto non ita pridem edidit JO. GOTHOFREDUS OLEARIUS, Superint. Arnstad. Schwartzb. Editio novissima &c.

Lipsiæ

Lipsiæ apud Jo. Frider. Gleditschium, 1705. in 4.
Alphab. 6. pl. 17.

QUantam Salomon Glassius Philologia sua sacra gloriam apud posteros sibi comparaverit, quantumque adjumentum attulerit iis, qui sacrarum litterarum studio tenentur, eruditorum nemini ignotum est. Hinc utilissimi libri editiones toties fuerunt iteratæ, quarum exemplaribus ferme distractis, Jo. Frid. Gleditschius, Vir litterariæ rei promovendæ studiosissimus, hance novam adornare adgressus est, nihilque prætermisit, quod ad Lectorum gratiam ipsi conciliandam conferre quicquam potuit. Præterquam enim quod ab erratis, quæ in priores editiones, & Batavam imprimis, irrepserant, studiose fuerit purgata, non modo chartæ ac typorum elegantia se plurimum commendat, sed & ob faciem cujusvis paginæ intersectam, quæ res legentium oculis distinctius offert, usui aptior reddita esse videtur. Cum quoque, sudante adhuc sub prelis opere, Vir Reverendus Jo. Gotofredus Olearius, Antistes Arnstad. Schwartzb. B. Glassii Logicam jamdudum flagitatam ex manuscripto ederet, haut inconsultum visum fuit, ob materiæ cognationem eandem huic editioni inserere. Promiserat eam ipse Glassius Phil. S. P. 2. sect. 1. p. 498. & quamvis adfectum potius, quam confectũ opus sit, primasque modo lineas eorum contineat, quæ doctissimus Auctor, nisi fata obstitissent, ad modum Grammaticæ atque Rhetoricæ S. latius deducere animo conceperat, quin tamen tanti ingenii partus, licet posthumus, Philologiæ cultoribus gratissimus futurus sit, nulli dubitamus. Tribus autem capitibus Logica ista sacra constat, quorum in primo de causis, in secundo de propositionibus, in tertio denique de methodo ac ordine ita agitur, ut propositis quibusdam regulis exempla statim ex S. Litteris illustrandi gratia subjiciantur. Cæterum cum prioribus Philologiæ Glassianæ editionibus tredecim indices subjuncti fuerint, quorum evolutio ac revolutio lectoribus non potuit non adferre summum tædium, majorem istum numerum ad minorem redigere, & omnia ad quatuor modo indices apte referre placuit. Primus enim Scripturæ S. loca, secundus verborum & rerum seriem, tertius Hebraicarum & quartus denique Græcarum vocum syllabum exhibet.

* * * * * * * * *

N. II.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Februarii, Anno M DCC VI.

D' AMBOINSCHE RARITEITKAMER &c.

i. e.


MUSEUM AMBOINICUM, DESCRIPTIONEM variorum Piscium, cum crustaceorum, tum testaceorum, in Mari Amboinico reperiundorum, ut & Mineralium nonnullorum, Lapidum &c. comprehendens, Autore GEORGIO EVERHARDO RUMPHIO, Hanovienſi, Mercatore & Conſiliario Amboinico, itemque Academiæ Nat. Curioſ. Membro, PLINIO INDICO dicto.

Amſtelodami, apud Franciſcum Halmam, A. 1705. in fol.

Conſtat Alph. $4\frac{1}{2}$ & Figurarum Tabulis 60.

Quanta ſedulitate Nobiliſſimus *Rumphius* ab eo tempore, quo in Moluccarum inſulam, quam Amboinam vocant, delatus atque in hac commoratus fuit, omnes res Amboinicas naturales curioſius indagare, ſingulas delineare atque Latine conſignare cœperit, ex literis, quas ille A. 1680 ad Celeberrimum *Mentzelium* perſcripſit, quasque una cum aliis Experientiſſimus *Valentini Muſeo Muſeorum*, a nobis A. 1704 *Menſe Auguſto* recenſito annexit, innotuit dudum. Neque curam earundem tunc, cum oculorum uſu per guttam ſerenam privaretur, ita abjecit, quin confuſius collecta ſubinde aliorum adjumento in ordinem redigeret, certasque ob cauſas in linguam Belgicam transferret, ut rariores demum plantas libris decem, ac quinque libris animalia terreſtria & aquatilia, nec non con-

chylia marina, lithodendra atque mineralia nonnulla, complectetur. Quamvis vero ambiguum adhuc potuisset videri, num tales omnes aut saltem eorum aliqui lucem aspecturi sint, quod *Autor* in Inclytam Naturæ Curiosorum Academiam A. 1683 receptus, atque *Plinius Indicus* cognominatus, tanto temporis intervallo nonnisi observationes quasdam, in celebratæ *Academiæ Ephemeridibus*, speciatim *Decuriæ secundæ Anno primo, tertio, quarto, quinto & septimo*, itemque *Decuriæ tertiæ Anno quinto & sexto* divulgaverit; dubiæ nihilominus expectationi præsens nunc *Museum Amboinicum*, veluti *tres* postremos libros tanquam totidem *partes* continens, quodammodo satisfaciet. Dissimulare quidem non licet, hocce typis exscribendum jamjam a *Nostro* A. 1699 Amplissimo *Henrico d' Acquet*, Delphorum Consuli meritissimo atque Medico Experientissimo, transmissum & inscriptum fuisse, quia figuræ tamen aliaque, in illo quæ desiderabantur, opera Curiosissimi *D. Simonis Schynvoet* suppleri prius debuerunt, prelum industrii *Halmæ* vix citius egredi, nec impediri interea potuit, quo minus ipse *Autor*, sagacissimus naturæ scrutator, in effigie a Filio delineata & in frontispicio repræsentata, octo supra sexaginta ætatis annos numerans, ultimum naturæ debitum persolverit. Nempe quemadmodum in *totius Operis*, ingenti elegantissimarum figurarum numero referti, *parte prima*, ex rebus naturalibus circa Amboinam aliasque insulas confines reperiundis, pisces crustacei sive malacostraci cum zoophytis, in *secunda* testacea seu ostracoderma, & in *tertia* nonnulla metalla, terræ, lapides & lapidefacta quamplurima, succi ac diversa curiosa sistuntur descripta, ita ad calcem multorum capitum, singulas partes contexentium, a solertissimo *Schynvoet* Notæ discrepantibus typis habentur subjunctæ, in quibus rerum propositarum nomina Belgis solennia exprimuntur, figuræ additæ & Musea Curiosorum, e quibus Archetypi petendi fuerunt, innuuntur, & judicium aliquando in Autorem interponitur, lectorque ad alios etiam Autores remittitur. Ex multis dum pauca more consueto delibatum imus, ante omnia e *crustatis* atque *zoophytis*, in *quadraginta novem capita* distributis, Cancrum spinosum & caput Medusæ digna reputamus, quæ paulo specialius considerentur, visu licet non adeo grata, sub squalido


A

do tamen habitu singularem conformationem recondentia. Sub cancro namque spinoso, ceu deformi cancrorum genere, quod corpore araneæ simili gaudeat, spinisque hinc inde & musco obsitum sit, quatuor ostenduntur species: cancer κατ' ἐξοχὴν spinosus, Malæis *Cattam Baduri*, & Amboinitis *ybu* sive *hyu makeka buta* i. e. musci portitor dictus, spinosus longimanus major, spinosus longimanus minor, & cancer quidam major & rarior, perquam nodosus, alga marina obductus, & piscatoribus non minus, atque longimanus major, abominabilis; quem ipsum a Belgis *Rotskrabbe* seu cancrum scopulosum appellari, quod scopulos referat, in Nota subjuncta pariter indigitatur, ac figuras secundæ, tertiæ & quartæ speciei a *D. D' Acquet* una cum rarissimis cancris, Aragnoïde atque Floride, fuisse mutuatas. Quam Stellam vero marinam *Rondeletius* quondam, a frondium & ramorum multitudine, arborescentem salutavit, a *Nostro* ea titulo Capitis Medusæ, ob majorem cum hocce convenientiam, tum minor, tum major, describitur, quarum posterior, magnitudine imprimis ac radiorum sive ramorum multitudine a priori discrepans, incolis *Hitoe* & *Hoeamohel* ratione contentorum ovulorum in escam cedat. Figuram minoris, quam *Notarum Autor* ad Archetypum ex laudati *D' Acquet* Museo impetratum depingi ac literis A & B exprimi curavit, non potuimus non in *Tabulam III* transscribere, quia elegantior non solummodo figuris, apud *Rondeletium* & *Aldrovandum* prostantibus, esse videatur, sed & Capitis Medusæ, aspectu quamvis horrendi, structuram admirandam evidenter adumbret. Minoris videlicet Capitis Medusæ corpus sive caput, instar araneæ ex rotundo paulo depressum, aliquatenus tamen pentagonum & digitum circiter latum, crusta duriori, quam echinus marinus esculentus, investitur, superius vero cute tenui tectum & inferius rima oblonga sive ore cum multis pedibus præditum, in quinque dispescitur ramos, quorum quilibet, in morem articuli distinctis vertebris constans, in binos rursus similes primum abeat, mox horum singuli in binos atque binos semper tenuiores eo usque subdividantur, donec extremitates tenuissima atque contorta referant filamenta. Qualium non nisi pauciores, confusionis evitandæ gratia, in Fig. B. repræsentari potuisse, facile agnoscet, quicunque perpendet, diligentiori indagine

TAB. III. A.

B.

fuis-

fuisse deprehensum, quemlibet quinque ramorum primorum in sui extremitate, facessere ac 1023 articulos involvere, articulū vero quemvis ex 10. 20. 24. vel ex supposito, 16 promiscue vertebris componi, adeoque universum Caput Medusæ minus ex 2560 extremitatibus, 5115 ramis seu articulis, atque 81840 vertebris, inferius subro-
TAB. III. C. tundis, superius planis & ad angulos spinosis, prout lit. C. aliqua exhibetur, coalescere. Nec Mare Caspium ejusmodi Stellis mariniis carere, pertica facile capiendis & extrahendis, in quantum hæc supra illas demersa, a totidem brachiis articulatis firmius apprehendatur, ex ore, cum ipsius Czareæ Majestatis Moscoviticæ, tum ejusdem Secretarii, commemoratur. Hinc ad Conchylia accedentes, quibus describendis ac depingendis *Autor* ante *Bonannum* operam impendit, minorem quidem eorum numerum, *in 39 capitibus* pertractatum, notamus, quam Celeberrimus *Listerus* in *Historia Conchyliorum*, a nobis *Supplem. T. 2. p. 248.* excerpta, præbuit conspiciendum, fateri nihilominus necesse habemus, occurrere etiam, quæ apud *Listerum* frustra quærantur; quemadmodum eorumdem pariter genera subalterna specierumque nomina satis plerunque distant. Quoniam *Noster* vero hoc in passu Experientissimi *Sipmanni*, Med. D. ac sui olim socii, vestigia legisse obser-
167. vatur, haud supersedemus ex Cochlearum Amboinicarum descriptione ac divisione, quæ a *Sipmanno* in Belgium ad *D. Jongium* Amboina transmissa, & Musei præsentis parti secundæ adjecta fuit, ejusmodi genera strictim adducere. Cochlearum quippe univolvium turbinatarum duodecim genera ita constituuntur, ut primum eæ, quæ internæ matris perlarum ad instar nitent, deinde, quæ præter similem splendorem internum exterius cochleæ vulgaris speciem præ se ferunt, tum cochleæ valvatæ, cassides, globosæ, buccina, strombi, porro volutæ, alatæ, porcellanæ majores & minores, denique cylindri, memorentur. Postea sub non turbinatis, tam ad eas attenditur, quæ ab uno tantum latere testam obtinent, altero autem saxis adhærescunt, quam quæ tubuli oblongi utrinque patuli conformatione fruuntur ac solenes audiunt; sub bivalvibus demum, chamæ asperæ & læves, pectines & pectunculi, tellinæ & solenes bivalvii, musculi, pinnæ, ac ostrea, indigitantur. Sed novorum nominum, ab aliqua similitudine petito-

torum, ut nonnulla innotescant, volutas unice percurrere juvabit atque percipere, quomodo sub his cymbium, meta butyri, musicalis, cereola, tigerina, nubecula, vespertilio, harpa, marmorata, maculosa, spectrorum, musica rusticorum &c. collocentur & denominentur. Quæ aurium tamen Midæ nomine insignitur, eam numero volutarum, *Belgis* maximam partem *Tooten* vocatarum, *Autor Notarum* mavult exclusam, alibi e diverso cassidem pennatam volutis annumerans. De unguibus saltem odoratis, figuris quibusdam atque sexu cochlearum differente monendum restitat: plures hic unguis odorati species tradi, quam in *Ephem. A. N. C. D. 2. A. 3. O. 25.* enarratæ quondam fuerunt; discrepantes itidem haberi figuras ab iis, quibus *A. 5. O. 112. & A. 7. O. 74.* ovum marinum, porcellana litterata & nautilus remigans fuerunt adumbrata; inter alias vero, cochleæ laciniatæ, cassidis tuberosæ, tribuli, arculariæ majoris, bullæ, buccini scalaris, strombi tympanorum &c. figuras videri inversas; quoties denique certarum cochlearum alia mas, alia fœmella nominatur, non nisi majoris vel minoris ponderositatis & lævitatis testarum rationem haberi, testasque læviores magisque politas fœmellas salutari. Tandem ad ultimam partem pergentibus vix exitus pateret, si singula, & naturalia & artificialia, in 89 *capitibus* comprehensa, perlustrare anniteremur; pauca proin de Ceraunia, Ambra, Lardo marino, Lapide Bezoar & Succino terrestri, addidisse sufficiat. Cerauniæ, tum proprie sic dictæ, tum metallicæ, uti generatio in nubibus ex eo probabilis adstruitur, quod tales aliquando in arboribus, navibus, balænarum carne &c. a fulmine tactis, sed lapidibus producendis ineptis, repertæ fuerint, ita ceraunias quasdam metallicas, nunc in modum spatulæ, nunc cunei efformatas & in *Ephem.* quoque A. N. C. *Dec. 2.* A. 4 O. 110 & A. 7. O. 10. ex parte consignatas, cupro, ferro & auro constare, aquæ fortis illitu detegitur, quatenus maculæ exin viridescentes de cupro, fuscæ sive nigricantes de ferro, ac flavæ constantes de auro attestentur. De ambra dum grysea, nigra & alba differitur, ambra grysea vera potissimum pondere ac igne ab adulterata & viliori jubetur discerni; genuinam quippe minus ponderare, quam spuriam, & laminæ candefactæ impositam, mox instar ceræ liquescere, totamque successive cum singulari odore exha-

Margin: 102. 108. 81. 77. 115. 210. 216. 259.

halare, itemque ex parte fusam digitis tenacissime adhærere, ac
maculam liquefactam cineream apparere, filo autem ferreo igni-
to arenam, lapillos, sepiarum rostella &c. intra viliorem abscondi-
ta, explorari. Et fragmento illo ambræ rarioris magnitudinis ex-
262. istente, quod *Chevalerius* Gallice descripsit, in *Actis nostris A. 1700*
p. 466 commemoratum, tota hæc descriptio, in Belgicum idioma
274. translata, cum figuris habetur subjuncta. Ambra nigra, loci na-
talis intuitu, vel marina monstratur, vel terrena: marinam in Ar-
chipelago præcipue inter insulam Celebes atque Novam Guineam
occurrere, modo molliorem, ambram gryseam investientem & a
balænis probabiliter evomi solitam, quod sepiarum a cetis devo-
ratarum rostella gerat admixta, modo duriorem, instar vitri fra-
gilem, fractamque splendentem & cavernulas ostendentem, super
carbones autem olei terræ odorem spirantem, non piscis, quem
prior exhalet. Terrenam vero, aut pisasphalti speciem æmulari, ac
in monte potissimum *Cotawo*, inter urbem *Boeton* & *Cheloets-*
joetsjoe, mollem exsudare, in mari magis magisque inspissandam,
aut resinam videri ex ignota arbore stillantem, gummi Elemi haud
absimilem, sed odore destitutam, nisi carbonibus admoveatur,
tunc enim odorem pinguedinis, non tamen ingratum, spargere;
utramque hanc a fraudulentis *Boetonnensibus* ita divendi, ut ortum
illius ex mari vel balænis, hujus autem ex terra circa quarundam
277. arborum radices falso affirment. Ambræ albæ nomine Sperma
Ceti effertur, quod ad oras insularum Molucearum, Celebes,
Sumatra &c. ejectum ac cito colligendum, ne a suibus devoretur,
ab Europæorum Spermate Ceti non tam substantia, quam forma,
differat, cujusque portiones majores, exterius arena obvolutæ,
282. varias impuritates interius recondant. Lardum marinum, veluti
merum balænarum excrementum, interius pilosum & fibrosum,
seculi demum elapsi A. 64. Amboinitis dicitur innotuisse, non
320. nisi piscibus alliciendis inserviens. Qui lapis bezoar linteum al-
bum calce leviter confrictum mox flavedine inficit, a Malæis ju-
dicatur verus, ad mentem tamen Autoris præstat lapidem dubium
clavo candefacto apprimere, vel fragmentum ejus laminæ ignitæ
imponere, cum genuinus tunc dissiliat, nothus autem cum resi-
noso foetore deliquescat. Quodsi alicujus lapidis bezoar majoris
lami-

lamina externæ substrata lævitate cedat, ille a Sinensibus ex multis minoribus elaboratus conjicitur. Finem demum terrestre succinum imponat, quod a Sinensibus in magnis sylvis pinu feracibus e terra perhibetur effodi, atque pro resina pini venditari, spatio mille annorum tantam soliditatem adepta, Europæo succino propter minorem transparentiam longe vilius. Cæterum haud defore nulli dubitamus, qui *Autoris* pariter *Zoologiam* atque *Herbarium Amboinicum*, cujus duodecimus etiam liber jam habetur citatus, ab aliquo imposterum cum publico communicari, & iisdem non minus, ac Museo præsenti, memoriam Rumphianam conservari, nobiscum exoptent.

34. 42.

C. JULII CÆSARIS COMMENTARII DE BELLO Gallico & Civili, cum utriusque supplementis ab Hirtio vel Oppio adjectis. CHRISTOPHORUS CELLARIUS recensuit, & Notis ac novis Tabulis Geographicis illustravit. Accedunt Indices Rerum & Verborum.

Lipsiæ, apud Jo. Ludovicum Gleditsch, 1705, in 8.
Alphab. 2 plag. 6. & Tabulæ æn. 6.

NOva se produnt editione C. Julii Cæsaris de Bello Gallico & Civili Commentarii, cum Supplementis, quæ Aulo Hirtio tribuuntur vel Oppio. Industriam suam Clarissimus Editor, tot Classicis Scriptoribus adhuc adhibitam, cum primis etiam in Cæsare demonstravit: quem quidem ipse cum MSS. codicibus non contulit, de quorum in oris nostris penuria conqueritur; ab aliis vero collatos, etiam vetustissimos impressos commisit inter se, quod optimum uniuscujusque, cum cura selegit, suæque editioni inseruit. Maxime sibi Dionysii Vossii Notas & Animadversiones profuisse, non ingratus in clarissimi viri manes, confitetur. Neque criticæ tantum emendationis rationem habuit, verum etiam philologiæ, geographiæ, & historiarum, suisque notis difficillima quæque perspicue interpretatus est. Quod vero disjunctissimis locis, in Europa, Asia, & Africa res Julius Cæsar gessit, insigne ornamentum editioni huic Geographicis Tabulis accessit, quas ipse

lau-

laudatus Editor delineavit, iisque, quidquid in Cæsaris vel Hirtii libris est rerum geographicarum, luculente demonstravit. Prima Galliæ faciem exhibet, qualis temporibus Cæsaris, cum Germaniæ Britanniæque partibus, quas idem ex Gallia fuit ingressus. Secunda Italiam habet cum Gallia Cisalpina, unde initium Civile Bellum sumsit. Tertia Macedoniam, Epirum, Thessaliam, fatalem ejusdem belli sedem, continet. Quarta conspectum præbet Alexandrini belli & Pontici, Asiam Minorem cum Ægypti parte repræsentans. Quinta pro bello Africano est: sexta pro Hispaniensi, quod ultimum fuit Cæsaris. Quas alii figuras pontium, obsidionum, & bestiarum addiderunt, quum Cæsaris libros publicarent; eas Editor noster, quia quisque sibi confingere possit, prætermisit omnes, sumptum, illis in æs incidendis necessarium, Geographicis tabellis, quod utilius est, impendens. Index geminus est, unus rerum, quæ hoc volumine continentur; alter verborum & formularum, ad puriorem Latinitatem facilius inveniendam.

JOHANNIS CHRIST. HEYNE, SUECI, TENTAmen Chirurgico-Medicum de præcipuis Ossium Morbis.

Amstelædami & Gedani apud Janssonio-Waesbergios, 1705. in 8.
Constat 6. plagulis.

PRæmisso de corporis humani partibus discursu, traditaque de inflammationibus & abscessibus partium mollium theoria, ad ipsa se convertit Ossa Author Clarissimus, quæ ex ejus sententia, quantumvis solida & fere lapidea, membranæ tamen tenues prius fuerunt. Omnis autem membrana, mox in os transitura, constituit prius filamentorum membranaceorum complanatorum congeriem, & texturam nonnihil rigidam, subalbam, flexilem, lubricam seu cartilagineam; vel etiam quandam prius format unguis speciem, quæ tandem osseam induit soliditatem, quando exigui canales, maxime vero nervosi, complanantur probe & solidantur: quod fit (1) dum latera vasculorum, propter lentorem & crassitiem fluidi, quod percolare & superare minimas angustias nequit, ad sese invicem accedunt, concrescuntque; (2) dum canales a corde re-

remotissimi impetum fluida propellentem non recipiunt, unde collapsi coalescunt: (3) dum iners, segnisque cordis impulsus non sufficit protrudendis liquidis, & apertis tenendis vasorum minimorum fistulis, unde causa distendente sublata complanantur: (4) dum canales externe premuntur & verberantur, ita ut liquido excluso compaginentur eorum parietes & compingantur. Ossea ergo compages construitur ex pluribus filamentis membranaceis appositis, superstratis, superpositisque sibi mutuo, ac reticulari inosculatione implexis, tum consolidatis & induratis, ita ut cellulæ, seu areæ intermediæ relinquantur inter lamellas osseas sibi mutuo contiguas. Has cellulas investit ubique membrana ex periostio externam ossis superficiem ambiente orta tenerrima, ornatissime picta, textaque reticularibus arteriosorum, venosorum, lymphaticorum ac oleosorum canalium varia inosculatione sibi occurrentium plexibus; quorum medium occupat exigua glandulosa structura cum folliculis adiposis in medio relictis, medullosa pinguedine repletis & tubos ex se oleosos emittentibus, qui forte in sanguinis sinum revehunt deponuntque transcolatum unctuosum oleum. Sed pergimus ad statum p. n. ossium; in quo quanquam a plerisque inflammatio in ossa cadere negetur, Author tamen eandem illis omnino competere affirmat, quoniam reticulares arteriolarum recipiunt distributiones. Contingit enim in ossibus stagnatio liquidi arteriosi, hujusque impulsi in latera canalium impetus, levis tumor rutilus, quantum scilicet angustia & durities parietum osseorum permittit, cum quodam dolore lacerante & pulsante. Conciliatur autem illis stagnatio (1) per periostium prius inflammatum ac incensum; (2) dum tenera membranula, internas investiens ossium cellulas aut has exornans, arteriosorum canalium plexus inflammationem incurrit; (3) in ipsa ossium medulla. Convenit igitur in hac inflammatione venæ sectio, purgatio, si opus fuerit, & sudor ope copiosi potus aquosi, specifica herbarum aromaticarum virtute roborati, & salibus fixis aut volatilibus conditi, provocatus. Continuata autem inflammatio, & impactio liquidorum stagnantium adaucta claustra tandem sua diffringit, tenerosque disrumpit canales, unde liquidum effunditur, effusum putrescit, putridum laceros canales

lamellasque osseas in fluidum convertit, & constituit suppurationem, seu abscessum ossium. Differt tamen ejusmodi apostema a reliquarum partium abscessibus, quod lente admodum solidæ & osseæ partes in liquidum convertantur, & non pus sed ichor potius tenuis, subfuscus, putridus, fœtidus, cui punctula squamosa, cineritia, fusca, flava, nigra innatant, elaboretur; hincque ossium suppuratio immerito abscessus vocatur, nisi liquidorum cum solidis corruptionem, & in fluidum conversionem, absolvere abscessus requisita dicere velis. Si lamellæ osseæ lente admodum consumantur, squamulæ exiguæ furfuraceæ decidant, & pauxillum appareat recrementum, caries dicitur ossis. Oritur hæc vel ab interna caussa intra os latente, cuncta interiora rodente & emolliente, vel ab externa, dum liquidum acre putridum apostematis in carne, tendine, ligamento, periostio grassantis os alluit exeditque; quemadmodum & oleosa obstipantia, humida putrescentia, emplastica unctuosa obstruentia, acria suppurantia, frigus, aërisque contactus constringens, contusio ossis, fissura, fractura, eam non raro excitant. Sed aliud restat mali genus, spina ventosa dictum, quæ cariei species est, sed lentissima, & eo magis subdola vi ossis substantiam exedens; cujus historia sat accurate ab Authore est tradita. In cura horum morborum integra partium corruptarum a vivis sanisve separatio, & æqualitatis ossis studium, multum difficultatis habet. Si quid tamen tentandum foret, esset forte perforatio ossis ad cavum usque, & medullæ ipsius corruptæ exscissio. Sed Ars hujus nondum periculum fecit medelæ. Juxta methodum autem hactenus receptam, applicantur in principio ea, quæ vehementer attenuant, & potenter abradunt, quæque ulceribus malignis luxuriantibus & pertinacibus erodendis valde conducunt. Sin irrita fuerit visa horum exfoliantium applicatio, os vel ferro scalpendum, & radendum, vel terebra exfoliatoria terebrandum, vel cauterio actuali tangendum est. Improbat enim Author usum spirituum salis, nitri, vitrioli, tartari, & aquæ fortis, in hunc finem adhibitorum, utpote quorum actio determinari & intra certos, qui exoptantur, limites ac cancellos coërceri nequit. Tunc nigro quoque notat lapillo in hunc quoque scopum applicata olea acerrima, caryophyllorum, cochleariæ, euphorbii, sulphu-

phuris & antimonii; utpote quorum actio & determinatu difficilis existit, & propter oleositatem nociva est, & parti sinceræ cariem inducit. Depurato detersoque ossi applicanda sunt catagmatica seu os restituentia.

OPTICKS: OR, A TREATISE OF THE REFLExions, Refractions, Inflexions and Colours of Light. Also two Treatises of the Species and Magnitude of Curvilinear Figures.

h. e.

OPTICA, SIVE TRACTATUS DE REFLEXIOnibus, Refractionibus, Inflexionibus & Coloribus Luminis. Nec non duo Tractatus de Speciebus & Magnitudine Figurarum Curvilinearum.

Londini, apud S. Smith & B. Walford, 1704 in 4.
Constant 2 Alph. & plag. 5, ac 19 Tabb. æneis.

Autor operis est *celeberrimus Newtonus.* Partem ejus posteriorem, Tractatus de Curvis complectentem, jam mense Januario anni præcedentis recensuimus: nunc de priori, Optica nempe, dicemus. Exponit in eadem Theoriam suam Lucis atque Colorum, non per hypotheses, sed per rationes & experimenta proprietates luminis explicans. Totum opus in tres distinguit libros. Primus duas habet partes, quarum prior theoriam luminis, posterior colorum continet. Secundus in partes abit quatuor, quarum prima recensendis observationibus, quæ reflexiones, refractiones & colores in corporibus transparentibus iisque tenuibus concernunt, tota impenditur; altera animadversiones in easdem exhibet; tertia de coloribus permanentibus corporum naturalium tractat, eorundemque cum coloribus prædictorum corporum transparentium analogiam exponit; quarta observationes, reflexiones, & colores in planis crassioribus transparentibus atque politis enumerat. Librum denique tertium observationes de inflexione radiorum luminis, & coloribus inde productis absolvunt. Ingeniosissimus equidem Autor jam anno 1666 hanc Theoriam invenit, & anno 1672 ad publicandum Societati Regiæ transmisit, cumque a publicatione non deessent, qui objectiones moverent, uberior ejus dis-

cussio jamdudum in Transactionibus Anglicanis proposita; sed cum hæc omnia contigerint, antequam Acta nostra edi cœperunt, adeoque nihil adhuc de hoc argumento in iisdem contineatur, cumque theoria ipsa paucissimis sit nota, & Autor fateatur, se in præsenti opere ex asse circa eam sibi satisfecisse, non inconsultum ducimus, eandem paulo plenius in præsenti describere. Enimvero, ut rite intelligatur, tenendum est, quod per *refrangibilitatem* & *reflexibilitatem* in subsequenti discursu intelligenda sit radiorum dispositio ad patiendum refractionem vel reflexionem: per *lumen simplex*, *homogeneum* & *similare* id, cujus radii omnes æque refrangibiles: per *lumen compositum*, *heterogeneum* & *dissimilare* illud, cujus radii alii aliis magis refrangibiles: per *colorem primarium*, *homogeneum* & *simplicem*, color lumine homogeneo constans: per *heterogeneum* & *compositum*, constans lumine heterogeneo. Quemadmodum vero plerique Philosophi recentioris ævi colores a radiorum luminis diversa modificatione derivant, & lumen nonnisi pro simplici habent omne; ita e contrario *Newtonus* diversæ naturæ radios in lumine Solari admittit, quorum alii hujus, alii alius producere valent coloris sensum. Sequenti igitur experimento confirmat, lumina, quæ colore differunt, differre quoque gradibus refrangibilitatis. Assumsit chartam oblongam lateribus parallelis terminatam, nigram & rigidam, atque per rectam transversam ad latera majora perpendicularem in duas partes æquales divisit. Alteram partem colore rubro admodum intenso; alteram cœruleo spisse obduxit. Chartam ita paratam ea ratione disposuit, ut latera longiora cum horizonte essent parallela, transversa ea bisecans ad eundem perpendicularis. Mox obvertit eidem prisma vitreum trigonum, cujus duo plana polita comprehendebant angulum 6 circiter graduum, quem *refringentem* appellat, ita quidem ut latera prismatis essent cum lateribus chartæ parallela, quo scilicet lucis radii per fenestram in chartam incidentes cum eadem eundem facerent angulū, quem faciunt a charta in oculum reflexi cum eadem. Jam cum angulus refringens verteretur sursum, ut charta per refractionem attolleretur, pars cœrulea per refractionem ad majorem altitudinem elevabatur, quam rubra: cum vero angulus refringens verteretur deorsum, ut refractio

ctio chartam deprimeret, magis depressa cernebatur cœrulea, quam rubra. Ostensurus, diversos dari in lumine Solari radios refrangibilitatis gradibus differentes, inter alia ad sequens provocat experimentum. Radio Solari per foramen in cameram obscuram immisso in distantia aliquot pedum ita objiciebat prisma, ut is esset ad axem perpendicularis: quod obtinebat, dum per prisma transpiciens id tam diu ultro citroque circa axem verteret, donec imago foraminis, quæ nunc ascendere, nunc descendere videbatur, inter duas motiones contrarias stationaria deprehenderetur. Quo in situ cum firmasset prisma, per id contuebatur foramen, ejusque longitudinem multis modis latitudinem excedere observabat. Geminis experimentis evincit, lumen Solis consistere ex radiis reflexibilitate inter se differentibus, atque eos radios esse magis reflexibiles, qui magis refrangibiles, docens simul methodum radios heterogeneos luminis compositi a se invicem separandi. Ulterius notat, lumen homogeneum regulariter refringi sine ulla dilatatione aut fissione radiorum, & confusam objectorum per corpora refringentia conspectorum visionem, si lumen fuerit heterogeneum, oriri ex diversa radiorum refrangibilitate, ut adeo imperfectio telescopiorum non, quod vulgo fit, figuræ lentium sphæricæ, sed huic ipsi diversitati refrangibilitatis radiorum luminis tribui debeat. Negat igitur, phænomena colorum in luce reflexa per novas luminis modificationes produci juxta varias terminationes lucis ac umbræ, cum colores bullarum, quæ pueris lusum præbent, sint varii situmque varie mutent, nullo habito respectu ad ullum confinium umbræ: id quod experiri dabitur, si istiusmodi bulla vitro concavo concludatur, ut ab aeris agitatione libera sit, atque oculus & corpus luminosum ipsius respectu sistantur immota. Atque hinc potius concludit, quodlibet lumen homogeneum proprium sibi habere colorem gradui refrangibilitatis suæ respondentem, & nec per reflexionem, nec per refractionem mutabilem. Unde porro infert, si lumen Solis esset homogeneum, corpora omnia ejusdem fore coloris, consequenter diversorum colorum causam esse compositionem luminis. Docet etiam, quomodo refrangibilitas cujuslibet speciei luminis homogenei coloribus simplicibus respondentis, definiri queat experimen-

to ope prismatis trigoni vitrei facto. Monstrat inde, per compositionem produci posse colores coloribus luminis homogenei quoad apparentiam, non tamen quoad immutabilitatem coloris & constitutionem luminis similes, & quo ex pluribus isti componantur, eo minus esse intensos, ita ut nimia compositio eos diluat ac debilitet, donec prorsus cessent. Addit, quod per compositionem prodeant quoque colores nulli colorum luminis homogenei similes, luminis vero Solaris color candidus ex coloribus primariis omnibus debita proportione commixtis componatur. Subjicit problema admodum curiosum, quod data quantitate & qualitate colorum primariorum invenire docet colorem compositum. Omnes igitur in universo colores, vel esse colores luminis homogenei, vel ex istis componi pronunciat. Hinc speciatim explicat colores per prismata productos, iridis item, & corporum naturalium colores permanentes inde derivat, quod alia hujus generis radios copiosius reflectant, alia alterius. Quæ omnia experientiæ consona esse, sequenti experimento evincere conatur. Per foramen rotundum immissum lumen prismate trigono vitreo excepit, versus lentem utrinque convexam refringendum. Radii colorati colores iridis in lente depingentes, post refractionem in ea factam convergentes redditi radium album composuere, quem alio prismate priori parallelum situm obtinente excepit, & ejus ope radios convergentes fecit parallelos, distantiis prismatum a lente eorumque angulis refringentibus inter se æquatis, ut adeo lumen post hanc ultimam refractionem per foramen incidenti simillimum evaderet. Hoc igitur lumen ex coloribus productum cum denuo per prisma tertium refringi curaret, in colores iridis consuetos mutavit. Ab aliis jam observatum est, substantias transparentes, quales sunt vitrum, aqua, aer &c. ubi admodum attenuantur, vel quia in bullas, vel alia ratione in plana solida formantur, varios exhibere colores tenuitatis varietati respondentes, utut claræ ac coloribus destitutæ appareant, si crassities fuerit major: ipse tamen accuratiores observationes colligit tum circa vitrum, tum aerem, tum aquam. Aëris tenue quoddam planum obtinuit eum comprimendo inter duo prismata, quorum latera exigua convexitate erant instructa; aquam saponariam in bullas resolvit, easque vitro inclusit, ut ne agi-

agitatio aëris quietem earum turbaret. Ex iſtis obſervationibus accurate definit in particulis milleſimis digiti craſſitiem aëris, aquæ & vitri, quæ ad hoc requiritur, ut color quilibet ſit maxime intenſus atque ſpecificus. e. gr. ut color ſit vere albus, craſſities aëris juxta ipſius calculum ſit $\frac{1}{2}$, aquæ $\frac{3}{8}$, vitri $\frac{10}{31}$; ut albus, craſſities aëris ſit 1, aquæ $\frac{3}{4}$, vitri $\frac{20}{31}$; ut ſubalbus, craſſities aëris ſit 2, aquæ $1\frac{1}{2}$, vitri $1\frac{2}{7}$. Ea vero hunc potiſſimum in finem tam operoſe perſequitur, ut colores corporum naturalium permanentes tanto accuratius explicare poſſet, aut eorum potius conſtitutionem detegeret, quæ ad hoc requiritur, ut alios radios aliis copioſius reflectant. Docet igitur, eas ſuperficies corporum transparentium maximam reflectere lucis quantitatem, quæ maximam habent potentiam refringendi, & minimas omnium fere corporum naturalium particulas eſſe ſuo modo transparentes, ut adeo opacitas eorum multitudini reflexionum a partibus internis factarum debeatur. Inter particulas corporum opacorum & coloratorum multa reperiri ſpatia vel vacua, vel medio quodam alterius denſitatis repleta; partes corporum, a quibus color eorundem dependeat, medium illud denſitate ſuperare, earundemque craſſitiem ex colore corporum conjici poſſe. Falli præterea omnes, qui reflexionem inde arceſſunt, quod lumen in partes corporum ſolidas ſeu impervias impingat, cum (ut alia, quæ adducit, experimenta ſilentio prætereamus) non minor ſit reflexio, dum lumen ex vitro in aerem, quam dum ex aere in vitrum tranſit, immo multo major, quam dum ex vitro in aquam pergit, partes vero magis reflectentes aeri, quam aquæ vel vitro ineſſe, haudquaquam probabile videatur. Radios potius impingentes in partes corporum impervias ſuffocari. Aliud igitur eſſe reflexionis principium, vim ſcilicet quandam, quam particulæ corporum ſolidæ in lumen per diſtans exerunt; qualis tamen illa ſit, non definit. Et ideo a corpore transparenti craſſo radiorum incidentium alios reflecti, alios refringi, quia aliorum diſpoſitioni convenientior reflexio, aliorum conſtitutioni transmiſſio. Illud quoque notatu dignum eſt, corpora ſpecularia, quantacunque diligentia fuerint polita, præter lumen, quod refringunt, vel reflectunt, lumen adhuc aliud debile quaquaverſum diffundere, cujus phænomena accurate deſcribit

per

per integram partem quartam lib. 2. Lumen ſcilicet Solare per foramen, cujus diameter erat $\frac{1}{3}$ digiti, in cameram obſcuram intromiſſum ſpeculo vitreo concavo, cujus ſemidiameter erat 5 pedum & 11 digitorum, ita excepit, ut ad ſuperficiem ſpeculi eſſet perpendiculare. In centro ſpeculi chartam poſuit albam, ita ut lumen perexiguum foramen in ipſius medio formatum tranſire cogeretur ad ſpeculum, ac inde ad idem foramen reflecteretur. His ita paratis ſuper charta 4 vel 5 annulos concentricos coloratos, iridibus non abſimiles, obſervavit, eosque tanto dilutiores ac debiliores fieri deprehendit, quo erant ampliores. Interdum ad lumen Solis admodum clarum 6, immo 7 vidit circulos. Quodſi major vel minor ſpeculi diſtantia aſſumebatur, annuli diluebantur ac evaneſcebant. Denique Grimaldus jam notavit, quod ad lumen Solare, per exiguum foramen in cameram obſcuram immiſſum, umbræ objectorum ſint largiores, quam ad lumen in loco aperto, & tres habeant faſcias coloratas atque inter ſe parallelas, foramine ampliato confundendas, nec amplius a ſe invicem diſtinguendas. Hujus phænomeni circumſtantias per plura experimenta Noſter quam accuratiſſime determinat, & rejecta eorum ſententia, qui hunc effectum refractioni aeris tribuunt, hanc ejus rationem aſſignat, quod radii heterogenei in lumine albo commixti per inflexionem ſeparentur, atque adeo ſeparati lumina diverſorum colorum componant, ad quos exhibendos per naturam diſponuntur.

LETTRES CRITIQUES &c.

i. e.

EPISTOLÆ CRITICÆ, CONCERNENTES DUBIUM inter Moſen & Stephanum circa numerum familiæ Jacobi ortum.

Ultrajecti apud Jo. Viſch, 1705. 8.

plag. 9.

Auctori Conciliationis Moſis & Stephani, cujus libellum menſe Martio anni ſuperioris p. 103 ſq. recenſitum dedimus, duo reſpondent Philologi e Gallorum exulum numero, Criticis his Epiſtolis, quorum alter Marollium, alter Maſſonium ſe vocat: ac prior quidem

dem ſcriptorem ſe profitetur ſchediasmatis de hoc dubio in Bernardinis Novis Literariæ Reipublicæ exhibiti, & ab Auctore Conciliationis caſtigati.

Præmittitur opuſculo Præfatio de dubiis Hiſtoricis S. Scripturæ diſſerens, monensque, admiratione dignum eſſe, quod non multis modis major ſit eorundem numerus, in libro tam vetuſto, amiſſis tot explicandi eundem ſubſidiis. Prima Epiſtola Marollii eſt, qui adverſarii ſui conciliationem ingenioſam quidem, ſed coactam, nimis longe petitam, ſolvendoque dubio ineptam pronuntiat. Nullum eſſe diſcrimen putat inter numerum ſeptuaginta Gen. XLVI, 27, & Deut. X, 22, ſed utrobique poſteros Jacobi omnes, qui cum illo in Ægyptum venerint, intelligi credit, fallique adeo adverſarium, qui poſteriori loco maſculos ſolum & patres gentis Iſraeliticæ deſignari ajat. Male ab eo Saulem e numero 66 Gen. XLVI, 26 excludi, Manaſſen vero & Ephremum includi, cum peculiaris S. Codicis enumeratio hos manifeſte ſeparet, Saulem vero ſpurium dici non poſſe, cum ſolum Cananææ filius dicatur, neque legem de ſpuriis in populo Dei non connumerandis retro valere. Eundem vero ad numerum 75 Act. VII, 14, Jacobum & Joſephum incongrue referre, & contra Martyris verba, qui Joſephum dicat 75 iſtos cum Jacobo in Ægyptum accerſiviſſe; neque Dinam, utpote in enumeratione ſpeciali poſterorum Jacobi, qui Ægyptum viderint, omiſſam huc referri poſſe. Cæterum de alio incidenti dubio p. 24 ſigillatim agit, quæritque, quo pacto Benjamin fratrum minimus, in Ægyptum deſcendens, cui adverſarius 25 ætatis annos dederat, decem filios, qui Gen. XLVI illi tribuuntur, & duos nepotes Num. XXVI, 40, habere potuerit? Videntur Marollio nepotes iſti, Ard & Nahaman, filii potius Benjaminis fuiſſe, quibus ſine prole mortuis, frater ipſorum Bela filiis ſuis eorundem nomina dederit: conjicit idem, Benjaminem tempore deſcenſus triginta duorum aut triginta trium annorum fuiſſe, ac admodum juvenem matrimonium iniiſſe. Obſervat, Ludovicum de Dieu Benjaminem duobus annis Joſepho juniorem facere, Johannem Clericum vero octo annis, iſtasque diverſitates ex ignorantia multarum rerum, quæ Jacobi familiam concernunt, oriri. Negat S. Literarum verba omnia ad rigorem capienda eſſe, ſed aliorum more ſcriptorum ὡς ἐν πλάτει intelligen-

ligenda esse, & de potiori, adeoque sub *patrum* nomine paucas etiam filias comprehendi posse, p. 4.

Secunda Epistola, a Massonio scripta, Marollii observationes fere omnes repetit, sed prolixius, majorique cum apparatu, contra Autorem Conciliationis urget; id vero potissimum impugnat, quod ille Gen. XLVI, 26. capita populi tam tribuum, quam linearum recenseri dixerat, eundemque conjecturas conjecturis cumulare ostendit. Nihilominus ea in re a Marollio dissentit, quod Jacobum ex numero 70 Gen. XLVI, 27 excludendum neget: in reliquis cum eo ad amussim consentit.

Epistola tertia Marollii versatur in refutandis iis, quæ Auctor Conciliationis Novis Reipublicæ Literariæ anni præteriti mense Martio inseruerat. Potissima Epistolæ pars Saulem Cananææ filium respicit, quem iste velut spurium e numero familiæ Jacobi eliminandum omnino contendit, Marollius vero negat ac pernegat, illique neutiquam concedit, Cananææ nomen prostitutam designare, ut Israëlitæ appellatio Jo. I, 47 probum hominem notat. Existimat præterea, *Mamserim*, sive spurios, qui ejiciendi fuerint, non Israelitæ masculi e Cananæa, sed exteri maris ex Israelitide liberos fuisse, neque ejectionem e populo, sed exclusionem a Magistratu Devt. XXIII, 3 intelligi.

Quarta Epistola, Massonio scriptore, Auctorem Conciliationis impugnare pergit, traditque, 70 illos, qui Devt. X, 22 commemorantur, eosdem esse cum illis, qui Gen. XLVI, 27 exstant, malеque adversarium locum istum de solis capitibus populi, qui hæreditatem in Palæstina obtinuerunt, interpretari, atque Jacobum & Levi cum filiis excludere. Tandem ad Stephani dictum Act. VII, 14 se confert Massonius, atque pronuntiat, nullo id pacto cum Mosis numeris conciliari posse. Mendam igitur librarii hic admittendam esse, qui pro 66 scripserit 75, non quod Calvinus aliique velint, pro 70. Stephanum enim numero 66, qui Gen. XLVI, 26 occurrat, uti voluisse, adeoque primos codices, more inscriptionum Græcarum, numeros minores præmittentium, habuisse ϛΞ, sive ϛΞ (notam enim ϛ pro ϛ sive senario in marmoribus inveniri.) Librarium autem negligentiorem legisse OE, sive 75. Ex hac Actorum corruptione in translationem LXX interpre-

precum numerum 75 transiisse, sicut ex Lucæ interpolatione Cainan alter in eandem invaserit. Marollii autem conciliationem, qui cum Cellario uxores filiorum Jacobi a Stephano additas majorem numerum conficere docuerat, nec non aliorum interpretationes, maxime Ludovici de Dieu, repudiat.

DELLA BIBLIOTHECA VOLANTE SCANZIA X.

i. e.

BIBLIOTHECÆ VOLANTIS PLUTEUS X. Auctore JOHANNE CINELLI CALVOLI, Patritio Florentino & Foroliviensi, Academico Gelato, Concorde, Dissonante, Incitato & Inthronato.

Venetiis, apud Hieronymum Albrizzi, 1705, 8.

Constat plag. 5.

QUod Celeberrimi *Cinelli* in hoc opere institutum sit, vel ex iis constat, quæ in Actis nostris A. 1689 p. 345, & 1693 p. 236, cum sextam, septimam & octavam seriem, seu ut alii Latine vocant, pluteum recenseremus, diximus. Ex eo tempore doctissimus Auctor nequaquam laborem abrupit, verum plures subinde edidit pluteos, uti vel ex præfatione huic præmissa patet. Nimirum quindecim omnino pluteos prelo hactenus paratos habuit, e quibus tamen decimus & decimus quintus incuria typographi intercidere; reliqui omnes lucem adspexerunt, & quidem decimus quartus insertus est Eruditorum Actis, quæ Venetiis apud Hieron. Albrizzi, sub tit. *La Galleria di Minerva* prostant, Tomo III Parte VIII. Ut itaque numerum compleret, nunc decimum vulgavit, mox etiam decimum quintum, & deinde quatuor adhuc alios additurus. Nos moris nostri memores, pauca hinc delibabimus. Non morabimur inscriptionem veteris lapidis, ex utroque latere p. 17. simpulum & pateram, sacrificii instrumenta, repræsentantis, quæ ita se habet: NORTORI N. F. POL. FEROX AESAE EVOCATUS AUG. JOVI CAELESTI V. S. L. M. seu, ut Noster legit: *Nortorio nostro felici Polyarcho, Ferox Aesae* (hodie Aesidis, seu Aesii, fluminis) *Evocatus Augustus Jovi Cælesti voti soluti, seu suscepti locavit monumentum.* Dum Ga-

p. 25 brielis Mariæ Meloncelli Odas Italicas Romæ 1698, 4 editas refert, laudat, quæ alias prodiderit, Poetica, obſervatque eum juvenem, quanquam occupatiſſimum, elegantes ingenii poetici fœtus edidiſſe, at nunc ſenem, cum otio fruatur, difficilem venam experiri.
p. 27. Singulare eſt, quod memorat, ubi teſtamenti & codicillorum a Cl. Joanne Ciampino relictorum, & Italice Romæ 1698 impreſſorum fecit mentionem, eum juſtos ſumtus excitando Xenodochio deſtinaſſe, in uſum eruditorum indigentium diverſarum nationum. Por-
p. 31. 32. ro Hieronymum Baruffaldi, Ferrarienſem, cujus mox fœtum recentiorem exhibebimus, Diſſertationem de Poetis Ferrarienſibus Ferrariæ A. 1698, 4 edidiſſe diſcimus: in qua non tantum præcipuorum Poetarum, ſed & illorum, quorum opera vel deperdita ſunt, vel diffuſa apparent, exactiſſima detur notitia, una cum eorum operum
p. 41. 42. diſtincta enucleatione. Ubi vero Lazarum Auguſtinum Cottam Novarienſis Muſæi, quod viros cujuscunque generis illuſtres e Novarienſi diœceſi oriundos exhibebit, Ideam eodem anno publicaſſe ſignificat, vehementer conqueritur, ſe Florentinos Scriptores, quorum quatuor millia ad ſuam notitiam pervenerint, illuſtraturum eo adactum fuiſſe, ut Florentiam patriam ſuam linquere neceſſe habuerit, nec deeſſe, qui viginti trium annorum labores etiamnum e manibus ſuis evellere conentur. Nos meliorem fortunam optimo Autori & integram ſanitatem apprecamur, ut & hoc, & alia, quæ molitur, opera abſolvere feliciter valeat.

RIME DI ALESSANDRO GUIDI
i. e.
ALEXANDRI GUIDI CARMINA, SUMMO Pontifici CLEMENTI XI dedicata.

Romæ, e typographia Jo. Jac. Komarek, 1704, 4.
Plag. 18.

IN tantum hodie culmen evecta eſt Poeſis Italica, ut haud facile carmina in lucem proferre quisquam audeat, niſi ea digna omnium plauſu videri queant. Et alii quidem aliud carminis genus ſectantur; Noſtro illud arriſit maxime, quod legibus ſolutum,

Ri-

Rima sciolta Itali vocare solent, in quo etsi & antea Fulvius Testi, Claudius Achillini, aliique Poetæ celebriores aliquid tentaverint, eos tamen in Lyricis his, quæ exhibemus, longissime post se relinquere videtur Auctor. Quanti enim nondum publicis typis excusa fecerint Eruditi, vel illud argumento esse potest, quod Nicolaus Cicognari quoddam ex illis carmen eleganti commentario illustraverit, itemque Gregorius Caloprefes in oden de legibus Arcadiæ commentatus sit, ut alios taceamus, qui vel in Latinam linguam aliqua transtulerunt, vel passim eorum non sine encomio meminere. Quo magis vero cuncta expolita redderet, non diffitetur Auctor, se passim Vincentium Gravinam, Jo. Baptistam de Miro, Justum Fontanini, aliosque viros in poesi exercitatissimos, in consilium adhibuisse. Pleraque quidem in Academia Arcadum publicasse videtur, quam pluribus carminibus extollit, ut cum modum, quo congregari consuevit, locum Academiæ destinatum in colle Palatino, consuetudines Arcadum, promulgationem legum Arcadiæ, ludos Olympicos Arcadum, & elogium Antonii Farnesii auctoritate Arcadum lapidi incisum decantat; quibus commemorandis facile supersedemus, quod de universa illustris ejus Academiæ ratione Supplementorum Tomo III p. 460 seqq. disseruimus. Neque licet nobis ex iis specimina hoc loco exhibere, quæ de œstro poetico, de fortuna, de vanitate cogitationum humanarum, tum in honorem Christinæ Reginæ Sueciæ, cujus singulari favore gavisus videtur, Jacobi II Regis Angliæ, Innocentii XII Pontificis, aliorumque cecinit, ne, dum laciniam detrahimus, a pulcritudine detraxisse quicquam videamur. Magnifica sunt omnia, ponderosa & sublimia, numerus aptus & elegans, oratio ubique æquabilis, & inventio arguta. Quod vero passim victura sua carmina auguratur, propriamque adeo laudem extollere videtur, in eo tantum abest, ut culpandus sit, ut potius optimorum Poetarum exemplo, qui Cicerone teste, *aliena lingua loquuntur*, Lyricæ poeseos genium optime videatur assecutus, qui res sublimes celebrantes humi serpere, & de se ipsis minus sperare non patitur. Cæterum eundem Auctorem olim drama, quod *Endymionem* inscripsit, composuisse, e p. 43, ubi ejus carmen dedicatorium ad Jo Franciscum Albani, hodie Summum Pontificem, exhibetur, patet. Quod si

illud est, quod eodem titulo in Theatro Mantuano anno 1698 repræsentatum & Ferrariæ typis excusum vidimus; nihil profecto elegantius & festivius excogitari poterit, adeo ut nec Tasso, nec Guarini in eo genere Auctor concesserit.

COMENTARIO ISTORICO - ERUDITO &c.

i. e.

COMMENTARIUS HISTORICO - ERUDITUS, CONDITUS in Inscriptionem in Universitate Ferrariensi, in memoriam ANTONII MUSÆ BRASAVOLI Ferrariensis, Anno 1704 erectam. Auctore HIERONYMO BARUFFALDI, Ferrariensi.

Ferrariæ, excudebat Bernardinus Pomatelli, 1704. 4.
Constat Alph. 1. plag. 12.

VAriam eruditionem monstrat hic liber, quanquam in unius potissimum Brasavoli, qui jam dum seculo XVI floruit, parumque notus fuit hactenus extra Italiam viventibus, memoriam conscriptus; ut non immerito eruditum ipse Auctor in prima facie vocaverit. Absolvitur autem octo capitibus, quorum primo de origine Academiæ seu Scholæ publicæ Ferrariensis pauca præfatus, ipsam Inscriptionem exhibet, quam non anno 1704, ut titulus loquitur, sed 1703 erectam fuisse patet. Ea quidem hæc est: D. O. M. *ANTONIO MUSÆ BRASAVOLO, Nobili Ferrariensi, Philosophiæ, Medicinæ, Juris Utriusque, ac Sacræ Theologiæ Doctori, Comiti Palatino, Equiti S. Michaelis in Galliis, Sorbonici Athenæi Collegæ, Celebris hujus Archigymnasii Lectori emerito, & Moderatori, omnigena eruditione in universo Terrarum Orbe clarissimo, Pauli III Pont. Max. Archiatro, aliorumque trium Summorum Pontificum Leonis X, Clementis VII & Julii III, Caroli V Cæsaris, Francisci I Galliarum, & Henrici VIII Britanniæ Regum Physico a consiliis, Alphonsi I Ferrariæ Ducis, & Herculis II Ducis IV Medico dilectissimo, Aragonensium, Atestinorum, Farnesiorum, & Gonzagarum Principum intimo Familiari, qui publicas theses de quolibet scibili per triduum Parisiis, ubi* Musæ *nomen, ipso Francisco Rege præ-*

conizante, sibi comparavit, Patavii, Bononia, & hic in Patria, cunctis stupentibus, propugnavit; ac per quamplurima lustra e tota Europa confluentes ingenuos Auditores erudivit ex cathedra: qui plures quam quadraginta libros, & volumina de rebus variis, ac præcipue de Re Medica doctissime scripsit, & fere omnia typis, magno cum plausu, evulgavit; tanquam effulgenti Patriæ Soli, qui nunquam moriturus occidit Ferrariæ pridie Nonas Julii An. Sal. MDLV, ætatis suæ LV m. V d. XX. Cujus tamen ortum præcesserunt Franciscus Comes genitor, & Hieronymus frater: cujus occasum secuti Renatus Comes pariter Moderator, & Hieronymus filii, Antonius Maria, Hercules, Bartholomæus, & Alphonsus nepotes, in hac Universitate Philosophiæ, Medicinæ ac Juris utriusque respective Lectores, aliique duo de viginti toga, totidemque sago conspicui, sub tanto sapientiæ lumine vere fulgentissima sydera, Hieronymus Bartholomæi filius, Comes & Eques Palatinus, in hoc Archigymnasio Lector, in Romano Promotor perpetuus, & Collega numerarius, Physicus Pontificius a consiliis sub Innocentio XI & XII, Alexandro VIII & Clemente XI regnante, ac Regius sub Christina Alexandra, Suecorum, Gothorum Wandalorumque Regina; Illustrissimis Viris Dominis Comite Carolo Flasco Sapientum Judice, Marchionibus Aloysio Bentivolo, Gaspare de Monte, hujus almæ Universitatis Moderatoribus, una cum Magistratus Sapientibus, nempe Jacobo Minio Ronchagallo J. C. & Lectore Publico, Aloysio a Fabra Philosophiæ, ac Medicinæ Doctore, & Lectore Publico, Johanne Benedicto Coato J. C. & Lectore Publico, Alexio Surchio, Jacobo a Monetis, Camillo Riccio, Hercule Siverio, Joanne Francisco Algarotto, & Valerio Botticino, enixis ejus precibus annuentibus, ære proprio Abavo suo optime merito pridie Nonas Julii Anno ab Orbe redemto M DCCIII. P. In capite II originem familiæ Brasavolorum e Germanica Comitum de Halremunde, speciatim a Wilbrando, qui seculo XII in bello claruit, derivat, usus imprimis Krantzii & Fabricii auctoritate, quibus addit Petrum Lesvanderum, qui in tractatu de Saxoniæ & Misniæ Patriciis, Comites illos pro insigni usos fuisse testetur columba alba, cum inscriptione Germanica, Allezeit weisse / i. e. semper candida, quod diu & Brasavoli retinuere; ut taceamus, quæ plura hic de progressu

gressu familiæ hujus, ejusque cum Belgica Stratiorum (*Straten*) quæ initio superioris seculi in Hispaniam transplantata est, cognatione, de titulis item Magnifici, Spectabilis, Egregii, Excellentis, Magistri, aliisque, quibus aliqui ex gente Brasavola gavisi sunt, accurate disseruntur. Prætermittimus ejus familiæ Genealogiam authenticam, ex archivis capite III depromtam. Nec immorabimur illis, quæ cap. IV de scissione familiæ in duos ramos, & cap. V de insignibus ejus passim mutatis aut auctis disputat. Prolixum est caput VI, quo singula inscriptionis supra memoratæ verba, ex antiquitatibus & historia litteraria illustrantur. Hinc, ut alia prætermittamus, natum fuisse Brasavolum discimus die 16 Jan. anni 1500: tum patuisse in eo singularem animi constantiam, quod, cum A. 1550 Hippocratis libros Epidemicos publice interpretanti famulus ædium ipsius incendium nuntiasset, quod mox campanarum pulsus confirmaverit, nihil territus responderit: *comburantur, nam hinc discessurus non sum, priusquam integram lectionem non perfecerim:* libros denique, quorum, qui prodierint, Auctor numerat quadraginta sex, viris Principibus inscripsisse, exemplo Musæ Cæsaris Archiatri, qui libellum *de Herba Vettonica* M. Agrippæ, & alterum *de bona valetudine* Mæcenati dedicaverit; qua occasione significat Noster, se pluribus de manuscriptis Brasavoli in *Bibliotheca* sua *Scriptorum Ferrariensium*, mox proditura, acturum. Capite VII de Brasavolis eruditis, & demum VIII de his, qui in sago claruere, agitur. In illis B. Donatus Brasavolus ob singularem pietatem commendatur, eique cognomen Prophetæ datum vulgo fuisse innuitur, quippe quod & in sermonibus ad populum factis multa eventu probata, & morti vicinus diem atque horam mortis prædixerit. Singulare est, quod de Johanne Brasavolo, eruditissimo viro, memoratur, qui A. 1556 octogenarius decessit, eum per totum vitæ suæ spatium nil præter fructus manducasse. Inter eos vero, qui hodienum supersunt, imprimis eminet Rodulphus Brasavola, qui Romæ Academiam *Imperfectorum* & eorum, qui *Indispositi* vocantur, ad excolendas humaniores litteras, & *Intricatorum*, ad instituenda exercitia Juridica fundavit, quæque ab Academicis profecta sunt ingenii monumenta, ibidem A. 1674, 8 edidit, sub titulo *Academia degli In-*

Intricati, Imperfetti, & Indisposti: Componimenti varj eruditi. Plura in honorem generosissimæ Brasavolorum familiæ afferri possent, si nobis in his liceret esse prolixioribus.

SAMVELIS BASNAGII, FLOTTEMANVILLÆI, Annales Politico-Ecclesiastici Annorum DCXLV. a Cæsare Augusto ad Phocam usque. Tomus primus.

Roterodami, apud Regnerum Leers, 1706. in fol. Alphab. 10.

QUomodo doctissimi Casauboni exemplo Exercitationes in Baronium condere instituerit Clarissimus Basnagius, palam ostendimus in his Eruditorum Actis Anno 1692 p. 155, ubi ejus *de rebus sacris & Ecclesiasticis Exercitationes Historico-Criticas, in quibus Cardinalis Baronii Annales ab A. C. 35, in quo Casaubonus desiit, expenduntur*, recensuimus, & quid circa annum maxime 35 (ultra quem ad annum usque Christi 45 tunc progressus est) annotarit, paulo prolixius benevolum Lectorem docuimus. At ex illo tempore Viros prudentia & autoritate insignes autores sibi fuisse innuit, ut mutato consilio ad annales Ecclesiasticos concinnandos animum ipse appelleret, quandoquidem ex eis fructum utilitatis longe majorem, quam quidem ex Exercitationibus sperare liceat, istoque pacto brevi quasi Tabella tota Imperii & Ecclesiæ imago conspici, antiquitas illustrari, hæreseos turpitudo detegi, Baronius que emendari possit. Paruit ergo amicis suasionibus, initiumque scribendi fecit ab imperio Cæsaris Augusti, & post per singula a nato Christo Secula ulterius progressus est. Ubique Chronologiæ rationem habere accuratissimam instituit, Baroniumque adeo multum studuit antecellere, cujus Chronologiam tantopere distortam esse dicit, ut densissimam temporum doctrinæ noctem induxerit. Magna insuper cum sit rerum Ecclesiasticarum cum rebus Imperii cognatio, easdem conjungendas omnino censuit, cum sibi mutuo lucem fœnerentur. Cum enim, qui ante Constantinum M. rerum potiti sunt, Cæsarum nonnulli Ecclesiam gravissime vexarint, alii Edicta in ejus gratiam conscripserint, nonnullis

 obla-

oblatæ fuerint a Christianis Apologiæ, hinc Acta Imperatorum, quæ vel jucunditate sua alliciunt animos vel informandis virtute Lectoribus, vel instillando in vitia odio, visa sunt idonea, suis his Annalibus inseruit. Postquam vero Cæsares in Christi verba jurarunt, magis etiam necessarium fuisse dicit, eorum historiam texere, cum Leges in Ecclesiæ commodum multas promulgarint, Synodos coegerint, Hæreticos vexarint, & ex illis etiam nonnulli corrupta religione in orthodoxos involarint. Nec Acta Martyrum neglexit, & Synodorum ubique terrarum congregatarum historiam solicite texuit. Temporis lapsu cum ritus bene multi in Ecclesiam irrepserint, quibus antiquitas Apostolicæ suppar, vel etiam Apostolica institutio vindicetur, plerisque, e Latinorum imprimis classe, antiquitatis larvam detraxit. Patrum, qui virtutibus lucubrationibusque suis inclaruerunt, vitam librorumque chronotaxin exhibuit, & denique hæreticos haud præteriit.

In primo hoc Tomo annos ad centesimum usque a nato Christo persequitur, initio sumto ab anno ante Deum in carne manifestatum sexagesimo tertio, & ab ipsa Augusti historia. Nos ergo, quæ passim memoratu digniora annotarit, paucis in exem-
pag. 5. plis ob oculos legentium proponemus. Litem de Chronologia ab Eusebio adhibita a nonnullis motam, dum alii Julianam anni formam, alii Antiochenam, quæ ab autumno auspicatur, ab ipso in Chronico suo expressam fuisse perhibeant, sic dirimit, ut eum annis usum fuisse Julianis probabilissimum videri statuat. Jose-
16. phi Chronologiam, de regni Herodis initio ad annum U. C. 714 referendo, temere impugnari, istudque post novennium integrum demum collocandum venire, asseri præter rem a Baronio observat.
18. Creato Rege Herode sceptrum a Judæis primo ablatum fuisse, negat, factumque id jam fuisse dicit, cum extincto Sedecia, ultimo sanguinis Davidici Rege, gens Judæorum captiva ducta Ba-
21. bylonem fuerit. Oraculum vero Jacobæum Gen. XLIX, 10. respicere autumat Imperii, quod in Sedecia amissum fuerit, recuperationem, quam tribus Judæ in Christo sperare debeat, unde illud dictum ita esse censet: *Sceptrum legislatorve de Judæ sanguine cretus ab eo non recedet in perpetuum, quia veniet*
21. *Silo.* Herodem nec gentilem, nec proselytum fuisse, adversus Ba-

Baronium contendit. De oleo apud Tiberim fluente, fabulam Veterum Baroniique explodit. Opinionem Casauboni, quod triumphati Reges morti sueverint mitti a Romanis, admodum vacillare, petitis ex historia monumentis non unis probat. Herodi Regnum ideo tributum fuisse, quod Julio Cæsari pecuniam fœnerasset, ceu statuit celeberrimus Harduinus, penitus inficiatur, &, contra eundem, Herodem patria Atheniensem fuisse negat. De Templo ab Herode condito late disserit, verbaque Joh. II,20. non ad Zorobabeliticum, sed Herodianum templum trahenda esse probat. Zachariam, Johannis Baptistæ patrem, summum fuisse Pontificem negat, & quæ de Virginis Mariæ miraculosa nativitate, consecratione, aliisque perhibentur vulgo, exsibilat. Sororem Mariæ virginis Mariam Cleophæ appellat. Virginitatis votum a Maria susceptum, ut Judæorum ritibus, sic Scripturæ etiam ipsi, contrarium esse innuit: Josephum duplex iniisse conjugium, veritati consentaneum censet. Uno momento carnem Christi vi Spiritus Sancti procreatam esse, nec, ut in generatione quidem fiat ordinaria, semen continuata serie elaboratum, die demum post conceptum circiter quadragesimo, menti suscipiendæ idoneum factum autumat. Johannis in utero exultationem cognitionis expertem facit. Mariam, pariente Elisabetha, in ejus domo adhuc præsentem fuisse probat. Perpetuam Mariæ virginitatem adstruit, quanquam eandem fidei haud esse articulum, lubens admittat. Claustra virginea a Christo esse aperta, ex antiquis ostendere Patribus annititur. Janum nascente Christo clausum non agnoscit. Annum Julianum XLI Christi nativitati assignat. Diei vero ejus natalis notitiam mortalium mentibus subtractam perhibet, cujus quippe sive in Evangelio, sive in Apostolicorum seculorum monumentis, vestigium nullum impressum sit, partemque & erroris & superstitionis aliquam vocat, quod indubitanter certoque Decembris dies vigesimus quintus heic plerumque nominetur. Baronio quoque errorem evellit, qui ex Synodi sextæ autoritate, Christum feria prima editum existimat. Magorum nomen nec honorificum apud Matthæum, nec eos Reges fuisse admittit. Quod tres eorum in Judæam se contulerint, quibus argumentis probari possit, nescire se ingenue profitetur. Sibyllarum vaticinia in nume-

pag. 26. 31. 65. 68. 84. 85. seq. 91. seq. 93. 95. 100. 101. 103. 105. seq. 113. 114. 117. 121. 128. 129. 130.

pag. 147. mero piarum, quæ vocentur, fraudum habenda censet, latiusque
163. de iisdem disserit. Translationem virginei Mariæ cubiculi in Ita-
166. liam operose refellit. Sectarum Judaicarum antiquitatem, singu-
174. larumque historiam exponit. Therapeutas e numero Christiano-
178. rum eximit. Apollinis oraculum de puero silentium sibi indicente
explodit. Sadducæos non Mosis solum libros, sed totum etiam
179. Vetus Testamentum suscepisse cum Scaligero existimat, horumque
180. autorem nobis esse incognitum tradit. Quod Pharisæi metem-
187. psychosin crediderint, sibi haud persuadere vult. Opinionem,
192. quod Herodiani Herodem Magnum pro Messia habuerint, ab o-
193. mni veri specie abhorrere observat, istosque potius pro ministris
232. Herodis Antipæ agnoscit. Annam Caiphamque Pontificiali simul
241. dignitate ornatos fuisse censet. Majorem Christi, quam Johannis
252. baptismo efficaciam tribuit. Epistolam Christi ad Abgarum in-
267. ter supposititias rejicit. Nathanaelem ex Doctorum Legis nu-
mero exemtum Apostolorum choro inserit, ipsumque illum
esse ait, qui alias Bartholomæus nuncupetur. Baptismum
281. Petri a Christo peractum impugnat. Contra imaginem Abgaro
282. a Christo missam disputat. Publicanos Ethnicos fuisse haud ad-
mittit, ac Mathæum adeo ex Ethnicorum quoque classe eliminat.
286. Sabbatum secundo-primum cum Scaligero pro eo habet, quod
288. sq. secundam azymorum festivitatem proxime exceperit. De Apo-
stolatu prolixe disserit. Singularis est expositio vocabuli ἐξέστη,
292. Marc. III, 21 de Christo prædicati. Putat enim affines Christi,
audientes eum insolita docere, discipulosque colligere, in metu
fuisse, ne vel popularis adversus Romanos seditionis invidia, vel
infamiæ dedecus in familiam redundaret. Voluisse ergo eos as-
serere, Servatorem mentis compotem satis non fuisse, ut factorum
doctrinarumque ejus habendam non esse rationem omnibus per-
296. suaderent. Mariam Magdalenam, peccatricem illam, Lazari so-
305. rorem haud fuisse indicat. Gadarenos non vult habere cum Ba-
ronio pro Judæis, nec tamen huic affirmanti, quod Judæi illicite
307. artem exercuerint suariam, adstipulatur. Statuam ab hæmor-
310. sq. rhoussa Christo positam infringit. Petri primatum modis omnibus
353. enervat. Ea nocte, qua Pascha comestum fuerit, discipulis suis
357. pedes abluisse Christum totus abnuit. Christum in ultima cœ-
na

na Pascha Mosaicum participasse affirmat, eodemque id cum Ju- pag. 359.
dæis die factum reputat. Judam ab Eucharistiæ usu haud exclu- 363.
dit, & institutæ Eucharistiæ occasione varios circa eam ritus olim 366. seq.
observatos explanat. Uxorem Pilati disciplina Judæorum fuisse 383.
imbutam, somniumque ejus pro divino habendum venire statuit.
Crucem Romanorum alienam a Judæorum suppliciis facit. An-
num Christi trigesimum tertium pro ejusdem emortuali vendi- 403.
tat. Diei Dominicæ celebrationem ex cana antiquitate derivat.
Traditionem de miraculis Christi Tiberio a Pilato indicatis, deque
ejus propensione ad ejus apotheosin inter frivolas fabellas rejicit, 427.
Pilatique ad Tiberium epistolam subdititiis annumerat. Agrip- 433.
pam & Herodem Tetrarcham, secus atque visum Harduino, ho- 435.
mines omnino diversos fuisse innuit. Secundo demum seculo 456.
vertente, baptizatorum unctionem & consignationem manuum 471.
impositione peractam emersisse asserit. Simonem Magum se
pro summo Deo venditasse, haud credit. Paulum in oraculo Da- 476.
vidico Ps. LXVIII, 28. agnoscere recusat, ac varia de cætero ad ejus 478.
historiam pertinentia accumulat. Cajum Caligulam omnino in
Templo Hierosolymitano coli voluisse, asseverat. Philoni hono- 496.
rem Scriptorum Ecclesiasticorum invidet, & Apionem tanquam 499.
Scriptorem vanissimum exsibilat. Antiochenæ Ecclesiæ funda- 500.
tionem Petro abjudicat. Fundamentum quoque Hierarchicorum 502.
de primatibus a Petro institutis convellit. Petri Episcopatum Ro- 506.
manum æque ac illius in urbem profectionem, Claudio imperan- 522.
te susceptam, impugnat. Nullam Simoni statuam a Romanis
consecratam fuisse credit. Symbolum, quod vocatur, Apostoli- 526.
cum ab Apostolis conditum minime agnoscit. Ligneam Petri 527.
cathedram Romæ custoditam ridet, deque Episcoporum & Pres- 534.
byterorum cathedris doctum sermonem instituit. Jacobi iter in 535. seq.
Hispaniam figmentis associat. Nullum Patrum quartum ante 540.
seculum illi de Thecla fabulæ fidem adjunxisse observat. Hinc 555.
Apostolorum, quæ vulgo crepantur, peregrinationes examinat. 563.
Ævo Apostolico Evangelium apud Americanos promulgatum fuisse,
persuaderi sibi minus patitur, nec Gallias Apostolorum ætate luce 568.
Evangelii sic perfusas admittit, ut Ecclesias Episcoposque habue- 571.
rint. Parili modo Trophimi in Gallias missionem impugnat, 572.

pag. 573. Trophimumque Arelatensem in seculum tertium se conferre jubet. 574. Pauli expeditionem Hispanicam pro commento agnoscit. 578. Ludorum secularium, a Claudio celebratorum, originem & ra- 581. sq. tionem indagat. Assumtionis Mariæ traditionem nullis niti fun- 587. damentis solidis ingeminat; imaginesque ejus pictas contemnit, ratus, quod virginis ævo illicita Judæis pingendi ars fuerit, atque 610. illi ab hac quam maxime abhorruerint. Per πορνείαν Act. XV, 20 tam communem illam, quam religiosam scortationem innui 617. sq. arbitratur. Barnabæ epistolam apocrypham facit. Proseuchas a 624. Synagogis studiose secernit. Horas Canonicas Apostolorum ævo 628. 629. haud cœpisse frequentari monet; & ab iis in vigilias delabitur, quarum usum antiquissimum reperiri nullus abnuit, quanquam 632. ne excepto quidem celeberrimo Paschatis pervigilio, nonnisi Apostolis in cinerem redactis, eundem in Ecclesiam introductum esse, 636. audacter affirmet. Aram Atheniensium, cujus mentio Act. XVII, 657. 23 vero Judæorum Deo consecratam arguit. Votum Paulinum, 663. Cenchræis persolutum, Nazaræatui apponit. Exorcistarum ordi- 665. nem ad humanam institutionem refert. Περίεργα Ephesiorum 669. cum magicis miscet artibus. Pauli θηριομαχίαν metaphorice capere, quam proprie, eumque uxoratum, quam cœlibem, dicere 678. mavult. Primo, secundo & tertio adhuc ineunte seculo, communia fuisse virorum & mulierum apud Christianos oscula con- 684. seq. jicit, horumque in ceremoniis Ecclesiæ usum explanat. Occidentis Clerum olim barbatum processisse, adversus Baronium, rasu- 691. seq. ram barbæ iis tribuentem, demonstrat. Quantopere antiqua unctionis materia ab hodierna illa Latinorum discrepant, uberius in- 713. digitat. Lucam Evangelistam a Medico distinguit, & Lucam a 715. Paulo nominatum eundem cum Lucio facit. Epistolam ad He- 716. bræos Paulinam constituit, sed linguam ejus primigeniam Hebræam fuisse non æque admittit. De reliquis Apostolorum epistolis, quæ suo loco inspergit, prolixum foret nimis heic repe- 723. tere. Communia olim extitisse Presbyterorum Episcoporumque 727. officia & privilegia, planum reddit. Petrino in urbem Romam 729. adventui fidem haud detrahit. At Hebraicum Matthæi Evange- 730. seq. lium respuit. Volatus Simonis Magi insulsus ipsi penitus videtur. 734. Petri & Pauli martyrium in annum sexagesimum quintum collocat.

Calendariorum usum in Ecclesiis, ante seculum secundum jam adultum, non admittit. Marcum de LXX discipulis unum fuisse, Nostro haud arridet, nec eum martyrio mortem obiisse, sibi persuadet. Hæresin Nicolaitarum dum tangit, vocabulorum ex Hebræa lingua petitorum, quorum ex ignoratione Patres hæreticorum istorum sensum non semper assecuti fuerint, explicationem subministrat. Domitiani, Dei titulum assumentis, arrogantiam perstringit, ejusque non minus crudelitatem atque libidinem severe notat. De Timothei martyrio pendet animi, at martyres alioquin multos statuere, parum ambigit. Nervam imperium abdicasse, ut vult Clarissimus Dodwellus, non autumat. Narrationem de latrone a Johanne Ephesum revertente converso, male se habere non dissimulat, multaque in eadem carpit.

pag. 743. 752. 789. seq. 796. 805. 807. 814. 815.

Hæc e Tomo Basnagii primo placuit decerpere, quæ, ut speramus, affatim probabunt, multa in eodem loca librorum Novi Testamenti quorumlibet illustrata exhiberi, pretiosissimumque variæ eruditionis thesaurum inibi recondi. De secundo, tertioque Tomo, qui una cum hoc prodierunt, proxime dicturi sumus.

SALVATION BY JESUS CHRIST ALONE, THE whole intermixed with several practical Reflections, by THO. STAYNOE.

i. e.

TH. STAYNOE MEDITATIONES THEORETICO-Practicæ de Salute unice per Jesum Christum obtinenda.

Londini, apud B. Tooke, 1704. in 8vo.

Constat Alph. 2, & 7 plag.

COmpluribus receptum est annis, & usitata primitivæ adeo Ecclesiæ Doctoribus consuetudo, mysteriorum Divinorum irrisoribus stupenda opponere naturæ prodigia, ad res attento humanas ubivis obvia, quibus revelata Divinitus Christianorum sacra non certo quidem demonstrentur, luce tamen aliqua extrinse-

secus collustrentur, atque ita profanorum judicio, ac si sanæ absurda forent menti, liberentur. Qua Theologorum prudentia hactenus quidem cœlesti Prophetarum ac Apostolorum sapientiæ suus constabit honos, nunquam tamen cessarunt homines, in rebus rationi subjectis nimium sibi sapientes, fidei in Christum simplicitatem undique rodere, & cavillis quibuscunque proscindere. Motus hac Socinianorum pertinacia Doctissimus *Thomas Staynoe*, Minister Ecclesiæ Anglicanæ Londini celeberrimus, inquirere sustinuit, quidnam obstaret amplius, quo minus hi cum cæteris, quibus annumerari volunt, Christianis sincere credant, nostram non nisi Christi meritis obtineri salutem. Cumque nihil aliud prætexere illos senserit, quam quod dogma hoc, prouti ab adversariis suis proponitur, prudentis cujuscunque reclamet judicio, diligentissime fori humani observavit consuetudines, ut vel ex illis clarissime efficeret, Divinum redimendi homines modum respondere exasse legibus & rationis & justitiæ humanæ. Ea autem utitur demonstrationis methodo. Primo generatim monet, nunquam Deum tam pretiosum impensurum fuisse liberandis æterno exitio hominibus λύτρον, filii sui μονογενοῦς sanguinem, si viliori redimi potuissent, quippe quod a divina sapientia foret alienissimum. Dein supponit, salutem, quam promittit Evangelium, comprehendere & peccatorum remissionem, & vitæ æternæ largitionem, quarum neque illa detur absque expiatione, neque hæc sine sanctitatis restitutione. Utrumque igitur redemtionis opus ut quis dextre perageret, talem a sapientissimo Numine constitutum esse Sospitatorem, qui & Deus simul esset & homo, & non nisi unicus tamen Mediator, stupenda quidem duarum in θεανθρώπῳ naturarum unione, sed qua offendi nemo mortalium jure meritoque possit, quandoquidem ne in humanis quidem omnem unionis rationem captus noster penetret, neque plane inauditum sit, multo minus absonum, quibus res inter Israelitas gestæ innotuerunt, Deum Angelosque, humana indutos specie, mortales visitasse. Etenim placare, qui in Deum peccarunt, homines neminem potuisse, nisi qui & Deus esset & homo: Deus ut læso satisfaceret divini piaculi pondere Deo, homo ut pro hominibus capitali supplicio dignis sustineret mortem, id quod hu-

Cap. 1. 2. (margin, beside "Primo generatim monet")
Cap. 3. (margin, beside "Dein supponit")
Cap. 4. (margin, beside "tione, neque hæc")
Cap. 5. 6. (margin, beside "specie, mortales visitasse")

ma-

manum est. In hac Redemtoris officii parte, varia quidem Socinianos desiderare, quæ autem rectius ponderata subito evanescant, cum nulli innitantur fundamento. Instare illos: delinquentes ipsos supplicio esse afficiendos, non qui ab omni immunis fuit culpa, Jesum Christum; sed regeritur, nihil magis in foro receptum esse humano, quam ut alter alterius solvat debitum, & si forte in capitis delicto concedatur nemini, ut alienas sustineat partes, cum vitæ nobis adimendæ potestas non penes nos sit, sed penes Deum, id tamen potuisse Redemtorem nostrum, qui non sit alterius, sed suo fruatur libere agendi arbitrio. Objicere illos porro: mortem, quam Christus sustinuit, fuisse temporalem, quam autem homo promeruit, pœnam esse æternam; sed reponi, vadem nostro loco luentem Divina præditum esse majestate, ex qua infinitum merito ejus accedat pondus. Urgeri tandem: Deum haudquaquam pati posse, multo minus propterea, ut se ipsum ab hominibus offensum in propria causa expiaret; ast responderi, neque Deum qua talem pati, sed qua θεάνθρωπον, neque istam animi lenitatem & placabilitatem, qua offensi sponte nostra in gratiam redire studemus cum inimicis, Deo esse indignam, quippe quam toties suis commendavit, suoque sanctissimo exemplo approbavit. Sicuti igitur rectissime asseritur, non nisi a Deo in carne manifestato placari potuisse homines: ita quoque alterum, non nisi ab eodem instaurari posse illorum justitiam, quandoquidem ipsimet per contractam sibi ex primo parente labem, perfectam legi præstare nequeant obedientiam, quod potuit Servator noster sanctissimus. Quinimo sicuti merus homo, quæcunque præstare potest bona opera, legi Divinæ debet, adeo ut fructuum, quos inde carpit, nemo præter ipsum fieri queat compos, sic Redemtor Deus obedientiæ suæ merita transferre in alios potest, quoniam a lege est immunis, neque præmiis, quæ promittit, indiget. Cui alieni meriti imputationi lucem hinc inde affundit clarissimam, ex vulgaribus in foro humano commerciis, ut ξενοδοξίαν superborum, quibus minus arridet sapientia Deo in opere salutis manifestata, propriis armis prosternat ac conculcet. Optaremus autem, ut clarissimus Auctor, pro ingenii sui libertate, aliquot non immiscuisset paradoxa hisce mysteriorum Divinorum vindiciis, quæ Cap. 7.

Theologorum examini relinquimus. Tacemus Synergismum, cui addictus passim videtur. Illa vero novitatem spirare, vix asserere dubitamus, quando statuit: Deum in carne manifestatum esse imaginem, ad quam homo conditus sit, pag. 83, 85, 86; neminem in hac vita actu justificari, pag. 139 sq.; Gentilibus, quibus Christus, dum vixerunt, absque eorum culpa non innotuit, post resurrectionem Evangelium iri annunciatum; triplicem fore mortuorum e terra resurrectionem, primam piorum ad mille annorum in his terris regnum, alteram Gentilium ad audiendum Evangelium, & ultimam malorum ad judicium. Quæ postrema asserta singulari dissertatione, priori volumini ad calcem adjecta, demonstrare Auctor adlaboravit.

LA VIE DE MR. DE MOLIERE.

i. e.

VITA MOLERII.

Amstelodami apud Henr. Desbordes, 1705, 12.

Constat plag. 9.

NOn male operam collocavit, quisquis celeberrimi apud Gallos Comici, Molerii, vitam in hoc opusculo consignavit, monumentis ad id, ut videtur, satis instructus, quem *de Grimaret* vocari, ex titulo alterius libelli, *Les Campagnes de Charles XII, Roi de Suede*,
p. 3. eodem anno Hagæ editi discimus, ubi palam se vitæ hujus auctorem profitetur. Natus est *Johannes Baptista Pocquelin* Parisiis, patre & avo
5. 6. textoribus, & in domo patris texendis aulæis aliquandiu operam dedit. Cum vero ab avo aliquoties fuisset ad ludos Comicos ductus, cœpit paulatim a textoria arte abhorrere, tandemque impetravit a parentibus, ut se studiis imbui in Collegio Jesuitarum finerent. Hinc intra quinquennii non modo humaniores literas, verum & Philosophiam
7. ipsam sibi reddidit apprime familiarem, & Gassendum diligenter audivit, commilitonibus usus Bernerio, de Chapelle & Cyrano de
10. Bergerac. Mox ut suarum virium in re Comica periculum faceret, adscito, dubium qua de causa, *Molerii* (Moliere) nomine, societatem theatralem cum Parisiensibus nonnullis iniit, a quo instituto
11. parentes eum avocare frustra tentabant. Nulla tamen fide a gravi alioquin scriptore tradi putat Noster, clericum ab illis subornatum, ut

ut gravibus argumentis ab ea vitæ ratione juvenem abstraheret, a Molerio contra permotum fuisse, ut eandem ipse amplecteretur. Relictis inde Parisiis, ad alias Galliæ urbes cum sociis pro- 14.
fectus est, & primum fœtum, quem *L'Etourdi* vocat, Lugduni publice in theatro repræsentavit A. 1653, Lutetiamque reversus A. 1658, brevi favorem aulæ obtinuit, & annuam deinde mille 39.
librarum pensionem a Rege accepit A. 1664, sequenti anno sex mil- 67.
le libris auctam. Hic quo primum tempore drama quodque repræsentatum, quoque plausu exceptum a spectatoribus fuerit, pluribus recensere, supervacaneum ducimus, ea potius delibaturi, quæ ad personam & mores Molerii propius attinent, & relatu magis digna videri possunt. Tussim contraxerat graviorem, & sangui- 91.
nem exspuebat Molerius. Quare moderate vivebat & solo fere lacte nutriebatur, & cum amici eum salutarent, Actori cuidam suo, cui nomen Baron, id quandoque muneris dabat, ut hospites jucunde suo nomine exciperet. Accidit autem, ut cum cœnam 98. sq.
aliquando in seram noctem traxissent Baro & reliqui, omnesque bene poti essent, sermonem inter se de miseria vitæ humanæ haberent, & rerum humanarum pertæsi, uno ore omnes decernerent, se vitam proximo, quod ante ædes erat, flumine finituros, atque adeo suaviter inter mutuos amplexus morituros. Mox scapham conscendunt, fit rumor, accurrunt famuli, quos illi, ne ab instituto impediri possent, strictis gladiis in ædes suas rejiciunt. Supervenit his demum Molerius, & irarum causas sciscitatus, cum eos adeo ad mortem paratos cerneret, ut pœna dignissimos crederent, quicunque propositum tam nobile impedire præsumerent, tum objurgatis primum in speciem famulis, mox ita socios compellat: num qua in re vos offendi, o mei, quod tam belli consilii me participem esse noluistis? an sine me, quem vobis tam familiarem creditis, mortem oppetere animus est? quin ego vobiscum moriar. Verum consulto rem agere opus est; gloriosam esse oportet, quæ postrema futura est, actionem, non ignominiosam. Et quid judicaturos homines creditis, si nocte obscura, ut desperabundi & temulenti solent, submergamur? Quin potius oportuniori tempore tam nobile propositum exsequamur. Cras, ipso mane, hora inter octavam & nonam media, adspectante in-

genti hominum caterva, jejuni omnes saltu nos in fluvium projiciamus. Hoc pulcro commento, si vera tamen sunt, quæ Auctor magna fiducia asserit, facile in viam reduxit socios Molerius, eosque certæ morti eripuit. Hujus generis alia referuntur plura, quæ ingenium Molerii produnt, & legi apud Auctorem merentur.
131. Cæterum non modo Actoris, speciatim Comici, personam in theatro egregie expressit, & eloquentia externa præ cæteris ex-
136. celluit, verum & in Philosophia multum versatus, Gassendum qui-
163. dem magis, quam Cartesium secutus est. Rohaltum quoque amicum habuit, cujus tamen imaginem repræsentavit, cum Philosophum in dramate, quod *le Bourgeois Gentilhomme* inscribitur, exhiberet, & ne quid characteri deesset, pileum quoque ab eo
173. mutuo petiit. At in Benseradium, Poetam elegantem, qui aulæ favore plurimum nitebatur, male animatus fuit. Itaque ut eum deridendum propinaret, carmen ad genium Benseradii composuit in laudem Regis, dissimulato nomine, quod cum illico omnes Benseradio adscripsissent, neque is multum repugnasset, se ipsum postea palam auctorem professus est, eoque arrogantiam illius
177. haud parum castigavit. Quantum ad matrimonium ejus, non negat quidem Noster, Molerio non optime cum uxore convenisse, at Cl. Bælium, indigno quidem testimonio nixum, aliosque a vero alieniora tradere scribit; quin ita asserit amicorum opera reconciliatos fuisse conjuges, ut, quo magis uxori obsecundaret, relicto lactis usu, carnibus iterum vesci cœperit Molerius, eoque
180. sq. latentem morbum denuo provocaverit. Neque diu superfuit; nam, cum drama *le Malade Imaginaire* tertia vice repræsentandum esset, sensit mortem sibi haud dubie imminere, neque id coram uxore dissimulavit. Tametsi vero ea, ne illo die repræsentationi interesset, impense rogaret, nihilominus institutum persecutus est; initium tamen repræsentationis justo maturius fieri voluit. Et observatum facile a spectatoribus, non fingi a Molerio morbum, cum personam ægroti induisset. Absoluto penso, paulatim calor naturalis defecit, moxque delatus domum, ingentem vim sanguinis exspuit, dumque accersiri uxorem jussit, inter duarum monialium, quæ forte aderant, pios sermones exspiravit A. 1673, die 17 Februarii, relicta filia unica, paternarum virtutum hærede.

De-

Deductum eſt magna celebritate funus, etſi nonnulli ſolenni ritu efferendum eſſe negaſſent; certatim & Poetæ epitaphia compoſuere, quæ inter eminet, quod Vir quidam doctiſſimus, qui illuſtris hodie Præſulis munere fungi dicitur, fecit: 187.

Plaudebat, Moleri, tibi plenis Aula theatris: 190.
Nunc eadem mœrens poſt tua fata gemit.
Si riſum nobis moviſſes parcius olim,
Parcius heu! lacrymis tingeret ora dolor.

Ubi de operibus ejus aliquid addit Auctor, meminit, eum Lucretium in Gallicum idioma traducere conatum, ita quidem, ut bellas deſcriptiones carmine, philoſophica vero proſa oratione expreſſerit, jamque magnam verſionis partem fuiſſe abſolutam; at cum forte ex ejus famulitio quidam chartæ, cui inſcripta erat, particulam detractam renovando capillamento impendiſſet, Molerium indignabundum totum manuſcriptum Vulcano tradidiſſe. 198.
Denique cum in dubio hactenus fuerit, utrum cauſas in foro juvenis egerit, nec ne? a propinquis ejus ſibi relatum ait Noſter, Molerium cum ſocio amico juri operam dediſſe, verum ita mutatum poſtea fuiſſe utriusque ſtatum, ut ſocius abdicatis litteris comicam vitam amplexus fuerit, cum Molerius interea juris ſtudium urgeret; at illo cum Muſis reconciliato, Molerius ipſe hanc vitæ comicæ rationem inierit. 199.

PARALLELE DU CARDINAL XIMENES, Premier Miniſtre d'Eſpagne, & du Cardinal de RICHELIEU, Premier Miniſtre de France.

Sive

COMPARATIO XIMENII HISPANI CUM RICHELIO Gallo Cardinale, auctore RICHARDO Abbate Gallo.

Roterodami, apud Jo. Malherbam, 1705, 12.
Conſtat plag. 9. pag. 212.

Vitas virorum toga vel ſago illuſtrium qui ſcripſerint, bene multi ſunt, Comparationes vero illorum pauciſſimi inſtituerunt.

runt. Magnum in hoc difficillimo scriptionis genere Plutarchi inter veteres nomen est, cujus vestigia ex recentioribus Gallis nostra ætate Varillasius, Evremontius & Rapinus pressere, quorum *illi* duas tantum, Caroli nimirum Quinti Cæsaris & Francisci I Galliæ Regis, Ludovici item XI Galliæ & Ferdinandi Catholici Hispaniarum Regis: *isti* vero tres, Alexandri puta & Cæsaris, Condæi ac Turennii Ducum, & Cornelii atque Racinii Tragicorum inter Gallos celebrium; *Rapino* denique Ciceronis ac Demosthenis, Homeri & Virgilii, Pindari ac Horatii, aliorumque vitas *παραλλήλως* scriptas debemus. Ad illorum imitationem, Richardus Abbas noster *Francisci Ximenii de Cisneros* Hispani, cum *Armando Julio Richelio* Gallo Cardinale, comparationem adgressus est, quorum paria in patriam merita, paria pro extollenda Regum auctoritate studia, paria tandem procerum utriusque regni adversus illos odia, centum sectiunculis recensuit.

Argumenti hujus tanta est amplitudo atque majestas, ut legentium oculos admirabili quadam delectatione adficiat. Utut enim plenam absolutamque vitæ & factorum seriem non complectatur opusculum, singularis tamen ortus atque fatorum in Ximenio & Richelio convenientia deprehenditur. Uterque a tenuissimis initiis ad summum humanæ felicitatis apicem emersit. Ximenius anno 1457 in oppidulo Tordelaguna natus: Richelius Parisiis quidem anno 1585, d. 5. Sept. in lucem editus, sed patre adeo ad incitas redacto, ut Richeliam viduam insignia S. Spiritus, cujus equestris Ordinis Socius olim fuerat maritus, vendere oportuerit, quo justa defuncto persolvere, & lugubria induere posset. Uterque ex Monacho Aulicus, ex Clerico primarius Status Administer factus, variis aulicarum vicissitudinum turbinibus jactatus sæpenumero, sed eluctatus semper fuit. Uterque mirum blandientis fortunæ spectaculum, fatis ita præsagientibus, ne posteritati novum Episcopi militis, novum Cardinalis Romano Pontifici obstrepentis exemplum deficeret: qua in re Ximenius P. Francisci Ruizii, e Discalceatis Monachi, Richelius vero P. Josephi, Capucini famosissimi, cujus vitam nuper editam vidimus, opera perutiliter usi sunt. Uterque regnandi artium peritissimus, in deliciis Principis sui fuit, ac modo composita ad fallendum

tron-

fronte regiminis abjiciendi propositum simulavit; modo contractis undiquaque viribus adversariorum consilia mature discussit. Uterque doctorum Mæcenas ac Musarum restaurator audiebat: & Ximenius quidem editis a se Bibliis Complutensibus, Richelius autem Polyglottis Biblus obstetricas manus admovendo, æternam nominis celebritatem inter litteratos consequutus est; qua de re sectione supra vigesimam septima fusius ab Auctore disseritur. Ximenius Oranense castellum in Africano littore, ex quo Mauri barbari in Hispaniam commodissime transfretare poterant, novo ac incredibili ausu, expeditione plane nova, quam suis ipse sumtibus adornaverat, suaque ipse præsentia feliciter confecerat, subjugavit: Richelius in Rupella capta, prostratis Reformatorum in Gallia viribus, & rejectis Anglorum auxiliis, non minorem gloriam adeptus est, quando ipse Cardinalis tunc temporis exercitus Gallicani supremus ductor, & sacræ, quam ita nominaverat, militiæ coryphæus ac triumphator extitit. Ximenius Navarræ Regnum Ferdinando Hispaniarum Catholico Regi adquisivit: Richelius Ludovico XIII Catalauniam & Ruscinonensem Comitatum. Ximenius pervicacissimorum Magnatum potentiam infregit: Richelius itidem Curiarum & Procerum Gallicorum auctoritatem Regis unius arbitrio subjecit, & rebellium provinciarum conatus festinantissima dexteritate elusit.

Atque in his omnibus mirum in modum ambo isti Cardinales inter se conveniunt; in eo tantum maxime dispares, quod Ximenius ab universa Hispania diligeretur, Richelius in odia Gallorum omnium incurrerit; quod Ximenius pietatis officia constanter exsequutus, a sacris functionibus sedis Toletanæ rarissime abfuerit, Richelius externos solum religionis ritus & cærimonias fucata affectatione expleverit; quod Ximenius Isabellæ Reginæ, cujus beneficio ad Archiepiscopatum Toletanum & Primatum Hispaniæ pervenerat, gratum animum contestatus sit, Richelius Mariam Mediceam benefactricem, apud Colonienses exteros exulem, in magnis rei domesticæ angustiis perire coegerit; tandem, ut palmarii capitis haud obliviscamur, quod Ximenius octogenario major senex, citra expectationem aut meritum, Caroli V Cæsaris, tum adhuc juvenis, jussu a clavo regni deturbatus, præ moe-

mœrore vitam clauſerit: Richelius e contrario, præter omnia procerum molimina ac civium vota, ad ultimum usque vitæ halitum, Regiæ voluntatis interpres, & Senatus ſanctioris Præſes, omniumque negotiorum princeps adminiſter permanſerit, atque adeo annum ætatis 58 nondum egreſſus, pene inter amplexus, certe inter lacrymas Ludovici Regis & Auguſtæ Domus Principum, qui lectulo decumbentis adſtiterunt, expiraverit.

MONUMENTI, AELIA LAELIA CRISPIS, Hiſtorica Explicatio. Fragmentum antiquum in Bibliotheca FRANCISCI MASTRII repertum.

Venetiis, typis Hier. Albriccii, 1702, 4.

Conſtat plag. 5, pagg. 36.

MArmorum vetuſtiorum inſcriptiones adeo ſæpenumero difficiles ac perplexæ ſunt, ut a pauciſſimis rite explicentur, & vel iis negotium faceſſant, qui cum Evandro ſe colloquutos fuiſſe, aut abſtruſiſſima vetuſtatis myſteria detexiſſe gloriantur. Omnium enimvero difficultates una quaſi in ſe derivaſſe videtur *Ælia Lælia Criſpis*, famoſum illud Bononienſis cujusdam monumenti epitaphium, centum jam quinquaginta, & quod excedit, annis, a præſtantiſſimis Italorum Germanorumque ingeniis acerrima disquiſitione examinatum. Extitit olim Bononiæ in villula Marci Antonii de la Volta, Patricii Bononienſis, quæ porta Maſcharella egredientibus primo ab urbe lapide ſe ſtatim offert, atque a Carolo Cæſare Malvaſia, cujus de hac *Ælia Lælia Criſpi* Tractatus a nobis in Actis anni 1684 p.263 ſq. recenſitus eſt, circa annum ſuperioris ſeculi quadrageſimũ octavum adhuc viſum eſt, quod in latitudine uncias triginta circiter, in longitudine uncias triginta ſex habuiſſe, atque ex marmore verſicolore albo & rubro, præ vetuſtate obſcuro, rudibus litteris ad magnitudinem non unius unciæ integræ ſculptis conſtitiſſe, & inſcriptione, qualem l. c. p. 264 exhibuimus, ſignatum fuiſſe memorat. Multum hæc ab illa differt, quam Mediolanenſes Academici publicarunt, cum ænigmatis enodationem Philoſophis Patavinis proponerent, & idcirco tabellam epi-

epitaphii quibusdam in locis nonnihil immutatam, A. 1547 ad Antonium Catharum, J. U. D. magnum ævi sui apud Patavinos antiquarium, mitterent. Hanc enim, post Catharum, statim alii quoque sapientiæ ac eruditionis laude præclarissimi doctores illustrare adgressi sunt, ex quorum censu Marius Michael Angelus in epistola ad Christophorum Madrutium, Tridentinæ sedis Antistitem & S. R. E. Cardinalem, *Æliam Læliam Crispin* de *Aqua Pluvia*, Richardus autem Vitus Basinstochius, Patavii tum temporis studiorum commoratus gratia, de *Niobe in Saxum conversa*, interpretatus est. Qui posterior etiam brevi post, eodem nimirum anno 1547 vix exeunte, speciali epistola ad Marcum Mantuam Benavidium, Equitem atque JCtum Patavinum, scripta, Marii sententiam de *Aqua Pluvia* refutaturus, ænigma dictum de *Anima* quoque exposuit; & quum interim novus inscriptionis tenor ex archetypo Bononiensi in lucem exiisset, eumque Joannes Turrius Brugensis ad *Materiam* applicaret, tunc nova iterum & tertia quidem interpretatione, quam responsionis ad Turrium nomine idibus Januariis anni 1567 exaravit, de *Idea Platonicorum* explicuit. Successit illis Nicolaus Barnaudus, Medicus Gallus Delphinas, qui velut alter quidam Oedipus Sphingi huic satisfacturus, ænigmaticum Bononiense epitaphium de *Lapide Philosophorum*, seu metamorphosi metallorum chymica, intelligi debere contendit, scripto eam in rem Lugduni Batavorum d. 25 Nov. 1597 ad Mauritium Principem Auriacum commentariolo, qui cum Marii, Viti atque Turrii de hac *Ælia Lælia Crispi* opinationibus, Dordrechti apud Jo. Leonardum Berewoytum anno 1618, in 8, Solem adspexit, atque nunc inter rariores illius argumenti libellos numerandus est. Plures hujusmodi commentatiunculas alicubi inter schedas litterarias delitescere, vix dubitare habemus: atque is ipse, quem supra nominavimus, Carolus Cæsar Malvasia Comes, inter *Marmora Felsinea*, quorum Inscriptiones Bononiæ A. 1699 edidit, sectionis decimæ capite primo fol. 577 sq. hoc argumentum denuo pertractat. Quo quidem in loco non tantum suam de *Filia promissa in Sponsam, sed abortu forsan enecta*; verum & aliam Petri Menguli, Prioris S. Magdalenæ Bonon. quam d. 21 Jun. 1681 ad Malvasiam miserat, de *Regula* scilicet *Castitatis*, (a Fr. Eodoringo Andalao,

Fundatore Religionis Militaris Equitum S. Mariæ, sibi & successoribus religiosis propositam, & in prima sacra domo expositam) sententiam adducit: addita insuper epitaphii hujus historico-mystica interpretatione, ab Alexandro de Nigris, Jo. Francisci Filio, exasciata, cui cælaturam lapidis famosi, cum variorum de *Ælia Lelia* conjecturis ad oram marmoris adnotatis, subjungit, doctam hercle, & dignam omnino, quam ex laudatis Malvasiæ Marmoribus Felsineis, vel hac sola occasione, Actis hisce denuo (confer Anno 1684. pag. 263, & Anno 1691. pag. 4.) insereremus. Cæterum haud facile nobis quisquam persuaserit, decantatissimi ænigmatis famam, Virorum in hoc scientiarum genere illustrium, Joannis puta Smetii, Josephi Scaligeri, Jani Gruteri, Thomæ Reinesii, Marquardi Gudii, Raphaelis Fabretti, aliorumque oculos aut lucubrationes effugere potuisse.

Non parum ergo literatus Orbis V. CL. Francisco Mastrio debebit, qui monumenti toties citati duplicem explicationem historicam, velut antiquum in Bibliotheca sua repertum fragmentum, typis Hieronymi Albriccii, ante triennium Venetiis publicavit: cujus libelli, serius ac nuperrime demum ad nos delati, recensionem tanto lubentius nunc instituimus, quo mage Auctoris anonymi sententia nobis arrisit. Is quippe, quisquis etiam fuerit, neglectis aliorum conjectaneis, *Æliam Leliam Crispin seu Crispidem, ab externis regionibus profugam, apud Bononienses divertisse, & Hermaphroditam egregiæ indolis atque formæ, sexu tamen fœmineo tantum cognitam fuisse statuit. Errantem in agro quidam Lucius Agatho Priscius, vir probus, ætateque maturus, domum inter servas aut libertas recepit, ubi puella vaferrima innocentiam morum simulavit, clam vero in amplexus unius ex domesticis Priscii exarsit, cujus concubium quum non renuisset, sed brevi post ab amasio desereretur, præ amoris sui impatientia, fame sibi mortem parare statuit, & illa lenius pro ejus placito agente, ferro insuper ac veneno epoto fatum festinavit. Priscius horum omnium ignarus, Crispidi bene alias de se meritæ funus fecit, cineresque in hortulo, ut moris erat apud antiquos, tumulo supra terram modice erecto condidit: cui postmodum amasius, sive honoribus despecta pellicis invidens, sive in Pri-*

Priscii inscitiam lapide jocari volens, tumulo lapidem superposuit, & ludicrum marmori titulum insculpsit. Hæc summa est utriusque explicationis, quam breves notulæ subsequuntur, in quibus Anonymus noster scortorum salacissimorum nequitias ex Martialis epigrammatibus comprobat, eumque Poetam epitaphii fortasse hujus auctorem fuisse, suspicatur.

Reales Staats-und Zeitungs-Lexicon.

i. e.

LEXICON REALE STATUS ET NOVELLARUM, in quo Religiones & Ordines sacri, Regna & Status, maria, lacus, fluvia, urbes, munimenta, arces, portus, montes, promontoria, claustra, sylvæ, milliarium discrimina, Familiæ Germanicæ illustriores, Ordines equestres, comitia, judicia, officia civilia & militaria, res monetaria, modorum & ponderum genera, tum res ad rem militarem & navalem spectantes, nec non termini artis, aliaque vocabula peregrina in familiari discursu obvenientia explicantur. Editio secunda aliquot mille locis auctior & correctior.

Lipsiæ apud Jo. Frider. Gleditschium, 1706. 8. Alph. 2. pl. 17. ch. aug.

CUm & inter eruditos non omnes instructo librorum apparatu gaudeant, & reliqui literis haud exculti in ipsis etiam novellis, quarum lectione plerique delectantur, ob vocabulorum nonnullorum, aut rei etiam Geographicæ ignorantiam, haud raro hæsitent, egregie utrisque consultum videtur, Lexico hoc reali ante annum primum apud nos vulgato, jamque iterum singulari studio recuso; quale quid, si Geographica spectes, Laurentium Eachard sexta vice Londini A. 1703, sub titulo *The Gazetteer's: or Newsman's Interpreter* in 8. edidisse, obiter hoc loco observamus. Præmisitque libri hujus editioni luculentam præfationem Johannes Hübnerus, celeberrimus Gymnasii Martisburgensis Rector, cujus Quæstionum Geographicarum editio decima sexta modo prodiit, & Historicarum tomus octavus sub prelo sudat, a nobis ex merito, ubi absolutum integrum opus historiarum fuerit, laudandarum. Quo

magis vero hujus libri usus appareat, varia hic producit exempla vocabulorum, quæ, si accurate considerentur, ad artium & scientiarum genera omnino quinquaginta referri possint. Tum ordine, quibus rebus hæc editio priorem superet, docet. Nimirum non modo Geographica longe plurima, & Genealogica, & Militaria haud pauca hic accessere, verum & de religionibus potioribus, sectis item & ordinibus religiosis, aliqua ex hujus generis libris præstantioribus transsumta sunt. Tum ordines equestres sub tit. Orden inseri omnes, & ex jure publico Germaniæ complures articuli additi, passimque explicati exoticarum linguarum, quæ in familiari colloquio occurrere solent, termini. Denique cum multi hoc ævo, in politicis libellis suis, sub insignibus Principum ipsos Principes velare consueverint, ut sub Leone Regem Sueciæ, sub Ruta Electorem Saxoniæ &c. non ingratum lectoribus putavit Auctor, si operi insignium indicem accuratum adjiceret. Illud præterea magnopere deprædicat Hübnerus, quod ad hujus editionis ornamentum undique eruditissimi, imo & Principes viri sponte haud contemnendas operas contulerint. Ipsum quidem Auctorem, cum nomen suum celari voluerit, nos neutiquam propalabimus, illud tamen non prætermittimus, plures haud erubescendas lucubrationes historicas, imprimis vero Ziegleriani operis Historisches Labyrinth der Zeit/ Lipsiæ A. 1701 f. editi (ipse enim Henr. Anshelmus de Ziegler, edito libro, Täglicher Schau-Platz der Zeit/ cujus hoc alteram quasi partem constituit, satis notus, omnia morte præventus absolvere non potuit) eidem deberi supplementum.

NOVA LITERARIA.

Significavimus in Actis superioris anni p. 384, Summe Reverendum Dn. *Stephanum Jaworowsky*, Archipræsulem sive Metropolitam Rezanensem & Muromiensem, vices Patriarchæ in Moscovia p. t. gerentem, nobilem Polonum, Philosophiæ ac Theologiæ Doctorem, in Academia Kyoviensi olim Professorem celeberrimum, librum quendam sub titulo: *Signa Adventus Anti-Christi, & finis mundi, e Sacra Scriptura demonstrata, quomodo cum Apostolorum quæstione Matth. XXIV, quodnam est signum*

ſignum adventus tui & conſummationis ſeculi? conſentiant, Moſcuæ nuper edidiſſe. Non dubitamus, cupidos fore haud paucos ſciendi, quænam de argumento minime ignobili, tanti in Eccleſia Græca nominis Viri ſit ſententia? Itaque quia liber ipſe idiomate nobis incognito, Moſcovitico ſcilicet, conſcriptus fuit, placet ex relatione, quam paulo ante obitum ſuum beatus Glückius de eo Moſcua transmiſſam impertiit, quædam cum benevolo Lectore communicare, facile vel hinc deprehenſuro, Autorem non pauca, quæ de ſignis Antichriſti affert, ex Bellarmini l. 3. de Romano Pontifice in ſuum librum transtuliſſe. In præfamine ejusdem primum oſtendit ſtudium, quod doctrinæ de Antichriſto impenditur, ab utilitate quidem ſe commendare, ingentem tamen iis noxam afferre, qui arcana Dei conſilia plus juſto rimari cupiunt: deinde conqueritur, ſalutarem de Antichriſto doctrinam non modo a Romano-Catholicis, atque aliis peregrinæ religioni addictis, ſed, quod maxime dolendum, ab illis quoque, qui domeſtici hoſtes nominari poſſint, impugnari. Et cum iſti varios circa illud dogma errores foveant, aſſerantque Antichriſtum jam veniſſe, ac ea propter Moſcuam, orthodoxam urbem, Babylonem vocitent, ejusdemque incolas pro Babyloniis, Antichriſti aſſeclis ac filiis perditionis venditent, ſemet hunc librum edere voluiſſe ſcribit, quo errantes in viam rectam reducerentur. Sub operis auſpicium aliquot proponit quæſtiones, & ad illas breviter reſpondet. Ad primam: Quis eſt Antichriſtus? reſpondet, qui Chriſto adverſatur, eoque ſenſu multi dantur Antichriſti, quorum origo a Simone Mago repetenda. Sed hos analogice tantum & non proprie tales, ac præcurſores magis Antichriſti, quam Antichriſtos dici poſſe, obſervat. Ad ſecundam: Quomodo vox Antichriſti diſtinguitur? reſpondet, duplicem ejus, ad inſtar vocum Jeſu & Chriſti, eſſe ſignificationem, generalem alteram, alteram ſpecialem: generaliter accipi de iis, qui Chriſto ſe opponant; ſpecialiter autem ſumi de Antichriſto proprie ſic dicto, qui nondum venerit, ſed circa finem mundi demum ſit appariturus, de quo Paulus *II Theſſ. II.* Ad tertiam: Quomodo Johannes *1. Epiſt. Cap. IV* dicit, eum jam in mundo eſſe, & Paulus loc. cit. aſſerit, myſterium iniquitatis jam operari? reponit, hæc de Antichriſti prodromis intelli-

telligenda esse. Ad quartam: Num adventus Antichristi annus definiri potest? respondet, neque Antichristi, neque extremi diei definitum tempus, juxta Christi effatum *Matth. XXIV*, indagari posse. Ad quintam: Quid autem de LXX hebdomadibus *Daniel. Cap. IX* sentiendum, cum ex iisdem finis mundi atque adventus Christi conjici posse videatur? respondet, omnes patres primitivæ ecclesiæ verba Danielis de primo, non secundo Christi adventu exponere, atque ex iisdem Messiam jamdudum venisse, contra Judæos probare: quibus ipse accedit, ac prolixe admodum verba Angeli ad Danielem, de LXX hebdomadibus exponere aggreditur. Quibus ita præmissis, & improbatis eorum ausis, qui temeraria curiositate in finem mundi inquirunt, promittit se discendi cupidis signa, eaque non generalia, sed specialia, de adventu Antichristi agentia, e sacro codice ostensurum esse. Hinc Cap. I. de primo Antichristi adventum præcedenti signo agit, asserens, illud esse Romani Imperii desolationem, nec posse per apostasiam *II. Thess. II*, vel Arii, vel Romanæ Ecclesiæ a fide defectionem intelligi, licet Romana apostasia aliquid Antichristiani in se habeat, cum & Leo X, Græcos in Oriente Monarchas contemnens, novum in Occidente Monarchā, Carolum nempe, coronarit, & paulo post symbolo orthodoxo, Spiritum S. a Filio procedere, insertum fuerit. Qua occasione differit Autor de imagine, cujus apud Danielem *cap. II* fit mentio, & postquam ostendisset, spiritualia in Scriptura Sacra spirituali sensu exponenda esse, avulsum lapidem de Christo, imaginis autem pedes de quarta Monarchia exponit, statuitque Christum eandem comminuisse spirituali modo, per sublationem & ejectionem ethnicismi, ac tandem plene comminuturum esse, tollendo illius potestatem ac regimen, atque circa eam tempestatem appariturum esse Antichristum. Postea ad imaginis de quatuor animalibus, a Daniele *cap. VII* descriptæ, illustrationem se confert, ac per potentiorem Regem, qui tres deprimet, Antichristum: per sanctos altissimi, Enochum & Eliam: per tempus, & tempora, & dimidium temporis, tres cum dimidio annos regiminis Antichristi: per judicium, extremum judicium intelligit. Cap. II alterum signum, quod Antichristi adventum præcedet, tradit, dicitque esse prædicationem Evangelii per universum orbem. Cap. III de tertio signo, Enochi

chi & Eliæ reditu, ex *Malach. IV, 5. 6. Syrac. XLVIII, 1. seqq. Matth. XVII, 10. seq. Apoc. XI, 1.* differit. Cap. IV ex *Joh. V* & *II. Theff. II, 2.* evincere ftudet, quartum fignum effe, quod Judæi Antichriftum pro vero Meffia fint habituri; ac quædam de nativitate illius adjicit, afferens optimam eorum effe opinionem, qui judicant, ipfum non ex legitimo matrimonio, fed meretrice, genitũ iri. Cap. V de quinto figno, falfis Antichrifti miraculis, quædam in medium affert. Cap. VI de fexto figno, evectione Antichrifti, Numinis inftar, in locum Chrifti differit. Cap. VII de feptimo figno, fede Antichrifti, quæ juxta ipfum Hierofolyma erit, loquitur. Cap. VIII de octavo figno, nomine Antichrifti ejusque defcriptione agit, notans, Antichriftum variis infigniri nominibus, proprium autem nomen ipfi a Johanne in Apocalypfi *cap. XIII, 18,* tribui: Antichrifti nomen Græcum fore, quia Apocalypfis Græco idiomate confcripta fit: omnes patres confiteri, iftud ignotum effe, adeoque peccare, qui in idem inquirunt. Cap. IX de brevi duratione regiminis Antichrifti fermocinatur, iftudque tres cum dimidio annos duraturum effe, ex *Daniel. VII, 25, XII, 11, Apoc. XII, 6, & 14, XIII, 5.* probare fatagit. Cap. X de regimine & bellis Antichrifti agere inftituit, atque inter alia mille annos *Apoc. XX* per fynecdochen numeri certi pro incerto explicat. Cap. XI, quid per Gog & Magog; & Cap. XII, quid per Babelis ruinam denotetur, disquirit. Cap. XIII de fignis adventum Meffiæ fecuturis tractat, atque inter alia perhibet, mundum non quoad fubftantiam, fed accidentia faltim interiturum: infantes, non ut infantes, fed ætate virili, qua Adam creatus fuerit, & juxta menfuram ftaturæ adulti Chrifti *Eph. IV, 13* refurrecturos effe: per magnos & pufillos *Apoc. XX, 12* non quantitate, fed qualitate tales, id eft, præftantes ac viles homines intelligi: judicium extremum in valle Jofaphat futurum effe: per fignum filii hominis *Matth. XXIV, 30* crucem intelligi. In Cap. XIV, quod Epilogum libri exhibet, verba *II. Petr. I, 16 & 19.* ad librum fuum applicat, fummam quandam dictorum de Antichrifto repetit, ultimam horam *I. Joh. II, 18* de periodo ultima mundi, quæ a Chrifti incarnatione ad extremum usque judicium extenditur, exponit, atque in ejusdem periodi colophonem non fcrupulofe inquirendum effe admonet.

Hæc

Hæc ex excerptis Glückianis communicare voluimus, qua occasione de ipso Glückio quæ jam addere placet, quod eum innotescere orbi literato par sit, qui bonas literas tanto conatu in ipsa Moscovia exornavit & adjuvit. Nimirum Ernestus Glückius, Pastor antehac Ecclesiæ Mariæburgensis, Præpositus circuli Kokenhusani, & Præses Consistorii Regii Livonici, hactenus Director Gymnasii Illustris, quod Moscuæ institutum est, lucem primum adspexit A. 1653 die 4 Maji, Wettini in Germania, patre Christiano Glücke, Pastore Wettinensi. Hic postquam Theologiæ strenue Wittebergæ incubuisset, & Jura quoque non leviter attigisset, mox Rigam in Livonia petiit, verum redux factus triennio fere apud Musas nostras commoratus est, atque hinc in Belgium, rursusque in Livoniam profectus, ubi ad Ecclesiasticum, sed castrense, munus vocatus, biennio post Christianam Emerentiam de Reutern uxorem duxit. Sequentibus annis Ecclesiastæ Mariæburgensis munus nactus, & paulatim officiis, quæ diximus, aliis auctus, varia elucubravit, Bibliorum inprimis versionem Russicam, quæ in expugnatione urbis illius a milite Mosco direpta fuisse, alias significavimus. Perlatus inde cum familia Moscuam, omnem movit lapidem, ut Mosci litteris redderentur excultissimi, ingenti ideo a Magno Moscorum Monarcha stipendio donatus. Verum anno superiori, die 29 Aprilis, gravi morbo decumbere cœpit, quo demum eodem anno die 4 Maji placide exspiravit, relictis duobus filiis, quorum senior pariter in novo Gymnasio exornando operam non inutilem collocat, & filiabus quatuor.

ERRATA.

Anno 1705. pag. 351. l. 6. a fine pro *illa*, *hac* leg. *hac*, *illa*. pag. 352. l. 5. pro *altum* leg. *amplum*. pag. 353. l. 6. leg. *differentia*. pag. 355. ad marg. pro *fig. VI.* leg. *fig. IV.* pag. 356. l. 7. pro *A.* scrib. *O.* pag. 359. l. 10. leg. *habebis*. pag. 360. l. 26. pro *(AB)* leg. *CAB*.

*** *** ***

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Martii, Anno M DCC VI.

LINGUARUM VETERUM SEPTENTRIONALIum Thesaurus Grammatico-Criticus & Archaeologicus, Auctore GEORGIO HICKESIO, S. T. P.

Oxoniæ, e Theatro Sheldoniano, 1705, in fol.
Constat Alph. 11. plag. 21. chartæ major. multisque tabb. æneis.

De vetustissima Anglo-Saxonum lingua licet egregie jam meruerint Dugdaleus, Foxus, Junius, Lisleus, Lambardus, Marshallus, Parkerus, Seldenus, Spelmannus, Somnerus, Whartonus, Whelocus, ac nuper admodum Gibsonus, Rawlinsonus & Thwaitesius, qui omnes præstantiora quædam monumenta, idiomate isto conscripta, superiore & hac nostra etiam ætate typis vulgarunt: neminem tamen horum eousque sedulitatis progressum esse animadvertas, ut linguam pridem emortuam Grammaticis regulis attemperaverit. Intacta hæc laus mansit Virum Clarissimum Georgium Hickesium, Wigorniensis Cathedræ Decanum venerabilem, dum Institutiones suas Grammaticæ Anglo-Saxonicæ & Mœso-Gothicæ A. 1698 publico obtulit, quas Supplementorum Tomo I Sect. X quoque produximus; sed cum longe plura dicenda haberet, plura etiam dies & amicus unus atque alter ipsi suggererent, totius literaturæ Septentrionalis divitias excutere, indeque præsentem adornare Thesaurum voluit, hoc maxime favoris a civibus suis expertus, ut collato ære operis impressionem strenue promoverent. Illud vero in duos libros

dispescitur, quorum primus Autori potissimum, secundus Humphredo Wanlejo acceptum referendus. Nobis autem hac vice deliberatum, prioris solum notabilia investigare, ne nimio rerum pondere Lectoribus oneri simus, de altero libro alibi acturi.

Auspicatur ita Hickesius noster cursum suum Institutionibus ante dictis Grammaticalibus, quas Honorabili Viro, Roberto Pakintonio, Baronetto inscribit, simulque occasionem nanciscitur, multa Wiccii seu Wigorniensis pagi nomina topica, Saxonicam originem redolentia, commemorandi, tum Anscatici cognominis etymologiam a Cimbrica voce A, quæ *aqua*, *flumen* denotat, inque genitivo pluralis per *Anna* flectitur, & *Seat* sive *Soet*, *Sedes*, *habitaculum*, unde in compositione *An-seat*, *urbs maritima* vel *fluminea* dimanaverit, sat probabiliter derivandi. Multa insuper de Pakintoniæ gentis, a sexcentis jam annis inclytæ, splendore ac meritis recenset, quin & Arctoæ literaturæ studioso methodum discendi inculcat, dumque Evangelia Gothica a Franc. Junio F. F. luce donata legi jubet, hujus versionis non Ulphilam Mœsiæ Antistitem, sed quemvis potius alium Teutonicum hominem, rationibus haud ficulneis autorem statuit. Institutiones ipsæ tot opulentis accessionibus se commendant, ut plane diversæ videri possint; siquidem prioribus octodecim capitibus, magna selectissimarum observationum farragine hinc inde distentis, sex nova accreverunt, de variis nempe Anglo-Saxonicæ linguæ Dialectis, præsertim vero de Dano-Saxonica, tam in soluta quam ligata oratione, de Normanno-Saxonica, de Poetica Anglo-Saxonum, ut & Semi-Saxonica, seu potius corrupta Anglo-Saxonum Poesi, quæ paululum delibare non injucundum fore arbitramur. Scilicet cum tres epochas insigniores Saxonicam linguam habuisse constet, totidem etiam Dialectos eidem assignat. Unam, quam Saxones a primo suo in Britanniam appulsu, usque ad Danorum adventum, per 337 annos locuti fuerint, atque ab aliquali cum Pictis & Britannis mixtura, Britanno-Saxonicam dicendam putat, de cujus tamen ævi monimentis, si a veri Cædmonis fragmento & Harmonia forsan Evangeliorum Cottoniana discesseris, nihil superesse docet, adeoque ab ea consulto abstinet. Alteram, quæ a Danorum invasione, ad Normannorum usque conquæstum, per 274 annos in Septentrio-

trionalibus Angliæ Scotiæque Auſtralibus locis, antequam Canuti Reges univerſam Angliam ſubjugaſſent, inprimis viguit, Dano-Saxonicam, quin & Germano-aut Theotiſco-Saxonicam nuncupandam cenſet, propterea quod variarum gentium colluviem ſecum adduxerint expeditionis iſtius duces, quæ non Cimbricas duntaxat, ſed Theotiſcas etiam voces plurimas Saxonicis admiſcuerint. Hanc binis Evangeliorum verſionibus, quæ Rushworthianæ & Cottonianæ bibliothecæ cimelia ſunt, adhuc conſervari, cæterum ſi voces, ſcribendi modum, phraſes quoque peregrinas atque idiotismos ſpectes, intuitu prioris barbarie ipſa magis barbaram judicat. Quod ne temere aſſeruiſſe videatur, ingenti exemplorum numero demonſtrare contendit, quibus inhærere nolumus. Ad Poeticam vero delapſus, erudite colligit, hanc Dano-Saxonicam in omnibus fere imitari eam, quæ ipſis Borealibus poetis, puta Cimbrorum Scaldis aut Eddicis carminibus fuerit in uſu, ita ut quæcunque jam remaneant poemata Saxonica, ad Dano-Saxonicam dialectum tuto relegare liceat. Reprehendit ea de cauſa Fr. Junium, quod in Obſervat. ad Villeramum pag. 248, Hiſtoriarum veteris Teſtamenti paraphraſin, quam A. 1655 emiſit, perantiquam crediderit, ac Cædmoni ſecure nimis vendicaverit, cum tamen idem ſtylus geniusque ibi ſe prodat, qui in fragmento Hiſtoriæ Judith & Kalendario metrice exaratis occurrit, quæ ſane citerioris longe habenda eſſe ætatis, nemo inficias iverit. Tertiam denique Dialectum Normanno-Saxonicam ſive Anglo-Normannicam facit, quæ a Normannorum invaſione usque ad Henrici II R. ſeculum ſeſe inſinuaverit, ita tamen, ut inter hanc & modo memoratam Saxonicam adhuc aliam intrudat, Semi-Saxonicam videlicet, occidentalibus ſolum atque auſtralibus Angliæ plagis, circa confinia ſeculi noni ac decimi familiarem, quæ nimio Anglo-Saxonum erga Danos victores obſequio incunabula debeat, tamque altas egerit radices, ut veſtigia fere priſtini ſermonis verſus ſeculi decimi finem ac deinceps ignorarentur. Ideo autem Semi-Saxonicæ nomen illi doctos impoſuiſſe monet, quoniam inter puriorem Anglo-Saxonicum ſermonem & Anglicanum, majoribus ante centum & quinquaginta annos vernaculum, medias fere partes obtinuerit. Triplicem namque ſtatus quaſi mutationem paſſam eſſe Anglo-Saxonicam linguam, antequam

quam in Semi-Saxonicam degeneraverit, minimam quoad ſcribendi rationem, majorem quoad voces & phraſes, & maximam tandem quoad ſyntaxin, ceu pluribus exemplis evincit. Et quidem ſcripturam quod attinet, jam a temporibus Ælfredi Regis, qui Gallicanis doctoribus profecit, Saxonicam manum deſuetudine eviluiſſe, & Gallicam, ut nitidiorem & aſpectu magis gratam, civitate ſenſim donatam fuiſſe, tam ex Ingulphi Croylandenſis autoritate, quam plurimorum diplomatum aliorumque monimentorum, quæ æreis partim laminis inciſa proſtant, intemerata fide probat. Ad voces vero e Germanica, Danica & Normannica loquela adſcititias divergens, earumque ſignificationem operoſe explicans, inter alia meminit, quod ante Normannorum introitum, principum & magnatum conjuges maritorum ſuorum titulos apud Anglo-Saxones neutiquam affectare potuerint, ſed ex. gr. regina ſaltem audierit *das cyninges cwen*, Regis uxor; Auguſta vero *das caſeres cwen*, Imperatoris uxor, & ſic porro; iſtiusque ignominiæ cauſam Eadburga, Offæ R. Merciorum thalami conſors, tyrannide in proceres regni exercita præbuerit: quamvis nec illud diffiteatur, vocabulum *cwen*, uxorem antea indiſtincte ſignificans, poſtero tempore Reginam emphatice denotare cœpiſſe. Plura ſunt hujus generis non e trivio petita, quæ Reverendus Autor in medium profert, ſed is indigitaſſe haud contentus, quomodo Anglo Saxonicum idioma in Semi-Saxonicum, ac dein in Normanno-Saxonicum pedetentim abierit, curioſis quoque varia utriusque dialecti ſpecimina, e codicibus ac membranis antiquis ſuggerit, in quibus bene multa ad hiſtoriam patriam apprime pertinent. Circa Poeticam vero Anglo-Saxonum, quam nunc ex profeſſo adgreditur, ratione ſermonis obſervat, quod illorum carmina vel puriſſima Saxonica vel Dano-Saxonica dialecto compacta appareant, verbis præterea valde perſpicuis, nihilque a communi uſu abhorrentibus, legentium aures demulceant: Reſpectu metri innuit, eadem verſiculis trium, quatuor, quinque, ſex, ſeptem, octo, interdum etiam novem ſyllabarum abſolvi, ordine quidem non certo, rhythmico tamen eoque haud inconcinno conjunctis, ita ut ſæpiſſime verſibus tetraſyllabis & pentaſyllabis, plurium ſyllabarum verſus, absque regula, ad lubitum poetæ interſpergatur. Enneaſyllabos nu-

autem superantes versus rarissime inveniri in Anglo-Saxonum poematis, nisi quod dijudicatu difficillimum pronunciet, quot syllabis versus præcise consistat, tum quia syllabarum quantitas non satis explorata, adeoque ignoretur, quando duæ breves unius longæ vicem suppleant, tum quia diphthongorum potestas in *ea*, *eo*, *io* similibusque adhuc lateat. Sequuntur jam nonnulla fragmenta ante dictis lucem fœneratura, unde planum reddit, Saxones syllabarum mensuram non adeo sprevisse, uti quidem hodiernos nationis suæ versificatores facere videmus, qui pro arbitrio *longas*, (Autoris ipsissima verba sunt) *imo natura longas corripiunt, & breves, quidni dicam brevissimas, producunt*. Quod assertum tametsi in medio relinquimus, merito tamen veremur, ut omnibus persuadere queat, quæ statim annectit. *Ita quidem nostri*, inquit, *ita etiam exteri, per totam Europam poetæ, apud quos una carminis lex est, certum & definitum syllabarum numerum observare, nulla tamen observata syllabarum quantitate. Hoc solum jam versum facit; cujuscunque vero naturæ & temporis istæ syllabæ fuerint, id perinde esse creditur, modo certum syllabarum numerum coacervaverint. Abest itaque ab hodiernis carminibus pedum metricorum observatio, qui si ullibi occurrunt, casu sane id fit, non arte aut studio, cum promiscue licitum sit, cujusvis mensuræ syllabas cuilibet aptare loco, adeo ut de hujus seculi versibus dici possit, illos uno tantum pede decurrere.* Nam ut nostratium saltem Poetarum causam tueamur, quinam observantiores quæso mensuræ syllabicæ & congruæ temporum metricorum dispositionis, quam nostri? Et quis hodie tam parum defricatæ auris, ut versum vel tantillum a justa quantitate aberrantem sine nausea ferat? Sed cum Autore ad Rhythmum seu decoram pedum connexionem pergimus, quæ Anglo-Saxonum poematibus in tantum propria est, ut a lectoribus, vel non prænoscentibus esse carmina, ex incessu harmonico mox talia sentiantur, quemadmodum e variis reliquiis carminicis, ac in specie e Harmonia IV Evangeliorum Cottoniana, quæ *Liber Canuti* inscribitur, & licet liberi sermonis instar ac sine dispunctura metrica scripta cernatur, legentibus tamen Cædmonianæ indolis & Lyrici generis carmina subito detegit, apricum facit. Succedere tum jubet integrum Calendarium seu Menologium poeticum

N 3 Da-

Dano-Saxonicum, cum versione Latina atque annotationibus suis limatissimis, quas excipiunt notæ secundæ Saxonicæ, ex alio Menologio Bibliothecæ Cottonianæ decerptæ. Nec parciorem conqueraris in Semi-Saxonica seu corrupta Anglo-Saxonum Poesi pertractanda, siquidem & hanc diversis fragmentis, maxime pseudorhythmico carmine Anglo-Normannico de passione S. Margarethæ, tum satyra in monachos & moniales, nec non versione Symboli, Athanasiani vulgo dicti, notiorem reddit.

Alteram hujus Thesauri partem occupant Institutiones Grammaticæ Franco-Theotiscæ, quas Clarissimus Autor intra unius anni spatium confectas publicæ luci indulget, parum deterritus judicio magni cujusdam & celebris, ut ipse eum vocat, apud Germanos Viri, qui cum a nobili Anglo forte accepisset, Hickesium Grammaticam hanc contexuisse, *Monstrum*, inquit, *narras, & quod ab extero recte fieri posse non puto: Grammatica Linguæ Franco-Theotiscæ Theotiscum hominem poscit autorem; alienigenæ vires superat.* Ast minime ambigendum, quin præconceptam mutet sententiam, quisquis ille fuerit eruditorum, modo huc oculum conjiciat, & summam Nostri diligentiam, in sermone tantum non obliterato ad regulas Grammaticales adaptando, paululum examinare velit. De literis autem quia primo agit, Vossii aliorumque opinionem taxat, qui Francos nullas, ante receptam Christianam fidem, literas habuisse, aut scriptis quicquam consignasse crediderunt, cum tamen Eginhartus, optimus vitæ Caroli M. scriptor, eum barbara & antiquissima carmina, quibus veterum Regum actus & bella canebantur, scripsisse memoriæque tradidisse, diserte affirmet. Noster itaque carmina illa barbara, Gothica seu vetustiore Germanica lingua, Ariovisti aut Faramundi forte temporibus usitata, sed Carolino ævo non magis intelligibili, quam Franco-Theotisca monimenta nostræ ætatis hominibus esse solent, condita fuisse hariolatur, ac licet de literarum formis nihil certi constet, Cæsaris fide ad minimum liquere, Helvetios Græcis literis usos fuisse, idemque Tacitum quoque perhibere, nec incongruum videri, Germanos a Romanis postea debellatos cum lingua & literas eorum admisisse, in quibus Principum suorum res gestas descripserint. Adversari quidem prima fronte Tacitum, dum litera-

rum

rum secreta apud Germanos viros pariter ac fœminas ignorare testatur, sed per literarum secreta epistolas amatorias secretas, pudicitiæ muliebris tentatrices, intelligi debere, ex antecedentium & subsequentium verborum consonantia elicit. Trithemium sane Wastbaldi & Doraci Alphabeta, quorum illud Græcis literis simillimum; Rhabanum Maurum & Bedam Normannorum Alphabeta, Runicas figuras in plurimis referentia, depicta exhibere, unde manifestum effluat indicium, Francorum veteres sua habuisse literarum elementa, qualitercunque demum illa fuerint efformata. Cumque etiam maxima intercedat affinitas, inter Francicam linguam & Mœso-Gothicam matrem, de facili Ulphilanos characteres, seu literas Gotho-Græco-Romanas Francis, vel ante Clodovei I tempora, quem primum Christianæ fidei nomen dedisse novimus, innotescere potuisse. In hisce tenebris quamcunque tandem assumas conjecturam, id profecto lucraberis, antiquissima illa carmina, quæ Carolum M. addiscere calamoque excipere non puduit, literis seu Græcis, seu Latinis, seu Runis, seu Ulphilanis mandata fuisse. Convertitur deinde ad studia, quæ tum sæpe laudatus Imperator, tum Hrabanus Maurus, Ottfridus Monachus Wizamburgensis, Notkerus Labeo Abbas S. Galli, & Willeramus Abbas Uspergensis in linguam Franco-Theotiscam impenderint, quæque in ea reliquerint scripta, quæve hodienum superent, prolixe enarranda. Notkeri Psalmorum versionem e museo Dn. de la Loubere cura Joh. Schilteri, viri de bonis literis præclare meriti, prodituram annunciat. Cottoniani cimeliarchii codicem Evangeliorum harmonicum, poeticum & paraphrasticum eo elogio mactat, quod verborum copia & dictionis magnificentia cæteros Franco-Theotiscos scriptores longe antecellat, atque autorem Carolino seculo vicinum præ se ferat. Nec silentio præterit Tatiani harmoniam Evangelicam, quæ inter codices Junianos eminet. Duobus igitur hisce MStis Franco-Theotiscis ineditis confisus, tum aliorum opusculorum, quæ diu sunt impressa, suffragio munitus, non potuit non Grammaticam suam omnibus numeris perfectam reddere. Inprimis vero delectat, quod sub calcem ejus, nonnullarum vocum Gallicarum atque Italicarum primordia a Septentrionalibus linguis docte accersivit. Sic *Aleu*, a

La-

Latino - barbaro vocabulo *Allodium* descendere, hocque radices habere ait adjectivum Theotiscum *all*, quod aliis vocibus additum plenitudinem ac præstantiam importat, & Scando - Gothicum *lod* vel *lood*, quod annuum territorii proventum signat, siquidem in sensu forensi Gothico prædium liberum, cujus possessor usumfructum cum proprietate conjunctum & ab omni servitio immunem tenuerit, *allalod* nominatum fuerit, illud autem, quod ususfructus dimidiam partem, aut certum vectigal, aut servitium nobile vel ignobile superiori domino præstet, *halfalod* dici meruerit. Porro *Vassus* non a Theotisco *Fast* & *Fest*, quod stabilem & constantem notat, sed a Gothico *Fads*, negotii procurator, quod respondet Anglo-Saxonico *Fadian*, ordinare, dispensare, deducit. Orcadum etenim Præfectum *Faud* vel *Faad* salutari, atque in barbaris legibus urbium ac regionum præpositos, qui ex imperatorum & principum ministris ad hoc muneris eligi solebant, *thiufadi* nominari. Quoniam igitur aulicis Regum omnia fere officia committerentur, iis etiam beneficia seu feuda cederent, hinc evenisse, ut hujusmodi homines Regii ad aliquod munus obeundum constituti *Fadsi*, & deinde *Fassi* & *Vassi*, quia dignitatem involveret hoc nomen, audierint. Nullum autem successu temporis discrimen mansisse inter *Vassos* & *Vassallos dominicos*, non quasi Vasallus diminutivum esset a Vassus, sed quia compositum a *Fads* & Francico *Scalc* minister, unde *Fadsscalcus* & Latino-barbarum *Vassallus* dimanaverit. Hæc speciminis loco adduxisse sufficiat.

Tertiam sedem obtinet Runolphi Jonæ Grammatica Islandica, Hafniæ primum, ac deinde cum Mœso - Gothica ab Autore in Anglia publicata, jam vero largo fœnore aucta atque onusta. Potissimum quidem multifaria Alphabeta Runica, quibus Islandi linguam suam Cimbricam exprimere amant, tam e saxeis quam membranaceis monimentis, indefessa opera conquisivit, æreque delineari curavit, ac ne qua utilitate carere pateretur Runicæ literaturæ cultores, universam Runarum varietatem in una tabula collegit, quo ad Latina elementa relatæ significationem suam statim proderent; quemadmodum & in alia tabella illorum ductus e Græcis & Latinis literis propullulare ostendit. Elegantissimam in-

insuper delineationem monimenti Runici, Ruthwelli in Scotia superstitis, beneficio Reverendissimi Wilhelmi Nicolsoni, Episcopi Carleolensis, hic sistit, cujus explicationem ab eodem in libro *Northymbria vetus*, quem molitur, nos expectare jubet. Pedissequas autem addidit scripturas nonnullas, e codice Carminum miscellaneo Saxonico Ecclesiæ Exoniensis depromtas, quæ voces Runicas insertas habent, adeoque non injuria locum sibi hic exposcunt. Sub finem vero Grammatices, Dictionarium Islandicum, quod antea quidem lucem viderat, pluribus glossis, analogiam Gothicæ, Saxonicæ atque Anglicæ linguæ demonstrantibus, locupletatum adjecit.

Quæ jam succedit, Dissertatio Epistolaris ad Prænobilem virum Bartholomæum Showere, Equitem Auratum & magnum togæ Anglicanæ ornamentum, veram linguarum Septentrionalium utilitatem, cum voluptate tamen conjunctam, fuse expandit. Ab Anglo-Saxonica autem, prout Anglum decet, orditur Doctissimus Autor, & antiquissimum Curiæ Comitatus Herefordensis Recordum, seu Commentarium Saxonice scriptum, exempli loco affert, e quo varia notabilia eruit, quod nimirum apud Saxones Episcopus, in Curiæ consessu, cum Comite vel Vice-Comite ejus primas habuerit, paremque cum illo in jure dicundo potestatem exercuerit, id quod a Wilhelmo Conquæstore dein abolitum; quod omnes Thani, seu liberi homines, Comitatus sui conventibus interesse, nec citra pœnam ter emanere potuerint; quod omnium æqualia fuerint suffragia, & duodenus juratorum numerus adhuc incognitus; quod reo ad diem præstitutum per causam sonticam non comparente, Curia probos homines ad eum ablegaverit, qui rationes defensionis ipsius oretenus exciperent, & consessui fideliter renunciarent; quod in hujusmodi Curiis donationes, emtiones, aliosve contractus celebraverint, testamentave, perinde ac Romani in Calatis Comitiis, condiderint; quod denique Acta Comitiorum, ad perennem eorum servandam memoriam, in libros cœnobiales, maxime sacros, puta codices Evangeliorum, Liturgiarum &c., tanquam in tabulas publicas referre curaverint. Hinc plurimas manumissionum, pactorum, apocharum similiumque solennium for-

mulas accumulat, anathematum religione munitas, e. g. *Christus eum excæcet, qui hoc obliteraverit.* Cæterum a testium nominibus, quæ Actis sollicite subtexit, ad primordia cognominum nationis suæ indaganda exspatiatur, ubi post varias de patronymicorum formatione conjecturas, ita sentit, ulterioris ævi Anglo-Saxones raro binomines occurrere, nisi forte occasio postulaverit, ut cognomina patronymica sibi adsciscerent, vel necessitas urserit, ut ab ejusdem nominis personis cognominum ope discernerentur. E contrario Danos, Flandros, Islandos aliosque Boreales cognomina frequentius induisse, indeque accidisse, ut simul ac Dani aliqua duntaxat Angliæ parte potirentur, cognomina quoque invalescerent, Canuto vero toti Britanniæ imperante, ea non in aula solum, sed per reliquas etiam provincias personarent, donec Edoardus, qui apud Normannos enutritus in Normannum pæne transierat, regnum capesseret, & uti aliorum rituum abrogationem, ita & cognominum usum promiscue introduceret, adeo ut uninominem esse, opprobrii quid fere involveret. Tempus autem, quo personalia cognomina in gentilia abire cœperint, ad Cruciatorum ævum figit, quippe quo tribus & familiæ integræ nobiles insignibus certis, h. e. tesseris ac typis in scutis & vexillis depictis, designari gestierint, atque animadversa simul commoditate, quam gentilia cognomina lecta auditave præstare possent, ea genti suæ propria esse voluerint, quod plebejis peropportunum quoque evenerit, ut cum ad insignia gentis suæ aspirare non valerent, gentili tamen cognomine honorarentur. Quod vero acta in Curiis Anglo-Saxonum, plenissimum atque inviolabile robur acquisiverint, duobus instrumentis latius probat, & contendit, nec Wilhelmi Conquæstoris seculo Comitiorum autoritatem pessum ivisse, siquidem in causa Gundulfi Roffensis Episcopi & Pichoti Vicecomitis, Curiam Comitatus Cantuariensis, cui omnes probi legumque periti homines, tam Francigenæ quam Angli adstiterint, apud Pinendenam sententiam tulisse constet. Nondum enim causas, seu civiles, seu criminales, duodecim juratorum examini committi moris fuisse, veluti Coko, Seldeno & Spelmanno statuere placuit, eo quod Wilhelmo II ac Stephano regnantibus, totorum Comitatu-

tuum congregationes habuerint Angli, & Henricus II demum ad tollendam impiam duelli consuetudinem, judicio huic duodecimvirali campum aperuerit, illudque sanctione sua firmaverit. Hujus vero originem a Scanis Normannorum majoribus repetit Autor, qui eam politiæ formam ab Odino, Asarum duce ac regnorum Septentrionalium fundatore, acceperint, ita quidem, ut Rex seu judex duodecim assessores eligere ac nominare sueverit, quod progressu temporis litigantibus ipsis indulserit. Sed cum ordalio, duello ac compurgatione sensim prævalentibus, consuetudini isti derogatum esset, Regnerum R. cognomento *Lodbrog*, circa A. C. 820 eam, repudiato duello quoad causas minores, redintegrasse putat, donec Waldemarus, Scandiæ Daniæque Monarcha, A. C. 1163, in majoribus etiam causis rejecto ordalio, illam valere jusserit, circa idem ferme tempus, quo Henricus II in Anglia, ceu dictum, subditos suos hoc privilegio beavit, ut in omni controversia, quam monomachia decidere liceret, penes reum esset electio, utrum duello adversus actorem se defendere, an duodecim juratorum cognitione, quæ *Magna Assisa Domini Regis* appellatur, litem dirimi ac finiri mallet. Argumenta autem, quæ ab Anglicis JCtis hic in contrarium torqueri solent, ac si Saxonibus jam duodecimviralis ille consessus fuerit in usu, tam solide retundit Noster, ut facile intelligas, eum a veritatis tramite non deviare. Expeditis hisce, materiam testamentariam atque donationes Anglo - Saxonum strenue persequitur; ubi occasione testamenti MSti ab Ælfego quodam conditi in præsentia unius solum testis, S. Dunstani scilicet Archiepiscopi Cantuariensis, quod nihilominus Curia Comitatus jure subsistere debere pronunciaverat, morientibus propter temporis angustiam necessitatem plures testes convocandi apud Anglo-Saxones remissam fuisse, & coram singulari homine voluntatem suam rite declarare licuisse, conjectat. Donationes vero inter vivos, maxime prædiorum, vel nudo verbo, & gladii, galeæ, crateræ alteriusve symboli traditione, vel scriptura, quam interdum, majoris solennitatis ergo, cum annulo aut cespite super altare posuerint, celebrari suevisse. Suadet etiam, ut quis Chartularium Anglo-Saxonicum & Normanno-Saxonicum com-

pilare, inque illud, quicquid uspiam chartarum ac diplomatum hujus sermonis, qua libri impressi, qua MStorum foruli offerunt, colligere non pigretur, sed in eo tam subactum simul judicium requirit, ut Lectores monitis ac regulis necessariis præparare possit, quæ chartæ pro genuinis, quæve pro spuriis habendæ. Prolixi nimis evaderemus, si cum Autore vastissimum mare annotationum ad rem Diplomaticam pertinentium, quaqua hic patet, emetiri vellemus. Libidinem itaque nostram cohibendam ducimus, id indicasse contenti, instrumenta Anglo-Saxonum rubris aureisve literis resplendentia, vel rubris aureisve crucis imaginibus conspicua, falsitatis a Nostro, experientiam testem allegante, damnari. In legibus quoque Saxonicis constipandis, fertilissimam adhuc messem superesse, novamque earum, post Wheloci editionem, jure efflagitari; quem in finem Æthelberti I, Hlotharii atque Eadrici RR. Cantii Leges, a Celeberrimo Viro Johanne de Laet, Antwerpiensi, Latine translatas longo agmine inducit. Nec minus ad Homiliarum seu Concionum Saxonicarũ selectam Syllogen elaborandam Philo-Saxones instigat, eosque inescare videtur sermone pœnitentiali Lupi cujusdam Episcopi, ad populum Anglicanum in die jejunii, cum Dani terra marique patriam devastarent, habito, cujus Latinam versionem debet Clarissimo Wilhelmo Elstob, Collegii Universitatis apud Oxonienses Socio dignissimo, qui Ælfredi R. versionem Orosii libri Historiarum, Ormesta dicti, literario orbi aliquando communicabit, atque in nominibus propriis Septentrionalibus colligendis, illorumque fontibus eruendis, laudabilem operam huc usque insumit. Porro librum, qui *Cento Saxonicus* inscribi posset, desiderat, in quem fragmenta atque opuscula varia incertorum autorum, rerumque descriptioni inservitura, promiscue compingerentur, cujus farinæ reliquiæ rem nummariam majorum, & valorem Penningi, Scyllingi, Stycæ, Sceattæ, Thrimsæ, Helflingæ, Oræ, Mancusæ, Pundæ, &c. elucidarent, juramentorum etiam formulas, & materiam censualem, quin & tractationem de pace Regis & palatina, aliaque scitu perjucunda, in apricam lucem traherent. Quod consilium ut acceptius reddat, Historiam MStam Anonymi cujusdam, de Sanctis in Anglia sepultis, e codice Saxonico Collegii Corporis Chri-

Christi apud Cantabrigienses ipse promit. Proficuam quoque linguæ Saxonicæ scientiam ei futuram autumat, qui Britanniæ Saxonicæ Topographiam, tot votis a literato cœtu expetitam, in humeros suos suscipere velit; & tantum de Anglo-Saxonicæ linguæ commodis. Haud leviorem polliceri utilitatem cæteras Arctoas, puta Mœso-Gothicam, Franco-Theotiscam, & Scandicam seu Cimbricam, quandoquidem in hac potissimum plurima antiqua monimenta sint publicata, multa adhuc publicanda restent. Quorum unum, Hialmari nempe Regis Biarmlandiæ ac Thulemarkiæ Historiam, ab Anonymo, ante secula octo, Lingua & Runis Sueco-Gothorum antiquis in membrana scriptam, quam Clar. Joh. Peringskiold Stockolmiæ cum duplici versione edidit, integrum hic inseruit. Denique omnibus cujuscunque nationis Arctoæ Lexicographis, aut antiquitatum scrutatoribus, linguarum veterum Septentrionalium notitiam comparandam esse censet; ni operam ludere, seque turpiter dare malint, quemadmodum accidisse monstrat Aldrete, Becano, Ferrario, Heutero, Menagio, Lindenbrogio, Scrieckio, atque inter suos Bradyo, Coco, Lambardo, Savilio, Skinnero, Smitho, Tyrrello, Verstegano, Wheloco aliisque, qui nisi vel omnes, vel aliquas hasce linguas ignorassent, non adeo graviter hallucinati fuissent, asseclasque suos in fœdos errores præcipitassent, sane pensum suum felicius multo absolvissent. Francisci Junii è contra incredibilem harum linguarum peritiam decantat, serioque vovet, ut Etymologicum ejus Linguæ Anglicanæ, ad sempiternam Academiæ Oxoniensis, imo Angliæ universæ gloriam, propediem in lucem exeat. Idem sentit de ejus Glossarum Alemannicarum Thesauro, quarum insigne specimen adjicit. Tandem & delicias hasce, ad lectionem singulorum Autorum, qui de rebus Germanicis, Gothicis, Vandalicis aut Longobardicis quicquam consignarunt, oppido conducibiles fore persuadet.

Epilogum quasi primi voluminis constituunt Eruditissimi Viri, Andreæ Fountaine, Equitis Aurati atque Ædis Christi apud Oxonienses Alumni, Numismata Anglo-Saxonica atque Anglo-Danica, juxta Alphabeticam seriem ordinata, atque ab ipsomet brevibus ceris miniatulis illustrata. Palmarium hisce non injuria at-

tribueris pretium, tum quod eorum ectypi nitidissime exsculpti apparent, regumque imagines æque distincte ac in Byzantinis aut Francicis nummis repræsentant, tum quod locorum atque urbium, Archiepiscoporum, monetariorum aliorumque virorum illustrium nomina exacte conservant, adeoque plurimum ad historiam Anglicanam penitius imbibendam faciunt, multum priscæ literaturæ amore flagrantes delectant, ceu in præfatione ad Illustrissimum Comitem de Pembroke & Mongomery, magnum rei nummariæ Patronum, solertissimus Editor uberius exponit. Ultimas paginas implet descriptio clypei argentei, a colono, dum agrum aratro verteret, prope Sutton, Insulæ Eliensis oppidum reperti, cujus icon quoque appingitur. Is in ambitu verba aliqua obscura & magici forte generis habet, reliqua vero Saxonicæ sunt prosapiæ, quæ Hickesius noster Latine sic explicat: *O Domine, Domine illum semper defende, qui me circumgestaverit, illi vom sua concede.*

CRITICA HISTORICO-CHRONOLOGICA IN Annales BARONII, in qua rerum narratio defenditur, illustratur, suppletur, ordo temporum corrigitur, innovatur & Periodo Græco-Romana nunc primum concinnata munitur, Auctore P. ANTONIO PAGI. Opus posthumum, quatuor Tomis distinctum, ab O. R. ad annum 1198 perductum, cura P. FRANCISCI PAGI.

Coloniæ Allobrogum, sumptibus Societatis, 1705, fol.
Tomus I constat 7 Alph.

Cujus in Historiam sacram amor ac studium mirum in modum placuit viris, in hoc doctrinæ genere peritissimis, *Henrico Norisio, Joanni Ciampino, Emanueli a Schelstrate, Henrico Dodwello, Jacobo Basnagio* & aliis, *P. Antonius Pagi*, Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, natales debet *Rognis* oppidulo, quod decem passuum millia ab Aquis-Sextiis, celebri in *Provincia* urbe distat, anno 1624 pridie Kalendas Aprilis in lucem editus. Humili ita quidem natus est loco, sed neque eo plane impeditus, quominus summos in literis elegantioribus iisque difficilioribus, Chronologia puta & Historia, faceret progressus: quin modestiam potius, uti solet forte to-

tenui, auctam eo dixeris, & animi quoque candorem, quippe qui Scriptorem hunc eo adduxit, ut laudet non raro ac sequatur professos Ecclesiæ Pontificiæ, & maximi ejus defensoris Baronii hostes, non perperam arbitratus, veritatem ac eruditionem hautquaquam esse hæreticas. Ejusmodi virtutum ac doctrinæ subsidiis ad splendidas evectus in Ecclesia sua provincias, (diu enim, ut alia taceamus munera, Franciscanos ut Præfectus in Galliis moderatus est,) neutiquam aliis, quibus distinebatur, functionibus avocari se passus est ab Historiæ cultura, sed quamdiu inter vivos commoratus est, defectus, quos in ea observaverat, emendare adlaboravit. Testatur hanc industriam auctor elogii, quod Criticæ hujus præfationem excipit, *D. Ludovicus Du Four de Longuerice*, Abbas S. Johannis de Jardo ad Melodunum & Septem Fontium in Therascia, cui uti refert Pagii Nepos §. 10 procemii, multa debentur, operi huic inserta: testantur præsertim elucubrationes, quas in Chronologicis reliquit, eruditissimæ. Quas inter primo in lucem prodiit Dissertatio Hypatica de Consulibus Cæsareis, quam A. 1683 pag. 235 recensuimus, præambula egregii hujus Historiæ sacræ operis. Ea enim cum omnium applausu exciperetur, non dubitavit amplius Baronii emendare labores, quamvis ipsos non aggressus sit Annales, sed Spondani epitomen, eo quidem successu, ut anno 1689 peculiari tomo secula quatuor priora promulgarentur, præmissis Dissertatione de Periodo Græco-Romana & Apparatu Chronologico, sicuti id pluribus patebit ex recensione Tomi primi, anno 1690 pag. 369 a nobis exhibita. Dum vero cætera, ut orsus erat, assidue peragit, admonetur undique ab amicis suis ac fautoribus, universos ut Annales, non autem horum epitomen collustraret: quorum nutui ut gereret morem, mox tomos tres sequentes ipsis Baronii Annalibus attemperavit, jamque meditabatur primum eodem adornare modo, & emendare si quid forte erratum esset, retractare inprimis, quæ sexti Canonis Concilii Nicæni expositionem spectant, sed vix tentatis immoritur, anno ætatis suæ 76, mundi redemti 1699. Ita opus suum ultima destitutum lima reliquit nepoti P. Francisco Pagi, ejusdem Ordinis Doctori Theologo, sicuti & dissertationem de anno & die mortis S. Martini, Episcopi Turonensis, pariter imperfectam, quem die 9 Novembris anni 400 ad Deum migrasse statuit.

Is

Is obſequioſiſſima in Patruum mente, utriusque ſuſcepit curam, & poſterius quidem monumentum alia ſe occaſione publici facturum juris pollicetur, prius autem tali indutum facie promulgavit. Scilicet Præcognitis, poſt præfationem paululum immutatam, inſerti ſunt, inter Diſſertationem de Periodo Græco-Romana, & Apparatum Chronologicum, veteres Pontificum Romanorum catalogi decem, hactenus inediti, quos ex Bibliothecis, Regia, Colbertina & Thuanea deſcribi curavit, ut ex iis emacularetur liber Pontificalis Anaſtaſio vulgo adſcriptus, quippe qui toties a Viris Clariſſimis, Fabroto inprimis, Holſtenio & Schelſtratio recognitus ac emendatus, nihilominus, uti in aliis, ita in numeris præſertim manſit imperfectus. Unde in animum defuncti ſubierat conſilium, obſervationes præmittendi Chronologiam Pontificiam illuſtrantes, ſed morte præventus non niſi Pontifices, qui in iis deſunt, & identidem annos Chriſti in margine adpoſuit. Porro ipſam ſeculorum quatuor priorum hiſtoriam ordini reſtituit Baroniano, prouti Patruus intenderat, aliquotque ex mente ejus adjecit annotationes, ex quibus heic excerpemus eas, quæ ſeculo primo a nobis quondam recenſito acceſſerunt. Itaque ad annum Chriſti 1, ſuam denuo confirmat ſententiam, Dionis locum de XIV Cæſaris Auguſti Conſulatu eſſe corruptum, teſtimonio alius adhuc manuſcripti, in Bibliotheca Vaticana obvii. Circa annum 3 delevit, quod olim notatu dignum judicaverat, de Saturnino, ac ſi Syriæ fuiſſet præfectus, ut adeo etiam intercidant, quæ ex numismate a Toinardo ſecum communicato diſſeruerat. Anno 46 ad calcem ſubjicit conciliationem diſcrepantiæ Joſephum inter & Tacitum, de annis Syriacis regiminis Vibii Marſi, quam deprompſit ex diſſertatione tertia Noriſii de Epochis Syro-Macedonum. Quippe qui oſtendit, Tacitum uno hiſtoriæ filo varia narrare, quando res in Syria a Marſo adminiſtratas deſcribit; Joſephum autem aperte teſtari, quod, defuncto Rege Agrippa, qui anno Chriſti 44 mortuus ſit, Claudius Imperator ſucceſſorem Marſo miſerit Caſſium Longinum, cujus tamen præfectura non fuerit adeo diuturna. Quod ad annum 57 animadverterat, etiam diem Sabbathi in Quadrageſima Romæ jejunio fuiſſe conſecratam, retulit curis hiſce ſe-

secundis ad annum 55, collustratis præterea argumentis pro jejunio Sabbathi in Ecclesia Romana, quæ in priori editione ex Quesnello curate excerpserat. Qua occasione candide ei adstipulatus est, *nosse omnes, in more fuisse apud Monachos & Clericos, homilias sermonesq; S. S. Patrum suis aptare usibus, atque aliqua addere, quæ propriè convenirent solennitati*, ut inde etiam Leonis locum, qui vulgari opponi solet sententiæ, insititium esse evinceret. Ad annum 67, circa §. XVII finem, inseruit censuram in Papebrochii sententiam, primis duodecim cum dimidio seculis tempus cujuscunque Pontificatus, non ab electionis, sed ab ordinationis Episcopalis die, esse numeratum, cum Leo IX jam anno Christi 1049 a die electionis suos deduxerit annos, non vero a die consecrationis: quem & alii postea sint secuti, quamvis seculi demum duodecimi initio hæc numerandi ratio prævaluerit. Eidem anno & quidem §. XXIV adjecit ordinem fastorum in Ecclesiis Cappadociæ receptum, & §. XXV observat, solemnia Natalitiorum & Epiphaniæ Christi in Oriente diversis celebrata esse diebus æque ac in Occidente, testatus Gregorii Nazianzeni orationem XXXIX in Epiphaniam, & Chrysostomi sermonem XXXV de Nativitate Christi ex Tomo V Operum illius. Animadversionibus ad annum Christi 69 institutis, & quidem §. X, accessit nova ex Dione, a Valesio olim excerpta, qua ostenditur, Bithyniam ante Hadrianum provinciam fuisse populi, eo autem imperante a populo Romano in Imperatorem translatam. Porro mutavit quoque annum, quo S. Cletus in Pontificatu Romano successit Clementi, & quod antea anno Christi 75 contigisse statuit, nunc ad annum 77 retulit. Tandem notatu dignum censuit, Trajanum anno Christi 97 ante mensem Novembrem a Nerva esse adoptatum. Hæc fere sunt quibus altera hac recognitione seculi primi historiam Auctor emendavit, unde B. L. de cæteris tribus feret judicium; alii tamen servamus tempori, Tomorum sequentium, qui prima nunc vice in lucem prodierunt, recensionem.

NOTITIÆ ORBIS ANTIQUI, SIVE GEOgraphia Plenioris Tomus alter, Asiam & Africam antiquam ex-

 po-

ponens. CHRISTOPHORUS CELLARIUS ex vetustis probatisque monimentis collegit, & novis Tabulis Geographicis, singulari cura & studio delineatis, illustravit. Adjectus Index copiosissimus rerum & locorum.

Lipsiæ, impensis Gleditschii senioris, 1706 in 4 chartæ augustæ.

Constat Alph. 6, plagulis 15, & Tabulis Geographicis 13 ære expressis.

QUinquennium est, cum Clarissimus Auctor Tomum I Notitiæ Orbis Antiqui, sive Geographiæ Plenioris ederet, quo non tantum partem generalem antiquorum Geographiæ expositam dedit, sed speciatim etiam Europam universam tam verbis, quam tabulis æri incisis illustravit: quem Tomum A. 1701 mense Martio recensuimus. Ita autem hic liber a cunctis, qui elegantiores amant literas, etiam ab exteris, exceptus adprobatusque fuit, ut alterius, quo id opus continuatur & absolvitur, non mediocris fuerit exspectatio. Hic bonis nunc auspiciis se prodit, non minori cura & studio elaboratus, quam prior; immo tanto majori, quanto difficilius est per Africam Asiamque, longius remotas terras, & ob id minus cognitas, peragrare, quam versari in Europa describenda, in qua insignes duces per varias se partes offerebant, Cluverius, Valesius, Camdenus, Palmerius, & alii, qui in citerioribus antiqui Orbis regionibus pervestigandis multum studii atque laboris collocaverunt: in Africa autem dicit Auctor, & in Asia qui nostra vel patrum memoria pari studio præiverint, vel paucos admodum sibi visos esse, vel omnino nullos, si a Palæstinæ seu Terræ Sanctæ descriptoribus discedatur: qui vero nec ipsi, quod sæpius aberrent, & conjectura potius sua, aut fabulosa traditione nitantur, sibi usui fuerint. Laudat tamen Jacobum Bonfrerium & Joannem Lightfootum, quorum opera in Palæstinæ descriptione se sæpe usum fuisse, non ingratus confitetur. Volumen ipsum in duos libros dispescitur, tertium qui Asiam continet; & quartum, qui Africam. Primus autem liber & secundus Tomo priore comprehensi sunt. Asia, quæ tertii libri est, per regiones distributa est in Capita XXIV, quorum in primo divisio totius Asiæ

in

in majores partes & varias appellationes descripta est: altero insulæ Ægæi & proximi maris, spectantes Asiam, quia in Asia maxime occidentales sunt, & in principio ejus, explicantur: quarum præcipuæ sunt Lesbos, Chios, Samos, Patmos, Cos, Carpathus, Rhodus. Capite tertio & quarto descriptus est antiquus status Asiæ, quæ cis Taurum est: illo quidem ejus maritima ora, nobilissimas regiones complexa, Mysiam, Troadem, Æoliam, Ioniam, Cariam, Lydiam; hoc autem sive quarto mediterranea ejus cis Taurum partis exponuntur, id est Lydiæ vetustum regnum, Phrygia, Gallogræcia, Pisidia, Lycaonia cum tractu Homonadensium. Capite quinto Asiæ ejusdem status, qualis sub Romanis fuit, qui provinciam, quam Asiam proprie dixere, imposuerunt; nec non Amyntæ regnum explicatur: sexto Pamphylia & Cilicia utraque, id est tam propria & Campestris, quam Aspera & Isauria perlustrantur: septimo Cyprus insula cum vicinis minoribus: octavo Ponticæ regiones, hoc est Bithynia, Paphlagonia, & Pontus Mithridaticus, ex quibus postmodum provincia Romanorum Pontica facta; item Cappadocia, quæ a Ponto usque ad Ciliciam patet, declarantur. Atque hæc omnia una Tabula Asiæ Minoris, in totidem regna, regiones, provincias & respublicas divisa, non sine singulari artificio illustrat. Hinc in septentrionem conversus Auctor Colchos, Bosporanos, Mæotas Capite nono exponit, etiam singularem his gentibus & Sarmatis Tabulam dedit: decimo Iberiam & Albaniam; undecimo Armeniam utramque explanat: duodecimo in Syriam descendit, cujus cum antiqua facies, tum cultior sub Macedonibus & Romanis status ostenditur. Copiosius autem, quam cetera, est Caput XIII, quod Palæstinam seu Terram Sanctam continet, quæ omnis, cis & trans Jordanem, ex genuinis documentis Sacræ Scripturæ, Josephi, Eusebii, Hieronymi, aliisque Historicis antiquis & Geographis, pro temporum diversitate clarissime demonstratur: etiam Tabulas Terræ Sanctæ, a variis adhuc editas, innumeris locis clarissimus Auctor correxit, aut novam potius & suam substituit. Quod vel solum caput ubertate sua (plus enim ducentis paginis constat) & sacratioris usus gratia, hunc librum commendare cum primis potest. Sequentibus tribus, XIV, XV, XVI Arabiam, Mesopotamiam, Babyloniam &

Chaldæam, itidem in sacris nominatissimas regiones, tractat, in quibus præ ceteris laudanda sunt, quæ de sancti Jobi sede in Deserta Arabia; & de patria Abrahami ejusque migratione in Mesopotamia & Chaldæa disputantur. Reliquis Capitibus Assyria, Media, Persis, Parthia, Bactria, Sogdiana, Aria, Gedrosia, India, Scythia succedunt, æque accuratis Tabulis, ut superiora omnia, illustratæ.

AFRICA, quæ librum quartum implet, ab oriente in occidentem progressu facto, contra morem Geographorum, explicatur. quod doctissimus Auctor non tantum vetusti Geographi Scylacis Caryandensis auctoritate & exemplo, qui eandem viam in Africa secutus est; verum etiam ratione non pœnitenda tuetur & defendit. Quemadmodum enim ex Europa in Asiam ad ortum Solis versus progrediendum fuit; ita ex Asia in Africam, nisi declinando ad occasum, continuo itinere veniri non potest, quia apud Ægyptum communis est utriusque terminus. Veteres quidem Ægyptum vel totam, vel majori ex parte, vel solam quæ trans Nilum est, adjudicaverunt Asiæ, quam vero noster Auctor jam tum libro I seu generali parte, ubi de magnis Continentibus egit, totam Africæ vindicavit. Ægyptus ergo ex Asia venienti regio prima est Africæ, ad utramque Nili ripam late longeque patens, cui quod non desunt antiquitatis & historiarum testimonia, copiosius etiam describi & explanari potuit, præsertim nobilior illa pars, quæ inter alveos & ostia Nili est, aut illis proxima & parallela. Quod vero ceteræ Africæ tantum præsidii non est in historiis, etiam parcior illius fit explicatio. Sunt quidem in Africa Propria seu Carthaginiensi ex Romanorum bellis & itineribus, etiam ex Geographorum enarratione, plura cognita, nec vero pauca ubique supersunt, quæ in incertis relinquuntur, idque vel ex solis Sallustii & Cæsaris commentariis clarissimus Auctor demonstrari posse existimat. Marmarica sterilis est, & pauca ex illa cognita. Cyrenaica nobilior propter Græcas, aut Græco-Ægyptias colonias. Numidia & utraque Mauretania, ex quantiscunque fieri potest, documentis antiquis declarantur. Interior Africa & Æthiopia cum ceteris, quæ in austrum vergunt, quo Romani exercitus non penetrarunt, Ptolemæi potissimum fide, quod desunt alii,

alii, descripta sunt, etiam, ut superiora omnia, Tabulis æri incisis, iisque, quoad historiæ sinunt, emendatissimis, illuminantur: quarum quinque sunt in Africa, prima Ægypti, Marmaricæ & Cyrenaicæ conspectu uno: secunda τῦ Delta, seu ostiorum & alveorum Nili, quæ notior & nobilior pars Ægypti fuit: tertia Africæ Propriæ sive Carthaginiensis: quarta Numidiæ & Mauretaniæ: quinta Africæ interioris. Index præfixus est Capitum & Tabularum, ideo non inutilis, quia non singulis Capitibus adjectæ sunt Tabulæ geographicæ, ut, ubi cujusvis regionis delineatio sit, facile quisque inveniat. Alter Index, sub calcem operis, est copiosissimus locorum & rerum aliarum geographicarum, qui id commoditatis habet, ut singulis fere vocabulis nomen regionis aut gentis adscriptum teneat, quo a ceteris ejusdem nominis discriminetur, ne quis inquirendo fatigetur, sed statim videat, quodnam ex multis genuinum sit quod investigatur, sicut etiam in Indice Tomi prioris factum est.

Johann Christoph Wagenseils von Erziehung eines Printzen/ der vor allem Studiren einen Abscheu hat.

hoc est:

JOHANNIS CHRISTOPHORI WAGENSEILII de educatione Principis, qui literarum studia prorsus aversatur.

Lipsiæ, apud Jo. Heinichii Viduam, 1705. 4.

Alphab. 1. pl. 20.

DE Educatione Principis, aut eminentioris fortunæ adolescentis, cujus animus alienus est ab omni literarum studio, & vel ad artes militares, vel ad venationem, aut voluptatem etiam pronus fertur, expositurus Celeberrimus Autor, cujus mortem supra mense Januario significavimus, id sibi agendum potissimum arbitratus est, ut præscriberet rationem, qua eidem morum non modo præcepta instillarentur optima, sed variarum etiam disciplinarum traderentur prima elementa. Adjungit vero huic jam a primis inde

annis duos pueros, vel sortis quoque vilioris, sed indolis tamen rectæ atque capacis, qui ætate aliquantum antecedentes, doctique legere, scribere, numerare, quin & Musicæ artis, atque Latinæ linguæ non prorsus expertes, & varias rerum ad navem instruendam non minus, quam urbium munitiones pertinentium callentes appellationes versentur cum Principe puero & colludentes sua ipsi consuetudine earum dent notitiam. Egresso deinde infantiam studiorum atque vitæ formatorem adducit, quem non vulgari aut Præceptoris, aut morum Magistri nomine vult insigniri, sed Chironem potius, accepto e fabulis vocabulo appellat, prout apud Italos Matteo de Teglia libro suo, in quo describit officium ejus, qui peregre abituro Principi comes & moderator adjungitur, titulum fecit: *Il Chirone itinerante.* Is præsens semper magnæ dignitatis adolescentem rerum scitu necessariarum ita imbuit cognitione, ut non adsidere sibi per horas integras, & cum tædio, quæ traduntur, ipsum jubeat ediscere, sed modo quærendo, modo admixtis prudenter jucundis narratiunculis, edisserendo varia vel ludentem quoque ac deambulantem erudiat. In toto ergo hoc libro Chironis habentur sermones, quibus commissum sibi Principem ad pietatis ducit studium, scribendique & numerandi modum cum linguis, Latina, Gallica, Italica docet, & ex Ethica, Geographia, Historia, Physiognomia, Chiromantia, Musica, & disciplinis Mathematicis aliis, Logica, Rhetorica, Botanica, Politica, Oeconomica, Heraldica &c. nonnulla delibando, ne ignarus plane sit earum artium, perficere conatur. Sicut autem multorum & rariorum librorum lectione juxta sedula, ac peregrinando quoque crebraque consuetudine cum doctis Europæ nostræ atque illustribus etiam Viris præclaram sibi eruditionem & doctrinam Wagenseilius comparavit: ita flores hinc lectissimos non parca adspergit manu, & suavi optimarum rerum varietate lectorum animos mirifice delectat. Nos pro more nostro quædam enotabimus. Ex vita Casparis Colinii, rei maritimæ apud Gallos olim præfecti, memoratur, quod factis ex ebore militum icunculis, vix trium annorum puer, tanquam exercitatus aliquis in diribitorio dux recensere exercitum, & aciem instruere calluerit, additque quod Weigelius, in aulas Saxonicas identidem adventans, colludens utrius-

pag. 14.

usque sexus Ducum Serenissimorum liberis chorum duxerit, baculumque manu tenens atque præcinens prima numerorum elementa & multiplicandi eosdem rationem (quod ipsi dicebant, das Ein mahl Eins spielen/) succlamantes læte & exultantes docuerit. Exponit idem de mulierum quarumdam Genuensium instituto, p. 31. quæ seculo XIII post N. C. ductæ pietatis studio, armatæ in Palæstinam transire, atque collectæ in agmen ad sacrum ibi bellum accingere semet voluerint, singulari inde Bonifacii VIII ejus temporis Pontificis ornatæ encomio, quod Genuæ in Ducali Palatio a se descriptum integrum apponit. Mentio ab ipso injicitur equestris olim p. 43. turmæ ductoris in exercitu Cæsareo, qui conspicuæ alias virtutis vir, scriptoriæ tamen artis ita fuit ignarus, ut vix figuram eam HH nominis sui Hans Heinrich Hayn initiales literas exhibentem potuerit pingere. Occulte etiam scribendi modus quidam, quem *Rebus de Piccardie* dicunt, ejusque exemplum ex libro quodam Gallico adducitur, ubi sex Græcæ literæ cum tribus vocabulis monosyllabicis conjunctæ sensum dant integrum effati Italici h. m. Ne p. 47. la ΦΔΦΝΡ la Β *Nella fideltà finiro la Vita.* Laudat noster Joannis p. 54. Neperi Angli singulare inventum numerorum artem docendi per bacilla, quibus numeri nimirum inscripti, singulari Rhabdologias libro expositum; dumque ad ludos & oblectationes sui Principis p. 62. digreditur, Turcæ cujusdam, *Buzecca* dicti, facit mentionem, qui Florentiam aliquando venit, & latrunculorum sive Schachici ludi sciens fuit adeo, ut uno tempore cum tribus collusoribus decertans in tribus distinctis tabulis latruncularii victor evaserit; qua occasione pagum nominat Stropecke haud procul Brunsuiga situm, in quo rustici artem illam tenent omnes & liberos suos etiam docere adiguntur, liberati id propter tributorum omni collatione, & Principi suo sacramento subditos obliganti nonnisi tabulam cum latrunculis ex argento factis offerre jussi. Ad corporis p. 76. exercitia delatus celebrem saltatoriæ artis magistrum in Gallia Beauchamp rationem reperisse tradit, qua certis quibusdam characteribus, velut Musicis notis odæ decantandæ, sic saltationum diversa genera delinearentur, quam scientiam suffuratus ipsi Feuilletus quotannis novos chorearum modos curet imprimi. Insigne est inventum P. Coronelli, qui Venetiis dudum floruit, singulari p. 90. ar-

artificio saccos exhibentis, quibus pulvis pyrius ita servatur, ut, nec igne, nec aqua, damnum ipsi quodpiam possit dari, & Mediolani, Augustæ Taurinorum atque Parmæ saccum ejusmodi repletum contectum trecentis pulveris pyrii libris, ac admoto eidem deinde igne deprehensum fuisse experimento, ad tectum hoc involucro pulverem eum ignem non potuisse pertingere, quin & Alphonsum Ferrariæ Ducem, quod Naudæus in Syntagmate de Studio Militari narret, pulverem dedisse pyrium, qui igne tactus citra ullum sonitum dissiluerit.
p. 101. Donatum sibi, scribit porro, per amici testamentum annulum, in quo M. Aurelii Imperatoris & ipsius conjugis effigies cælato opere in Achate elaboratæ conspiciantur, quem ex Clementis VII thesauro in famosa Romæ urbis direptione olim ablatum ingentis pretii esse statuit, cum ars illa ita ornandi gemmas, ut figuræ & signa emineant (nos appellamus erhabene Arbeit/) inter deperditas jure numeretur, & annulum suum exinde Ottonis nummo æneo, quorum unum Judæus quidam, Isaac Seligmann, Furthæ degens, Francofurti aliquando 1100 uncialibus vendiderat, longe anteponit.
p. 102. Sunt in Romani Pontificis Vaticano horto statuæ Phidiæ atque Praxitelis, valoris supra quam potest dici, ut Herculis truncus, Antinous & Laocoon, quas Michael Angelus magni nominis artifex ita æstimavit, ut cœcus in senili etiam ætate deduci se in hortum fecerit identidem, & easdem ubique contrectaverit, complexusque fuerit & osculatus.
p. 109. Ut de Stylo lapidario constet aliquid Principi, Inscriptionem illam, qua Philippi IV mandato janua ad Pantheon Scorialense, nobile conditorium, ferens ornata est, ex Francisci de los Santos edito a. 1657 de Monasterio Scorialensi libro Hispanico apponit, quam, cum nec in Itinerario quodam, neque in Hispaniæ descriptione ulla legatur, operæ pretium est hic inserere:

D. O. M.
LOCUS SACER MORTALITATIS
EXUVIIS CATHOLICORUM REGUM
A RESTAURATORE VITÆ CUJUS ARÆ MAX.
AUSTRIACA ADHUC PIETATE SUBJACENT
OPTATAM DIEM EXPECTANTIUM

QUAM

QUAM POSTHUMAM SEDEM SIBI ET SUIS
CAROLUS CÆSARUM MAX. IN VOTIS HABUIT
PHILIPPUS II. REGUM PRUDENTISS.
ELEGIT
PHILIPPUS III. VERE PIUS INCHOAVIT
PHILIPPUS IV.
CLEMENTIA CONSTANTIA RELIGIONE
MAGNUS
AUXIT ORNAVIT ABSOLVIT
ANNO DOM. M DC LIV.

Ut Pontifex R. eligatur, & Cardinales novi soleant cooptari, quæ Jubilæorum & Canonisationis, quam vocant, ceremoniæ sint, accurate quoque commemoratur; & de Philippo IV, quem aliquoties posito triclinio cœnantem in Hispania Wagenseilius vidit, refertur, quod ita sermonis parcus fuerit, ut per integras horas imo interdum per octo dies nullum ex ipso auditum sit verbum; unde e Gasconia quidam asseveraverit aliquando, non esse in vivis amplius Regem, sed ejus loco simulacrum quoddam νευρόσπαστον populo interdum ostendi. De apodemica arte exponens, inscriptiones varias adducit, & inter has quandam Genuæ in horto aliquo lectam sibi ait, qua Joannes Andreas Doria sepulchrum canis sui Gran Soldano, sub Jovis colosso publice defossi ornavit. Sunt digna etiam lectu, quæ de fatis Mensæ Isiacæ, inclyti istius κειμηλίυ, disserit, utque ea ex direptione Romæ in manus fabri cujusdam ferrarii, inde ad P. Bembum Cardinalem pervenerit, tandem in gazophylacio Mantuani Ducis ad A. 1630 fuerit adservata. Etsi vero in illius urbis deprædatione evanuisse eam Kircherus testetur, bonum tamen nuntium statim annectit, quod nimirum Augustæ Taurinorum illa jam habeatur, inter ferramenta & rejectanea in obscuro quodam loco reperta forte, & ab Archiatro Viduæ Ducis Victoris Amadæi Christinæ, & ipso thesaurum hunc pro merito non æstimante, sibi ostensa, ut adeo, ubi conspici nunc possit, hoc indicio Wagenseilii nostri constet. Notabilis est quoque descriptio Vallis Batuecas in Legionis regno, haud procul Salamantica, sub imperio Philippi III demum detectæ, & nullius peregrinatoris calamo delineatæ, cujus

p. 170. seqq.
p. 204.
p. 221.
p. 226.
p. 232.

qui situs & indoles, longo tandem labore e Patre quodam Domini-
p. 238. cano Noster vix didicit. Tum Francisci Barberini Cardinalis humanitatem deprædicat, utut gravissimis negotiis semper urgeretur, peregre tamen advenientibus conveniendi semet copiam continuo dantis, & cum Geographiæ studio cumprimis delectaretur, de
p. 247. patria cujusque accurate sciscitantis. De Carolo Gustavo, Suecorum Rege, ex ipsius fratris Adolphi Johannis ore id hausit, quod antequam Sueciæ præesse juberetur, venationibus supra modum fuerit deditus, ita ut raro in aula, crebrius vero in arce quadam ageret, canum suorum domicilio, quin & in sermonibus statim ad venationem dilaberetur, sed idem tamen Christinæ Reginæ imperio semet abdicanti suffectus, ne ullum quidem venationis aut canum desiderium amplius prodiderit. Quod Æneas Vicus, Parmen-
p. 255. sis, in libro *Discorsi sopra le Medaglie degli Antichi* annotavit, meretur ex ore Chironis huc transcribi: scilicet Nobilis quidam Martini ordinis Hierosolymitani eques in Rhodo insula statuam repererat æris Corinthiaci, cui tamen dimidius pes deerat, quam cum Venetias ferret, & Cardinali Bembo monstraret, recordatus hic sibi aliquando pedem dimidium ejusdem materiæ in agro Patavino quodam erutum apportatum esse, cumque afferri illum curasset, accurate deprehensum est, esse illum statuæ Rhodiensis ejus
p. 265. partem. Idem Chiron Principi suo institutum illud laudat, quo A. 1524 in aula Ludovici Electoris, Heidelbergæ tum præsentes XVI Electores Principesque, ut dejerandi libidini & insanis ad potandum invitationibus mederentur, certas sibi suisque leges præscripserint, quas in Michaelis Hebereri Ægyptiaca servitute, & non alibi forte legendas, integras repetit. Circumivit superiori seculo qui-
p. 279. dam ex insula Maltha homo, Blasius Manfredus, qui, spectantibus cum admiratione multis, magnam aquæ copiam ingurgitavit, & artificiali vomitu vinum, cerevisiam, aquas odoratas, & lac pro lubitu egessit, quod, qua ratione factum, beneficio Illustris Magliabecchii didicit Noster, & expositionem totius artificii subjecit.
p. 293. Unum adjicimus, quod ex Alexandro VII ipse audivit, cum Comitem quendam Germanum, cui aditus ad hunc Romanum Pontificem tum forte patebat, in angustum conclave fuisset comitatus; scilicet in Germania Nuncius cum Monasterium profici-
sce-

ſceretur, miratum ſe dixit, qui fieret, ut in noſtra lingua integra vox Schlitz/ſex conſonantibus conſtans, una vocali animaretur, & eam, qua pagus quidam inſigniebatur, longo ſe vix labore potuiſſe pronunciare.

EUSTACHII MANFREDII EPISTOLA AD VIrum Clariſſimum DOMINICUM QUARTAIRONIUM, qua Anonymi aſſertiones XVI pro Reformatione Calendarii ab illo impugnata vindicantur.

Venetiis apud Anton. Bartoli 1705 in fol.

Conſtat plag. 16.

ANno ſuperiori menſe Julio pag. 320 & ſeqq. Reſponſiones Clariſſimi *Quartaironii* ad aſſertiones nonnullas Anonymi pro reformatione Calendarii Gregoriani recenſuimus. Illas tamen non ſufficere credit *Manfredius* ad eas evertendas: quin potius, iſtis non obſtantibus, cum Anonymo facit, inprimis cum eadem ſententia Viris ob ſcientiam Aſtronomicam famigeratiſſimis, illuſtriſſimo *Blanchino* & *Dominico Caſſino* probetur, quorum is in *Solutione Problematis Paſchalis*, menſe Julio anni ſuperioris nobis enarrata, nec non in duabus diſſertationibus *de Cyclis Cæſaris & Hippolyti*, item *de Numo & Gnomone Clementino* ad nos nondum delatis; hic vero in diſſertatione Commentariis Academiæ Regiæ Scientiarum anni 1701 inſerta, mentem ſuam expoſuit. Ipſas Anonymi aſſertiones verbotenus exhibet, reſponſiones *Quartaironii* in compendium miſſas ſubjungit, & quid circa easdem ſibi monendum videatur, ad ſingulas notat. Aſſertiones & reſponſiones ad easdem in compendium miſſæ leguntur in Actis noſtris loco citato, quæ vero Manfredius ad ultimas regerit, eorum ſumma in compendio huc redit. Docet ſcilicet, quæſtionem, an Paſcha anni 1700 die 11 Aprilis rite celebratum fuerit? duplicem habere ſenſum. Aut enim quæri, an celebratum ſit congruenter ad Cyclum Epactarum, quo tanquam Paſchali regula utuntur Gregoriani? aut, an conveniat Eccleſiæ inſtituto antiquiſſimo, Pontificum & Conciliorum Canonibus, etiam ante Nicænam Synodum & Aurei Numeri Cyclum, confirmato, de-

celebrando Paschate prima Dominica post decimam quartam primi mensis, hoc est, an cyclus Epactarum, qui anno 1700 Lunam decimam quartam die 4 Aprilis exhibuit, hoc anno cœlo conformetur? In posteriori significatu Anonymum quæstionem decidere, nec tamen propterea negare, si forte cyclus a cœlo dissensisset, Pascha legitimum fuisse: sed tantum cyclum, qui, si sæpius in hoc peccet, atque Pontifici ita videatur, corrigi debere. Cyclus igitur num legitimus sit, ex ejus cum motibus cœlestibus conformitate, colligendum esse, juxta ipsam *Clavii* mentem. Nusquam *Gregorium XIII* & *Clementem VIII* adeo mirabilem legem promulgasse, immo promulgare non potuisse, ut Astronomi in posterum plenilunia ad dies ab eo diversos, qui Astronomicis regulis convenit, seu quo eadem in cœlo contingunt, supputent, cum nullum sibi in motum siderum imperium arrogaverint. Neminem eorum, qui vel pro *Clavio*, vel contra eum scripsere, erroris in calculo pleniluniorum mediorum commissi meminisse; primum eundem detexisse *Cassinum* in *Regulis Astronomiæ Siamensium* A. 1689 editis. Epactas Clavianas omnino adversari menti *Gregorii XIII*, compendio *Lilii*, consensui orbis Christiani, motibus cœlestibus, immo Nicænæ quoque Synodo ac Patrum exemplis.

JOHANNIS DOLÆI TRACTATUS NOVUS DE Furia Podagræ lacte victa & mitigata, propria experientia conscriptus.

Amstelodami apud Janssonio-Waesbergios, 1705, in 12.
Constat 7 plagul.

Methodus lac arthritide vexatis propinandi jamdiu nota, sed a plurimis Medicis, tanquam summe noxia, mortemque accelerans hactenus impugnata fuit. Extiterunt tamen non minus antiquis temporibus, ut *Cornelius Celsus*, quam nostro ævo, *Greiselium* puta, *Sachsium*, & *Waldschmidium*, qui insignem ejus efficaciam contra arthriticum furorem scriptis satis laudare non potuerunt. Sic & literæ quædam a Nobili Gallo, qui ipsemet cum aliis per longum temporis spatium sævissimos arthritidis dolores sustinuerat, jam autem usu lactis curatus per plures annos bene-

va-

valet, conſcriptæ, *Clariſſimo Doleo* fuerunt communicatæ, ex quibus hic magnam potus lactis efficaciam mirabundus intelligens, & ipſe Caſſellis ejus uſum pluribus ægris, ſimili morbo detentis, ſuaſit, qui omnes, regulis circa uſum ejus neceſſariis rite & exacte obſervatis, optime ſe habuerunt, adeo ut quidam fere contracti jam iterum incedere, imo ſaltare potuerint. Hinc experientia certiſſima pariter ac ratione fretus, divinum hoc remedium, ex ſingulari gratia divina in ſolatium tam crudeli morbo affectorum conceſſum, præſenti in opuſculo communicare ac confirmare, utque alii pariter inde emolumentum conſequi valerent, deſcribere non fuit gravatus.

Conſiſtit autem dicta cura in hoc: Præparari ante omnia debet corpus, cibos εὐπέπτους & potum tenuem mediocriter aſſumendo, purgantia uſurpando, ab animi affectibus & Venere abſtinendo, radicesque morborum, cum arthritide complicatorum, eradicando. Lac ipſum petendum eſt ex vacca mediæ ætatis, boni habitus, gramine herbisque laudabilibus paſta, & a tauro longe ſemota. Calefaciendum eſt illud, dum hauriri debet, absque tamen ebullitione, & aſſumendum per diem ter, quater vel quinquies, prout ventriculus robuſtus vel debilis exiſtit, ejusque quantitas indies usque ad uncias quadraginta augenda: loco prandii & cœnæ panem ſimilagineum leviorem capiendo. Nec inconveniens erit, quandoque mane doſin oculorum cancrorum vel alius abſorbentis aſſumere. Continuanda autem eſt hæc cura, quamdiu non omnis materia peccans e corpore eſt proſcripta; quo diutius enim hauritur lac, eo perfectior ſanitas ſperanda eſt. Hinc quidam, per annum integrum poſtquam lactis potu uſi fuerant, denique ad victum ordinarium ſenſim redierunt, continuando tamen mane lac ad uncias ſedecim, ſumma cum euphoria. Majori pariter commodo, ſingulis menſibus purgans aliquod Luna decreſcente aſſumitur. Mittimus exempla, quæ tanquam totidem fauſtæ curæ teſtimonia allegantur, hoc ſolummodo commemorantes, quod ipſemet Author Clariſſimus lac omnibus lithontripticis falſo ſic dictis palmam præripere, in ſe obſervaverit, cum intra unius anni ſpatium, quo lacte uſus eſt, calculus veſicæ, quocum diu fuerat conflictatus, ad unciam unam & plus fuerit immi-

minutus, (tot enim frustula collegit, & in museo reservat) peracta vero cura, non unicum calculi frustulum amplius prodierit; firmiter sibi persuadens, lac nullum calculum, sed potius phlegma viscidum in vesica aliisque locis generare posse. Hisce præmissis, unde lacti tantæ vires accedant examinaturus, in arthritidis naturam paulo accuratius inquirit Clarissimus Dolæus, ejusque caussam primariam & proximam, liquorem quendam viscidum, acrem, sale acido vel lixivioso corrosivo magis minusve volatili vel fixo imbutum esse supponit. Inter remotas causas ventriculi accusat dyscrasiam, quocunque modo contractam, ita ut per eam chylus crassioribus ac viscidioribus imprægnetur particulis, ipsamque sanguinis massam crassiorem reddat, unde procul dubio secretiones humorum lentius peragantur, stomachus & intestina magis labefactentur, liquorque gastricus, & qui in intestinorum glandulis secernitur, reddatur viscidior, donec tandem alimenta assumta multo adhuc difficilius digerantur, ac ob diuturnam moram in saburram acidam, viscidam, flatulentam commutentur, ipseque chylus acido quodam salino corrosivo ebrius, sanguinem reliquosque humores eodem charactere imbuat. Accedit & hoc, quod humores, recensitas ob causas tardius circulantes, salibusque dictis moram, ut magis motu intestino quam progressivo agere queant, concedentes, omnium primo notabiliter corrumpantur, atque lentorem & spissitudinem quandam contrahant. Jam in juncturis articulorum glandulæ hærent mucaginosæ, serum aliquod mucilaginosum continuo plorantes, quod juncturas pro motu præstando læves, & lubricas reddat, & conservet. Cui sero permiscetur oleosa quædam substantia medullaris, ab ossium cavitatibus per certos meatus illorsum transmissa. Sic enim mucilago olei lubricitatem adauget, oleum vero mucilaginem conservat, ne inspissetur, aut gelatinæ consistentiam contrahat. Ex quibus patescit, mucilaginem hanc in glandulis in & circa juncturas secretam, non modo a salibus acidis corrosivis viscidiorem & tenaciorem evadere, sed & admodum corrosivam & lancinantem reddi, dumque membranas & tendines adjacentes quasi continuo vellicat & irritat, non modo ingentes patrare dolores, verum etiam, impedita sanguinis ob nervorum spasticam contractionem libera circulatione, accedere tumo-

morem inflammatorium. Præter alias autem juncturas, pedes & manus potissimum afficiuntur, quia sanguis, ob motum instante paroxysmo maxime inæqualem, non ubique pari violentia salia impellere aptus est, sed in partibus pendulis, ubi ipsius pressio & impulsio gravius incumbit, poros canaliculorum dilatat, & fomitem mali communicat, quo ex parte ex sanguinis sinu proscripto, quod reliquum est, facilius per sudorem, urinam &c. eliminari potest. Reliqua mittimus, & ad lac revertimur, quod constat triplici potissimum substantia, (1) pingui, butyrosa, oleosa & sulphurea, (2) caseosa, terrestri, & limosa, quodammodo salina, (3) serosa, aquea, cum admixtione salium nitrosorum; quarum quælibet proprios edit effectus, si in Arthritide exhibeatur lac. Ratione enim pinguis substantiæ, particulas salinas, austeras & rigidas, scindentes oblinit; ratione caseosæ, acrimoniam humorum blande temperat, imbibit ac abripit; & ratione serosæ, eosdem humores acres dividit, invertit, & per urinam, sudorem, & ubi via patet, eliminat. Tres autem hæ substantiæ unitæ & bene mixtæ, prout sunt in lacte, majori non modo efficacia salia & humores lentos, viscidos, circa articulos morantes, dissolvunt, invertunt, materiamque arthriticam eliminant, sed & insuper sanguini communicatæ glandulis mucilaginosis benignum suppeditant humorem, ut juncturarum membranæ & tendines eo commodius foveantur, laxentur, & ad pristinum vigorem remotis obstructionibus reducantur. Nec quicquam obtinebunt, qui contra hanc lactis curam crebriores & atrociores recidivas, dum ægri ad pristinum victum se receperunt, recurrentes objiciunt, siquidem hoc ipsum, teste Authore, experientiæ non minus refragatur, quam rationi; siquidem constat, quo facilius alimenta in bonum chylum commutantur, ac sanguini justa quantitate communicantur, eo meliores ac laudabiliores progigni spiritus, ac sic per consequens partium vigorem restitui & augeri; idque a lacte expectandum esse, nemo in dubium vocabit. Multo minus ventriculi debilitatem, & partium languorem in principio curæ occurrentem aliquem in contrariam sententiam abducere, confidit Author Clarissimus. Quemadmodum enim hæc symptomata ab obstructis glandulis, humorem gastricum & intestinales suppeditantibus, oriuntur, siquidem parum pingue-

guedinis lacteæ subigi & cum sanguine pro partium nutritione communicari potest; tolluntur tamen eadem, quamprimum poruli ab aqueis lactis particulis reserati & ampliores facti fuerint.

SAMUELIS BASNAGII ANNALES POLITICO-Ecclesiastici. Tomus secundus.

Roterodami, apud Regnerum Leers, 1706, in fol.

Constat Alphab. 10.

TElam in perlustrandis Eruditissimi Basnagii Annalibus superiori mense cœptam ulterius protendere, dum animus nunc est, Tomum secundum ad manus sumimus, qui a Seculo secundo orditur. Heic in ætatem Johannis Evangelistæ omnium primo incidimus. Ad summam hunc senectutem pervenisse concedit
Pag. 2. quidem Noster, sed mortis eum mansisse expertem, credere omni-
3. s. no abnuit. Defensionis Decretalium a nonnullis susceptæ indignitatem perferre se non posse, latius ostendit. Hinc ad Hæreti-
4. ad 8. cos, qui Johanne Apostolo adhuc vivente, veneno suo Ecclesiam infestarunt, delatus, de Menandro, de Simonianis, Cerinthianis &
8. Ebionæis disserit. Nazaræos de Christo recte sensisse statuit, & hoc unum illorum peccatum facit, quod ceremonias legis quasi
10. saluti necessarias usurparint. Synodum Apostolorum Antiochenam, a Baronio & Turriano confictam, a Binio vero statuminatam,
11. nescire vult. Absonum ipsi videtur, Ossenos ab Essenis haud distinguere. Persecutionis a Trajano motæ dum meminit, Ignatium
16. in eadem e vivis sublatum, martyrium subiisse notat, ante annum Christi CXVI, qua de re alias controverti solet, non minus ac de
17. Ignatianis Actis, quæ pro sinceris minime agnoscit, ac quæstio-
19. s. nem: num Romæ obierit? in medio relinquit. Sed Epistolas Ignatio omnes, etiam septem illas ad Smyrnæos, ad Polycarpum, ad Ephesios, ad Magnesios, ad Philadelphienses, ad Trallianos, ad Ro-
26. manos, evellit. Hæterias, quas Plinius secundum Cæsaris edictum inhibuerit, Christianorum fuisse agapas censet. Polycarpi ad Philippenses Epistolam adversus Dallæi suspicionem tuetur,
27. quanquam paucula illa, quibus eadem claudatur, ab aliena manu esse, parum dissimulet. De sacris ædibus titulorum nomine affe-
ctis

ctis dum verba facit, causam istius appellationis in obscuro esse pag. 28.
profitetur. Potentum scilicet palatiis tituli cum inscripti fuerint,
potuisse forsan templa Sanctorum inscribi nominibus, quorum
memoriæ consecrata fuerint. Præterea monumenta pietatis vul-
gatæ editionis auctori titulos vocari observat; adeoque & tem-
pla id nominis obtinere potuisse censet, utpote quæ Deo colendo
consecrata sint. Quibus tertiam addit rationem, a donationibus 30.
petitam, quibus templa ditescere cœperint, quæque titulis olim
contentæ fuerint. Papiam quo pro auditore Johannis habere mi-
nus possit, nonnullis se urgeri scrupulis, quos exponit, affirmat,
eumque Confessorem quidem, sed non item Martyrem vocari 35.
posse concedit. Alexandrum Papam nec martyrio obiisse, nec
illius Acta genuina esse credit, Schelstrateno se hac in parte oppo-
nens. Ut alios hæreticos tum temporis exortos nominat, sic 43.
Gnosticos imprimis late considerat, & barbara, quæ usurparint,
Angelorum nomina (alia ut taceamus,) exponit, prout & aliquid 51.
lucis barbaris Valentinianorum Æonum vocabulis fœnerare nititur. 55.
Quadratum Apostolorum discipulum, a Quadrato, Atheniensium
Episcopo, diversum facit. Adrianum Imperatorem de con- 59.
dendis Christo templis cogitasse, vero non putat simile. A-
quæ benedictæ originem ad Alexandrum Papam sine ullo fun- 65.
damento referri, magnumque esse veteris & novæ aquæ benedi-
ctæ discrimen ostendit. Sententiæ de provocatione ad Ecclesiam 70.
Romanam a Marcione facta falsitatem, non pertenuibus argumen-
tis manifestat. Quanquam ne Telesphorum quidem Quadragesi-
malis disciplinæ fontem jam tum extitisse & principium admittat,
vel ex eo tamen Pontificios colligere posse infert, quod lex ista
Pontificalis sit, non Apostolica. Antepaschale jejunium ut cum 96.
quadragesimali misceatur, haud permittit, & in universam jejunii
quadragesimalis historiam prolixius inquirit. Concessam fuisse
Polycarpo honoris causa ab Aniceto Eucharistiæ consecrationem 107.
negat, & argumentis Amplissimi Tenzelii, istius asserti qui se fau-
torem præbuit, respondet. Hegesippum tabulas successionis Epi-
scoporum, qui Ecclesiis præfuerint Apostolicis, composuisse, per-
hiberi ridet. Hermæ Pastorem explodit. Non Antonino Pio, 110. seq.
sed Marco Aurelio, secundam Justini apologiam oblatam esse, con- 111 ad 116.

pag. 121. tra Valesium,Fellum,Dodwellum, aliosque asserit. Polycarpum
135. A. C. 169 martyrio functum, Usserio adstipulatus credit. Qua-
136. dratus vero, Polycarpi judex, qualis fuerit, determinare vix audet.
Sabbatum magnum, quo Polycarpum martyrio coronatum perhi-
138. bet Smyrnensium epistola, pro illo habet, quod pascha proxime
antecedit. Annos octoginta sex, quibus Servatori se ministrasse
dixerit Polycarpus, de Ecclesiastico illius ministerio capit, eumque
139. obiisse conjicit anno Dionysiano, ut dictum modo, 169, d. 26 Mar-
tii. Ad Tatianum delatus, num extet ejus Harmonia? anquirit,
150. & Valesii imprimis argumenta, quibus negativam statuminavit,
153. ponderat. Pluviam Romanos in prælio adversus Quados re-
creantem, & fulgura in hostes missa liberat equidem a magicarum
156. artium suscipione, at vero iis vix credibilia plura adscribi, simul obser-
vat, & legionem, ad cujus preces id miraculum perpetratum fuerit, ab
Imperatore fulmineam vocatam fuisse, minus sibi persuadet. Quin nec
157. Imperatoris animum cogitationem, quod a Christianis pluvia sit im-
petrata, subiisse, nec eum quicquam hac de re scripsisse ad Senatum,
161. vero putat consentaneum. Athenagoræ apologiam non Marco
162. & Lucio Vero, sed Marco potius & Commodo oblatam judicat.
Legationem, ab ipso pro Christianis susceptam, in dubium vocat.
171. Narrationem Nicephori de Judæo arena baptizato fabulis apponit.
177. Apollonium Martyrem Senatoria ornatum fuisse dignitate negat.
182. sq. Theophilum Antiochenum Episcopum a Theophilo, librorum ad
Autolycum conditore, minime discriminat. Paschatis festum A-
189. postolos haud instituisse, variis rationibus probat. Epistolarum
194. quatuor, quæ Victori tribuuntur, νοθείαν operose ante oculos
202. ponit. Symmachus an Theodotio prior fuerit? quærit, & prio-
205. ritatem huic assignat. Sicca morte Irenæum animam Deo red-
215. didisse, autumat. Librorum Tertulliani chronotaxin accuratam
format, & in hujus Patris mentione Secundum seculum obsi-
gnat.

220. Sub tertii primordium, Zephyrinum martyrum cruentorum
224. numero eximit. Perpetuam & socios martyrii, de grege Monta-
227. nistarum fuisse colligit. Origenis evirationem non cicuta, sed
228 ad 230. ferro peractam ait, ejusque vitam omnem dilucidat. Evirátio-
nem ejus canonicum fuisse ordinationis impedimentum, inficiatur.
Se-

Severissimam disciplinam, qua peccatores omni cum Ecclesia re- pag. 235.
conciliatione privari tum contigerit, ab Apostolis manasse, nullus
admittit. Cum pœnitentiæ actus complures in narthece perage-
rentur, quid rei sit narthex? constituit. Partem videlicet appel- 237.
lat Templi, ingredientibus primam, exeuntibus vero ultimam, &
tum ritus pœnitentium varios justo ordine considerat. Simili in- 238 ad 247.
dustria stationes expendit, jejuniaque dierum Mercurii & Veneris 248 ad 251.
& Sabbati. Quæ sacræ Synaxeos ratio his fuerit temporibus, dis- 253.
tinctius explanat, interque alia asservationem Eucharistiæ in Ec- 256.
clesia olim neutiquam obtinuisse docet. Templorum dedicationem 260.
hodiernam priscis seculis incognitam, quodque Sanctuarium respi-
cere Orientem debeat, Apostolorum ordinatione niti, figmentum
appellat. Pastophorium describit ædiculam sive thalamum, in quo
Ecclesiæ suppellex recondi, Clericique recipi consueverint. Cali- 272.
cum sacrorum antiquam materiam & picturam contemplatur. 273.
Mammææ Christianismum somniis accenset. Altarium usum ve- 286.
tustum pandens, plura in uno templo altaria antiquissimis tempo- 293.
ribus vix reperta statuit, nec requisitum admittit ad communio- 297.
nem jejunium. Sacramenti elevationem novam, & quingentis 303.
amplius annis Ecclesiæ incognitam nuncupat, inque censum pari- 305.
lem cereorum diurnorum usum rejicit. Fabiani Decretales in- 316.
ter spuria scripta collocat. Adultam processionibus antiquita- 329.
tem abjudicat. Philippum Arabem pro Christiano minus agno- 335.
scit. Cypriani magiam & amores Justinæ fabulas dicit, & insuper 348.
traditionem de Cypriano Antiocheno enervat. Dionysium Pari- 354.
siensem pro diverso ab Atheniensi agnoscit. Novatum ex Afri-
canorum Episcoporum numero eximit. Septem dormientium hi- 357. 362.
storiam respuit.

Sed dum Tomi cujusvis titulus *duodecim Dissertationes ad illustrandam antiquitatem Ecclesiasticam idoneas* promittit, de his, antequam ab opere locupletissimo manum retrahamus, non nihil dicendum est. Sunt eæ non admodum prolixæ, locumque inveniunt, post absolutos Seculi tertii Annales, in Tomo secundo, ubi spatium paginarum a 475 ad 576 conficiunt. *Prima traditionem Satanæ*, a Paulo in priori ad Corinthios epistola commemoratam, *excommunicationem* haud esse probat, neque hanc voce

Anathematis innui observat, Baronioque, *catathema* proximam anathemati censuram constituenti, dicam scribit. *Secunda* circa *Excommunicationem Judaicam* occupatur, quam ex inveterata opinione, multis etiam eruditissimorum pro pœna spirituali haberi, Noster ait, impuris hominibus imposita, ut a sacrorum communione pellerentur. Quo ut plurimum obtorto collo trahantur verba Domini: *sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Sed vicissim Basnagius nullam flagitiosorum a sacris expulsionem his significari contendit, cum Judæis minime moris esset, Publicanos a Paschatis & sacrificiorum usu removere. Stat ergo ipsi sententia, Judæorum excommunicationem pœnis non Ecclesiasticis sed Politicis, quibus societatis jura reis abdicentur, esse annumerandam. *Tertia* dissertatio de *Excommunicatione Christiana* agit, interque hanc & Judaicam hoc interesse docet discriminis, quod, cum Judaica actus sacerdotalis non fuerit, quo impuri homines sacris pellerentur, sed forensis, quo jura civitatis reis eriperentur, Christiana vicissim non fori, sed Presbyterii decretum sit, quo Sacramentorum usu flagitiosi priventur, jure civitatis illæso. Hujus excommunicationis jus non ex naturæ modo, sed ex ipsius quoque Scripturæ fontibus deducit Autor, Thomæ Erasto secus censenti obviam procedens, & ultimo loco antiquitatem Ecclesiasticæ disciplinæ in subsidium advocat. Inde non solum Episcopum, sed Presbyteros etiam excommunicandi facultate pollere asserit, quam tamen ad mortuos extendi posse negat, Principes vero eidem obnoxios pronunciat. Non esse de cætero hanc illius vim largitur, ut regiam Principibus dignitatem, Magistratui autoritatem, privatis honores bonaque auferat, nec internam fidei & charitatis cum Christo copulationem eadem solvi posse contendit, quippe quæ immoto æternæ prædestinationis decreto nitatur. Sed tangere hanc solummodo affirmat externam copulationem, qua cum Ecclesia conjungamur, usu mensæ sacræ, precum pro fidelibus fusarum auxilio, consolationum fomentis, Presbyterorumque benedictionibus. *Quarta* de *Ecclesiastico tribunali* agit, quod nequaquam ad dictaturas ejusmodi trahendum sit, quales cogitet Baronius, & per quas Ecclesia de rebus temporalibus judicium suum constituat. Hoc certe tribunal moribus imprimis Christi & universæ antiquitati multum ad-

adversari ostendit. *Quinta* dissertatio *decimas* examinat, deque his sequentem in modum statuit: Jure quidem rationis, quod nullo refigi modo queat, Ecclesiæ Pastoribus honesta deberi stipendia, nec conscientiæ modo, sed Scripturæ quoque tabulis legem illam inscribi. Ut vero decimæ quotannis suppeditentur, nec Evangelii, nec rationis, nec seculorum Apostolicorum autoritate definitum esse. *Sexta*, Baronio duce, *claustra Virginum* lustrat, ad ipsorum antiquitatem reperiendam, quam cum ætate Apostolorum conjunctam fuisse, Latinorum plures existiment, quamque & Pamelius videre sibi visus sit in verbis Tertulliani: *Viderit ipsum continentia votum*. Verum hic error multis argumentis opprimitur. *Septima* ad *cœlibatum Clericalem* spectat. Ubi ab initio quidem credere se ait Basnagius, Apostolos post illapsum Spiritus Sancti, omnem prorsus Venerem abdicasse, quæ continentia Episcopis Presbyterisque nonnullis exemplar ad imitandum præbuerit, sed citra ullam tamen necessitatis imaginationem, quæ post accesserit, & quam ex instituto heic impugnatam videas. *Octava* maximam partem in computatione *LXX hebdomadum Danielis* versatur, & annos hic non Solares, verum Lunares spectandos venire præsupponit, ac dein hebdomadarum initia Artaxerxis Longimani anno vigesimo, exitum vero anno, qui Tiberii decimus nonus putatur, assignat. Mox oraculum Danielis ad Messiam esse referendum probat, ejusque verba potiora curatius pensitat. Abominationem vastatricem de Zelotis Templo insidentibus interpretatur. *Nona traditiones Pontificias* non tam ex fundamentis Theologicis, quam monumentis potius Historico-Ecclesiasticis convellere studet. *Decima periodum Julianam & Pagii Græco-Romanam* inter se confert, & hanc ista minime præstare demonstrat. *Undecima regulas* ejusdem *Pagii Hypathicas* examinat ac perstringit. *Duodecima* denique *Catechumenos eorumque baptismum* cura paulo penitiori contemplatur.

CREMONA LITERATA,
seu
IN CREMONENSES DOCTRINIS ET LITERARIIS

 Di-

Dignitatibus Eminentiores Chronologicæ Adnotationes, Auctore FRANCISCO ARISIO.

Parmæ, typis A. Pazzoni & P. Montii, 1702. fol. Tom. I.

Constat 5 Alph. pl. 4.

PLurimum omnino Reip. Literariæ interest, ut eorum memoria, qui præclare de ea meriti fuerunt, ad posteros quoque propagetur, quo scilicet hoc pacto tum virtuti honos suus constet, tum etiam alii istorum exemplis excitati, iisdem vestigiis insistere animum inducant. Nemo igitur dubitare potest, Franciscum Arisium Cremonensem, nobilissimæ patriæ suæ Ordinum Conservatorem, præclaram admodum operam in se suscepisse, quod Viros eruditione egregiisque in rem literariam meritis conspicuos, quos Cremona unquam vidit, orbi erudito exhibere constituerit. De quo Resp. literaria eo magis sibi gratulari debet, quod, cum jam ante eum, tum Josephus Bresianus, Vir in contexendis urbis Cremonæ historiis incomparabilis, inter cujus manuscripta opusculum Italica lingua consignatum & hoc titulo insignitum, *Virtus rediviva insignium Virorum Cremonensium*, repertum fuit, tum Doctissimus Laurentius Legatus, qui *in Lyceo Herculis* nonnulla de Literatis Cremonensibus memoriæ prodidit, simile aliquid tentassent, uterque tamen morte præventus telam pertexere non valuissent, Arisius noster hoc opus feliciter ad finem perduxerit. Huic autem dissertationem præmisit, in qua urbem Cremonam, de qua patria sibi quoque Auctor gratulatur, & antiquissimam & nobilissimam esse, variis argumentis evincere conatur. Quod enim ad prius attinet, originem hujus urbis ad antiquissima tempora referri ait, ita ut ejus origo in historiis plane reperiri nequeat. Quamvis enim Tacitus, luculentus cæteroqui historiarum scriptor, eam T. Sempronio & P. Cornelio Consulibus conditam fuisse asserat, eum tamen a Polybio deceptum hac ex parte vehementer falli, vel ex Livio abunde constare, utpote qui disertis verbis testetur, multo ante adventum Hannibalis in Italiam, Colonias a Romanis Cremonam deductas esse, & de Valerio Flacco, qui ante T. Sempronium & P. Cornelium Consulatum gessit, affirmet, eum per totam ferme æstatem circa Padum Placentiæ & Cremonæ exercitum habuisse. Id quod

etiam

etiam exinde patere Auctor ait, quod varia testimonia ex Veterum scriptis afferri possint, Cremonam jam Thuscorum coloniam fuisse, quorum opes multo ante Romanum imperium terra marique patuerint. Adeoque neminem de summa hujus urbis antiquitate amplius dubitare posse, cum Eusebius quoque asserat, ejus initium annis mille tercentum quinque & septuaginta Christi adventum antecessisse. Postquam igitur Auctor hoc modo demonstraverat, originem Cremonæ omnem vetustatis memoriam superare, jam laudes ejus tum ex veteribus tum recentioribus scriptoribus prolixe satis enarrat, & tandem maximam ejus dignitatem ex honore & innumeris beneficiis, quibus eam summi Pontifices, Cæsares ac Reges affecerint, satis elucescere putat. Post præfationem illam de antiquitate & nobilitate Cremonæ absolutam, Auctor Viros Eruditos, qui ex hac civitate originem duxerunt, in medium producit; in quo instituto ita versatur, ut eos non alphabetico ordine, quem subjectus tamen index supplet, sed juxta temporis, quo quisque floruit, seriem dispositos exhibeat, simulque ipsorum nomina, cognomina, munera, scripta & alias res ab ipsis præclare gestas, accurato studio exponat, in quorum recensione subinde, occasione ita ferente, varia Gymnasia, Collegia, Academiæ, Bibliographiæ aliaque hujus generis rei literariæ ornamenta lectorum oculis subjiciuntur, ea potissimum fini, ut Cremonensium magnificentia literaria orbi erudito magis innotescat. Hisce præterea, ut lectorum curiositati ex asse satisfieret, multæ Inscriptiones atque Epitaphia, ex antiquis & tantum non deperditis monumentis in lucem protracta, in quibus Virorum doctorum nomina eorumque laudes æternitati consecratas deprehendimus, hinc inde permixta leguntur. Incipit autem Viros literatos Cremonenses recensere ab anno ante ortum Christi quinquagesimo primo, in quo stadio ad annum post reparatam salutem millesimum quingentesimum primum inoffenso pede progreditur. Cæterum multa de Viris illis eruditis hic loci excerpere nil attinet, tum quod hoc nimis longum foret, tum quod hasce delicias cujusvis Lectoris curiositati relinquere magis consultum esse arbitramur.

SE-

SERIES AUGUSTORUM, AUGUSTARUM, CÆsarum & Tyrannorum omnium, tam in Oriente, quam in Occidente a C. J. Cæsare ad Leopoldum, cum eorundem imaginibus ex optimorum numismatum fide ad vivum expressis, Auctore LAURENTIO PATAROL.

Venetiis, typis Antonii Bortoli, 1702. 8.

Plag. 15. ch. aug.

VEl ideo libro huic pretium decernere par est, quod reliquorum Numismaticorum metas longe superare videtur, dumque illi in Heraclio communiter desinunt, hic Imperatorum series ad nostra tempora usque protendit, licet nummorum defectu icones interdum necessarias aliunde mutuare debuerit. Omnium vero, quotquot complectitur, imagines perquam nitide exsculptas habet, adjecta e præstantiorum Historicorum monimentis compendiaria cujuslibet Principis vitæ enarratione, id quod tyronibus egregie prodesse, eorumque memoriam ad ampliora præparare, nemo est, qui ignorat. Inprimis autem commendari meretur Nobilissimi Autoris ingenium, quod Augustos contemporaneos, ipsorumque conjuges, una area conspiciendos præbeat, siquidem & hac methodo plurimum amœnitatis studiis hisce obvenit. Prolegomena etiam breves aliquot discursus continent, a scopo ejus haud dissentaneos, puta, de nomine Imperatoris, Cæsaris & Augusti; de varia pro variis temporibus Imperatoris eligendi ratione; de variis Imperii Romani periodis; in quibus copiosa lectio redundat. Cæterum cordatioribus Germanorum ægre persuaserit, quæ de coacta, aut non ita libera, ut loquitur, Imperatoris renunciatione, ab Electoribus in defuncti Cæsaris gratiam expedienda, contra Legum Reipublicæ nostræ fundamentalium tenorem asserere voluit.

LEXICON LATINO-BELGICUM NOVUM, OLIM Idiomate Gallico publicatum a P. GUIDONE TACHARD, nunc Belgicæ consuetudini communicatum, &c. accurante SAMUELE PITISCO.

Am-

Amstelædami, excudit Franciscus Halma, 1704, in 4to.
Constat Alphab. 6. plag. 15.

Est ea plerorumque Lexicorum, maxime, quæ puerorum manibus teruntur, ratio, ut multa, quæ plane & omnino inserenda erant, vocabula ibi desiderentur; barbarorum vero, & minus Latinorum, aut saltem non satis usitatorum, magnam copiam contineant. Quod cum secum reputaret Reverendus Pater Guido Tachard, operæ pretium duxit, de locupletiori & comtiori Lexico edendo consilium suscipere. Confecit destinata anno 1687, & quod concinnandum susceperat, Lexicon Latino-Gallicum Parisiis publicavit, in quo obsoleta vocabula, & locutiones vitiosas notavit, poeticasque loquendi rationes, ab illis, quæ oratoribus & poetis in usu sunt, asteriscis distinxit. At ne sic quidem omnium expectationi satisfecit. In illud enim cum solertissimus Typographus, Franciscus Halma incidisset, censuit ad illius formam, phrasibus & vocibus, in illo Gallice versis, in sermonem Belgicum translatis, non incommodum posse fieri lexicon Latino-Belgicum. Proinde unum alterumve specimen Samueli Pitisco, Clarissimo Viro, Gymnasii Hieronymiani apud Trajectinos Rectori obtulit, & sententiam de eo rogavit. Is accuratius re perspecta deprehendit, reverendum Tachardum scriptores, quos laudat, non evolvisse, &, sicut non contemnendis conjecturis adductus, pace tamen optimi Viri, Pitiscus hariolatur, Cœlii Curionis Secundi Forum Romanum compilasse, hic illicve, hoc illove scriptore, quamvis infrequentius, de suo addito. Hinc factum censet, ut errabundi ducis, (quia nec ille, dum scriberet, fontes adiit, sed ex aliorum lacunis multa in suum Forum derivavit) vestigia legens, in tot errores inciderit. Ciceronem enim pro Livio, Cæsare, Columella, Nepote, Tacito, &c. Tacitum pro Suetonio, Cicerone, Livio; Cæsarem pro Sallustio, Gellio, Charisio, Celso, aliosque pro aliis millies & trecenties perperam laudavit. Nec omisit non Tachardus multa vocabula, pluresque eorum significationes, imo vero non pauca auctorum loca male interpretatus est. Proinde id dedit operam doctissimus Pitiscus, ut ipsis consultis fontibus testimonia scriptoribus, apud quos non leguntur, perperam trans-

ſcripta, illis, apud quos inveniuntur, redderet. Capita præterea, paragraphos & numeros, in quos diſtinguuntur, adjecit, & vocabula & vocabulorum ſignificationes, quæ in Tachardi editione deſiderantur, ſuis locis & incinulis, ut a Tachardianis ſepararentur, incluſit. Enatum hinc Lexicon hoc Latino-Belgicum, quod, quin idonei harum rerum exiſtimatores approbaturi ſint, nulli dubitamus. Promittit hoc loco Pitiſcus *Lexicon Antiquitatum Græco-Romanarum*, ex Theſauris Antiquitatum Romanarum Grævii & Græcarum Gronovii, & pleriſque aliis ſcriptoribus, qui Antiquitates Græco-Romanas proximis ſeculis ſuis illuſtrarunt commentariis, congeſtum & ordine Alphabetico digeſtum.

AN UNIVERSAL DICTIONARY.

i. e.

DICTIONARIUM UNIVERSALE, HISTORICUM, Geographicum, Chronologicum & Poeticum, e Morerii, Balii, Baudrandi, Hoffmanni, Daneti aliorumque operibus congeſtum;

Tomi II.

Londini, ap Jo. Hartley, W. Turner & Tho. Hodgſon, 1703. 8.

Conſtat Alph. 9. pl. 9. ch. aug.

NOn male & utilitati multorum & crumenæ conſuluere, quicunque ex Morerii aliorumque dictionariis realibus compendium hoc compilaverunt. Quo quidem nihil ſpeciatim derogatum cupiunt Anglicanæ Morerii translationi, quam ante complures annos doctiſſimus Collerius (*Collier*) procuravit, non perfunctorie auctam, & ob ſublatos paſſim errores tanto eruditorum plauſu exceptam, ut ſolertiſſimus Th. Fritſchius noſter Germanicam Morerii editionem, ab erroribus, quantum fieri potuit, omnibus purgatam, locisque plurimis, e Germanica maxime Hiſtoria, adauctam, (quam prælo modo ſubjicere cœpit) procuraturus, hac editione, quam Gallicis nondum ſatis caſtigatis, uti conſultius merito duxerit. Qua occaſione non diſſimulamus, Excellentiſſimum Virum, Joannem Franciſcum Buddeum, S. S. Theologiæ in Academia Jenenſi Prof. Publ. edendi hujus operis principem curam in ſe ſuſ-

ſuſcepiſſe, a quo non niſi præclara omnia & elucubrata ſibi pollicentur eruditi. Ut vero ad compendium noſtrum revertamur, equidem ſpeciminibus ex eo petendis ſuperſedere poſſumus, cum ipſe Morerius in multorum manibus verſetur; illud in univerſum aſſerere poſſumus, quæcunque huc ex Hiſtoria Eccleſiaſtica non minus, quam Civili omnium gentium, & Litteraria, Mythologia item, Geographia ac Politica translata ſunt, concinna omnia brevitate deſcripta deprehendi, ut judicium, quod exactum adhibere epitomatores imprimis decet, deſiderare hic nemo poſſit.

DICTIONARIUM SACRUM SEU RELIGIOSUM: A Dictionary of All Religions &c.

i. e.

DICTIONARIUM OMNIUM RELIGIONUM, veterum & recentium, Judaicarum, Gentilium, Chriſtianarum & Mahometanarum.

Londini, apud Jac. Knapton, 1704. 8.

Conſtat Alph. 1 ch. aug.

PAulo prolixius anonymus hujus libri Auctor, quem Colerium plerique vocant, ſed res tantum ſacras tradit, nimirum religiones varias, ſchismata, ſectas & hæreſes, vitasque & dogmata auctorum diverſarum religionum aut propagatorum, Deos gentilium & idola, modos divini cultus diverſos, ordines religioſos & communitates, ſacros ritus, vaſa item & feſta, officia diſtincta, regulas atque ceremonias. Itaque hic diffuſiores nonnullos articulos deprehendas. Sic enim ſub tit. *Bible* de Bibliis Arabicis, Armenicis, Chaldaicis, Copticis, Æthiopicis, Græcis, Hebraicis, Latinis, Moſcoviticis, Perſicis, Samaritanis & Syriacis accurate agitur, ſimulque commendatur liber Kortholdi *de variis Bibliorum editionibus*, ad cujus tamen notitiam non pervenerit, Sacra Biblia, celeberrimi Viri Roberti Boyle cura & ſumtibus, in ipſam etiam linguam Irlandicam, cujus rarus quidem in ſcriptis uſus eſt, aliquot ab hinc annis fuiſſe translata. Pariter ſub tit. *Feſtivals* Feſtorum diverſa genera recenſentur: ſub tit. *Idols* hiſtoria idololatriæ: ſub tit. *Perſecutions* hiſto-

ftoria viginti quatuor perfecutionum: fub tit. *Sabbath* hiftoria cultus diei Dominicæ apud diverfas gentes exhibetur: fub t. *Evangelifts* & *Apoftles* fingulorum Evangeliftarum & Apoftolorum vitæ accurate defcribuntur: fub t. *Pre-adamites* Peirerii fyftema Præadamiticum prolixe examinatur. Imprimis vero lectu digna funt, quæ ad Ecclefiæ Anglicanæ cognitionem fpectant, ut cum de Independentibus, Presbyterianis, Quakeris, Cameronianis aliisque agitur. Et cum de Cameronianis fpeciatim pauca hactenus exteris innotuerint, non erit alienum, quæ de illis in hoc Dictionario habentur, breviter hoc loco recenfere. Nomen habent ab Archibaldo Camerone, Paftore caftrenfi, qui ab illis Presbyterianis feceffit, qui indulgentia Caroli II uti decreverant, quod ille ita interpretabatur, quafi hoc modo primatum aliquem Regis in Ecclefiafticis agnofcerent. Cumque illi nihil aliud fe agere affererent, quam ut libertate exercendi muneris paftoralis, quo hactenus injuria fuerint prohibiti, conceffa gauderent, res majori paulatim contentione ab utraque parte agitari cœpit. Et quanquam Presbyteriani reliqui ad fynodum univerfalem provocarent, Cameroniani tamen non modo non depofuere, verum & auxere ferociam, eoque demum audaciæ proceffere, ut Carolum Regem commune fœdus, quo Regno obftringeretur, violaffe, & pravis moribus fuis Ecclefia Anglicana *de jure*, ut loquebantur, excludi, atque adeo & Regno dejiciendum & excommunicandum effe docerent. Verum & facili negotio oppreffi funt, & fub Wilhelmi regimine prorfus quievere, tandemque decretis in conventu generali Cleri Scotici, anno 1690 inftituto, fancitis fefe fubmifere.

INTRODUCTIO AD VERAM PHYSICAM, PER JO. KEILL. Editio fecunda emendatior & auctior.

Oxoniæ e Theatro Sheldoniano, 1705, 8.

Conftat plag. 19½.

CUm fuum eruditis laborem probari, paffimque defiderari, nec tamen proftare exemplaria intelligeret Autor; novam dedit editionem fubduplo fere priori auctiorem, utpote quam 13 abfolvebant pla-

plagulæ. Etenim dum eam *A. 1703 Menſ. Nov.* commemoravimus, per errorem juſto major moles ipſi aſſignata, quem lector haud gravatim corriget. Cæterum non ingratum fore arbitramur, ſi, quæ novæ huic editioni acceſſere, breviter indicemus. Addidit nempe Autor 14 Lectionibus decimam quintam & ſextam, cumque in decima problema de invenienda velocitate, qua datum corpus movendum eſt, ut habeat momentum æquale momento cuivis dato, in priori editione nonniſi ad vectem applicasſet, in poſteriori ad 5 potentias mechanicas ſimplices, vectem cum ſtatera, axem in peritrochio, trochleam, cochleam, & cuneum applicat. Lectio XV de motu gravium vel in planis ad horizontem inclinatis, vel in ſuperficiebus curvis, quales ſunt ſphæricæ & cycloidicæ, vel in ſpatiis denique liberis & non reſiſtentibus peracto, nec non de motu pendulorum theoremata Geometrice demonſtrat, & problemata inde pendentia reſolvit. Inter alia *ad theor. 43 p. 205* notatur, horologia pendulis inſtructa tam affabre elaborari poſſe, ut temporis menſuram motu Solis multo juſtiorem exhibeant, cum hic tempus apparens monſtret, non autem verum. Atque hinc talia automata ſtatis temporibus horam indicare ab apparenti diverſam, tempus Solaris horologii 15 vel 16 minutis primis aliquando ſuperantem, aliquando totidem ab eo ſcrupulis deficientem: nec niſi quater in quolibet anno Solem & horologium idem temporis punctum monſtrare. Lectio XVI projectorum phænomena examinat, ubi notatur, ſi mobile directe ſurſum vel deorſum projiciatur, moveri motu uniformiter retardato vel accelerato in linea recta; ſin ſecundum directionem horizontalem aut aliam ad Horizontem obliquam lineam, in linea curva deferri. Theoria *in ſchol. theor. 51 p. 235* ad directionem tormentorum bellicorum applicatur. In fine denuo ſubjiciuntur Hugeniana theoremata de vi centrifuga & motu circulari cum Keillianis demonſtrationibus. Utut enim ipſius *Hugenii* demonſtrationes inter opuſcula ejus poſthuma nunc proſtent; Keillianas tamen quoque proſtare conſultum erat, cum ſint Hugenianis multo breviores.

VITA & PHILOSOPHIA THOMÆ CAMPANELLÆ, AUTO-re ERNESTO SALOMONE CYPRIANO.

Amstelodami, apud Christianum Petzoldum, 1705, 8.
Constat plag. 6.

AUtor libelli Clarissimus iis Philosophis annumerandus est, qui in nullius magistri verba jurant, sed e variorum fontibus, judicio arbitrioque suo, quantum quoque modo videbitur, assumunt atque hauriunt. Quare cum in Academia Julia publicas prælectiones philosophicas indiceret, judicaretque, non omnem veritatem esse veteribus patefactam, neque olim tantum Platones atque Aristoteles humani generis bono natos fuisse, sed hodienum excellentis ingenii viros, ac, licet id vilia & obsequio promta non agnoscant ingenia, veteribus pares aliquando reperiri; auspicali programmate commentatus est de vita & philosophia Campanellæ. Quod cum doctis non ingratum accidisset, & rogatus esset Autor, ut paulo fusius, quod cœperat, persequeretur; hoc libello id sibi faciendum existimavit. Fatetur autem, vocato sibi ad aliud studiorum genus, & multis laboribus impedito, non licuisse industriam debitam ad hanc rem convertere, optatque, ut aliquis ex doctorum ordine omnibus præsidiis instructus hanc philosophiam accuratius examinet. Capite primo agitur de Campanellæ ortu, studiis, carceribus, tormentis, liberatione ac morte. Caput secundum exhibet variorum de Campanella judicia, eaque adeo diversa, ut si unquam, certe in hac re verum esse appareat illud tritum: quot capita, tot sensus. De theologia & magia Campanellæ agitur tertio capite, ostenditurque, quoties vis inferretur, amplecti solitum Pontificis sacra, etsi artes aulæ Romanæ in libris suis sæpe liquido detexisset, ac religionem sibi formasset pro lubitu: de cætero magicis artibus inde a puero delectatum, fassumque, apparuisse sibi vario ac horribili vultu dæmonem, ac secum collocutum; fuisse insuper Campanellam profani oris hominem, & Christi disciplinæ adeo contraria docuisse suis libris, ut mirum sit, nuper a novarum rerum cupidis inter Apostolicos viros annumeratum. Progreditur Autor capite quarto ad Philosophiã Campanellæ, plenã paradoxis, cognitione tamen & investigatione apprime dignam. Quinto capite exponitur de Campanellæ libris, exhibeturque epistola illustris ac de studiis litterarum meritissimi Viri, Antonii Magliabechi, ad libelli Autorem scripta, qua percensentur manuscripta Campanellæ in scriniis Magliabechi asservata. In fine habetur ab-

absolutus operum Campanellæ index ab ipso confectus, & appendix ex Morhofii dissertatione de paradoxis sensuum, qua Campanellæ philosophia de sensu omnium rerum examinatur.

ALEXANDRI THOMSON, M. D. DISSERTATIONES Medicæ.

Lugduni Batavorum, apud Frederic. Haring, 1705. in 8. plag. 10.

MEdicinam Veterum pariter atque Recentiorum multa imperfectione laborare, omnesque illius hypotheses ex mera imaginatione proficisci, indubia vero cunctorum fundamenta, cum naturam rerum ab hominibus sciri Deus & Natura nolint, a sensibus & observatione obtineri, *Autor* nobilissimus in *Introductione* prius indigitat, quam mentem suam de canalium corporis animalis in fluida renisu, de aquis mineralibus, de marte, de mercurio, de opio, atque de morbis animi, in *sex Dissertationibus Medicis*, quas hic combinatas sistit, aperiat. Quamvis enim de renisu canalium in fluida animalia, post *Borellum*, *Bellinum* & *Piccarnium*, Clar. *Baglivius* agere, ac in tractatu *de fibra motrice* solidorum vires præstantiores viribus fluidorum adstruere voluerit, quia multis tamen modis ipse videatur deficere, *Noster* circa motum, quo canales corporis animalis in fluida renituntur, ita in *Dissertatione prima* versatur, ut nunc sanguinis ex arteriis ad venas propulsionem a corde impossibilem, ex nimia sanguinis & arteriarum resistentia, qua cordis vires superentur, nunc sanguinis pariter ad venas transitum, atque lymphæ & liquidi nervei per vasa lymphatica & nervos motum ab arteriis ipsis ideo deducat, quod hæ, quoties a sanguine propulsu dilatentur, toties rursus virtute structuræ suæ elasticæ sese contrahere, ac fluida contenta in d ctas partes urgere debeant. Quæ de veteri medicina, stimulis medicis, exercitiis, missione sanguinis, vomitu, purgatione, sudore ac balneis subjiciuntur, non est, cur singula recenseamus, qui ad *alteram* potius *Dissertationem* pergentes annotamus, varia non solummodo experimenta cum aquis mineralibus adornata in hac commemorari, sed &, ubi aquas quidē minerales de cupro, ferro, & sale terræ naturali participare, naturam nihilominus suam a minerali quodam fixo nequaquam mutuari ostensum fuit, imprimis aquarum mineralium, tum diversos virium gradus, tum originem, ad *Tabernæmontani* & *Givræi* sententiam, ex terræ succo glutinoso, terebin-

binthinæ sive gummi plantarũ haud absimili, scrutinio ulteriori commendari. In *Dissertatione III*, quemadmodum obstructiones a lympha crassiori, & a sero copiosiori evacuationes præternaturales derivantur, omnia vero medicamenta ex ferro parata serum dissipare & villos adstringere judicantur: ita varia simul & obstructionum & evacuationum genera innuuntur, in quibus remedia chalybeata adhibere vel omittere conveniat; neque hecticis ac phthisicis iis, in quorum visceribus vitium magis, quam in sanguine hæret, aquarum mineralium usus interdicitur. In *IV Dissertatione* ante omnia effectus, quos Mercurius, in ultima divisione semper sphæricus persistens saliumque connubio potentior redditus, in sanguine ac lympha solvendis, indeque in evacuationibus per diversa loca moliendis præstat, non tam ejus ponderositati, quam globulorum circumgyrationi, ab oscularorio canaliculorum motu adjutæ, determinatæque lymphæ solutæ consistentiæ, adscribuntur; hinc in morbis pertinacioribus alia medicamina respuentibus propinatio mercurii, ad justum etiam ptyalismi gradum, si vires ægroti ferant, perquam proficua exemplis variis confirmatur; tum mercurio edomando, si nimium operetur, nec aurum, nec sulphuris flores, sed lac & decocta emollientia opponuntur, eidem vero e corpore eliminando, si in sanguine persistere contingat, purgantia blandiora suadentur; in affectibus denique spasmodicis, a liquido nerveo nimis viscido dependentibus, mercurii quoque auxilium salutare laudatur. Postquam a sanguine expanso liquidi nervei motum inhiberi somnumque induci, omnem itidem convulsionem ac motum convulsivum a totius corporis repletione aut inanitione contingere, paralysin autem a fluidis diutius in expansione persistentibus fieri, in *Dissertatione V* declaratum fuit, uberius ab opio immediate sanguinem, mediate liquidum nerveum expandi asseritur, modusque edocetur, quo vel opium somnum provocare & quaslibet evacuationes serosas præter sudores sedare soleat, vel nimia etiam opii operatio aliave symptomata prava præcaveri debeant. Tandem in *Dissertatione VI* commercio, quod animæ cum corpore intercedit, atque iis animi affectibus, a quibus morbi corporis propullulant, explanatis, in horum medela ex remediorum pharmaceuticorum speciebus non nisi opium ac vinum generosum seliguntur: quid tamen musica quoque, ingenii & corporis lusus, ratio atque religio in morbis animi valeant, non minus enodatur, ac quodnam Medici in iisdem habeatur officium; Medicum quippe felicissimum sæpe esse, non qui medicinam pharmaceuticam aut corporis mechanismum melius calleat, sed qui ægrorum animos optime disponat.

** ** **

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Aprilis, Anno M DCC VI.

HET VYFDE EN HET SESTE ANATOMISCH Cabinet, van FREDERIK RUYSCH.

i. e.

FRIDERICI RUYSCHII, ANATOMIÆ ET BOTANices Professoris, Thesaurus Anatomicus Quintus & Sextus.

Amstelædami, apud Johannem Wolters, 1705. in 4.

Constat Vtus plag. 7. Fig. Tab. 3. VItus plag. 16. Fig. Tab. 7.

DUos hic conjungere *Thesauros Anatomicos* eo minus veremur, quo magis celeberrimo *Ruyschio* placuit uno anno eosdem divulgare: tanto majori autem cum cura in ipsis recensendis occupabimur, quanto majus quoque desiderium laudatus Autor in ultimo Thesauro videtur exprimere, pag. 56.
non solummodo reliquos posthac absolvendi Thesauros decem, quibus atque prioribus omnia curiosa Anatomica intra 40 annos a se collecta comprehendat, sed &, Deo volente, alios Thesauros, quos copiosos possidet, de animalibus, insectis, marinis &c. cum literato pariter Orbe communicandi. A *quinto* proin *Thesauro* initium facientes, ad eam intestini jejuni portionem primum attendimus, quæ ex homine ideo monstratur inversa, ut præter juga 7.
sive valvulas conniventes glandulæ solitariæ ac miliares luculenter conspiciantur extra superficiem propullulantes, cum e diverso eædem in intestino recto, æque ac in agmen quæ consitæ perhiben-

14. bentur, instar fovearum ut plurimum appareant. Hinc inter au-
ditus ossicula stapedem in situ naturali respicimus, quod tenuissima
membranula, quam arteriolæ plurimæ perreptant, involvatur.
16. Tum chorion fœtus humani consideremus, quomodo in duas il-
lud dispescatur partes, alteram tenuissimam & pellucidam, spectan-
tem fœtum atque pseudo-allantoidis titulo insignitam, alteram ve-
ro crassiorem, opacam, non extensilem & utramque faciem pla-
centæ, adeoque eam etiam, qua cum utero cohæret, investientem.
Neque reticendum, hujus illam portionem, quæ a placenta rece-
dens uteri cavitatem obducit, vasisque sanguineis in homine rarissi-
mis gaudet, villosam placentæ membranam nuncupari, quia in
eandem succus nutritius, in extremitatibus arteriarum uteri confe-
ctus, & a venarum placentæ extremitatibus suscipiendus, atque ad
fœtum per funiculum umbilicalem deducendus, æque sese insinuet,
ac chylus alias in villosam tenuium intestinorum tunicam sese insi-
nuare solet, ut eo facilius a radicibus vasorum lacteorum recipia-
tur. Porro ossium tarsi, officulorum glandulæ pinealis, & verte-
24. brarum ossis sacri mentio injicienda, in quantum ossa tarsi ex mu-
liere, cujus pes extremus spina ventosa correptus fuerat, in unum
coalita, & in aliam prorsus substantiam molliorem mutata, glandu-
31. læ pinealis ossicula tria distincta, pro calculis ab aliis habita, & ver-
34. tebræ ossis sacri ejusmodi cavitatis, qualis spinæ dorsi vertebris
cum aliquo humore intercedit, plane expertes, exhibentur. In
98. arteriis denique ac costis ita finiamus, ut arteriarum intercostalium
exortum, cum ex aortæ trunco descendente, tum ex arteriis mam-
mariis, costarum vero superiorum vergentiam ad superiora, & in-
feriorum versus inferiora, in aperto infantis thorace ostendi com-
memoremus. Sed ad *sextum Thesaurum* progredientibus ea
imprimis delibare lubet, quæ abstrusum generationis negotium
aliquomodo videntur illustrare, modo prius notaverimus, in homi-
3. ne meatum a naso ad oris cavum pone dentes incisores nunc ge-
minum haberi, nunc simplicem; glandulas nasi ex mero arterio-
larum contextu resultare; atheromata subinde occurrere pilosa
6. 7. seu pilis referta; pseudo-membranam ex sanguinis sero confici
8. posse; atque in intestinis tunicæ communi & carneæ aliam cellu-
losam intercedere, quæ in homine obeso pinguedine turgeat.
Nem-

Nempe in muliere a paucis diebus gravida uterus mole major, substantia ejus multo crassior, facies interior villosa, & in alterutro ovario, vel alicujus ovuli, quoad magnitudinis hujus incrementum & contenti liquoris coagulationem, insignis mutatio, vel calix saltem remanens, ubi ovum jam expulsum fuerit, annotatur. Ex muliere a marito in adulterio occisa uterus sistitur, nonnihil tumidior & in substantia crassior, cujus non minus atque utriusque tubæ cavitas semine albo concocto turguerit, indicium fortassis præbens, in coitu prolifero haud solam auram seminalem, sed semen ipsum intrare uterum debere. Econtra ovum muliebre a semine fœcundatum non tam totum, quam contentum ejus, h.e. liquorem cum tenerrimis membranulis ambientibus, ab ovario secedere, ac per tubam ad uterum amandari, ex eo verisimile redditur, quod cortex ejus cum ovario firmius cohæreat, neque in gallinis externum ovi integumentum cum vitello extrudatur, sed in calicis potius forma remaneat. Ova separata cupienti lustrare, horum tum fœcundata, tum non fœcundata, repræsentantur utero ejecta, licet in priorum nonnullis apertis, nec nudis, nec armatis oculis, aliquod embryonis rudimentum deprehendi valuerit, forsan quia tale liquefactum evanuerit. Curiosum tamen est, in embryonibus magnitudine seminis lactucæ, anisi & hordei mundati, quales pariter atque alii majores in liquore a nostro asservantur, molem magis confusam, caput & artus nequaquam distincte apparere, etiamsi Leeuwenhookiana microscopia in subsidium vocentur; distincte autem dictas partes cerni, ubi embryones magnitudinem hordei non mundati paulo superaverint, vel unciam etiam dimidiam aut integram æquaverint, tali nihilominus cum differentia, ut in ultimis quoque artus inferiores superioribus perfectione cedant, h. e. digiti manuum, non autem pedum conspiciantur, quippe qui in embryone adhuc provectiori ac duorum circiter mensium observentur. Fœtus præterea dum subjiciuntur magnitudine unciarum duarum & digiti maximi, trium itidem, quatuor, quinque, sex, septem & octo circiter mensium, sexus sequior sexto demum mense facile dignosci posse adstruitur, quoniam prioribus mensibus clitoridis longitudo, qua penem exilem refert, difficile de sexu reddat judicium. Tandem, ubi indigitave-

4. 24. 15. 17. 28. 29. 31. & seqq. 34. & seqq. 37. 38. & seqq.

rimus, præter varia enumerata quinque quoque sceleta humanæ magnitudinis diversæ delineari, ex prodromo Thesauri sexti minime silere convenit, diversa nova, quæ Clarissimus *Vieussens* in *novo vasorum corporis humani systemate*, a nobis A. 1705 p. 453 recensito, sibi tribuere videtur, in specie vasculosam corticis cerebri ac renum structuram, a *Nostro* vindicari, renisque pariter vervecini figuras duas repræsentari, huc merito transferendas, quo utriusque modus renes præparandi ac figuris exprimendi clare patescat.

TAB IV. Fig. 1.

Fig. I. Renem denotat vervecinum, per dorsum dissectum, ut interiora in conspectum producantur.

A. Arteriolæ, ductus urinosos producentes, vel in illos degenerantes.

B. Corpus papillare, ubi notandum, in vervece unicum tantum reperiri corpus papillare semicirculare, uti hic demonstratur, cum contra in homine plurimæ reperiantur papillæ.

C. Arteriolæ abscissæ.

D. Margo pelvis adipe obsitus.

E. Frustum pennæ anserinæ, principio ureteris insertum.

F. Corporis papillaris margo, innumeris foraminibus seu osculis præditus.

G. Vena Renalis.

H. Arteria Renalis.

I. Ureteris portio.

Fig. 2.

Fig. II. exhibet Renem vervecinum bisectum, cujus margo corporis papillaris & semicircularis ab Autore reflexus est, ut vasa sanguinea nonnihil conspiciantur.


A. Arteriolæ degenerantes in ductus urinarios; ubi notandum scilicet, illas ante dictam degenerationem quandam mutationem subire, seu in aliud esse mutari &c.

B. Ductus urinarii.

C. Mar-

M. April. pag. 145. sqq.

Fig. 2.






Fig. 6




Fig. 4.




Fig. 5.

C. Margo pelvis bisecti.

DD. Margo corporis papillaris & semilunaris, innumeris osculis pertusus pro urinæ exitu.

E. Pelvis superficies exterior undique adipe obsita.

F. Ureter abscissus.

G. Vena Renalis abscissa.

H. Arteria Renalis abscissa.

I. Portiones interioris substantiæ Renis, quæ ceu papillæ quidem nobis hic occurrunt, sed neutiquam pro papillis habendæ sunt; omnes enim continuæ sunt, vasa autem sanguinea hisce portionibus intersita, videntur dictam interiorem partem Renis in varias particulas separare, suntque dicta vasa multo sevo obsita, unde illa prima fronte visa, admodum crassa nobis obveniunt, cum contra, re penitius perspecta, longe tenuiora sint, sicuti hoc quoque liquet ex hac Figura.

GEOMETRICA DEMONSTRATIO THEOREMAtum Hugenianorum circa Logisticam seu Logarithmicam Lineam &c. cum addita epistola Geometrica ad P. Thomam Cevam S. J. Auctore D. GUIDONE GRANDO, Cremonensi, Monacho Camaldulensi & in Almo Pisano Lyceo Philosophiæ P. P.

Florentiæ, typis Regiæ Celsitud. apud Petrum Antonium Brigonci, 1701. in 4.

Constat Alphab. 1. plag. 6.

CElebertimus *Hugenius* in Dissertatione de causa gravitatis Tractatui de Lumine subjuncta, de qua *Mense Nov. A. 1690* egimus, proprietates Logisticæ seu Logarithmicæ p 176 & seqq. proposuerat, sed sine demonstratione. Cum vero ipse *Hugenius* in laudata dissertatione aliquibus ex illis ad arduas Physicæ veritates indicandas, & problemata de motu corporum, sive per aerem projectorum, sive proprio pondere descendentium, computata medii resistentia, determinanda usus fuerit; *Clarissimo Grando*, per Geometricam Problematum Vivianeorum demonstrationem, *Mense Jan. A. 1701* cum laude commemoratam, Geometris jam optime

noto, illorum demonstrationem Geometricam pertexere placuit. Equidem Dominus *Carré* in Methodo, de qua *Mense Jun. A. 1701* dictum est, cum *in prop. 26 sect. 1* aream Logarithmicæ & *in prop. 26 sect. 2* soliditatem Solidi per revolutionem spatii Logistici circa asymptoton suam geniti, ope *Calculi summatorii Leibnitiani*, in Actis nostris satis noti, sine ullis lemmatum aliisque ambagibus (quæ est calculi hujus præstantia) determinasset, Theorematum Hugenianorum aliquot instar corollariorum deduxit, poterantque eadem facilitate per dictum calculum reliqua etiam erui; ex præfatione tamen colligitur, Nostrum methodum illam nondum vidisse, cum anno 1701 Tractatus Hugenianus in manus ipsius primum incideret. Sed nullum est dubium, quin ipsius labor pergratus Geometris sit futurus, cum non nudam Theorematum Hugenianorum, eamque Geometricam & multiplicem, afferat demonstrationem; verum hac etiam occasione plures exhibeat Geometricas methodos circa Tangentes, Quadraturas, Centra gravitatis, Solida &c. variarum Curvarum, aliasque veritates Geometricas illu-

TAB. IV. Fig. 3. & 4.

strет. Certe *p. 41* ex *Torricellii* doctrina *lib. 1. de motu grav. prop. 18* ejusque *scholio*, methodum deducit generalem Tangentes inveniendi. Curvam nempe quamlibet DAV motu ordinatæ BA æquabili & sibi parallelo per axem BC latæ, & ex motu puncti A in ipsa linea BA velocitate accelerata vel retardata versus B accedentis vel ab eodem recedentis describi concipit, & ex hac genesi demonstrat, esse ut velocitatem puncti fluentis in situ A ad velocitatem ordinatæ AB, ita ipsam AB ad subtangentem BO. Exhibet quoque Tangentes Hyperbolæ Apollonianæ, omnium Parabolarum, infinitarum Spiralium, Conchoidum diversorum generum aliarumque Curvarum; nec non expansæ Ungulæ Cylindricæ, immo omnium Ungularum, etiam ex Cylindro non circulari abscissarum. Expedit dimensionem Geometricam infinitarum Parabolarum, Hyperbolarum, Spiralium, etiam Geometricæ, Cycloidis variorumque segmentorum, Cissoidis & ejus segmentorum, Tractoriæ &c. item Solidorum ex trilineo Cycloidis, ipsa Semicycloide circa Tangentem verticis & ex spatio Cissoidis concavo aut convexo circa asymptoton vel ei ex vertice parallelam revolutis. Inprimis sub finem Operis p. 182 Hyperbolam per Tractoriam quadrare docet. Sic nem-

nempe Tractoria BLMN, ejus prima ordinata FB, axis FG; sit B vertex, F centrum Hyperbolæ æquilateræ, cujus semitransversus axis FB. Ducta ex quovis puncto H axi Tractoriæ parallela HM, fore ait Triangulum basi FB & altitudine HM æquale Hyperbolico trilineo, portione axis HB, Tangente Hyperbolam ex puncto H & Curva Hyperbolæ intercepta comprehenso. Cum *cap. 1.* varias Logarithmicæ, etiam spiralis, generationes exposuisset, inter alia *p. 11.* monet, Logisticam spiralem intelligi posse describi per Logisticæ communis convolutionem, toto axe BQ in punctum centri contracto, ipsa vero AK in peripheriam circularem radii BA (repetito, si opus fuerit, circumvolutionis gyro) curvata, ordinatis interea BA, CV, QD in totidem radios a centro deductos abeuntibus. Sed cavendum esse, ne quis putet, Logisticam in spiralem contractam spatium continere dimidium ejus, quod explicata complectebatur, quia infinite parva parallelogrammula BZ, XZ &c. in totidem abeant Triangula illorum dimidia, ex quibus spiralis Logisticæ spatium absolvatur. Hoc enim ratiocinium, utut Geometrarum methodo conforme, plerumque fallere, quod in convolutione non eædem retineantur Triangulorum altitudines & bases, quæ fuerant parallelogrammulorum. Ostendit, aggregata quotlibet terminorum Geometrice proportionalium esse inter se, ut differentia terminorum maximi & minimi; magnitudines incommensurabiles per ablationem quantitatis qualibet data minoris reddi posse commensurabiles; cujusvis figuræ convolutæ ejusve partium ad circumscriptum sectorem & ejus zonas eandem esse proportionem, quæ Conoidis ab evoluta figura ejusve partium ad circumscriptum Cylindrum & Tubos Cylindricos; Spatio a qualibet Curva contento quoad totum & quoad partes æquari spatium ex subtangentibus ad Curvæ puncta applicatis vel ad respectiva basis; Solida omnia ex infinitis Logisticæ spatiis esse ut quadrata radiorum basis, & portiones ut differentias quadratorum a radiis extremis; generaliter cujusvis Logisticæ spatium & subtangentem tam submultiplicem esse prioris, quam submultiplicata Ordinatarum ratio; quænam sit ratio Conoidum ex infinitis Parabolis ad circumscriptos Cylindros vel Conos, item ex infinitis Hyperbolis ad inscriptos Cylindros; Fusi Cycloidalis ad Cylindrum; spa-

TAB. IV. Fig. 5.

Fig. 6.

ſpatium Hyperbolicum æquari rectangulo ex ordinata in alteram Logiſticæ ſubtangentem. Regulam proponit generalem, ex quo dignoſcatur, quando ſpatia infinite longa aut termini infiniti finitam adæquent quantitatem, quando infinitam. Obſervandum eſſe ait, an creſcente Arithmetice in infinitum terminorum multitudine decreſcat pari ratione, aut majori, vel minori ipſorum quantitas. Si enim in eadem ratione decreſcat, ut in $1\ \frac{1}{2}\ \frac{1}{3}\ \frac{1}{4}\ \frac{1}{5}\ \frac{1}{6}$ &c. quantitatem omnium ſimul fore infinitam; ſi in majori, ut in $1\ \frac{1}{2}\ \frac{1}{4}\ \frac{1}{8}$ &c. finitam; ſi in minori, plusquam infinitam. Idem applicari ſuperficiebus & ſolidis, quorum una aut altera dimenſio infinita ſit, altera tamen aut reliquis continue diminutis, prout enim in majori, aut eadem, aut minori ratione minuatur altera dimenſio, quam creſcat ea, quæ in infinitum extenditur, ſpatium fore præciſe finitum, aut infinitum aut plusquam infinitum. Demonſtrat etiam, infinitam ſeriem terminorum proportionalium æquari maximo in exponentem rationis ducto & per eundem unitate minutum diviſo. Sit nempe $m,\ \frac{m}{a},\ \frac{m}{aa},\ \frac{m}{a^3},\ \frac{m}{a^4}$ &c. erit ſumma ſeriei $= \frac{ma}{a-1}$. Ductis enim ſingulis in $a-1$, fiet $ma - m, + m - \frac{m}{a} + \frac{m}{a} - \frac{m}{aa}, + \frac{m}{aa} - \frac{m}{a^3}$ &c. adeoque, omnes termini poſt ma ſe mutuo elidunt, conſequenter ſoli priori producto æquantur. Dividendo itaque per $a-1$, fiet $m + \frac{m}{a} + \frac{m}{aa} + \frac{m}{a^3} + \frac{m}{a^4} = \frac{ma}{a-1}$, diviſione retexente, quod multiplicatio conficit. Per hanc demonſtrandi methodum oſtendit, tum finitas, tum infinitas ſeries æquales eſſe ſummæ vel differentiæ 2 Poteſtatum per ſummam vel differentiam radicum diviſæ, & extractionem radicis Neutoniano more per ſeries infinitas peractam confirmat. Docet ſpatia Logiſtica in ratione data dividere; Hyperbolam, quæ datam Logiſticam vel in dato puncto tangat, ducere; eidem, immo figuræ cuicunque, data ejus tangente, maximum parallelogrammum inſcribere. Determinat diſtantiam Centri gravitatis trilinei Cycloidis a verticis tangente per ſemiſſem radii, Semicycloidis & ejus trilinei a baſi ac vertice, Ciſſoidalis ab aſymptoto

to, una cum centris gravitatis variarum Conoidum. Oſtendit denique (ut alia plurima ſilentio prætereamus) quomodo inveniatur centrum æquilibrii in libra longitudine infinita, ponderibus Geometrice decreſcentibus & æque diſtantibus onerata. Haberi nempe, ſi Logiſticæ axem veluti infinitam libram Horizontaliter expoſitam accipiamus, unde Logiſticæ ſpatia proportionaliter deficientia, æqualium tamen latitudinum, pendeant, idemque fiat in axe Solidi ex Logiſticæ circa axem rotatione geniti, ſumtis æque craſſis ejusdem Solidi portionibus. Similem fere in modum centrum æquilibrii haberi, diſpoſitis in libra finita magnitudinibus Arithmetice in infinitum creſcentibus, ſed intervallis Geometrice decreſcentibus inter ſingulas relictis.

In Epiſtola annexa non contemnendas reperies de Cono meditationes. Monſtrat Autor, quomodo Conica ſuperficies in planum explicanda, & figura plana quævis Cono advolvenda; quarumvis in Coni ſuperficie deſcriptarum linearum ichnographiæ determinandæ, & lineæ in Coni ſuperficie iis reſpondentes reperiendæ; ichnographiarum omnium linearumque ex Coni ſuperficie in planum explicatarum Tangentes inveniendæ: qua occaſione ſimul alia multa docentur, e. gr. Spiralium diverſi generis origo, Spiralis Archimedeæ & Parabolæ Apolloniæ æqualitas, infinitarum Parabolarum & Spiralium comparatio, Cycloidis rectificatio &c. Inprimis notat, *Sturmium* Math. Enucl. lib. 2 cap. 4 conſect. 2 prop. 17, *Guarinum* Tract. 18 Euclid. Adaucti prop. 13, & *Renaldinum* de Reſolut. & Compoſ. p. 299 Spiralem juſto minorem facere, dum ſemicircumferentiæ circuli genitoris æqualem aſſerunt. *Borellum* de motu animal. part. 2 prop. 41 ſimiliter ceſpitaſſe, dum duas ejusdem Spiralis revolutiones eſſe ait ad invicem, ut ſunt circulares Zonæ, quibus inſcribuntur.

DISSERTATION SUR LE CULTE &c.

h. e.

DISSERTATIO DE CULTU, QUEM VETERES Deæ Sanitati exhibuerunt, cui juncta ſunt Numiſmata aliaque monumenta antiqua huic materiæ inſervientia.

Parisiis, apud Petrum Cot, 1705, in 8.
Const. plag $2\frac{1}{2}$.

INgenii sui vires iterum periclitaturus Politissimus Dn. Gros de Boze, cujus eruditionem jam mense Septemb. anni superioris laudavimus, singularem illum at superstitiosum cultum, quem Græci pariter atque Romani Sanitati publice olim detulerunt, Reverendissimo Archi-Episcopo ac Comiti Lugdunensi Primatique Galliarum Domino Claudio de Sancto Georgio, in præsenti Schediasmate, docte satis atque eleganter exponit. Sub initium autem Græcos Sanitatem tribus sororibus stipatam introduxisse memorat, quarum nomina Iaso, Panaceia & Ægle fuerint; nullius tamen mentionem in nummis occurrere, præterquam prioris, ceu ex adposito ectypo videre est. Cum igitur Basilidianorum gemmas Talismanicas morbis depellendis plurimum prodesse vulgo crediderint, haud temere Noster existimat, vocabulum ΙΑΩ, quod in iis frequentius conspicitur, idem forte significare ac Græcorum ΙΑΣΩ, motus inprimis autoritate Eusebii de Præpar. Evang. L. IV. c. 29, cujus verba: *Iaω est Salus, hoc est Dei Salutare*; licet Macarius atque Chiffletius illa voce sacratissimum nomen *Jehova* contracte notari, sed absque fundamento pronunciaverint. Pergit deinde ad Salutis templum, quod Junius Bubulcus Romæ, cum Censoris officio fungeretur A. U. 451 statuit, indeque rationem depromit, quare in nummis familiæ Juniæ Salutis imago nomenque appareant. Diversam vero caussam subesse in nummis Aciliæ gentis, Salutis effigiem vocemque referentibus, eandemque ab etymologia petendam, quia verbum Græcum ἀκέομαι, unde nomen Acilius derivatur, *sano, medeor* Latinorum exprimit. Taxat itaque ex hoc capite Onuphrium, & qui lepidissimum ejus somnium adoptavit, Patinum, quod M. Valerium Acilium Triumvirum Valetudinarium aut Valetudinis tuendæ dixerint, unico persuasi numismate, quod in anteriore sui parte Salutis caput nomenque sistit, in postica vero integram Sanitatis figuram cum serpente exhibet, additamque inscriptionem: M. V. ACILIUS IIIVIR VALETV, uti schema n. 8. ostendit. Neminem enim antiquorum de isto munere Magistratus quicquam memoriæ prodidisse, crediturque adeo non diffici-

TAB. IV. Fig. 7.

Fig. 8.

cile esse ait, Aciliam gentem, quæ, ut modo indigitavit, a Græco ἀκέομαι denominationem suam accersit, Sanitatem duplici appellatione, eaque maxime recepta, Valetudinis scilicet & Salutis in nummo hoc commendare voluisse, quemadmodum ipsa hæc familia ipsum quoque Æsculapium sub gemino habitu in alio numismate signari curaverit. Hisce aliisque paululum immoratus, nonnulla etiam recenset de consuetudine Romanorum, quibus pridie Nonas Januarii pro Salute Augustorum rem sacram facere moris fuit, tanto quidem plebis Procerumque consensu, ut Neronis tempore Thraseæ Pæto Senatori crimini cesserit, hujusmodi solemnibus per aliquot annos non adstitisse. Originem autem hujus religionis accersendam esse a Pompeji M. ætate, pro quo, cum gravissime ægrotaret, primo omnium civium universa Italia publica vota suscepit. Sed nolumus hæc omnia compilare, quandoquidem majorem attentionem exposcat gemma gazophylacii Regii, cujus delineationem ex Auctore n. 9. curiosis suppeditamus. TAB. IV. Fig. 9. Sistere illa videtur sacrificium pro Salute Pescennii Nigri, depicti sub ara, in qua Æsculapius sub ordinaria serpentis forma inter medias flammas conspicitur, quasi propensissimus esset ad vota ardentissima, Imperatoris ergo nuncupata, exaudienda. Ita enim interpretatur Noster literas in ima parte exaratas: Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Γαΐος Πεσκέννιος Νίγρος Δίκαιος, *Imperator Cæsar Cajus Pescennius Niger Justus:* circa eas vero, quæ in medio prominent, Oedipis aquam hærere fatetur, aliis τὸ A de urbe Antiochia, ubi sacrificium peractum, τὸ I de prænomine Ἰούλιος, quod habuit CABOΩN, qui rem divinam fecit, literas H de voce ἔθηκεν, *posuit*, τὸ Y de voce Ὑγιεία capientibus; aliis vero cætera quidem assentientibus, sed geminam vocem e CABOΩN eruentibus, nimirum Σαβεῖνος Οἰωνιστὴς *Sabinus Augur*, cum sibi imaginentur τὸ I inter O & ΩN a sculptore omitti potuisse. In hoc sententiarum divortio, Autor suam quoque mentem aperit, quod scilicet sub litera A, vocem Ἀγαθοδαίμων subintelligi debere primo obtutu putaverit, siquidem Pescennius mense Anthesterione, ipsaque die Agathodæmoni sacra Augustus fuerit salutatus, ita ut Autor hujus cælaturæ diem istum, tanquam bono augurio captando accommodatissimum

forte celebraverit, sicque instituenda veniat lectio: Ἀγαθοδαίμων Ἰατρέιον CΑΒΟΩΝ ΕΘΗκεν Ὑγιείη Αὐτοκράτορ☉ , &c. Quod si autem Talismanicis gemmis hanc adscribere velis, effectamque suspiceris ab Archiatro Imperatoris superstitionibus nonnihil addicto, tum solitariæ priores duæ literæ A & I exprimerent verba: Ἀδάκαντον Ἰατρὸς &c. *Antidotum quod Medicus Saboon &c.* licet simplicior evaderet sensus, si legatur: Ἀσκληπίου Ἱερεὺς CΑΒΟΩΝ ΕΘΗκεν Ὑγιείη &c. i. e. *Æsculapii Sacerdos Saboon fecit hoc sacrificium propter Salutem Imperatoris &c.* ea etenim ratione, numismati Græco Pescennii, quod in averso latere Æsculapium baculo serpente circumvoluto innixum repræsentat, magis congrueret. Verum longe disparem opinionem fovere R. P. Hardouinum asserit, quippe qui res toto cœlo diversas hic combinari, argumentumque plane Christianum proponi judicet. Altare namque cum serpente inter flammas hoc innuere, quod ignis caritatis & religionis consumere debeat pravam concupiscentiam, cujus serpens juxta Patres symbolum dicitur. Nec literis deesse pium significatum, modo ita explicentur: Ἀδώναι Ἰεωυά CΑΒαώθ Ο ΩΝ Εἰκὼν Θεοῦ Η Υἱός. h. e. *Dominus Deus Virtutum vel exercituum, qui est imago Dei sive filius.* Effigiem vero Imperatoris alicujus ab artifice, ut artis suæ specimen proderet, fortuito adsculptam fuisse, quæ cum casu Pescennium Nigrum referret, recentiorem quandam manum at minus peritam induxerit, ut Pescennii nomen in ima regione adderet, quemadmodum & attentius gemmam intuenti dissimilitudo harum literarum a prioribus in oculos statim incurrat. Autor vero hic nihil decidit, sed cuilibet eligendi sententiam sibi probabiliorem liberrimum arbitrium relinquit, & nos cum eo relinquimus.


L' ART DE GUERIR LES MALADIES DES OS par J. L. PETIT, Chirurgien juré à Paris.


i. e.


ARS MEDENDI MORBIS OSSIUM, TRADITA a J. L. PETITO, Chirurgo jurato Parisiensi.


Lu-

TAB. VI. ad









Lutetiæ Parisiorum, apud Laurentium D'Houry, 1705. in 12.
Constat 13. plagul.

PRimum hoc specimen est, quod in lucem publicam edidit Author, quodque Chirurgiæ Studiosis non potest esse non acceptum. Dividitur in quinque libros, quorum primus *Luxationum* Theoriam & Praxin sistit; secundus *Fracturas* omnes, quas corporis partes duræ, cranium si excipias, patiuntur, exhibet; tertius de *Exostosi* & *Carie* tractat; quartus diversas *Anchyloseos* species & *Dentium* morbos adumbrat; & quintus *Rachitidem* explicat. Nos ex primo libro quædam delibabimus.

Cum variæ prostent machinæ, quibus brachium luxatum restitui solet, nulla vero adeo perfecta esse dicatur Authori, quæ vel extensioni vel reductioni brachii luxati rite adornandæ ex asse satisfaciat, novam hic adinvenit machinam, cujus iconem ligno incidi curavit, & pag. 83 oculis exhibet; eamque nos æri incisam L. B. in Tab. IV Figura 9 sistimus. Scilicet CCCC Sella est, quatuor columnis AM, AN, AO, AP, insistens. Expers illa est fulcimenti firmi, cui dorsum innitatur, potest tamen hoc facile parari, si claviculæ ligneæ DD vel per M & N, vel per O & P trajiciantur, prout dextrum aut sinistrum brachium fuerit læsum. Tertia clavicula E semper per N & P trajicitur, linteo obvolvenda, cui brachium sanum alligari debet, ne Chirurgo inter operandum impedimento sit. KK machina est in modum Lunæ falcatæ efformata, duabus alis amplis XX gaudens, quæ corio obducenda, tomentoque infarcienda, ne ægrum lædat, cardinibus suis duarum columnarum foraminibus R & I inhæret. Ubi vero crassissima omnium existit, magnum habet foramen quadratum F, pro accommodata extremitate Z recipienda alterius machinæ, quæ trochleis SS & apto manubrio T trochlearum funiculum V super aliam trochleam circumducendi & attrahendi habetur instructa. Jam insideat æger sellæ, tergum MN & pectus I versus obvertens, brachiumque sinistrum luxatum ita imponat arcus medio KK, ut hujus pars crassior axillæ subjiciatur, alæ autem scapulam & pectus amplectantur, tunc trochleæ ei alligentur laqueo, qui brachio adaptatus est, trahaturque trochleæ superioris funiculus, seu potius ope manu-

TAB. IV. Fig. 10.

nubrii ſuper hujus trochleam verſetur. Sic enim tuto membrum extendi poteſt per gradus, in quantum rota, manubrium retinens, dentata eſt, ſimulque elatere tali inſtructa, quo reſilire impediatur. Facta igitur extenſione, poſterioris machinæ extremum Y deprimatur, funisque trochlearum relaxetur, atque reductio erit peracta.

L' APPAREIL COMMODE EN FAVEUR DES jeunes Chirurgiens, par Monſieur CLERC, Medecin ordinaire du Roy.

i. e.

APPARATUS COMMODUS IN USUM JUniorum Chirurgorum adornatus a CLERICO, Archiatro Regio.

Lutetiæ Pariſiorum, apud Johannem Baptiſtam Deleſpine, 1700. in 12.

Conſtat 13 plag. & figur. æncarum Tabulis 48.

CUm Apparatus Chirurgicus bene vel male ægro applicatus, huic non minus vel fiduciam & ſpem ſanitatis recuperandæ concitare, & animi tranquillitatem conciliare, vel metum male ceſſuræ curæ incutere, quam Chirurgi etiam exiſtimationem vel conſervare, vel famæ detrahere aptus ſit; infinitus autem faſciationum numerus quemvis a Chirurgiæ ſtudio deterrere poſſit; operæ pretium duxit Author Clariſſimus, facili methodo Apparatum illum omnem oculis ſiſtere, ejusq; applicandi modum genuine inculcare. Poſtquam igitur in Præfamine præcepta quædam generalia ſuppeditavit, in ipſo tractatu, quem adeo ſero ad nos perveniſſe dolemus, omnes Apparatus cunctis operationibus Chirurgicis convenientes ſeorſim explicat; qui cum multum ſæpe negotii faceſſant, partim ob ingentem eorum copiam, partim quod juniores Chirurgi illis nondum adeo ſint adſueti; omnes partes vel inſtrumenta, quæ ad integrum apparatum requiruntur, juxta ordinem, quo applicari debent, traducto filo ſibi invicem alligavit, numeris eadem diſtinguendo. Ut ſpecimen
TAB. IV. exhibeamus, ex quo de reliquis L. B. facile ſit judicium, Figuram
Fig. 11. Authoris XI, hic ſiſtere integrum viſum fuit. Scilicet ſit *Aneurisma*

ma curandum, ubi arteria pro sanguine congrumato eximendo aperienda venit, & sequens apparatus requiritur:

Num. 1. repræsentat *anevrisma*

A. *Arteriam* brachii.

b. *Tumorem* seu saccum a sanguine sensim collecto formatum.

c. c. *Ligaturas arteriæ* infra & supra anevrisma. Scilicet denudato tumore trajicitur sub arteria primum supra anevrisma acus incurva obtusa cum filo crassiore incerato, constringitur tum arteria filo per simplicem nodum, cui superponitur parvum splenium lineum, duobus nodis constringendum; id quod deinde etiam in arteria infra anevrisma faciendum est. Quanquam rectius videatur Authori, splenium in superiori ligatura omittere; ne, splenio exsiccato & gracilescente, ligatura laxetur, & sanguis prorumpat.

Num. 2. 2. sistunt duo *lintea carpta*, pulveribus adstringentibus conspersa, in vulnus, exemto sanguine congrumato, ingerenda.

Num. 3. 3. exhibent *duo plumaceola ovalia*, pulveribus adstringentibus conspersa, linteis carptis imponenda.

Num. 4. sequitur *emplastrum*, omnia contegens, ex utroque latere incisum, ut brachii plicis eo commodius possit applicari.

Num. 5. depingit *linteum scissum seu cancrum*, 4. extremitatum, cujus medium emplastro in plicatura cubiti imponitur, extremitates vero circa brachium obvolvuntur.

Num. 6. repræsentatur *fascia* sex ulnis longa, & pollice, vel duobus digitis transversis lata, conglomerata, parti circumliganda. Inchoatur hæc ligatura aliquot circuitibus sub cubito, & postquam dicto apparatui

Num. 7. *parvum splenium*, ad modum spleniorum venæ sectæ imponendorum formatum, sed paulo crassius, & juxta arteriæ longitudinem usque sub axillis aliud

Num.

Num. 8. *splenium longitudinale*, crassum, tribus digitis transversalibus latum, pro sanguinis in arteria impetu refrænando, & ligaturæ strictura moderanda, appositum fuerit, circumducitur fascia Num. 6. variis circuitibus in plicatura cubiti, (ut post venam sectam fieri solet,) & in modum asciæ ad brachii longitudinem super splenium longitudinale, quæ vel circa brachii summitatem vel pectus circumvolvitur & firmatur. Tandem

Num. 9. requiritur *pulvinar* molle, cui brachium ægri paulo inflexum, ita ut manus altius sita sit, quam cubitus, dum ille lectum petiit, imponatur.

Injungendum interim est ægro, ut flectat subinde & extendat manum, ne hæc ob materiam tartaream in articulo coacervatam & inspissatam se movendi perdat potentiam.

De cætero Apparatus hic quam tardissime est removendus.

TRAITE' DES ALIMENTS &c.

i. e.

TRACTATUS DE ALIMENTIS, AUTORE LUDOVICO LEMERY, Doctore Regente Facultatis Medicæ Parisiensis & Academiæ Societatis Regiæ Membro. Editio secunda.

Parisiis, apud Petrum Witte, A. 1705. in 12.
Constat Alph. 1 plag. 11.

Quam methodum *Autor* nobilissimus in Alimentis describendis insistat, & quæ principia constitutiva iisdem assignet, cum jamjam primam hujus Tractatus editionem in *Actis A. 1703, p. 396* recensendo satis indigitaverimus, non aliud postulari nunc a nobis posse videtur, quam ut differentiam, qua editio posterior a priori distat, vel illa potius præstat, breviter exponamus. Scilicet, præter varias etymologias omissas, quæ allusionibus potiori jure merebantur accenseri, in præsenti potissimum nonnulla hinc inde mutata, alibi vero plura de novo adjecta deprehenduntur. Mutatio si ullibi facta, certe in principiis, quæ ars chymica ex esculentis eli-

elicit, vel numero, vel proportione determinandis, ſubinde advertitur inſignis, in quantum v. g. Pyra & Fungi non multo oleo & ſale eſſentiali, ſed illa mediocri olei quantitate, multo autem ſale eſſentiali ac phlegmate conſtare, hi vero in deſtillatione multum olei, ſalis volatilis alcalici atque phlegmatis ſuppeditare perhibentur. Neque Cepis multa ſalis volatilis acidi, & mediocris olei quantitas adſcribitur, verum ex iisdem deſtillatis multum acidi & phlegmatis, parum autem olei & ſalis volatilis alcalici obtineri aſſeritur: prout Sorbis non multum, ſed parum olei, e diverſo Ribibus non parum, ſed multum olei, cum multo ſale eſſentiali ac phlegmate attribuitur. Quæ autem de novo acceſſerunt, ſunt vel integra capita, cum annotationibus interpoſita, vel pauca annotationibus prioribus interſperſa, vel ſub calcem denique ſubjuncta. *Pars* namque *prima* integris omnino capitibus & annotationibus de *Azarolis*, *Berberibus*, *Apio dulci*, *Valerianella*, *Saxifraga*, *Baſilico*, *Coronopo*, & *Catechu*, æque ac *altera* de *Phaſiana*, *Turdis*, *Gruibus*, *Coturnicibus*, *Fundulo*, *Polypis*, *Lupo marino*, *Mugili*, *Delphino*, *Cochleis*, *Caſtoreo*, & *Viperis*, habetur locupletata. Ex iis hinc, quæ annotationibus aliquando occurrunt addita, conſideraſſe ſufficiat, efficaciam potus Caffé ebrietatem impediendi aut ſaltem imminuendi, quæ ante ab alcali quodam, acidos vini vapores abſorbente ac præcipitante, tantummodo petebatur, nunc ab ejusdem ſimul vi tam ventriculum corroborandi & adſtringendi, per conſequens vaporum per poros ventriculi ad vaſcula ſanguinea & cerebrum tranſitum intercipiendi, quam ventriculi digeſtionem accelerandi, deſumi. Tandem non ultimum incrementum *Diſſertatio de nutritione oſſium* affert, quæ una cum *tribus Epiſtolis* adverſus librum de generatione vermium in corpore humano ſubnectitur. In Diſſertatione quemadmodum oſſium ſoliditas ac durities multis præcipue particulis terreis, beneficio pauci olei, phlegmatis & ſalis volatilis arctius cohærentibus, adjudicatur: ita nutritio eorundem a tali ſucco, qui ſapore gratus nullam ventriculo creet nauſeam, quique gelatinoſus ab arteriolis intra oſſium veſiculas depoſitus, harum parietibus agglutinetur, ac interventu caloris magis magisque inſpiſſetur, quousque debitam oſſis ſoliditatem acquiſiverit, unice derivatur; medulla oſſium ab officio ipſa nutriendi penitus ſecluſa,

 quod

quod oleum ejus subtile, linguæ quidem, non autem ventriculo arridens, ope caloris nulla ratione coagulari queat, sed fluidius potius redditum ad fibras osseas demittatur, ut majorem hisce flexibilitatem conciliet conservetque. Epistolarum autem additarum quia prima ea ipsa est, quæ *Nicolao Andry* ansam præbuit, *Dilucidationem* suam, in *Actis nostris anno elapso* p. 345 jam commemoratam, sub Anonymi titulo in lucem edendi, L. B. haud frustra hariolabitur, in duabus posterioribus, ad Dn. Boudin pariter datis, dictam Dilucidationem ad examen vocari.

ADRIANI RELANDI DE RELIGIONE MOhammedica Libri duo.

Ultrajecti, apud Gu. Brœdelet, 1705. in 8.

Constat 16 plagulis.

ETsi commentis vulgo annumeretur insulsis Mohammedanorum religio, non omni tamen eam veritatis carere specie, vel ex eo quis suspicabitur facile, quod per tam vasta sese diffuderit terrarum spatia, nec raro inde periculum fuerit Christianis, cum inter Turcas, tum in vicinia eorum degentibus, si vel maxime *Adami Neuseri* aliorumque Apostatarum nefandorum exempla præterirentur. E re itaque Ecclesiæ fore existimamus, accuratiori si penfetur trutina, quid vere de Deo rebusque divinis sentiant Islamitæ, ne aerem verberemus ea confutando, quæ sacris suis turpi adversariorum calumnia affricari, haut raro conqueruntur. Eo excitatus Clarissimus Auctor studio, ipsos religionis Arabum fontes, missis versionum rivulis, strenue sectatus est, multaque Mohammedanorum advertit lectione, pessimum quidem esse & Christianismo exitialem Islamismum, quemque detestari debeat omnis, qui Christum amet, & fidem habeat sacro Codici; nihilo tamen minus hanc quoque religionem, eadem plane sorte, qua pleræque aliæ, Judaica, Christiana & Protestantium, ab adversariis suis nec bene esse perceptam, nec justis semper calumniis oneratam. Cujus si investigetur origo mali, potissimam in linguæ Arabicæ inscitia versari culpam, cum a plerisque Theologiæ cultoribus habeatur inutilis, qui parum cogitent, quantopere præpostero hoc judicio famæ de-

derogent ac prudentiæ Virorum, qui ei addiscendæ & promovendæ tam sedulam operam navarunt, Pocockii, Bocharti, Erpenii, Golii, Castelli, Hottingeri aliorumque, neque recordentur, loca tot difficilia in Jobo, in Prophetis, in aliis Scripturæ libris, non aliunde lucem accepisse, nisi ex lingua Arabica. Persuasione tamen hac falsissima id evenisse, ut si quis juvenum sacrarum Literarum studio se consecret, & generoso quodam ardore intelligendi religionem Mohammedicam inflammetur, statim amandetur ad legendum Hoornbeeckii Summam Controversiarum, Johannis Andreæ Mauri Confusionem Sectæ Mahometanæ, Forbesii Instruct. Theol. Libr. IV, Omii Turcismum reseratum, Alcoranum a Roberto Retenensi versum, aliosque, qui in hoc argumento vehementer hallucinati sint. Illos enim, vel linguæ Arabicæ defectu, secutos esse Græcos, quorum fidem invidia pariter ac ignorantia reddat dubiam, vel in ipsa Alcorani interpretatione a vero quandoque aberrasse. Quod ut evinceret, Libro I de Religione Mohammedica orbi literato exhibuit Compendium MStum admodum elegans, cui genealogiam præmisit Mohammedis ex codice Turcico MSto, usque ad Noachum deductam, adposita textui e regione versione Latina, eruditisque passim adspersis rerum Islamiticarum floribus. Compendium hoc dissilit in *Partem Theoreticam*, quæ agit de Fide in Deum, de Angelis, de Libris Divinis, de Legatis Dei, de Die novissimo, de Decreto Dei; & in *Partem Practicam*, quæ circa Lustrationes, Preces, Eleemosynas, Jejunia & Peregrinationem Meccanam occupatur. Omnia hæc fidei Mohammedicæ capita ab auctore suo, cujus nomen latet, tam caute ac sobrie proponuntur, ut plane alia, quam qua vulgo induta creditur, facie compareat, sicuti a Clarissimo Relando *Libro Secundo* distinctius compluribus observationibus demonstratur. Quæ cum infra tangantur, & reliqua Islamitarum placita non adeo ignota sint, tantum ex notis doctissimi Editoris quasdam speciminis loco excerpemus, unde de cæteris B. L. ferat judicium. Pag. 18 controversiam diu & magna animorum contentione inter Mohammedanos agitatam, num Alcoranus creatus sit vel increatus? ita componit, ut tutissime illos incedere statuat, qui verbis Corani adhærentes dicant, illum positum vel demissum esse, & de creatio-

tione sileant. Pag. 22 animadvertit de Hottingero, quod in Histor. Orient. p. 22 ex Kessæo referat, XXI libros ad Adamum a Deo demissos, cum Mohammedani, quos Clarissimus Autor vidit, tantum X memorent, neque Kessæi verba talem sensum postulent. Ibidem de Enocho ex Taarich & dissertatiuncula Arabica MStis observat, quod Turcis dicatur Idris, ob præclaram, qua polluit, scientiam. Etsi enim sartor, uti tradunt, fuerit, qui in singulis diebus perfecerit togam, Spiritu tamen sapientiæ & prophetico fuisse donatum, eo quod frequenter inter operationes illud سبحان الله *Laus Deo*, ingeminarit. Superatis autem annis 365, vivum adscendisse in cœlum, die X mensis Moharram. Pag. 26 ostendit, Pœnam Sepulchri Mohammedanis idem esse, quod Judæorum חבוט הקבר, & peragi a duobus Angelis Monkir & Nakir, qui reos, præmisso examine, plectant. Pag. 35 collata cum pag. 161 ex Taarich suo elegantem producit locum de Servatoris persona & officio: & de morte quidem observat, Arabes licet asseverant, Christum sublatum esse in cœlum, cum Judæi illum interficere studerent, non tamen mortem ipsam Mohammedem, uti vulgo creditur, negasse. Genealogia quoque subjicitur ex eodem Auctore, ad Adamum usque deducta, quæ in multis quidem consentit sacris Literis, non omnibus tamen destituitur antichronismis aliisque erroribus: sicuti & nomen Christi non ab ungendo, sed a peregrinando derivetur. Pag. 54 animadvertit, Sunnam idem esse Mohammedanis, quod Mischna Judæis, quæ dicta & facta Mohammedis in Alcorano non memorata, sed traditione propagata complectatur. Ibidem prolixius lotionum Islamitarum ritus, & statuta eis tempora describuntur. Pag. 58 agit de circumcisione, seu potius incisione fœminarum, qua ratione ab alia peragatur muliere, ostenditque ex Galeno, etiam Ægyptiis hanc in usu fuisse ceremoniam. Pag. 86 & p. 153 interpretatur Caravanarum institutum, quo tempore, quo loco, quibus præparationibus, quo ritu in æde Caba urbis Meccæ sacris operam dent: negat autem, peregrinationem hanc Meccanam suscipi a Turcis, quasi visitatum sepulchrum Mohammedis eo contenderent, sicuti Grelotus in Itin. Const. p. 109, Leonicus Chalcocondylas Hist. l. III, Volaterranus, Hieronymus Osorius, aliique sibi persuaserint; contrarium enim Al-

Albertum Bobovium in Liturg. Turcar. pag. 11 satis accurate demonstrasse. Porro Libro II adfert XL ἐγκλήματα falso Mohammedanis exprobrata, quæ inter primaria sunt, quod credant unumquemque in sua religione posse servari, Deum esse corporeum & mali auctorem, creata esse adoranda, non dari providentiam nec infernum, inter Angelos dari fœminas, mulieres non esse intraturas Paradisum, & alia, quibus grandes Alcorano in Historia Sacra, e. g. de Maria, de Hamane, Mose, lapsus objiciuntur. Argumentorum, quibus id evincat, robur arbitrio aliorum relinquimus. Nonnunquam Thomæ Hyde & Pocockii sequitur auctoritatem; quandoque etiam Viros in literatura Arabica celebres, Hinckelmannum, Marraccium aliosque virgula notat censoria, omnium maxime invehitur in Græcos, & qui ex interpretibus de religione hac judicium tulerunt. Ita statim sub initium sese opponit Nicolao de Cusa, Hoombeeckio, Voetio, Maccovio, Flockenio, Hornio, Vigenerio, Leonico Chalcocondylæ, Bellarmino, Gualthero, Thomæ a Jesu, Angelo de S. Joseph seu de la Brosse inter Arabes quindecim annis versato & linguæ hujus perito, quod tenaciter adeo defendant, Mohammedanos, unumquemque in sua religione salvari posse, statuere.

MAXIMES DU DROIT CANONIQUE DE France &c.

h. e.

PRÆCEPTA JURIS CANONICI GALLIÆ, Autore LUDOVICO DU BOIS, plurimis Observationibus aucta, per DIONYSIUM SIMONEM. Tomi II. Editio quinta auctior & correctior.

Parisiis, apud Jo. & Mich. Guignard, 1703, in 8.
Constat 3 Alphab. 6 pl.

CUm primum Institutiones has Juris Canonici, ad usum Ecclesiarum Gallicarum imprimis compositas, ederet Clar. Simon, nomen Autoris non adjecit; postea vero accuratius earum exemplar a Pinsonio nactus, non ulterius dissimulandum duxit, celeberrimum Du Bois

Colberti juſſu operi huic manus adhibuiſſe, quod ſine dubio perfectius Simone judice prodiiſſet, niſi fati vis anno 1670 Autorem mortalitati & curis his exemiſſet. Primum ergo Tomum Ludovico Du Bois debemus, alterum Dionyſio Simoni, qui & priori ſuas addidit obſervationes, elegantiſſimas ſane, quæ Autorem partim emendant, partim reſtringunt, plerumque illuſtrant. Ita cum Du Bois cap. 3 Carolum V Imperatorem dixiſſet ab Alexandro V Pontifice jus obtinuiſſe, ſummas dignitates Eccleſiarum Cathedralium libere conferendi, recte obſervat Simon p. 102, Imperatorem ab hoc Pontifice id impetrare non potuiſſe, qui integro ſeculo ante, quam Carolus admoveretur Imperio, ſanctæ Sedi præfuiſſet. Cæterum in tres partes Tomus I abit. Prima perſonas Eccleſiaſticas conſiderat, ubi Clariſſimus Du Bois Jura Epiſcoporum c. 1, & Abbatum c. 2 tradit, cap. 3 de Capitulis, Dignitatibus & Canonicis, c. 4 de Parochis, c. 5 de Prioribus, Capellanis aliiſque beneficiariis agit, & ſingulorum officium, prærogativas, differentias, ætatem, poteſtatemque ſecundum Canones & Jura Eccleſiæ Gallicæ explicat. Altera pars ad res Eccleſiaſticas ſpectat, & tribus capitibus de Jure Eccleſiarum Cathedralium & Collegialium, Abbatiarum & Prioratuum, ac Seminariorum abſolvitur. Tertia pars Leges Eccleſiaſticas, quarum præcipua inter Gallos eſt autoritas, recenſet & explicat. Quo pertinent imprimis Sanctio Pragmatica, de qua Tit. 1, & Concordata Nationis Gallicæ, de quibus Tit. 3 Autor diſſerit. Illa in conventu Biturige habito, ex articulis Concilii Baſileenſis ad uſum Galliæ accommodatis, a Carolo VII collecta, & publica autoritate confirmata, Pontificis poteſtatem valde debilitavit; quare nec quievit Romana Curia, donec per Concordata Gallica, plurima immutarentur. Hæc Leo X Franciſco I extorſit, qui bello cum Carolo V impeditus, tempori, & Pontifici interdictum minanti cedere coactus eſt, repugnantibus fruſtra Academiis & Parlamentis Galliæ. Atque his Concordatis hodie ſtandum eſſe monet Autor, excepto articulo de Beneficiis vacantibus. v. pag. 379, Sanctioni autem Pragmaticæ, ubi ea per Concordata non mutata eſt. vid. p. 229. 370. Exemplum mutationis circa privilegia Graduatorum ſpecialia p. 273 ſeqq. exhibet, & per 23 capita, in quæ Titulus primus dividitur, ſingulos articulos Pragmaticæ Sanctionis cum Concordatis Natio-

nis

nis Gallicæ prolixe confert. Titulus II Concordata Nationis Germanicæ respicit, quorum hoc loco facienda erat mentio, quia in iis comprehenduntur Ecclesiæ, Tullensis & Verdunensis, ut suffraganeæ Archi-Episcopi Trevirensis, Metensis quoque, in quibus ex indultu Alex. VII & Clem. IX Regi Galliæ jus competit nominandi Episcopos. Quod, ut & alia beneficia Ecclesiæ Gallicæ concessa, Pontificem non posse revocare, tuetur p. 366. Tit. IV versatur circa regulas Cancellariæ, ex quibus sibi vacantia in mensibus Papalibus Beneficia Ecclesiastica conferendi potestatem vindicat Pontifex per Britanniam minorem. Hæc enim provincia per edictum Henrici II de anno 1550 art. 9 Pontificis relicta obsequio est, nec Concordatis Nationis Gallicæ comprehenditur. vid. p. 385. Denique Titul. V Jus Patronatus tam Laicum quam Ecclesiasticum exponit, ubi notari meretur, causas Patronatus laici Judici seculari in Gallia vindicari p. 402. Nec Pontificem huic juri posse derogare, sive Patronus ex communi jure, sive ex privilegio Patronatus jus obtinuerit. Atque id pertinet ad libertates Ecclesiæ Gallicanæ, quas passim Autor tuetur ac strenue vindicat, sive ad jus Regis aut regni contra Pontificem, sive ad libertatem & privilegia Episcoporum Galliæ pertineant. Sic p. 61 seq. Regi imperium in Episcopos, & dominium directum feudorum Ecclesiasticorum asserit, eidem jus Patronatus Ecclesiarum Cathedralium p. 159, & Collegialium, quæ sine ipsius consensu, ut loquuntur, secularisatæ sunt, p. 74, in terris Concordati, nec non Metis, Tulli, & Verduni vi indulti p. 300 vindicat, Jus item condendi ordinationes de disciplina p. 209 & beneficiis Ecclesiasticis p. 206, ac immunitatem ab omni excommunicatione, plenissime adstruit p. 352. Huc & pertinet, quod in Gallia non valeant Concilia, nisi quatenus statui reipublicæ conveniunt, secundum Autorem p. 213, nec bullæ Pontificis, nisi accedentibus literis Regis patentibus p 209. 227, nec interdicta contra regnum, provincias aut subditos Regios p. 352. 356. Præterea plenissimum est hoc opusculum observationum elegantissimarum, ad Statum publicum & Jus privatum Galliæ pertinentium, ex quibus quæ de Episcopis sub diversis Parlamentis p. 53, de Parocho testamentum valide recipiente p. 146, de usuris usurarum ab administrationibus

bo-

bonorum Ecclesiasticorum præstandis p. 188 occurrunt, imprimis legi merentur. Sed hæc de Tomo primo monuisse sufficiet. Alterum, ut diximus, Celeberrimus Simon addidit, ut quas omiserat Du Bois, materias suppleret, & plenum ac perfectum Juris Canonici compendium Lectori exhiberet. Qua in re quid præstiterit Vir Clarissimus, facile ex iis, quæ de annotationibus ejus ad Tom. I. diximus, colligi potest. Non enim minore elegantia, eruditione & ingenio hanc partem composuit, ac alteram exornavit, sed uti in alieno opere illustrando, ita in suo quoque judicium & industriam rerumque Gallicarum peritiam singularem ostendit. Verum cum Titulorum seriem materiasque prolixe exponere, instituti nostri ratio non permittat, ex pluribus, quæ ubique occurrunt notabilibus aliqua saltem speciminis loco adjiciemus. Legatorum nempe Pontificis potestatem in Gallia limitatam docet p. 45. Declarationem Regis de dote personarum, quæ religiosam vitam amplectuntur, temperanda, p. 91. seqq. exhibet. Regulas Cancellariæ in Gallia receptas recenset & explicat p. 323 seqq. Ad Jus privatum spectant observationes de primogenitis, pro quibus in Gallia non habentur legitimati per subsequentes secundas nuptias, si ex priori matrimonio filius licet natu minor supersit p. 361; de matrimonio invitis parentibus contracto, ex quo qui nascitur, illegitimus habetur p. 362; de matrimonio cum hæreticis vetito p. 389; de computatione Canonica in materiis civilibus quoque recepta p. 380; de liberis conjugum, postquam parentes monasticam vitam elegerunt, susceptis p. 434; de dote adulteræ, utrum ad patrem revertatur, nec ne? p. 428 seqq.; de matrimonio cum uxoris sorore, accedente dispensatione Regis permisso p. 412; de nuptiis cum patruo magno in Lusitania licitis p. 376, aliæque quam plurimæ passim obviæ. Quas uti brevitatis studio omittimus, ita non perdituros eos operam, qui Juris Canonici amœnitates & Legum ac Consuetudinum Gallicarum notitiam suo pretio æstimant, si ipsas hasce Du Bois & Simonis Institutiones integras evolvant, certissime sumus persuasi.

JOHANNIS CONRADI BECKERI, PHIL. & MED. D. Tractus Asfeld. Medici Ordinarii, Paradoxum Medico-Legale de Submersorum morte sine pota aqua.

Gies-

Giessæ Hassorum, typis Henningi Mulleri, 1704, in 8.
Constat 10 plagulis.

Etiamsi hactenus creditum fuerit, vivos homines aquæ submersos ventrem totum aqua plenum ac tumentem habere, adeo ut, deficiente in submersorum cavitatibus aqua, mortis extra aquam aliunde illatæ, demortuique in aquam projectionis probabilis nascatur suspicio; Author tamen Clarissimus quatuor observationibus, una in cane, reliquis in hominibus factis, in quibus pulmones & intestina aqua vacua, ventriculus chylum pauca aqua dilutum continens fuit repertus, adductus, in eam abiit opinionem, sub aquis neminem aquæ haustu perire, petitum vero e pulmonibus ac intestinis aqua vacuis argumentum, ad negandam sub aqua suffocationem & ad præsumendam cædis suspicionem, temere adhiberi. Præter experientiam vero hanc, rationes varias allegat, ob quas aqua in pulmones & intestina irruere non possit; & unumquemque observasse confidit, se vel metu perculsum, vel improviso periculo expositum, vehementius avidiusque ducere spiritum, eundemque cum impetu impulsum diutius retinere. Jam in suffocationis periculo illapsus cum impetu aër ad extremam pulmones magnitudinem extendit, & vesiculas eorum usque eo inflat, ut bronchiorum cartilagines a se invicem abductæ bronchia protendant, ipsi vero pulmones, adducta interiori tracheæ membrana, truncum ipsius paululum elongent, ac ipsam epiglottidem fibris muscularibus attrahant, rimulæque firmiter incumbentem retineant. Adde quod eadem epiglottis ab incumbente etiam fortiterque premente aqua rimulæ applicata teneatur, ut adeo retrudi attollique hæc, & ad systolem redire pulmones fibræque musculares non possint. Quamobrem nec exterior pulmones cingens membrana, nec fibræ musculares vesicularum ad extremam magnitudinem extensæ, tanta pollere vi existimari possunt, qua resiliant, se contrahant, & epiglottidem attollant. Cui rei etiam diaphragma suffragatur, quod in suffocationis periculo semel deorsum motum, redire in fornicem nescit; siquidem costæ, quibus illud in tota circumferentia affixum est, musculorum ope elevatæ resilire & thoracem angustare nequeunt, ab incluso cohibitoque aëre impeditæ.

Ex quibus constat, fluctibus expositum hominem aërem inspiratum non expellere, sed potius cohibere, & ad maturandam mortis horam comprimere cogi; cum reliqui morte naturali obeuntes expirando vitam ponant, quam inspirando inchoaverant. Aër enim sic cohibitus, inque pulmonibus moram nectens, a pectoris calore expanditur, in elatere suo augetur, vesiculas dilatat, pulmones secundum omnes dimensiones distendit, vasa sanguifera comprimit, & coarctat, ejiciendum e dextro ventriculo cordis sanguinem arcet, illapsum partim reprimit, partim retinet inque grumos cogit; verbo, circularem vitalemque istius motum impedit. Quemadmodum autem extra aquam, respiratione abolita, animalia per tempus aliquod vitam continuare, vel ad eandem revocari, experimenta machinæ Boylianæ ope instituta abunde testantur; ita dubium nullum est, in aqua vivere pariter posse submersos, licet per pauxillum tempus. Hactenus dictis probavit Author Clarissimus abunde, nullam aquam ad pulmones penetrare posse; eandem vero nec ad intestina descendere, eam ob causam putat, quia cessante respiratione, deglutitio ab aëre juvanda insimul feriatur. Distentis autem eo, ut dictum, modo pulmonibus & aspera arteria, œsophagus itidem, huic immediate adjacens, & ventriculi orificium sinistrum comprimitur & arctatur; imo & sanguine in motu circulari impedito, vasa intumescunt, partesque ita stringuntur, ut angustiores fiant. Pauxillum tamen illud aquæ, quod in ventriculo reperitur, primis forsan immersionis momentis, antequam stagnatio, reliquaque adducta phænomena accesserint, delapsum esse, probabile videtur. Nec sola denegata respiratio illabi aquam in pulmones ac intestina prohibet, sed ipsa sibi aditum præcludit aqua. Sua enim gravitate epiglottidem deprimit, particulis elasticis ac impetuoso in os illapsu fauces musculosque distendit, malas extrudit, linguam comprimit, ita ut fibræ musculorum se constringere nesciant; gulæ substantiam nerveam, palato faucibusque continuam, propter partium oris extensionem distendit sive adducit, sicque gulam coarctat. Quod eo facilius factu est, quo magis gula a stagnante sanguine vasisque intumescentibus comprimitur. Imo etiamsi pateat aliquantulum gula, aqua tamen eam non ingredietur, propter aëris præsentiam, qui licet in ventriculo & intesti-

testinis rarus sit, irruenti tamen aquæ resistit, (quale phænomenon pariter in urceo vel vitro longioris colli aquæ immerso occurrit.) & eo fortius resistit, quo magis illa a diaphragmate comprimuntur, quo minor est, distentis & inertibus faucium musculis, aquæ versus gulam propulsio, quove angustior facta per gulam via existit.

Hæc de opusculo satis; illud adhuc monendum restat, quod adjecta sit eidem Dodecas observationum circumstantiis curaque rarissimarum; ex quibus primam recensuisse, speciminis loco sufficiet. Scilicet puer, qui per duos a nativitate annos satis commode valuerat, tandem difficulter spirare incipit, malo indies ingravescente; attolli justo plus thoracem observat, scalas non sine difficultate trahendi spiritus ascendit, de ventris dolore conqueritur, tussique ac calore subinde redeunte, & a pastu repleri sentit præcordia. Quanquam autem alii a lumbricis prodire symptomata crediderint, alii phthisin accusaverint, alii stomachi imbecillitatem causam esse pronuntiaverint; post mortem tamen pueri, vix quintum annum attingentis, observatum fuit, intestina cartilagini ensiformi, & hypochondriis ac inguinibus firmiter fuisse annexa, omentum computruisse, & abdomen ventriculo, liene & hepate fuisse destitutum; quæ tamen in pectoris cavitate fuerunt reperta, ita ut mediastino deficiente, toti pulmones cum corde ac hepate dextrum, ventriculus & lien sinistrum latus occupaverit.

OSSERVATIONI SOPRA IL LIBRO DELLA Felsina Pittrice &c.

i. e.

OBSERVATIONES IN LIBRUM, QUI FELSINA (Bononia) Pictoria, seu Linteum pictorium inscribitur; ad defendendum Raphaelem Urbinatem, Caraccios, horumque Scholam, publicata, inque Epistolas septem divisa a D. VINCENTIO VICTORIA, Patritio Valentiano, Canonico Xativano.

Romæ, apud Cajetanum Zenobium, Clementis XI P. S. Cælatorem, 1703, in 8vo. Constant plagulis $7\frac{1}{2}$.

 Qua

QUa ratione inductus sit ad publicandas has Observationes Autor Nobilissimus, Præfatione Lectorem docet. Nempe cum artis pictoriæ perficiendæ causa, Romæ apud insignem Virum Carolum Marattam, Raphaelis Urbinatis imitatorem, una cum Illustrissimo Horatio Albani, Clementis XI P. S. Fratre versatus esset, accepissetque deinde in Hispania hujus literas, quibus de libro, *Felsina pittrice*, vitas pictorum Bononiensium complexo, judicium ferre jubéretur, non tulit hic injurias, a Scriptore libri istius, Raphaeli Urbinati cæterisque pictoribus præstantissimis illatas, sed eas septem his Epistolis ad Illustrissimum Albanum missis depellendas judicavit. Quarum prima & secunda de Raphaele Urbinate, tertia de Caracciis, de Albano quarta, quinta de Dominico Zampero seu Domenichino, sexta de Ludovico Caraccio & Guidone Renio exponit, septima denique data opera Urbinatem Raphaelem ab indigno nomine pocillatoris Urbinatis (di Boccalajo Urbinate) quod adversarius Autor ei imposuerat, defendit eo argumento, quod Raphael, ille pictorum facile princeps, nunquam eo se demiserit, ut vasa ejusmodi figulina (boccali) pingeret, a quibus id nominis ei male dederit alter. Qui idem, ut de momento controversiæ etiam nonnihil afferamus ex Epistola potissimum secunda, pictoriam reprehendens Raphaelis, eam statuariam, Romanam, aridam, duram, ligneam, decolorem, humilem, indoctam seu ineptam causatus fuerat. Quibus omnibus criminationibus doctissime occurrit Nobilissimus Victoria; & primo quidem, quod statuarum antiquarum imitationem Raphaeli exprobrarit Adversarius, in eo hujus imperitiam artis condemnat, Raphaelemque eximie dilaudat. Romam autem ipsam, tanquam perpetuam pictorum excellentium scholam, Sicyonis & Athenarum Græcarum simillimam, magnopere commendat, fratresque duos Annibalem & Augustinum Caraccios, item Guidonem, Dominicinum, Albanum, Antonium, Augustini Caraccii filium, Lanfrancum, profert, qui Romæ, Raphaele magistro, artis præstantiam consecuti sint. Jam, ut pictoriam Raphaelis minime aridam aut ligneam, sed speciosam & eximiam fuisse ostendat, ad hujus tabulam præstantissimam provocat, hodie in sacello Regio Madriti asservatam, in qua Christus sit crucem humero portans, & cadens, iis coloribus eaque arte de-

depictus, ut affectus animi Servatoris ac Mariæ utriusque ad vivum quasi expressos nemo contemplari ac mirari queat satis, quemadmodum Vasarius in Vitis Pictorum Bononiensium digne descripserit. Quam eandem imaginem meruisse ait, indignante Adversario, Noster, ut a Philippo IV Rege, artis callentissimo, annuo reditu mille scutatorum a Monachis Panormitanis redimeretur, gratiaque referretur Superiori horum, qui tentatam, semper cum tumultu civitatis, deportationem solertia tandem sua perfecisset. Atque, ut porro coloribus quoque ornatissimam pictoriam confirmet Raphaelis, duas inprimis tabulas laudat, in cameris Vaticanis adhuc conspicuas, historias nempe Attilæ & S. Missæ, grandes illas & coloribus artificiosissime pulcherrimeque illustratas. In quo quidem argumento cum versatur, non potest non reprehendere Adversarium, qui colorem picturam putet, inque vita Joannis Francisci Centani (da Cento) cum hanc sententiam posuisset: centum de rebus, imaginem pictam ornantibus, nonaginta novem attulisse eum, qui coloris pulchritudinem præstitisset; ei hanc rationem subjiciat, quod propositi excellentiam pauci, iique docti, intelligant, colorem omnes, etiam de vulgo, sentiant. Denique in historia Attilæ, Leonem X P. S. pro S. Leone I depictum, inque aliis historiis Julium II positum a Raphaele, item in historiis S. Missæ Sacramenti, & Atheniensium Scholæ, Philosophos, Astrologos & Theologos esse conjunctos, quasi conciliaturos Philosophiam & Theologiam, vel aliud mysterium etiam sublimius occultatum, observat Noster, inter alia argumenta ideæ minime humilis, sed nobilis inprimis atque excellentis, quæ in Raphaele eluxerit. Quem eundem eruditissimum fuisse Virum, atque eleganti omni doctrina politum, inque optimis Scriptoribus legendis versatissimum, atque adeo una cum Michaele Angelo & Titiano, pictoribus excellentibus, inter præstantissimos ævi sui Scriptores annumeratum, denique propter excellentiam illam doctrinæ, a Leone X inter Purpuratos Patres pene cooptatum scribit Autor, vere eodem loco docens, pictoriam non esse, cum quis nudum sibi hominem ob oculos ponat, ejusque partem colorate delicateque imitetur ac describat, verum artem esse, quæ ab ingenio bonaque eruditione instructa sequatur ornate naturam, quæ-

que operibus ingeniose perfectis eximat se opificiorum vulgarium numero, nobilibusque scientiis inserat. Idcirco necessarias esse pictori multas artes, Poeticam, Historicam, Mathematicam, ipsamque Philosophiam, quippe qui opera Naturæ, affectus & mores docte debeat repræsentare, quemadmodum Leonardus Venciensis bene præcipiat pictori, & Vitruvius etiam architecto. Tales fuisse Apellem cum sua Calumnia, Parrhasium cum suo Dæmone Atheniensi, Timantem cum suo Cyclope, tabulis docte descriptis, Plinio, Philostrato, Pausaniæque celebratis, Polygnotum quoque cum Porticu sua varie eruditeque picta sede Philosophorum: itemque recentiores Albanum, Dominicinum, alios, Poetarum præstantium ac Philosophorum æmulos, confirmat Autor, ipse ille idem non arte magis sua quam doctrina omni bona, si quid judicamus, profecto excellens. Cujus ad Epistolas has, docte, curiose, atque eleganter sane scriptas, Lectorem gustu quodam levi præparatum nunc dimittimus.

VITA DI S. EMIDIO, &c.

i. e.

VITA S. EMIDII, EPISCOPI ASCULANI ET Martyris, una cum Narratione rerum urbis Asculi, occasionem præbente S. VALENTINO MARTYRE, ejusdem Diacono, & primo gestorum hujus Sancti Scriptore, Composita a PAULO ANTONIO APPIANO, Soc. J. Editio secunda aucta atque emendata ab Autore.

Romæ, typis Bernabi, 1704, in 8.

Plagg. 28.

Liber hic, *Clementi XI P. M.* hodie sedenti, dicatus, & ab Illustrissimo Magliabechio eximie nobis commendatus, complectitur, præter Introductionem, libros vel partes quatuor. Illa admodum Reverendus Autor exponit imprimis de *Vita S. Emidii* a *S. Valentino* scripta, quam ipse e codice MS. Vaticano exceptam & cum R. P. Conrado Janningho, celeberrimi Papebrochii in colligendis Sanctorum Vitis socio, communicarit, & ex amore adversus patriam ejusque Apostolum, S. Emidium, separatim in lu-

lucem ediderit: item de nomine Emidii, quem eundem in Martyrologio Romano *Emigdium*, in alio quodam MS. codice *Aimidium*, sive Æmidium, ab Asculanis sæpe *Amiddium* atque *Amelium*, pro Emidio, seu Æmilio, dici observat, verbaque ipsa Martyrologii ad diem Emidii festum, ponit hæc: *Asculi in Piceno S. Emigdii Episcopi, & Martyris, qui a S. Marcello Papa ordinatus Episcopus, & illuc ad prædicandum Evangelium missus, in confessione Christi sub Diocletiano Imperatore martyrii coronam accepit.* Libro autem ipso primo, gesta S. Emidii, ab infantia ad ingressum usque ejus in urbem Asculum, capitibus septem persequitur Autor. Secundo integro de urbe Asculo, id quod titulus libri præ se ferebat, exponit capitibus sex. Tertio res Emidii usque ad mortem ejus ac sociorum, itemque civitatis erga eundem venerationem, capitibus novem enarrat. Quarto denique, miracula ab Emidio defuncto patrata, cum adhortatione ad religionem S. Emidio præstandam, hujusque descriptione religionis, septem capitibus absolvit. Quam nos descriptionem, quia vitam ipsam non licet propter studium brevitatis, in compendium missam, e capite libri totius ultimo, exhibebimus. Moriturus nempe quidam Dal Monte (Montanum dicere liceat) ultima voluntate sua filiis religionem erga Sanctum hunc virum commendavit, ejusque modum ipse lingua tum usitata conscripsit, Noster autem e Chronico Asculano vetustissimo in linguam hodiernam & puriorem transtulit. Absolvitur autem modus ille celebrandi S. Emidii, decem præceptis. Primo vult Montanus, ut filii primo sibi natis nomen imponant Emidii, idque suis etiam mandent posteris, ne unquam deficiat in ipsorum familia, qui nomen hoc habeat. Secundo prohibet, ne quis nomen S. Emidii pronunciet profane, aut cum blasphemia vel perjurio. Quod si quid horum fecerit e domesticis aliquis, post duas tresve admonitiones, nisi resipuerit, domo ejiciatur, quantumvis videatur rebus domesticis utilis. Cum enim vituperabile sit, nominare cum contumelia personam honoratam, etsi ad nos non pertinentem: maxime fuerit incivilis, ingratus atque injustus, qui hoc modo nomen proferat S. Emidii, ejus, qui tanta in nos beneficia contulerit, qui præsens nobis in sacro suo deposito sit, quique *nos audiat & exaudiat*

de

de cœlo. Lex tertia hujus religionis præcipit, ut habeant in conclavi, minori vel majori, S. Emidii imaginem, vel descriptam in charta, vel in tabula pictam; utque e collo suspensum gestent exemplum monetæ istius vulgatæ, in qua est Sancti hujus effigies expressa, quasi Principis ipsorum ac Protectoris. Quarta lex, ut domi vitam quoque hujus Sancti descriptam habeant, ejusque particulam aliquam legant, vel privatim, vel præsentibus domesticis, hieme præsertim, cum vesperi familia ad focum una convenit: sitque liber iste *quasi signum in manu tua & quasi monimentum ante oculos tuos*, Exod. XIII. Regula quinta: In urbe locati, singulis hebdomadibus saltem tribus vicibus vos conferte ad sepulchrum S. Emidii visitandum, eoque una amicos invitate; quemadmodum Cyrus Israelitas: *Quis est in vobis de populo ejus? Sit Deus cum ipso, & ascendat in Hierusalem*, 2. Esdr. I. Res indigna fuerit, si quotidie a Porta Romana ad Pontem Majorem ambulantes, necessarioque cathedrale templum prætereuntes, non intretis, ad salutandum brevi oratione primarium Advocatum nostrum. Est autem (quod h. l. e Lib. III, c. VII, p. 262 commemorandum duximus) monumentum S. Emidii, in quo & S. Valentinus, ejus Diaconus, & Euplus & Germanus, socii, una requiescunt, in templo Asculanorum primario, sic inscriptum:

CUM SOCIIS ALIIS
EMINDIUS HIC
REQUIESCIT.

Sexta regula: Providete diligenter, ut singulis annis in majori domus nostræ conclavi ad octavam Sancti hujus, mense Augusto, conveniat Academia Discordium, (*l' Accademia de' Discordi*) carminibusque celebret ejus martyrium atque obitum gloriosum; exemplo *Mosis*, qui populo liberato, *cecinit & filii Israel carmen hoc Domino, & dixerunt: Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est*; Exod. XV. Laudabilem hunc ritum ab Academicis Insitis, (*Dall' Accademia degl' Innestati*) quorum patronus S. Emidius est, instauratum hodieque obtinere, scribit Autor, quemadmodum libro hujus historiæ suæ III cap. IIX p. 272 jam annotaverat. Septima: Accedetis ad S. Synaxin singulis festis hu-

hujus Sancti, nempe vigesimo primo Martii die, qui propter reliquias ejus inventas celebratur: duodecimo Aprilis, qui ob translationem earum in templum festus est: & quinto Augusti, qui Martyrio ejusdem sacer est. Et tres hæ communiones erunt instar trium sacrificiorum eucharisticorum, pro tribus illis annis & octo mensibus, quibus Emidius ille Episcopus fuit Asculi, & mortuus ibi est, vita exacta, nostro bono, tam ærumnosa, ut ob magnitudinem molestiarum instar mortis prorogatæ videri potuerit: itemque in gratiam atque honorem trium Sanctorum, Eupli, Germani & Valentini Diaconi, qui ut comites ejus itinerum & laborum Evangelicorum martyriique socii, sic etiam sepulchri participes facti sunt. Poteſtque per octo illos menses octo dici vicibus: *Gloria Patri &c.* VIII. Per octo dies, a primo trium festorum inchoantes, triginta vicibus Orationem Dominicam recitabitis, respicientes triginta illos annos, quos S. hic Episcopus vixit, & orantes eum, ut vobis impetret a Deo constantiam potius gratiæ divinæ, quam vitæ. IX. In collectionibus anniversariis, offerte ad altare S. Emidii pium aliquod donum, vel frontale, vel calicem, vel lampadem, vel eleemosynam ejus nomine pauperibus erogandam; prouti fecerunt principes exercitus Israelitici, qui a pugna Madianitica multa cum præda reversi, ad Mosen hanc attulerunt, Numer. XXXI. X. Denique ne sinatis abire diem, quin vesperi, antequam oculos in somnum declinetis domi, recitetis antiphonam consuetam, & versus una cum oratione hac: *Sancte Dei Præsul, & Martyr Emigdi, quos in Christo genuisti filios, tuum pro nobis sanguinem fundendo: tua, quæsumus, oratio commendet nos indesinenter Domino. Ora pro nobis Beate Pater Emigdi. Ut digni efficiamur &c. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui Asculanam Urbem Beatissimi Emigdii Pontificis, & Martyris tui passione decorasti: ejus exoratus precibus sacratissimis, ab omnibus nos defendas adversis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum &c.* His pauca quædam postquam addidit eloquentia ac doctrina præstantissimus Appianus noster, libro elegantissime scripto finem imponit, cui Lectoris in gratiam annexus est duplex Index, capitum alter, alter rerum memorabilium.

VINDICIÆ ÆQUISSIMI DECRETI ALEXANDRI VIII P. M. adversus propositiones XXXI in eo damnatas. Opera & studio ANTONII MARIÆ BONUCCI Soc. Jesu.

Romæ, ex typographia Bernabò, 1704, in 4.
Constat 1 Alphab. 6 plag.

JAnsenismi originem, & Jansenistarum dogmata, prolixe satis ex Clarissimi *Leydeckeri Historia Jansenismi* repræsentavimus mense Jan. 1696. Nota etiam sunt fulmina Pontificum in *Jansenium* & ejus sequaces vibrata: quæ inter locum invenit Decretum *Alexandri VIII* die 17 Dec. 1690 promulgatum, XXXI propositiones Jansenisticas damnans. Id cum sparsis in vulgus non paucis libellis traducerent nonnulli, Pontificalium statutorum æquitatem sibi propugnandam sumsit Noster. Totum opus tot habet sectiones, quot decretum Pontificis propositiones, quarum contrarium ex utroque Fœdere, Conciliorum sanctionibus, Patrum chirographis, Theologorum ac Philosophorum scriptis evincere conatur. Thesium damnatarum summa huc redit. Ad peccatum mortale post lapsum sufficere libertatem interpretativam, qua aliquid liberum est in causa sua, peccato originali & voluntate Adami peccantis. Hinc operantem ex ignorantia invincibili juris naturæ, aut conscientia probabili, non excusari a peccato formali. Irregenitos nullum a Christo accipere influxum, adeoque in omni opere peccare, & peccatum esse, quicquid ex fide supernaturali non procedit, utut procedat ex odio peccati mere ob ejus turpitudinem aut disconvenientiam cum natura, vel ex solo intuitu cœlestis gloriæ obtinendæ, vel ex metu gehennæ & pœnarum, qui naturalis esse possit. Per omnem vitam hominem pro peccato originis agere debere pœnitentiam, nec ad sacram cœnam admittendum esse, nisi in quo sit amor Dei purissimus omnis mixtionis expers. Dei simulachrum nefas esse in templo collocare; laudem Mariæ ut Mariæ delatam esse vanam; ad baptismum non requiri intentionem Ministri; doctrinam in Augustino clare fundatam absolute posse teneri, non respiciendo ad Bullam Pontificis, in fidei quæstionibus decernendis minime infallibilis, nec supra Concilium Oecume-

menicum collocandi. Multa præterea taxantur circa Confessionem Pontificiam seu Sacramenti Pœnitentiæ (quod vocant) administrationem, & *Mariam* indiguisse purificatione, ipsiusque macula Filium maculatum esse contenditur. Contra *Bonuccus* ad peccatum mortale libertatem interpretativam sufficere pernegat, quia alias motus primo-primi forent peccata, contra assertum *Pauli* Rom. VII, 20, *Jacobi* c. I, 14. 15, *Augustini*, *Chrysostomi*, *Cyrilli*, *Thomæ*, *Bonaventuræ*, nec nostrum dici queat peccatum, nisi quod nostra voluntas formaliter admiserit. Quamobrem cum ignorantia invincibilis rationem voluntarii tollat, eam omnino excusare a peccato, Joh. XV, 22. Reputari autem pro invincibili, cujus nulla nec in universali, nec in particulari, præcesserit suspicio. Recte *Galenum*, *Columellam*, *Pythagoram*, *Senecam Tragicum*, ex conscientia probabili operanti conscientiæ tribuere securitatem: cum enim paucorum admodum actuum honestas aut malitia judicio metaphysice, vel moraliter certo cognoscatur, multorum actuum honestatem ignoratum iri, opinione probabili rejecta. Christum, quia mortuus pro omnibus, 1. Tim. II, 4, omnesque illuminat, Joh. I, 9. atque omnium existit Redemtor, omnibus quoque sufficientia ad salutem auxilia præparasse, adeoque in omnes omnino homines influere. Opera ergo infidelium non omnia esse peccaminosa, cum nonnulla laudet Scriptura, Exod. I, 20. 21. 2. Reg. XVII, 27. seqq. 3. Reg. XXI, 29. Dan. IV, 24, ex lumine etiam naturæ plures actus ex se honesti cognoscantur, quos homo infidelis appetere possit ex illo affectu operaturus. Certe non omne opus bonum ex fide supernaturali proficisci debere; alias enim infidelem in omnibus necessario peccantem ab obedientia legis exemtum fore, Deo peccatum non præcipiente. Esse operationem ex se ipsa difformem naturæ rationali per se, & sine ullo ad Deum respectu, licite & sanctissime odibilem, Thren. IV, 1. & seqq. ac laudabiliter odisse peccatum, qui Deum non agnoverint. Multo minus damnandam esse operationem spe adipiscendæ beatitudinis cœlestis a nobis emanantem, Psalm. CXIX, 112. Psalm. XXXVI, 27. 2. Petr. I, 10. Apoc. II, 10. 1. Cor. IX, 25, unanimi Ecclesiæ consuetudine, auctoritate *Chrysostomi* & *Gregorii M.* atque exemplis Sanctorum repugnantibus. Ex timore gehennæ profectam attritio-

 nem

nem esse similiter bonam & supernaturalem, Luc. XII, 32. Matth. III, 7. c. XXIII, 33. c. VII, 19, cum ipse timor bonus sit, honestus, ac actus veræ virtutis, immo supernaturalis, Matth. X, 28. Hebr. XI, 34. Pro peccato originis qui asserat per omnem vitam pœnitentiam esse agendam, baptismo detrahere, a labe originali baptizatum mundante; discrimen inter peccatum originale & personale tollere, quorum hoc cordis dolore deflendum; nec respondere posse, quid agatur de pueris statim a baptismo decedentibus. In Divinam clementiam injurium esse, qui a communione arceat amore purissimo destitutos, utpote quæ tanta sit, ut nullum certum puritatis aut amoris gradum ad dignam illius perceptionem præscripserit, Christo omnes ad se vocante, Matth. XI, 28. Immo cum nemo certo sciat, se a Deo diligi, Eccles. IX, 1. nec quenquam certum esse, num ipse sincere diligat Deum, Prov. VIII, 17, testimonio Spiritus Sancti nonnisi conjecturaliter certo, quoniam utrum a Spiritu Sancto an a Diabolo sit, non simus omnino certi, 1. Joh. IV, 1, atque plurimos hic falli, experientia testetur. Ubi in sacris simulachra prohibeantur, e. gr. Act IV, vocem simulachri pro idolo seu imagine Numinis falsi sumi. Dei veri imaginem ex visione Danielis suaderi, Dan. VII, 8, nec eam Deo spirituali inhonorificam esse; Angelis enim Spiritibus nullam, si pingantur, fieri injuriam, & Scripturam, citra injuriam in Deum, eidem ἀνθρωποπαθῶς nares, aures, oculos, manus, pedes aliaque membra tribuere; universalem denique adesse Ecclesiæ usum. Cultum Marianum nullo Scripturæ testimonio, nulla ratione solida alia nixum, ex hoc unice capite defendit, quod pium, præclarum ac utile Christianorum studium sit, qui Sanctos omnes ac eorum virtutes publice prædicant, supplices colunt, pro virili sua imitantur & seduli contemplantur, quodque Ecclesia officiosam quandam erga Sanctos, veluti patronos & intercessores, gratitudinem ac pietatem exerceri a nobis postulet, & multis hic cultus ad multa Dei beneficia consequenda profuerit. Intentionem Ministri sacramentum efficiendi saltem confusam, qua facere intendit, quod facit Ecclesia, vel Christus instituit, vel alii Ministri Christiani faciunt, ad valorem baptismi requiri, nec intentionem adhibendi ablutionem & formam, quam ad-

adhibet Ecclesia, sufficere, inde arguit, quod verus alias fieret baptismus ab illo, qui ludicre & irrisorie aliquem in fonte demergeret dicens: *ego te baptizo* &c. Pontificis autoritatem autoritati *Augustini* præferendam esse contendit, ex ipsius *Augustini* testimonio, quo eam in definiendis fidei ac morum controversiis, supra Doctores & Patres, epist. III. *ad Fortunatum* collocet. Inprimis multus est in asserenda Pontificis prærogativa supra Concilium Oecumenicum, ex monumentis Historicis, & desumtis inde argumentis has annectens rationes: quod Papa eam in rebus fidei definiendis habeat autoritatem, quam habuit Petrus, autoritate a Concilio Generali independenter gavisus, Matth. XVI, 9. Luc. XXII, 32; quodque Papæ etiam extra Concilium Generale definienti parere teneatur Ecclesia, sitque adeo Supremus Pontifex necessario errare nescius: si enim errare posset, multa dogmata, in Conciliis nationalibus a Pontifice confirmatis definita, de facto in dubium vocatum iri. Tuetur Pontificiæ Confessionis ritus, & immaculatæ Virginis integritatem, utpote quæ se legi eum modo in finem submiserit, quo obedientiam exemplo suo commendaret, humilitatis studiosa singularitatem, superbiæ speciem, aufugeret, Filioque suo se conformem exhiberet, qui legi circumcisionis minime subjectus, ejus tamen gladium subire non recusaverit, legem ad amussim servaturus, & Prophetarum de ipsius in templo præsentatione Mal. III, 1. Hagg. II, 10. prædictionem verificaturus, atque a jugo præceptorum ceremonialium legis antiquæ nos liberaturus. Precibus denique opus suum finit, quibus Deum flagitat, ut ævi hujus (quos vocat) novatores illuminet, approbans sententiam *Augustini* in *libro de natura & gratia cap. 25*, non tam disputationibus, quam orationibus cum hominibus, de hæresi seu convictis, seu solummodo suspectis, agendum esse ducentis.

VOYAGE DU SIEUR PAUL LUCAS AU Levant.

i. e.

ITINERIS A PAULO LUCA IN ORIENTEM suscepti Historia.

Hagæ Comitum, apud Guil. de Voys, 1705, 12.
cum figuris.

Tomi II, quorum *prior* plagulis 10, *alter* vero $11\frac{1}{2}$. absolvitur.

QUam variis casibus obnoxios sese reddant illi, qui per montes & maria peregre proficiscuntur, atque divisas ab Europæis regiones perlustrant, recenti exemplo *Paulus Lucas* Gallus docuit, cui Itineris ab ipso in Orientem facti narrationem duobus tomis comprehensam, & apud Batavos superiore anno in publicum emissam, debemus. Prior tomus XXVII capitibus constans, ea complectitur, quæ Auctori in peregrinatione Melitensi, Ægyptiaca & Syriaca acciderunt. Atque inter illa memoratu digna sunt, quæ de Laurentii Medici Melitensis filia, ex captivitate Turcica ab Auctore nostro vindicata, cap. I, II, & III recenset. Cap. IV, V ac VI in describendis Pyramidibus Ægyptiacis, & Cairi urbis memorabilibus occupatur. Cap. VII usque ad XVII iter ad Cataractas Nili, ex montibus Lunæ per anfractus petrarum magno strepitu decidentis, atque Ægyptum annua eluvione fœcundantis, susceptum fusius illustrat, atque adeo aliis, qui idem argumentum ante ipsum adgressi sunt, palmam ea in re dubiam facit: addita quoque tabella, in qua omnium ad ripas famosi fluminis sitarum urbium & vicorum consignationem exhibuit. Quæ deinceps post felicem ad Cairenses reditum, sive in insula Cypro, sive apud Tripolitanos in Syria, sivo inter Arabes & Damascenos, sive tandem in montibus Libano, Tauro, Caucaso, aliisque per Palæstinam Armeniamque obviis, notatu digna observaverit, ea capp. XVIII ad XXVII persequutus est. Partis secundæ rursus XXVII capita sunt, quorum I, II, III ingressum in Armeniam, IV transitum ad Taurim & Ecbatanam, V sterilia Mediæ & Persiæ confinia, VI ad IX Persidos, ac præcipue Ispahani, quæ Regum hodie sedes est, descriptionem ob oculos ponit. Cap. X multus est in enarranda templi Capucinorum apud Babylonios sive Bagdadenses destructione, idque eo, quod in illa expilatione ab Altabario Prorege Turcico, (qui postea Princeps Purpuratorum creatus fuit) peracta, omnium cimeliorum, gemmarum ac nummorum suorum, quos in usum Regis Galliarum apud Ægyptios, Persas, Armeniosque ma-

ximis sumptibus collegerat, intra horulæ infelicissimæ spatium, jacturam irreparabilem passus est. Post ergo, quum ex manibus latronis famigeratissimi vix vivus elapsus fuerat, per Ninivam versus Alepum contendit, (vid. Cap. XI.) inde in Cyprum navigavit, qua non minus ac Rhodo Chioque relictis, (Cap. XII. XIII.) Constantinopolin pervenit. Ibi quidem per Marchionem Feriolium, Legatum Gallicum, litteras ab aula Turcica ad Babyloniæ Proregem impetravit, in quibus cimelia Paulo Lucæ per vim abrepta, & 52000 libras Gallicæ pecuniæ æstimata, restituere jubebatur, sed eventu plane frustraneo. Barbarus enim, neque literas, neque mores humaniores edoctus, atque ex avaritiæ insatiabilis dictamine ferociens, nuncium ex aula ad se missum non audivit: immo in turbis illis, quæ A. 1702, 1703, Imperium Ottomannicum graviter concusserunt, ad supremam inter Purpuratos dignitatem, quæ Magni Vezirii titulo gaudet, adspiravit, atque Hussanum Bassam, prædecessorem suum, Seleuciæ veneno ex viventium numero sustulit. Lucas ergo noster quum Altabanum, quem paullo ante latrocinii accusaverat, nunc quidem judicem causæ suæ, neque amplius reum, præter omnem opinionem conspiceret, ad Prusiam Bithyniæ civitatem interim divertit, (Cap. XIV.) atque brevi post, anno scilicet 1703. reditum in Galliam meditatus est, cujus itineris socium legit puerulum, a Michaele Jankowskio, Equite Polono, ex fœmina nobilissimi generis, quod Palæologos, Byzantini quondam Imperii Dominos, attigisse fertur, Constantinopoli genitum, infantem omnino generosissimæ indolis, tantæque spei atque in respondendo promtitudinis, quantam tenera ipsius ætas capere vix posse videbatur. Illum sane annos pubertatis haud egressum, sed quatuor jam linguas loquentem, cantantemque peregregie, & maximo desiderio servitia Ludovici XIV Galliarum Regis anhelantem, Magnus Hetruriæ Dux, ipse insuper Romanus Pontifex, & Augustæ Domus apud Gallos Principes admirati sunt. Quæ quidem res, quam in reliquis capitibus ad finem usque secundi voluminis sedulo pertractat, in caussa fuit, ut Ludovicus Rex puerum, *Joannem Baptistam Palæologum* communiter dictum, Jesuitis educandum tradiderit.

Atque

Atque hæc ſumma eſt peregrinationis ab A. 1699 ad 1703 per varias Aſiæ Minoris provincias a Paulo Luca inſtitutæ, quam, ex more peregrinantium, partim obſervationibus Geographico-politicis, partim recenſione infortuniorum, quæ expertus eſt, inſignivit. In hunc autem cenſum venit præſentiſſimum trucidationis periculum, cui Auctor inter latrones Arabes, haud procul Damaſco, jamjam deſtinabatur, niſi Deus, quaſi quidam ex machina ſuperveniens, ipſum ſolo *Medici* vocabulo, quod apud barbaros Arabes Ægyptiosque in magna veneratione habetur, ab orco revocaſſet, ſeu potius gravioribus damnis & contumeliis ſervaviſſet. (v. Part. I. Cap. XXI. XII.) Pertinent huc quoque, præter expilationem apud Babylonios ab Altabano exercitam, horrendæ maris prope Cyprum tempeſtates, & navis illius, qua cum Palæologo ſuo in Galliam redire conſtituerat, a pirata Fliſſingano facta expugnatio; quos caſus adeo graphice delineat, ut ingemiſcere oporteat lectorem, qui hominem opes ſuas, inter Arabum latrocinia Perſarumque fraudes immenſis laboribus acquiſitas, unius barbari odio ac perfidia omnes perdidiſſe, atque ex pelagi ſævientis intemperie, vel piratarum manibus, vix quidem ad patriæ littora tuto enatare potuiſſe legerit.

Ad alteram claſſem referenda ſunt ex priore tomo, quæ cap. IV de cute vivis quibusdam Arabibus, velut ex ſupplicii titulo, detracta; cap. VIII de ſcortis, inter Ægyptios Nili accolas publica auctoritate publicisque ſumtibus, in urbibus, per quas exteri vel advenæ tranſire ſolent, conſtitutis; cap. IX de Fano quodam Taatenſi, ex quo Turcæ omnes cœci egredi perhibentur; cap. XI de Crocodilo, memorabili fraude ab Armeno Chriſtiano clavis occiſo; cap. XIII de deſerto *Bella de Mouſe*, ſive loco Moyſis natali dicto; cap. XIV de cryptis compluribus in ſuperiore Ægypto perluſtrandis; cap. XV de aqua Nili, non per urinam, ſed per ſudorem e corporibus humanis tranſpirante; cap. XVI de Joſephi Patriarchæ palatio; cap. XVII de equitatione omnibus Europæis, quos *Francos* Turcæ adpellant, apud Cairenſes interdicta, ſolo nationis Gallicæ Conſule excepto; cap. XIX de hoſpitiorum publicorum apud Syros commoditate; cap. XXVII de Paradiſi terreſtris, qualis hodie in Armenia oſtenditur,

ditur, situ ac cultu differit. Spectant huc etiam ex posteriore tomo, quæ cap. II de montibus Ararat; cap. VI de sepultura Regum Persicorum, ex propagine Haly descendentium; cap. VII de equite Persico sagittandi peritia ad stuporem callentissimo; cap. IX de Camelorum apud Ispahanos singulari festo; cap. X de monte Nalbano herbis salutiferis clarissimo; cap. XIX & XXVI de turbis Turcicis, in aula Byzantina annis 1702, 1703 obortis narrat.

Sunt in reliquis nonnulla, quæ fabulas redolent, aut ab aliis, qui fecerunt idem iter per has terras, in commentarios congesta jam invenias. Tria tamen præ cæteris ab oblivione adhuc vindicanda sunt. Primum est (Part. I cap. XIV, p. 115. 116.) Dervisii sive Sacrificuli cujusdam apud Ægyptios Superiores notabile exemplum, qui *Lapidem Philosophicum* habuisse, atque ingentem cupri portionem ab igne liquefactam, injecto pauculo pulvere, in purissimam auri massam commutasse scribitur. Ab illo Præses provinciæ hanc artem extorquere cupiverat, sed vaferrima ratione delusus est. Dervisius enim non modo metallorum transmutationem, sed aliud insuper artificium, corporis scilicet contra ictus omnes illæsi servandi scientiam se nosse, atque remedium istud non nisi ex quibusdam verbulis schedulæ inscriptis, vique magica pollentibus, & in os inserendis, constare jactitavit: cujus rei quum periculum facere vellet in Dervisio Præses Ægyptius, cervicem ei, præter spem atque votum, acinace amputavit, schedulæque in ore Dervisii quæsitæ nihil aliud inscriptum offendit, præter hanc sententiam: *se scire quidem mori, non vero revelare secretum suum.* Alterum est (Part. II cap. II pag. 14. 15.) urbis Erivani in Persia descriptio, quam omnium rerum copia florentissimam Noster vocat, adeo ut cives persuasum habeant, Noam illic plantasse vitem, imo sedem ibi Paradisi fuisse, jactaveritque Armenus quidam, Gallos in universum omnes expugnandæ illi urbi impares futuros, quam gloriationem tamen Noster lepido responso elusit. Tertium locum occupat Gubernator navis Cypriæ, qua Lucas vehebatur, (Part. II cap. XII p. 113) qui, quum naufragio in illo maris tractu proximus esset, ad hasce tandem preces, veluti ad Palladium aliquod ultimum, confugit: *Heus*, inquiens, *charissima in purgatorio animæ, conciliate*

 no-

nobis ventos, & accipietis duos piastros! Ad has preces venti non statim ex voto succedebant, sed ille mox altiori voce exclamavit, atque singulis vicibus piastrum (quod monetæ genus est) prioribus addidit, ita quidem, ut se ab animabus purgatorii viginti tandem ac quinque piastris veniales ventos mercaturum sponderet. Quæ hercle simplicitas hominis stupidissimi cæteros, qui cum ipso in navi erant, ad risum potius quam ad precum communionem commovit; Nauta autem Cyprius, quum ad 25 clamorem ventum exoptatum nancisceretur, voto se jam damnatum dixit, atque socios omnes ad exsolvendam pro rata portionem 25 piastrorum adegit.

COLLECTANEA GENEALOGICO-HISTORICA, ex Archivo Inclytorum Austriæ Inferioris Statuum, ut & aliis privatis scriniis documentisque originalibus excerpta. Accessit de Hæreditariis provinciarum Austriacarum Officialibus Commentatio.

Viennæ, sumptibus Jo. Bapt. Schönwetter, 1705, fol.
Constant 4 Alph. & 10 Tabb. æneis.

AUctor hujus operis, quem Illustrissimum quendam Virum esse conjicimus, cum in manibus haberet Archivum Statuum Inferioris Austriæ, quater mille propemodum documenta in membranis exarata complexum, rem historiarum cupidis haud ingratam fecit, ubi ea, quæ de Comitum, Baronum & Dynastarum Austriæ familiis hodieque superstitibus in illo notatu digna reperit, in unum volumen collegit, quibus & prolixissima supplementa, de Polheimia imprimis, Stahrenbergia, Harrachia, Hardeccia aliisque familiis ex ipsarum avitis documentis compilata adjecit. Equidem absolutas hic Genealogias contexere noluit, aliis eam provinciam relinquens, eoque ab incertis stirpium originibus lubens abstinuit; quo magis vero rem etiam Heraldicam adjuvaret, non tantum diligenter subinde observavit, ut insignia e familia in aliam, vel pacto, vel alia ratione fuerint translata, verum & sigilla documentis appensa simul æri incisa repræsentavit. Præterquam vero, quod, uti dictum, & publico & privatis archivis

vis usus est, alia etiam opera, quæ adhuc in MSCtis latent, subinde adhibuit. Hinc ad Richardi Streinii Baronis de Schwarzenau opus incomparabile, quod vocat, Land-Hand-Vest / anno 1595 confectum, ad Historiam item familiæ Lambergicæ a Jacobo Barone de Lamberg anno 1559 scriptam, & deinde a Matthia Barone de Keinach Collectaneis Genealogicis anno 1592 factis insertam, nec non Lazii Chronicon MS. Austriæ, quod in Bibliotheca Vindobonensi asservatur, Prevenhuberi Chronicon MS. urbis Steyer / aliaque manuscripta non raro provocat. Etsi vero illud præcipue agit Auctor diligentissimus, ut, quo pacto acquisita sint a familiis feuda, doceat, multa tamen passim inseruntur, quæ historiam Germanicorum Regum & Imperatorum egregie illustrant. Sic legi merentur, quæ de profectione Italica Friderici, vulgo Tertii dicti, verbis Andreæ de Lapiz, testis oculati, refert cap. 19, ex quibus inter alia patet, parum abfuisse, quin Ladislaus Posthumus, quem Imperator, Neapolin pergens, Romæ reliquerat, artibus Ulrici Ciliæ Comitis, plagio fuerit subductus, eidemque Ladislao Pragæ a Georgio Podiebratio venenum fuisse propinatum, quod alii uxori Podiebratii, alii amasiæ cuidam adscribunt. Ubi de familia Comitum de Rogendorff agit cap. 39, multa imprimis de Wilhelmo Rogendorffio refert, qui gravissimis negotiis a Maximiliano I, Carolo V & Ferdinando I fuit adhibitus. Itaque mandatum illi a Maximiliano, ad componenda quævis cum Ferdinando Catholico dissidia, A. 1509 datum, diploma quo eidem summa rei militaris cura a Ferdinando A. 1541 demandata est, aliaque Illustrissimæ familiæ concessa beneficia recenset. In Addendis ad cap. 10 observat, fratres Stahrenbergios, Casparum & Gundaccarum, in castro familiæ gentilitio Wildpergensi, Wenceslaum Imperatorem aliquandiu captivum tenuisse, unde cubiculum, cui fuerit inclusus, ad hunc usque diem Regium, (das Königs-Zimmer /) vocari meruerit; eundem tamen Wenceslaum, solennibus postea A. 1394 literis, quibus suum etiam sigillum Rupertus Bavarus addiderit, testatum esse, se eam injuriam familiæ prorsus & omnino condonare. Ejusdem familiæ ut dignitatem extolleret, ei dudum titulum *Nobilis* ab ipsis Pontificibus concessum fuisse notaverat p. 24, qui non nisi illustrioribus & Principali etiam dignitate fulgentibus ab illis

tribui consueverit. Nec prorsus de familiarum origine silet. Ita enim Zinzendorffios nequaquam probat p. 14 ex Helvetia, Rudolphi Habsburgici aut Alberti I tempore, ut plerisque creditum fuit, in Germaniam venisse, sed ex ipsa Austria oriundos esse, quod jam sub initiis regiminis Rudolphi, eorum memoria in documentis Austriacis celebretur. Lambergios vero antea Ritterspergios dictos fuisse, animadvertit p. 32, quod ex familia non nemo altero pede claudus, ex eo vitio cognomen der Lahme traxerit, ex quo factum, aliarum gentium consuetudine, ut ejus deinde successores, omisso Ritterspergiorum nomine, Lambergii (die Lahmberger) salutarentur. Cæterum lectu jucunda sunt, quæ passim veteri illa lingua Teutonica inseruntur, documenta, singularia quippe Germanicæ simplicitatis, qualis iis temporibus fuit, testimonia. Sic ubi Claram Haidiam, e gynecæo Beatricis Hungariæ Reginæ, sub finem seculi XV, Andreæ Kornfail nupsisse memorat p. 153, novæ nuptæ poculum argenteum deauratum dono datum fuisse a Regina addit, cui inscripti sequentes rythmi:

Als Kornfail die Clara Haydin nahm/
Aus dem Frauen-Zimmer lobesam/
Die Königin Beatrix gut/
Zu Hungarn und Böheimb wohlgemuth/
Schenckt ihr dis Gschirr auff die Hochzeit/
Voller Ducaten mit grosser Freud.

Legi etiam meretur p. 177 Catharinæ, Poloniæ Reginæ, Epistola Germanica ad Juditham Polheimiam, quæ illi S. Bibliorum lectionem commendaverat, A. 1568 d. 16 Oct. data, in qua postquam se fassa fuisset lectione ea magnopere delectari, curiosiorem tamen investigationem Ministris Ecclesiæ, quorum vocatio eam postulet, relinquendam esse statuit, demumque concludit: Derhalben rathe ich dir und mir/ wir bekümmerten uns nicht um die Sachen/ die uns nicht befohlen seynd/ sondern halten uns nach der Lehre Pauli/ daß wir in Still hören und fragen/ und die Haußhaltung in die Hand nehmen/ so weit denen Weibern gebühret/ das habe ich dir zu gnädiger Antwort auff dein Schreiben nicht wollen verhalten. Ultimo loco Auctor de hæreditariis provinciarum Austriacarum officiis, paulatim

tim in alias familias translatis, erudite disserit; ut de hæreditariis Aulæ Præfectis, Camerariis, Mareschallis, Equilium Præfectis, Rei Venatoriæ Præfectis, Rei Argentariæ Præfectis (Erb-Silber-Cämmerern/) Pincernis, Dapiferis, Archimagiris, seu Rei Culinariæ Præfectis, Austriæ Inferioris Janitore (Erb-Thür-Hüter/) Bacilliferis (Erb-Stäbelmeistern/) Scindendi Magistris (Erb-Vorschneidern/) Falconum Magistris, Austriæ Inferioris Sacellano, supremo Cursorum publicorum Magistro, Austriæ Vexillifero, Rei Monetariæ Magistro Austriæ, & Armamentarii Præfecto Austriæ & Styriæ (Erb-Müntz-und Erb-Zeugmeistern in Oesterreich und Steyer) nec non supremo duellorum Judice in Austria (Obristen Kampff-Richter/) quod tamen officium hodie exspiravit. Ast de his singulis aliqua hoc loco depromere, præstituti operis nostri ratio haud patitur.

CAROLI ARNDII BIBLIOTHECA POLITICO-*Heraldica Selecta.*

h. e.

RECENSUS SCRIPTORUM AD POLITICAM *atque Heraldicam pertinentium selectus.*

Rostochii & Lipsiæ, apud Jo. Henr. Rusworm, 1705, 8.

Constat Alph. 1, plag. 12.

Postquam Clarissimus Auctor in Præloquio de selectissimis Bibliothecarum Theologicæ, Juridicæ, Medicæ & Philosophicæ Collectoribus egisset, fontes, ex quibus apparatum suum hausit, præcipuos indicat. Inde, quem ordinem servaverit, breviter enarrat. Atque ita a *Pseudopoliticis* exorsus, primum quæ ad vitam, doctrinam & scripta Machiavelli attinent, tum eruditorum de illo judicia diversa, præcursores item & sectarios ejus recenset. Hinc post enarrata Monarchomachorum incunabula & exempla practica, doctrinam eorum & scripta dogmatica tradit. Inter genuinos Politicos *Dogmaticos* Platonem, Aristotelem, Salustium, Ciceronem, quorum imprimis editiones diligenter excutit, Lipsium, Boxhornium, Bœclerum, Schœnbornerum, Cellarium, Clasenium, Contzenium, Arnisæum, Keckermannum, Alstedium, Heiderum, Lieben-

benthalium, Bodinum, Tholosanum, Philelphum, Patricium, Becmannum, Weisium, Rechenbergium, Buddeum, Wagenseilium, Pufendorfium, Schurtzfleischium ordine considerat. His subjungit *Historicos pragmaticos*, Polybium, Tacitum ejusque Commentatores, quotquot exstant, & interpretes, Sleidanum, Cambdenum, Baudium, Meursium, Thuanum, cujus imprimis editionibus justum pretium statuit, Gramondum, Siri, Nani, Marianam, Pufendorfium, Letum, Tillemontium & plures alios. E *Philologis* epistolarum imprimis scriptores, Plinium, Miltonum, Mazarinum, Richelium, Temple, Ossatum, atque inde Oratores & Poetas quosdam politicos producit. Inter *Florilegiorum* scriptores Gruterum, inter *Discursorios*, quos vocat, Berneggerum, inter *Eristicos* Besoldum, Danæum, & alios refert. In *Padeuticis* Instructiones paternas Basilii Imper. Manuelis Palæologi Imper. Jacobi Regis Angliæ, cujus Δῶρον βασιλικὸν imprimis accurate considerat, Caroli V & Philippi II exhibet, additis qui certis exemplis Principem formare aggressi sunt, Xenophonte in Cyro, Verulamio in Historia Henrici VII, Ameloto Houssæo, qui sub nomine *de la Mothe Josseval d'Aromsel* latere voluit, in Tiberio, & Status Scriptoribus, ut Marnixio, Guevarra, Seckendorffio. *Consultatorios* Nostro constituunt Conclavium Scriptores, Goldastus item, Richelius & Mazarinus, quibus varii libelli politici adscribuntur, hic ingenue examinati, Leibnützius, Lünigius & similes publicorum documentorum promicondi. Ex *Statisticis*, præter quamplurimos alios, quos & Casp. Thurmannus in Bibl. Statistica Halæ 1704 in 4 publicata breviter percensuit, imprimis commendat Noster Ducem Rohaneum Henricum, de cujus Trutina Statuum Europæ, libro elegantissimo, dum agit, vitæ ejus curriculum, tum familiæ Genealogiam & Symbolum addit, ac paulo etiam diffusior est in Godofredi de Jena, Halæ die 9 Jan. 1703 defuncti, vita & tractatu *de ratione Status* recensendo. In *Hieroglyphicorum* numero & Mythologicos scriptores ponit, & Fabularum Romanensium autores quosdam, in quibus & Nicolai Baumanni Vulpeculam (Reinicke Fuchs) & Philandri von Sittewald / vero nomine Jo. Michael Moscherosch, Visiones Satyricas numerat, tum Symbolorum scriptores, Saavedram & Boccalinum, de-

qui-

quibus hic plura. Inter *Ethicos*, qui de characteribus & affectibus imprimis egerunt, præter Theophrastum ejusque commentatores, Barclajum & Christianum Thomasium commendat. Hinc in *Juridicis*, post enumeratos breviter Juris Divini doctores, Grotium, scriptorem Juris Gentium & Naturæ, instar omnium, scriptores Juris Civilis Struvium, Huberum, Lauterbachium, & qui in hunc triennio abhinc commentatus est, Nobilissimum Titium nostrum, & Juris Publici, Arumæum, Limnæum, Vitriarium, Coccejum, Schüzium, Textorem producit. *Geographias* politicas primum fictitias, ut Mori Utopiam, Campanellæ Civitatem Solis, & his similes, deinde veras, quales in Rebuspublicis Elzevirianis continentur, recenset, & præ cæteris Schookium laudat, qui fatum Reipubl. Vejentium & Achæorum Belgis suis in exemplum proposuit. *Strategici* memorantur Polyænus, Frontinus, Naudæus, Lipsius, Turnerus, Lydius & Gannetasius. In *Hodæporicis* & *Apodemicis* eminent hic præ cæteris Rutilius, Thevenot, Monconysius, Burnetus, Misson, Tollius, in quibus, ut & aliis, lubuit Auctori doctissimo sæpius ea sequi, quæ nos de illis in Acta hæc nostra passim retulimus. Diffusissima est classis ultima *Genealogicorum* & *Heraldicorum*. Et primo quidem catalogum alphabeticum librorum Heraldicorum vario idiomate conscriptorum inserit Auctor, postea e Germanis Höpingium, Siebmacherum, Spenerum, Imhoffium, Rudolphum, Weigelium, Bussingium, Weberum, Schumacherum & Gottschlingium late considerat, & partim sub examen vocat. His succedunt ex Anglis Uptonus, Speelmannus, Jo. de Bado, Bissæus, Philippotus, Goreus, Gibbonus, & de quo plura verba facit Noster, Wilhelmus Dugdale: e Gallis Marcus de Vulson de la Colombiere, Lud. Geliotus & Petrus Paliotus, Phil. Monetus, Petrus Le Moyne, Menetrerius cæteris notior, & Vallemontius: ex Italis Campanille, Catari, Petra Sancta & Beatianus. Sed de his qui plura cognoscere cupiunt, eos ad ipsum Auctorem amandamus, cujus & singularis politicarum rerum cognitio, & judicium subactum ubique emicat. Plures quidem, ut Genealogicos, ita Heraldicos etiam aliarum gentium scriptores, si prolixus esse voluisset, addere utique potuisset. Sic enim inter Belgas auctor imprimis laudandus Jo. Bapt. Christin in vasto opere, *Jurispruden-*

dentia Heroica, sive de Jure Belgarum circa Nobilitatem & Insignia, Brux. 1668 & 1689 in fol. Thomas Rouk in libro Belgico *Nederlandsen Herault, of Adelyk Tooneel*, Amst. 1672 in fol. & Anonymus Gallus in libello *Le Jardin d' Armoiries* Gand. 1567, in 12, quo Nobilium Belgii insignia secundum ordinem alphabeti exhibentur, aliique addi poterant. Inter Polonos quoque, præter Bartholomæum Paprocium, quem Starovolscius *de armis seu insignibus Nobilitatis tam Polonæ, quam Bohemicæ* tomos duos, & Andream Vargocium, quem idem librum *Clenodiorum seu Nobilitatis Polonæ armorum* scripsisse testatur, eminet Simon Okolsky, Becmanno, Bælio aliisque commendatus, qui in *Orbe Polono* Cracoviæ 1651 in fol. tribus tomis edito, antiquæ Nobilitatis Polonicæ insignia & arma exponit. De Hispanorum re Heraldica quo pauciora ad nos pervenerunt, eo avidius exspectamus *Insignia omnium Hispaniæ Nobilium Magnatumque*, ab eruditissimo Viro Gerardo Ernesto a Franckenau promissa.

LIBRI NOVI.

Justi Fontanini Vindiciæ Antiquorum Diplomatum adversus Bartholomæum Germonium. Romæ, per Franc. Gonzagam, 1705. 4.

De Sarcophago Marmoreo Probæ Faltoniæ in templo Vaticano Dissertatio Abb. Jo. Christophori Battelli. Romæ, typis Caj. de Zenobiis, 1705. 4.

De Sacris Basilicis SS. Martyrum Marcellini Presbyteri & Petri Exorcistæ de Urbe Dissertatio Historica Jacobi Laderchii. Romæ per Franc. Gonzagam, 1705. 4.

Lettera e Poetici Componimenti in Ragguaglio e in Encomio della Nuova Ripa presso al Sepolcro de' Cæsari in Roma ridotta nella Presienza Edilizia di Monsig. Nicolo Guidice. In Roma per il Zenobi, 1705. in fol.

Dissertatio in Historiam Sacram primæ Mundi ætatis, habita per Dialogos & Auctore F. Guillelmo Bonjour Tolosano. Apud Montem Faliscum, ex typographia Seminarii, 1705, 4.

** ** **

N. V.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Maji, Anno M DCC VI.

ANTIQUÆ LITERATURÆ SEPTENTRIONALIS Liber alter.

Oxoniæ, e Theatro Sheldoniano, 1705.

Conferatur proximus Mensis Martius pag. 97.

SEcundum hoc Thesauri Hickesiani Volumen, cujus recensio mense nupero Martio in præsens tempus differenda fuit, singulari profecto industria elaboravit Humphredus Wanlejus, Vir, si quis alius, ad literarias antiquitates indagandas & colligendas a natura ipsa factus, omnibusque ingenii dotibus excultus. Complectitur autem librorum veterum Septentrionalium, qui in Angliæ Bibliothecis asservantur, tum plurimorum codicum hujus generis alibi extantium Catalogum Historico-Criticum longe fidelissimum, in quo nihil a se descriptum Politissimus Noster asseverat, quod oculis manibusque non usurpaverit, sex tantummodo libris exceptis, quorum & in specie meminit. Notas insuper numerosque forulorum, quibus cimelia ista in patriæ bibliothecis delitescunt, ipsorumque codicum inscriptiones seu rubricas, quin & exordia atque fines summa cura apposuit, & nominum propriorum aliarumque vocum scriptiones, mendosas licet, accurate designavit; voces vero vocumque partes, in MStis forte deletas atque a se suppletas, uncinulis lunulisve notavit, abbreviaturas, ut vocant, literarumque jugationes majoribus usitatas sollicite retinuit, earumque peramplam tabulam struxit, codicum denique materiam, formam, ætatem judiciose observavit. Verbo ut eloquamur, lynceos oculos operi ubique admovit, idque agen-

do Catalogum suum omnibus numeris absolutum exhibuit, ita ut non nisi trium errorum ipsemet sibi conscius esse queat. Consilium initio secum inierat, breviores tractatus integros, vel longiorum fragmenta, Lambecii aliorumque doctorum exemplo hic inserere, sed cum in paulo grandius volumen labores suos excrescere animadverteret, abdicavit hocce institutum, nisi quando materiæ forte præstantia, aut libri raritas interdum suadebant, ut ad illud rediret. Quod vero tot MSta Anglo-Saxonica, e civilibus nationis suæ bellis, ex demolitione cœnobiorum per Henricum VIII Regem maturata, velut disjectæ tabulæ e naufragio etiamnum superent, Matthæi Parkeri, Archi-Episcopi Cantuariensis, qui codices chartasque veteres undique conquisivit, iisque sedulo incubuit, providæ diligentiæ potissimum deberi refert. Quemadmodum & illam superiorum temporum injuriam effugerint satmulti codices, aliis linguis exarati, quos si consuluissent editores Patrum apud exteros, longe elegantiores & castigatiores eosdem, judice Nostro, dedissent. Biblia etiam & Psalteria Gallice conscripta in bibliothecis extare memorat, quibus antiquiora nec Galli ipsi producere possint, modo de codicibus suis recte sententiam tulerint. Scripturæ genus apud Anglo-Saxones receptum quod attinet, existimat Noster, illos sub appulsum suum in Britanniam Runas, gentibus maris Balthici accolis familiares, secum adportasse, indeque evenisse, ut antiquissimi nonnulli codices Runas Romanis literis intermixtas ostendant, & Anglo-Saxones, Romana licet elementa amplexi, *Thorn* & *Wen* tamen, quæ nomine, figura & potestate puræ putæ Runæ sint, constanter retinuerint. Romanas autem literas, si non migrationis in Angliam, saltem plantationis fidei Christianæ ab Augustino factæ tempore, ipsis innotuisse, sensimque usitatiores evasisse. Exinde quoque diversas Italorum manus, illam videlicet, quæ uncialibus literis constat, tum quæ minoris & rotundioris formæ characteres habet, tum denique eam, quæ minusculis apicibus cursorie fluit, iisdem arrisisse; quemadmodum & singularum usum uberius demonstrat. Sed nolumus Doctissimi Auctoris præfationi nimis inhærere, quin eum potius, per bibliothecarum loculos, per pluteos atque armaria spatiantem, jam comitari, & de MSCtis aliquibus erudite disserentem audire lubet.
In-

Inter varias quidem Bodlejanæ reliquias, laudat codicem membranaceum octingentorum circiter annorum, in quo contineatur Gregorii Papæ de Cura Pastorali liber, in linguam Saxonicam per Ælfredum Anglo-Sax. Regem paraphrastice translatus, cum ejus prælo- p. 70. 71.
quio ad Wereferthum Episcopum Wigorniensem, & cuilibet Ecclesiæ Cathedrali hujus libri exemplar unum a pientissimo Rege destinatum fuisse docet, meritoque dubitat, an Regia id genus monimenta, vernaculo sermone conscripta, apud extraneas gentes ullibi inveniantur. Dialogos autem Gregorii, qui ipsum pariter autorem designant, rectius pro versione Wereferthi seu Werefrithi p. 72.
habendos esse credit. Quatuor inde Evangelia Latina, cum versione interlineari Dano-Saxonica, aliquot tamen foliis mutila, ab p. 81.
antiquitate valde commendat, octavo quippe seculo scripta, atque inter peculium venerabilis Bedæ, juxta quorundam opinionem, numerata. Hæcce vero in manus Joannis Rushworthi JCti tandem devenisse ait, in cujus honorem, *codicis Rushworthiani* nomen ipsis a nonnullis imponatur. Circa Pauli Orosii Historiam, cui titulus p. 85.
Hormesta, seu de miseriis mundi, quam Ælfredus Rex Saxonica lingua donavit, eum libertatem quævis pro arbitrio mutandi, distrahendi atque interpolandi sibi vindicasse, tum & navigationum aliquot Boream versus institutarum commentarios illi adjecisse, observat. Ad bibliothecas Cantabrigienses dum deflectit, & p. 140.
sermonis cujusdam, sub Danorum incursionem A. 1009 a Lupo ad Anglos habiti, mentionem facit, non inelegans adgreditur examen, quis ille Lupus fuerit. Ubi primo eum diversum statuit a Lupo Ferrariensi, utpote qui anno 861 diem suum obierit; multo magis a Lupo Trecensium Episcopo, qui A. 427 inclaruit; tum veteres Anglos nomina sua Latine crebrius reddidisse monet, ita ut, qui Saxonice *Wulff* audierit, aut inde forte nominis terminationem habuerit, *Lupum* se Latine appellaverit. Sic Æthelwulfum Bernicium, Monachum Dunelmensem, poematibus suis nomen patria lingua præfigere, postea vero in hæc desinere verba: *Hæc Lupus alte Pater stolido de pectore clarus Carmina composuit &c.* Sic literas de Pœnitentibus, a Lupo Lundoniæ Episcopo ad Ælfricum Cantuariensem Archi-Episcopum missas, quæ adhuc supersunt, non alii vindicari posse judicat, quam Wulffstano II, qui ea

ætate sedem Londinensem tenuerit. Ex quibus colligit, Lupum illum Homilistam eundem esse cum Wulffitano Eboracensium Archi-Episcopo, qui ab A. 1002 usque ad A. 1023 Wigorniensem Ecclesiam simul rexerit, quandoquidem nullus alius tum temporis in Anglia vixerit Episcopus a lupo nomen mutuatus, excepto solum Athulfo Herefordensi, de quo tamen altum sit apud scriptores silentium. Præterea quoque, inter varia opuscula MSCta Lupi Episcopi, apparere Parænesin quandam Saxonice conceptam, cui Wulffstani nomen præmittatur, haud obscuro indicio, Wulffstanum & Lupum sub una persona latere.
p. 172. In Aula S. Trinitatis, monstrari dicit Historiam Fundationis Monasterii S. Augustini Cantuariensis, in qua describantur octo libri, quos Gregorius I Papa Augustino in Angliam advehendos dederit, adeoque primitias librorum totius Ecclesiæ Anglicanæ vulgo reputent. Ex illis vero tertium & quintum, qui Evangeliorum textus Latine exhibent, hunc Oxoniæ, illum iconibus historicis exornatum Cantabri-
p. 180. giæ in Collegio Corporis Christi, hodienum extare hariolatur. E bibliotheca D. Jacobi Westmonasteriensi, inter alios cum elogio promit *Librum Scintillarum*, seu Sententiarum, quas tum ex Sacra Scriptura, tum e Patrum scriptis, constipaverit Beda, versioneque
p. 251. interlineari Saxonica explicuerit. Cottonianam gazam ubi salutavit Noster, ad librum Evangelii a Luca contexti paululum hæret, utpote qui in calce ita finiat: *Explicit liber Evangelii secundum Lucanum*, atque insolitam hanc appellationem mori majoribus Anglo-Saxonicis trito adjudicat, qui Latine scribendo, nomina sua, desinentia in A, Latina etiam terminatione auxerint, e. g. pro Offa, Offanus, pro Beda, Bedanus scribentes. Postquam igitur boreales antiquitates literarias domi satis diligenter excussit, epistolas jam celeberrimi Suecorum Johannis Peringskiöld & Jonæ Nicolai Salani, ad Reverendum Hickesium datas, una cum prolixis indicibus MSCtorum Scandicorum, quæ tum in Regio Antiquitatum Archivo Holmiæ, tum in Rudbeckiana & Salana bibliotheca custodiuntur, subsequi jubet. Ipse syllabum librorum Saxonicorum typis impressorum annectit. Quem tandem excipiunt sex indices ad totum opus, juxta Alphabeti seriem, eo cum judicio confecti, ut nihil supra. Primus enim omnium vocum, quæ in Grammaticis Hicke-

ckeſianis ab incunabulis ſuis derivantur, conſpectum ſiſtit: Alter monimenta literaria antea inedita, hic primum excuſa enumerat: Tertius MSCta cæterosque autores, qui maximam partem hic primum citantur, continet: Quartus opera, autores, aliosque claros homines, qui paſſim allegantur & honorifice inducuntur, nominat: Quintus ea, quæ æneis ligneisve tabulis inciſa prodiere, indigitat: Sextus denique ſingulos autores, chartas, homilias, tractatus, resque præcipuas, quæ in Catalogo codicum Anglo-Saxonicorum tantum memorantur, Wanleji ſtudio collecta refert. Succedunt ultimo corrigenda atque addenda nonnulla, nec minus nomina illuſtrium & doctorum virorum, ut & ſodalitatum, quibus adminiculantibus Theſaurus hicce excudi potuit, ut intelligas, quantum præſidii melioribus literis in Anglia paratum ſit.

Atque ſic recenſionis officio ſatis defuncti videri poteramus, niſi aurem nobis vellicaſſet pererudita & candoris plena Clariſſimi Hickeſii præfatio generalis, ut ejus etiam rationem haberemus. Equidem illa primo volumini præfixa cernitur, ſed quia ſecundas Autoris cogitationes, emendationes ac ſupplementa per univerſum opus diffundit, in hunc locum non injuria remitti debuit. Nolumus autem hac vice immorari Apologiæ, quam contra eos ſcribit, qui nimia ipſius ſtudia in explicandis barbaris horridisque & incultis ſermonibus reprehendunt, nec Reverendorum atque Doctiſſimorum Virorum, Nicolſoni, Fountainii, Elſtobi, Hopkinſi, Gibſonii, Thwaiteſii, Wanleji, Bromei merita de hoc libro, quæ gratus prædicat, multis exaggerare juvabit. Quin potius ad alia progredimur, atque inſipida Gallici hominis opinione, qui in prooemio ad Menagii Origines, Anglos codicum Saxonicorum penuria laborare, atque ad reddendas rationes linguæ ſuæ Gallicæ inprimis indigere aſſeruit, valere juſſa, Anglo-Saxones chartas literasve ſigillis penſilibus, ſeu cereis ſigillorum impreſſionibus, Canuto regnante nondum muniviſſe, cum Autore notamus. Licet enim in codice fundationis monaſterii S. Auguſtini Cantuarienſis dicatur quod in charta Regis Canuti aliqua ſigilla cerea, ſed crucis ſigna appareant, illum tamen codicem nullam mereri fidem. Noſter autumat, tum quod multa ſuſpecta & falſa loquatur, tum quod nullæ aliæ chartæ R. Canuti magno numero adhuc ſuperſtites, cereis ſigillis ſint conſpicuæ. Quæ de

Saxonicarum literarum valore, de Runis Saxonicis elementis intermixtis apposite disserit; Normanno-Saxonicæ item dialecti specimina, seu chartæ Wilhelmi Conquæstoris, Henricorum I & II Regum; antiqua veterum Hunnorum XXXIV elementa; versionis Ranulphi Higdeni Polychronici, quam Joh. Trevisa A. 1387 adornavit, fragmentum; Oratio Dominica, Hymnus Angelicus, Symbolum Nicænum, Græce quidem, sed literis Latino-Francicis expressa, aliaque selecta Philo-Musos non egregie delectare non poterunt. Ad vetustam monetam Anglicanam Siclum etiam referendum censet, qui vel nummus vere cusus, aut computatitius saltem fuerit, atque duobus argenteis denariis valuerit, si juxta Ecberti Dialogum de Ecclesiastica Institutione calculus expediendus. Sed aquam sibi hærere fatetur, propter *Marcam* Æthelswithæ Reginæ, in qua Siclus solido auri & argenti pensatur. Quibus linguarum veterum Septentrionalium ignorantia labi contigit, aggregat Johannem Harduinum, qui in Chronologia V. T. tum circa Ælfrici nomen, tum circa monimenta atque elementa Anglo-Saxonica diversimode impegerit; uti quidem errores ejus solide commonstrat. Contribules ei facit Franciscum Giambullarium, Angelum Roccam, Gulielmum Camdenum, Thomam Rymerum, Johannem Seldenum, quos ad similes scopulos allidi oportuerit. Hinc Celeberrimum Gibsonum hortatur, ut Chronicon suum Saxonicum auctius recudere festinet; homini Panchartarium Anglicum confecturo regulas suppeditat, in discretione spuriorum diplomatum a genuinis apprime utiles, easque Ingulphi Croylandensis Historiæ statim attemperat. Formulare Anglicanum Thomæ Madoxii nuper editum mirifice extollit, nonnulla tamen in eo desiderat. Pluribus inde evincit Noster, quomodo Joh. Mabillonium in Rei Diplomaticæ libris secum consentientem habeat; qua occasione varia scitu dignissima admiscet. Canones insuper in veterum instrumentorum examine observandos, a doctissimo illo Gallo traditos, lubens amplectitur, ita tamen ut non celet, quæ in illis incerta ac lubrica sibi videantur. Sic quando Mabillonius unum aut alterum defectum, modo essentialis non sit, legitimis autographis obesse non debere arbitratur, optat Noster, ut definitionem essentialis defectus is suggerere voluisset, siquidem Episco-

po-

porum privilegium pro Corbiniano Monasterio, Regis Theodorici tempore emissum, ille Chilperici ætate conditum affirmat, istud tamen non essentiale vitium diplomatis habendum, sed oscitantiæ scriptoris non admodum periti, cui proclive fuerit errare, tribuendum censet. Porro, quando Mabillonius additiones incarnationis, indictionis, glossematum aliorumque similium, maxime in exemplis seu apographis, instrumentorum veritati non officere sentit, dolosam & fallacem hanc regulam pronunciat, eaque ratione nullum fere crimen tam grave in reum diploma intentari posse credit, quod illo patrono, illiusque artibus depelli nequeat. Licet enim defectus essentiales, propter quos instrumenta damnari mereantur, a non essentialibus distinxerit, illud tamen discrimen verbo positum re ipsa tolli, cum illo autore nullus defectus adeo capitalis esse possit, quem per notarium, librarium vel exscriptorem diplomati accidisse, dicere non liceat. Interpolationes etiam, vitiosas subscriptiones, glossemata, alia pro aliis substituta, non ex mala intentione, dolove malo, sed imprudentia, imperitia, temeritate, & non raro ex studio juvandi posteros nata, tum prudentiam, moderationem & æquitatem, qua in examinandis chartis opus sit, facillima esse subterfugia & pharmaca, ad sananda vel maxime lethalia diplomatum vitia. Huc summa redit eorum, in quibus Autori cum Mabillonio minus convenit, sed plura rei diplomaticæ inservientia scripta propediem exhibebimus, adeoque hanc ampliare materiam in præsenti supersedemus. Cæterum dum in memoriam sibi revocat Noster, Thrimsam seu tremissem monetæ Anglicæ speciem se statuisse, ejusdem valorem paulo accuratius expendit, errorem retractans, ubi dixerat, illam tertiam partem argentei solidi constituere, cum tamen de aureo solido id affirmare debuisset, qui quadraginta denariis argenteis constet, ut adeo Thrimsa valuerit tredecim cum tertia parte unius denarii, seu præsentis monetæ quatuor solidos & quatuor denarios cum tribus denarii partibus æquet. Thrimsam vero apud Anglos summam saltem computatitiam fuisse, aut si in commercio unquam & signatus nummus fuerit, tum e Gallia forte mercatorum interventu ad Anglos allatum putat. Johanni Stirnhookii libro, de Jure Sueonum & Gothorum vetusto, commerita encomia defert, multaque

in

in eo reperiri ait, quæ antiquitates Anglicas egregie illustrent. Duas insimul epistolas Simonis Dewesii & Francisci Junii ineditas communicat, ut argumento sint, quanto ardore laudatissimi isti Viri literaturam Saxonicam sua ætate promovere gestierint. Tandem post recensitos Mæcenates singulos, qui labores hosce consilio atque ope juvarunt, in quorum ordinem & tres fœminæ nobiles veniunt, nec ignorare nos sinit, reliquos sumtus, ad excudendum Thesaurum necessarios, e peculio suo promanasse; de quibus tamen non adeo conqueritur, quam quod per labefactatas vires, per gravescentem ætatem, per nummorum denique defectum, auctiorem illum dare sibi haud licuerit.

CALENDARIUM ROMANUM CHRONOLOGOrum causa constructum, ad Novilunia civilia sine Tabulis Astronomicis accurate & facile ante & post Christum natum invenienda. Auctore F. GUILLELMO BONJOUR, Tolosano, Ordinis Eremitarum S. Augustini.

Romæ, typis Jo. Franc. Buagni, 1701. fol.

Constat plagulis 21.

CONstructum est hoc Calendarium juxta periodum Luni-Solarem annorum 1932, a Cardinale *Norisio* in dissertatione de Cyclo Latinorum Paschali, quam *Mense Aprili A. 1692* commendavimus, propositam, quod eam eundem feriarum ac lunationum ordinem in orbem æque ducere animadverteret Clar. Autor, cum post annos 1932 cyclus Solis sexagies noviesque ductus ad initium recurrat, & novilunia eodem die eademque hora contingant, prætereaque sic omnia ab ista depelli intelligeret vitia, ut impedimenta tum bissexti, tum saltus Lunæ, tum mensis embolimi omnino superet, atque a Lunari calculo mensem illum abundantem dierum 31 arceat, quem interdum admittit computus tam Arabum, quam Hebræorum. Primo exhibetur *Calendarium Romanum*, in quo epactarum duo cernuntur ordines. Unus literis Romanis, alter Saracenicis describitur. Priores epactas Romanas, posteriores Saracenicas vocat. Adscriptæ sunt literæ Dominicales, more consueto.

ſueto. Subjunguntur Canones in hoc Calendarium, ubi diſſeritur de epactis tetraëtericis, earundem cyclo, & numeris tetraëtericis perpetuitati cycli epactarum tetraëtericarum inſervientibus. Vocat Autor *epactam tetraëtericam* ſeu *quadriennalem*, numerum 14 dierum, quibus 4 anni Solares ſuperant totidem Lunares: *cyclum epactarum tetraëtericarum perpetuum* revolutionem, quæ de quadriennio in quadriennium pergit, per continuam 14 dierum acceſſionem: *numeros tetraëtericos* eos, qui quadriennali via & ratione inſtituti ad epactarum, quæ his affiguntur, ſervandam perpetuo legem tetraëtericam. Sunt numeri tetraëterici 483, quia periodus Noriſiana, cujus annis alligantur, 483 tetraëterides complectitur. Tabula numerorum tetraëtericorum in 13 areas diſtributa, ubi numeri 483 juxta ordinem naturalem deſcribuntur, & competens unicuique epacta, vel Romana, vel Saracenica adſcribitur. Subjicitur ipſa periodus annorum 1932, in ſuas 23 ogdoëcontateſſaraëterides diſtributa, ab anno Domini 1 usque ad 1932, in qua ſingulis annis adſcribitur cyclus Solaris & numerus tetraëtericus competens. Quod ſi itaque annus Domini datus in tabula ogdoëcontateſſaraëteridum evolvatur, invenietur cyclus Solis, & numerus tetraëtericus ipſi reſpondens. Cum quo ſi adire libuerit tabulam numerorum tetraëtericorum, conſtabit epacta ipſi congruens, & cyclus Solis dabit literam Dominicalem: quæ cum epacta in calendario evoluta monſtrabit, diem & feriam novilunii. Sed quia periodus Noriſiana ſtylo Juliano conſtructa, eandem ad Gregorianum quoque accommodat Autor, exhibens paradigma epactarum, ab anno Domini 1582 ad annum 2104, juxta methodum periodi Noriſianæ, ad ſtylum Gregorianum directæ.

Secundo repræſentatur *Calendarium Aſtronomicum perpetuum*, in quo cœleſtia totius anni novilunia media, ſtylo tam Juliano, quam Gregoriano, reperiuntur per epactas Aſtronomicas numeris tetraëtericis 850 affixas, quot periodus Aſtronomico-Juliana in annis 3400 poſtulat. Totum in 12 Lunationes diſtribuitur. In qualibet Lunatione deſcribuntur minuta Epactalia & ipſis reſpondentia minuta horæ currentis; horæ epactales & ipſis convenientes horæ diei currentis; dies epactales & ipſis competentes dies menſis labentis, a meridie ineuntes. Subjicitur

tabula numerorum tetraëtericorum cum epactis Aſtronomicis, in qua numeris tetraëtericis 850 ſerie naturali deſcriptis, dies, horæ & minuta epactalia aſſignantur, nec non periodus Romana annorum 3400 ſtylo Juliano, in quo ſingulis annis Domini ab 1 usque ad 3400 numeri tetraëterici adſcribuntur. Quodſi adeo annus Domini datus in eadem evolvatur, invenietur numerus tetraëtericus ipſi conveniens: cum quo ſi adire libuerit tabulam numerorum tetraëtericorum, conſtabit epacta Aſtronomica in diebus, horis & minutis. Quare ſi conſulas in Calendario Aſtronomico Lunationem dato menſi convenientem, dies, horæ & minuta epactalia monſtrabunt diem menſis labentis, horam ejusdem diei, & horæ currentis minuta, juxta ſtylum Julianum, facile ad Gregorianum reducendum.

JOANNIS CHRISTOPHORI BATTELLI Diſſertatio de Sarcophago Marmoreo Probi Anicii, & Probæ Faltoniæ, in Templo Vaticano.

Romæ, typis Cajetani de Zenobiis, 1705, 8.
Conſtat plag. 12. cum fig. æneis.

MAgna ſemper, præ ceteris urbis Romæ templis, extitit Vaticanæ Baſilicæ dignitas & veneratio, tum ob multa alia egregia omnique ævo memoranda, quibus ſe effert, decora, tum etiam in primis ob inſignem illam multitudinem atque præſtantiam ſanctorum corporum, quæ ab ipſo ædificationis ipſius exordio, in ea
p. 2. 4. condita fuerunt. Præter enim auguſtiſſima principum Apoſtolorum, Petri, Pauli, Andreæ, Simonis, Judæ, & Apoſtolicorum Actuum Scriptoris & Evangeliſtæ Lucæ depoſita, duorum quoque inſignium Græcæ Eccleſiæ Doctorum, Joannis Chryſoſtomi ac Gregorii Nazianzeni, & ſquamplurium illuſtrium Confeſſorum ſacra pi-
p. 5. gnora ibi aſſervari, Auctor noſter ait. Quibus innumerabilis plane congeries S. S. Martyrum accedat, ita ut, cum Julio II Pontifice, novæ magnificentiſſimæ molis fundamenta jacerentur, totum
p. 6. veteris Baſilicæ pavimentum, teſte Alpharano, rerum ejusdem Vaticani templi ſedulo perſcrutatore ac ſcriptore, in opuſculo, quod manuſcriptum in illius Archivo aſſervatur, undequaq; refertum ſubſtra-

ſtratumque Sanctorum corporibus inventum fuerit. Id quod etiam Aringhus ſua ætate, anno nimirum ſuperioris ſeculi ſeptimo, eveniſſe, in Romæ Subterraneæ libro ſecundo teſtatur. Qua occaſione hoc ſimul memoratu dignum refert, tum temporis in tumulo quodam, cunctis obſtupeſcentibus, oſſa recenti conſperſa ſanguine, poſt longa revoluta ſecula, viſa fuiſſe, & in altero ſepulchro, adoleſcentuli cujusdam corpus repertum eſſe, ſuper quo nigri coloris velum appoſitum fuerit, coagulatum adhuc exſiccatumque in ſuperficie cruorem exhibens. Inter Romanas autem familias, quæ ſua olim in Vaticano monumenta condiderint, Aniciam in primis, Paulinos, Baſſos, Olybrios & Probos, magna quondam in Urbe nomina, veluti ſua germina complectentem, fuiſſe Auctor ait, cujus familiæ ſplendorem, potentiam & pietatem miris laudibus, tum Ethnicos, tum Eccleſiaſticos ſcriptores celebraſſe, multis teſtimoniis probat. In iis igitur monumentis præcipue eminere nobile quoddam ædificium, inſtar templi magnifice conſtructum, poſt veteris Baſilicæ apſidem, quod in honorem Probi Anicii, Præfecti Prætorio, Proba Faltonia ejus uxor erexerat, in quo non ſolum maritum ſuum tumulandum curaverat, ſed & ipſa eodem tumulo conſociari voluerat. Iſto autem ædificio a Nicolao V Pontifice, ad conſtructionem novæ Baſilicæ inchoandam, disjecto, dum illius fundamenta altius effoderentur, ingens ibidem Sarcophagus, Pario quidem e marmore, opere autem compoſito elaboratus, ſacrisque imaginibus eleganter ſculptus, inventus eſt, cujus anteriorem faciem delineandam primus omnium curavit Baronius, eamque tomo 4 Annal. prope finem exhibuit. Poſtea vero ejus tum anteriorem faciem, tum poſteriorem & laterales etiam partes, exactius delineatas ac inciſas, Boſius & Aringhus in Roma Subterranea vulgavere, quas non ſolum iisdem formis Clariſſimus Auctor iterum excudi fecit, verum etiam accuratam imaginum explicationem in hoc libello lectorum oculis ſiſtere voluit. Cum itaque in anteriori hujus ſarcophagi facie, quinque loculamentis & ſenis columnis in ſpiram ſtriatis conſtante, medio in loculamento eminentiori, ſculpta cernatur ipſa veneranda Salvatoris inſiſtentis monti, e quo quatuor fontes erumpunt, imberbis effigies, ita ut altera manu crucem gemmatam, altera volumen complicatum teneat;

p. 8. p. 9. p. 14. p. 15. ſeqq. p. 20. p. 32. p. 33.

p. 39. Auctor Salvatorem ea specie ideo repræsentari existimat, ut per ipsam natura tum humana, in facie scilicet humana & crucis signo, cui affixus Redemtor noster mortem subiit, exprimatur, tum etiam divina, in juvenili & plane imberbi Salvatoris effigie adumbretur; hoc ipso enim significari, apud Deum, cui sua sola coexultit æter-
p. 40. nitas, nihil antiquum esse, nihilque omnino præteritum, sed cuncta immensæ illius æternitati præsentia, & absque ullo prorsus discrimine temporum, nova omnia jugiter computari. Crucem gemmis ornatam, venerationem istam indicare statuit, quam veteres Christiani, a tempore Constantini M. post partam hujus beneficio
p. 44. seq. insignem victoriam, ipsi nunquam non exhibuerunt. Volumen, quod Christus stans supra montem læva manu præfert, novæ legis promulgationem, ab eodem in monte factam, cum Durando
p. 45. & Ciampino sibi persuadet, quam sententiam Augustini quoque
p. 54. seq. auctoritate confirmare satagit. Quatuor autem fluminibus e monte scaturientibus, illa Paradisi celeberrima flumina designari opinatur, iisque quatuor Evangelia, per universum mundum diffu-
p. 56. sa, mystice prænotari; ad quod firmandum, Eucherium, Cyprianum, Theodoretum aliosque idem sentientes allegat. Ad Salvatoris dextram S. Pauli, ad sinistram vero S. Petri simulacra conspiciuntur. Rursus ad dextram Pauli quatuor Apostoli, totidemque alii ad sinistram Petri, bini per singula loculamenta dispositi sunt. Salvator, ut & Apostoli, tunica & pallio amicti adparent, & sandaliis calceati. Plerique itidem Apostoli volumina in manibus
p. 46. præ se ferunt. Ubi, quod ad postremum attinet, volumina ista acceptam a Christo facultatem docendi & prædicandi Evangelium designare ait, ea autem non incongrue manibus retineri, cum ab
p. 47. sqq. eodem Salvatore moniti fuerint facere & docere. Christi autem & Apostolorum imagines tunicatas & palliatas adparere, propterea quod notum sit, Christum & Apostolos, quin etiam omnes veteres Christianos, qui veræ sapientiæ sectatores se profitebantur, pallio, quod olim propria vestis Philosophorum erat, tanquam convenienti suæ professioni habitu, uti consuevisse. Id quod
p. 58. Tertullianum in libro de pallio toties explicare asserit. In primis autem, inter hujus sarcophagi imagines, Auctori notatu digna videtur inversa Apostolorum Petri & Pauli collocatio, cum hic

ad dextram, ille vero ad sinistram constitutus appareat. Circa hanc quæstionem, quam multorum torsisse ingenia fatetur, varias variorum adfert sententias. Ac primo quidem fuisse ait, qui Petrum in sinistra ideo collocari existimaverint, quia pars læva apud veteres, cum Romanos, tum Græcos, quin etiam apud Hebræos, dignior dextra in sacris habita fuerit, & hanc opinionem Chassanæum, Goropium Becanum, Baronium, Macrum, & qui primo loco nominari debuisset, Antonium Nebrissensem, multis argumentis & exemplis evincere allaborasse. Hanc vero sententiam ab Allatio, Macedone, Roccaberto, & Mucantio in inedito opusculo de imaginibus SS. Petri & Pauli, docte, solide & copiosissime confutatam esse. Hinc alios asserere non dubitasse, Paulum Petro honoris gratia olim fuisse prælatum, cujus rei sex potissimum rationes adducunt, sed quas hic loci recensere, instituti ratio non fert. Proinde Auctor noster tandem observat, hanc consuetudinem ponendi effigiem Pauli ad dextram Petri, in Ecclesia non fuisse perpetuam & constantem, sed subinde variasse, ut hoc modo æqualitas inter utrumque Apostolum significetur. Atque hæc, occasione partis prioris hujus sarcophagi, Clarissimus Battellus differuerat. Jam ad explicationem posterioris quoque partis progreditur. In ea imago Probæ Faltoniæ, ad dextram mariti sui collocata conspicitur. Id enim Romanos jam a Romuli temporibus, post pugnam Sabinarum mulierum felici interventu diremptam, honori & in fœmineum sexum reverentiæ tribuisse, cum Allatio existimat. Quod autem Probus tunica pallioque, illi Apostolorum similibus, indutus conspiciatur, hoc ipsum argumentum esse susceptæ ab eo Christianæ religionis, cujus sectatores, & eos præcipue, qui perfectioris vitæ studium amplectebantur, istis temporibus pallium usurpare solitos esse, jam supra ex Tertulliano annotaverat. Columbarum denique vel turturum figuris, quæ in ora superiori sarcophagi quaqua versum sculptæ sunt, designari Auctor credit eximiam Probæ erga maritum benevolentiam, ac insuper incomparabilem ejus pudicitiam & continentissimam viduitatem. Postquam igitur Battellus imagines hujus sarcophagi excusserat, Probi Anicii ejusque itidem uxoris vitam, genealogiam, mores & res gestas accurato studio exponit, sanctorumque Patrum aliorumque auctorum

p. 59. p. 61. p. 62. sqq. p. 72. p. 79. p. 82. p. 84. p. 87. sqq.

de ipsis elogia, ut & veteres Inscriptiones in illorum honorem consignatas, in medium adfert; qua occasione iniquam Ammiani Marcellini de Probi moribus criminationem diluit, & fabulam, cujus Procopium præcipuum auctorem esse ait, de proditione Urbis Alarico Gothorum Regi a Proba perpetrata, accurate explicat, solideque refellit. Quo facto illorum quoque opinionem examinat, qui Probam Faltoniam Musarum alumnam extitisse credunt, & ab ea, præter alia quam plura, concinnatum esse ex Virgilianis carminibus Centonem illum de novo ac veteri Testamento, qui in Bibliotheca Patrum editus habetur. Verum Baronium cum Bosio & Aringho, qui eum secuti sunt, hac ex parte falli, Battellus non dubitat, propterea quod nemo veterum illius ævi scriptorum, nec Patres Probæ coævi, ut Hieronymus, Augustinus & Chrysostomus, unquam hoc opusculum ipsi assignaverint, nec etiam Claudianus, licet in reliquas Probæ laudes effusus, pangendorum carminum gloriam illi unquam tribuerit; adeoque post varias virorum doctissimorum prolatas sententias, Battello omnium maxime probabile videtur, Probam Falconiam, uxorem Adelphii Romani Proconsulis, quem Reinesius, superaddito Clodii prænomine, Consulem facit anno Christi 451, hujus carminis auctorem fuisse; pro qua sententia nubem testium adducit, & sic, post pauca adhuc de obitu Probæ Faltoniæ annotata, finem doctissimæ huic dissertationi imponit.

p. 95. p. 137. p. 140. p. 150.

HISTOIRE DE LA VIE DE SOLIMAN SECOND, Empereur des Turcs, sive Historia vitæ Solimanni II Imperatoris Turcici, Auctore CAROLO ANCILLONIO, Augustissimo Prussorum Regi a Consiliis Legationum, & Gallorum, qui in ditionibus Brandeburgicis sedes fixerunt, Judice Superiore.

Roterodami, apud Reinerium Leers, 1706. 8.

Constat 1 Alph. 6. plag.

SOlimanni II Imperatoris Turcici nomen adeo clarum semper exstitit, ut a nemine, qui rerum seculo XVI gestarum notitia leviter imbutus est, facile ignoretur. Vivebant enim illo tempore tres Principes, Carolus nimirum V Romanorum Imperator & Hi-

Hispaniarum Rex, Franciscus I Galliarum Rex, ac Solimannus ille II Turcarum Tyrannus, quorum unusquisque terrarum imperium affectabat, atque id etiam capessere dignus habebatur, nisi Deo aliter ordinante, alter alterum intra limites continuisset. Ex illorum numero Solimannus nunc ab Ancillonio in conspectum producitur, cujus vitam, ex multis Auctorum variorum relationibus collectam, Gallico idiomate concinnavit, & ad promerendam civium suorum gratiam, in lucem publicam emisit. Multa ibi memoratu digna occurrunt, nec sine quadam animi oblectatione legi possunt, quæ de illius auspiciis, menseque Augusto ipsi utplurimum fausto, de iteratis ejusdem adversus Hungaros, Rhodienses, Persas atque Armenios expeditionibus, de perpetua inter Solimannum ac Carolum, (qui duo Principes eodem fere anno ac mense imperiorum suorum fasces acceperunt,) æmulatione, de fœdere Gallorum cum Turcis icto, de funestis Solimanni cum Roxolana serva nuptiis, ac subsequentibus inter filios odiis atque bellis internecinis, memoriæ prodidit. Hungaros certe gravissimis cladibus sæpenumero adflixit Solimannus, quorum non modo Regem adolescentem Ludovicum memorabili prælio ad Mohacium debellavit, atque in ejus dein locum Joannem Zapolium Comitem Scepusianum substituit, sed nobilissimam quoque regni portionem Imperio Turcico adjecit; rebus ejus ita prospere perpetim & ex voto fluentibus, ut ad ipsa tandem Viennæ Austriacæ mœnia anno 1529 pergere, & post istius regiæ urbis expugnationem, quam dudum animo, licet frustra, conceperat, Germanis ipsis exitium minitari, non dubitaret. Et parum sane abfuit, quin spe sua potirentur tunc temporis barbari, quod Christiani Principes mutuis sese bellis invicem debilitarent, ad quorum odia & conatus Turcæ haud negligenter oculos intendebant, Solimanno id unum ac primum feliciter edocto, ut dissidia vicinorum in usus suos converteret, &, quæ Ottomanorum rebus proficua videbantur, collectis undique viribus promtissime exsequeretur.

Post bella Solimanni recensita, ad familiæ augustæ descriptionem progreditur Clarissimus Ancillonius, cujus tragica diligenter collegit, additis insuper Satraparum ac Purpuratorum in aula Turcica casibus, & admixtis nonnunquam, modo Imperatoris ipsius, (qui

(qui Princeps ſapiens alias ac callidus erat, & Julii Cæſaris commentarios in linguam Turcicam translatos, veluti perpetuos itinerum bellorumque comites, ſecum portabat,) modo aliorum quoque ſalſiſſimis ſapientiſſimisve dicteriis: ex quibus ob brevitatis ſtudium, quod nobis proprium eſt, unicum ſaltim excerpere placuit. Revertebatur aliquando Solimannus a Belgrado capto Conſtantinopolin, in quo itinere mulierem (vid. pag. 265. 266.) quæ paſſis crinibus ad pedes ejus provolvi, & aditum per ſatellites regios ſibi facere conabatur, admitti juſſit. Illam de ædibus ſuis noviſſima nocte a Turcico milite expilatis, liberisque adeo duodecim ad incitas plane redactis conquerentem, ac Domini prætereuntis gratiam implorantem, clementiſſime non ſolum audivit, verum & in hunc fere modum reſpondit: *illi fortaſſis hanc calamitatem eo momento accidiſſe, quo ſomno profundiſſimo cum domeſticis ſepulta jacuerit*; ad quas voces fœmina repoſuit: *veriſſime hæc a Te dicta ſunt, Auguſtiſſime Imperator, dormivi omnino in utramque aurem, ſed non alia de cauſa, quam quod Te ipſum pro me vigilare cogitarem, quum ea Imperantium omnium prima eſſe cura debeat, ut pro conſervatione ſubditorum vigilias agant.* Quam inſignem animi in muliere præſentiam ſic admiratus fuit Imperator, ut omnia illi a militibus abrepta reſtituere, & viginti inſuper aureos, præmii nomine, ex fiſco ſuo numerare mandaret.

Hæc & plura ejus generis alia congeſſit in vita Solimanni Ancillonius noſter, quam tamen veluti ſpecimen tantum majoris cujusdam operis, quod præ manibus habet, cum orbe litterato communicavit. Conſtare iſtud debet ex Gallica verſione omnium elogiorum, quæ in Thuani voluminibus hiſtoricis leguntur, & a Gerardo van Stoecken in *Thuano Enucleato* Latine jam olim edita fuerunt. Ut ergo mentem ſuam uberius lectori declaret, prolixam hercle præfationem, quæ dimidiam opuſculi a nobis in compendium miſſi partem ferme conſtituit, hac vice præfigendam, operæ pretium eſſe duxit. In qua, poſtquam partim de utilitate ex lectionibus capienda, partim de ſtyli præſtantia in Thuani ſcriptione obvia diſſeruiſſet, fuſius propoſiti ſui rationes exponit. Non enim ſola ſe Thuani elogia Gallice interpretaturum ſcribit, ſed

sed id præcipue acturum pollicetur, ut, quæ vel in iis perperam dicta ex animadversionibus aliorum didicerit, ea fideliter corrigat, vel illa, quæ Thuano incognita manserint, curate suppleat, atque adeo Thuani vestigiis potissimum inhærendo, virorum ab augusto hoc Gallorum scriptore laudatorum vitas, nova quasi veste donatas, multoque pleniore commentatione illustratas, orbi sistat. Subjunxit porro ad calcem libelli indicem alphabeticum personarum illustrium, quarum elogia in Thuani voluminibus extant, & a se aliquando prolixius deducta expectari jubet; in præfatione autem illorum quoque mentionem perhonorificam fecit, quorum libraria supellectile ad perpoliendas cogitationes suas hactenus usus est: quas ut alii viri cordati adjuvare, & commentarios de hoc vel illo Principe seu Literatore, cujus Thuanus meminerit, passim conquisitos, cum Auctore nostro peramanter & benevole communicare velint, obnixe rogavit. Cujus quidem voti sui ubi compos fuerit factus, tum vero apparebit, num excellentius, quod molitur, futurum opus sit, quam quod simili plane instituto Vir Clarissimus *Antonius Teisserius*, & hic Exul Gallus Potentissimique Prussiæ Regis Consiliarius atque Historiographus, ante plures annos composuit, publicique juris fecit, numque Ancillonius noster Teisserii diligentiam, in eodem argumento adhibitam, quæ incomparabilis potuit videri, sit superaturus. Cujus Teisseriani operis cum nullam Ancillonius, quod quidem miramur, in Præfatione mentionem fecerit, a Lectore benevolo Acta hæc Eruditorum nostra A. 1697 pag. 90, & A. 1704 p. 461, & qui vastam ejus Historiæ Literariæ notitiam plenius cognoscere avet, Tom. II Supplement. p. 5, & A. 1705 p. 335 evolvi cupimus.

PETRI FRANCII POSTHUMA, QUIBUS ACcedunt illustrium Eruditorum ad eundem Epistolæ.

Amstelædami, ex officina Wetsteniana, 1706. 8.

Constant Alph. 1. pl. 7.

Complectuntur hæc celeberrimi Viri Posthuma, cum Orationes tres, doctas profecto atque elegantes, nunquam tamen publice recitatas, pro Eloquentia, pro Poëtica, deque usu Eloquen-

tiæ in ſacris; tum varii generis Poëmata, octennio hoc integro, poſt recentiſſimam Poëmatum editionem elaborata; quibus acceſſere Epiſtolæ quædam ſummorum in Republica Literaria virorum, Ferdinandi Fürſtenbergii Paderbornenſis & Monaſterienſis Epiſcopi, Ez. Spanhemii, Gisb. Cuperi, Conſtantini Hugenii, Joh. Georg. Grævii, Joh. Friderici & Jacobi Gronoviorum, Nic. Heinſii, P. D. Huetii, Petri Petiti, Renati Rapini, Theodori Rykii, Jac. Perizonii, Rulandi Kinſchotii aliorumque, laudes Francii eximias, & imprimis felicitatem carminis, miris modis extollentium. Sed de his antequam plura dicamus, de vita ejus pauca prælibabimus, quam in præfatione recenſet Henricus Wetſtenius. Natus ſcilicet fuit Francius Amſtelædami anno 1645, die 19 Auguſti, quo ipſo die ibidem anno 1704 denatus eſt. Præceptorem habuit Hadrianum Junium, ſcholæ patriæ Rectorem, qui ut erat ingeniorum judex acerrimus, ſuaſit illi, ut Ovidium ſibi principem, quem imitaretur, haberet auctorem. Hinc Leidæ Jo. Friderico Gronovio diligenter adhæſit, & cum filio ejus Jacobo ſingularem contraxit familiaritatem. Luſtrata deinde Anglia, Gallia atque Italia, & aſſumto Andegavi utriusque Juris Doctoris axiomate, cum in patriam rediiſſet, anno 1674 Eloquentiæ & Hiſtoriarum, & 1686 Græcæ etiam linguæ Profeſſionem obtinuit, in Leidenſem Academiam fruſtra quidem A. 1692 evocatus. Nota ſunt ejus ſcripta, Orationes, Poëmata, Eloquentiæ exterioris ſpecimina duo, Gregorii Nazianzeni Homilia de amore paupertatis in linguam Belgicam magno nitore translata, notisque illuſtrata, & hæc ipſa Poſthuma, quæ e manibus prius dimittere haud poſſumus, quam aliqua notatu digniora pro more noſtro excerpſerimus.

p. 67. In *Orat. I* duos ante alios commendat diſertiſſimos ſui ævi oratores, Adrianum Junium illum, & tragœdum quendam Amſtelodamenſem ipſi Roſcio parem aut ſuperiorem, quem Adamum Caroli appellatum fuiſſe, e præfatione diſcimus. Illum autem cum natura feliciſſime conjunxiſſe, forma fuiſſe virilem in modum decora, ſtatura corporis eminente, plena dignitatis ac gratiæ, vocem denique teſtatur habuiſſe ſuavem, maſculam, fortem, inflexam leviter ac modulatam, & mirum in modum canoram.

ram. Hunc hominem quidem vocat plebejum, & aliarum omnium rerum, præter Poësin & Eloquentiam, rudem & imperitum, verum tam admirabilem addit, tum in dicendo, tum in agendo, fuisse, ut vix fingi eo quicquam posset perfectius. Nimirum, ut eleganter Noster, *rerum ac verborum naturam observaverat;* 58. sq. 68. 59.
ad hanc se normam formaverat, & longa exercitatione, longo usu, hoc divinum atque incredibile dicendi sibi genus paraverat. Surgebat juvenis summo mane, & superiorem domus partem conscendens declamabat per aliquot horas, ad sudorem usque. Ita corpus molle ac leve, & ad omnes motus idoneum reddidit: ita vocem, ita gestus composuit, ita se formavit ac finxit, ut deinde, quicquid vellet, exprimeret, & in omnes sese formas converteret. Vocem aure dijudicabat, quam habebat acerrimam: gestus ad speculum conformabat, Demosthenico more, & per exercitationem istam continuam, tantus in hoc eloquentiæ genere factus est artifex, ut dubitem merito, an quisquam Athenis aut Romæ auditus sit unquam præstantior, &c. Plura transcribere juvaret, si institutum id nostrum pateretur. In *Orat. II* memorat, Hugonem Grotium Belgicis versibus Christianæ religionis veritatem 131.
asserere cœpisse, ut haberent imprimis nautæ, quo in longis sese navigationibus suis, non tam oblectarent, quam instruerent. Hinc 141.
pluribus probat, S. Scripturam, aut totam, aut propemodum totam, esse poëticam; tandemque observat, nihil æque Danieli Hein- 151.
sio ad conciliandam, cum viginti tantum annos natus esset, Professoris in Leidensi Academia dignitatem, Scaligerique & Jani Dousæ amicitiam, quam Poësin profuisse. In *Orat. III*, ubi elo- 174.
quentiæ studium commendare Theologis imprimis nititur, Joannem Chrysostomum scribit Demosthenis orationes manu sua plus semel descripsisse; Basilium, Gregorium aliosque Libanium in arte Rhetorica præceptorem habuisse, egisseque causas forenses; Tertullianum ac Cyprianum, quin & Arnobium, Lactantium ipsumque Augustinum, Oratoriam professos. Inter recentiores Ec- 176.
clesiæ oratores Jo. Dallæum, Ciceronem Gallicum vulgo dictum, Drelincurtium, Mestrezatium, Claudium, Alexandrum Morum nominat; totus vero in Petri Duboscii laudibus est. *Erat in eo* 177.
viro, inquit, *præter formam ac dignitatem, statura corporis ma-*

 jor,

jor, & habebat hoc cum Beza commune, quod Regium quiddam referret. Vox erat, non stentorea quidem, sed fortis tamen, & mascula, ac grato quodam modo canora. Manus suam habebat gravitatem, ut & reliquus corporis motus. Loquebatur autem non cito aut raptim, quo vitio Galli laborant, sed lente, ac pedetentim, & ut de Tullio dictum, gradatim. Hinc omnia apud eum seria, gravia, viro gravi, viro Ecclesiastico digna; talia denique, ut non alia in Oratore sacro desiderasses. Nihil torti, nihil vultuosi, nihil abjecti, nihil indecori, in voce, in vul-
181. *tu, in gestu, in omni corporis habitu conspiciebatur.* &c. Laudat deinde, qui ad sacram verbi Divini præcones eloquentiam excitaverint, Michaelem Falconerium in aureo libello de Actione Oratoria, Ludovicum Wolzogium in Oratore sacro, Davidem
218. Knibbium, Renatum Rapinum, aliosque; & de Wolzogio, quo magis promtum & extemporaneum neminem viderit, observat, eum facilitatem illam dicendi eo paravisse, quod per sex annos continuos, conciones suas omnes scripserit; quanquam ipse quidem scriptionem perpetuam magis probat.

De *Carminibus*, tametsi priorum non ignobile sunt augmentum, & Elegiarum librum quintum, Odarum librum tertium nec non tertium Sylvarum, tertiumque Epigrammatum constituunt, nihil attinet dicere, cum vel solum Francii nomen, ad universa studiose perlegenda omnes sit stimulaturum.

Ex *Epistolis* vero pauca quædam juvat decerpere, speciminis saltem qualiscunque loco. Johannis Georgii Grævii, quæ ad amicissimum Francium scriptæ sunt, numero reliquas, forte & nitore superant, certe genuinam Grævii indolem, utque fuerit literarum bonarum amantissimus, amicorum omniumque, qui iis operantur, cultor candidissimus, a contentionibus toto animo alienissimus, abunde probant. Ut facile credamus, minime fictum fuisse dolorem, quem Epistola 93 & sq. accepisse se testatur, ex inimicitia, quæ inter Francium & Perizonium, communes amicos, tum exarserat, nec curam levem, quam resarciendæ inter viros celeberrimos, & hos amicos inter se veteres, quod passim vel ex hoc epistolarum fasciculo intelligitur, amicitiæ impendit. Præter elogia tum Francii imprimis, ut supra jam innuimus, tum aliorum docto-

doctorum virorum, quæ utramque in his Epistolis paginam faciunt, multa insperguntur ad Historiam Literariam pertinentia. Ita *Ep.* 58 Ryckii Tacitum, qui A. 1686 prodierat, mirifice sibi placere, Grævius ait. Multa Ryckium in Historia Romana illustrare, multa in tanto Scriptore, post Lipsii aliorumque virorum magnorum curas, emendare & rectius explicare. De Corbulonis fossa egregiam & veram, si quid videat, esse ejus observationem. Ryckius tamen ipse, a Francio, ut apparet, & Broekhusio ea de re admonitus, ultro fatetur *Epistola 59*, characteres, quibus descriptus liber, nimis exiguos, nec aciei cujusvis oculorum accommodatos, promittitque daturum se operam, ne quid in secunda editione, sed quam humanissimi Viri mors prævertit, hac in parte a se desideretur. *Epist. 64* Jac. Perizonius de lite, inter Schepperum & Guilielmum Siccamam exorta narrat. Nempe Schepperus carminibus suis subinde aspergere Deorum Dearumque veterum mentionem consueverat. Illud tanquam grande nefas, remque impiam & Christianismo indignam, edita *Animadversione*, quam vocabat, *Orthodoxa* incusavit Siccama. Unde Schepperus, ut accusationem depelleret, *Apollinem Querulum* illi reposuit: cui tamen denuo respondit Siccama, sed Perizonio judice, neutiquam Musis & Apolline dextro. Magnifice, sed vere, de Viri Illustrissimi, Ezechielis Spanhemii, in Callimachum Commentario tum vulgato, Grævius censet Ep. 100: *videtis*, inquiens, *in Commentario Spanhemiano multa doctrina referto, pulcherrimas observationes, quibus & Græca poësis & historia fabularis illustratur, & abstrusior plurimarum vocum vis, ritusque non satis cogniti eruuntur & explicantur, ut non putem, tam eruditum Commentarium in ullum Græcum Poetam a renatis litteris prodiisse.* Anthologiam Græcam cum versione Hugonis Grotii, si inveniri posset, & notis Petri Dan. Huetii jam prælo paratis, forte & Grævii aliorumque, edere in animo habuisse Francium, Epistolis 69, 104, 105, 106 docemur: sed illud institutum cum mors Viri optimi interruperit, campus, quem Viri alii negotio huic pares ingrediantur, apertus est. Causas cur Abrincensi Episcopatu se abdicarit jam anno 1700 celeberrimus Huetius, quæ fuere aëris illius inclementia valetudinisque ipsius ratio, aperit ipse Francio Ep. 110, & 111, etsi ex eo tempore molestissimis se

 liti-

litibus & negotiis exercitum fuisse conqueratur. Qua occasione notamus, Illustrissimum hunc Huetium, uti cum Francio, ita & cum pluribus aliis a religione Romano Catholica alienis, amicitiam & commercium literarum magna humanitate coluisse, nec ideo tamen nunquam zelum pro Romanis sacris, etsi modestissime, prodidisse. Operæ pretium fuerit, verba huc transcribere certe notabilia, quibus Francio, cum ab eo Orationem in funere Stephani Morini, Reformatæ religionis Viri, a se habitam, cum quo pene a pueritia amicitiam inierat, sanctequc coluerat Huetius, quamque in ea Francius prædicaverat, accepisset, Ep. 100 inter alia respondit: *Quod attinet ad eam, quam & in oratione tua, & in vita præ te fers, de Religione sententiam, etsi eam probare non possum, candorem tamen tuum non possum non probare. Aliter enim sentire, aliter loqui, id vero esset claudicare in duas partes, quod in populo Israelitico reprehendebat Isaias Propheta. Minime igitur id requiro ex te, ut sensus tuos subdolis ac fallacibus verbis dissimules, sed ut rectis studiis & supplicibus erga Deum, optimum parentem, votis, ad sinceræ veritatis notitiam pervenire contendas.* Quemadmodum & Epistola sequente, de iis Protestantium acerbe conqueritur, qui *magnum aliquod operæ suæ pretium tulisse se putent, cum vel prosciderunt Catholicæ Fidei defensores, vel aliquem certe sacri nostri* (Episcopalis) *ordinis virum.* Sed hæc speciminis loco suffecerint: etsi epistolas quasdam, e. g. Ferdinandi Episcopi ac Principis Paderbornensis & Monasteriensis, quæ 27 est, & ob styli excellentiam in Principe admiranda est, nec non Rulandi Kinschotii, quæ est 87, ob elegantissimum de Viri Nobilissimi, Jo. Frid. Crameri, Vindiciis nominis Germanici contra Gallos, judicium, aliasque plures hic integras legi, foret operæ pretium.

PETRI DE TOULLIEU, JURISCONSULTI LINgensis, Dissertationum Juridicarum Trias.

Trajecti ad Rhenum, ex officina Guil. van de Water 1706. in 8. Constat 16. plag.

Pri-

PRima ex tribus Dissertationibus, quas Clarissimus Antecessor Lingensis hoc opusculo exhibet, ad Legem difficillimam *Cum Societas 69 ff. pro Socio* conscripta est, cujus in genuinam lectionem verumque sensum Cujacius, Salmasius, Grotius, Huberus, Lynckerus aliique Jurisconsulti, dudum solicite inquisiverunt. Recte autem observat, duabus potissimum circa hunc textum Interpretes difficultatibus urgeri, quarum una ex verbis Legis, *Nundinas id est epulas*, oritur, altera ad actionem venditi pertinet, quam in hac facti specie locum habere, Ulpianus tradit. Prius ergo dubium dum tollere cupit, nec cum Holoandro *nundinarias epulas*; nec cum Grotio *IIIIduanas epulas*, i. e. quatriduanas; multo minus cum Fornerio & Salmasio empolas pro *epulas* legi debere monet, cum nimis violentæ sint hæ Legis correctiones, ipsaque Florentini codicis lectio satis defendi queat, si quis nundinas pro nundinariis epulis accipiat, sicuti nuptias pro epulis nuptialibus, sponsalia pro convivio sponsalitio usurpari, Ciceronis (l. 2. ep. 6) aliorumque auctoritate evincit. Quod ad alterum controversiæ hujus caput, sive ad actionem venditi attinet, eam nec venditori epularum, ut Wissenbachio visum fuerat, nec venditori mercium, ceu Cujacius, Freherus, Boeckelmannus aliique existimarunt, sed ipsis sociis tribuit; idque recte Antonium Fabrum, Alteserram & Fornerium observasse, lubenter agnoscit, eorum tamen interpretationes singulas rejicit. Subjicit deinde suam de hac Lege sententiam, quam reliquis ideo præferendam censet, quia nec receptæ lectioni quicquam detrahat, nec verbis textus quicquam addat, nihilque in eo relinquat otiosi, ac utramque & pro socio & venditi actionem, ab ea, quam Ulpianus expressit, conditione suspendat. Ita vero existimat Vir Clarissimus, duos pluresve forte amicos societatem ad emendum iniisse, mercesque quasdam communibus sumtibus comparasse. Ex his unum postea reliquis conditionem obtulisse, ut communi nomine emtas res sibi soli relinquerent; id si impetraret, se & pretium earum & epulas reliquis præstiturum. Ubi ergo placuisset sociis conditio, hic vero promissis non satisfecisset, & pro socio adversus eum ad merces communicandas, & ex vendito ad pretium pro epulis solutum recuperandum, agi potuisse. Atque hanc interpretationem ab objectionibus,

quæ

quæ forte moveri possint, prolixe vindicat. Denique suppetiarum, huic Legi ab Illustrissimo Lynckero quondam latarum, modestam κρίσιν subjicit, ejusque explicationem præsupponere pactum societati in continenti adjectum, ac verba Legis, *eos a negotio dimitteret*, non recte explicari existimat, ab eodemque Pandectarum Florentinarum virginitatem frustra asseri, occasione *l. 15. ff. de Donat.* & *l. 9. C. de Bon. proscript.* ostendere, ac Celeberrimum Voetium a suspicione ἀβλεψίας, quam ei Illustrissimus Lyncker objecerat, vindicare voluit. Altera Dissertatio ad Legem Africani *Frater a fratre 38. ff. de Condict. indebiti* pertinet, adeo obscuram, ut inter damnatas leges vulgo referatur. Quam uti Cujacius aliique, retenta lectione Florentina, frustra explicare tentarunt, ita Hotomannus emendandam, vulgaresque interpretationes rejiciendas esse censuit. Sed Clarissimus Tollieu & lectionem, & expositionem communem, contra Hotomannum defendit. Existimat ergo, hanc Legem non de quacunque, sed de peculiari tantum obligatione agere, quam cum obligatione simplici ab Hotomanno confundi statuit; nec ei concedendum esse, necessario fratrem creditorem peculium habuisse, saltim ex lege hac certo id asseri non posse. Peculium autem omni & Naturali & Civili jure, non ad filium sed patrem pertinere, licet Hotomannus, quem jus & statum naturalem confundere censet, aliud sibi persuaserit. His præsuppositis, Legem integram κατὰ πόδα prolixe explicat, ac postquam suam exposuit de ea sententiam, Struvii & Bachovii interpretationes refutat. Ultima Dissertatio de Jure luendi & repetendi pignoris, ac de rebus meræ facultatis, de jure adeundi hæreditatem, redimendi, & similibus agit, ac observationum elegantissimarum plenissima est, ex quibus aliquas subjicere, operæ pretium esse putamus. In §. 1. ergo tutores immobilium possessores a satisdatione haud liberari, contra Excellentissimum Pagenstecherum defendit. In §. 5. & 64. Jus pignoris luendi, i. e. debiti solvendi, meræ facultatis esse statuit, actioni autem pignoratitiæ præscribi posse ex tempore pignoris traditi, debitori tamen rei vindicationem, præscripta licet personali actione, superesse censet. §. 70. sqq. Res meræ facultatis esse facultates ait jure Naturali vel communi Civitatis ad nos

nos pertinentes, circa usum & dispositionem rerum nostrarum, quamdiu in earum sumus possessione, ac Grotii, Gronovii, Huberi, Vinnii, Struvii aliorumque de iis definitiones rejicit *§. 7 sqq.* Jus altius ædificandi, ad res meræ facultatis pertinere autumat, & dissentienti Vinnio respondet *§. 29.* Jus autem a communione recedendi, minus recte ab Hubero eo referri putat. Jus adeundi hæreditatem nullo tempore expirare, licet hæreditatis petitio triginta annis præscribatur; contra jus retroemendi non esse meræ facultatis statuit, licet pactum additum sit, quod quocunque tempore & perpetuo hanc potestatem largiatur; id enim civiliter intelligendum, adeoque præscriptioni obnoxium credit. Ingeniosa est conciliatio *l. 7. ff. de Diverf. & temp. præscr.* cum *lege 45 ff. de Usurp. & Usuc.* nec non explicatio legis *9. §. 7. ff. de Peculio*, quas *§. 31 seqq.* & *§. 45. seqq.* exhibet. Sed ulterius progredi brevitatis studium prohibet, & hæc, speciminis loco, desiderio Lectoris facile satisfacient, nostro certe instituto sufficiunt. Quare cupidum amœnitatum Juridicarum Lectorem, ad ipsas Clarissimi Autoris dissertationes elegantissimas remittimus.

ANTONII PACCHIONI, REGIENSIS, PHYSICI Romani, Dissertatio Epistolaris de Glandulis Conglobatis Duræ Menyngis humanæ, indeque ortis Lymphaticis ad Piam Menyngem productis, ad Virum Clarissimum, LUCAM SCHRÖCKIUM, Cæsareo - Leopoldinæ Naturæ Curiosorum Academiæ Præsidem.

Romæ, typis Johannis Francisci Buagni, 1705. in 8.
Constat 2. plagulis & tabula ænea.

Dum Clarissimus Pacchionus in pertexendo suo de Duræ Menyngis Fabrica libro strenue pergit, novisque sectionibus, & accurata investigandi methodo, hoc cerebri involucrum ita persequitur, ut ea in parte nihil intactum velit, sicque opus omni numero absolutum Orbi literato sistat; en nova indies ei exhibentur, de quibus in antecessum curiosum Lectorem monere non gravatur. Quanquam enim Nuckius vasa lymphatica in cerebro oc-

currere, diserte negaverit, Malpighius vero, felix alias glandularum in membranis scrutator, de Menyngis duræ glandulis nihil commemoraverit, imo ipsa membranæ hujus textura adeo densa, fibrisque validis omni ex parte concinnata, ac veluti muscularis locum glandulis includendis aptum & capacem vix concedere videatur ullum, in sinu tamen ejus longitudinali, immediate sub membranosis expansionibus, in areolis chordarum Willisianarum, quin & supra easdem chordas, innumeras glandulas conglobatas, subrotundas, propria & tenuissima membrana, velut in sacculo conclusas detegere, adeo felici licuit esse Authori nostro. Racematim hæ ut plurimum coëunt, raro sparsim disponuntur; utrinque ad latera falcis messoriæ, ab ejusdem apice, ad basis usque posticam partem, miro propemodum artificio procedentes, dorso lacertorum accumbunt, & partim ab horum fibris, partim ab iis, quæ a chordis emergunt, firmantur, atque invicem alligantur. Fibris carneis tenuissimis circumambiuntur singulæ, unde colorem carneo-pallidulum nancisci videntur: in senibus vero, in quibus ejusmodi fibræ enervatæ nimis laxantur, & ferme disparent, albescentes & magis turgidæ cernuntur eædem. Arteriolas habent a ramulis, per interiorem Duræ Menyngis superficiem, non longe a falce reptantibus: quarum nonnullas a Pia Menynge derivatas, & a venis ad sinum tendentibus non multum distantes, & quandoque associatas accipiunt. Quod autem in lateralibus sinubus vel nunquam, vel raro admodum, perpauca earundem adnotentur vestigia, ideo a natura factum existimat Author Clarissimus, ne, si intersepta laxiora & minus firma alicubi existerent, ab insidente continuo ponderosissima cerebri mole gravata, aut reciproca contractionis & relaxationis vi tandem enervata, debito citius conciderent, & glandularum vasorumque munus obrueretur. Ex dictis glandulis innumera emergunt fila, quæ totidem sunt vasa excretoria, & a Dura in Piam Menyngem implantantur. Usum quod concernit harum glandularum, in separando humore aliquo, a toto sanguine diverso, ille Authori consistere videtur; ita ut vasa lymphatica, Piam Menyngem alluentia, rorem quendam tenuissimum continuo exhalent, quo utraque ejus superficie madefacta, Duræ Menyngi & cerebri cortici subsidium præ-

præbet, & ſiccitatem arcet; quod commodum forſan etiam cerebri ventriculis, corporibus ſtriatis, ſi eousque pertingat ros hic, adfert. Nec abſonum videtur, ad nares internas, & quocunque ad inſculptas cranio cavitates proxime extenditur Dura Menynx, hujusmodi humoris portionem profundi. Lympha enim hæc, non modo ſua fluiditate atque pondere ab apice cerebri deorſum fertur, verum propriorum canalium & Piæ Menyngis vi contractiva, & potiſſimum a circumprimente Dura Menynge ſollicitatur.

De cætero illud adhuc commemorandum reſtat, quod Sinus laterales ſimpliciores habeantur Authori longitudinali; ſiquidem illorum cavitas non tot anfractibus & cellulis diſtincta eſt, ſed membranacea expanſione tantum æqualis cernitur, & ad ſummum levibus quibusdam plicis ſignari ſolet.

Explicatio Figurarum.

Figura 1. exhibet tres majores Duræ Menyngis humanæ ſinus, ſecundum longitudinem in dorſo cranium reſpiciente disſectos. TAB. V. Fig. 1.

A. Sinus Longitudinalis pars anterior parumper inverſa, & complicata.

B. Ejusdem pars poſterior.

c. c. c. c. c. c. Latera ſinus diducta partim inverſa, partim in poſteriore parte dd. naturali in ſitu relicta, ubi ſinus propriam oſtendit latitudinem, a membranoſis expanſionibus non denudatus.

d. d. d. Membranoſæ expanſiones cum ſuis plicis.

e. e. Sinus portiones ſemidenudatæ.

2. 2. 2. 2. Specimina chordarum Williſii, quarumcunque pleræque ſub membranoſa expanſione e. e. d. d. adhuc deliteſcunt.

3. 3. 3. 3. 3. 3. 3. Glandulæ conglobatæ, in lateribus primi ſinus racematim reconditæ.

f. Quarti ſinus orificium in Laterales hians.

g. g. g. g. Sinuum Lateralium parietes diducti.

h. h. Ipsorum extrema abscissa, antequam in jugulares inclinare incipiant.

i. i. i. i. Chordæ Willisianæ a membranosis expansionibus liberatæ.

TAB. V. Fig. 2. Figura II. ostendit eam sinus Longitudinalis portionem, ubi valvulæ uberiores ut plurimum reperiuntur.

a. a. a. a. Sinus resecti latera diducta.

b. b. b. Minores cellulæ laterales, quæ sanguinem intra sinum admittunt.

c. c. c. Cellulæ majores valvulosæ, in centro sinus consitæ, quarum orificia se mutuo respiciunt.

d. d. Foveolæ imperviæ.

NUMMI ALIQUOT DIVERSI EX ARGENTO præstantissimi: nempe decem OLAI Sueci, unus ANUNDI Carbonarii, ac unus HAQUINI RUFI, Sueciæ Regum, nec non unus SUENONIS bifida Barba, Daniæ Regis, Heliconiadum Choro dedicati a NICOLAO KEDERO, Regii Collegii Antiquarii, quod Stokholmiæ est, Assessore.


Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditsch, 1706. 4.
Plag. 8. cum fig. æn.

Tertia hæc est, quæ in urbe nostra prodit, doctissimi nobisque amicissimi Kederi Dissertatio de nummis nonnullis nuper in Suecia effossis: reliquos enim nummos quosdam Runis insignitos exhibentes, in Actis his anni 1703 p. 417, atque anni 1704 p. 36 memoravimus. At quoniam hæc paulo diffusior est, ut de omnibus nummis, qui hic in tabula exhibentur, (sunt enim omnino sedecim) agere pro instituto haud valeamus, tantum rariores quosdam, quos unice superstites Noster credit, paucis considerabimus. Luculentissimus est in Regio Antiquitatum archivo nummus Olai (vid. Fig. nobis 3.) in quo caput Olai Sueci, cum sceptro & inscriptione OLAF REX SWEVOrum repræsentatur. OLAF seu OLAPH Olaum domestico loquendi modo notat. Suevos vero vocatos fuisse Suecones, Taciti aliorumque Aucto-

TAB. V. Fig. 3.

TAB. V. ad A. 1706









ctorum, imprimis vero diplomatum optimorum fide patet. Unde male summum virum Hugonem Grotium, apud veterem auctorem, qui Ambaziensium Gesta inscribitur, pro *Suevis Suedos* in prolegomenis ad Historiam Gothorum &c. reposuisse, Noster observat. In aversa legit GODWINE (nomen est monetarii) MOneta SIHTunæ, urbis celeberrimæ, vulgo Sigtunæ dictæ. Frequenter enim Septentrionales, præsertim post acceptum alphabetum Anglo-Saxonicum, literas G & H inter se permutasse, exemplis docet. Unicus & est, quem ipse Auctor possidet, nummus OLAF REX AN SITUN inscriptus (vid. Fig. IV.) quo indicatur *Olaus Rex in Sigtuna*, seu Sigtunæ. Ubi docet, & legem illam ab Ingone I sancitam, ut Regia sedes Upsaliæ fixa maneret, sub Christianismi in Suecia initiis, insuper haberi cœpisse, & Reges ab ea urbe, in qua sederint, denominari vulgo consuevisse. Quæ in altera facie, præter crucem, quæ in hoc, ut & in reliquis, religionis Christianæ signum est, conspiciuntur, ita explicat: GOWINE, pro *Godwine*, MOATA AN, pro *Moneta an* seu *on*, subintelligens *Sihtun*, quod urbis vocabulum spatii angustia exclusum monet, idque aliis etiam exemplis confirmat. Tertius Olai nummus, qui Auctori quintus est, (nobis Fig. V.) si primam faciem spectes, cujus inscriptio OVLAVS REX SUENonum, difficultate caret; *Oulaum* enim eundem esse, quem nunc abjecto V priore, *Olaum* scribimus, constat. In altera legitur VLFESE MOT AN ST, hoc est, ut Noster interpretatur, *Ulphonis moneta in Sigtuna*. Ulf enim seu Vlfr (Latine Lupus) quod nomen monetarii, Genitivum facit Vlfese, sive potius Vlfes, quo in casu monetarii nomina sua nonnunquam in nummis exprimunt. Quartus nobis esto quadratus Olai nummus, (vid. Fig. VI) qui in aversa geminum non habet. In prima area quidem pro OLFAF ON SIDEI, quæ verba capiti velut galeato circumponuntur, legit Noster: *Olaus in Scythia*, seu Suedia. Veteres quippe Suecos Sithas seu Scythas, & Suediam Scythiam vocasse, domesticorum pariter & exterorum Scriptorum testimoniis probat. Quid vero in aversa sibi velint ΙΙΙΙΣΣΣΣΟΣ, non magis sibi perspectum esse fatetur, quam quis Runicorum in Gibsoniano nummo ΙΣΣΣΣΣΣΣ sensus sit. Rarissimus est quintus

TAB. V. Fig. 4.

Fig. 5.

Fig. 6.

Fig. 7. tus (vid. Fig. VII) qui Suenonem cognomine *furcata Barba*, alias Suen-Ottonem, ab Ottone Magno, qui eum de sacro fonte susceperat, dictum, repræsentat. SVEN REX AD DENER notat *Sueno Rex Denorum* seu *Danorum*, sicut MAN DNER in aversa *Moneta Denorum*: GODWINE monetarius est, idem forte, quem antea produximus. His demum Auctor (vid. Fig. VIII) pientissimi Sueonum Regis Anundi, qui Jacobus
Fig. 8. in sacro lavacro dictus est, nobilissimum & summe rarum nummum, ab Illustri viro, Elia Brennero, sibi liberaliter communicatum adjecit. Neque difficilis explicatio est; exhibetur enim Rex capite quippiam acuminato pileo affine gerens, sceptrumque præferens, additis verbis ANVND REX SI. hoc est, *Anundus Rex Sigtunæ*, quo in loco, ut Olaus antea, sedem habuit; in aversa crux est, umbilico circumsepto, & lacertis annulo quater interstinctis, cum epigraphe: THORMOD (monetarii nomen) ON SIHTV, hoc est, *in Sigtuna*.

Cæterum lectu digna sunt, quæ ingeniosissimus Kederus de valore & permutatione literarum quarundam Anglo-Saxonicarum, Runas æmulantium p. 5 sq. de Olai Sueci cognomine *Skaut-kongr*, seu Skött-konung / quod alii Regem in gremio gestatum (quod infantem Regem ulnis circumtulissent Sueci) alii Regem tributarium (quod primus Regum patriæ, velut conversarum in vicinia gentium Principes alii, certam per cives munerum *Symbolam* Romano Pontifici submitteret) interpretantur, p. 8 sq. de artis nummos sculpendi apud Suecos veteres ruditate, & sculptoribus clarioribus p. 13, de crucis in nummis usu p. 18 seqq. de nominis Sueonum origine p. 10 & 32, de nominum a feris derivatorum in Suecia frequentia p. 37, & de similitudine nummorum Anundi illius Sueci & Canuti Divitis Angliæ Regis, patrui ejus & æqualis, p. 62 accurate edisserit. Illud unicum adhuc nos moratur, quod p. 46 sq. generatim de hujus generis nummis observat. Literas in illis conspicuas Latiales esse Anglo-Saxonicas, ait, quibus tamen sculptorum incuria & Runæ subinde irrepserint. Additur, Olaum Regem re ipsa edoctum, quod Runæ potissimum in causa sint, quo minus religio Christiana incrementa capere possit, de extirpandis litteris illis, & Latinis, quod dum

dum urgebat Pontifex Sylvester II, in earum locum substituendis, A. 1001 serio deliberasse: tandemque, instigante quoque acriter D. Sigfrido, nuper ex Anglia in Sueciam permissu Æthelredi accersito, exstirpandas Runas esse, decrevisse, quippe quibus erronea doctrina de Thorero cæterisque Barbarorum Diis descripta esset; projecta ocyus in ignem volumina, nec idolomanica tantum, verum & historica aliaque, quo ingens sane patriæ allatum fuerit detrimentum.

JO. FRANCISCI BUDDEI THEOL. D. ET P. P. *Exercitatio de Prærogativis Fidelium Novi Testamenti præ Fidelibus Veteris Testamenti.*

Jenæ, apud E. Cl. Balliar, 1705. in 4.
Plag. 17.

UNus equidem salvandi modus est, quo salutem adepti sunt æternam omnium temporum Fideles, nempe fides in Messiam, sive exhibendum, sive exhibitum; & fides semper producta est virtute Spiritus S. per Verbum ab initio non scriptum, postea scriptum: interim tamen Deus omnia benignitati suæ deberi demonstraturus, eandem salutem diverso tempore diversimode dispensavit, ita ut Fideles unius temporis prærogativas quasdam habeant præ Fidelibus alterius temporis. Sed ut Deo decentes exsolvantur gratiæ, nobis non solum incumbit, ut nostra cognoscamus bona, sed &, quo eorum excellentia manifestior evadat, cum bonis alio tempore Fidelibus concessis componamus. Eum in finem Autor præsentis Exercitationis, Halensis antea, nunc Jenensis Academiæ singulare decus, cujus in his Actis non infrequens est nomen, prærogativas fidelium Novi Testamenti, præ fidelibus Veteris Testamenti, demonstrandas sibi sumsit. Quod ut rite fieret, notat, utut Deus, vi absoluti sui imperii, officia quæcunque ab homine exigere potuisset, maluisse tamen eum, pro ineffabili benignitate sua, per fœderis quodammodo rationem cum illo agere, cujus ut certæ leges, ita certæ quoque promissiones & comminationes essent; quamvis fœdera divina ab humanis in eo abeant, quod ista respectu hominis legis quodammo-

modo vim habeant, ita ut non acceptare ipsi non integrum relinquatur. Nihil obstare, quo minus, Scriptura praeeunte, salutis negotium sub hoc schemate exhibeatur, modo ex foedere non derivventur, quae ex divinis attributis sint derivanda, aut alias causas habeant sublimiores. Primo igitur loco considerat *Fœdus operum* sive *legale*, quod Deus cum homine nondum lapso pepigit. Legem hujus foederis fuisse illam ipsam, quae Numinis amorem absolute summum, proximi proprio aequalem requirit, additis tamen & legibus aliis, non ex natura hominum, sed liberrima Dei, sanctissima tamen & sapientissima voluntate procedentibus, h. e. positivis. Quorsum refert mandatum de non comedendo fructu arboris scientiae boni & mali. Promissionem praecipuam fuisse, de vita aeterna legem implenti danda, non ex merito tamen, sed per modum praemii gratuiti. Comminationibus contra accensendam esse mortem corporalem, spiritualem & aeternam. Foedus hoc operum pertinuisse quoque ad Adami posteros, quos omnes retulerit Adamus; quod vel exinde constet, quod comminationis vim quotidie sentiamus. Rupto per inobedientiam Protoplastorum foedere operum, in ejus locum successisse *Fœdus gratiæ*, distinguendum a foedere, quod Deus Pater cum Christo iniit, sponsionem pro hominibus in se recipiente, & testamenti insimul rationem habens, immo propius ad testamentum accedens. Utut enim non omnia testamenti requisita adsint, nec omnia foederis requisita adesse, actumque adeo ex foedere & testamento mixtum hic intercedere. Vocem διαθήκη & testamentum, & foedus denotare; recte tamen Matth. XXVI, 28. Marc. XIV, 24. Luc. XXII. 20. 1. Cor. XI, 25. Gal. IV, 24. seqq. & in nonnullis epistolae ad Hebraeos locis, per testamentum verti. Summam foederis gratiae Deum Protoplastis statim a lapsu Gen. III, 24 proposuisse. Promisisse ipsum, se omnes ad notitiam Mesiae perducturum, vocando eos tum objective, tum effective, tum per famam verae Ecclesiae; Spiritu S. per verbum conversurum, justificaturum, sanctificaturum, & aeternae salutis participes facturum. Conditiones promissionibus respondere, singulas singulis. Deum nempe conversurum, si verbum ejus legant vel audiant; justificaturum, si credant; renovaturum, si divinitus sanctitati destinatis mediis utantur,

tur, qualia ſunt verbi divini frequens meditatio, precum aſſiduitas, virium ſpiritualium exercitatio, peccatorum evitatio, & carnis crucifixio; denique glorificaturum, ſi in fide & ſanctificatione perſeverent. Ad Comminationes pertinere verbi beneficiorumque reliquorum, ſi contemnantur, ſubtractionem, & mortem denique ſempiternam. Fœderis hujus gratiæ tria dari intervalla. Primum eſſe Patriarcharum, in quo ad fœdus gratiæ univerſale nulla facta ſit acceſſio, ſi a fœdere particulari cum Abrahamo percuſſo receſſeris. Fœdus cum Noacho initum, ad religionem non pertinere. In ſecundo intervallo maximam ad fœdus gratiæ univerſale per Moſen factam eſſe acceſſionem, & illius Oeconomiam Veteris Teſtamenti nomen ſuſtinere, ab egreſſu populi Iſraëlitici ex Ægypto incipiendi, quod ex Jer. XXXI, 31 32. Gal. IV, 24. & Hebr. IX, 18. 20. prolixe probat, & aliis argumentis ulterius confirmat. Suppoſuiſſe Vetus Teſtamentum tum univerſale fœdus gratiæ, tum particulare cum Abrahamo initum. Promiſſiones præcipuas fuiſſe, quod Meſſias ex tribu Juda ſit oriturus, Deus Judæos pro peculio habiturus, bona quævis corporalia ipſis imperiturus, contra hoſtium inſultus eos defenſurus, terram Canaan in perpetuam, usque ad Meſſiæ adventum, poſſeſſionem iisdem traditurus: in quarum confirmationem inſtitutus ſit agnus paſchalis. Conditiones fuiſſe, ut tum leges univerſales, tum particulares, ad ſtatum ipſorum civilem vel eccleſiaſticum ſpectantes obſervarent. Leges ceremoniales primario fœderis univerſalis beneficia in memoriam ipſis revocaſſe, & Meſſiam repræſentaſſe, nequaquam in μοσχοποιΐας pœnam ad peccati exprobrationem datas eſſe, conſequenter ad Evangelium referendas. In tertio denique intervallo, vigere Novum Teſtamentum, quod qua promiſſiones, comminationes & conditiones, fœdus gratiæ univerſale ſupponat. Proprium ejus eſſe, quod fideles Chriſtum exhibitum reſpiciant, donorum ſpiritualium largiori & uberiori, qua copiam, qua gradum, proventu gaudeant, a jugo legum ceremonialium non premantur, novis Sacramentis iisque longe auguſtioribus utantur &c. Conditiones huc redire, ut reſipiſcamus & credamus Evangelio; & Deum pro tot tamque luculentis beneficiis majus ardentiusque ſtudium in ſanctitate proficiendi, a fidelibus po-

ſtulare. Etſi autem Novum Teſtamentum præſtet Veteri, nec tamen hoc omni dignitate deſtitutum fuiſſe monſtrat, Hæreticorum veterum, Patrum, aliorumque ea de re ſententias examinans. Refellit inde prærogativas, quæ fidelibus Novi Teſtamenti perperam a *Coccejo* & *Coccejanis* aliisque nonnullis tribuantur, quod nempe his demum innotuerit myſterium Trinitatis, cum aliis de Chriſto redemptore fidei myſteriis, fidelibus ante Chriſtum non revelatis; cum tamen nec myſterium Trinitatis, nec quæ ad Meſſiæ perſonam, officia, ſtatumque pertinent, fidelibus Veteris Teſtamenti fuiſſe ignorata, tot luculenta Scripturæ dicta comprobent: quod legem moralem eſſentialiter perfectiorem ipſis dederit Chriſtus; cum legem quidem illuſtraverit, ac a corruptelis Judæorum vindicaverit, nuſpiam vero novam condiderit Servator: quod Patres Veteris Teſtamenti promiſſionibus ſpiritualibus & cœleſtibus deſtituti fuerint, quibus gaudeant fideles in novo, quam ſententiam ab Anabaptiſtis acceperit *Coccejus*; cum tamen utique & bonis ſpiritualibus, & eorum promiſſionibus gaviſi fuerint, etſi illis peculiaris promiſſio de poſſeſſione terræ Canaan acceſſerit: quod in Veteri Teſtamento ſolum πάρεσις, nequaquam ἄφεσις obtinuerit peccatorum, conſequenter fideles in Veteri non fuerint juſtificati; aſt juſtificatos ita eſſe fideles V. T. ut vitam plenamque peccatorum remiſſionem fuerint conſecuti, πάρεσιν etiam Rom. III, 25 ſignificare idem, quod ἄφεσιν, accurate Auctor Maxime Reverendus evincit: quod Chriſtus ratione Patrum Veteris Teſtamenti fuerit tantum fidejuſſor, non expromiſſor; cum id repugnet naturæ fœderis gratiæ omni tempore valentis, & vox ἔγγυος Hebr. VII, 22, ex genio linguæ Græcæ, etiam expromiſſorem ſignificet: quod ſub reatu culpæ & pœnæ fuerint fideles Veteris Teſtamenti; quod fidei ipſorum ab Apoſtolo deprædicatæ Ebr. XI repugnet: quod iidem fuerint ſub ira; cum tamen per fidem juſtificati fuerint, merito Chriſti ante & retro valente: quod non habuerint tanquillitatem conſcientiæ, libertatemque & fiduciam accedendi ad Deum; cum id repugnet remiſſioni peccatorum, cujus participes factos eſſe fideles in Veteri Teſtamento, ſuperius Auctor probaverat. Hiſce præmiſſis, ad ea tandem declaranda progreditur, quæ titulus exercitationis pollicebatur, atque

que in §. 40 ex Ebr. VII, 22, & c. XI, 39. 40, præstantiam Novi Testamenti præ Veteri generatim evincit, subjuncta in duobus subsequentibus uberiori explicatione locorum Joël. II, 28. 29. 30 & Jerem. XXXI, 31 & seqq. in quibus bona Novi Testamenti singularia promittuntur. Inde speciatim bona illa recenset a §. 43 usque ad §. 47, in quibus prærogativa fidelium Novi Testamenti præ fidelibus Veteris fundetur. Recenset nempe prærogativas sequentes, 1. Præstantiorem Mediatorem Novi quam Veteris Testamenti, nempe Christum, cum hujus fuerit Moses, Gal. III, 19. 2. Peccatorum per exhibitum jam Messiam non typicam, sed realem propitiationem. 3. Immunitatem ab observatione multorum rituum & ceremoniarum, cum magno onere ac labore conjuncta, ob Vetus Testamentum abrogatum. 4. Donorum Spiritus S. ubertatem, quæ inter referenda sit clarior mysteriorum fidei uberiorque cognitio, ac profluens inde enixius studium in vitæ sanctitate ac puritate proficiendi, ex hac denique propullulans consolationis uberior abundantia, nec non fidelium multitudo. 5. Gentilium & Judæorum in unam Ecclesiam visibilem conjunctionem, & 6. Promissionum præstantiam. Quoniam vero omnis theoria est propter praxin, ad quam vel immediate, vel mediate tendit; theoria finita, ad praxin progreditur ostendens, quænam nostræ in hac prærogativarum copia & præstantia sint partes. Ante omnia igitur explorandum esse monet, num fœderis hujus simus participes: hinc speciatim edocet, quales singulis prærogativis respondeant praxes, nimirum præstantiam Mediatoris nobis in memoriam vocare debere commonefactionem Pauli, Ebr. II, 2; Sacerdotale Christi munus filialem erga Deum excitare fiduciam; libertatem a lege ceremoniali eam nobis injicere curam, ut libertate caute utamur; donorum spiritualium ubertatem efficere, ut cogitemus, num & ipsi partem thesauri omnibus propositi possideamus; Judæorum & Gentilium conjunctionem, ad misericordiam divinam celebrandam nos impellere; promissionum denique indolem inculcare, nos ad cœlestia & spiritualia, non ad terrestria vocatos esse.

AN ENQUIRY INTO THE NATURE, AND Evidence of Christian Faith &c.

h. e.

INQUISITIO NATURÆ, NECESSITATIS AC Evidentiæ Christianæ Fidei, diversis conatibus instituta. Pars I. de Fide generatim & Fide Deitatis, per JOHANNEM COCKBURN Theol. Doctorem.

Londini apud Thom. Atkinson, 1704. 8. plag. 5.

Quæ ab hostium incursionibus nunquam tuta omnino fuit ac libera salutis arx æternæ fides, ea munita ac propugnata hactenus fuit vigili illorum industria ac labore, quos Deus constituit veræ custodes ac defensores religionis. Sicuti igitur sancta Dei Civitas a tempore usque, quo eam fundavit sanguine suo pretiosissimo Dominus ipsius ac Redemtor Jesus Christus, oppugnata acerrime subinde est ab impia Verporum, Paganorum, Empæctarum, Epicuræorum atque Atheorum cohorte: ita neque defuerunt unquam, cum inter primitivæ Ecclesiæ Patres, tum inter sequioris ac modernæ Ecclesiæ Doctores, qui mysteria pro salute nostra Divinitus revelata strenue tuerentur. Viris hisce fortissimis, pro honore Christi militantibus, accessit etiam Excellentissimus *Johannes Kockburn*, excitatus procul dubio egregio exemplo Clarissimi Bentleyi, aliorumque celebrium, qui impietatem Atheisticam dextre debellarunt, Anglorum ceu popularium. Scilicet cum fides potissimum sit Christianæ doctrinæ momentum, & ad bonorum, quæ cultoribus illa suis pollicetur, consecutionem summe necessarium, operæ fore pretium duxit eruditissimus Auctor, si eam assereret contra turpissima Empæctarum opprobria. Triplex enim, expertus est, hodienum circumvagari hominum genus, fidei auctoritatem pro virili sua labefactans: quorum alii clericos exponere conentur ludibrio, tanquam indoctos & stultos, qui facile & fallantur ipsi, aut privati commodi gratia studeant imponere aliis, idque mysteriis sensum omnem fugientibus; alii probare laborent, fidei haut dari locum, ubi sana imperet

Præfam. pag. 1.

2.

peret ratio, hinc illam ex hujus nasci defectu, adeoque credentes fide sua sese reddere indignos, qui homines, hoc est, ratione utentes amplius appellentur; alii varia fidei dogmata explodant vel tanquam minus necessaria, vel tanquam absurda credituque nequaquam digna. Pessimos hosce fidei hostes ut oppugnaret dextre ac debellaret, arripuit gladium Spiritus, verbum Dei, non incaute prævidens, consensum Ecclesiæ, sive primitivæ sive modernæ, ad dirimendam hanc controversiam, judicem fore tantis ἀπιστίας patronis plane inidoneum, studioque partium laborantem. Non quidem latuit ipsum, etiam Scripturas sanctas ab adversariis suis vix pluris fieri, quam auctores alios profanos, quin minori sæpe reverentia examini subjici; non eo minus tamen suo sufficere arbitratus est instituto, si inter reliqua literarum monumenta præclara, hisce primus daretur locus. Eundemque mereri quoque τὰ ἱερὰ γράμματα, sive antiquitatem illorum spectes, sive rerum, quas complectuntur, argumentum, sive scriptorum existimationem divinorum; quæ tanta sane sit, ut neque Platonis, neque Aristotelis, neque Senecæ, neque Epicteti, neque Confucii Chinensis aliorumque veterum cedat auctoritati, quorum tamen sententiæ ob præclarum, quem ferant fructum, & diligenter colligantur ab eruditis, & avide a doctrinæ deditis imbibantur. Quibus de principio demonstrationis præmissis, ad antagonistas se convertit, eosque rogat, tum ut mentem præconceptis liberent opinionibus, tum ut veritatem scrutaturi ordinem sequantur a se constitutum, atque sic fore sperat, ut Christianorum fides compareat divina & vera & amplexu dignissima. Ordinem vero servat sequentem. I Demonstrat dari Numen aliquod supremum: II idem curare omnia & gubernare nutu suo sapientissimo potentissimo: III peculiarem existere revelationem de vero Deum colendi modo, cui fides ceu fundamento innitatur. Tribus hisce distincta partibus tota constabit tractatio, quarum duæ priores cum videantur recedere a scopo, fidem Evangelio propriam ex sacris Literis propugnandi, excusat se Auctor benevolo Lectori moderno Atheistarum incremento, quo impulsus ejusmodi ad lumen naturæ spectantia præmiserit, quæ alioquin plane præteriturus erat. Quamvis enim jam alii dudum demonstraverint providentiæ pariter atque

pag. 3.

4.

5.

existentiæ Divinæ veritatem, noluisse tamen super alieno ædificare fundamento; selegisse præterea argumenta ab aliis parum ponderata, & a rebus ubivis obviis petita. Quibus præfaminis loco de totius operis instituto dictis, partem primam, seorsim primo loco vulgatam, septem comprehendit capitibus, seu uti modeste loquitur, conatibus. Conatu itaque primo probare contendit, fidem esse atque fuisse, ab orbe usque condito, perpetuam justitiæ regulam. Ubi de voce quædam præmonet; fidem nempe seu τὸ credere esse vocabulum Sacræ S. proprium, (sicuti & aliis scriptoribus Historicis ac Philosophis peculiares dentur loquendi modi) & rem animo concipiendam apte adeo exprimere, ut qui nisi illud exponat, meliusque se substituturum sibi persuadeat, fastum prodat haud tolerabilem, quin Spiritum veritatis, qui ipsa quoque verba suggessit, ignominia afficiat. Dein Divinas testatur Literas, tam a Mose & Prophetis, quam ab Evangelistis & Apostolis exaratas, qui unanimi doceant consensu, fidem esse justitiæ radicem, cogitationum, sermonis, operationum quarumcunque bonarum originem, imo vitæ Deo placentis omnis animam, interprete Habacuco: *justus fide vivet* cap. II, 4. consentiente ei Apostolo passim, & maxime in epistola ad Romanos. Quapropter, quotquot unquam ab Abele usque exstiterint, sanctæ atque inculpatæ vitæ fama celebres, illorum opera ex fide esse profecta, Hebr. XI, quin in ipso adeo innocentiæ statu (eousque enim adscendit) fidem fuisse justitiæ vitam: legem enim de arbore vetita latam esse, ut fides exerceretur, transgressione autem ac peccato obedientiam una cum fide periisse. Hic tamen notari meretur, Auctorem in tam lato vocem fidei usurpare significatu, ut vel solam fiduciam, qua Dei veritati & potentiæ innititur, fidem appellet, non habito semper ad Sospitatorem nostrum ceu potissimam ejus basin respectu, quippe quo ante lapsum homo non indiguit.

Conat. 1.

Conat. 2. Et optaremus, dedisse eum nobis accuratam fidei definitionem: quam & ipse utilem fore rerum tam arduarum meditationi agnoscit, sed ob difficultatem aliis relinquit, sibi sufficere arbitratus, si a B. L. observetur, se talem intendere fidem, quam inter & justitiam perpetua detur relatio, qua sine nemo Deo placeat. Talem autem fidem omnem excludere dubitationem, Rom. XIV, adeo ut ani-

animus interne convictus sit omnino & certissime persuasus de omnibus, quæ vera & falsa, bona & mala, justa & injusta judicat. Nisi enim præcedat certa actionum nostrarum bonitatis conscientia, peccata esse quæcunque faciamus, temeritatisque ac denegatæ supremo Numini reverentiæ opera nostra redargui. Proximum a dubitatione locum ea inter, quæ fidei adversantur, adscribit Atheismo, certamque probat operationum moralium normam neutiquam posse constitui, nisi Deus existere credatur. Etenim qui nullum agnoscit superiorem, pro arbitrio semetipsum regit suo, principium functionum suarum erit, sibi ipsi ut placeat, adeoque bonum & malum ei dicetur, quicquid vel impedit aut promovet sua quod intererit. Ubi vero Deus statuitur summus omnium Dominus, æque parum ac servi, nostri manemus juris, potestatis ac dominii. Qui enim nos fecit, absoluta in nos gaudet potestate, adeo ut nostra omni jure dirigatur eo cura, quo ipsi placeamus, & voluntatem ejus tanquam legem & perpetuam boni malive mensuram constanter sequamur. Deum autem existere, tam evidens esse asserit, ut a quolibet sine ulla cognoscatur difficultate, sine omni ingenii acumine, sine eruditionis apparatu, sine multo labore ac studio: ubivis enim vix oculos aperienti præsto esse manifesta sapientiæ ac potentiæ Divinæ documenta, non obstante, quod Deus ipse lumen habitet inaccessum, 1. Timoth. VI. Quod ut aperte demonstret, stupendam Dei in formando homine sapientiam vivis pingit coloribus; modo delineat ac collustrat externam corporis figuram, partium varietatem, symmetriam, situm & proportionem; modo capitis, brachiorum, manuum, pedum aliorumque membrorum structuram & usum; modo internam nervorum, musculorum atque arteriarum texturam, modo animæ facultates & sensuum organa, iisque omnibus debita naturæ ac indolis cujusque repræsentatione tantam affundit lucem, ut quilibet, cujus subeant conspectum, fateri habeat, non fortuito hæc evenisse, sed summa inventa esse, fabricata & composita arte. Atque inde statim colligit: cum nihil producatur a nihilo, motus non detur absque motore, nec vita donetur nisi a vivo, nec artificium præstetur ab artis ignaro, oportere auctorem nostræ essentiæ infinita præditum esse sapien-

Conat. III.

Conat. IV.

Conat. V.

Conat. VI. pientia ac potentia, Deumque adeo existere. Sicuti autem ex prudentissima hac μικροκόσμυ fabricatione dilucide Deum demonstravit, ita simili μακροκόσμυ consideratione & repræsentatione idem efficit, pari usus argumentorum pondere. Quibus Conat. VII. si quis nihilominus præfracte reluctetur, Deumque negare constanter pergat, eum eo redigere studet, ut quæ illi ipsi & cujuscunque sani hominis judicio adversantur, imo absurda plane & ridicula, sentire cogatur ac defendere.

JOH. FRIDERICI REIGERI THEATRUM Juridicum Theoretico-Practicum. Opus posthumum.

Tiguri, sumptibus & typis Gesnerianis, 1705, 4.
Constat Alphab. 6. plag. 19.

Hunc librum, ut titulus loquitur, in eorum classe numeres, qui doctrinam Juris Civilis, ex ipsis legibus & probatis illarum Interpretibus haustam, in thesi perspicue satis proponunt, & in hypothesi quoque usum seu praxin ejus adhuc superstitem fideliter commonstrant. Expectare utique talem fas fuit ab Amplissimo Reigero, Jurisconsulto, dum in vivis esset, non nullius famæ, quippe qui sub tribus Electoribus Palatinis novissimis, Consiliarii Aulici munus, tum & per triginta annos Advocati in Curia partes obivit, adeoque judicium, longa rerum experientia subactum, ad opus hocce concinnandum attulit. Is etenim omissis inutilibus & antiquatis titulis, ceu in præfatione ipsemet testatur, Jus Theoreticum secundum rubricarum in Digestis seriem, per causas & definitiones, divisiones ac regulas ita disposuit, ut non solum multas quæstiones dubias excussas dederit, sed etiam singulis titulis, qui quidem non abiere in desuetudinem, pro substrata materia, unam alteramve libelli supplicis aut implorationis judicialis formulam, vernacula lingua, & stylo regionibus Superioris Germaniæ accommodato conceptam subjecerit, quo & tyronibus, & in foro versantibus, opera sua quam plenissime prospiceret. Cæterum in privatum saltem commodum, non publicum labori se manus admovisse fatetur, sed dum amicis ejus co-

copiam liberaliter concessit, aliis passim innotuit opus, atque ab iisdem expetitum fuit, quorum fortasse desideriis victus, in publicationem ejus consensit, licet, antequam typis describi potuit, fata sua expleverit Autor. Nulli vero dubitamus, quin juris artem excolentes Manibus ipsius bene sint precaturi, eo quod actionum formulæ hic obviæ ea cum diligentia elaboratæ apparent, ut quilibet vel mediocri judicio pollens alias pro re nata sibi fingere possit, si negotium forte non admittat hic in medium adductas.

CHRISTOPHORI FRANCKII, S. THEOL. D. ET Professoris quondam primarii, brevis & liquida Demonstratio Deitatis Christi, qua simul JONÆ SCHLICHTINGII a BUKOWIEC Exceptionibus occurritur. Opus postumum, editum a WOLFGANGO CHRISTOPHORO FRANCKIO, Ecclesiæ Kiloniensis Ministro.

Kiloni, apud J. S. Richelium, 1705, in 4.
Constat Alph. 1.

PLuribus editis contra Wendelinum & Limborchium disputationibus, maxime Reverendus Franckius, egregius, dum viveret, Antesignanus militantis Ecclesiæ, Calvinianorum & Arminianorum dogmata refutavit. Præsenti vero opere Socinianos oppugnare constituit. Ansam laboris præbuit Jonas Schlichtingius, emissa adversus Balthasarem Meisnerum *de S. S. Trinitate, de Moralibus Novi & Veteris Testamenti præceptis, itemque de sacris Eucharistiæ & Baptismi ritibus* Disputatione. Ediderat namque Meisnerus *brevem Considerationem Theologiæ Photinianæ*, Fausti Socini libro suasorio, A. 1611 Racoviæ impresso hoc titulo, *quod Evangelici omnino deberent se illorum Cœtui adjungere, qui falso Ariani & Ebionitæ vocentur*, oppositam; quam Schlichtingius refutare in dicta illa sua Disputatione molitus est, in qua præcipue in arduam illam de Divinitate Jesu Christi controversiam omnes industriæ & ingenii nervos, quibus plurimum valuit, intendit, ut prolata a Meisnero argumenta refelleret. Hinc primam etiam

hujus Disputationis partem sibi summe Reverendus Franckius examinandam elegit in præsenti opere, quo Jesu Christi Divinitatem assertum ivit, non omnibus equidem, quæ adversarium urgere videri poterant, ex Scriptura Sacra conquisitis rationibus, sed tribus tantum selectis, quæ hostem eo magis constringerent, quo arctius omnem elabendi viam, additis vindiciis, præcluderet. Sed ne solo tamen argumentorum pondere vinceret, ipsa quoque Schlichtingii in dicta Disputatione repetita, & novis exceptionibus defensa quinque Dubia contendit tollere. Et huic pie defuncti Parentis sui labori tantum confidit admodum Reverendus ejus Filius, qui posthumum hoc opus publico donavit, ut omnes intentiori cura illud legentes, præjudiciorumque tenebris minus obfuscatos, nec rationis imperio succumbentes, convicturum speret. Sub initium status quæstionis proponitur, de qua inter Socinianos & Orthodoxos disputari solet hactenus. Et quoniam in eo constituendo Sociniani sunt admodum lubrici, quo facilius imponant minus cautis, de eo quæri Auctor Reverendus dicit: an in Christo præter humanam, Divina natura sit, voce naturæ, prout substantiam, non qualitates designet, accepta? Quod postquam asseruit, & Socinianorum in tegendis fraudibus astutiam detexit, argumentum primum ex Epistola ad Rom. c. VIII, 32 adducit, ubi *proprius* Dei Filius Christus dicitur, quod de essentiali capiendum, ex ipso vocis usu Franckius concludit, Schlichtingiique exceptionibus respondet. Secundum argumentum ex Ep. ad Hebr. c. I, 10 & 11 translatum est, quo de Christo prædicat Apostolus, quod initio terram fundaverit, & cœli sint manuum illius opera. Quæ verba cum ad Filium male referri regerat Schlichtingius, aptiusque convenire putet Patri, cujus quoque hic fiat in textu mentio; contrarium evincere textus accuratiorem considerationem, Franckius probat, cum in antecedentibus manifeste de Filio agatur, quæ cum hisce per copulantem particulam cohæreant. Tertium argumentum ex cultu per mandatum Christo exhibendo, petitur, quod Deitatem ejus arguat, cum alibi omni creaturæ talis denegetur in sacris Literis. Tribus hisce rationibus cum satis comprobasset Christi Salvatoris essentialem Deitatem maxime Reverendus Auctor, promovet pedem ad quinque argumenta, qui-

quibus dogma Trinitatis in S. Literis damnari, jam olim demonstrare conatus est Socinus, a Meisnero refutatus, postmodum a Schlichtingio novis exceptionibus defensus, quas hic discussas iterum ac displosas videas.

MEMOIRES POUR L' ATTAQUE ET POUR LA defense d' une place par Monsieur Goulon, Ingenieur & General de l' Empereur.

i. e.

COMMENTARII DE PRAXI MILITARI OFFENsiva & defensiva.

Hagæ Comitum, apud H. van Buldern, 1706. 8vo.
Constant plag. 13. & 4 tabulis æneis.

QUi Architecturas militares conscribunt, munimentorum equidem constructiones satis accurate tradunt; sed ubi ad praxin offensivam & defensivam deventum est, in plerisque scriptis multi observantur defectus. Et quia resolutiones problematum militarium non secundum certas regulas a priori eruuntur, sed fortunæ magis, quam ingenio debitæ, ab experientiis defectus antecedentium resolutionum manifestantibus derivantur; non mirum, quod praxis prædicta non prorsus eadem constanter maneat, sed indies fere mutetur multum, die diem docente. Unde consultum erat, ut, stante hoc rerum statu, viri prudentia militari prædíti, & in obsidionibus ipsimet præsentes, quæ fiunt & quo successu fiant, in diariis suis, quoad maximas minimas circumstantias notarent, atque cum publico communicarent, quo non solum, quid nunc fieri soleat, constet, verum etiam defectus, si qui adfuerint, appareant, ipsisque medela quæri possit. Præstitit id ob prudentiam militarem per Galliam, Hollandiam & Germaniam famigeratissimus Goulon, dum ex locorum obsidionibus & defensionibus, quibus interfuit, regulas praxeos offensivæ & defensivæ condidit, eamque tam accurate, tam plene descripsit, quam factum antea non est. Gratum igitur hunc laborem fore tum illis, qui Artem, quam vocant, Fortificatoriam alios edocent, tum iis, quibus arma tractare volupe, admodum

utilem, nulli dubitamus. Specialiora non addimus. Quod si enim integrum oppugnandi & defendendi processum exponere liberet, toti exscribendi essent commentarii. Cur vero unum aliquod reliquis præferatur, ratio apparet nulla.

FUNDAMENTA JURIS NATURÆ ET GENTIUM ex sensu communi deducta, in quibus ubique secernuntur principia honesti, justi atque decori, cum adjuncta emendatione ad ista fundamenta Institutionum Jurisprudentiæ Divinæ, in usum Auditorii Thomasiani.

Halæ, apud viduam Christophori Salfeldii, 1705. in 4to.
Constat 1 Alph. plag. 2.

DUo sunt, quæ in veritatis inquisitione plerosque remorantur, autoritatis & philavtias præjudicia, quorum illud efficit, ut ab aliis tradita cœco impetu amplectamur, & antecedentium sequamur gregem; alterum ut nostris opinionibus tenacissime inhæreamus, easque acerrime defendamus, non quod veriores eæ sint nobis, sed ne nos a vero aliquando aberrasse videamur. Ab utroque omni tempore sedulo sibi cavendum duxit Celeberrimus Thomasius, ac non a communibus modo hypothesibus sæpius, sed a suis quoque placitis recedere haud dubitavit, quoties cogitationes posteriores priores reddiderunt dubias. Fidem iis, quæ diximus, nisi alia recentissima imprimis Thomasiana opuscula conciliarent, vel sola hæc Fundamenta J. N. & G. facere possent, in quibus id omni opera, omni ingenio egit Vir Consultissimus, ut ex communi potius sensu & rationis ductu, quam ex suis aliorumque principiis, naturam honesti, justi atque decori exponeret. Quin & uti in Institutionibus Jurisprudentiæ Divinæ a plerisque Juris Naturalis Interpretibus recessit, ita in hoc opusculo a se ipso sæpius dissentit, atque ea, quæ antea scripserat, ad ista Fundamenta emendari jubet. Hinc in capite procemiali fatetur, se hactenus cum Grotio & Pufendorffio laborasse eo præjudicio, ut hominis naturam ex aliorum opinionibus, non ex sollicita ipsius consideratione æstimaret, ac in Jurisprudentia Divina a se edita gravissimum

mum retinuisse errorem de imperio intellectus in voluntatem, ex quo necessario flueret, homines ejusdem omnes esse naturæ, ut alias corporum naturalium species infimas, quod non minus erroneum esse monet. Sed & hactenus Legem Divinam Naturalem pro Lege proprie sic dicta a se fuisse habitam, cum non nisi laxius ita & improprie appellari possit, pœnasque divinas ab humanis antea se non satis secrevisse, cum tamen illæ naturalem prorsus cum ipsis vitiosis actibus connexionem habeant. Jus Divinum universale positivum quondam se primum stabilivisse, sed & idem primum se iterum destruxisse; adeoque emendatione indigere plerasque positiones, quas olim huic hypothesi superstruxerit. Sequitur *Lib. I cap. I* de natura hominis morali, ubi observat Excellentissimus Autor, sedem voluntatis in corde, intellectus in cerebro esse constituendam §. *15*. Voluntatem esse concupiscentiam cordis, conjunctam semper cum cogitatione intellectus §. *35*; eandem cogi posse a rebus aliis ipsam excitantibus, ab intellectu non æque §. 50. & 66; unde nec primi motus seu conatus voluntatis imputari possint, quia ipsa voluntas haud sit spontanea §. *72*. Eandem normam intellectus sequi posse negat, cum judicare ea nequeat, utrum intellectus rectus sit an corruptus §. *97*. Diversam hominis ac reliquorum animalium naturam §. *101. seqq.* prolixe exponit, cum ex actionibus naturalibus unius vulpis aut simiæ de omnibus ejusdem figuræ judicium ferri possit, in homine ab uno ad reliquos inferre non liceat; hinc cæterorum animalium facies simillimas, hominum dissimillimas esse, ex quo de diversis eorum affectibus & passionibus constare censet. *Cap. 2.* de passionibus animi agit, ubi tres primarios affectus, voluptatem, ambitionem ac avaritiam, spem vero, metum, tristitiam & gaudium passiones animæ ortas ex sensu potentiæ alterius adjuvantis, vel impedientis, esse statuit. Inquirit in naturam metus & spei, expenditque diversum affectuum primariorum habitum doctrinamque de imputatione longe aliter, quam communiter quidem fieri solet, tradit. *Cap. 3.* varios hominum mores & bona explicat. Illos in bestiis negat variare §. *1.* in homine tamen variare statuit, quia homines non eandem habeant essentiam, ac longe magis inter se quam canis a cane

 dif-

differant §. 11. Hinc de origine præjudiciorum disserit, ac tandem naturam ac indolem diversam hominum ex diversis passionibus eorumque commixtione oriundam perscrutatur. *Cap. 4.* normam actionum humanarum constituit duplicem, consilium & legem. Consilium neminem nisi sapientem posse præstare, paucos autem esse sapientes. Minus vero recte vulgo dici, consilium non habere vim obligandi, cum obligatio nihil aliud sit, quam inclinatio voluntatis per metum injectum & suscitatam spem. Quod æque præstare possit sapiens, quam Princeps. Eleganter hoc loco officia Doctoris & Principis inter se confert Vir Celeberrimus, & utriusque characterem esse statuit voluptatis ac ambitionis mixturam, Doctoris si voluptas, Principis si ambitio aliquantulum emineat §. 84. *Caput V. de Jure Naturali & Gentium* agit, voces legis & obligationis expendit, quas alio plane Thomasius sensu accipit, ac vulgo usurpari solent. Deum dicit a sapiente rectius ut doctorem concipi, quam ut legislatorem, magis ut patrem, quam ut dominum §. 40. 41; ex hoc fluere, Jus Naturale esse etiam respectu Dei immutabile §. 44. ac actus, circa quos Jus Naturæ versatur, recte per se dici malos aut bonos §. 52. Tandem *6. Cap.* in principium Juris Naturalis & Gentium inquirit, ac rejectis aliorum sententiis, etiam ipsa socialitatis custodia, quam alias defendit, hoc subjicit Juris Naturalis perspicuum, adæquatum & unicum fundamentum: ea esse facienda, quæ vitam hominum reddant maxime diuturnam & felicem, felicissimam autem vitam esse, quæ & maximam laudem mereatur, & suavissime transigatur, & omnium rerum gaudeat sufficientia §. 29. Subjicit peculiaria honesti, justi & decori principia, quæ his propositionibus continentur: quod vis, ut alii sibi faciant, tu tibi facies: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: quod vis, ut alii tibi faciant, ipsis facies. Ultimum hujus libri caput normæ applicationem adjicit, in quo de præmiis & pœnis Autor disserit, ac imputationem actionum moralium non tolli, licet quis voluntati libertatem omnino deneget, prolixe tuetur. Atque ex his L. B. conjicere poterit, quam diversa hæc philosophandi ratio, quam aliena principia sint ab iis, quæ olim in Jurisprudentia Divina Consultissimus Thomasius asseruit. Unde Librum II. & III. ex his principiis emendavit, ac pas-

passim immutavit. Sed hæc singula, qui cupit cognoscere accuratius, ipsa Fundamenta hæc cum Jurisprudentia Divina Excellentissimi Autoris conferat: nos enim instituti nostri ratio ulterius progredi non permittit.

ANno MDCCVI. d. 6. Martii Collegam (nam & suam subinde symbolam ad hæc Eruditorum Acta contulerat) non sine mœrore amisimus, Virum amplissimum atque literatissimum, *Christianum Gryphium*, Gymnasii Magdalenæi, quod Uratislaviæ Silesiorum floret, Rectorem, Professorem atque Bibliothecarium Clarissimum. Natus is erat Fraustadii Polonorum d. 29. Sept. A. MDCXLIX Patre scriptis meritisque nobilissimo, *Andrea Gryphio*, Provinciali Ordinum Glogoviensium Syndico, Polyhistore, Oratore atque Poeta, in lingua præsertim vernacula, maximo. Quem cum adolescentulus amisisset, primum Gymnasii Gothani alumnus, postea Jenensis atque Argentoratensis Academiæ civis factus est; unde in patriam redux, Uratislaviæ anno MDCLXXIV in Gymnasio Elisabethano Græcæ ac Romanæ Eloquentiæ Professor declaratus, A. autem LXXXVI. d. 8. Aug. alterius Gymnasii, quod Magdalenæum dicitur, Rector atque Professor, ac deinde etiam A. MDCIC. Magdalenæi Templi Bibliothecarius constitutus est. Vir de omnibus, quas ornaverat, spartis optime meritus, disciplinæ scholasticæ vindex acerrimus, historiæ vero, multarumque Orientis ac Occidentis linguarum callentissimus. Cujus de Ordinibus Equestribus, (Ritter-Orden) compendiaria narratio A. M. DC XCVII, Sylvæ item Poeticæ, (Poetische Wälder) sequenti anno Lipsiæ typis exscriptæ fuerunt. Cæterorum, quæ præ manibus habuit, operum prælo quædam parata sunt, quædam vero tantum adfecta, & novimus certo, Virum doctissimum in recensendis *Biographis*, sive catalogo illorum, qui vitas ipsi suas scripserunt, in enarrandis *Poëtis Purpuratis*, *supplendisque Litteratorum infelicium indicibus*, *Lectionibus* item *sacris*, *Actibus* insuper *Dramaticis*, *Orationibus & Poematibus* scribendis multum temporis impendisse. Tanti Viri ex apoplexiæ impetu mortui jacturam, cui in Græcis pa-

parem hodie vix habuit Silesia, Uratislavienses Musæ acerbissime lugent, atque ipsum etiam inter Litteratos infelices ideo referunt, quod conjugem ultra XIV annos adversa valetudine conflictatam viderit, filium autem paterni nominis & virtutis æmulum non habuerit, unica filia, quæ Viro Clarissimo, Joanni Theodoro Leubschero, Gymnasii Magdalenæi Professori, in matrimonium elocata est, hærede relicta.

LIBRI NOVI.

Johannis Gersonii Opera omnia, novo ordine digesta & in V Tomos distributa, ad MStos codices quamplurimos collata, & innumeris in locis emendata, quædam etiam nunc primum edita: quibus accessere Scriptorum quorundam coætaneorum tractatus, nec non monumenta omnia ad causam Johannis Parvi pertinentia. Studio Lud. Ellies du Pin. Antwerpiæ, sumtibus Societatis, 1706. fol. Tomi V.

S. Gregorii Magni Opera omnia ad MStos codices emendata, aucta & illustrata studio Monachorum Ordinis S. Benedicti. Parisiis, sumtibus Claudii Rigaud, 1705. Tomi IV. fol.

Auli Gellii Noctium Atticarum Libri XX cum Notis perpetuis Joh. Friderici & Jacobi Gronoviorum &c. Lugd. Bat. apud Cornel. Boutensteyn & Jo. de Vivié, 1706. 4.

B. Dn. W. A. Lauterbachs JCti Collegii Theoretico-Practici a Libro XX Pandectarum usque ad Digestum Novum, Pars secunda. Tubingæ, apud J. G. Cottam, 1706. 4.

Balthasaris Bebelii, Ecclesia Antediluviana. Argentorati, apud J. R. Dulsseckerum, 1706, 4.

Jo. Henr. Maji Oeconomia temporum Veteris Testamenti. Francofurti ad Mœnum, apud J. M. a Sande, 1706. 4.

Joh. Nicolai Libri IV de Sepulchris Hebræorum. Lugd. Bat. apud H. Teering, 1706. 4.

Constitutiones de Jurejurando ex R. Mosis Maimonidis Opere היד החזקה *dicto Latine reddita & notis illustratæ a Justo Christoph. Dithmaro. Lugd. Bat. apud Cornel. Boutenstein. 1706. 4.*

** ** **

ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Junii Anno M DCC VI.

SAMUELIS BASNAGII ANNALES POLITICO-Ecclesiastici. Tomus tertius.

Roterodami, apud Regnerum Leers, 1706. in fol. Alphab. 10 ½.

POsteaquam tomum Annalium horum secundum nupero mense Martio p. 128 sq. recensitum dedimus, ad tertium denique, eumque ultimum, nunc pergimus, qui Seculum ante omnia *quartum*, quod præcedens jam ultra dimidium perlustraverat, absolutum exhibet, & per *quintum* atque *sextum* pergens, in *septimi* initio subsistit.

E *quarto* Seculo (cujus memorabilia, in secundo tomo adducta, nostra in relatione præteriimus, ne nimis hæc excresceret,) sequentia notamus. Lampsacenam Synodum anno 364 alligat, & eam ex Orthodoxarum classe eliminat, cum de Spiritus Sancti divinitate male in eadem constitutum fuerit. Apollinaris hæresin- dum considerare aggreditur, autorem omnino fuisse Episcopum, utut secus visum fuerit aliis, pronunciat. Damasi, Pontificis, luxum exagitat, sed & affictas ei epistolas explodit. Cæsario, fratri Gregorii Nazianzeni, Dialogos, qui ejus vulgo nomine ornantur, abjudicat. Gangrensem Synodum A. 369 coactam videri affirmat, & Eustathium, qui ei ansam præbuerit, a Sebasteno diversum facit, neque tamen, ut velit Baronius, ejus loco Eutactum nominandum esse concedit. Vitæ a Basilio M. transactæ breviarium accuratum sistit, interque alia, utrum Diaconus fuerit? addubitat, Episcopatum vero eundem anno demum 371 obtinuisse,

[Margin: pag. 3. sq. — 5. — 13. — 14. 21. — 23. — 24. — 26. — 30.]

33. nuisse, tradit. Melaniam Consulari sanguine procreatam celebrat.
37. Athanasii mortem in anno 373 collocat, & librorum ejus proli-
41. sq. xam chronotaxin nectit. Circa Gregorium Nazianzenum ejusque
46. 47. vitam diu occupatur. Nec Epiphanii Ambrosiique dememinit.
50. Duas simul uxores Valentinianum habuisse negat, eumque non-
nisi defuncta Severa, Justinæ nuptias adeptum fuisse perhibet.
51. Ephremi ubi meminit, canticis præsertim sacris Ecclesiæ ipsum
non minimum profuisse observat. Ante Ulfilam nullum in lin-
gua vernacula Scripturarum Gothis usum fuisse, creditu censet
difficillimum, quandoquidem illi jam A. 320 Episcopum suum
ad Nicænam Synodum ablegarint. Id ergo potius verosimile
52. arbitratur, Ulfilam vel partem Bibliorum aliquam, nondum Go-
59. sq. thice versam, in hanc linguam transfudisse, vel novam sane
translationem adornasse. Vitæ Hieronymi imaginem cum cura
repræsentat. Diodorum Tarsensem a culpa, quod fons Nesto-
61. rianismi fuerit, liberare contendit. Aschalium Thessalonicen-
67. sem a pietate sua celebrat. Basilium M. & Ephremum, qui prio-
70. sq. rem cantu velut cygneo dilaudarit, eodem anno, nempe 380 obi-
73. isse memorat. Cæsar-augustanam Synodum damnandis Priscil-
75. liani erroribus congregatam describit. Damasi autoritate Syn-
80. odum Constantinopolitanam A. 381 coactam inficiatur, & in ea
non septem, sed tres duntaxat Canones conditos fuisse statuit, &
80. inter hos secundum, qui Episcopo Constantinopolitano primatum
post Romanum Episcopum conferat, quem alii quidem frustra
87. pro commentitio venditare satagant. Fabulam, qua nonnulli de-
lectentur, asserentes, Hieronymum ad Cardinalis apicem Romæ
a Damaso evectum fuisse, ridet. Hieronymum frequentiorem
97. τ̃ Allelujah usum Romæ introduxisse, non abnuit, & varia de vo-
cis hujus ortu, usuque tam publico quam privato commentatur.
98. Libri Pontificalis autorem esse Damasum, nulla ratione concedit.
104. Gervasium & Protasium, novos sanctos, ad Ambrosianam ætatem
112. usque prorsus incognitos nuncupat. Hymni, *Te Deum lauda-
122. sq. mus*, autor ut incertus sit; sic certum, quod is Ambrosii non sit,
pronunciat. Circa Theodoreti narrationem de Theodosii absolutione,
dubia nonnulla movet. Legem Theodosii adversus mulierum
123. tasuram latam comprobat. Gregorii Nazianzeni Testamentum
pro

pro sincero ut agnoscat, induci non vult. Caput Johannis Baptistæ a Theodosio translatum fuisse, non agnoscit. Publicam Nectarium pœnitentiam extinxisse, errorem Petavii immanem, tantoque viro indignum appellat. Graves esse dubitandi de veritate Canonum CIV Synodi Carthaginensis quartæ rationes judicat, istosque Canones universos atque singulos recenset, & præter alia Canonem, qui mulieribus ministrandi baptismi facultatem negat, cum Latinorum disciplina aperte pugnare observat. Cœlestis Deæ templum Carthagine in Ecclesiam mutatum dum allegat, quænam sit cœlestis illa Dea? dispicit, & eandem Lunam esse affirmat. pag. 125. 128. 131. 163. 165. 173.

Seculum *quintum* ingressus, circa Synodum ad Quercum, Chalcedonis suburbium, habitam aliquandiu detinetur. Chrysostomi ad Papam Innocentium provocationem enervat. Unitatis Catholicorum cum Donatistis faciendæ rationem A. 405 susceptam, nec rectam fuisse, nec laudabilem autumat. Translationem reliquiarum Samuelis A. 406 factam, religionis quidem ex amore manasse concedit, veræ tamen sapientiæ expertem dicit. Vigilantium, cujus famam misere laceravit Hieronymus, Gallum constituit, & in causam Hieronymiani adversus eum odii inquirit. Chrysostomum annos natum sexaginta A. C. 407 excessisse, notat. Cœlicolas pro mediis inter Christianos & Judæos habet, qui ceremoniarum utriusque religionis mixtura unum Deum coluerint, addito novo baptismo. Palladium, Dialogi de vita Chrysostomi autorem, non discriminat ab alio, Historiæ Lausiacæ conditore. De Felice ad Nolanos obsessos post mortem invisente valde dubitat, & hac occasione de beatarum animarum in terras reditu, sibi non satis verosimili viso, confessionem edit. Ut, pravis licet adhuc opinionibus imbutus, sacris tamen undis ablueretur, & ad Episcopatum promoveretur Synesius, partim ejus eruditionem probosque mores, partim virorum, qui Episcopatu digni forent, penuriam, partim spem, quam de candido Synesii pectore in Christi religionem propendentis Theophilus conceperit, effecisse monet. Synesii vero Chirographum, in Evagrii sepulcro repertum, nullius dicit esse ponderis. Quod primum Bracarense Concilium putatur, pro figmento habet. Pelagium hæreticum ab aliis eo- 197. 204. 214. 215. 217. 220. 230. 234. 237. 240. 241. 252.

255. dem nomine insignitis, & cum isto confundi solitis, studiose dis-
257. tinguit, ejusque non minus ac Cœlestii dogmata perpendit. Lu-
268. ciani de Reliquiis Stephani relationem confutat. Errores Pelagii
ad tria potissimum capita reducit, utpote quando asseruerit: gra-
tiam hominum meritis a Deo tribui; mortales, dum corpore
utuntur, immunes peccati esse posse; infantes vitii originalis pu-
277. ros in lucem emitti. Milevitani quod ullos in Pelagium canones
286. ediderint, haud largitur, at Carthaginenses tales in eundem strin-
339. xisse concedit. Nestorium ab hæresi, duas in Christo personas
378. efficiente, liberum pronunciare nititur. Vincentium Lirinensem,
qui & Commonitorium & Objectiones condiderit, Semi-Pelagia-
379. norum lue afflatum sistit. Prosperum Aquitanicum Laicorum,
380. quam Episcoporum, numero inserere mavult. Sedulius num
391. presbyter fuerit? in medio relinquit. Socratis Historiam a labe
394. Novatianismi purgat. Ex Leonis Epistolis tres ipsi abjudicat. Qui-
404. bus gradibus ad Metropolitani autoritatem Arelatensis Præsul
415. ascenderit, declarat. Quod Paschæ Pentecostesve feriis baptismus
417. ab Apostolis affixus fuerit, inficiatur. Commentum, quod raptus
in cœlum puer ex eo trisagium attulerit, explodit. In Petro Chry-
sologo ea, quæ hoc cognomen mereantur, desiderari ostendit.
447. Synodum Chalcedonensem a Marciano, non a Leone, coactam
453. ait, præsidesque illius in Politicos & Ecclesiasticos distinguit, ac post
455. ejusdem acta latius exponit, Canones item recenset, aliaque huc
467. pertinentia. Rogationum institutionem Mamerto Viennensi adju-
511. dicat. Occasione legis a Leone latæ, qua confugis ad Ecclesiam
520. asyli jus assertum fuerit, de ipso hoc asyli jure generatim disserit.
535. Prædestinatianorum hæresin commentum appellat, ex Augustini
553. doctrina deductum. Zenonis Henoticum haud improbandum
558. censet. Epistolas Græcas Leonis Romani inter figmenta rejicit.
650. Synodum Constantinopolitanam, quæ in Gnapheum ab Acacio
568. directa dicatur, subditam vocat. Acacium nulla hæresis conta-
576. gione pollutum credit. Chartæ puræ ut inscriberetur ab angelo
583. successoris Acacii nomen, Zenonem optasse haud putat. Gelasium
593. Papam non pro Afro, sed pro Romano venditat. Columbam ad
ungendum Chlodovæum ampullam attulisse, sibi minime persua-
det. De Autore decreti circa libros apocryphos pendet animi,

Gela-

Gelasiusne is an alius, dicendus veniat? At iis, qui librum de duabus naturis Gelasio evellant, prolixe respondet. pag. 595. 596.

Sed pergendum nobis est ad *sextum* Seculum, e cujus memoralibus hæc in specimen libamus. Græculos cum suis de Anastasio Imperatore fabulis valere jubet. Adversa Boethii fata latius recenset, eumque non gladio, sed fustibus, occisum narrat. 642 668.
Theodoricum a Johanne Papa & Symmacho in ollam Vulcani jactatum ridet; Johannem vicissim Papam in carcere obiisse docet, 675.
ejusque Epistolas pro genuinis agnoscere detrectat. Justinianum 677.
analphabetum vocari, nullus patitur. Vigilii ad Patriarchas epi- 680.
stolam, genuinum esse Autoris fœtum contendit. Ejusdem Vi- 735.
gilii a Pontificatu abdicationem, meram censet fabulam. Festum 747.
Purificationis Justiniano deberi autumat. Miracula a Gregorio M. 752.
narrata occasione Totilæ rejicit. Benedicti, patris monachorum 756.
celeberrimi, miracula mendaciis accenset, inque eandem classem 760.
& miraculum a Christi imagine in Edessæ obsidione patratum se 763.
conferre jubet. Librum Justiniani in tria Capitula non amplius 765.
extare, & in scriptis Justiniani frustra quæri innuit. De institutis 906.
a Gregorio M. Litaniis, deque conficta ejus ad Pontificatum evitandum fuga, & de rustico Bituricensi, pro Christo se venditan- 910.
te, quæ commentatur, notatu digna omnino sunt. Cosroën 914.
Christianum factum, haud existimat. Privilegium S. Medardi νοθείας insimulat. Circa Pallii usum & naturam describendam 923.
paululum occupatur, cum ejus in Historia Ecclesiastica mentio frequenter admodum occurrat. Gregorianam Augustini, Romano Gregorii monasterio præfecti, & sociorum in Angliam 931.
missionem statuminat.

Ex Seculo *septimo*, cum annum modo primum & secundum strictim persequatur Noster, vix est, ut quicquam huc transferamus, nisi forsan Mauritii cædem, & Phocæ inaugurationem, inter notabiliora horum temporum referre quis voluerit. Optamus autem, ut parili cum industria & Seculorum subsequentium historiam, ecclesiasticam cumprimis ac literariam, illustratam Autor Eruditissimus nobiscum posthac communicare dignetur, viresque animi & corporis, arduæ huic provinciæ feliciter ornandæ idoneas, eidem serio apprecamur.

AULI GELLII NOCTIUM ATTICARUM LIBRI XX, prout superſunt, quos ad libros manuſcriptos novo & multo labore exegerunt, perpetuis notis & emendationibus illuſtraverunt JOHANNES FREDERICUS & JACOBUS GRONOVII. Accedunt CASP. SCIOPPII integra manuſcriptorum codicum Collatio, PETRI LAMBECII Lucubrationes Gellianæ, & ex LUD. CARRIONIS Caſtigationibus utilia Excerpta, ut & ſelecta variaque Commentaria ab ANT. THYSIO & JAC. OISELIO congeſta.

Lugduni Batavorum, apud Cornelium Boutestein & Johannem du Vivié, 1706. in 4to. chartæ auguſtæ.
Conſtant 5 Alph. 11 plag.

NOva hæc A. Gellii editio omnibus, quæ anteceſſerunt, jure meritoque præferenda eſt. Multi quidem præſtantiſſimo huic Auctori manus admoverunt, ſed nemini res felicius ceſſit, quam poſt labores diuturnos clariſſimis Viris, utrique Gronovio, Patri atque Filio. Qui olim Gellium recenſuerunt, aut aliquid in ipſum meditati ſunt, quanquam multorum lucubrationes, abruptæ fato, in lucem non prodierunt; hos poſt præfationem clariſſimus Editor enumerat, quos inde repetere ſuperſedemus: nec vero facile inventum aliquid admodum inſigne fuit, antequam Salmaſius primum, deinde Lambecius Bibliothecæ Pariſiorum Regiæ antiquum optimumque codicem cum editis exemplaribus contulerint. Seculi, quod nuper finivimus, annus circiter quinquageſimus erat, cum Vir ſummus Jo. Fridericus Gronovius animum ad novam Gellii editionem applicaret: ſed tarde opus proceſſit, & plurimum temporis in apparatu veterum librorum, unde opem vulneribus hujus Auctoris, temporum inflictis injuria, adferret, extractum fuit. Nihilominus otii ſui horas etiam Gellio impendit, ſæpe tamen revocatus ad alia ſcribenda, in quibus expeditius verſabatur, quam in auctore tam multis locis deſcribentium incuria, vel audacia etiam, depravato. Totam hiſtoriam, quantam ex relictis a Patre ſubſidiis ac chirographis cognovit, clariſſimus Filius in præfatione expoſuit. Primo Gryphianum librum ipſe Pater, cum

cum juvenis eſſet, variis lectionibus ex aliquot codicibus, per notas ſignatis, quos Memmii & Chifletii fuiſſe conjicitur, oneravit, a libro IX usque ad finem operis. Deinde in manus venit collatio duorum Regiæ Bibliothecæ codicum, quos inſtar omnium eſſe noverat, vel a Salmaſio, vel a Lambecio inſtituta, quo theſauro lætatus, nec dum vero publicavit, ſed alia tempora, dum plura inveniret, opperiri maluit. Acceſſit Joh. Schefferi MS. codex, quem a Berneggerianis hæredibus dono acceperat, non quidem antiquiſſimus, membranaceus tamen, & qui nonnullis locis lucem adferret. Bernardus quoque Rottendorfius vetuſtum codicem MS. & forte etiam primam editionem Romanam (nam utrumque promiſerat) ſuppeditavit, unde in Notis ſæpe *Rott.* conſpicitur, quo hic liber vetus indicatur. Denique ad eum venit editio, continens Aſcenſiana ſcholia cum Ægidii Maſerii & Petri Moſellani adnotatis, quo exemplari Henricus Stephanus uſus, oram ejus paſſim conſcripſerat. Hunc librum, uti adſcriptum erat, cum duobus codicibus Regiis Bourdelotius contulerat, etiam cum MS. Frederici Morelli. His inſtructus ſubſidiis pater Gronovius, Gellianam, quam tot annos meditatus fuerat, editionem denuo aggreſſus eſt, & licet tres collationes cum Regiis codicibus haberet; fuerunt tamen non pauca, de quibus amplius dubitaret, quos ſcrupulos per Filium, qui tum Pariſiis agebat, antiquiſſimi codicis nova evolutione ſibi eximi feliciter curavit. Cum ſic omnia adeſſent, quæ deſideraverat, & ipſe jam ſtrenue in emendando & illuſtrando pergeret, mortalitate interceptus fuit, poſtquam vix decimum librum abſolverat.

Interea Antonius Thyſius Gellianas Noctes properabat edere, ſed cum undecimus imprimeretur liber, fato & ipſe præventus eſt, neque plura in ſchedis, quam pro libro duodecimo, reliquit. Pertexuit telam Jacobus Oiſelius, & quo filo cœpta erat, eodem, id eſt ſine cura critica, continuavit. Sic prodiit Gellius A. 1666, nitidus ſane externa forma, & multis onuſtus adnotationibus, non autem ſanatis, quæ intus latebant, vulneribus; quamvis titulus *accuratam recenſionem* prædicabat. Nec melius Auctori huic editione Pariſina Jacobi Prouſtei A. 1681 conſultum fuit, quia præſtantiſſimum Bibliothecæ Regiæ codicem, unde ſalus

lus Gellio ab aliis petita est, ne inspexit quidem, ubique vulgatos libros secutus. Multum in utraque editione desideravit Gronovius filius, eaque re inductus, boni publici causa, Parentis labores Gellianos, quamlibet imperfectos, A. 1688 publicavit, ut omnibus probaret, qua cura & studio hic Auctor tractandus ei esset, qui novam eamque meliorem editionem velit procudere. In præfatione, tam hujus quam novissimæ editionis, exemplis monstravit, quam parum purgatæ superiores, quas diximus, editiones sint: verbi gratia II, 22 Prusteus *meridionalem ventum* cum vulgaribus libris retinuit, cum ex Regio dudum ostendisset Salmasius, *meridialem* legendum esse, quod Gronovius pater ex Rottendorfiano confirmavit.

Defuncto Patre Filius non festinanter, quæ reliqua erant, continuavit, sed caute & circumspecte, ut decet in edendis libris, egit, dum plura colligeret, quæ ad supplendas Patris schedas, quas pro reliquis etiam libris reliquerat, aliquid adferrent. Opportune autem accidit, ut præter ea, quæ ipse ex Thuaneo codice enotaverat, doctissimus Frater quoque, ex codice S. Marci apud Florentiam, quædam excerpta, futuræ & pleniori editioni submitteret. Quibus excitatus, maxime autem antiquissimi Regii, quem contulerat, memoria (cujus scriptura in dies, ut suavior molliorque & enucleatior, ad sententiam magis magisque placebat) alacrior factus ad augendum supplendumque, quæ Pater optimus fataliter abrupta reliquerat, instituit primum eadem via, quam ille inierat, progredi, hoc est emendato textui solas necessarias ac utiles Notas subjicere; sed circumegit eum librariorum, quæ nullo consilio vinci potuit, voluntas obstinata, qui Thysii Oiseliique adnotationes, in quas sibi jus vindicabant, readjungi postularunt. Quibus tandem hactenus concessit, ut resecaret superflua & aliena, quæ nihil ad Gellium illustrandum faciebant, quibus sæpe integræ pagellæ in istis commentariis expletæ erant: in eorumque vicem subjiceret partim indicia locorum, unde exscripta illa erant, partim Lambeciana repetitu digna, & si quid probabile aut suum Philippus Carolus protulerat. Sic perfectissima hæc editio tandem prodiit, quæ Gellii verba emendatissime, quod nunquam ante factum, exhibet, & omnia eo ordine

ne exhibet, quo in vetustissimis membranis visuntur constituta esse: ut primo loco sit ipsius Gellii in suas Noctes Præfatio, quæ perperam in plurimis vulgatis adjungitur extremi libri capiti ultimo, quocum nullam connexionem habet. Deinde sequuntur Lemmata capitum per omnes viginti libros, etiam per octavum, qui deperditus est; cujus argumenta ex hoc Indice licet recognoscere. Postea sunt ipsæ Gellii Noctes Atticæ, in libros distinctæ & capita, & horum singulis suum lemma, ut uno conspectu antea proposita erant, suprascriptum est particulariter. Hæc de ordine, qui turbatus editionibus vulgatis est. Singulis etiam paginis subjectæ sunt Notæ Gronoviorum elimatæ & perpolitæ: etiam selectæ aliorum, recisis tamen, quæ nihil ad Gellii integritatem ac explicationem adferunt, aut melius aliunde, indicato loco, haberi possunt. Sequuntur sub calcem, seu post Noctes, notulæ, suspiciones ac variæ lectiones, quas ad oram exemplaris sui scripserat Casp. Scioppius usque ad XIV, 4: deinde addenda Notis: tum Indices varii, quorum primus Scriptorum est Græcorum Latinorumque, quos Gellius laudavit: secundus, Legum & aliorum monumentorum, itemque scriptorum incertorum: tertius, Rerum & Verborum in A. Gellio memorabilium: quartus, Græcarum vocum, quæ his Gellii libris sunt insertæ: quintus eorum est, quæ in Notis illustrantur: sextus & ultimus est Rerum & Verborum, quæ occurrunt in Notis utriusque Gronovii.

MEDITAZIONI FILOSOFICHE, &c.

i. e.

MEDITATIONES PHILOSOPHICÆ BERNARDI TREVISANI, Patricii Veneti. Quibus sequentia tractantur argumenta: I.) de rebus, quod sint, deque earum cognitione nostra. II.) de eo, quod est maximum & absolutum, nempe de DEO. III.) Quod DEUS creaverit mundum. IV.) Quod idem eum regat providentia. V.) Quod homini partem tribuerit immortalem, videlicet animam. Cum dilucido conspectu rerum singulis argumentis præmisso, atque ad intelligendam tractationem etiam atque etiam legendo.

Venetiis, apud Michaelem Hertz, 1704. 4.
Constant Alphab. 6. & 12½. plag.

POst Picos, Barbaros, Ficinos, Patritios, cæterosque illos Heroës, præcipuus nostra memoria extitisse videtur in Italia Illustrissimus Trevisanus, qui veterem philosophiæ gloriam sua opera instaurarit. Cujus quidem Viri gentem, vitam & institutum, ex *Epistola* Nobilissimi *Zeni*, superiore anno in his Actis, mense Decembri, pag. 549. & sequ. delibavimus; nunc ipsius Operis, tunc promissi, Volumen I. inspecturi. Partes hujus invenimus tres. Quarum prima rerum ac DEI præsertim existentiam, secunda Providentiam, tertia Animæ immortalitatem comprobat. Quælibet harum partium in sua Argumenta, & hæc in Meditationes tributa visuntur. Argumenta quidem V in universum, ipso Voluminis titulo expressa leguntur. Meditationes autem omnino XXXVI hæc ordine exponunt. 1. Esse res revera existentes. 2. Rerum, quæ sunt, varias nobis innotescere proprietates. 3. Cur multas harum vulgo ignoremus, inque his judicandis hallucinemur? 4. Esse rem unam omnium maximam atque absolutissimam, DEUM. 5. Stultos esse, qui negarint. 6. Quid hæc, Nihil, Vacuum, Chaos, Materia prima significent? 7. Æternitas, Principium, Tempus, quo pacto intelligenda sint? 8. DEUM absolute, atque ut creatorem hujus mundi, considerari oportere. 9. Creationem fieri potuisse. 10. Creationem, positis superioribus, necessariam fuisse. 11. Res non ferri Casu. 12. Non jactari Fortuna. 13. Casus & Fortunæ nomina esse inania, & causis ignoratis imposita. 14. Nec Fato res disponi. 15. Mentes rationales uti libera voluntate. 16. Huc semper accedere gratiam divinam. 17. Temperamenta & motus corporum non cogere voluntatem, sed esse causas subordinatas. 18. Tales etiam esse influxus corporum cœlestium. 19. Ejusmodi quoque esse actus Mentium separatarum, quæ Spiritus vel Intelligentiæ dicuntur. 20. Omnia immediate pendere a Providentia Divina. 21. Quæ ipsa alio modo dirigat mundum archetypum: 22. Alio cœlestem: 23. Alio Elementarem. 24. Quod ad DEUM & Providentiam attineat, non esse rerum parvarum & grandium dis-

distinctionem. 25. Omnia esse bona & justa. 29. Ideo mala bonorum & prospera impiorum, vel ex finibus incognitis proficisci, vel post hanc vitam compensari. 27. Necessario potentiam quandam superiorem Imaginatione esse. 28. Eam non proficisci ab harmonia partium, e quibus coagmentati sumus. 29. Eandem esse rem incorpoream. 30. Esse rem singulis hominibus propriam, non omnibus communem. 31. Ergo esse posse immortalem. 32. E propriis suis operationibus, intellectu, memoria, voluntate, necessario effici immortalem. 33. Frustra objici, quod eadem facultas in aliqua parte corporis per dispositiones accidentales agitata inesse videatur. 34. Quod sit hujus potentiæ & facultatis vitalis brutorum communis discrimen. 35. Dubitari tamen a quibusdam, possitne dici immortalis. 36. Novis ac gravioribus argumentis probari & demonstratione etiam concludi ejus immortalitatem posse. Conclusio denique ex his positis & confirmatis colligit, hominem obstrictum esse ad dirigendas secundum legem, quæ ad vitam futuram accommodata sit, omnes vitæ hujus actiones. Hæc est quasi facies egregii operis, in quo hunc ordinem servat Illustrissimus Autor, ut singulis Meditationibus primo dubitationem ponat, dein solutionem explicationemque rerum propositarum incisis minoribus distinctam subjungat. Exempli causa: Partis II, quæ est de Providentia, Meditatio XV, quæ in serie Meditationum omnium XXV fuerat, hæc ponit inscriptionis loco: vel non esse malum in mundo, vel a DEO illud non proficisci. Jam incipit dubitatio: *At si DEUS omnia curat, unde ergo ubique tantum mali? Unde, quæ potuerat fertilis esse tellus, ea vel procellosis maribus interrupta jacet, vel occupata montibus inaccessis? Quin, pro multitudine plantarum, quæ vitæ nostræ nihil prosunt, atque adeo venenum afferunt, pro tot animantibus infestis & nocentibus fecit, ut terra mitioribus animantibus habitaretur, plantisque & utilioribus & innocentioribus ornaretur? Cœlum cur non semper fundit gratas vicissitudines potius, quam ut tristes sæpe ac horridas invehat? Cur tam male lucem suam distribuit & calorem? Quare altero horum magnum mundi nostri spatium incommodum efficitur ad habitandum, altero, per longum tempus lumine privatur diurno?* p. 558. & sq.

Rober. Tole. l. 4. c. 5. *Videtur quidem audacius pronunciasse Alfonsus. Rex, se multis modis emendatius systema hoc cœli conditurum fuisse. At in mundo quidem nostro quis non possit cogitare cum ratione tollere res, quæ ablatæ incommoda minuerent; addere, quæ augerent emolumenta? Bene Plutarchus scripsit*, delirasse Sophoclem, cum diceret, quicquid quæritur, licet invenire; *siquidem revera multa multis desunt. Nam si quis videtur abundare rebus, hæ tamen ipsæ ægre desideriis ejus satisfaciunt. Atque hujus opulenti loco quot deinde sunt ita pauperes, ut vix precario gaudeant terra, quæ ipsos sustineat, vix anima sua ducant illum aerem, quem suspirando reddunt. Quid? quod ubique insidiæ, undique mors appetit. Id vero unum ex omnibus malis maxime movet, quod plerorumque horum, quæ hominum genus affligunt, atque ipsius mortis, quæ dirissima & intempestiva sæpe hominem rapit, ipse homo administer sit. Quod si nobis res tam malignas immisit DEUS, jam ne dicatur beneficus? Si ipse quidem non suggessit, saltem impedire nequit, num feratur omnipotens? Sin cum posset, non impedit tamen, ergo ne dicatur providens?* Hæc dubitatio. Sequitur enodatio. Non audietur quicquam horum, inquit Illustrissimus Trevisanus, nisi ex iis, qui veram rerum naturam ignorantes, quid sit bonum, discernere nesciunt. Nec intelligunt, quomodo a bono sit disjungendum malum: quomodo malum sit distinctim considerandum, atque a quo illud tandem proficiscatur. His de rebus eruditi videbimus, vel non esse malum in mundo, vel a Deo id non promoveri, sed permitti, ac permitti quidem non modo provide, verum etiam juste.

(de for. — margin note beside "emolumenta? Bene Plutarchus scripsit")

§. I. - - *A Gadibus usque*
Auroram & Gangem pauci cognoscere possunt
Vera bona;

ait aliquis, etsi præjudiciis idem obtenebratus, ex antiquis. Possint autem in eo aberrare omnes, & aberrant, quotquot a cognoscenda re hac pulcherrima inferiores facultates, quæ admodum contaminate vident, non excludunt. At si mens sola in se ipsam intenta exquirat ideas suas maxime nobiles, maximeque sublimes, quid sit bonum, in præstantissima sua idea percipiet.

II. Ari-

II. Aristoteles, quod hæc non spectaret, in magno hoc conatu sæpe erravit. Dixit *bonum* esse, *id quod expeteretur.* Verum, in ea appetitionum nostrarum multitudine, unane ad bonum aspirat, an omnes? Si omnes, quam illud bonum erit varium? quam instabile? imo quam falsum? Sin una sola, & quæ erit hæc tam sana & prudens appetitio? Quis eam in numero tot stultarum infirmarumque, satis dignoscet? Nec Plato prorsus collineavit. Cum enim diceret, bonum id esse, quod sibi ex se sufficeret, rem quidem veram dixit, non tamen satis tutos nos reddidit atque idoneos ad eam discernendam. Campum nobis aperuit, in quo vagaremur ad bonum illud inveniendum metiendumque mobilibus desiderii fictionibus. Non eo tamen minus obscure dixit Epicurus. Qui cum bonum voluptate conclusit, coegit homines tam varium fingere illud bonum, quam varia sunt illa idola, quæ affectus ipsorum confingunt.

III. Sublimium horum ingeniorum decreta facile assensum inter mortales invenerunt. Eaque re factum est, ut in constituendo bono, contrarioque ejus malo, sæpe aberrarent. Qui cum Epicuro bonum in voluptate posuerunt, siquidem nulla voluptate perfecte frui potuerunt, quia semper dolor est aliquis admistus, vel incommodum, facile in eam opinionem inciderunt, ut in mundo bonum esse negarent, inque eo ipso, quod boni nomine diceretur, omni defectum inesse, affirmarent, quem nos *malum naturæ* dicimus. Cum Platone qui bonum fecere id, quod sufficeret, postquam intellexerunt, quod nihil homini sufficeret, siquidem helluo plus quam satis est desiderat; hinc facile concluserunt, amissum esse bonum, ejusque loco inductum illud malum, quod *culpæ* nomine appellamus. Denique qui cum Aristotele senserunt, bonum esse id, quod peteretur, cum vidissent, hominem semper, Tantali sitientis instar, habere appetitiones insaturabiles, existimarunt, vel nondum natum illud vere bonum, vel extinctum jam esse, & *malum pœnæ* lamentati sunt. Equidem mihi h. l. putabo licere, tribus his opinionibus neglectis, meam stabilire sententiam, vel nulli vel paucis tractatam illam quidem, attamen veram.

IV. Plotinus, me judice, in paucis fuit, qui proxime ad ve- Enn. 6.

ram Boni doctrinam accederet. Bonum hujus mundi ait aliud esse nil, nisi participatum de primo absolutoque Bono. Et tamen idem ipse, qui rivulum cognoverat, ad fontis cognitionem non aspiravit. Bonum quidem vidit quid esset, ipsum autem bonum non vidit; vel, ut dicam apertius, ad cognitionem boni restricti pervenit, non absoluti.

V. Bonum absolutum solum in DEO, vel solus ipse DEUS est. DEUS est, in quo & esse & velle & sapere absolute fixum hæret; in quo amor est infinitus & potentia non circumscripta. In rebus cæteris tantum inest ex his attributis, quantum illæ ad DEUM accedunt. Possunt accedere ad eum multum, & in multis eum partibus imitari: possunt etiam minus accedere, imitarique eum tantum in aliquibus. Verum in aliquibus horum attributorum debent eum necessario imitari omnes, ut aliquam proprietatem habeant, seseque a nihilo, quod omni proprietate caret, distinguant. Jam quo majoribus proprietatibus res a nihilo sese disjungunt, hoc pluribus gradibus eæ a malo, quod in ipso nihilo est, recedunt, seseque ad similitudinem DEI, in quo bonum omne conjunctum est, elevant. Non possunt existere res, quin imitentur eum existendo, & consequenter bonæ sint. Quod si dein tam bonæ non sunt atque hoc ipsum est, quod absolute bonum pronunciamus, inde proficiscitur, quod res nulla creata possit illud parte minima æquare. Atque etiamsi res ne inter se quidem sint æquales, tamen bonæ dicendæ; siquidem disparitas illa plane necessaria est, propterea quod vicissitudini & motibus eæ subjectæ sunt, in quibus actio consistit ipsarum, vel, ut ita dicamus, individualis singularum actualitas.

VI. *Res, quibus ornate totus componitur orbis,*
Æternum Numen condidit ante bonas.

Ipse, qui summe bonus est, non poterat creare nisi res bonas. Bonitatem tamen perfectam, quam idem in se ipso conservat, liceat mihi audacius loqui, non poterat dare creaturis. Ponamus, eum omnibus bonitatis maximum gradum tribuisse; quid fecisset aliud, nisi, ut se alterum produceret, qui non potuisset ab individua ejus unitate essentiaque sejungi. Quod si ergo voluit aliquid a se foras diffundere, si voluit res in tempore creare, debuit

buit illas repræsentare cum aliqua scintilla luminis a se reflexi super nihilum, ideoque cum aliqua cujusdam suarum proprietatum imagine; ut hoc pacto daret nihilo & existentiam & proprietatem. At integrum lumen, totamque suam similitudinem nunquam potuit ei concedere. Quia nec erat nihilum idoneum ad eam sustinendam, nec locus aptus ad eam recipiendam, nec tempus sufficiens ad mensurandam, nec DEUS ipse poterat eam a sua essentia sejungere. Hactenus Illustrissimus Trevisanus.

Reliqua quæ sequuntur hoc initium solutionis propositi, brevitatis studio non attingimus, contenti operis eximii, tanquam epularum instructissimarum gustum quendam præbuisse nostro Lectori. Quod ipsum certe opus tanta doctrinæ & copia & varietate conscriptum est, ut mirari liceat, pene omnes & veteres & recentiores Philosophos quasi in unum hortum invitatos ac conductos. Neque enim solum hic Platonem, Aristotelem, horumque Commentatores Græcos, Latinos, priscos, novos, videas, verum & Cartesium, Gassendum, Malbrancium, Hamelium, imo Theophrastum ipsum Paracelsum, Robertum Fluddum, Ebræos item doctores, & quicquid fere ubique est nominis philosophi. Ac principio quidem operis, Cartesii rationem Autor secutus videtur, in primis ideis ex animo, in quo insitas esse docet, eruendis. Quas quidem ipsas, primas nempe omnium ideas, has facit, existentiæ nimirum, & unitatis, & bonitatis. Quibus dein eas, quæ sunt infinitatis, quantitatis, temporis, motus, loci, & cæteras corporum, facile annectit. In fine autem operis, Pythagoreos maxime imitatus videtur; ita multus est in mysteriis numerorum indagandis, evolvendis. Ut cujusvis sectæ Philosophus & Theologus, & Jurisconsultus & Medicus, inveniat, quod discat aut probet. Unum optamus, ut operi præstantissimo, cujus hoc primum modo est, ex octo, volumen, index accedat rerum saltem memorabilium. Nam de emendatiore quidem typographi cura, præsertim in Autorum, Ebr. Græc. Lat. locis describendis, ipsum operarum directorem deinceps provisurum speramus.

DISQUI-

DISQUISITIO DIOPTRICA DE CURVATURA Radiorum visivorum atmosphæram trajicientium, cui accedit indefinita Sectio angularis ope Tangentium & Secantium.

Auctore JOHANNE HERMANNO.

Basilea ad Actorum Collectores transmissa M. Aprili 1706.

POstquam Astronomis innotuit, radios lucis per atmosphæram transeuntes varie refringi, & sidera quæque verticali puncto non nimium vicina longe quam par sit altiora apparere, singulari cura & diligentia in experiundis & stabiliendis Refractionis legibus incubuerunt equidem, sed omnem incertitudinem nondum sustulerunt. Nam materiæ hujus difficultas tantas & tam varias inter insignissimos nonnunquam Astronomos peperit contentiones, ut Refractionis doctrina inter difficillimas astronomiæ numerari merito possit. Si atmosphæræ nota esset densitas in data quavis a tellure distantia, aut densitatum proportio certa & constante ratione cresceret aut decresceret, ex facili radiorum visivorum atmosphæram trajicientium curvaturam describere liceret, ejusque beneficio optimæ refractionis Tabulæ in Astronomicos usus sine magno labore adornari possent. Sed quia aer diversis temporibus in eadem a terra distantia diversæ deprehenditur esse densitatis & constitutionis, propter varias in eo irregularitates & accidentia, ut vapores modo plures, modo pauciores, aut varios tum caloris tum frigoris gradus in eodem aere productos, ex quibus satis patere arbitror, nihil difficilius, si non prorsus impossibile esse, quam talem assignare curvam, quæ omnes aeris densitates in diversis a terra distantiis constanter referat.

Celeberrimus Dominus De la Hire Regiæ Paris. Scientiarum Academiæ Socius, Curvaturam Radii lucis examinaturus, in Commentariis ejusdem Academiæ Anni 1702 p. 53 sqq. & p. 182 sqq. ab omnibus illis accidentalibus abstrahit impedimentis, quæ, ut diximus, obstant, quo minus aer constantem densitatum ordinem in iisdem a Terra altitudinibus servet, & principium illud certissimum supponit: *Aerem a vi quacunque comprimi in ratione virium comprimentium*, vel quod eodem recidit, *densitates aeris*

aeris esse ut pondera, quibus oneratur. Ex quibus tandem *Cycloidem* elicuit pro curvatura radii lucis, supponendo *varias Reductiones partium compressarum atmosphæræ optime repræsentari posse per ordinatas in Triangulo.* Per *Reductiones* nihil potest intelligere aliud quam *Raritates* aeris, alias falsum esset, quod dicit pag. 57. *facilitatem, qua lumen duo media diversæ densitatis penetrare potest, esse in ratione* reductionum *particularum media hæc componentium.* Sed, ut verum fatear, Clarissimi Viri hypothesis, qua statuit lineam Raritates, aut, ut ille loqui amat, Reductiones repræsentantem rectam esse, veritati conformis esse non videtur. Et hoc ipsum Hireanum schediasma me impulit, ut totum hoc argumentum, ab ovo, ut ajunt, examinarem, & quæ invenissem, cum publico nunc communicarem. Quæ quidem ob id unicum monenda hic duxi, ne quis ea, quæ promo, ex Celeberrimi Hirii schediasmate me hausisse suspicetur; videbit enim benevolus Lector, me non sine gravissimis rationibus a Clarissimi hujus Viri sententia recedere, tum in eo, quod Curvam Raritates aut Reductiones repræsentantem concernit, tum etiam ratione ipsius Curvæ Radii visivi, quam ut dixi, Cycloidem vel Epicycloidem esse existimat, ego vero Curvam esse demonstrabo in infinitum excurrentem & asymptota præditam. Hunc in finem sequentes duæ Propositiones mihi demonstrandæ sunt:

Propositio prima: *Area Curvæ densitates aeris repræsentantis, applicatæ contermina ubique proportionalis est, hæcque proprietas soli Logarithmicæ competit.* Hanc Curvam simpliciter Curvam densitatum aut lineam densitatum deinceps nominabo.

Sit *EG* (Fig. 1.) altitudo aut distantia aeris in *G* a Superficie terræ in E, & lineolæ infinite parvæ *GI*, *IL*, *NL*, &c æquales contineant aeris quantitates, quo in casu portiunculæ illæ aereæ æqualis erunt gravitatis. Ex punctis *G*, *I*, *L*, *N*, ad rectam *GE* perpendiculares erigantur *GQ*, *IR*, *LS*, *NT*, &c. quæ densitates aeris in suis respectivis locis *G*. *I*. *L*. *N*, &c. repræsentent. Jam quia quantitates aeris duorum voluminum sunt ad invicem in composita ratione densitatum & voluminum, in qua ratione quoque sunt trapeziola *RG*, *SI*, *TL*, &c. quia pro rectan-

TAB. VI. Fig. 1.

ctangulis *QGI*, *RIL*, *SLN*, &c. sumi possunt, (eo quod applicatæ quæque vicinæ intervallo infinite parvo ab invicem distantes, quantitate tantum infinite parva sese mutuo excedant) unde hæc eadem trapeziola quantitatem vel pondus aeris in *GI*, *IL*, *LN*, &c. denotare liquet: ergo totum spatium curvilineum & indeterminatum *PQGM*, totam aeream molem *GM* a parte *M* itidem indeterminatam repræsentabit. Hinc quia hoc spatium curvilineum *PQGM* totum pondus aeris supra *G* existentis refert, & applicata *QG* densitatem aeris in *G*; erit juxta nostrum principium, de quo & Clarissimus Hirius nobiscum convenit, spatium *PQGM* ad applicatam *QG* in eandem ubique & constante ratione. Quod primo erat dem. Et si insuper $QG = y$, particula axis infinite parva $GI = dx$, constans quædam linea a, erit Integr. $ydx. \; y :: a. 1$ adeoque Integr. $ydx = ay$ vel differentiando $ydx = ady$, quæ est æquatio differentialis Logmicæ. *Q. E.* Secundo *D.*

Prop. Secunda. *Ad eundem axem MGE alia curva extructa sit VQBC per Q transiens, cujus applicatæ QG, AI, BL, CN &c. raritates vel reductiones in G, I, L, N, &c. designent, assero Curvam VQC esse eandem Log-micam PQT in situ tantum contrario positam.*

TAB. VI. Fig. 1. Fig. 1. In axe *EGM* accipiantur sursum *Gi*, *il*, *ln*, &c. æquales ipsis *GI*, *IL*, *LN*, & ex *i*, *l*, *n*, &c. ipsi *QG* parallelæ *ia*, *bl*, *cn*, &c. ducantur. Quia (ex hyp.) æquales aeris quantitates in *GI*, *IL*, *LN*, &c. continentur, erunt ideo densitates raritatibus reciprocæ proportionales, hoc est; $QG, RI :: AI, QG ::$ (ex natura Log-micæ) $ai.\; QG$, ergo $AI = ai$; pariter $QG.\; GL, :: BL.\; QG ::$ (propter Log-micam *PQT*) $bl.\; QG$ ergo $BL = bl$ pari quoque ratione ostendetur esse $CN = cn$, unde patet Curvam *QABC* a curva *Qabc* non nisi situ differre. *Q. E. D.*

Ex hac itaque demonstratione liquet. Curvam Raritatum aut Reductionum non esse rectam sed Logarithmicam, nam si recta esset, ut Clarissimus de la Hire contendit, prior linea hoc est Curva densitatum foret hyperbola; nam cum densitates duorum voluminum quantitate materiæ æqualium sint raritatibus reciproce pro-

proportionales, applicatæ in linea Densitatum debent esse in reciproca ratione applicatarum Trianguli; quam proprietatem Hyperbolæ competere norunt Geometræ. Si ergo, ut ex Clarissimi Hirii assumtis fluit, Curva Densitatum Hyperbola esset, sequeretur *Densitates aeris non esse proportionales ponderibus aerem comprimentibus*, quod destrueret primarium principium ab ipso quoque assumtum. Videamus nunc, quo pacto *Curva Refractionis* construi debeat. Curvam refractionis voco curvaturam radii lucis medium continue varians trajicientis: Sit ergo Log-mica APX (Fig. 2.) cujus subtangens $TH = AF$, axis FHT, qua curva raritates aeris in quibusvis a terra distantiis designabuntur, oportet nunc curvam FDE, vel propagationem radii horizontalis AF atmosphæram inæqualiter densam penetrantis, construere.

Centro F (Fig. 2.) radioque AF descripto quadrante ANB, sumatur in eo quodvis punctum N, ex quo ducta linea NP ad BF parallela Log-micæ APX occurret in P, ex quo ducta linea PHD ipsi AF parallela axem FTH secabit in H factaque tandem HD æquali arcui circulari AN, dico punctum D esse in curva quæsita FDZ, hoc est, erit ubique sinus complementi anguli FDH ad respectivam raritatem vel applicatam Log-micæ, PH in constante ratione. Sumatur enim in curva refractionis particula indefinite parva DE constans & ubique æqualis pro radio, & ducta ex E recta Ep ipsi DP parallela Log-micæ occurrente in p, item & pn parallela ipsi PN & cum quadrante ANB in n conveniente, fiantque tandem $N\nu$, MD hæc ad FH, illa ad AF parallelæ, poteruntque triangula DME, $Nn\nu$ pro triangulis rectilineis sumi, ob particulas DE, Nn infinite parvas. Jam $MD . ME :: \varpi p . ME :: \varpi p . \varpi P + \varpi P . ME$ ($= Nn$ per Constr.) Sed propter $\Delta\Delta$ similia $Pp\varpi$, PHT & $N\nu n$, NQF, est $\varpi p . \varpi P :: TH . PH$, supponendo PT esse tangentem Log-micæ in P, & ϖP ($= N\nu$). Nn (ME) $:: NQ . NF$. Ergo $MD . ME :: TH . HP + NQ . NF$, aut quia $TH = AF$, duæ posteriores rationes TH ad HP & NQ ad NF vel $AF = TH$, componunt rationem HP vel QF ad NQ, sequitur Triangula DEM, NFQ ubique similia esse, unde $ME . PH$ (QF) $:: DE . NF$, id est in constante ratione. Q. E. D.

TAB. VI. Fig. 2.

Ex demonstratione manifestum est, tangentem Curvæ Refractionis in puncto quovis *D* radio *NF* illi puncto respondenti perpetuo parallelam esse. Producto insuper radio *AF* in *R*, ita ut *FR* quadranti *ANB* æquetur, ducta per punctum *R* recta *RS* ad *FT* parallela Curvæ Refractionis asymptota erit. Longitudo ejusdem Curvæ *FD* Log-micæ ope facili quoque negotio sic exhibebitur: Ex *NP* abscindatur *NV* = *AF* ductaque *VG* ad *NF* normalis radium *AF* in *C* secabit, ex quo puncto ducta *CX* parallela ipsi *FH* Log-micæ in *X* occurens, hæc linea *CX* curvæ *FB* æqualis erit.

TAB. VI. Fig. 2. Fig. 2. Si pro quovis radio obliquo *NF* cum radio horizontali *AF* angulum *NFA* constituente Curva Refractionis *FOK* construenda sit; res facillime sic expedietur. Ductis *NP*, *PD* ipsis *FH*, *AF* parallelis, quarum *PD* Curvæ *FDI*, in *D* occurrit; erit pars *DZI* Curvæ *FDI* jam juxta superius dicta, constructæ in *FOK* ita constituta, ut linea *NF* eam in puncto *D* quod in *F* transpositum erit, tangat, Curva quæsita hoc est; erit *FOK* vel *DZI* Curva Refractionis respectu radii obliqui *NF*. Demonstr.

Sumto enim in Curva *FK* (Fig 2.) puncto quovis *O*, ductaque *OML* ad *AF* parallela, si fiat *HY* = *FM* & per *Y* eidem *AF* parallela ducatur, ut *WYZ* Log-micæ in *W* & curvæ *FDI* in *Z* occurrens, erit portio *DEZ* portioni *FO* similis & æqualis, unde *ang.* *DZY* = *ang.* *FOM*. Jam sinus compl. anguli *FOM* est ad *LM* in composita ratione sinus compl. anguli *DZY* vel *FOM* ad *WY* & *WY* ad *LM*, verum ex natura Log-micæ erit *WY*. *LM* :: *PH*. *AF* quoniam *FM* (per constr.) = *HY*; & quia ratio *PH* ad *AF* constans, *WY* habet ad *LM* constantem quoque rationem, sed sinus compl. *DZY* aut *FOM* est (ex natura Curvæ *FDZ*) ad *WY* in constanti ratione, ergo ratio ex hisce composita, hoc est ratio sinus compl. ang. *FOM* ad applicatam *LM* est constans ubique. *Q. E. D.*

Si nunc Curva *Synchrona* construenda quoque esset, sequentem daremus constructionem. *Synchrona* autem Curva est, quæ arcus *FD*, *FV* ex illis curvis refractis abscindit æquali tempore percurrendos. Hæc ipsa *Synchrona* est illa, quæ omnes curvas *FD*, *FV* perpendiculariter secat, quamque Illustrissimus Hugenius

nius in ſuo Tractatu de luminis natura pag. 44 per lineam *BC* in ſuo ſchemate repræſentat, ***undamque*** luminis vocat. Conſtructio mea hæc eſt:

Sit (Fig. 3.) *FD* Curva refracta radii horizontalis *AF*, *FV* vero radii obliqui *NF*. Sume in *FD* quodvis punctum *D*, ex quo recta *PD* ipſi *AF* parallela fiat, vocenturque ſubtangens Log-micæ vel ei æqualis *AF*, *a*. Secans anguli *NFA*, ΔF $= b$, tangens ejusdem anguli ΔA $= c$, ductaque normalis ΔG ad lineam ΔF rectæ ΔF productæ, ſi opus eſt, occurrens in *G*, $= p$, ſi fiat $F\Delta = \frac{ab}{\sqrt{bb + 2cp + pp}}$, ducenda eſt Δ R ad *FG* parallela Log-micæ *AP* occurrens in *R*, ex quo eidem *FH* perpendicularis *RS* ducta & producta in *V*, usque dum Curvæ *FV* in *V* occurrat, dico hoc punctum *V* eſſe in Synchrona quæſita. *Q. E. F.* TAB. VI. Fig. 3.

Tandem, *ſi Linea Reductionum aut Raritatum ſit linea recta, Curva Refractionis non* Cyclois, *ſed* Circulus *erit*. Sit enim (Fig. 4.) Triangulum *AVB*, cujus applicatæ *AB*, *PS*, *EC* raritates aeris in *A*, *P*, *E*, repræſentent. Centro *V* & radio *VA* deſcriptus Circulus *AQ* erit Curva refractionis quæſita reſpectu radii incidentis *BA*. Fig. 4.

Nam ſinus compl. ang. *AQP* eſt ad applicatam Trianguli reſpondentem *SP* ut *PV ad SP*, hoc eſt ut *AV* ad *AB* vel in ratione data & conſtante *Q. E D.* Hactenus de curvis Refractionis.

Placet hiſce adhuc duas generales formulas annectere circa Tangentes & Secantes, in quas nupere occaſione loci cujusdam Hiſtoriæ regiæ Scientiarum Academiæ 1703 p. 64 incidi, ubi Clariſſimus Vir Dominus de Lagny ejusdem Academiæ membrum generaliſſimas formulas circa Tangentes & Secantes inveniſſe dicitur, quæ quia neque citato in loco, neque in Commentariis ejusdem anni extant, meas mox proferam; prius tantum duo præmittenda ſunt theoremata circa Tangentes, unum quo in ſchediaſmate meo de *Iride* in Novellis Reipublicæ literariæ a Celeberrimo Bernardo publicatis 1704 pag. 658 ſq quoque uſus ſum Theorem. I. *Tangens (KE) arcus cujusvis compoſiti (FDE) qua-*

drante minoris, est ad aggregatum tangentium (AB) *duorum arcuum* (FD, DE,) *ut quadratum radii ad excessum ejusdem quadrati supra rectangulum sub ipsis tangentibus* (AD, DB) *arcuum componentium.* hoc est $KE.\ AB :: FCq.\ FCq - ADB$.

TAB. VI. Fig. 5. Ex puncto E ducantur EM, EN radiis FC, DC perpendiculares & ex N duæ aliæ lineæ NP, NR hæc normalis ad EM, illa vero eidem parallela, quibus positis dico $NC.\ NQ :: NC.\ NE + NE.\ NQ$ & propter triangula similia ENC, BDC & ENQ, ADC fiet tum $NC.\ NE :: DC.\ DB$, tum $NE.\ NQ :: DC.\ AD$, adeoque $NC.\ NQ$ ($:: NC.\ NE + NE.\ NQ$) $:: DC.\ DB + DC.\ AD :: DCq.\ DB \times AD$; ergo $NC.\ QC$ ($NC - NQ$) $:: DCq.\ DCq - ADB$. Et $PN.\ ER :: PN.\ NC + NC.\ NE + NE.\ ER$ (aut quia $PN.\ NC :: LD.\ DC$, & $NE.\ ER :: DC.\ LC$) $:: LD.\ DC + NC.\ NE + DC.\ LC :: LD.\ LC + NC.\ NE :: AD.\ DC + DC.\ DB :: AD.\ DB$; ergo componendo EM ($PN - ER$). $PN :: AB$ ($AD + DB$) AD: Verum $KE.\ AB :: KE.\ AD + AD.\ AB$ (aut quia $AD.\ QM :: EC$ (DC). MC, & $KE.\ EC :: EM.\ MC$ unde $KE.\ AD :: EM.\ QM$) $EM.\ QM + PN.\ EM :: PN.\ QM :: NC.\ QC ::$ (*per superius ostensa*) $DCq.\ DCq - ADB$. Q. E. D.

Theor. 2. *Secans* (KC) *arcus* (FDE) *ex aliis* (FD, DE) *compositi est ad radium* (EC), *ut rectangulum sub Secantibus* (AC, BC) *arcuum componentium* (FD, DE), *ad quadratum radii, demto rectangulo sub tangentibus* (AD, DB) *eorundem arcuum.* Hoc est $KC.\ EC :: AC \times CB.\ DCq - ADB$.

Nam propter $\Delta\Delta$ similia KEC, EMC *est*

$KC.\ EC :: EC.\ MC :: EC.\ NC + NC.\ QC + QC.\ MC :: BC.\ DC + AC.\ DC + DCq.\ DCq - ADB :: AC \times CB.\ DCq - ADB$. Q. E. D.

Horum jam Theorematum beneficio inveni, quod, vocando arcum quemlibet x, ejus tangentem b, secantem c, existente radio $= a$, tangens arcus nx (supponendo n esse numerum quemvis, integrum aut fractum, rationalem aut surdum) erit hæc fractio.

nab

$$\frac{n a^{n} b - \frac{n.n-1.n-2}{1.2.3} a^{n-2} b^{3} + \frac{n.n-1.n-2.n-3.n-4}{1.2.3.4.5} a^{n-4} b^{5} - \frac{n.n-1.n-2.n-3.n-4.n-5.n-6}{1.2.3.4.5.6.7} a^{n-6} b^{7} + \&c.}{a^{n} - \frac{n.n-1}{1.2} a^{n-2} bb + \frac{n.n-1.n-2.n-3}{1.2.3.4} a^{n-4} b^{4} - \frac{n.n-1.n-2.n-3.n-4.n-5}{1.2.3.4.5.6} a^{n-6} b^{6} + \&c.}$$

Et secans ejusdem arcus nx erit itidem fractio

$$\frac{c^{n}}{a^{n-1} - \frac{n.n-1}{1.2} a^{n-3} bb + \frac{n.n-1.n-2.n-3}{1.2.3.4} a^{n-5} b^{4} - \frac{n.n-1.n-2.n-3.n-4.n-5}{1.2.3.4.5.6} a^{n-7} b^{6} + \&c.}$$

Utriusque formulæ lex progressionis satis manifesta esse videtur, adeo ut non necesse sit, eam prolixius hic explicare.

HISTOIRE DE L' ACADEMIE ROYALE DES Sciences, Année MDCCI &c.

h. e.

HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM Anni 1701, cum Commentariis Mathematicis & Physicis.

Parisiis apud Joh. Boudot, 1704, 4.
Constat Alphab. 2. & plag 22. cum multis figuris æneis.

INstitutum Academiæ Regiæ Scientiarum Parisinæ maximopere laudandum jam satis aperuimus, cum Mense Aprili Anni 1704 duo prima volumina recenseremus. Quare nunc & in posterum notatu solum præ reliquis digniora in eorum potissimum gratiam, qui pretiosa ista volumina non possident, in compendio proponemus. In Physica generali multa habentur, ad perficiendum systema de Phosphoro Barometri. Notum nempe est, hydrargyrum in quibusdam Barometris succussum in tenebris lumen emittere. Celeberrimus *Joh Bernoullius* ad conficiendum tale Barometron, quod in tenebris luceret, Mercurio succusso, requi-

re-

rebat Mercurium puriſſimum, & in tubi ſuperiori parte vacuum perfectum, adeoque illum ita tubo immittendum, ne per aerem tranſire cogatur, cum per hunc tranſiens impuritatem contrahat; quod exinde conſtat, quia gutta pura Mercurii in aliam guttam puram per aerem decidens pelliculam ſuper hac relinquit. Cum igitur in Academia Barometra obſervatis hiſce conditionibus conſtruerentur, nec ullus tamen Phoſphorus appareret, alia contra, iſtis conditionibus neglectis, confecta in tenebris lucerent; *Dn. Homberg* ſuſpicabatur, Mercurium Bernoulli non fuiſſe purum: in qua ſuſpicione magis confirmabatur, cum cogitaret, Mercurium, quo uſus fuerat *Bernoullus*, libero aeri expoſitum pelliculam contraxiſſe, quod in Mercurio ſatis purificato non contingere, multis experimentis coram Academia comprobabat. Licet vero *Hombergii* obſervationes cum *Bernoullo* communicarentur, is tamen in ſententia ſua perſiſtebat, & novis obſervationibus confirmabat, quod, quanto Mercurius ſit purior, tanto lumen emittat ſplendidius ac magis æquale. Adhibendam vero eſſe monet methodum Mercurium perfecte admodum purificandi, qua jam uſus eſt Agricola, ita ut aeri expoſitus vel in eodem agitatus nullam contrahat pelliculam. Lavari nimirum jubet eundem ſpiritu vini, lotione toties iterata, donec liquor non amplius nigreſcat, & lotum exiccari, dum aliquoties per linteum purum ſecernitur. Hac purificatione facta, Mercurius ex 5 vel 6 diverſis locis allatus lucebat, licet ante lotionem non luceret, &, quod mirandum, in tubo aere pleno lumen quamvis debilius multo emittebat. Inprimis autem ſequentem Phoſphorum hunc conficiendi modum commendat. Globo ex vitro puro & nitido conſtructo, colloque inſtructo, qui dimidium circiter ſextarium capiebat & ad Mercurii agitationem ſuſtinendam ſatis fortis erat, 5 circiter vel 6 uncias Mercurii optime purgati immiſit, collum ſubere obturavit & cera obduxit. Acu exiguum per obturamentum paravit foramen, & ex vitro recipienti incluſo antliæ pneumaticæ ope aerem eduxit. Quo facto vas recipiens evacuatum radiis ſolaribus expoſuit, ac beneficio vitri convexi ceram liquefieri fecit, qua foraminulum replebatur, ne aer denuo in globum intrare poſſet. Quodſi jam Mercurius in vitro contentus agitaretur, illud in tenebris igne re-

repletum conſpiciebatur, cujus lumen facies adſtantium ita colluſtrabat, ut optime diſcernerentur.

In Anatomicis curioſa ſunt, quæ *Dn. Littre* de fœtu humano, alio monſtroſo, alio in ovario viſo, annotat. Circa fœtum monſtroſum, octimeſtrem circiter, tum membranam inter chorion & amnion intermediam, ejusdem cum chorio craſſitiei, vaſis autem ſanguineis ad ſenſum deſtitutam, tum chordam umbilicalem perquam contortam, hincque ad dimidium ſui abbreviatam, vixque parva penna ſcriptoria craſſiorem, hinc inde ſaltem nodoſam, deſcribit. Et ſicuti præmaturam fœtus mortem ac partum, ab ejusmodi chordæ umbilicalis contortione deducit: ita urinam in fœtu etiam humano per urachum ad allantoidem quandam deponi, eo magis conjicit, quod tam puerum duodecennem diſſecuerit, quam hominem triginta annorum cognoverit, a quibus urina per umbilicum unice fuerit reddita. Intra dicti vero fœtus cranium hujus tantummodo baſin, obductam membrana duplicata, cum vaſis ſanguiferis & nervis conſuetis, æque ac intra ſpinam dorſi, poſterius per totum ſui tractum ad novem lineas patulam, eandem membranam cum ſolis vaſis ſanguiferis & nervis inde prodeuntibus, absque ullo ſubſtantiæ medullaris veſtigio, adfuiſſe commemorat, ideoque ſpirituum animalium ſecretioni forſan ipſas membranæ cerebri & medullæ ſpinalis glandulas, aliquoties inſignes a ſe notatas, vacaſſe judicat. Sed incredibile videbitur multis, in ovulo cum ovario cohærente cerni poſſe fœtum, quem tamen laudatus Anatomicus, cumque tres lineas longum, unamque lineam cum dimidia craſſum, & interveniente tenuiſſima chorda membranis veſiculæ annexum, in hac ipſa duabus aliis minori atque ovario fœminæ ſiniſtro majori inexiſtente, diſtincte cum aliquot ejus partibus luſtravit. Glandularum in ſinu longitudinali a *Pacchiono* deſcriptarum & *Menſe elapſo* p. 217 a nobis recenſitarum, mentionem *Dn. Mery* quoque facit, id quod non æque portentoſum, ac fœminam quandam hernioſam, cum ex ſphacelo ſuperveniente tantæ inteſtini ilei portionis jacturam feciſſet, quæ quatuor vel quinque pedes æquaret, mortis nihilominus faucibus opera ejusdem *Mery* fuiſſe ereptam, qui de cætero egregias inter de hernia obſervationes, ve-

ſicam pariter in urinæ ſuppreſſione circa regionem hypogaſtricam ſive ſupra os pubis feliciter perforari poſſe, per experientiam comprobat.

In Chymicis analyſis Colocynthidis non minus, quam Jalappæ, Gummi Peruani & Hellebori nigri occurrit, a *Dn. Boulduc* variis rationibus præſtita. Hic quippe Colocynthidis v. g. principia indagaturus, a quibus ejus virulentia dependeat, pulpam colocynthidis nunc igni ad deſtillandum expoſuit, nunc muſto affuſo fermentationi prius ſubjecit, nunc denique vel aqua, digeſtione interpoſita aut omiſſa, vel ſpiritu vini extraxit. In deſtillatione vero Colocynthidis non niſi phlegma, ſal acidum, ſal urinoſum parumque olei fœtidi, cum ſale fixo ex capite mortuo concremato, acquirens ſatis cognovit; nullum ſic principium determinari poſſe, a quo præciſe maligni colocynthidis effectus ederentur. Colocynthidis proin uncias quatuor cum optimi muſti libris ſex per decem aut duodecim dies fermentatas ex Mariæ balneo deſtillans, primum limpidiſſimi, aliquantum ſpirituoſi, ſumme odori atque amari liquoris uncias octo collegit; mox, ubi reliquus liquor qualitatibus iſtis ſucceſſive imminutus demumque inſipidus prodiiſſet, e reſiduo extracti ſolidi uncias duas cum dimidia obtinuit. Poſtquam & liquorem ſpirituoſum, & extractum propinaſſet, a liquoris uncia una non alvum, ſed multam nauſeam multosque dolores colicos moveri, a duabus autem unciis alvum quidem, ſed colicam ſimul, aliis remediis compeſcendam excitari, a ſolius extracti granis decem vel duodecim blandiſſime ſine ulla moleſtia laxari, ob Colocynthidis ſal volatile a vini tartaro fixatum, obſervavit. Hinc Colocynthidis uncias ſedecim cum aquæ bullientis ſextariis ſex per quindecim dies in digeſtione maceratas itidem deſtillavit, liquoribusque inſipidis ac inertibus, minime penetrantibus ac volatilibus prolicitis, ex remanente materia extractum ſaluberrimum & in parva doſi efficax paravit, fortaſſis, quod multa aqua longæ digeſtionis interventu craſſas & mucilaginoſas Colocynthidis partes attenuaverit ſubtilioresque reddiderit. Etenim, cum omnis porro tinctura ex Colocynthide adminiculo aquæ ſine prævia digeſtione evocata atque ad extracti conſiſtentiam inſpiſſata eſſet, extractum hoc poſterius lon-

longe impurius ac violentius priori extitit. Tandem, quia ex Colocynthidis unciis octo ſpiritu vini non niſi extracti reſinoſi unciam dimidiam acquiſivit, ex reſiduo autem ulterius ope aquæ extracti craſſioris uncias fere duas obtinuit, & utrumque extractum nocivum potius quam proficuum per experientiam deprehendit, tanto magis Colocynthidem plus ſalium, quam olei, continere, ſuosque itidem virulentos effectus ratione ſalium potiſſimum craſſiorum, craſſioribus aliis particulis involutorum, exſerere colligit. In Botanicis *l' Yquetäia*, plantam quandam Braſilienſem, quam Chirurgus quidam Gallus ex Luſitania ſecum allatam adeo ad pravum foliorum Sennæ ſaporem odoremque in Infuſo corrigendum jactitarat, ipſiſſimam eſſe Scrophulariam aquaticam magnam Domini *Marchand* & *Homberg* ingenioſe detexerunt.

Inter Geometras hoc ipſo anno orta eſt controverſia circa Analyſin infinitorum. *Rollius* & *Galois* Abbas calculum differentialem ac ſummatorium oppugnarunt; *Varignonius* illius in veritatibus abſtruſis detegendis præſtantiam re ipſa ſatis expertus, pro virili merito reſtitit, utque novo aliquo ſpecimine, quæ ſint ejus vires, oſtenderet, variis modis per id calculi genus admodum generaliter vires centrales determinare docuit. Stetit ab ejus parte *Carré*, qui de Curvarum rectificatione quædam meditatus oſtendit, quomodo Curvæ elementum integrando obtineatur iſtius longitudo, vel ſi id integrabile non fuerit, quamnam Quadraturam rectificatio ſupponat, evincatur. Cæterum *Dn. de Tſchirnhauſen* aſſeruit, ſe compotem eſſe methodi inveniendi radios Evolutarum, Tangentes, Quadraturas & Rectificationes plurimarum Curvarum, non ſuppoſita ulla infinite parva quantitate: cujus ſequens exhibuit ſpecimen. Sit AGH Parabola ordinaria, cujus invenienda *Evoluta*, h. e. Curva, quæ per evolutionem ſui Parabolam deſcribit. Quod ut fiat, evidens eſt, generaliter inveniendum eſſe punctum concurſus M duarum perpendicularium GM, HM ad Tangentes Curvæ quæſitæ in 2 punctis quibuscunque G & H. Ductis itaque ordinatis GC & HE ad axem AF Parabolæ AGH, ſit $AC = x$, $CG = y$, $AE = r$, $EH = z$, $BI = t$, $IM = u$, Parameter $= 2a$, $AB = a$, ſubnormales CD & $EF = a$, denique MK $(MI - IK) = u - x$. 1. Per naturam Parabolæ erit

TAB. VI. Fig. 6.

erit $2ax = yy$ & $2ar = zz$. 2. Propter Triangula rectangula similia GCD & DKM erit $GC(y). CD)(a) :: DK(t). KM$ $(u-x)$, consequenter $uy - xy = at$, vel, (multiplicando per $2a$) $2auy - 2axy = 2aat$, h. e. substituendo valorem $2ax$, $2auy - y^3 = 2aat$. 3. Ob Triangula rectangula similia HEF & FLM est $2auz - z^3 = 2aat$, qua æquatione ex præcedente sublata relinquitur $2auy - y^3 - 2auz + z^3 = o$, vel (dividendo per $z-y$) $2au = zz + yz + yy$. Quodsi hic valor substituatur in æquatione $2auy - y^3 = 2aat$, prodibit $2aat = yzz + yyz$. 4. Habemus adeo theoremata generalia, in quibus si ponamus $y = z$, habebitur $2au = 3yy$ & $aat = y^3$, ita ut, elevatis omnibus ad y^6, prodeat $\frac{8a^3u^3}{27} = y^6 = a^4tt$ vel $8u^3 = 27att$, æquatio Curvæ quæsitæ BM, quam Parabolam Cubicam esse debere apparet. Inde 5. facile invenitur longitudo radii GM hujus evolutæ. Nam positis $GD = p$ & $GM = q$, erit non solum $aa + yy = pp$; sed & $CG(y). GD(p) :: CG + DK$ $(y+t). GM(q)$, vel $qy = py + pt$, ita ut ob $t = \frac{y^3}{aa}$ per num. 3 sit $aaqy = aapy + py^3$, vel $aaq = aap + pyy$. Quare cum sit $aa + yy = pp$, habebitur tandem $aaq = p^3$ vel $q(GM) = \frac{p^3}{aa}$. *Q. e. i.*

Dominus de la Hire non solum per Micrometra differentiam declinationis & ascensionis rectæ duarum stellarum non multo intervallo distantium observare, atque novum Astrolabium universale construere docet; sed & inprimis methodum exponit eclipses Solis atque Lunæ accuratissime observandi, aliis quoque phænomenis per Micrometra observari solitis applicandam. *Zahnius* jam in prima editione *Oculi artificialis* pro observandis maculis Lunaribus commendat vitrum orbiculare planum atque politum, ope adamantis in areolas quadratas distinguendum, & in foco vitri objecti & ocularis communi tubo adaptandum. Simile vitrum tubo similiter applicatum Eclipsibus observandis utilissimum censet *de la Hire*: quarum magnitudo quia

quia æſtimatur per digitos, h. e. partes duodecimas diſci Solaris vel Lunaris, in vitro delineandi ſunt ſex circuli concentrici, quorum omnium eadem ſit ab invicem diſtantia, extimus vero limbum Solis vel Lunæ exacte ſtringat. Quoniam vero diametri apparentis magnitudo non in omnibus Eclipſibus eadem, immo in eadem Lunari multum varietur; idcirco ulterius oſtendit, quo artificio reticulum ex vitro paratum adaptetur, ut imaginem ſideris eclipſati ſive majorem, ſive minorem exacte capiat. Adhibet ſcilicet duo vitra objectiva, eundem fere focum habentia, quæ focum communem conjuncta habitura eſſe demonſtrat. Longitudinem foci communis ſequenti ratione determinat. Applicat nempe duo vitra objectiva uni, oculare alteri extremitati tubi ita, ut objecta diſtincte videre queat: ſubducta enim longitudine foci vitri ocularis convexi ab ejus ab objectivis ſe mutuo contingentibus diſtantia, relinquitur longitudo foci communis. Monet tamen, hanc experientiam nonniſi viſu pollentibus, nequaquam Presbytis & Myopibus convenire. Hinc infert: ut Sinus totus ad Tangentem 17′ 15″ (quanta fere eſt ſemidiameter Lunæ apparens maxima) ita longitudo foci communis ad ſemidiametrum circuli exterioris in reticulo. Quodſi jam lentes objectivæ dimoveantur, ejusdem objecti imago augmentabitur in foco communi ad certum usque terminum pro ratione diſtantiæ illarum. Equidem diſtantia duarum lentium objectivarum in dato quolibet caſu tentando inveniri poterat; exactius tamen loca utriusque vitri objectivi atque reticuli determinabuntur in ferendo: ut ſumma focorum abſolutorum duorum vitrorum objectivorum ſine diſtantia eorundem ad longitudinem foci exterioris vitri ſine eadem diſtantia, ita hæc ipſa longitudo ſine diſtantia prædicta ad quartum proportionalem terminum, qui ex longitudine foci abſoluti exterioris vitri ſublatus relinquit diſtantiam hujus vitri exterioris a foco communi. Qua inventa inferendum ulterius: ut longitudo foci inventi ad ſemidiametrum circuli exterioris reticuli; ita ſinus totus ad Tangentem anguli, a diametro reticuli in foco poſiti ſubtendendi. Tubo igitur inſcribi poſſunt ad loca vitrorum objectivorum & eorum focum communem, in

quo reticulum collocandum, numeri minutorum & secundorum angulorum, quos diameter reticuli sustendere debet.

Sauveur novum proponit Musicæ systema, cujus summa in compendio huc redit. Assumit ex Physicis, sonos esse inter se ut numeros vibrationum corporum sonororum. Rationem horum numerorum vocat *Proportionem Sonorum*. Quodsi unus sonus ascendendo successive acutior evadit, altero immutato, distantiam eorundem *Intervallum* dicit. Quia soni tum graves tum acuti sunt indefiniti, ideo assumendum esse monet medium quendam pro *sono fundamentali*, cum quo non minus acutissimi, quam gravissimi comparari queant. Assumit autem sonum fixum, qui intra minutum secundum temporis centum absolvit vibrationes. Hinc id potissimum agit, ut omnis generis intervalla accuratius definiat, quam hactenus a quopiam factum. Dividit intervallum octavæ in 43 partes æquales, quas *Merides* vocat, quamlibet Meridem subdividit in 7 Eptamerides, Eptameridem in 10 Decamerides, ita ut octava 301 Eptamerides, 3010 Decamerides contineat. Has octavæ Merides & Eptamerides generalem omnium intervallorum constituit mensuram, & per earum numerum intervalla ordinaria definit. E. g. Tonus major 7 habet Merides, hemitonium majus quatuor. Cum nova ratione intervalla dividat, nova etiam ratione eadem denominat; immo novis etiam *Notis* seu sonorum characteribus utitur. Notum est, in Systemate Diatonico octavam in 7 distribui intervalla, quæ per *UT*, *RE*, *MI*, *FA*, *SOL*, *LA*, *SI*, *UT* designantur: Noster ad ea denominanda septem adhibet consonantes *P*, *R*, *G*, *S*, *B*, *L*, *D*, & cum tribus prioribus vocalem *A*, cum quatuor posterioribus vocalem *O* jungit, ita ut habeatur *PA*, *RA*, *GA*, *SO*, *BO*, *LO*, *DO*, *PA*. Et quia tonos in 7 Merides, hemitonia majora in 4 dividit, uti diximus; ad eas exprimendas utitur vocalibus *a*, *e*, *ε*, *i*, *o*, *u*, *ȣ*, unde emergunt e. g. sonorum, in quos distribuitur, Tonus major *PA*, *RA*, nomina *PA*, *pe*, *pε*, *pi*, *ro*, *rȣ*, *RA*. Eptameridum, in quas Merides dividuntur, nomina componit adjiciendo consonantes in fine nominum Tonorum *r*, *s*, *t*, si *1*, *2*, *3* eptamerides addendæ, vel *n*, *l*, *c*, si *1*, *2*, *3* eptamerides auferendæ. Porro si *1*, *2*, *3*, *4*, *5* decamerides adden-

dendæ, nominibus sonorum adjicit vocales *a*, *e*, *i*, *o*, *u*, si *1*, *2*, *3*, *4*, *5* decamerides auferendæ, addit ã, ẽ, ĩ, õ, ũ. Notas seu Sonorum *PA*, *RA*, *GA*, *SO*, *BO*, *LO*, *DO* characteres habet *p*, ꝑ, *q*, ꞓ, *b*, ꝱ, *d*. Si his sonis addantur *1*, *2*, *3* Merides caudæ notarum curvantur versus sinistram; si auferendæ, versus dextram. Ita soni *go* nota est ꝗ, soni *ri* vero ꝑ. Quæ Meridibus adduntur Eptamerides, per puncta versus sinistram posita designantur; quæ subtrahuntur, per puncta versus dextram. Ita soni *GAn* nota est ·q, soni *RAr* vero p· est nota. Similiter nota soni bis est ꞗ: nota soni *lan* vero ·ꝱ est.

APOLLONIUS AC SERENUS PROMOTUS, Auctore BARTHOLOMÆO INTIERI FLORENTINO.

Neapoli, ex Typographia Leonardi Josephi Sellito, 1704, in 4. Constat plag. 10. & aliquot figuris æneis.

VEteres, quemadmodum ex *Archimede* constat, Parabolam in solo Cono rectangulo, Ellipsin in acutangulo, Hyperbolam in obtusangulo considerabant. Ast *Apollonius Pergæus*, doctrinam de sectionibus Conicis promovens, omnes tres eidem Cono applicare cœpit. Ubi natura Curvarum per æquationes Algebraicas exprimi suevit, infinitarum Parabolarum, Ellipsium ac Hyperbolarum consideratio haud difficilis existebat. Ostendit etiam *Clarissimus de la Hire* in Appendice ad opus absolutum de Sectionibus Conicis, cujus mentio honorifica facta in Actis nostris A. 1685 p. 399, has Curvas æque ac Apollonianas ex Conorum sectione oriri, quod idem facit *Intieri*, qui dubio procul opus laudatum non vidit, cum hujus illarum Curvarum geneseos inventionem sibi tribuat. Nimirum cum in Cono communi, cujus sectiones dant Parabolam, Ellipsin ac Hyperbolam Apollonianam, bases & omnia sectionum ipsis parallelarum plana sint circuli, in quibus segmenta inter diametri semiordinata est media proportionalis; Autor sibi adhuc alios concipit Conos, quorum bases & sectionum ipsis parallelarum plana sunt circuli secundi, tertii, quarti &c. in infinitum, hoc

hoc eſt Curvæ, in quibus quadratum ſegmenti minoris eſt ad quadratum Semiordinatæ, vel Cubus illius ad Cubum hujus, vel Quadrato-quadratum illius ad Quadrato-quadratum hujus &c. in infinitum, ut ſemiordinata ad ſegmentum Diametri majus. Quia itaque circuli primi, ſecundi, tertii, quarti &c. Conorum differentiam conſtituunt, ideo vocat quoque Conos primos, ſecundos, tertios, quartos &c. Demonſtrat igitur eandem ſectionem, quæ in Cono primo Parabolam Apollonianam producit, in ſecundo producere Parabolam, in qua $y^3 = a^2x$, in tertio Parabolam, in qua $y^4 = a^3x$ &c. Simile quid de Hyperbolis & Ellipſibus oſtendit. Demonſtrationes concipit geneticas, pro ſingulis Parabolarum generibus ſingulares, nec ultra Parabolam tertii generis progreditur. Quod denique Parabolas attinet, in quibus eſt $y^m = ax^{m-1}$ cum in communi circulo ſit $y^2 = x \times \overline{a - x}$, pro earum origine declaranda aſſumit Conos, quorum baſes & plana ſectionum ipſis parallelarum definiuntur per æquationem $y^m = x^{m-1} \times \overline{a - x}$, & ſectionem fieri concipit ut in Cono communi pro Parabola communi. Promiſit eruditiſſimus Auctor de Æquationum conſtructione omnibus numeris abſolutum opuſculum: quod ſi quantocyus ediderit, non ingratam Geometris præſtabit operam.

BARTHOLOMÆI INTIERI, FLORENTINI, AD nova Arcana Geometrica detegenda Aditus.

Beneventi, e Typographia Archiepiſcopali, 1703, in 4.
Conſtat plag. 14, cum figuris æneis.

TOtum opuſculum tribus conſtat epiſtolis. Prima ad *Dominicum Judicem*, Juvenacii Ducem, perſcripta, in qua methodus traditur generalis omnes Parabolas, quæ definiuntur per $y^m = ax^{m-1}$, in infinitum in plano deſcribendi. Eam ipſius Autoris verbis ita repræſentamus. Sit Triangulum Iſoſceles *BIH*, cujus latera æqualia ſint *BI* & *IH*, quæ quidem indefinite produ-

TAB. VI. Fig. 7.

can-

cantur, latus *BI* ad partes *B* & *A*, latus *HI* ad partes *G*, reliquum vero latus *BH* ad partes *C*. Latus autem *HI* ita moveri concipiatur, ut semper sibi ipsi æquidistet, atque dato sui puncto maneat semper in latere *BH*, motu autem suo moveri etiam faciat rectam *ID* datam, quæ quidem semper applicata maneat in latere *BI*, punctum autem ipsius *I* maneat semper fixum in latere *HI*, ita ut, quando latus *HI* accedit ad punctum *B*, & recta *ID* etiam ad punctum *B* accedere debeat. Per puncta autem *H*, *D* transeat recta *HD*, quæ libere per hæc puncta excurrere possit. In puncto *B* constituatur recta *BG* indefinita ad partes *G*, quæ circulariter moveri possit in eodem puncto *B*, quæque parallela semper existat rectæ *HD*. Hæc itaque recta *BG* rectam *HG* interfecabit. Ex hac intersectione Parabolam oriri Apollonianam demonstrat, si directrix *BC* fuerit recta. Quodsi ea fuerit curva, & concavitatem rectæ *BD* obvertat, Parabolam secundi generis oriri ostendit, si directrix fuerit Parabola primi generis; Parabolam tertii, si directrix Parabola secundi &c. Ex hac genesi palmariam uniuscujusque Parabolæ proprietatem synthetice eruere docet, quæ æquationem generalem ingreditur, simulque monstrat, quemnam hæ descriptiones usum habere possint in construendis locis ad has Parabolas, sive eorum æquatio duobus, sive pluribus constet terminis. Aliam adhuc methodum easdem Parabolas in plano describendi indicat; sed alteri merito postponendam, cum locum solum inveniat, si data diameter sit axis, altera vero valeat, data diametro quacunque.

Epistola secunda exarata est ad *Didacum Vincentium a Vidania*, Gymnasii Neapolitani Præfectum. Agitur in ea de genesi atque in plano descriptione infinitarum Hyperbolarum ac Ellipsium. Etiam in Hyperbolarum descriptione directrix est recta pro Apolloniana; Hyperbola Apolloniana pro Hyperbola secundi generis; Hyperbola secundi generis pro Hyperbola tertii generis &c. Addit methodum aliam a Parabola originem trahentem. Docet ex istis genesibus palmarias Hyperbolarum proprietates synthetice eruere, locaque construere, quorum æquationes sive duobus, sive pluribus terminis designantur. Regulæ Cartesianæ de construendis æquationibus ad quintam vel sextam dimensionem assurgentibus multo

to faciliorem ſubſtituit, eas nempe ſine ulla præparatione conſtruendi per Circulum & Hyperbolam ſecundi generis. Monet etiam, (quod in Actis noſtris primus notavit *Bernoullius*) non bene a Carteſio problematum in certas claſſes diviſionem inſtitutam eſſe. Methodum Ellipſes deſcribendi, quam tradit, cum iſtis pro Parabolis ac Hyperbolis non comparandam eſſe, ipſe fatetur, quia in ſimpliciſſimam ipſi incidere nondum licuit. Unde & pauciora de locis ad Ellipſin, quam de locis ad Parabolam & Hyperbolam habet.

Epiſtola tertia data eſt ad *Johannem Michaëlem Gabanilium*, e Marchionibus S. Marci, Equitum Catholici Monarchæ Præfectum. Exponit Autor in ea methodum deſcribendi infinitas Parabolas, quæ definiuntur per $y^m = a^{m-1} x$, ab ea, quam in epiſtola prima tradidit, in hoc unice diſſidentem, quod Parabola genitrix convexitatem ſuam rectæ *B D* obvertat. Addit tamen methodum aliam easdem deſcribendi ope earum Hyperbolarum, quas in epiſtola ſecunda deſcribere docuit, adeoque implicatam magis. Theoriam ad componenda loca ad has Parabolas transfert. Oſtendit denique, quomodo deſcribantur Parabolæ, in quibus eſt e. gr. $x^5 = a^3y^2$ ſeu in genere $y^{m+n} = a^m x^n$ & loca ad eas ſpectantia componantur.

D. JOHANNIS GEORGII DORSCHEI IN QUATUOR Evangeliſtas Commentarius, per ſolidam apodixin, analyſin, exegeſin, harmoniam item ac parallelismum, verum ſenſum exhibens, falſum refutans: cum ejusdem Autoris Chronotaxi Actorum Apoſtolicorum.

Hamburgi, apud Gotofr. Liebernickel, 1706. in 4.
Conſtat 8 Alph. & 6 plagulis.

QUemadmodum orbem eruditum non parum ſibi obſtrinxerunt magni atque celeberrimi nominis Theologi, D. Johannes Fridericus Mayerus, quod ſuperioris ſeculi anno octuageſimo quinto ſummi olim Theologi, B. Dorſchei, Theologiam Moralem, dein

dein anno nonagesimo ejusdem Commentarium in Marcum, hujus autem seculi anno secundo Aphorismos Theologicos, nec non orationem sacram de obumbratione virtutis Altissimi; D. Johan. Nicolaus Quistorpius, quod anno proxime elapsi seculi nonagesimo septimo Dorschei ζητήματα in utramque Epistolam Johannis; D. Johannes Fechtius, quod ejusdem seculi anno ultimo, Dorschei fragmentum in Epistolam Judæ, e tenebrarum carceribus exire, atque in publicam lucem prodire jusserint: ita gratiam quoque apud eruditos iniit ad bonum publicum juvandum promtus Bibliopola, Gotofredus Liebernickelius, cum uno abhinc anno Dorschei Analysin ad entheas S. Jesaiæ Prophetias typis inprimi curaret. Longe majorem autem idem promeretur laudem, quod thesaurum ex manuscriptis Dorscheanis multo præstantiorem, Commentarium nempe in universos libros N. T. historicos, ab hæredibus B. Sandhagenii, cum ipse morte præpeditus illum edere non potuisset, suo sumtu sibi comparare, & cum litterato orbe communicare studuit. Cujus posthumi operis editionem non parum commendat, quod Vir doctissimus, M. Ludovicus Fridericus Vischerus, quatuor, quibus manuscriptum constabat, codices singulari admodum studio inter se contulerit, ac schedas a B. Sebastiano Schmidio exaratas, & a celeberrimo D. Mühlio secum communicatas, quibus nonnulla Dorschei in Matthæum & Johannem continebantur, conferre insuper potuerit. Quicquid enim legi in iisdem potuit, Vischerum in quarundam nonnunquam vocularum aut literarum a se facta correctione, nec non de codicum a se collatorum sinceritate multum confirmavit. Ingentem vero splendorem toti operi conciliat luculenta præfatio, quam eidem præfixit insignis & plurimis in Ecclesiam Christi meritis inclutus Theologus, Dn. D. Jo. Fechtius. In illa enim non modo vitam, a B. Dorscheo summa cum laude transactam, e B. Thomæ Stegeri, facundissimi olim apud nos Ecclesiastæ, elegantissima in memoriam illius hic habita oratione, quæ paucissimorum in manibus versatur, luculenter nobis exhibuit; sed & accuratam pariter atque plenam omnium Dorscheanorum scriptorum recensionem instituit. Jam equidem summe Reverendæ Facultatis Theologicæ in Academia Rostochiensi Decanus, in programmate funebri,

sexaginta & unius scriptorum catalogum retulerat, memorans, recensionem istam ipsius Dorschei manu ita delineatam fuisse: ast eadem neque ordinem annorum, quo quælibet expressa sunt, servat, neque omnia singulaque ab ipso edita comprehendit. Unde conjicit laudatus Fechtius, forte Dorscheum de conficiendo scriptorum suorum catalogo consilium aliquando cepisse, sed cum manum eidem admovisset, aliis negotiis a cœpto distractum fuisse. Illum secutus fuit Vir multijuga eruditione præditus, B. Spizelius, ac in Templo Honoris Reserato Catalogum aliquem exhibuit, quem supra a nobis commendatus Meyerus præfationi ad Theologiam Zacharianam, una cum suis interpolationibus, inseruit. Singularem quoque diligentiam adaugendi hunc Catalogum a B. Wittenio in Renovatæ Memoriæ Theologorum Centuria adhibitam fuisse novimus. Summe Reverendus Fechtius autem, in præfatione sua, non solum multo pleniorem librorum a Dorscheo conscriptorum indicem, juxta annorum seriem tradit, sed insimul plerorumque argumenta concise non minus ac solide repræsentat. Ubi silentio haud prætermittendum esse censemus, ipsum gratissimo ore deprædicare, sibi in catalogo, potissimum ἀνεκδότων, conficiendo, operam inæstimabilem D. Lütkenium, Theologum hodie Danorum celebratissimum, præstitisse. Is enim, cum a juventute Dorscheani nominis admirator cultorque fuerit indefessus, ac quælibet monumenta ab illo profecta in potestatem suam, quantocunque id etiam faciendum fuerat pretio, vindicare studuerit, præterea libros ipsos summo studio evolutos sibi reddiderit familiares, eam sibi præ innumeris aliis Dorscheanorum notitiam comparavit, ut eundem non facile fugerit quicquam eorum, quæ aliquando ab illo luci fuerunt exposita. Neque tacendum, maxime venerandi D. Fechtii Filium æmulum, Gustavum Fridericum, indici quoque manum admovisse, eumque opuscula Dorschei minora, una cum disputationibus sub ipsius præsidio habitis, quæ quidem conquiri potuerunt, eleganter recensuisse. Inprimis autem memoratu dignum adhuc judicamus, quod sæpissime laudatus D. Fechtius, exercitatione Dorscheana de Sabbatho recensita, digressionem aliquam instituerit non contemnendam. Etenim cum disputatio ejus, de eodem argumento in Gymnasio Durlacensi olim habita

bita, ex utraque nuper de illo contendentium parte in certamen advocata fuerit, ne cuiquam ſiniſtra de ipſo oboriretur opinio, & ſilentium ejus ad ſeveriorem adverſus ipſum vel cenſuram vel judicium quemquam bonorum ſeduceret, neminem, ſperat, in ſequiorem partem interpretaturum eſſe, ſi intra ſummam modeſtiam, enarratione quorundam circa hanc controverſiam momentorum, eorum, qui rigidiori forte ipſum calamo poſthac aggreſſuri ſint, animos in anteceſſum mitigaverit. I. Ingenue profitetur, diſputationem de jure Sabbathi Hallenſem, cum oculis primum ſuis objiceretur, in ſummum ſe conjeciſſe dolorem, quem verbis nullis exprimere poſſit, cum in eadem non tantum diſertiſſimis verbis omnis moralitas præcepto ſabbathico derogetur, ſed univerſa Eccleſiæ noſtræ inſtituta, ſabbatho exerceri ſolita, acerbiſſima cenſura perſtringantur. II. Scribit, iniquum fore rerum judicem, quin vel obiter lecta exercitatione ſua, differentiam doctrinæ a ſe defenſæ, & innumerarum ſententiarum, in Wagneriana diſputatione occurrentium, illico deprehendat. Se affirmare, ſanctificationem Dei publicam præcipuam eſſe tertii præcepti partem, & quanquam extrinſeca illa, quæ vel ad tempus ſpectant, quo ſabbathum agendum eſt, aut ad locum, ubi celebrandum in publico conventu nomen divinum, aut ad circumſtantias alias modumque, quibus ſanctificatio peragenda eſt, a morali præcepti ratione diſtinguat, ſimul tamen ſollicite diligenterque ſe demonſtrare, adeo non imminui per ſententiam ſuam ſanctificationis vel frequentiam vel ardorem, ut intra arctiorem potius, ſi fieri poſſit, temporis circulum contrahat & ad plura atque intenſiora devotionis & pietatis exercitia inflammet: nec etiam Eccleſiaſticam ſabbathi ad diem Dominicum determinationem, magis vel omittendæ ſanctificationis libertatem, vel imminuendæ devotionis occaſionem juſtam præbere, ac cum in aliis præceptis moralibus, utpote de obedientia magiſtratui atque parentibus exhibenda, ſuppoſito divino eoque generali obediendi magiſtratui & parentibus mandato, etſi particulares actuum obediendi circumſtantiæ a nutu & arbitrio magiſtratus & parentum dependeant, de obligatione his ipſis etiam præceptorum circumſtantiis mo-

rem & obsequium gerendi quicquam decedat. III. Dicit, exorto de Sabbatho primum in Holsatia, mox & in superiori Saxonia dissidio, cum pervideret, communiorem hodie doctrinam de moralitate positiva unius ex hebdomade diei in Ecclesia nostra prædominari, apud animum suum se statim constituisse, quicquid etiam scriptorum adversus sententiam suam prodiret, se controversiæ, nisi pervicax scriptoris malignitas in partes coactum pertraheret, nequaquam ingerere; quippe qui bellum cum suæ religionis consortibus, si de cætero orthodoxiæ a se perpetuo adamatæ sint dediti, quadam naturæ suæ indole extremo semper odio sit aversatus: sibi non adversum fore, si quis dicere velit, legis moralis & naturalis esse, ne circulum hebdomadarium in colendo sabbatho egrediamur, dummodo legis moralis & naturalis vox in significatu paulo laxiori accipiatur, eo nempe sensu, quo in Theologia Morali D. Dorscheus loquatur, *fundatum id quidem esse in jure naturæ, non tamen jure naturali praceptum*: subjuncto dein Reverendissimi Scanorum Episcopi, Matthiæ Steuchii, ex disputatione Synodali ad Artic. August. Confession. XV. judicio, contestatur, semet, quanquam otium sabbathicum ex quadam lege morali positiva non derivet, ex morali tamen justitia & æquitate non minorem ei, ac juris moralis positivi defensores, necessitatem admetiri. IV. Schediasmatis de Sabbatho conscribendi occasionem enarrat, & recensita antiquiori controversiæ Sabbathicæ historia, benigno lectoris judicio se subjicit. V. Ostensurus, sententiam a se propositam & defensam, Theologorum Ecclesiæ nostræ, etiam novissimæ, eorumque extra omnem heterodoxiæ suspicionem positorum non destitui, primo præcipuoque loco Tobiam Wagnerum & Sebastianum Schmidium, Theologos nostra laude majores, sibi nominandos ducit, hosque secutos esse ait in Academia Giessena D. Jo. Nicolaum Mislerum, suum in concedenda summi in Theologia gradus Licentia anno 1666 promotorem, & D. Philippum Ludovicum Hannekenium, qui mentem suam ea de re, cum anno 1698 in Commentatione Practica de Turbelis phantasiæ in objecto præcipuo religiosæ pietatis, tum anno 1697 in Dissertatione Theologica de vera Augustanæ Confessionis æstimatione, clarissime aperue-

ruerit: in Academia Wittebergensi anno 1685, adeoque quadriennio tantum post disputationem suam sabbathicam, D. Meyerum publice defendisse Dorschei Theologiam Moralem, in qua sabbathi hebdomadalis, qua ad indefinitum numerum adstringitur, libertas dilucidius atque exactius, quam in suamet disputatione, non proponatur tantum, sed immotis praeterea argumentis probetur. Porro refert D. Justum Christophorum Schomerum, cum disputationem inauguralem de Sabbathi moralitate, sub præsidio D. Jacobi Henningii Gryphiswaldiæ habitam, ab auctore-respondente Ægidio van Thienen, Pastore in Ducatu Gadebuschensi, accepisset, ac communiorem ab ipso sententiam defensam esse animadvertisset, illico testatum esse, probari sibi Schmidianam potius sententiam, majore fundamentorum robore nixam, idque sibi eo ipso tempore, anno scilicet superioris seculi nonagesimo, ad Academiam Rostochiensem divino nutu accedenti retulisse: quin imo laudatum Theologum eodem anno, in disputatione de Naturali erga Deum Obligatione, ubi Deum externo quoque honore colendum esse dixerat, asseverasse quidem, tempus etiam hunc ritum externum requirere, sed arbitrarium tamen pro circumstantiarum ratione, frequens nihilominus & parvo intervallo repetitum, prout convenit zelo honoris divini, quem habere nos oporteat; addidisseque, cum hexaemeri creationis cyclo numerare dies sueverint Judæi, quem divina revelatio suppeditaverat, satis convenienter septeno quoque die feriationem publicam definitam esse: nec dissensisse a se collegas suos, cum anno 1695 in thesibus polemicis hanc ipsam doctrinam Dorschei verbis repeteret: adduxisse vero eandem pariter ad Academiam Rostochiensem ejus novum & grande decus, D. Johannem Petrum Grünenbergium. Quibus ita traditis, considerandum serio eorum conscientiis præbet, qui Ecclesiæ nostræ rebus ubique locorum præsunt, & scriptorum in publicum edendorum censuram exercent, an permittere sine Ecclesiæ nostræ periculo possint, ut de isthoc inter Theologos sententiarum discrimine, amplissimi, quod nonnulli facturos se esse jam publicis scriptis prodiderint & quasi minati fuerint, producantur in lucem tractatus? cum quilibet prudentium facile perspiciat, magnum denuo incendium in Ecclesia exorturum esse. VI. Observat, Theologorum com-

complurimos, eos cumprimis, qui Luthero & Augustanæ Confessioni proximi fuerunt, ita aperte manifesteque Wagnerianam Schmidianamque sententiam expressisse, ut ne quidem, qui diversam a se tuentur opinionem, id inficientur. Quod ut demonstret, provocat ad Urbanum Regium & Johannem Brentium Luthero coævos, nec longe ab eo remotum Martinum Chemnitium: idem asseverat, jam in medio seculi superioris ambitu, D. Conr. Dieterici Institutiones Catecheticas, quæ in innumeras Germaniæ nostræ scholas introductæ publicæ confessionis vicem obierint, eandem sententiam dilucide exhibuisse: paulo post eandem non minori claritate in Academia Argentoratensi proposuisse Dorscheum, & ex eodem in Academia Wittebergensi defendisse Mayerum: adduxisse vero Dorscheum, tanquam indubitatos ejusdem doctrinæ testes, Chemnitium, Melanchthonem, Brentium, Wigandum, Heerbrandum, Dietericum, Flacium: & postea Sarcerium, Selneccerum, Schilterum & Hoëum, quorum fere omnium verba in exercitatione sua expresserit, antequam conspectui suo Theologia Moralis Dorscheana sese obtulerit. Tandem B. Dorscheum & B. Schmidium, contra Theologum Saxonicum, suæ sententiæ vindicat, atque asserit de cæteris omnibus, a se in schediasmate magno numero adductis, id saltim sibi denegari non posse, eos in ipsa litera, & primo ejus, qui intellectui illabitur, sensu eandem opinionem complecti; quæ vero eidem ab altera parte limitatio, quod Theologi isti, quando Christianis liberum esse septimum diem affirmant, non septimum indefinitum, sed Judaicum intelligant, adscribitur, non posse non cujusvis extra partes positi auribus insuetam, molestam & longe petitam videri. Denique addit, quæ Theologus, quem condignis satis præconiis extollere nequeat, in judicio de plerisque schediasmatis sui capitibus in publicum edito, circa Brentii nonum decimumque Sabbathi diem moneat, vix cuiquam facile nisi lecto ipsius invento, in mentem venire posse, aut applausum etiam a quoquam impetraturum esse: quod vero de tertio præcepto dicat, nihil in eo Judaicum esse, quod non ad omnes pertineat, novum prorsus esse, nec hactenus unquam auditum. Sub finem hujus digressionis, dignæ quæ ab omnibus legatur, adjicit, se eo solo fine illam instituisse,

misse, ut per eandem alios a contendendi studio abducat, aut, si nihilominus ita visum fuerit, ut communior sententia defendi debeat, ad moderationem & mansuetudinem Christianam eos exsuscitet. De ipso Dorscheano Commentario non est ut aliquid adjiciamus. Cum enim summa & incomparabilis B. Dorschei eruditio satis superque nota sit, non poterit non quilibet sibi, etiam de hoc ejus scripto, optima quæque polliceri.

JACOBI LADERCHII DISSERTATIO HISTOrica de sacris Basilicis SS. Martyrum MARCELLINI PRESBYTERI & PETRI EXORCISTÆ de Urbe.

Romæ, per Franciscum Gonzagam, 1705, in 4.
Constat 2 Alph. & 7 plag.

Quemadmodum Romanæ Ecclesiæ addicti nihil prius vel antiquius habere solent, quam ut memoriæ sanctorum hominum perpetuitas addatur: ita eorum honori non melius consuli posse existimant, quam si vel magnifica templa ipsorum memoriæ dicata ædificentur, vel saltem antiquitates veterum Basilicarum literis illustratæ ad seram usque posteritatem propagentur. Hoc ipsum enim effecit, ut Clarissimus Laderchius animum induceret, de sacris Marcellini & Petri Basilicis spissum sane opus auspicio Summi Pontificis elaborare. Istorum enim Martyrum Basilicas vel præcipuas in Urbe olim extitisse, Auctor affirmare non dubitat, & quamvis temporum injuria, vix unius Basilicæ vestigio superstite, & alterius haud parum imminuto decore, pristinus splendor in iis plane non appareat; hoc magis de proxima ejusdem recuperatione ipsis fore gratulandum, quod Summus Pontifex, consilio nunquam satis laudando, ipsarum restaurationi animum adjecerit. Jam quod ad ipsum opus attinet, in tres illud partes, easque satis prolixas, ab Auctore nobilissimo divisum est. Quamvis enim paucis, quæ proprie ad Marcellini & Petri Basilicas spectant, comprehendi potuisse, ipse non diffiteatur; vel propterea tamen opus crevisse ait, quia hæc fundamentis vel dubiis, vel parum notis rebus nitebantur, adeoque vel eorum explicationi, vel confirmationi non-

nunquam diutius inhærere necesse habuerit, ac præterea, si rem accurate lectorum oculis proponere voluisset, prolixas admodum digressiones non raro facere coactus fuerit. In prima igitur parte martyrium Marcellini Presbyteri & Petri Exorcistæ accurato
p. 5. studio exponit, eosque sub immanissima Diocletiani & Maximiani Imperatorum persecutione, anno Christi trecentesimo secundo, in Sylva nigra, quæ postmodum, in honorem Sanctorum, commutato nomine Sylva candida appellata fuit, post dira vincula & plurima tormenta capite plexos fuisse, ait. E Sylva vero candida, cor-
p. 7. pora Marcellini & Petri ad S. Tiburtium, inter duas Lauros, Via
p. 10. Lavicana translata fuisse, ac eadem Via Lavicana Constantinum Magnum Basilicam Marcellini & Petri, nec non Mausoleum He-
p. 23. lenæ matris suæ ædificasse. Istud vero Helenæ Mausoleum a Basilica Marcellini & Petri distinctum fuisse, multis argumentis pro-
p. 28. bat, & contrarium sentientium rationes refellit, tandemque in ultimis hujus primæ partis capitibus, multa de Baptisterio Constantiæ & Arca porphyretica Helenæ memoratu digna in medium
Pars II. affert. Sed præter Basilicam SS. Martyrum Marcellini & Petri
p. 101. Via Lavicana a Constantino Magno constructam, de qua hactenus Auctor egerat, alteram adhuc intra ejusdem Urbis mœnia sanctis iisdem Martyribus dicatam reperiri, antiquitate, Cardinalitio titulo, statione & ipsam venerabilem, de qua Auctor jam in
p. 102. secunda parte differere aggreditur. Istam igitur Basilicam in Ecclesiasticis monumentis variis nominibus insigniri, Clarissimus Laderchius observat, ac inprimis tum a Baronio, tum ab aliis quam multis auctoribus, sæpissime Basilicam de Suburra appellari; id quod propterea fieri ait, quod altera Basilica hæc Marcellini & Petri in Su-
p. 103. sqq. burra sita fuerit. Ea vero occasione prolixam de Suburra explica-
p. 104. tionem Auctor noster affert, eamque vicum frequentissimum fuisse, ex Juvenalis Satyra XI. v. 50. constare putat. Cæsarem Dictatorem ibi domum habuisse, Suetonium in vita ejus testari; ibidem vero meretrices quoque corpus quæstus gratia vulgasse, Martialem libro 6. epigr. 66. disertis verbis docere. Nomen unde traxerit, varias variorum Auctor allegat sententias, cum alii inde nomen habuisse, quod sub muro terreo Carinarum staret, alii, quod fue-
p. 137. 138. rit sub antiqua urbe, alii vero a pago Succusano, cui sententiæ Var-

ro-

ronis harum rerum peritissimi auctoritate non parum roboris accedit, ita dictam existimaverint, ut multas alias opiniones ab Auctore de hoc argumento allatas prætereamus. Cum vero Suburra sub Carinis fuisse perhibeatur, de iis quoque Laderchius prolixam dissertationem instituit, ubi de earum appellatione itidem variæ scriptorum sententiæ discutiuntur, & tandem, quo loco Carinæ fuerint, probabiliter demonstratur. Quod ad nomen Carinarum attinet, eas ita dici cum Varrone Auctor sentit, quod scilicet hinc oriretur caput Sacræ Viæ, siquidem κάρα apud Græcos idem quod apud Latinos caput significat. Istud Sacræ Viæ caput, juxta communem scriptorum opinionem, fuisse ad Titi Amphitheatrum, ut Donatus, Nardinus & alii innumeri testantur. Ceterum hasce Carinas in Urbe celeberrimas fuisse, veterum auctorum testimoniis confirmat, & a Virgilio lib. 8. Æneid. vers. 359 lautas appellari; id quod Auctor, ex mente Servii, vel propter elegantiam ædificiorum, vel propter Augustum natum cunis veteribus & nutritum in lautis Carinis, fieri existimat. Cum vero Marcellini & Petri Basilica Presbyteri Cardinalis titulo insigniatur, Auctor hinc ansam arripit de Titulis istis, qua de re multiplex inter Ecclesiasticos scriptores disceptatio fuit, prolixe disserendi; utpote quod argumentum totam propemodum tertiam partem hujus libri occupat. Solitam itaque in hoc opere methodum secutus, capite secundo ac tertio varias de Titulis scriptorum sententias colligit, ubi inter alias Julii Cæsaris Scaligeri conjecturam affert, qui, Cujacii opinione rejecta, verbum *Tituli* a verbo Græco τιμὴ derivare non dubitat, ut idem sit honor ac titulus. Cap. IV, V & VI Baronii, Albitii, Gretzeri, Frizonii & Florentini sententiæ de *Titulis* refelluntur, qui *Titulos* domos divino cultui destinatas fuisse existimant, in quibus Christiani synaxes agere consueverint. *Titulos* enim domos fuisse Auctor asserit, in quibus non tantum Basilicæ ad sacra peragenda constituebantur, sed ubi præterea profugis aut pauperibus fidelibus hospitium & victui necessaria suppeditabantur. Cap. VII, & VIII de divisione ac numero *Titulorum*, & ubinam constituti fuerint, nec non de nomine Cardinalium luculenter agit. Cap. X, occasione earundem Petri & Marcellini Basilicarum, de Litania septiformi quædam commentatur, quæ

p. 111. seqq.

p. 131.

Pars II. p. 202. sq.

a Divo Gregorio, anno Christi 590, ad iram Dei averruncandam, tum temporis urbem Romam dira lue vastantem, indicta fuit, Cap. denique XIV præsente forma Basilicæ SS. Marcellini & Petri descripta, capite ultimo Elenchum omnium Romanæ Ecclesiæ Presbyterorum Cardinalium Tituli SS. Marcellini & Petri, a S. Gregorio Magno usque ad Clementem XI, accurato studio recenset.

DE VETERIBUS REGUM FRANCORUM DIPLOmatibus, & Arte secernendi antiqua diplomata vera a falsis, Disceptatio ad R. P. D. JOANNEM MABILLONIUM Monachum Benedictinum. Auctore P. BARTHOLOMÆO GERMON S. J. Presbytero.

Parisiis, apud Johannem Anisson, 1703, in 12.
Constat dimidiatis foliis Alph. 1 pl. 9.

NOn vulgarem hactenus applausum tulit celeberrimi Mabillonii opus de Re Diplomatica, quod in hisce Eruditorum Actis primo anno comparere fecimus, atque in eo multa, ad firmandam vel enervandam veterum instrumentorum fidem, maximi ponderis præcepta invenisse sibi visi sunt antiquitatum historicarum cultores. Ast qui præsenti libello in publicum prodit Germonius, totam illam canonum a Mabillonio traditorum structuram convellere, ipsaque adeo fundamenta subruere conatur, licet solo veritatis investigandæ studio istud laboris in se suscepisse affirmet. Scilicet dum Benedictinorum doctissimus in prælaudato opere asseruit, artis utique esse vera diplomata a falsis discernere, illaque demum pro genuinis habet, in quibus stilus, subscriptiones, sigillum, chartæ genus, aliaque hujusmodi iis seculis concordant, quorum notas præferunt, talia autem cognoscenda docet ex autographis, quæ a vetustis temporibus ad nos incorrupta pervenerunt, ipseque statim subjunxit: disceptationis hujus Autor sagacissimus præprimis inquirendum statuit, an repræsentata illa autographorum specimina eam fidem mereantur, ut iisdem certæ atque indubitatæ regulæ superstrui potuerint. Suspecta vero in genere illa judicat septem potissimum ex rationibus.

Pri-

Primo nempe sub Merovingis & Carlovingis Regibus, hoc est, sexto, septimo vel octavo seculo, scripta autographa ægre ad nostra tempora servari potuisse contendit, tum quia in papyro Ægyptiaca, cortice ac membranis, corporibus valde caducis, exarata, ideoque mucori, situi muribusque perquam obnoxia fuerint; tum quia scriniorum custodes non nimis anxie chartis invigilaverint, scientes quippe, longi temporis possessionem minime controversam, plus autoritatis apud judices obtinere debere, quam diplomata scripta; tum denique quia illa ipsa loca, e quibus pleraque autographa depromantur, incendiis atque deprædationibus misertime fuerint deformata, ut vel marmorea veterum Regum monumenta iis succumbere oportuerit, adeoque prodigii instar foret, si diplomata ista mitiorem sortem invenissent, sane hoc ipsum ad minimum accurate demonstrari debuisset. Secundo falsarios magno numero, variis retro seculis, & quidem sexto, nono atque undecimo, increbuisse notat, a quibus plurima omnium judicio spuria diplomata promanaverint, cum iisdem, quæ genuina dicuntur, passim asservata, ut adeo manifestis argumentis opus sit, antequam hæc pro veris venditare liceat. Hisce itaque præsuppositis, tertio colligit, vetusta diplomata vera a falsis certo secerni haudquaquam posse, quoniam non æque facile, ut mendo aliquo in charta animadverso falsi eadem arguitur, ita chartam a vitiis visibilibus forte intaminatam, veram statim ac legitimam pronunciare detur, cum impostorum astutia, in fabricandis diplomatibus, præcavere potuerit, ne vel in chronologiam vel antiquiora monumenta ulla in parte impingerent. Licet igitur falsis non sint annumeranda hujusmodi diplomata, quæ nullam falsitatis maculam oculis ingerunt, neutiquam tamen veris atque indubitatis eadem accenseri posse, sed inter dubia atque incerta relegari debere, cum veritatem illorum nemo apodicticis rationibus demonstrare valeat. Sic adesse aliqua in cortice non modo scripta, sed & scripturæ forma, notis chronologicis, sigillis, monogrammate Imperatorio, recognitione notarii, testiumque subscriptione veris instrumentis simillima, quæ tamen ipse Mabillonius, Conringius, Baluzius, Tenzelius aliique Viri eruditi falsa judicaverint, evidentissimo indicio, enarrata modo signa ad probandam auto-

graphorum veritatem nullatenus sufficere. Quarto nec ex barbaro illo scribendi genere, quod Merovingicum appellatur, certi quicquam elici posse arbitratur, cum adhuc sub judice lis sit, utrum scriptura hujusmodi Francis, qui Romana delectabantur, cognita fuerit nec ne, & tametsi illud admitteretur, falsarios tamen & nebulones male feriatos eadem facilitate illam imitari valuisse, qua veterem Longobardicam manum expressit, quisquis ille fuerit impostorum, qui in charta plenariæ securitatis, uti quidem Brissonio audit, inque dorso ejus hæc verba inscripsit: *C. Julii Cæsaris testamentum L. Pisone socero recitatum in domo Idibus Septembris*; quibus deceptus Mabillonius, illud testamentum C. Julii Cæsaris autographum olim putaverat, quod tamen trigesimo octavo Justiniani Imp. anno notatum, atque apochæ instar se habere, postmodum deprehenderit. Quinto exhibita illa a Mabillonio veterum diplomatum specimina sublestæ fidei insimulat, propter corruptissimam ipsorum orthographiam, nec credi posse innuit, Referendarios & Notarios Regios, qui plerunque eruditione excelluerint, Latinum sermonem ejusque scribendi normam adeo ignorasse, ut tam crebro, tam turpiter contra illam peccaverint, ceu pluribus apricum facit, in uno eodemque instrumento easdem voces diversimode, ast pessime pictas occurrere. Nec minus barbariem styli tantam ibi se prodere sexto quæritur, ut fœdior fere esse nequeat, cum tamen in aliis istius ævi scriptis, quæ non sine judicio allegat, tolerabilior multo loquendi ratio frequentetur, mirarique adeo subit Nostrum, cur ipsissimus Audoënus Rothomagensium Archi-Episcopus, quando S. Eligii Noviodunensis Præsulis vitam contexuit, sermonem cum Grammaticæ legibus satis congruentem adaptavit, in confectis vero a se, propter Referendarii munus, quod sub Dagoberto & Clodoveo II RR. gessit, diplomatibus tam barbare incedat. Ultimo tandem suspicionis ansam, eamque gravissimam, Nostro porrigit ipsum Archivum Dionysianum, unde Mabillonius autographa sua maximam partem accepit, scrupulumque simul generat, quare scriptor Anonymus, ab Andrea du Chesne editus, qui gesta Dagoberti Francorum Regis consignavit, omniaque donaria, quibus Basilicam S. Dionysii antiqui Reges locupletarunt, sollicite recensuit, ad-

adducendo ſubinde diplomata ſeu præcepta, quæ largitionum fidem adſtruerent, omiſerit illa, quæ Dubletus in libro de veteribus Cœnobii Dionyſiani monumentis publicavit. Atqui ille nonniſi quindecim Dagoberti præcepta protulit, e quibus Dubleti ætate quinque vel ſex ſaltem ſupererant, hic e contra octodecim inſtrumenta Dagobertina, nova potiſſimum, detexit. Sed Mabillonii felicitatem adhuc magis ſtupet Noſter, utpote qui e tot chartis Merovingicis a Dubletio excuſis, quinque tantum operi ſuo Diplomatico inſeruit, & tamen triginta atque unum diplomata hujus generis ibidem coacervare potuit. Hujuſcemodi itaque mutationis, quæ Dionyſiano archivo in melius obtigit, cauſas ſibi exponi poſtulat, cum de facili quidem concedat, inſtrumenta vetera ſenſim atteri & perire poſſe, non vero diſpiciat, quo pacto illa indies augeri, temporumque ſucceſſione nova pullulare queant. Poſtquam igitur hæc aliaque contra memorata autographa generatim objecit Germonius, ad potiora, quæ Mabillonius omnium certiſſima judicavit, atque ære incidi fecit, in ſpecie expendenda convertitur, quo in inſtituto num operam omnem luſerit, Lectorum diligentiæ inveſtigandum permittimus. Id ſane in examine quindecim diplomatum Autor ſe eviciſſe autumat, Mabillonii artem vera diplomata a falſis ſecernendi nondum ſatis firmo inniti talo, ſed fortiora inſuper deſiderare argumenta, quibus ſuppeditatis veritatem ſe ultro amplexurum, diſerte ſpondet.

HISTORIA MORBORUM, QUI ANNIS MDCIC, MDCC, MDCCI Vratislaviæ graſſati ſunt, a Collegis Acad. Leopold. Nat. Curioſ. Vratislavienſibus in lucem edita. Accedit Appendicis loco Tractatus de Experientia.

Vratislaviæ & Lipſiæ, ſumptibus Chriſt. Bauchii Bibliopolæ Vratisl. 1706, 4.
Conſtat Alph. 2.

QUis ſcopus præfixus ſit, & qua methodo uti libuerit Clariſſimis Leopoldinæ Academiæ Nat. Curioſ. Collegis Vratislavienſibus, in pertexenda Hiſtoria Morborum, qui Annis 1699, 1700, 1701 Vratislaviæ graſſati ſunt, a nobis in Actis Anno 1701. Menſ. Decembri pag. 521, Anno 1702. Menſ. Novembri p. 504, & Anno 1704 Menſe Februario pag. 67, ubi Hiſtoriam ſingulorum annorum ſeorſim prodeuntem recenſuimus, jam dum indigitatum fuit. Nunc poſtquam conjunctim editæ trium horum Annorum Hiſtoriæ, & Appendicis loco Tractatu Philoſophico-Medico de Experientia locupletatæ ſunt, quid in hoc ultimo notatu digni contineatur, breviter ſumus expoſituri.

Diſ-

Dispescitur hic in 2 Capita, quorum I. Experientiam in genere, & eam, quæ aliena nititur fide, explanat; II. eam, quæ ex propriis observationibus acquiritur, dilucidat. In genere Experientia duobus modis accipitur. Vel enim denotat notitiam, seu cognitionem singularium, unius ejusdem speciei, vel præter istam cognitionem significat etiam collectionem, ita ut cognita singularia habeant in isto discursu rationem antecedentis, ex quibus deinde elicitur consequens; sicque differt eadem ab actu sentiendi & ab ipso habitu. Innotescunt autem nobis singularia tum aliorum relatione, tum propriis sensibus. Sed sæpissime contingit, ut fabulosa Autorum decipiamur relatione. Ne igitur horum narrationibus fidentes loco thesauri experientiæ colligamus carbones, perquam necessarium est, ac utile, cumprimis scire, quibus tuto credere possis. Hinc notandum, illis fidere licere, qui potuerunt ac voluerunt vera narrare. Is vero posse censendus est, 1) qui sufficienti & ad unamquamque rem dijudicandam necessaria instructus est eruditione; 2) qui reliquis adminiculis omnibus non destituitur; 3) qui in ipso loco degit, in quo res est describenda; 4) qui temporis opportunitate non excluditur. Eum autem, qui potest, etiam velle colliges, si vir fuerit bonus & honestus. Quia vero larva honestatis indutus nemo non in proscenium prodit, sequentes regulæ inserviunt, ad explorandas hominum hac in re voluntates. 1) Si vel ex scripto vel aliunde nobis constiterit, Authorem famæ & gloriæ immodicum aucupem fuisse, de ejus voluntate vera referendi dubitandum est. 2) Innovatores, qui semper refingunt, retractantque etiam a se non intellecta, & in nulla re nisi in novis hypothesibus fingendis sibi placent, plenam fidem non merentur. 3) Qui calamum modo adversus hunc, modo illum stringunt, decoxere fidem. 4) Æris coruscatores, qui jactant enchireses, novos processus, arcana toties totiesque felicissimo successu comprobata, sublestæ fidei sunt testes. Quod altero loco experientiam attinet, quæ paratur ex singularibus, a nobis officio sensuum nostrorum cognitis, Aristotelis illud hic valet: *Sensus propriorum objectorum semper verus est*, modo adsint omnia requisita, scilicet 1) organum recte affectum, 2) objectum idoneum, 3) medium naturaliter se habens, 4) intervallum debitum. Singulare autem rite observatum memoriæ bene est imprimendum. Ad experientiam ergo necessariæ sunt plures memoriæ singularium, quæ vel idem perpessa sunt, vel iisdem qualitatibus prædita, vel multa habuere prædicata eadem. Qui ita instructus est, deinde progreditur ab his singularibus ad aliud eis simile. Et talis integra collectio commode experientia nominatur, & definiri potest, quod sit progressus a singularibus ad aliud singulare. Contra quas tamen regulas experientiæ comparandæ peccant 1) fastuosi, qui negative ita concludunt: Neque hoc neque istud sensibus meis usurpavi, E. neque unum neque alterum erit, 2) illi, qui ex uno singulari, quomodocunque cognito statim inferunt aliud singulare, imprimis in cura ægrorum.

** ** **

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Julii Anno MDCCVI.

JOANNIS GERSONII OPERA OMNIA, NOVO ordine digesta & in V Tomos distributa, ad manuscriptos codices quamplurimos collata & innumeris in locis emendata, quædam etiam nunc primum edita: quibus accessere HENRICI de HASSIA, PETRI de ALLIACO, JOANNIS BREVICOXÆ, JOANNIS de VARENIS Scriptorum coætaneorum, ac insuper JACOBI ALMAINI & JOANNIS MAJORIS tractatus partim editi partim inediti, nec non monumenta omnia ad causam JOANNIS PARVI pertinentia, opera & studio M. LUD. ELIES DU PIN S. Facultatis Parisiensis Theologi & Philosophiæ Professoris Regii, qui huic novæ editioni præfixit GERSONIANA.

Antwerpiæ, sumtibus Societatis, 1706, in Fol. Constant Alphab. 33 & plag. 20.

Nova prodeunt induta facie Opera Viri suæ tempestatis prudentia, pietate & doctrina nemini facile secundi, Doctoris, uti vulgo audire solet, Christianissimi, sempiternæ Parisiensium gloriæ & Constantiensis Concilii columnæ. Quæ cum tanti fiant eruditis, ut neminem in iis sine insigni versatum fructu existiment, quid miremur, quod prima inter documenta inventæ modo artis typographicæ compareant, & sexta jam vice, si quoties, ex quibus constant, tractatus seorsim editi sint præteream, emendatiora nobis sistantur? Quid operæ ac studii huic editioni impenderit Clarissimus *Du Pin*,

celeberrimum illud inter Sacræ ac Litterariæ Historiæ cultores nomen, dabunt nobis *Præfatio* partim eique annexa, partim quæ hanc excipiunt *Gersoniana*. Præfatione edocemur, quoties opera Gersonii prodierint sigillatim, quoties conjunctim omnia. Et collectio quidem illorum facta est primo Basileæ anno M CCCC LXXXIII, dein Argentorati anno M CCCC LXXXIX, iterum Basileæ anno M D XIIX, demum Parisiis anno M D XXI & anno M DC VI. Quæ editio postrema etsi reliquas superet & forma & characteribus, haut multo tamen est accuratior, non quod editor *Edmundus Richerius* huic labori par non fuerit, sed quod ob bibliopolarum impatientiam, aliis districtus curis non potuerit ei, quod necessarium fuit temporis impendere. Proinde & divisio operum Gersonii, uti compacta vulgo sunt, instar foliorum Sibyllæ confusa, & quæ textui irrepserant errata, ordinem postularunt meliorem, majoremque codices manuscriptos conferendi atque exscribendi industriam. Id quod viros excitavit doctos atque cordatos, ut editionem molirentur cæteris cultiorem, auctiorem & castigatiorem, inprimis cum rara admodum sint & multi veneant exemplaria, forsitan & inde, quod Cardinalis *Barberinus*, præ nimio curiæ Romanæ studio, supprimere ea penitus adlaboraverat, sed perperam. Ultimam itaque limam illis adhibuit Vir quidam doctissimus, quem Noster honoris causa appellaturus erat, nisi ipse nomen suum reticeri voluisset: sed prælo opus tradere paratus, quo ignoratur fato consilium interrupit, & provinciam hanc Clarissimo nostro *Du Pin* demandavit. Is retinuit quidem, quæ jam annotata erant atque emendata ab hoc Operum Gersonii instauratore, sed & ipsemet multos tractatus, ad codices manuscriptos Victorinos, Navarricos, Colbertinos aliosque nondum collatos, recensuit, L ferme Gersonii lucubrationes ex manuscriptis eruit, scriptorum coætaneorum tractatus aliquot insignes hactenus ineditos operibus hisce adjunxit, monumenta ad causam Johannis Parvi spectantia, quæ nondum lucem viderant, in unum volumen congessit, omnia denique opera novo ordine digessit, atque quinque Tomis distinxit. Illorum Tomus I continet Dogmatica, II. ad Ecclesiasticam Disciplinam pertinentia, III Moralia, IV. Exegetica & Miscellanea, V. Acta ad causam Johannis

Par-

Parvi spectantia. Atque hæc sunt, quæ præfamine persequitur. Cui proxime annexa sunt *primo series* eorum, quæ nova hac Gersonii operum editione continentur, in qua asterisco semper notantur nunc primum in lucem emissa; *dein Index* operum Gersonii juxta editionem Parisiensem anni MDCVI, ad hanc novam exactus, cujus beneficio, quæ in veteri dantur opuscula, in recentiori nostra inveniantur, qualem suasit ordinis immutatio; *tandem Synopsis Chronologica* Pontificum Romanorum, Imperatorum & Regum Occidentis, qui Gersonio vivente extiterunt. Iis præmissis, sequuntur ipsa *Gersoniana* in IV Libros divisa, quorum, Lib. I. Historiam Ecclesiasticam temporis illius, quo Gersonius vixit, enarrat, Lib. II. Johannis Gersonii, Petri de Alliaco, Nicolai Clamengii, aliorumque coætaneorum Scriptorum vitas comprehendit, Lib. III. agit de scriptis Gersonii, Lib. IV. doctrinam illius per universa Theologiæ capita persequitur. Liceat eruditam hanc in Gersonium introductionem strictim perlustrare, quæque notatu digniora videntur atque gratiora delibare, ut, quid ex editione hac recenti redundaturum sit commodi in pium doctumque lectorem, aliquo illi modo innotescat.

In Libro I. itaque res in Ecclesia, dum vixit Gersonius, gestas persecuturus Clarissimus Auctor, tres sibi constituit sectiones, illarumque *prima Historiam Schismatis a morte Gregorii XI ad Pisanum Concilium* enarrat. Scilicet qui rem altius repetet, miseræ isti Sionis fissuræ occasionem dedisse animadvertet sedis Pontificiæ immutationem, quæ anno MCCCV Roma Avenionem a Clemente V transferebatur. Hunc cum imitarentur successores LXX & amplius annis, summi Pontificis absentia, urbs Roma totaque ferme Italia in eam prolapsa est miseriam, ut continuo belli atque seditionum motu agitarentur. Maxima isthæc Ecclesiæ Romanæ calamitas, non solum impulit Urbanum V & Gregorium XI, ut iter in Italiam facerent, neque aliorum curæ omnia committerent, sed & populum Romanum, ut, quantum per ipsum fieri posset, Gregorio XI, anno MCCCLXXI mortuo talem succedere curaret Episcopum, qui more antiquo ab Ecclesia sua non abesset. Varii hinc Romæ de futuri Pontificis electione suscitabantur tumultus, flagitante Italum populo, renun-

tiaturis Gallum Cardinalibus, quippe in quorum Collegio Gallorum factio prævalebat. Metu tamen multitudinis tumultuantis & conclamantis, *Romanum volumus aut Italum*, Archiepiscopum Barrensem Neapolitanum dixerunt Pontificem, nomine Urbani VI postea insignitum. Sed cum Cardinalium a se abalienasset animos, potentiam ac opes illorum imminuere conatus, hi de alio Pontifice eligendo inierunt consilium, & relicta dolo Roma, statim Pontificatui ejus miserunt nuntium, hortati Papam serio, ut semetipsum abdicaret potestate, quam injusto titulo possideret, & male adeo administraret. Nec diu post in ejus locum elegerunt Rob. Gebennensem, quem Clementem VII appellant. Constitutis ita duobus Papis, in duas orbis Christianus abiit partes, aliis Urbanum venerantibus, Clementem aliis. Urbano adhæserunt Germania sub Imperatore Carolo IV, Hungaria, Anglia, Bohemia, Polonia, Dania, Suecia, Norwegia, Prussia, Belgium, Tuscia, Longobardia, Ducatus Mediolanensis & magna pars Italiæ. Cum Clemente vero fecerunt Neapolitani, Galli, mox Scoti, Navarri, Sabaudi, Lotharingi & deinde Hispani. Quamvis autem partes Clementis amplexi erant Galli, non tamen Academia Parisiensis huic Pontifici fuit addicta, eo quod Ludovico, ab ipso Siciliæ Regi declarato, in belli contra Carolum Dyrrachinum sumtus concesserat decimas bonorum Ecclesiasticorum, unde maximum Universitati emergebat detrimentum. Quod cum avertere conarentur Academiæ proceres, in odium Pontificis inciderunt atque Ludovici, qui Johannem Roncium Gessoriacum Theologum in carcerem conjecerunt, & Rectorem Academiæ Magnificum comprehendi jusserunt, tanto omnium terrori, ut multi, eosque inter Gersonius noster, Lutetiam relinquerent. Licet autem Parisienses non starent a partibus Clementis, neque tamen ad Urbanum accesserunt, in id intenti unice, ut turbata diro schismate Ecclesia paci & libertati redderetur. Circa id tempus, anno MCCCLXXXII, controversiæ natæ Dominicanos inter & Franciscanos, circa aliquot fidei capita, & maxime de immaculata Virginis Mariæ conceptione, quam negabat Johannes de Montesono Doctor Theologus Parisiensis, quique cum eo faciebant Dominicani, affirmabant autem Theologi ac Professores cæteri, quos inter

ter Petrus de Alliaco, cujus scripta Gersonii nostri operibus inserta sunt, principem facile locum obtinebat. Ejusmodi autem contentionibus schisma Pontificum fuit adauctum: quorum enim sententiam Clemens damnaverat, illi deficiebant ad partes Urbani, atque ita duravit eo usque, ut interea Dux Andegavensis & Carolus Dyrrhachinus, de regno Neapolitano in Italia contendentes morerentur, ipse quoque Urbanus VI anno MCCCLXXXIX decederet. Ea rerum mutatio non exiguam dedit spem recuperandæ in Ecclesia tranquillitatis, omnique a quamplurimis contendebatur opera, ne alius in Urbani locum eligeretur Pontifex, sed frustra: sequenti enim mense Petrus de Thomacellis dignitatem hanc obtinuit, atque Bonifacii IX nomen assumsit. Nihilominus Pontifices ipsi suam ad pacem proclivitatem Regi Christianissimo significarunt, eidemque, ut saluti consuleret communi, suaserunt: unde sub illius auspiciis instituta est deliberatio in Academia Parisiensi, quæ ex plurium sententia, tres ad tollendum schisma vias judicavit aptissimas, nempe viam *cessionis* seu renuntiationis utriusque contendentium, *compromissionis* amborum in aliquos solennes viros, & *Concilii generalis*, quas Nicolaus de Clamengiis, cæterorum nomine, libello Regi submisse oblato egregie commendavit. Non quidem statim Rex votis Academiæ annuit, sed nec illa propterea ab instituto suo recessit, potius ad ipsum Pontificem Clementem dedit epistolam, qua eundem serio obtestabatur, ut hæc revocandæ pacis consilia admitteret. Qui cum animadverteret, plerosque Cardinalium Avenionensium ratas habere propositas a Parisiensibus vias, conjectus est in mœrorem, & paucis post diebus, subita correptus apoplexia, obiit anno MCCCLXXXXIV. Misso de obitu Clementis ad Academiam Parisiensem nuntio, illa mox Regem implorat, ut Cardinalium Collegium moneret, ne in defuncti Pontificis locum alium eligerent, donec circa unionem plenius foret deliberatum, sed potius ipsimet nova restituendi pacem adminicula suppeditarent. Equidem Rex votis hisce dedit locum, & ad Cardinales de electione Pontificis scripsit, sed eo non obstante, electus est Petrus de Luna, qui alias Benedictus XIII nuncupatur. Is pacem simulabat, reapse vero Pontificatum pertinaciter adlaborabat retinere: licet

enim in Concilio Ecclesiæ Gallicanæ, via cessionis electa, Pontifici a Rege Galliæ offerretur per Legatos splendidissimos, Johannem Ducem Bituricensem, Philippum Burgundum, Ludovicum Ducem Aurelianensem, tres Episcopos, aliosque regni Principes, qui una cum Cardinalibus Avenionensibus obtestando atque monendo instabant apud Benedictum, ut viam cessionis admitteret, omnia tamen cum eo colloquia, omnes suasiones, omnes obtestationes fuerunt frustranea. Academia tamen Parisiensis consilium de cessione, ceu optimum, quocunque modo commendare perrexit, inprimis in aulis Principum, per Regis suosque Legatos, non obstante, quod Pontifex minas illi totique regno intentaret, tandemque rem eo deduxerunt, ut Reges & populi plerique in suam irent sententiam. Itaque anno MCCCXCVII conventus de pace Ecclesiæ instituti sunt Francofurti primum, postea Parisiis, & anno MCCCXCVIII iterum in Gallia, in quibus decernebatur, Pontifici obedientiam esse subtrahendam, donec viam cessionis acceptasset. Varia interim a Theologis & Canonistis promulgata sunt scripta, quorum alia subtractionem defendebant, alia rejiciebant. Gersonius noster, uti erat vir mitis ac prudens, media incedebat via, restituendam suadens obedientiam, sed non in iis, quæ ad collationem beneficiorum & alia Ecclesiæ temporalia pertinent; quæ sententia sæpius postea in Synodis Gallicanis repetita, & in hunc usque diem confirmata est. Reddita quoque est, præterlapso quinquennio, Pontifici potestas sub conditionibus, & præcipue promovendi concordiam, quibus ut se conformem demonstraret, per legatos cum Bonifacio de pace Ecclesiæ agere instituit. Re ipsa autem Principes delusit atque Episcopos, id tantum molitus, Pontificatum suum ut confirmaret, & proposita cessionis aliaque restituendæ pacis media, proprio suo commodo adversa, interrumperet. Cessit ei hæc declinandi media unionis astutia, tamdiu ex voto suo, ut interea temporis & Bonifacius IX, & qui ei jam successerat, Innocentius VII morerentur. Cum autem Papa uterque, & Romæ & Avenione sedens, elusiones suas nimis aperte proderet, & Benedictus quidem restituta sibi potestate tam male uteretur, ut Bullas in Galliam mitteret excommunicatum, quotquot vel meditarentur, vel executioni essent mandaturi obedien-

dientiæ ſubtractionem, Rex Galliæ eandem publico contra utrumque edicto promulgavit, prætereaque Mareſchallo ſuo Bucicaldo mandavit, ut Benedictum caperet. Is autem fuga in Catalauniam ſe recepit, ſicuti & Gregorius XII Innocentii ſucceſſor Romam deſeruit. Hoc cum cernerent utriusque Collegii Cardinales, conveniunt, Conciliumque in civitate Piſana indicunt. Hucusque progreditur prima hujus Hiſtoriæ pericope. *Altera* complectitur res in Concilio Piſano geſtas, quæque ſub Alexandro V & Johanne XXIII, usque ad Concilii Conſtantienſis convocationem, contigerunt. Convenerunt itaque anno MCCCCIX Piſis in Eccleſia cathedrali XXII Cardinales, LXVII Legati, IV Patriarchæ, XII Archi-Epiſcopi, LXVII Epiſcopi præſentes, & per Legatos LXXXV Abbates quamplurimi, cum Generalibus, Miniſtris, Procuratoribus & Prioribus diverſorum Ordinum, & Monaſteriorum ac Academiarum Deputatis, & ad diem ſeptimam Auguſti, XXII conſeſſibus, de reddenda Eccleſiæ pace deliberarunt. Tandem juſſu Concilii pronuntiata eſt ab Alexandrino Patriarcha ſententia, qua uterque Pontifex a Pontificatu rejectus eſt. Poſtea eligebatur in illorum locum Alexander V, qui omnia a Synodo hac decreta probavit bulla, die ultimo Januarii A. MCCCCX data. Sed is cum ætate eſſet provecta, nempe ſeptuagenarius, totum ſe permittit Baltazari Coſſæ, & Bononiæ moritur anno MCCCCX die VI Maji, paulo poſt quam illuc eſſet deductus a Coſſa; qui uti Curiæ Pontificis optime erat gnarus, in Pontificatu ei ſucceſſit, aſſumto Johannis XXIII nomine. Varia autem tertio huic Pontifici, cum duobus reliquis de ſumma in Eccleſia poteſtate certanti, adverſabantur. In Italia Gregorius XII Utinæ celebrabat conventum, ſummis eo annixus viribus, Prælatorum ut ſibi conciliaret animos, quorum quosdam creabat Cardinales, in alios alia conferebat beneficia. Præterea Roma a Ladislao capta, Johannes fuga ſaluti conſulere cogebatur. In Gallia Bulla Alexandri, Mendicantibus Fratribus conceſſa, & exactio decimarum penitus rejiciebantur. Et licet Johannes anteceſſoris ſui Bullam de Mendicantibus revocaret, nihilominus immunitatem ab exactione decimarum & aliorum redituum ex beneficiis vacantibus, Pariſienſes ſtrenue defendebant, prouti edicto Regio anno MCCCCVI erat

con-

constitutum. Hæc omnia tamen electionem novi Pontificis non reddiderunt irritam; ipse quoque Pontifex operam dedit, ut promissis Concilio fieret satis, & Ecclesia tum in capite tum in membris emendaretur. Eousque *sectio* altera. *Ultima* complectitur narrationem eorum, quæ ad extinguendum schisma in Concilio Constantiensi & post Concilium gesta sunt, usque ad mortem Gersonii. Indictum igitur atque convocatum Concilium a Johanne XXIII, rerum suarum angustiis adacto, & in urbem quidem Constantiam A. MCCCCXIV, cui Gersonius interfuit nomine Regis atque Academiæ Parisiensis, princeps inter utriusque Legatos, tantæ apud Patres conscriptos omnes existimationis, ut nihil sine eo annuente & consulente tentaretur, nedum decerneretur. Emendatio Ecclesiæ diu quæsita ita tandem instituta, ut primum Johannes XXIII, dein Gregorius XII, tandem etiam Benedictus XIII Pontificatu abdicarentur. Omnes quidem diu reluctati, noluerunt summa Ecclesiæ potestate cedere. Benedictus in castello Aragoniæ Panischola conclusus, nomen & insignia Pontificatus retinuit, ad mortem usque, quæ contigit anno MCCCCXXIV, aliumque Cardinales, qui eum illuc secuti erant, crearunt Pontificem, Clementem VIII. Postquam autem Concilium Constantiense A. MCCCCXIIX Martinum V elegerat, omnes fere Reges ac Principes, etiam illi tandem, qui cum Papis reprobatis faciebant, eundem agnoverunt. Idcirco Papæ reliqui, ad incitas jam redacti, Pontificatum deseruerunt. Gregorius Martino sese submisit, eoque ipso in Collegio Cardinalium Decani locum obtinuit. Clemens in Aragonia ultro dignitati nuper sibi collatæ renuntiavit, quique illum creaverant Cardinales, elegerunt declaratum dudum Martinum, eoque ipso electionem ejus calculo suo confirmarunt. Ita schismati, quod per LI annos duraverat, anno MCCCCXXIX sublatum est, quo ipso etiam Gersonius vitam cum morte commutavit. Dignum quoque memoratu est Concilii hujus decretum, de auctoritate Concilii in Papam, quod non de schismatis tantum tempore intelligi debere, Clarissimus Du Pin pag. 31 demonstrat.

Libro II. & quidem §. 1 continetur vita Gersonii, cujus parentes, educationem, munera, legationes, adversam sortem, au-

auctoritatem & mortem Noster erudite persequitur. Non immorabimur illorum recensioni, quæ a compluribus literis mandata & obvia cuique sunt: suffecerit advertisse, addita esse a Nostro exilii Gersonii descriptionem, ipso Gersonio auctore, & alia quædam vitam ejus & doctrinam concernentia, quæ frustra fortassis alibi quæsiveris. Omni certe silentio præteriri nequeunt fata, quibus obnoxius Gersonius fuit, utique stupenda. Humillimo natus loco, in viculo Gersone, unde Gersonius dicitur, cum alias Johannes Charlerius vocetur, evectus intra XXX annos fuit ad summum Cancellarii in Academia & Ecclesia Parisiensi dignitatem, tantamque apud omnes existimationem, ut inter Legatos Regis Galliæ in rebus Ecclesiæ gravissimis occupatos non semel primum obtinuerit locum: ast mox ex summo felicitatis fastigio præcipitatus in maximam perpetui exilii miseriam, tot pro pace Ecclesiæ exantlatis laboribus utique indignam. Origo hujus mali fuit ira Ducis Burgundionum, in quem zelo percitus divino invectus erat ob perpetratam Ducis Aurelianensis cædem, cum oratione publica, tum refutatione Johannis Parvi, Ducis Burgundiæ defensoris. Quam ob causam Lutetiam repetere cum minime auderet, in Bavariæ montanis & in Austria oberravit, tandemque Lugdunum fugit ad fratrem suum Cælestinorum Priorem, ubi absconditus puerorum institutione vitam consummavit. Sequitur §. 2. vita Petri de Alliaco, Cardinalis Cameracensis, primi Gersonii Magistri, Compendii ad Isaram anno MCCCL nati. Is haut claris satus parentibus, comparata Parisiis humanarum pariter ac divinarum rerum scientia, Hypodiaconi primum spartam subiit, mox Theologiæ Professor & Collegii Navarrici Præpositus, inter discipulos suos Clamingium habuit ac Gersonium, celebris præterea ex controversia de *Immaculata Virginis Conceptione*, quam acerrime propugnavit. Anno MCCCXXCIX creatus est Cancellarius Parisiensis, & anno MCCCXCIV Capellæ Regiæ Parisiis Thesaurarius, eaque magni honoris ac emolumenti obtenta dignitate, munus Cancellarii transtulit in Gersonium. In causa schismatis cum ita se gereret, ut a consilio ejus multa penderent, Benedictus Papa, in partes suas eum pertracturus, designavit Episcopum, & quidem primum Podiensem A. MCCCXCV

post sesquiannum vero Cameracensem. Quibus devinctus beneficiis, quamdiu potuit, strenue Benedictum defendit, ast cum Ecclesiæ tranquillitas restitui neutiquam posset, nisi de Pontificatu contendentes cederent hac dignitate, publicam utilitatem anteposuit privatæ, atque Alexandri V electionem probavit, quin imo promovit. Tandem A. MCCCCXI a Johanne XXIII Cardinalitia insignitus purpura, Concilio Constantiensi interfuit, & cum Gersonio de Ecclesiæ emendatione operam dedit, magna inter illos animorum consensione, mortuus tandem in Germania, in quam alteram susceperat legationem A. MCCCCXXV. Porro §. 3 exhibetur vita Nicolai Clamengii, vulgo de Clemangis dicti, cujus laudes Clarissimus du Pin ita extollit: *nulli veterum cedit Clamengius, sive sermonis ubertatem, sive sententiarum sublimitatem attendas, & plerosque superat elegantia verborum & Latini eloquii puritate. Hujus oratio vera ac nativa nec affectata eloquentia ornatu splendescit, electis dictionibus, locupletibus sententiis, & tum sacrorum tum profanorum Scriptorum appositis allegationibus abundat. Nihilominus in declamationibus aliquando modum excedit, & in Satyris nimis acer videtur; at in descriptionibus jucundus est, in narrationibus politus, in præceptis abundans, in exhortationibus vehemens, in consiliis prudens. Scriptor sane, quicquid dicant, quovis tempore legi dignus & magni faciendus.* Dies & annus nativitatis, sicuti & mortis, incertus quidem est, cum nullibi adscriptus legatur, colligit tamen Noster ex Actis Academiæ Parisiensis, cujus Rector fuit anno MCCCXCIII, quod natus sit circa annum MCCCLX, & septuagenarius anno MCCCCXL vitam cum morte commutaverit. Tandem §. 4 Henrici de Hassia, Joannis Brevicoxæ, Johannis Parvi, Petri de Cauchon, Ægidii de Campis & Petri Plaoul vita enarratur. Isti omnes schismati sese opposuerunt, viri in Academia Parisiensi doctrina & eloquentia celebres, quorum scripta quædam cæteris præstantiora Noster ex manuscriptis codicibus in lucem produxit, atque Gersonii operibus inseruit.

In libro III recensentur monumenta, quæ Tomis IV prioribus comprehenduntur, & singulorum tempus, occasio, argumentum & character exponitur. Quæ inter diutius immoratus est

est Clarissimus du Pin libello *de sensu litterali Sacræ Scripturæ*, & *judicio de vita S. Erminæ* §. 1; tractatui *de modis uniendi ac reformandi Ecclesiam*, eique annexis tractatibus *de flagellatione*, quæstioni: *utrum aurora mane rutilans Solem ediderit*? circa quam advertit, Gersonium hic demonstrasse, mandata DEI præferenda esse consiliis Evangelicis, tractatui de *studio Monachorum*, item de *Potestate Ecclesiastica*, nec non de *Auctoritate Ecclesiæ & Conciliorum generalium* §. 2; libro de *Vita spirituali* §. 3, & *Exhortationi ad cultum Josephi* §. 4. Tandem in ultimo libri hujus paragrapho de stylo Gersonii & Petri de Alliaco differit, & utrumque quidem inæquali usum fuisse dicendi genere docet, pro argumenti & studii impensi discrimine, magis tamen dictione invicem differre scripta Alliaceni, quam Gersonii. Alliacenum in aliis facundum, in aliis gravem, in aliis subtilem, in aliis & levem & ludicrum comparere. Gersonium autem vel tersum & politum adhibuisse dicendi genus, in orationibus præcipue, & quando tempus suffecerit industriæ, vel horridum & opacum, in operibus scholæ & rudium institutioni destinatis. Et si utriusque fiat comparatio, Alliacenum inferiorem esse Gersonio in judicii acrimonia, doctrinæ constantia, vi ratiocinii & sensis pietatis. Exantlatæ ita erudite scriptorum Gersonii aliorumque illis adjectorum recensioni, subjecit peculiarem dissertationem de Auctore libri, cujus inscriptio est: *de Imitatione Christi*. In ejus §. 1 controversiæ hujus criticæ exhibetur historia, ab A. MDCIV, (quo in Hispania Petrus Manriquez omnium primus scripto negare ausus est, opusculum hoc esse Thomæ a Kempis) ad nostram usque ætatem. Dein §. 2 ostenditur, quatuor dari scriptores, quibus is potissimùm vindicetur, nempe D. Bernardum, Johannem Gersonium, Thomam a Kempis, & Johannem Gersen seu Gessen Abbatem. Porro §. 3 producit codices manuscriptos de Imitatione Christi, qui nomen præ se ferunt Thomæ a Kempis, Canonici Regularis Zwollensis, eosque ad Critices regulas examinat. Manuscriptos §. 4 excipiunt editi typis sub eodem nomine, & §. 5 testimonia Scriptorum in gratiam Thomæ a Kempis allegata, utpote Johannis Buschii in *Chronico Monasterii Windesemensis*, Matthiæ Farinatoris *in Lumine Animæ*, Auctoris anonymi in *vita Thomæ a Kempis*, Petri Schotti Argentinensis

in præfamine ad Gersonii opera, Johannis Kune Duderstatensis in libro *de Elevatione animæ ad Deum*, Johannis Mauburni *in Rosario Spirituali*, Trithemii *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, Georgii Pirckameri & Petri Danhausseri editorum Libri *de Imitatione Christi*, Johannis Geileri Keisersbergensis in *Navicula* & Philippi Bergomatis *in Chronico*. Isti omnes seculo XV floruerunt, excepto Farinatore, quem jam seculo XIV librum supra nominatum jussu Pontificis Johannis XXII composuisse, alii contendunt. Demum §. 7 excutiuntur argumenta pro Th. a Kempis allata, & in id potissimum inquiritur: an aliqui Scriptores libri hujus mentionem faciant, antequam ab illo conscribi potuerit, & testimonium Bonaventuræ, ante Thomam a Kempis defuncti consideratur, quippe qui in Collationibus ei vulgo tributis, librum de *Imitatione Christi* laudat, unde prima suspicio, an Thomas a Kempis auctor ejus sit, nata est? Eadem progreditur via in enarratione argumentorum, quibus Gersonio libellus de Imitatione Christi asseritur, & §. 8 codices manuscriptos, qui nomen ejus præferunt, enumerat, §. 9 editiones eodem insignitas refert, §. 10 varia colligit indicia in ipso opusculo obvia, quæ arguant in Gallia & in Academia quidem esse compositum, idque a viro, cujus parentes, fratres & sorores tunc temporis fuerint in vivis, qualia non cadant in Thomam a Kempis, qui unum tantum fratrem habuit, sicuti & reliquæ circumstantiæ, quæ omnes tamen Gersonio accommodentur rectius. Hinc §. 11 dubia contra hanc sententiam mota examinat, quæ potissimum versantur circa stylum & vitæ genus, cum auctor hujus libelli Monachum sese profiteatur, Gersonius autem Cancellariæ in Academia Parisiensi præfuerit, & dictionis character a Gersoniano recedere videatur. Demum, postquam §. 12 inquisivit, an Johannes Gersenius diversus sit a nostro Gersonio, atque adeo tertio cuidam rectius libellus tot criticorum difficultatibus obnoxius tribuatur? concludit §. 13, certum quidem esse, opusculum hoc non esse Bernardi, quod jam supra §. 2 probaverat, neque invictis Thomæ a Kempis tribui posse argumentis, Johanni Gersonio majori inter omnes jure vindicari, nihilominus definiri haut facile posse, utrum Johannes Gesen, Gersen aut Gersem nomen revera sit Abbatis alicujus, an no-

nomen Gersonii vitiatum, adeoque auctorem remanere incertum. Antequam recensionem Operum Gersonii a Clarissimo du Pin datam deseramus, monendus est B. L. Tomum V in Gersonianis hisce esse prætermissum, de quo autem sigillatim agit in præliminaribus ultimo huic Tomo præmissis. In illis enim *primo* causam Johannis Parvi paucis enarrat, quod nempe in defensionem Ducis Burgundi, qui Ducem Aurelianensem occidi jusserat, asseruerat: *Tyrannos per insidias a quibusvis privatis, nullo servato juris seu divini seu humani ordine, & confœderatione qualibet non obstante, interfici posse.* Cui pessimæ sententiæ opposita sunt acta & scripta, quæ Tomo V continentur. Dein exhibetur series horum opusculorum, eadem, quæ prioribus præmissa est ratione, elaborata. Tandem Synopsis Chronologica eorum, quæ acta sunt in negotio Johannis Parvi, ad illius, quæ Gersonianis præfixa est, imitationem.

In Libro IV agit de doctrina Gersonii, atque universum Theologiæ Systema ex operibus ejus concinnavit, ut, quæ circa singula fidei capita docuerit Gersonius, eo citius a quolibet perspiceretur. Non est, quod illius recensioni immoremur, quæ non adeo ignota iis erit, qui aliquid temporis Gersonii lectioni impenderunt: vel id observasse suffecerit, confirmari ex Theologia Du Pinii Gersoniana, quod de Scriptore hoc quondam tulit Flacius Illyricus (in Catalogo Testium Veritatis pag. 1804 edit. fol.) judicium. *Is fuit omnino*, inquit, *meo quidem judicio vir pius ac eruditus, qui licet multis Monachorum & Sophistarum erroribus fuerit infectus, multos etiam nihilominus errores & abusus Papatus animadvertit, eosque & taxavit & tolli ex animo optavit, ut ex ejus scriptis non uno in loco apparet.* Utrumque vel ex primo capite Theologiæ hujus Gersonianæ patet: alterum ex §. 1. ubi Papam etiam in rebus fidei errare, & a judicio illius ad Concilium generale provocari posse, Gersonius docet, alterum §. 5 & 6, in quibus errori de Invocatione Sanctorum, de Lymbo Parvulorum & Purgatorio addictum se profitetur.

Sächsisches Medaillen-Cabinet. Anderer Theil der Ernestinischen Linie.

h. e.

NUMMOPHYLACIUM SAXONICUM. PARS secunda Lineæ Ernestinæ, duarum nempe extinctarum, Coburgicæ & Altenburgicæ.

Prostat Francofurti ad Mœnum apud Knochium, & Lipsiæ apud Stockium, 1706, in 4.
Constat Alphab. 1 plag. 7 & Tab. æn. 17.

ALter hic Lineæ Ernestinæ nummis ab Amplissimo Tenzelio explicatis illustratæ Tomus est, qui partem ex hactenus a nobis recensitis quartam conficit, & operis adeo ab Auctore celeberrimo mox consummandi dimidium absolvit.

Initium ille sumit a *Johanne Friderico*, *medio* plerumque dicto, quod inter Parentem Fratremque minimum, ejusdem utrumque nominis, in medio consisteret. Hujus numismata in duas dividuntur tabulas, quarum altera ante captivitatem Ducis, altera in captivitate ad ejus mortem usque, cusa comprehendit. In priori, Tabula nempe XVI sub num. 4, ducatus apparet, qui rarissimus vocatur, in cujus altera facie bini Angeli volantes sertum tenent rutaceum, lemmate ex Psalm. XXXVII, 25. depromto: *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærere panem.* Hunc nummum circa tempus Comitiorum Imperii Augustanorum, obsidionem Gothanam brevi antecedentium, Johannem Fridericum cudi curasse, Noster conjicit, quando Electores Principesque, ac proprius illius Consiliarius & Legatus Husanus, inter alias dehortationes ingesserint, ut filios suos parvulos respicere dignaretur. Qua occasione & nummorum calculatoriorum A. 1560 factorum mentio injicitur, qui una ex parte integra insignium Saxonicorum Ducalium scuta, galeis tamen destituta, ex altera vero rhythmum Germanicum repræsentant: *Rechne recht, und nicht zu viel, Gott gibt dir auch ein Ziel.*

Cu-

Cujus sensus: *Recte subduc rationes: non nimium. Nam & tibi Deus ponit terminum.* Tab. XVII n. 8. quidam nummus sistitur, in quo *Patientis* nomen Duci inditum legas, ut alia memoratu digna passim intersperfa taceamus, utpote de meditationibus & soliloquiis Joannis Friderici, de Soceri ejus Friderici, Electoris Palatini, pro ipso ex vinculis dimittendo intercessione &c.

Patrem excipit natu major filius, *Joannes Casimirus*, inter cujus numismata cum primo statim loco nuptiale compareat, simul quædam afferuntur de ejus conjuge, *Anna*, Augusti Electoris filia natu minima, post a marito ob violatam thori sanctimoniam repudiata. Qua de re narratio & judicium annectitur M. Nicolai Rebhahnii, Superintendentis Isenacensis, cujus Historia Ecclesiastica Isenacensis, nunquam edita, in sacrario Isenacensium latere perhibetur. Nummum Gymnasii Casimiriani fundamento Coburgi insertum deesse sibi, Autor p. 270 queritur. Thaleros A. 1629 cusos, in quibus Dux senex equo insidens, & ejus symbolum: *Elend nicht schadt, wer Tugend hat*, i. e. *Miseria nullum illi damnum infert, qui virtute præstat*, distributos autumat Amplissimus Tenzelius uti alias, sic & imprimis in conventibus & deliberationibus, tam ob Jesuitarum in Augustanam Confessionem, Pupillam Evangelicorum, maledicta, quam ob edictum Cæsareum de bonorum Ecclesiasticorum restitutione mense Martio istius anni vulgatum, a Protestantibus sæpe iteratis querelis.

De Fratris ejus, *Johannis Ernesti*, nummis post differitur, ejusque una Symbolum: *Weisheit gehet vor Sterck, prudentia non robore*, illustratur, alibique monetur, belli flammis ubique ardentibus, exitioque Germaniæ imminente, Joannem Ernestum inde ab anno 1636 monetas suas omnes majores minoresque, aureas & argenteas, dicto notabili: *Gott bessere die Zeit und Leut, Deus corrigat tempora & homines*, signari curasse, qua quidem in re Erfurtenses fuerit imitatus, qui paucos ante annos Imperialibus suis insculpserint verba: *Gott bessre die Zeit und leuft, Deus cursum temporum emendet;* ubi verbum unicum prudenter mutavit Joannes Ernestus, innuens, quodsi homines vi-

vitam magis probam ducerent, tempora quoque meliora imposterum futura esse.

Relicta linea Coburgensi, in *Joanne Ernesto* extincta, ad Vinariensem transit Autor, & ab ejus fundatore Joanne Wilhelmo dicendi facit initium; eique diem natalem undecimum Martii (pro quo alii tertium nominant,) assignat. Inter ejus nummos dignior cæteris videtur ille, in quo Academiæ Jenensis Restaurator Joannes Wilhelmus audit. Sed nec vidua ipsius liberique in nummis expressi heic desiderantur, ac de Maria, Abbatissa Quedlinburgica, sigillatim disseritur.

Prolixior est Amplissimus Autor in *Friderico Wilhelmo*, cujus numismata tribus in tabulis repræsentata dispescit in tres classes, prout aut ante Electoratus administrationem, aut hac durante, aut post eam cusa fuerunt. Inter hæc repetitum cernitur rarissimum illud elegantissimumque, quod in abdicationem administrationis factum est, quodque jam in secunda parte Albertina Tab. XXV num. 3. ære expressum, & p. 325 sq. explicatum fuit, quandoquidem simul ad susceptum a Christiano II Electoratum pertinet. Ac singulare certe posteaque inauditum esse dicitur, binos duarum linearum Principes unum simul numisma cudi curasse.

Defuncto A. 1602 Friderico Wilhelmo, quatuor Juventutis Principes ab ipso relicti filii *Lineam Altenburgensem* exorsi sunt, ubi mox ab initio disseritur de prolixa præcedentiæ controversia inter lineæ Altenburgensis & Vinariensis Patrueles orta, qua durante Altenburgenses A. 1612 Vallenses suos notarunt dicto: *Discordia præcursor ruinæ;* sed Vinarienses eodem anno, ut par pari redderent, alio thaleros suos signarunt, hoc nimirum: *Discordiæ Comes Injuria.* Hujus nummi descriptionem recensus excipit uberior eorum, qui ad unumquemque fratrum sigillatim attinent.

Appendicis loco subjicitur Epistola a Clarissimo *Heræo*, Consiliario Aulico Sondershusano, ad Tentzelium missa, cujus contenta potiora eo tendunt, ut novum numismatum nomen Latinum generale inveniatur, discrimen eorundem notetur, tracteturque generalis quæstio: quæ prima sint in recentioribus numismata?

HI-

HISTOIRE DU VIEUX ET DU NOUVEAU TEstament &c.

i. e.

HISTORIA VETERIS ET NOVI TESTAMENTI iconismis exornata, auctore Domino BASNAGE.

Amstelodami, ex typographia A. Grœnewoudt, 1705, in 4. reg. Constat 1 Alph. 15 plag.

POterat hic liber vulgi magis, quam eruditorum, gratia conscriptus videri, quippe cum magnam ejus partem conficiant iconismi Historiarum Biblicarum, a *Romano de Hooghe*, principe artis chalcographicæ inter Belgas, ære expressi, quorum explicatio residua libri pars dici posset. Quod si vero universus perlegatur, aliud plane judicium in lucem prodibit, facileque doctissima manus Basnagiana, a qua non nisi cocta maturataque proficisci poterant, agnoscitur. Nam & Præcognita, parti æque I, quæ Historiam Veteris Testamenti, ac II, quæ Novi Testamenti gesta continet, præfixa legi summo jure merentur, & Historia ipsa pereruditis observationibus, conjecturis ac disceptationibus referta est.

In Prolegomenis Partis I, gravis disputatio cum Atheis instituitur, constipatis quasi argumentis omnibus, quibus eorumdem furor retundi potest, præsertim ille, quo Historiam Veteris Testamenti impugnant. Monet initio Basnagius, eos, qui mores correctos aut severiores profiteantur, omnium desperatissimos esse Atheos, quippe qui, de sua superbi innocentia, ex seipsis conficiant idolum, remorsusque conscientiæ leviores sentiant, quam profligatæ vitæ homines: naturam corruptam mortalium quorumvis eo tendere, ut vel neget Deum, vel eundem otiosum faciat, atque ad indolem vitiorum nostrorum, ne illis obsit, accommodet. Observat porro, non aliam esse commodiorem Atheos convincendi viam, quam si ad interiora mentis eos revoces; utplurimum enim eos sui ipsius ignarissimos esse. Revera Atheos Deum negare ex turpissimo amore sui, ne illi obedientiam, honorem ac reverentiam debeant, sed sui sint juris, & omnibus se rebus præ-

ferre possint; insuper eosdem, ne Deum existere fateantur, ad absurdissima quævis credenda adigi; quæ si ad animum ipsis revocentur, fore, ut sui eos pœniteat, atque ad frugem se reduci patiantur. Addit, Deum nullum unquam Atheorum causa fecisse miraculum, quippe cum vel ordinario naturæ cursu illi satis superque convincantur. Posthæc ad Mosis Historiam, præcipuum Atheorum scopulum, se confert, cujus divinitate demonstrata, clarum facit, ne fieri quidem potuisse, ut Moses fraudulenter ageret, quippe cum omnia a politicis artibus alienissima sint. Hic inter alia edocet, Mosen sua non a *Sabæis*, (quo recentiores Athei fere recurrunt) habere; horum antiquitatem solis Arabum fabulis niti, incertissimamque esse. In Prolegomenis Novi Testamenti, principio ejus auctoritas contra Atheos adstruitur, multaque alia contra nefarios hos homines generatim differuntur; v. gr. rationem nostram mira libidine duci, reducendi Deum ad regulas humanarum proportionum; quare cum easdem a Deo mirum quantum excedi videat, ægre id ipsam habere, quippe vel hac in parte absoluti dominii cupidam; hanc esse causam, cur a revelatione tantopere abhorreat, ne scilicet ejusdem veritatem agnoscendo, suam fateri imbecillitatem cogatur: datam inter alia religionem humano generi, ne quivis ad lubitum suum jura Dei restringat. Deinceps veritas & divinitas Historiæ Christi multis argumentis adseritur, atque inter alia isto, quod Prophetæ talia de Servatore prædixerint, quæ illi postea sic evenere, ut ab hominum arbitrio plane non dependerent, v. gr. nasci ex virgine, pœna crucis Judæis insueta affici, &c. Tandem Apostolorum θεοπνευςία vindicatur, ac de eorundem Autographis diu conservatis, fideque codicum manuscriptorum veterum agitur.

Historia ipsa non solum florida tersissimoque stylo, interspersis gnomis & observationibus variis, consignata est, verum etiam ex eruditionis penu multa, partim in transitu, partim prolixius explicata complectitur. Capiamus hujus rei specimen ex Historia Veteris Testamenti. Hic p. 100. 101 de marito Estheræ Ahasvero Basnagius differit, notatque, omnes Persarum Reges post Cyrum Xerxes dictos, quod nomen idem sit cum Ebræo Ahasveros, voculam *Arta* autem a quibusdam libere fuisse nomi-

mini isti adjectam, ut inde fieret Artaxerxes, eam enim Magnatum propriam fuisse, & Heroem indicasse, unde sint nomina Artabanus, Artavasdes, &c. igitur Ahasverum Estheræ maritum ex nomine dignosci non posse, circumstantiis vero Historicis evinci, quod Darius Hystaspis sit intelligendus; atque adeo per Reginam Vasti filiam Cyri, quam Darius conjugem duxerit, per Estheram autem Artistonam Herodoti designari, cui Darius ex auro puro statuam locari jusserit; Josephum vero in hac & Nehemiæ historia insigniter falli. Ex Historia Novi Testamenti seligimus, quæ p. 11. 66 exstant. Conatur hic Basnagius Josephum conciliare cum sacris Literis, cum in his Herodes Tetrarcha Galilææ Philippi uxorem dicatur rapuisse, quam Josephus Herodis conjugem appellat. Monet igitur, in Herodis familia mares singulos Herodis nomen obtinuisse, sed præter id singulos peculiare nomen habuisse, quo invicem distinguerentur; itaque Josephum familiæ nomen, Evangelistam vero proprium adhibere, Harduinum vero præter causam istius fidem sollicitare.

Præter ista multis sane aliis ad rem literariam facientibus momentis liber hic superbit. Ut quædam delibemus, Huetii de situ Paradisi sententia defenditur p. 7, repudiata, sed modeste, Salomonis van Til hypothesi; Pelleterii de structura arcæ Noachi sententia probatur, p. 11; ea vero, quæ ex coturnicibus, quibus Israelitæ in deserto cibabantur, locustas facit, repudiatur, p. 32. Jephtæ filiam occisam esse, p. 51 confirmatur, rejecta p. 81 eorum conjectura, qui corvos, Eliæ cibum asportantes, mercatores Arabes dixerant. Peccatum Usæ internecione properata punitum, non aliud fuisse Auctor putat p. 72, quam quod arcam fœderis fere pro re humana habuerit, cujus peculiarem curam Deus nullam haberet, quare eidem labascenti sua succurrere opera voluerit. Interpretationem Bibliorum Genevensem semel iterumque deserit, imprimis p. 86, ubi pro columbarum fimo, quo cibo obsessi Samaritani dicantur usi, cicer ponendum existimat. De Jobi autem libro & Salomonæo Cantico liberius paulo scribit, præsertim de posteriori p. 110. Hæc ex Historia Veteris Testamenti; ex altera notamus, Lucam præ ceteris Evangelistis in delineanda Christi φιλανθρωπία elaborare, p. 28. Horam Christi,

 quam

quam nondum venisse in nuptiis Canæ dixerat, horam passionis & mortis esse, in hac enim Herodem aliosque, ut ægre ipsi facerent, miracula ab illo ut extorquerent, allaborasse, id quod matri Servatoris, ne illum nimis præpropere excruciaret, dictum sit. De Apocalypsi suam non pronuntiat sententiam, sed aliorum mentem narrasse contentus, finem operi imponit.

DISSERTATION HISTORIQUE ET CRITIQUE, sur le Martyre de la Legion Thebeene &c.

i. e.

DISSERTATIO HISTORICO-CRITICA SUPER Martyrio Legionis Thebæorum, Auctore JOANNE DUBOURDIEU.

Amstelodami, apud Steph. Roger, 1705, 12.
Constat plag. 13.

p. 1. CUm Clarissimus Autor hujus dissertationis Augustæ Taurinorum (quam in urbem A. 1691 cum Duce de Schomberg venerat, ibique biennium fere moratus fuerat) cultum sanctis Martyribus legionis Thebææ, tum a plebe, tum ab ipsa Aula Magistratuque tributum vidisset, constituit secum veritatem hujus martyrii expendere.
p. 8. Non autem odio aliquo adversus incolas ejus urbis se motum fuisse dicit, ut illos, quos ipsi tanquam patronos protectoresque suos venerantur, aggrederetur; sed benevolentiam & comitatem civium cum erga omnes exteros, tum erga se imprimis, magna laude ornat, laboremque istum ex solo veritatis amore se suscepisse perhibet. Varia igitur exempla profert nimii cultus, quo Taurinenses memoratam Legionem, quæ ob religionem Christianam Maximiani Imperatoris tempore mortem perpessa fuisse fertur, a multis retro seculis prosecuti fuerint: inter quæ absque dubio eminet factum Caroli
p. 13. Emanuelis I Ducis Sabaudiæ, qui Vallesiis urbem S. Mauritii aliaque loca reliquit, ea conditione, ut cadaver Mauritii, qui legioni Thebææ præfuisse creditur, Augustam Taurinorum perferri concederent. Magnam etiam esse censet superstitionem Caroli Hyacin-

cinthi Ferreri, qui horum martyrum vitam descripsit: is enim
Carolum V Imperatorem certo Augusta Taurinorum potiturum
fuisse putavit, nisi exercitus ipsius scalas muris eo loco admovis-
set, quo sanctæ Thebæorum reliquiæ quiescebant. Nullam au-
tem huic legendæ, cui adhuc omnes scriptores & Pontificii & Pro-
testantes fidem adhibere non dubitarint, veritatem subesse, mul-
tis argumentis Clarissimus Autor ostendere conatur. Historiam
hujus martyrii, quæ Eucherio Lugdunensi Episcopo tribuitur, p. 29.
suppostitiam esse, exinde probat, quoniam ibi mentio fiat Sigis-
mundi Regis Burgundiæ, qui vero diu post mortem Eucherii ad
regnum pervenerit. Acta etiam concilii Agaunensis nullam me- p. 41.
reri hac in re fidem, multis anachronismis aliisque ridiculis rebus
ibi contentis evincere studet. Nec majorem autoritatem novæ p. 52.
Historiæ legionis Thebanæ a Petro Francisco Chiffletio editæ tri-
buit, eademque hunc Jesuitam usum fuisse in reperiendo codice
manuscripto dexteritate, qua Annius Viterbiensis & Varillasius an- p. 64.
tiquos aliquot codices detexerint, existimat. Et licet Historia
martyrii a Chiffletio non conficta fuerit, nihilominus tamen eam
potius a quovis alio, quam ab Eucherio, conscriptam esse ait.
Eucherium enim stylo usum fuisse elegantissimo, Historiam vero p. 66.
legionis Thebanæ barbara illuvie ubique scatere. Reperiri etiam p. 78.
in eo scripto nomen *Primicerii legionis*, quod illis temporibus
non fuerit in usu, & in definiendo numero militum ad legionem p. 85.
pertinentium errorem haut exiguum committi. Ut reliqua ipsius
argumenta silentio prætereamus. Sub finem dissertationis ad-
junguntur aliquot exempla virorum doctorum Romanæ Eccle-
siæ addictorum, qui ipsi fraudem legendarum quarundam agno-
verint aut detexerint. Præ reliquis eminet historia S. Ursulæ & p. 134.
undecies mille virginum, cujus falsitatem Sirmondus e veteri mar-
tyrologio probavit, ubi scriptum erat, SS. URSULA ET UN-
DECIMILLA V. M. hoc est, *Sancta Ursula & Undecimilla
virgines martyres*, e quibus verbis rudes monachi ridiculam fa-
bulam effinxerant. Sirmondus itaque Romanam ecclesiam decies
mille, nongentis & nonaginta novem sanctis privavit. Acce-
dit nunc Clarissimus Autor, eumque sexies mille, sexcentis & se-
xaginta sex, qui numerus in Historia martyrii legionis Thebanæ

definitur, denuo privat: cui de opimis his ſpoliis ut gratulandum ſit, alii judicent.

VETUS LATIUM PROFANUM ET SACRUM, autore PETRO MARCELLINO CORRADINO, Clementis XI Papæ Subdatario. Tomus I, in quo agitur de Latio Gentili.

Romæ, per Franc. Gonzagam, 1704, in 4.
Conſtat 2 Alph. 10 plag. chartæ auguſtæ.

GEnere ſuo, Latinus ſcilicet, incenſus Clariſſimus Corradinus, & patriarum antiquitatum ſtudio, e tenebris quaſi Latii has eruere, eque optimis autoribus ac fide digniſſimis monumentis publica luce illuſtrare, laudatiſſimo conatu, in his ſuis Commentariis paravit. Ideoque, quæ a rerum Romanarum ſcriptoribus Græcis ac Latinis tradita erant, ſingulari induſtria ac ſtudio retractat: & quæ de primis antiqui Latii colonis, populis, urbibus, regibus antiquiſſimis, Jano & Saturno, Pico item & Fauno Latinorum regibus eorumque oraculis, de Evandri & Herculis in Latium appulſu, de Latino, Ænea illorumque templis, ac hujus comitibus, e quibus Romanorum nobiliſſimæ familiæ ortæ ſint, de Aſcanio aliisque Albanorum ac Latinorum regibus, de illorum ornatu & comtu, de Latinorum republica, fœderibus, conventibus communibus & ſacris, de legibus ritibusque illorum in nuptiis, cœnis, victu ac puerperio poſteritati commendata invenit, prioribus tredecim capitibus ſollicite examinat: poſterioribus autem quatuordecim capitibus de Latinorum faſtis, calendario, ſingulorumque menſium feſtis, ſtatis vel incertis diebus agitatis, tractat. Ad iſta omnia rectius explicanda, Plinii, Dionyſii Halicarnaſſæi, Diodori Siculi, Livii, Alexandri ab Alexandro, Strabonis, Virgilii, Ovidii, Gellii, Varronis, Plutarchi, Procopii, Feſti, Solini, Valerii, Athenæi, Auguſtini aliorumque veterum hiſtoricorum criticorum ac poetarum opera præclare utitur. Neque a recentiorum ſcriptorum luce antiquitatibus his declarandis facem accendere negligit. Sane quæ Theodorus Ryckius, Caſella de primis Italiæ colo-

colonis, Cerinus de urbe Roma, & Sigonius de antiquo Italiæ jure, Ligorius in manuscriptis Otthobonianis, Richardus Streynnius de Gente Romana, Vossius de Idololatria, Kircherus de V. & N. Latio, aliique de aliis huc pertinentibus tradiderunt, ea isto selectu usurpat Noster, ut undecunque Latio suo lucem fœnerari studeat. Nulli autem in hac re autori fidem penitus addicit suam, sed illorum errores passim notat, &, quos potest, e genuinis monumentis emendat. Ut ex innumeris aliqua saltem excerpamus, a Dionysio observat Latium antiquum & novum confundi, incolarumque ejus seriem ita ab ipso tradi, ut alios autores conferenti aliqua etiam mendosa appareant. Vossium, Cerinum, Kircherum veterum Regum Latii stirpem, ætates, appulsum, civitatum nomina & alia ita computare putat, ut ab Annio Viterbiensi, viro in confingendis antiquitatibus excellenti, seducti esse videantur: indicem populorum Latinorum, quem tradiderit Alexander ab Alexandro Gen. Dier. L. V c. VII, partim mutilum, partim mendosum evincit. A Sigonio de veteribus Volscæ & Æquæ gentis populis Latio annumerandis talem sententiam tradi ostendit, cui assentiri ipse minime queat. A Casella aliquibus locis incerta & priscis Latinis Romanisque etiam ignota tradi demonstrat. Ryckium & D. Augustinum talia de Jano & Saturno prodere, quæ historicam veritatem confundant, & antiquis scriptoribus adversentur, docet. Cincium & Varronem errare, qui Veneris nomen sub Regibus Romanis neque Græcum neque Latinum, quin adeo Romulo & successoribus absconditum fuisse ajunt, ut in Saliorum carminibus nulla Veneris mentio, & apud antiquos Romanos nullus dies ei festus, nullum sacrificium fuerit, cum ipse Macrobius Saturn. l. I c. 12 e vetustissimis autoribus diversum referat. Panvinium reprehensionem mereri, qui in libro de Colon. Romanorum, e Plinio male intellecto, Antium antiquis Aphrodisium dictum fuisse statuat, cum ipse tamen Plinius, declarante Harduino, Pomponius Mela aliique accurate ea loca distinguant. Censoriam quoque virgulam mereri Ligorium, qui in manuscriptis Otthobonianis, Venerem Aphroditem aliam a Venere matre Æneæ faciat, contra Ciceronis, Lactantii de falsa religione, aliorumque autoritatem. Ipsas etiam veterum inter se nar-

rationes confert, &c, quæ fidei propius accedant, declarat, uti v. g verioremDionysii, Livii & Auctoris Orig. Gent. Roman. qui Sylvium posthumum Æneæ filium produnt, quam A. Gellii, qui ipsum patre superstite, licet seniore, editum perhibet, sententiam esse judicat. Falsarios vero ac impostores antiquæque corruptores historiæ passim acerrime reprehendit, interque illos Annium Viterbiensem & Inghiramium præcipue refert, quorum alter e tumulo Fabium Pictorem, Catonem & Sempronium vocarit, alter Scornelli ruri suo veteres memorias, quas ipse tumulaverat, se effodisse simularit. Cæterum multa omnino singularia elegantissimaque de Latinorum antiquitatibus e genuinis monumentis observat Noster; quorsum forte, quæ de nuptiis Latinorum inter cognatos, de nuptiis Majo mense interdictis, & multis aliis huc pertinentibus ritibus ac ceremoniis habet, ut & tota illa fastorum ac festorum Latinorum pulcherrima illustratio referenda; quæ omnia B. L. non sine jucunditate perlustraturum esse pollicemur.

LUCÆ ANTONII PORTII DE MOTU CORPO- *rum nonnulla, & de nonnullis Fontibus Naturalibus.*

Neapoli, impensis Bernardini Gessari, 1704. 12.
Constant plag. 8. & 5 Tabb. æn.

OPusculum hoc duobus absolvitur Tractatibus. Primus de motus corporum determinatione multa tradit, inprimis qua vi opus sit, ne gravia per plana inclinata decidant, exponit. In pertractatione utplurimum sphæram supponit, eamque motum versus punctum aliquod habentem, quod *metam* appellat, per omnes sphæræ partes uniformiter distributum, aliquando tamen distributum inæqualiter & difformiter. Motum sphæræ & partium ejus ad metam datam, seu centrum Telluris via brevissima fieri ait, modo concedatur; secus per lineam, breviorem omnibus, quæ forte conceduntur. Quod si neutra admittatur, quieturam sphæram. Unam itaque saltem sphæræ partem per viam brevissimam ad metam seu signum moveri; cæteras vero per

per rectas lineæ a centro gravitatis ad signum ductæ parallelas: &, si sphæræ uniformis pars aliqua metam jam occupet, reliquas nondum quieturas, nisi centrum gravitatis in meta hæserit. Quæ de sphæra uniformi dicta sunt, etiam sphæræ uniformiter difformi, h. e. cujus partes sunt heterogeneæ, sed circa centrum motus uniformiter dispositæ, convenire ostendit: qua occasione simul explicat, quomodo emissæ secundum lineam obliquam cœlum versus a Turcis, anno 1683 Viennam obsidentibus, sagittæ relabi atque cuspidibus ferreis obsessorum capita ferire potuerint. Hinc duplex considerat planum, quorum alterum per centrum Telluris transit, alterum per id non transit, & pro locorum varietate, planum inclinatum vel Horizontale vocatur. Prius tanquam stateræ hypomochlion concipit, quod adeo nihil in corpora ipsum tangentia, sed saltem secantia agit: posterius tanquam ex infinitis punctis conflatum considerat, pro locorum, quibus applicantur, diversitate, majus aut minus ponderis sustinentibus. In puncto, e quo perpendiculum productum per centrum gravitatis & Telluris transit, si suspendatur corpus, quiescere illud; in cæteris moveri. In vecte non eodem modo sustinere potentiam applicatam extremitati ipsius ac aliis partibus: in priori enim casu sustinere partes indeterminatas, in posteriori, ubi alterum perpendiculorum per puncta, in quibus fit sustentatio, transeuntium, vel utrumque pondera secet, certas assignabiles sustentari partes. Corpus ex aliquo puncto dato in ejus superficie suspensum quieturum, si perpendiculum a puncto suspensionis ductum per centrum gravitatis transeat: revolutum iri in omni casu reliquo. Cubum homogeneum in aliquibus amplis regionibus circuli peripheria comprehensis semper quiescere, & ultra prædictas regiones semper moveri. Falli Cartesium, dum asserit, potentiam super plano inclinato pondus sustentantem esse in ratione perpendiculi ad longitudinem plani; falsum enim hoc esse in omnibus corporibus, quorum centrum puncto firmo innitatur. Contradicit universo Mechanicorum choro, & quicquid hactenus de motu gravium super plano inclinato proposuere, subvertit. Cum enim unanimiter hactenus docuerint, momentum absolutum ad relativum corporis in plano incli-

nato esse ut longitudinem plani ad perpendiculum; ipse contra evincere nititur, gravitatem relativam ad absolutam esse in eadem ratione, in qua est portio sphæræ non sustentata ad totam sphæram, seu minorem habere rationem ea, quam longitudo dati plani ad perpendiculum habet. Ostendit præterea, variatione punctorum, quibus applicari possunt virtutes ad prohibendum corporum partialiter sustentatorum casum variari virtutes, esseque inæquales: qua in re denuo a Mechanicorum communibus placitis recedit supponentium, eandem esse vim potentiæ in pondus suspendendum, cuicunque lineæ directionis puncto applicetur. Modum denique exponit gravitatem relativam accurate definiendi.

Alter Tractatus fontes aliquos naturales explanat, ac inprimis de fontibus intermittentibus certam affert solutionem, ipso eventu jamdudum comprobatam, ut adeo de illorum per artem parandorum possibilitate dubitandum non sit.


VITALIS JORDANI AD HYACINTHUM Christophorum Epistola.


Romæ, 1705 in fol. constat plag. 1.

IMpugnaverat *Portius* in opusculo *de motu corporum* receptam apud Scriptores Staticos propositionem, quod scilicet gravitas absoluta corporis, quod a plano declivi sustinetur, sit ad gravitatem relativam, quam in aliquo situ ipsius plani declivis exercet, ut longitudo ipsius plani declivis ad perpendiculum. Sed ipsum hallucinatum fuisse, epistolæ hujus Autor demonstrare conatur. Evincit nimirum, pro varia inclinatione plani, gravitatem absolutam corporis esse ad gravitatem relativam, semel ut longitudinem ad perpendiculum plani, quemadmodum fert *Cartesii* & communis Staticorum opinio, cum scilicet inclinatio plani est 45 graduum; interdum in ratione minore, quemadmodum vult *Portius*; plerumque tamen in majore.

HISTOI-

TAB. VII. ad A. 1706. M. Jul.
pag. 315. sqq.







HISTOIRE DE L' ACADEMIE ROYALE DES Sciences Année MDCC II &c.

i. e.

HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM Anni 1702, cum Commentariis Mathematicis & Physicis ejusdem anni.

Parisiis apud Joh. Boudot, 1704. in 4.

Constat 2 Alph. $13\frac{1}{2}$ plag. cum aliquot figuris ligno incisis & 12 Tabb. æneis.

INter alias aeris proprietates, a Philosophis recentioribus detectas, nota etiam existit ejus per calorem alterabilitas, quo nempe vel volumen, vel, si id fieri nequeat, elater augetur. Ulterius vero progressus *Cl. Amontons* docuit, quod, quo majori pondere aer premitur, eo magis per eundem caloris gradum elater ejus intendatur. Huic theoriæ praxin conficiendi novum thermometri genus superstruxit, cujus inter alia insignis est usus in gradibus caloris omnium climatum, eodem tempore, & eodem in loco, diverso tempore proportionandis, supposita nempe experientia, quod aqua ebulliens majorem caloris gradum non acquirat, per quodcunque temporis spatium, & quantocunque caloris gradu urgeatur. Sit *ABCE* tubus vitreus, cujus alteri extremitati *E* cohæreat globus *D*, altera *A* sit aperta. Interior tubi diameter sit dimidiæ circiter lineæ, diameter globi 3 digitorum, longitudo *AB 46, AC 48 digg.* Tubus integer ab *A* usque ad *E* Mercurio plenus, ita ut globo *D* aquæ ebullienti immerso, aer intus contentus, Mercurii sustineat vi elaterii sui 73 digitos, connumeratis 28 Mercurii digitis ponderi atmosphæræ æquiponderantibus eo tempore, quo thermometrum construendum. Ab apertura igitur *A* computari debent gradus caloris reliqui calore aquæ ebullientis minoris. In usu hujus thermometri semper habenda est ratio ponderis atmosphæræ, num 28 Mercurii digitis majus sit, an minus. Utut autem diameter tubi ad diametrum globi insensibilem fere habeat rationem; monet tamen *CL. Fontenellius*, magnitudinem globi esse indifferentem, cum per eundem caloris gradum in aeris quocunque volumine ad eundem gradum TAB. VII. Fig. 1.

 inten-

intendantur elaterii vires, modo eadem ſemper ſit aeris condenſatio; aſt ubi obſervationes duobus thermometris inſtitutas inter ſe conferre volueris, tubos pariter ac globos in utroque æquales eſſe debere. Ope hujus thermometri detectum, calorem a radiis Solaribus in meridie Solſtitii æſtivi productum non differre a frigore, quo aqua in glaciem abit, niſi ut 60 a $51\frac{1}{2}$ ſeu ut 8 a 7 circiter. Unde apparet, corpus noſtrum frigoris minus, quam caloris patiens eſſe, nec ſenſus in caloris ac frigoris gradibus determinandis æquos haberi poſſe judices.

Dn. de la Hire effectus pulveris pyrii a machinularum aerearum iſtius granulis partim commixtarum, partim interſperſarum elatere petit, ut adeo pulvis pyrius inflammatus aerem nonniſi animet. Tonitru pro ſpecie pulveris pyrii habet, h. e. mixtura ex ſulphure & nitro, aut aliis materiis iſtis admodum ſimilibus, ita ut aer per earum inflammationem ad elaterem exerendum concitatus, præcipua tonitru phænomena producat. Solum nempe producere fulgur, ſi nihil ejus dilatationi reſiſtat; producere fragorem, ſi motui ejus ſe opponant nubes, eumque tanto vehementiorem, quo plures particulas glaciales motui aeris inflammati minus obſequentes contineat.

Hombergius lente cauſtica, cujus diameter 3 pedum, experimentis inſtitutis ſe detexiſſe aſſerit, aurum & argentum ab igne Solari volatilia reddi, quemadmodum reddi poſſint metalla reliqua ab igne culinari, converti in vitrum maſſa auri liquati levius, aurum ad ignem Solarem liquatum difficilius poſthac liquari ad culinarem aliaque. Inprimis notatu dignum, quod, cum aurum per exiguum temporis ſpatium in foco lentis detineretur, crepitare incipiebat, guttulas de ſubſtantia ſua ad 6, 7 & 8 digitorum diſtantiam ejiciebat, & ſuperficies maſſæ liquatæ erectos quaſi pilos vibrabat. Tota maſſa ſine ulla ſui immutatione diſpergebatur. Quodſi enim ſuper vaſe, in quo aurum fuſum crepitans continebatur, chartæ folium expandebatur, pulvis auri eidem adhæreſcebat, cujus exigua granula oculis microſcopio armatis inſtar exiguorum globulorum aureorum apparebant, quæque liquata in unam rurſus maſſam confluebant. Si paulo ultra focum promovebatur, in vitrum: ſin ulterius a foco removere-

veretur, nonnisi in fumum abibat. Horum phænomenorum rationem ex natura ignis Solaris ac ejus a culinari differentia deducit. Ignem nempe culinarem pro massa liquida ex materia luminis & oleo ligni aut carbonum habet, quæ cum aere multo sit levior, suum ab eo impetum nanciscatur. Contra ignem Solarem esse simplicem luminis materiam, per aerem diffusam, sine ulla alterius admixtione, atque a Sole impulsam. Unde cum ignis culinaris ab aere, Solaris a Sole impetum habeat; illum in vacuo extingui, hunc æque ac extra vacuum agere. Quare quia corpora fusilia post liquationem retinent poros particulis igneis proportionatos, ignis autem Solaris particulæ sunt culinaris particulis multo subtiliores; auri massam ad ignem Solarem fusam compactiorem reddi, adeoque a culinari non tam facile ad liquationem denuo disponi. Similiter dum per activitatem ignis Solaris in sua elementa resolvatur aurum, Mercurium avolare, sulphur metallicum & materiam terrestrem relinqui, quæ colliquata in vitrum auro levius necessario abeant.

Calculos ipsas inter vesicæ tunicas aliquando subsistere, augmentumque capere, *Dn. Littre*, Clarissimus Anatomicus, ex trium subjectorum dissectione cognovit. Primordia eorum ab ipsis renibus petere tanto minus veretur, quanto distinctius in ultimo juvenis cadavere viderit, a duobus calculis, tum eam ureteris partem, quæ inter tunicas vesicæ procedit, primum perforatam, hincque a quolibet eorum meatum intra vesicæ substantiam ad locum usque, ubi detinebantur, efformatum fuisse, tum duo pariter ulcera, in rene alterum, alterum vero in pertuso uretere, excitata, per hujus canalem materiam purulentam excernentia. Quemadmodum vero calculos ejusmodi, ad vesicæ collum locatos, digito indice in viri intestinum rectum, in fœminæ autem vaginam uterinam immisso, explorare jubet: ita pro ipsis removendis, si minores fuerint, tunicam vesicæ internam cathetere applicato supra indicem alterius manus suppositum frequentius atterere, atterendoque, quo exitus iisdem ad vesicæ cavum detur, rumpere suadet, in majoribus tantum lithotomiam præterea ordinariam ita admittens, ut tenaculo simul tumor vesicæ apprehensus ac blande hinc inde agitatus la-

laceretur. Neque dubium, quin laudatus Anatomicus, ubi similes posthac ipsi in praxi obvenerint casus, remedia proposita feliciter sit adhibiturus, cum singularis ejus dexteritas vel ex modo abunde patescat, quo ille gravidam ab ossibus fœtus, intra abdomen concepti, per intestinum rectum felicissime liberasse fusius traditur.

Chymiæ elementa *Dn. Homberg* prius descripturus, quam integrum ejus cursum divulget, hic loci pauca de principiis Chymicis in genere, plura de sale in specie disserit. Principiorum Chymicorum nomine non nisi materias simplicissimas intelligens, in quas corpora mixta per analyses Chymicas possint redigi, mineralia ex sale, sulphure, mercurio, aqua & terra, vegetabilia vero & animalia ex sale, sulphure, terra & aqua coagmentari affirmat. Sal autem principium vocat talem materiam, quæ aqua quidem dissolvi, haud tamen igne mutari queat, quale sal vel acidum, vel urinosum, utrumque volatile, vel denique alcalisatum sive fixum sit, singula nihilominus, prout existunt, aliis particulis obvoluta. Salium quippe acidorum figuram acutam, dum per destillationem proliciuntur, sulphure quodam simul investiri, a quo, quatenus vel animale seu vegetabile, vel bituminosum, vel metallicum existat, resultaret omnino, cur tres acidorum habeantur classes, harumque prima, plantarum, fructuum, lignorum &c. acida destillata & spiritum nitri, altera spiritum vitrioli, sulphuris & aluminis, ac tertia spiritum salis marini & gemmæ complectatur. In spongiosa vero salium urinosarum figura portionem acidi & olei fœtidi animalium vel vegetabilium pariter comprehendi, ac in simili salium lixiviosorum figura unice reliquiæ acidi contineantur, quod ignis calcinandum inter e terra expellere haud valuit. Missis in præsenti effectibus, quos salia acida vel in salia lixiviosa & urinosa, vel in terras & metalla dicuntur exserere, missisque itidem modis, quibus sal acidum a salibus lixivialibus separari asseritur, rationem solummodo proferamus, qua salia fixa vegetabilium alumine, & mineralium imprimis borrace, tanquam salibus urinosis, volatilisari ostenduntur. Sicuti namque ex olei vitrioli ac borracis connubio sal aliquod volatile vitrioli salsum obtineatur, ita simile etiam sal volatile vitrio-

trioli narcoticum acquiri, si capitis mortui vitrioli libris tribus, in aquæ fervidæ mensuris sex solutis ac filtratis, borracis unciæ duæ in aquæ calidæ mensura una solutæ primum affundantur, hinc mixtura altero demum die, quo præcipitatio materiæ gryseo-viridescentis exacte finita fuerit, per chartam bibulam trajecta, tam e vase ferreo ad cuticulæ consistentiam evaporetur, quam porro e cucurbita vitrea, octo ad minimum pollices alta, ex arena ad siccitatem destilletur, omni aqua destillata rejecta, nec nisi ultimis ejus unciis quatuor asservatis. Humiditate siquidem deficiente, sal volatile ascendet, nivisque ad instar alembico adhærescet, quod a vasis frigefactis caute colligendum, sali autem residuo aqua postrema acidula toties reaffundenda, quoties per novas sublimationes aliquid similis salis elevari possit, cujus vis narcotica, si septem vel octo grana in aquæ calidæ cochleari propinentur, in febribus malignis promte compescendis, atque raptu humorum ad caput impediendo multum prædicatur.

Botanices pomœria egregie proferentur, postquam *Dn. Tournefort* ab itinere reversus, quod per varias Asiæ fecit partes, 1356 plantarum species secum attulisse, atque propter earum nonnullas, viginti quinque nova genera invenisse commemoratur.

Dn. de La Hire multum impendit operæ in examinanda Curva, quam radii luminis describunt. Enimvero cum de hoc argumento jam mense præcedente quædam monita sint a *CL. Hermanno*, manum de tabula retrahimus.

Dn. Maraldus, cum Romæ commoraretur, sub initium Martii anni 1702 ingentem luminis tractum observavit, cujus longitudo 30 erat graduum circuli magni, latitudo unius. Apparebat in Ceto atque Eridano. Color nubem a Sole illustratam æmulabatur; longitudo versus Solem exporrigebatur. Situs respectu fixarum intra breve, quo conspiciebatur, tempus non mutabatur. Simile hoc phænomenon quoad omnes circumstantias ei, quod in eodem cœli loco anno 1668 circa initium Martii observaverat *Cassinus*, immo jamdudum anno ante Christum natum 373 *Aristoteles*. Pro cauda alicujus Cometæ habetur, & a *Cassino*, qui reditum Cometarum eorundem, uti notum, defendit, singulis annis 34 redire creditur. Prolixe etiam describuntur observatio-

vationes Cometæ anno 1702 mense Aprili Parisiis a *Dn. de la Hire*, Romæ ab Illustr. *Blanchinio* & Berolini a *Dn. Kirchio* habitæ. TAB. VII. Fig. 2. Comparat eum *de la Hire* cum Cometa anni 1698. Utriusque via ex fig. 2 patet: ubi *a*, *b*, *c*, *d*, &c. denotant loca Cometæ anni 1702 ad h. 10 30′ d. 24, 27, 28, 29, 30 April. & 3 atque 4 Maji L, M, N, O, P, loca Cometæ anni 1698 mense Septembri Parisiis observata, nempe d. 13 h. 8 10′, d. 15 h. 8 10′, d. 16 h. 8. 45′, d. 24 h. 8. 0′, d. 28 h. 7, 30′. Ex observationibus macularum eodem anno in Sole visarum *Dn. de la Hire* motum vertiginis Solis dierum 27, horarum 12, minutorum 20 vel 30 & aliquot amplius confirmavit: inter quas notatu digna est, quam *Cassinus* filius d. 6 Maj. usque ad 10 observavit, non magnitudine, quod alias obtinet, sed obscuritate imminuta disparentem, ita ut per omne tempus apparitionis eandem constanter molem retinens continuo illustrior reddita fuerit, donec tandem ne quidem per tubum 45 pedum a Sole distingui posset. *Dn. de Plantade* Monte Pessulano d. 14 Jan. ejusdem anni Eclipsin Lunæ a penumbra Telluris patientis vidit, & d. 11 Fig. 3. Maji *Dn. de la Hire* in observatorio Parisino paulo ante ortum Solis tractum luminis ad Horizontem ortivum perpendicularem conspexit, cujus altitudo erat 9 circiter vel 10 graduum, latitudo æqualis diametro Solis. Phænomenon adhuc durabat, Sole oriente, simile ex parte illi, quod *Hevelio* sub occasum Solis visum repræsentavimus in Actis nostris A. 1682 p. 262. Immo idem illud post occasum Solis tum anno 1672, tum 1692 vidit *Cassinus*. Cœlum circa Horizontem erat nubilum; sed raræ nubeculæ non impediebant, quo minus clara Solis facies conspiceretur.

De la Hire filius, cum deprehenderet, circa finem Aprilis anni 1702 locum ♀ in suis Ephemeridibus juxta Parentis Tabulas computatum a loco in Ephemeridibus Mezzavachi ipsi assignato gradu integro differre, nec errorem in calculo commissum animadverteret; Tabularum laudatarum fidem explorare sategit, captis altitudinibus Veneris ad Meridianum appellentis d. 4 & 6 Maji: quibus diebus discrepantia inter Ephemerides *de la Hire* &

& *Mezzavachi* erat adhuc dimidii gradus. Ex iis deducebatur d. 4 Maj. h. 10 $8'\ 18''\ 30'''$ tempore apparente Longitudo $15^\circ\ 0'\ 43''$ ♈, Latitudo Septentrionalis $2^\circ\ 8'\ 16''$: Longitudo ex Tabulis computata erat $15^\circ\ 0'\ 47''$, Latitudo $2^\circ\ 8'\ 7''$. D. 6 Maj. h. 10 $1'\ 31''$, tempore itidem apparente, Longitudo observata erat $15^\circ\ 3'\ 32''$. ♈, Latitudo $2^\circ\ 42'\ 15''$; Longitudo computata $15^\circ\ 4'\ 28''$ ♈, Latitudo $2^\circ\ 42'\ 12''$. Non dubitandum eſt, quin eadem in reliquis Planetis habenda ſit fides iſtis Tabulis. Poſtquam enim *de la Hire* Tubos quadrantibus applicare docuit, ut per eos Fixæ ac Planetæ interdiu cum Sole in Meridiano conſpici poſſint; non ſolum Solis ſitum ad Fixas immediate determinare, ſed Planetarum non minus, quam Fixarum Aſcenſiones rectas & declinationes accuratius, quam antea factum, invenire, ac motum Planetarum cum motu Solis conferre licuit. Gratam tamen Aſtronomiæ cultoribus operam præſtaret *de la Hire*, ſi in reliquis Planetis Tabularum parentis fidem ſimilibus obſervationibus comprobaret. Cæterum notandum eſt, quas in Ephemeridibus ſuis *de la Hire* poſuit longitudines, & latitudines a ſupra allatis differre, quia computo juxta Tabulas ad aliquos dies quodam intervallo diſtantes inito, longitudines ac latitudines ad intermedios partem proportionalem quærendo determinant, qui Ephemerides conſcribunt, laboris compendium facturi.

De reſiſtentia ſolidorum multa præclare meditatus *Varignonius*: ſed prolixiora ſunt, quam quæ hic proponi poſſint. Denique notamus, quod juſſu R. Abbatis *Bignonii* in deſcribendis omnibus inſtrumentis Muſicis, quorum hactenus in Gallia fuit uſus, numerus vero ultra 60 excurrit, *Dn. Carré* occupetur.

TRIGONOMETRIA PLANA ET SPHÆRICA, cum ſelectis ex Geometria & Aſtronomia Problematis &c. Auctore R. P. JACOBO GOODEN, Soc. Jeſ. in Collegio Anglorum Leodii Matheſ. Prof.

Leodii, apud J. F. Broncart, 1704, in 4.
Conſtat 11 plag.

INter utilitates Matheſeos non poſtrema eſt, quod ſui cultores judicii acumine beet: quod ut fiat, non praxes ſolum Mathematicæ addiſcendæ, ſed demonſtrationes inprimis cum cura concipiendæ. Utque abſtracta tyrones facilius ac diligentius meditentur, ad minus abſtracta applicatio fieri debet. Cum itaque hactenus non proſtaret libellus tyronum uſui inſerviturus, in quo utriusque Trigonometriæ leges demonſtratæ eſſent, & ad problemata utilia ſolvenda applicatæ; ſe non inutilem operam præſtiturum eſſe credidit Noſter, ſi Trigonometriæ tam planæ, quam ſphæricæ, præcepta ex primis fundamentis explicaret, & demonſtratorum uſum multum monſtraret. Parte igitur prima de Trigonometria plana agens, *cap. 1* neceſſaria ejus fundamenta ponit, Sinuum inprimis naturam explicando, & uſum Tabularum Sinuum atque Tangentium monſtrando, Data denique Trigonometrica declarando. *Cap. 2* Analyſin Trianguli rectanguli, & *Cap. 3* obliquanguli tradit. Addit *cap. 4* Analyſin Triangulorum per ſcalam Geometricam atque Quadrantem, & *cap. 5* ad longitudinum ac altitudinum dimenſionem applicat, additis inſimul modis, ſine Trigonometria eam expediendi, & caſibus accuratiſſime diſtinctis. Docet quoque *cap. 6* per Trigonometriam planam inveſtigare diametrum & circumferentiam Telluris, diſtantiam Solis & Lunæ a Terra eorumque diametros. Parte ſecunda Trigonometriam ſphæricam expoſiturus, cap. 1 itidem futuris demonſtrationibus neceſſaria fundamenta ponit, proprietates inprimis circulorum in ſuperficie ſphærarum ſe mutuo interſecantium & triangulorum ſphæricorum demonſtrando. Progreditur hinc cap. 2 ad analyſin Trianguli ſphærici rectanguli, & cap. 3 ad analyſin obliquanguli, & facilem problematis difficillimi, ex datis tribus lateribus inveniendi angulos, ſolutionem proponit theoremati ſuperſtructam, quod *rectangulum ſub ſinubus crurum ſit ad quadratum radii ut rectangulum ſub ſinubus differentiarum crurum a ſemiſumma omnium laterum ad quadratum ſinus dimidii anguli verticalis.* Tractat *cap. 4* materiam apprime neceſſariam, ſed vulgo negligi ſo-

solitam de specie laterum & angulorum. Nempe quia arcus & anguli eosdem habent sinus cum suis complementis ad duos rectos, unde sciatur, qualis invento sinui angulus vel arcus respondeat, edocet per aliquot propositiones demonstrativas. Subjungit *cap. 5* problemata sphærica præcipua ex Astronomia & Geographia, de inveniendis Solis declinatione, loco, ascensione recta, obliqua, appulsu ad verticalem primarium, amplitudine ortiva vel occidua Azimutho, hora diei, arcubus Horizontis inter Meridianum & alios circulos horarios interceptis, hora ortus vel occasus Solaris, duratione crepusculi, fixarum declinatione, ascensione recta, longitudine, latitudine, arcu diurno vel nocturno, hora noctis, altitudine Poli. Adduntur Canones Sinuum & Tangentium pro decimo quoque minuto constructi, cum eorum Logarithmis. Tandem in tribus ultimis plagulis præcipua Geometriæ planæ elementa ex Euclide selecta demonstrantur, & incipientium usui accommodantur. Libellus adeo mole exiguus, utilitate amplissimus; levi pretio parandus, in maximo habendus. Multum utilitati tyronum consuleret doctissimus Autor, si Astronomiam pari dexteritate explicatam daret universam.

DISSERTATIO HISTORICA DE DUCENTIS celeberrimis Augustinianis Scriptoribus ex illis, qui obierunt post magnam Unionem Ordinis Eremitici, usque ad finem Tridentini Concilii, amplioris Bibliothecæ Augustinensis edendæ prævia. Auctore Fr. DOMINICO ANTONIO GANDOLFO, *Genuensi.*

Romæ, typis Jo. Franc. Buagni, 1704. 4.
Constat 2 Alph. 6 plag.

Cum nova quotidie incrementa capiat Historia Litteraria, nullus est in Romana Ecclesia Ordo, cujus viros eruditos nonnulli certatim non illustraverint. Nam ut de Augustinianis tantum nunc dicamus, notum est Thomæ de Herrera *Alphabetum Augustinianum* Madriti A. 1644 f. editum, sed sterile fœcundi alioquin scriptoris opus, tum Philippi Elssii *Encomiasticum Augustinianum,*

Bruxellis 1654, f. vulgatum, quod tamen erroribus haud vacat. Quo
vero in pretio sint Thomæ Gratiani *Anastasis Augustiniana*, sive de
Scriptoribus Ordinis Eremitici S. Augustini Antv. 1613, 8. & Cor-
nelii Curtii *Elogia Virorum Illustrium ex Ordine Eremitico D. Au-
gustini*, cum iconibus ad vivum expressis ibidem 1636, 4, haud æque
liquet. His accessit nuper Gandolfus, Genuensis, qui, cum am-
pliorem Bibliothecam Augustinensem edere olim constituerit,
præmisit *Dissertationem* hanc *Historicam de ducentis celeberri-
mis Augustinianis Scriptoribus*. Equidem & antea Auctor de
Ordine suo bene meritus videtur, quandoquidem eum *de Pur-
puratis Augustinianis*, hoc est, iis, qui ex hoc Ordine Cardina-
litiam dignitatem sunt adepti, nec non *Poeticos Flores Eremi
Augustiniani* scripsisse, ex hoc ipso passim opere patet. Etsi ve-
ro hæc, quam præ manibus habemus, Dissertatio non ea styli
elegantia conscripta sit, quam ejus generis libelli requirunt, mul-
ta tamen memorabilia hic occurrunt, e quibus aliqua pro instituto
p. 21. nostro delibare non gravabimur. Celebris fuit seculo imprimis XIII
(natus quippe 1247 & mortuus 1316) Ægidius Columnius, qui
Aristotelicam Philosophiam multis voluminibus, rudi tamen ser-
mone, explicavit. Is cum adolescentiæ Philippi Pulcri, Gallia-
rum Regis, præfectus esset, ejus in gratiam *de Regimine Princi-
pum* libros tres, Romæ primum 1482 f. typis excusos scripsit, omnis
Moralis Philosophiæ compendium. Tanta vero ejus auctoritas
fuit, ut, quod nemini alias concessum Noster putat, in Capitulo
Generali Florentiæ 1287 fuerit mandatum, ut omnes ejus Ordinis
positiones Ægidii seu scriptas, seu scribendas reciperent ac defen-
30. derent. Vixit eodem tempore Beatus Albertus, qui primus, te-
ste Gandolfo, habetur, qui externæ eloquentiæ, quæ in varia ge-
stuum compositione consistit, artificium in suggestum introduxe-
51. 52. rit, eoque in sui admirationem rapuerit auditores. Ubi de Am-
brosio Calepino agit Auctor, mire ejus Dictionarium, Venetiis pri-
mum A. 1505 f. editum, & centies deinde, omisso etiam Calepini
nomine, recusum, commendat, eo imprimis nomine, quod au-
ctoritati Patrum, Ambrosii, Hieronymi & Augustini, plus quam
Vallæ, Prisciani & similium detulerit. Fuit præterea suavibus mo-
ribus, & ne senex quidem, cum cæcitate jam laboraret, literarum
stu-

ſtudia depoſuit. Miraculo ſimilia ſunt, quæ de Aurelio Brandolino, vulgo Lippo a cæcitate dicto, narrantur. Nam cum a pri- p. 85.
mis ferme vitæ cunabulis oculorum luminibus captus eſſet, fuit tamen & Theologus atque Concionator egregius, & Philoſophus, & Orator, & Hiſtoricus, & Poeta extemporaneus, & Muſicus excellentiſſimus. Memoriæ vero & promptitudinis ejus hoc præ- 87.
cipuum argumentum eſt, quod omnem Plinianam Naturalem Hiſtoriam, per ſingula capita, quamplurimis & præclariſſimis verſibus ex tempore enarraverit, re nulla memorabili prætermiſſa.
Cum Felicem de Prato Pſalterium Davidis ex Hebraico ſermone 121.
in Latinum tranſtuliſſe narrat Auctor, plures alios Auguſtinianos linguæ Hebraicæ gnaros adducit, & contra Celeberrimum Virum Guilielmum Cave, non eam aſſerit monachorum in Reuchlinum odii cauſam fuiſſe, quod in Hebraicis eſſet verſatus, verum quod vir ſatyrici ingenii lingua illa abuteretur. Guilielmum 150.
Duranti perperam Durandum a plerisque vocari putat, eumque 152.
Auguſtinianum fuiſſe, contra Labbeum, quem ut Ordini inimicum ſæpiſſime redarguit, pluribus oſtendit, affertque nobile Duranti de Sacra Cœna dicterium: *Verbum audimus, motum ſentimus, modum neſcimus, præſentiam credimus.* De Henrico de 164.
Langeſtain, dicto de Haſſia, refert, quod primus Mathematicas artes Lutetia Viennam tranſtulerit, inde mox per univerſam Germaniam feliciter propagatas. Porro de politiſſimo Hermolao 173.
Barbaro agens, vulgares quosdam ſcriptorum errores emendat. Hinc Zachariam patrem, & Franciſcum avum, quos aliqui confundunt, eum habuiſſe oſtendit; tum non dolore obiiſſe, quod Reſpublica Veneta eum dignitatem Patriarchalem contra leges patrias obtinuiſſe indignata eſſet, verum peſte Romæ 1494 extinctum fuiſſe probat, nec honore funeris caruiſſe, in celebri quippe Auguſtinianorum Baſilica S. Mariæ de Populo Romæ ſepultum. Hieronymum Neapolitanum Nicolai V Pontificis in ſpecu- 173.
lativis quidem ſcientiis, nequaquam tamen in Græcis, ut Ughellus ſcripſit, præceptorem fuiſſe docet, quandoquidem is ſenex Græcas litteras didicerit, in quibus tamen ita mox profecerit, ut de Græco in Latinum & contra multa traduxerit, & Græce etiam nonnulla compoſuerit, teſte Carolano. De Johanne Hoffmeiſtero, 216.

 quem

quem ob libros nonnullos beato nostro Luthero oppositos, Anti-Lutherum vocatum vulgo asserit, notatu non indigna plura habet.
p. 233. Joannem Staupitium observat A. 1501 ad Summum Pontificem Oratorem fuisse missum, ut privilegia pro Academia Vitembergensi arcesseret, eoque primum Academiæ fundatorem vocari.
252. Laudatur Ludovici seu Aloysii de Marsiliis insignis liberalitas, qui magnam librorum copiam, multis ex locis conquisitam, Bibliothecæ sui Ordinis Florentinæ, quam & antea præstantissimis codicibus ditaverat Joannes Boccacius, legaverit. Ei anno, quod Noster credit, 1436 defuncto *Florentina Civitas, ob singularem eloquentiam & doctrinam, sepulcrum publico sumtu faciendum*, quæ sunt verba Epitaphii, ponendamque insuper in Cathedrali imaginem *instituit*.
275. sq. Notus ante alios est Onuphrius Panvinius, qui Veronæ 1529 natus, adhuc puer neque ætatis annum duodecimum supergressus, historiæ impensissime vacare cœpit, & multis subinde scriptis voluminibus, quorum & aliqua alieno nomine prodiere, cum ex animi dolore in febrim incidisset, Panormi ante diem obiit 1568. Ad ejus laudem imprimis spectat, quod ejus Annalibus Ecclesiasticis, quos affectos reliquerat, ita in prioribus Annalium tomis usus fuerit Baronius, ut, qui primum Onuphrii tomum, vel saltem magnam ejus partem viderint, pauca a Baronio immutata fuisse agnoscant. Adjecit Auctor noster in Appendice antiqua quædam monumenta, ad vitas imprimis Sanctorum Sanctarumque spectantia, quæ celeberrimis viris Papebrochio &
349. Janningio singulari epistola dedicavit. Postremo loco nonnullorum de Gandolfo præconia, per modum epistolæ ad Francisc. Mauritium Gandolfum, Marchionem Melassi &c. recensentur,
391. quæ inter cum & ea relata essent, quæ de ejusdem libro Italico *Dispaccio Istorico, Curioso & Erudito*, Monteregali 1695, 4 edito, Suppl. Tomo III p. 300 diximus, additur, Academiam Obscurorum, quam Gandolfi auspiciis instituendam illic nuntiavimus, ob perpetuam
395. ejus absentiam nondum initium sumpsisse, eoque rationem ejus, quod desideravimus, nondum explicari potuisse. Novum denique fœtum ab Auctore exspectare jubemur in eadem Epistola, cujus titulus erit *Li Splendori Liguri svelati dalla Penna del P. D. A. Gandolfo, principalmente ne detti, e fatti Eroici, e glo-*

riosi del Senato, Genovesi Patritii & Soggetti qualificati della Liguria, & alcuni anche della Corsica; con una descrizione delle sudette due Regioni, e delle cose notabili delle medesime. Cæterum multa se passim debere Celeberrimo Magliabechio non ingratus profitetur, quem Virum quippe, aspectu licet & cultu philosophico, eruditione tamen, doctrina & moribus conspicuum p. 252, & eruditionis pelagum p. 256 vocat.

TATIANI ALEXANDRINI HARMONIÆ EVANgelicæ antiquissima Versio Theotisca, ut & Isidori Hispalensis ad Florentinam Sororem de Nativitate Domini, Passione, Resurrectione &c. libri eadem lingua conversi Fragmentum. JOANNES PHILIPPUS PALTHENIUS e manuscriptis codicibus edidit, & animadversionibus illustravit.

Gryphiswaldiæ, apud Johannem Wolfgangum Fickweilerum, A. 1706, 4.
Constat 2 Alph. 10 plag.

Cum nostro ævo multa præstantissima ingenia scientiis excolendis plurimum incumbant; ut linguæ etiam, quibus animi sensa interpretamur, & rerum conceptus cum aliis dextre communicamus, excolantur par est. Id vero qui molitur, judice Clarissimo *Palthenio*, non peregrini sermonis vocibus ac phrasibus vernaculum locupletare ac exornare, sed vernaculi integritatem vindicare: nec nova vocabula effingere, sed probæ notæ voces, majorum oscitantia in desuetudinem adductas, in usum revocare, utque dictionis Germanicæ elegantiam capiat, de proprio verborum significatu, ex veterum scriptis eruendo, sollicitus esse debet. Eum in finem edidit Noster versionem antiquam Harmoniæ Evangelicæ *Tatiani* & fragmenti *Isidori* Theotiscam. Utut enim Celeberrimus *Hickesius* Teutonicæ linguæ antiquitatum studiosis suadeat, ut a *Willeramo* lectionis initium capiant, inde ad *Otfridum*, hinc tandem ad *Tatiani* interpretem progrediantur; *Palthenio* tamen contraria via magis arridet, quia *Tatiani* interpres planissimis vocabulis utatur, ac ita presse omnia exprimat,

ut ne in positu quidem verborum quicquam immutet, cum contra in *Otfrido* sint multa contorta, & sensum dubium habentia, in *Willeramo* pleraque figurate dicta. *Vulcanius* versionem *Tatiani* Theotiscam, in Auctario Notarum ad eandem, pro scripto Teutonico omnium antiquissimo habet: Noster ipsi coævum cum *Vlitio* facit *Otfridum*, & *Tatiani* interprete antiquiorem agnoscit interpretem fragmenti *Isidori*, quod pro omnium vetustissimo patriarum antiquitatum hoc in genere monumento venditat, & ad seculum circiter septimum refert, cum *Tatiani* versio fœtus seculi octavi vel noni ipsi videatur. De *Tatiano* ipso & ejus Harmonia ut dicamus, opus non est, inprimis cum alibi in Actis nostris de hoc Viro satis sit dictum, præcipue A. 1701 p. 270 & 271. Codicem Theotiscum quod attinet, circa finem seculi XVI primus eum eruditis notum reddidit *Bonaventura Vulcanius*, qui tamen impeditus fuit, quo minus promissam orbi litterato daret editionem. Certam equidem post ipsum editionis spem fecerat *Junius*; proposito tamen eventus non respondit. Ipso mortuo codex, quem possidebat, manuscriptus, una cum manuscriptis aliis, in Bibliothecam Bodlejanam Oxoniensium delatus, ex qua *Palthenio*, anno 1696 Oxoniæ degenti, copiam ejus fecit Bibliothecæ instructissimæ tunc temporis Præfectus, celeberrimus *Hidius*. Notat vero, codicem illum duplici manu fuisse signatum, a Juniana diversa. Quod recentiori manu adscriptum erat, *Marquardo Frebero* tribuendum putat, quamvis in dubio relinquat, collatione cum alio codice instituta, an ex ingenio aliquid immutandum censuerit. Quamobrem ipse textum antiqua manu exaratum plerumque sequitur, nisi contrarium in animadversionibus indicet. Fragmentum *Isidori* Parisiis, ex codice manuscripto 4859 Bibliothecæ Colbertinæ, qui ad *Pithæum* pertinuit, descripsit, usum ejus concedente *Baluzio*. Versioni Theotiscæ ad latus comparet textus Latinus. Subjiciuntur in *Tatiani* & *Isidori* interpretes animadversiones, in quibus de multarum vocum Theotiscarum origine & genuina significatione disquiritur, & quomodo in voces nunc usitatas degeneraverint, hinc inde accurate ostenditur. Sub finem comparet fragmentum veteris linguæ Theotiscæ a *Lambecio* in Bibliotheca Vindobonensi produ-

ductum, felicissima, judice Nostro, conjectura a viro quodam docto, cujus nomen tacet, restitutum & emendatum. Unum adhuc annotandum esse censemus, promitti nempe Orbi litterario a *Palthenio* Glossarium Vandalicum, quod a multis avidissime expectari, nulli dubitamus.

OBSERVATIONES PRACTICÆ DE HYDROPE Pectoris, a Collegis Academiæ Leopold. Nat. Curios. Vratislaviensibus editæ.

Vratislaviæ & Lipsiæ, sumptibus Christiani Bauchii, 1706, in 4.
Const. 10 plagulis.

Historia Morborum, aliquot annos Vratislaviæ grassatorum, improbo labore, nec ab omnibus probis satis laudando conatu pertexta, eadem industria, nec minori felicitate, ad alia nunc pergunt Academiæ Nat. Curios. Collegæ Vratislavienses conjunctissimi. Quo magis autem plerisque Medicis insitum fastidium ingens, & contemtus quidam superbus omnis veteris Medicinæ, cum perpetuo innovandi pruritu conjunctus, detestandus venit, quo saluberrimum illud de Societatibus seu Academiis promovendæ praxeos gratia erigendis Georgii Baglivi consilium neglectum hactenus atque contemtum fuit; eo majori censentur laude mactandi Viri hi Clarissimi, quod inter copiosissimas easque arduas occupationes, ad Artis salutaris augmentum promovendum suam non desistant conferre symbolam. Ad hydropem pectoris jam elucidandum animum applicuerunt, non modo, quoniam pauci Scriptores aliquam in evolvenda ejus natura operam collocarunt, verum etiam, quoniam præter Maximilianum II gloriosissimæ memoriæ, Divo Leopoldo, cujus mortem tanquam Protectoris sui Clementissimi acerbe luget supra laudata Academia, extitit ille funestus. Usi fuerunt in hoc tractatu aliorum doctissimorum Medicorum testimoniis, præcipue in enarrandis morbi phænomenis, ac in cura; ubi autem ad causarum investigationem perventum est, sibi, ut aliis, vires ingenii periclitari & sine contumelia prosequi, vel veterum castra relinquere, licitum esse opinati sunt. Scaturiginem igitur aquæ in thoracis cavitatem extravasatæ in vasis potissimum lymphaticis quærunt, quatenus scilicet vel lympha

copiosius congesta, nec exitum in peripheria corporis nanciscens, adjuvante calore & obstetricante partium teneritudine, per transsudationem ex lymphaticis in cavitatem pectoris stillat, vel ex iisdem disruptis promanat. Nec improbabile est, serum sanguinis sub propria forma e vasis in thoracis cavum transsudare, sive hoc per *ἀναστόμωσιν*, sive per *διαπήδησιν*, sive per *διαίρεσιν* & in specie *διαβρῶσιν* contingat. Quinimo ductum thoracicum quandoque non extra culpam esse, suumque contentum pectoris concamerationi suppeditare posse, nulli dubitant. Inter caussas remotas lymphæ extravasationi ansam præbentes accusatur modo ejus spissitudo extraordinaria, vel ab aqua frigida æstuante corpore affatim hausta, vel ab aere frigidiore, aquarum vitæ ingurgitatione &c. inducta; modo vasorum lymphaticorum angustia, vel a naturali conformatione ac primo ortu dependens, vel a morbis, vel ab aliquibus comprimentibus & constringentibus producta; modo vitia tum aliorum viscerum, quæ motum lymphæ turbant, tum pulmonum præcipue, durities puto, scirrhus, tumores, vomicæ, & cum pleura cohæsio. Sanguis vero suum serum ejaculatur vel si fuerit acris, & salinus, aut viscidus a dyspepsia ob cruditates admistas, ac iners menstruum, nec non ab incongruis in duodeno ac reliquo intestinorum volumine communicatis liquoribus redditus, aut in motu impeditus; vel si vasa sanguifera obstructa aut in osseam duritiem redacta sint; vel si viscera obstructiones patiantur. Denique ex ductu Pecquetiano prorumpit chylus, si ille fuerit disruptus. In cura eo cogitationes omnes dirigendæ sunt, ut 1) colluvies serosa in pulmonibus & thorace congesta quoquo modo evacuetur, 2) omni studio præcaveatur, ne nova subinde generetur, quod potissimum obtinetur, dum vitia tolluntur viscerum, & omnis cachexiæ occasio avertitur. Quanquam autem præter externa ex fonte Chirurgico pariter ac Pharmaceutico petenda, inter purgantia non frustra exhibeantur mitiora; inter diuretica præsente febre lapidibus percarum, oculis cancrorum crudis, tartaro crudo, nitro depurato, emulsionibus ex semine violarum, lapide Lyncis vel Judaico; absente vero eadem, succo betulæ cerevisiæ confermentato, succo raphani, fragis & baccis alkekengi cum debiliori spi-

ſpiritu vini infuſis, eſſentiæ gummi ammoniaci & ſero lactis caprilli ſuæ ſint deferendæ laudes; inter diaphoretica Rob Sambuci, ebuli, lapides cancrorum, ſal cardui benedicti, & ſyrupus quidam in electuarium commode redigantur, & matutinis horis propinentur; nec inter pectoralia, ſi pulmones ſero glutinoſo diſtendantur, ſcabioſa, tuſſilago, hyſſopus, veronica, marrubium album, pulmonaria, betonica, capillus Veneris, &c. penitus ſint contemnenda; multoties tamen hoc malum tam rebelle eſt, ut ægri non tantum non curentur, ſed ne quidem ſymptomata eorum mitigentur.

Das güldene und ſilberne Ehren-Gedächtniß *D. MARTINI LUTHERI.*

h. e.

MEMORIA D. MARTINI LUTHERI NUMMIS aureis argenteisque decorata. Ex recenſione CHRISTIANI JUNCKERI, Dresdenſis, Hiſtoriographi Ducalis Saxo-Hennebergici.

Francofurti & Lipſiæ, apud hæredes Endterianos, 1706. in 8. form. maj.

Conſtat Alphab. 1. plag. 17.

UTut auri argentique amans Lutherus, dum viveret, haudquaquam fuerit, memoriam tamen illius plurimis in nummis aureis argenteisque conſervarunt poſteri, quos juſto illuſtravit Commentario jam A. 1699 ſub titulo: *Vita D. Martini Lutheri & Succeſſuum Evangelicæ Reformationis Jubilæorumque Evangelicorum Hiſtoria, nummis atque iconibus confirmata & illuſtrata*, edito Clariſſimus Junckerus. Sed tantum abeſt, ut prima illa opera (quam quidem ſubitaneam minime fuiſſe, Benevolus Lector vel ex recenſu in his Actis tum inſtituto p. 300 ſq. colliget,) divitias omnes exhaurire licuerit, ut novæ potius huic editioni parandæ ampliſſima, quæ ex illo tempore Autori ſolertiſſimo denuo ſe obtulit, ſupellex occaſionem peroptatam ſubminiſtrarit. Sicut autem in gratiam eorum, qui ſtudiis equidem pri-

mariam diligentiam haud impendunt, historiæ tamen interim & rei nummariæ operam navant, Germanico idiomate uti celeberrimus Junckerus maluit, ut pluribus adeo ad librum hunc accessus pateret; ita multum passim auctum amplificatumque priorem illum laborem invenient, qui Latinam editionem cum Germanica hac conferre voluerint. Provocamus in istius rei fidem vel ad unicam illam sectionem, quæ *trigesima octava* est, ac eminentium quorundam Virorum, qui vel socii Luthero fuerunt in promovendis ecclesiæ literarumque commodis, vel ab eo dissentientes diversarum opinionum autores extiterunt, vultus in nummis rarioribus expressos repræsentat. Etenim in ista Justo Jonæ, Philippo Melanchtoni, Erasmo Roterodamo, Hudalrico Zwinglio, Friderico Myconio, Martino Bucero, Joanni Calvino, socii adduntur Ambrosius Blaurerus, Simon Grynæus, Joannes Brentius, Joannes Oecolampadius, Petrus Martyr, Mercurius de Gattinaria Caroli V. Imperatoris Cancellarius, Bilibaldus Pirckheimerus, (cujus lateri adhæret pictor celeberrimus, Albertus Dürerus,) & Conradus Peutingerus. Unicum hunc §. tot accessionibus auctum qui cogitaverit, haud difficulter de reliquis pronum ferre poterit judicium. Ordinem de cætero eundem, quem Latina editio servavit, & heic retentum videas, nisi quod effigies nummorum, quarum iteratis sæpe vicibus aliquot ibi in peculiaribus tabulis junctim fuerunt exhibitæ, textus nunc ipse suo quamque loco proprio insertas accepit; id quod Lectoribus non nisi gratissimum fore autumamus, utpote qui molesto labore ad tabulas istas, a materiæ dilucidatione interdum remotiores, recurrendi sublevatos se hoc pacto sentiunt. Sed textum ipsum haud mediocriter amplificatum dedisse, nondum sufficere visum fuit. Accessit insuper Appendix, quæ antea observata novis illustrat animadversionibus, & nummos præterea non unos apparatui priori adjungit, quos Clarissimus Auctor tantum non omnes se debere profitetur thesauro nummario Amplissimi Heræi, Consiliarii Sondershusani. Nominamus ex his potissimum eos, qui supra memoratis suppares sunt, memoriamque ab interitu vindicant Hieronymi Savonarolæ, Mennonis, Caspari Hedionis, Petri Vireti, Joannis a Lasco, Jacobi Sturmii, Lucæ Cranachii. Oecolam-

lampadius quoque inter alios iterum occurrit, cujus in honorem cusum numisma altera in facie hoc distichon refert: DUM VIXI IN DOMINI FULSI FAX SPLENDIDA TEMPLO ET NOMEN CUM RE GRATIA DIVA DEDIT. Tacemus duo Carmina *Adami Siberi* rarissima, & inter ejus Poëmata studiose alias collecta editaque minus reperiunda, quorum alterum Lutheri honoribus sacrum *tertium* eum *Eliam*, nominat, versumque hunc & initialem habet & finalem: *Nostri fuit Secli Lutherus HELIAS*; alterum Philippum Melanchthonem tanquam *Phœnicem Doctorum* laudat.

OCTAVIA, Römische Geschichte/

h. e.

OCTAVIA, FABULA ROMANENSIS. PARS tertia, eaque ultima.

Noribergæ apud hæredes Hofmannianos, 1706. 8.

Constat Alph. 3.

FAbulæ Romanenses, quas ab Aristide Milesio quidam *Milesias*, alii ab argumento, quod in iis pertractatur, *Amatorias* adpellant, ex Oriente ad Græcos, a Græcis ad Romanos, atque ab his ad reliquas cultioris Europæ nationes translatæ sunt. Primam illarum originem ad certa tempora referre vix quisquam potest: extant autem perantiqua scriptionis hujus monumenta, quorum vestigia premere Galli præ aliis summa ope nisi fuerunt, a quibus etiam *Romanensis* adpellatio derivatur. Habuerunt enim tria olim idiomata Galli, *Gallicum* scilicet, quod vetustissimum & vernaculum erat, *Germanicum*, quod a Francis advenis seculo IV & V didicerant, & *Romanum*, quo Provinciales atque Tolosates, utpote Italis proxime habitantes, utebantur: & ab his quidem carmina & historiæ amatoriæ *Romanenses* dictæ sunt, quod hi præ reliquis omnibus artis poeticæ peramantes atque studiosi essent, suaque lingua in publicandis hujuscemodi scriptis aliis præirent. Parentum avorumque nostrorum ætate, Fabula Romanensis ab Hispanis, Italis, Germanis, Anglis Batavisque

visque ad supremum quasi dignitatis culmen evecta, & tanto ardore exculta est, ut de illa certas aliqui regulas formare, & in illis laureolam quærere, pulchrum duxerint. Certe apud Hispanos tantus talium librorum numerus evasit, ut Michael Cervantæus, quem inter præstantissima Hispaniæ ingenia numerant, subtilem admodum & prudentem de iis censuram in peculiari opere, quod *Domini Quixoti historiam* nuncupat, agere, atque hac ratione civium suorum animos a nimia fabularum lectione avertere studuerit. Et negari quidem non potest, multas comparere quisquilias in hoc librorum genere: quidam enimvero ita ab auctoribus suis efficti elaboratique sunt, ut in iis contra bonos mores nihil dictum sit, sed potius dominandi amandique artes, tragicorum insuper casuum narrationes, atque elegantioris cultus indicia, non absque summa oblectatione, sub amabili figmento, deprehendantur.

In illis, quas Germania nostra produxit, *Herculis* & *Arminii* Fabulæ præ cæteris claræ sunt; omnibus vero palmam præripuerunt *Aramenes* & *Octavia* volumina, cum ob præceptorum castimoniam, styli elegantiam, vicissitudinumque mirificam varietatem, tum præcipue ob augustas illarum origines, quas e Serenissima Germaniæ Domo Principi ingeniosissimo debent. *Octavia* certe, cujus duæ partes priores quatuor voluminibus constantes ante hos viginti annos lucem adspexere, adeo animos lectorum incomparabili venustate sua fascinavit, ut reliquos jucundissimi laboris tomos anxie optaverint, quorum desideriis tandem tertia parte, quam ultimam dixit, satisfacere voluit Serenissimus Princeps. Quum vero etiam in hac ipsa nondum ad finem perducta sit elegantissima de Octaviæ Romanæ miris in aula Neroniana casibus fabula, nova nunc ab illis, qui Octaviam Germanica veste decoratam quasi deperreunt, ad Excelsissimum Auctorem vota fiunt, ut labores suos ad finem aliquando perducere dignetur: qui, nisi ipse ultimam operi manum admoveat, a nemine unquam expectandus est, cum neminem pari felicitate hujus generis aliquid adgressum sciamus, multo minus futurum credamus quemquam, qui tanto cum applausu cœpto hactenusque continuato operi ausurus sit colophonem imponere. Servet modo æternum Numen Principem Optimum,

mum, salutis inprimis publicæ & S. R. Imperii universi causa, cujus inter Columnas præcipuas merito omnes eum venerantur.

ECLIPSIS SOLIS D. XII MAJI A. MDCCVI IN diversis Germaniæ locis observata.

PHænomenon hoc, in terris nostris rarissimum, cœlo undique sudo, non sine voluptate conspiciendum se præbuit. Initium occultationis hic *Lipsiæ* circa primum quadrantem horæ decimæ, maxima obscuratio h. X. 25' 20'', finis h. XI. 35' 45'' notata fuere, ipsumque adeo deliquium h. 2 21' duravit, sub medium ejus vix triente digiti Solaris disci a defectu immuni: quo tempore ♀ prope Solem & ♃ Orientem versus clarissime nobis conspecti fuere. Sunt quibus & ♄ atque ☿ visi perhibentur, cum pluribus fixis primæ magnitudinis. Ambibat Lunam annulus fulgens, limbo ejus parallelus, obversa Lunæ parte densior, aversa rarior, exacta tamen peripheria terminatus, a parte Solis lucida supra illum versus zenith prominente accurate distinguendus. Splendor ejus quasi argenteus, minor tamen quam ab occultatione immunis disci Solaris particulæ. Margo Lunæ instar nubeculæ pallebat, nigredine medium disci occupante. Prope horizontem occiduum nebulæ veluti cooriebantur, cœlumque rubebat.

Eandem Eclipsin *Jenæ* accuratissime observans Clarissimus Professor *Hambergerus*, notavit initium h. IX. 11' 40''; medium h. X. 21' 59''; finem h. XI. 32' 18''; magnitudinem $11\frac{5}{8}$ digitorum; integram durationem h. II 20' 38''. Maxima cum esset obscuratio, Venerem vidit, Jovem atque Capellam, tenebris adeo invalescentibus, ut ad dignoscenda in Horologio Oscillatorio ad fenestram collocato minuta & secunda horaria, candela accensa opus esset.

Berolini initium fuisse h. IX 24', finem h. XI. 45', & defectum ad $11\frac{7}{8}$ digg. excrevisse accepimus.

Vratislaviæ in Collegio Academico Soc. Jesu a R. P. *Chri-*

Christophoro Heinrich, Prof. Theolog. & Mathem. sequentia annotata sunt.

		′	″
Initium erat	hor. IX.	39.	40.
Totalis obscurationis initium	X.	49.	—
Medium	X.	49.	30.
Lucis initium	X.	50.	—
Finis totius Eclipseos	XII.	2.	20.
Mora totalis obscurationis	—	1.	—
Duratio Eclipsis ab initio ad finem	II.	22.	40.

Punctum ultimi exitus a Sole distabat a puncto verticali Solis Orientem versus 56°. 20′.

Diameter Lunæ excedebat Diametrum Solis minimum 15′ Diametri Solaris.

Tempore totalis obscurationis stellæ complures libero oculo visæ, etiam duæ prope Solem. Lunam circulus dubiæ lucis ambibat, Halonis instar. Simul apparebat inæqualitas superficiei Lunaris; sed præcipue sub initium luminis distinguebantur, in effigie per telescopium in chartam albam projecta, montes & valles Lunares, intermicantibus Solis particulis.

Hora 10, 6′ 30″ obscuratis in Sole digit. 5, speculum Parabolicum diam. 3 ped. adhuc inflammavit lignum siccum: quod haud amplius præstitit h. 10 18′ 20″ obscuratis 7 digitis.

Hor. 10 35′ 30″ obscuratis 10 digitis adhuc tantisper adussit pannum.

Hor. 10 42′ 0″ obscuratis 11 digitis nec fomitem amplius accendit.

Lens ustoria diam. 9½ pollic. post obscuratos digg. 9 h. 10 30′ adhuc adussit pannum: obumbratis vero 10 digitis nec fomitem quidem.

Cœlum omni hoc tempore fuit admodum serenum.

** ** **

ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Augusti Anno M DCC VI.

ANTONII PAGI CRITICA IN ANNALES Baronii.

Coloniæ Allobrogum sumtibus Societatis, 1705. fol. Tomus II. Constat 9. Alph. 7. plag.

Coronidem imposuerat Clarissimus Auctor operis sui Historico - Chronologici *Tomo I*, supra a nobis pag. 110 recensito, rebus a Theodosio M. præclare gestis, nunc *Tomum II* orditur ab altera Imperii divisione, qua Arcadius Orientis, Honorius Occidentis Principatum obtinuit, & progreditur ad initium Pontificatus S. Martini, quem suscepisse statuit A. C. 649. Itaque ad A. C. 395 vindicat Zosimum, qui Baronio Rufinum male Celtam appellasse censetur, eo quod Gallus fuerit; cum tamen Galli Celtarum nomine Zosimo & Straboni designentur. Ibidem statum religionis sub Arcadio & Honorio egregie repræsentat ex Sozomeni lib. 8, c. 1; adjicit hæresin Euresii & leges Arcadii contra hæreticos a Baronio prætermissas; bellum Persicum signo crucis efficaci celebre revocat ad A. C. 420; Chrysostomum refert in exilio, dum Pityuntem transportatur, exspirasse animam; Augustinus sequenti demum anno ordinatus ipsi videtur Episcopus Hipponensis, atque ejusdem & Paulini epistolarum chronotaxin exhibet curate digestam. A. C. 396 Evangelium ostendit propagatum inter Pictos Australes per S. Ninianum, inter Dacos, Bessos & Gothos per S. Nicetam, qui alias Nicæas dicatur; culpa enim librariorum Nicetam a Nicæa esse distinctum, qui error etiam in martyrologia irrepserit, unde memoriæ S. Nicææ dies VII Januarii, S. Nicetæ dies XXII Junii

 con-

consecratus sit. A. C. 397 alligat Nicetæ in urbem Nolam accessium, & per Daciam, Italiam, Macedoniam & Dardaniam in patriam redeuntis itinerarium; mortem S. Ambrosii; ordinem Conciliorum Carthaginensium emendatum, & Rufini Aquilejensis cum Melania ex Oriente reditum. Et de Rufino quidem ex Hieronymi & Nolani epistolis narrat, quod hæreses Origenis eo applausu Romæ disseminaverit, ut, licet celebris matrona Marcella strenue illum oppugnaret & Urbe tandem expelleret, nihilominus a Papa Siricio obtineret epistolas *Ecclesiasticas* seu *Communicatorias*, publico puræ fidei apud peregrinos testimonio. Ibidem in Paulino observat flagrans pietatis studium, quo percitus ipsam Romam appellaverit Babylonem, non respectu Gentilismi, uti Baronius vult, sed ob summam turbarum ac mali illecebrarum copiam. A. C. 398 mortuos demonstrat Siricium atque Ambrosium, & priori successisse Anastasium. Præter alia de Augustini in Donatistas, Chrysostomi in Montanistas, Porphyrii Gazæ Episcopi in Gentilismum zelo agit; tantam fatetur Cleri Romani fuisse invidiam non in S. Paulinum solum, sed & in S. Hieronymum, ut non immerito ab Hieronymo Senatus Pharisæorum vocaretur; quamvis etiam Hieronymus nimis acriter calamum ipsi strinxisse videtur, non quidem in Clerum, sed in Imperatorem, ita extollens virginitatem, ut matrimonium quodammodo damnare crederetur. A. C. 399 eminuisse probat prudentiam Imperatorum in exstirpando sensim Gentilismo, in Hispania præcipue & Gallia. Circa A. C. 400 corrigit errorem Baronii in chronotaxi martyrii Sisinnii commissum; Chrysostomum Origenistas Monachos ex suis monasteriis ejectos benigne excipientem excusat; natales Antiphonarum ab antizelia Arianorum, & ortum Maronitarum a Marone Abbate derivat. A. C. 401 damnatos ostendit Origenis errores, tam in Oriente quam in Occidente, publicis in synodis, Alexandrina & aliis, cumque innitatur Theophili epistolis Paschalibus, redegit eas in ordinem tempori conformem, castigatis Baronii parachronismis. Ibidem occasione concilii Carthaginensis tunc temporis celebrati, refert contentiones inter Episcopos de primatu agitatas, & singularem Eudoxiæ erga Chrysostomum & Porphyrium clementiam, quorum priorem mactaverit honore su-

suscipiendi ex baptismo vel Principem Theodosium, aut quod certius ipsi videtur, Flacillam & Pulcheriam; ad posterioris autem petitum exstruxerit Gazæ ædem plane augustam, templis idolorum dirutis. A. C. 402 continuatas ostendit controversias Origenianas, cumque de iisdem Chrysostomum inter & Epiphanium concertationes quædam ortæ sint, vitam & mortem Epiphanii hac ansa ex Sozomeno collustrat; disserit etiam de obitu Anastasii contra Baronium, & Concilio primo Milevitano. A. C. 403 Chrysostomum statuit in exilium ab Eudoxia missum, quam ἐπανορθώσει in malos mulierum mores exacerbaverat; Paulinum e contrario Ecclesiæ Nolanæ esse præfectum, contra Chiffletium & Benedictinos propugnat. A. C. 404 ab Honorio non solum non restitutos esse ludos seculares, sed ipsos etiam gladiatorios Romæ sublatos contra Baronium asserit, occasione occisi ab ipsis spectatoribus Telemachi, qui gladiatorum rabiem compescere tentaverat. Porro exponit alterum Chrysostomi, ab Imperatore revocati exilium, & natas inde Constantinopoli turbas. Scilicet invectus erat in turbantes sacra publica choreas & plausus, quibus Gentilium more plebs venerabatur statuam argenteam, quam Eudoxia sibi ad latus Ecclesiæ jusserat poni; sed tantæ zelum hunc secutæ sunt calamitates, ut pro suggestu exclamaret Chrysostomus: *rursus Herodias furit.* Non autem adeo diu furorem exercuisse, addit Noster, cum eo ipso anno obierit. Ibidem agit de Augustini disputatione cum Felice Manichæo, Innocentii decretis ad S. Victricium, Victricii conversione & meritis, morte S. Paulæ, & privilegiis Judæorum ab Arcadio & Honorio concessis. A. C. 405 Pelagium epistolam *de Gratia & Auxilio* scripsisse statuit, monetque B. L. ne hunc confundat cum Pelagio Monacho, cujus Chrysostomus ac Isidorus Pelusiota meminerint, sicuti Baronius, Usserius ac Vossius fecerunt; addit præterea, quomodo Rufinus Pelagium & Pelagius Cœlestium induxerit in errores, & quod Pelagius Commentariorum in epistolas Pauli, qui Hieronymo vulgo subjungi solent, auctor sit, confirmat. Tandem subjicit tempus concilii primi Toletani, in quo de Dictinio & patre ejus Symphosio, hæresi Priscilliana infectis, actum est. A. C. 406 scripsisse sentit Hieronymum adversus Vigilantium, cujus

hæresin & patriam præcipue, cum aliis Gallus, aliis Hispanus dicatur, pluribus persequitur. A.C. 407 obiisse Chrysostomum Comanis in Ponto Euxino exulem narrat, sed non excommunicatis, uti quidam ex suppositittiis Innocentii epistolis collegerunt, ejus persecutoribus: vexatas eodem tempore Italiam a Vandalis, Britanniam militum tumultu, & Gallias ab Alanis, Suevis & Hunnis. A. C. 408 mortuum docet Arcadium, & Isdigerdem Persarum Regem diram in Christianos instituisse persecutionem, eo quod Episcopus urbis Regiæ templum aliquod ethnicum succenderat. Honorium vero delevisse Imperii sui & Christianorum hostem clandestinum Stiliconem, subditorum onera variis legibus sublevasse, Gentilismum exstirpasse, hæreticos proscripsisse eosque inter Cœlicolas, sectam Christianos inter & Judæos mediam. A.C. 409 direptam esse ab Alarico Romam, & Mathematicos urbe ejectos, quoniam se hujus aliarumque urbium fata ex astris præscire erant gloriati: id quod prolixe defendit circa annum sequentem, ad quem Baronius, Valesius & Gothofredus hanc cladem referunt, ubi etiam Probæ & Lætæ matronarum laudat pietatem, quod pauperes durante obsidione de suis aluerint. A. C. 410 Concilium fuisse celebratum Carthaginense adversus Donatistas, quorum in Africa grassationes aliaque flagitia persequitur; mortuum quoque esse Rufinum, sed absque errorum recantatione; Pelagianismum sese dilatasse, sub Pelagii auspiciis, cujus patria, vitæ genus, præceptores, hæresis, iter in Africam prolixius heic exponuntur. De Synesio Pelagiano observat, quod Episcopatui sit admotus a Ptolemaidensibus, non invitus solum, sed aperte etiam heterodoxiam confessus, Theophilo Alexandrino aliisque, quos minime ejus errores latebant, electionem probantibus. Dandum autem hoc esse temporis illius iniquitati, quæ sæpius suaserit, Philosophos doctrina & virtute atque auctoritate præstantes mox a baptismo præficere Ecclesiæ. A. C. 411 principes Ecclesiæ Doctores Hieronymum, Augustinum & juxta nonnullos Hilarium Syracusanum calamum strinxisse contra Pelagium, Collationem Carthaginensem contra Donatistas habitam, Alaricum Gothorum Regem periisse, Galliamque & Hispaniam hostibus liberatam, etsi non adeo diu hac tranquillitate gavisæ sint. A. C. 412 con-

continuatas Donatistarum & Pelagianorum controversias sub auspiciis Imperatoris Honorii, regnum Gothorum in Gallia inchoatum, & mortuum Theophilum Alexandrinum. A. C. 413 profligatis Imperii turbatoribus, Marcellinum observat tribunum ac notarium, vitæ quidem integerrimum, ad delatorum tamen calumnias injuste fuisse occisum. In Gallia autem Burgundiones regimen obtinentes fidem Christianorum amplexos esse. A. C. 414 alligavit persecutionem Christianorum in Persia, ejusque initium & finem, hactenus ignota, ex collatione Theophanis cum Theodoreto demonstravit. A. C. 415 coactum animadvertit Concilium Hierosolymis coram Johanne contra Pelagianos, a Baronio penitus prætermissum; Judæorum insolentiam a Theodosio repressam, quippe qui puerum Christianum ad Immum comprehensum, ludibriis exercendis ac crucis deridendæ causa de ligno suspenderant, ac cruciatibus interfecerant; Gentilium autem simulachra sacrificiis hactenus culta, aliosque ritus Honorium proscripsisse. A. C. 416 Pelagium refert in Synodis Carthaginensi ac Milevitana II damnatum, quorum Episcopi Augustinus atque reliqui, quoniam ante latam sententiam sedem Romanam consuluerunt, studet hinc contra Blondellum Primatum Pontificis stabilire, repudiatis, qui in Synodo Milevitana II conditi dicuntur, de Pelagio canonibus. Cum autem ei adversetur locus Gennadii illustris: *Innocentius urbis Romanæ Episcopus scripsit decretum Occidentalium & Orientalium adversus Pelagianos datum* &c. inseruit vocem *Ecclesiis* ante præpositionem *adversus*, secutus codicem manuscriptum Bernardi Montfauconi, quem propediem novam & accuratam editionem Operum S. Athanasii vulgaturum pollicetur. A. C. 417 mortuum esse probat Innocentium, & successisse Zosimum, in Pelagianos tam propensum, ut Cœlestium judicaret innocentem, Pelagii autem adversarios, Herotem imprimis & Lazarum Galliæ Episcopos officio privaret ac communione. A. C. 418 immutatum advertit in Pelagianorum causa Zosimum, eoque reliquorum Episcoporum disceptationibus deductum, ut non Cœlestium solum damnaret, sed omnes Roma pelli Pelagianos, ab Honorio obtineret: circa idem tempus jacta esse Monarchiæ Francicæ fundamenta. A. C. 419 cum Julianus damna-

tioni Pelagianismi subscribere recusaret, Imperatorem promulgasse constitutionem de præstandis hæreticorum damnationi subscriptionibus; celebrata esse concilia Carthaginensia vulgo VI & VII appellata; ignem e cœlo dimissum ipsos maris fluctus quasi saltus ac sylvas incendisse. Meminit etiam consuetudinis hoc tempore adhuc Episcopis in Oriente usitatæ, qua publicis literis indixerunt tempus Paschatis proximo anno celebrandum. A. C. 420 Hieronymi emortuali, continuatam esse in Perside Christianorum persecutionem, exorto autem inde Persas inter & Romanos bello, Persas occubuisse. A. C. 421 Theodosium potestatem Episcopi Constantinopolitani circa sacra ita ampliasse, ut provinciæ omnes intra Orientalis Imperii fines comprehensæ, ejus subessent curæ, neque graviores causæ ad sedem Romanam referrentur. A. C. 422 Episcopos in Oriente, Illyricos præcipue, repudiasse affectatum Rufi, Sedis Romanæ vicarii, dominium, neque in causa Perigenis Episcopi Corinthiaci acquievisse in sententia Romani Pontificis. A. C. 423 mortuum esse Honorium Imperatorem, & Papam Bonifacium, ejectos ex Italia Julianum & Cœlestium Pelagianismi defensores, quibus etiam Theodorum Mopsvestenum ab aliis omissum associat. A. C. 424 Valentinianum renuntiatum esse Cæsarem, & Synodum Antiochiæ contra Pelagium celebratam. A. C. 425 interiisse ostendit invasorem Imperii Johannem Notariorium Primicerium, & abrogata diebus festis & Dominicis spectacula. A. C. 426 Theodosium legem adversus Paganorum sacrificia promulgasse; Augustinum libros Retractationum contexuisse, absolutis qui agunt de Civitate Dei; Prosperum & Hilarium Semi-Pelagianismum oppugnasse, quem Cassianus in Collationibus suis publice amplectebatur. A. C. 427 Theodoretum Historiam Ecclesiasticam terminasse, de quo & illius continuatoribus plura disserit. A. C. 428 Gensericum Vandalorum Regem in Asiam irrupisse, eaque occasione Augustinum solvisse dubium a Quodvultdeo propositum: an Episcopis fugere liceat in persecutione? Clodionem regnum Galliæ occupasse, a quo Francorum Reges primæ stirpis ducunt originem; Nestorium Constantinopolitanæ Ecclesiæ præfectum, talem prima vice habuisse sermonem, ad quem populus cohorruerit. A. C. 429 collustrat S.
Ger-

Germani in Angliam miſſione, Saxonum pugna cum Britannis, & præcipue hiſtoria de populi & Epiſcoporum motibus in Neſtorium. A. C. 430 continuatas oſtendit, controverſias Neſtorium inter & reliquos Epiſcopos, Cyrillum imprimis & Cœleſtinum, quæ ut componerentur, & Romæ & Alexandriæ & Epheſi Synodos eſſe coactas, quas animadverſionibus colluſtravit. Ad A. C. 431 disquirit cum Petro de Marca: an Theodoſius ſuſpenderit ſententiam adverſus Neſtorium a Synodis Romana & Alexandrina latam, donec ab œcumenico Concilio judicium inſtitueretur. Producit etiam obſtacula, quæ Johannes Antiochenus Synodo Cyrilli Epheſino poſuit, & inveſtigat anſam, qua Canon VI Pelagianus in Synodum Epheſinum irrepſerit, quibus Neſtorii exilium, Sulpicii Severi converſionem, S. Paulini vitam ac mortem ſubjicit. A. C. 432 mortuum aſſerit Cœleſtinum paulo poſt quam decreta mitigaſſet in Neſtorianos ſedibus ſuis ejiciendos; ſucceſſiſſe Sixtum III, initamque pacem Cyrillum inter & Johannem, quippe qui non hæreſi, ſed perſonæ Neſtorii faverat. A. C. 433 novum iterum ſuſcitatum ſchisma indicat ab Andrea Samoſateno, Alexandro Hieropolitano, & reliquis pacem Cyrilli repudiantibus, quod ipſum commoverit alios, ut neutram, neque Cyrilli, neque Johannis Antiocheni, partem amplecterentur, qui hinc *Acephali* dicti ſunt. A. C. 434 Theodoſium promulgaſſe *Sacram*, qua jubet, ut Neſtorii defenſores aut cum Cyrillo communicarent, aut Eccleſiis pellerentur. Proſperum refelliſſe Vincentium Lerinenſem Semi-Pelagianum, eodem anno mortuum. A. C. 435 Synodos Anazarbicam & Tarſenſem in cauſa Neſtorii habitas, Alexandrum, Meletium aliosque Epiſcopos non paucos in exilium eſſe miſſos. A. C. 437 perſecutiones Vandalicas initium cepiſſe. A. C. 439 Concilium adverſus Cyrillum Conſtantinopoli celebratum putat Baronius, Noſter autem fictitium eſſe docet. A. C. 440 mortuum affirmat Sixtum III, ſed falſo ei tribui libros de *Divitiis*, de *Malis Doctoribus*, de *Caſtitate* & *Hypomneſtico*; ſucceſſiſſe Leonem I; Chriſtianos in Africa Genſerici perſecutionibus fuiſſe vexatos. A. C. 441 Concilium Arauſicanum concedit celebratum fuiſſe, ſed negat contra Marcam, quod generale fuerit. A. C. 442 hæreſin ortam docet Eutychianam. A. C. 443 & ſeq. Manichæos a Leone M. & Proſpero op-

oppugnatos. A. C. 445 lucem fœneratur inscriptioni antiquæ Narbonensi, & contentionem, quæ Leonem inter & Hilarium intercessit, perscribit. A. C. 447 Priscillianistas in Hispaniis exagitatos refert, a Turribio potissimum Asturicensi Episcopo, item Saxones in Britanniam ingressos. A. C. 448 in nervum erupisse oppugnationem Eutychianismi, ipsum Eutychen in Synodo Constantinopolitana damnatum, non autem eodem anno, uti Baronio videtur, sed sequenti Synodos Byrtensem & Tyriam esse celebratas. A. C. 449 controversias cum Eutychianis & Iba, cujus causam antea exposuit, continuatas ostendit. A. C. 450 Eudociam non profectam secunda vice Hierosolymam contra Baronium asserit, Imperatorem autem Theodosium esse defunctum. Ad A. C. 451 revocavit persecutiones Attilæ in Servatum II & alios; Concilium Chalcedonense; causam Anatolii & Dioscori, (qui, uti ad annum superiorem observavit, ipsum adeo Episcopum Romanum excommunicavit;) Bassiani & Stephani ab officiis remotionem, factamque publicis sumtibus sustentationem; ubi simul ortum *pensionum Ecclesiasticarum* indicat. A. C. 452 Attilam vastare cœpisse Italiam. A. C. 453 Leonem P. vices suas commendasse Juliano Episcopo Coënsi in causa Nestoriana & Eutychiana, unde Marca & Quesnellius *Nuntiorum Apostolicorum originem* derivent; Theodoretum mortuum dici Garnerio, sed perperam, neque Cæsarium Concilio Arelatensi præfuisse, uti Baronio placet, cum ante annum 470 non prodierit in lucem. A. C. 454 Attilam Baronio interiisse, quod præcedenti anno contigerit. A. C. 455 Roma a Genserico devastata, Eudociam cum filiabus in captivitatem esse abductam, Eudociam autem seniorem ab Eutychianismo ad Ecclesiam Catholicam rediisse; Leonem in constitutione Paschatis, scrupulis hactenus variis obnoxia, uti ad annum 453 monuit, secutum esse Episcopum Alexandrinum. A. C. 456 persecutione Catholicos Vandalica etiam extra Africam fuisse vehementer agitatos. A. C. 457 Episcopos civitatum metropolitanarum & Monachos in causa Timothei rescripsisse, se Chalcedonensem Synodum ad sanguinem usque vindicaturos, quorum epistolæ & relationes in unum codicis corpus collectæ vocentur *Codex Encyclius*, hodie vix cognitus, apud Veteres autem magno in honore habitus. A. C. 458 mor-

mortuum esse Anatolium Patriarcham Constantinopolitanum, quem Baronius abs re ducat auctorem Canonis XXVIII de privilegiis sedis Constantinopolitanæ. Circa A. C. 459 floruisse statuit *Acemetos* ita appellatos, non quod insomnes & oculis conniventes perpetuis sese vigiliis exercuerint, sed quod divina in ipsorum Ecclesiis hymnologia nunquam cessaverit. A. C. 460 Symeonem Stylitam, cujus devotionem hic persequitur, obiisse, postquam quadraginta annos, secus atque Baronius & alii sentiunt, in columna habitaverat. A. C. 461 Leonem exspirasse, de cujus cultu, reliquiis & operibus plura disserit. Ad A. C. 463 animadvertit, Victorium cyclum 537 annorum non hoc, sed jam anno 457 concinnasse. A. C. 465 Concilium coactum esse Romanum, occasione natalis seu diei ordinationis Hilarii, demonstrat inter alia ex Clarissimi Tenzelii schediasmate de Natalitiis Episcopalibus, quem tamen in refutando Quesnellio non animadvertisse addit, natalis Hilariani festivitatem hoc anno prius celebratam, quam Concilium ad res Ecclesiasticas ordinandas fuerit habitum. Circa A. C. 466 Prosperum Aquitanicum tantum Notarium Leonis Papæ egisse, non autem Episcopum, ceu ante Sirmondum persuasum fuerit omnibus. A. C. 471 Remigium juxta Baronium Episcopatum Remensem obtinuisse innuit, sed Henschenium atque Cointium id accuratius examinasse; falli etiam Spondanum, qui illi *Explanationes in Epistolas Pauli* tribuit, cum in iis Benedicti & Gregorii Papæ fiat mentio. A. C. 474 Zenonem restituisse in Ecclesiam Antiochenam Petrum Fullonem, refert Baronius ex Alexandro Monacho, de quo Noster censet, quod scriptor sit futilis, & a Jacobo Gretsero plane immerito commendatus. A. C. 475 Ostrogothos, devastato Illyrico, regnum in eo sub Theodorico instituisse. A. C. 476 Imperium Romanum sub Augustulo interiisse, plerisque Principibus hæresin profitentibus. A. C. 478 habitam esse Romæ a Simplicio & Constantinopoli ab Acacio Synodum, in iisque damnatos non solum Timotheum Ælurum, Johannem Apamenum & Paulum Ephesiorum Episcopum, sed etiam, uti contra Baronium propugnat, Petrum Fullonem. A. C. 482 Stephanum juniorem Antiochiæ occisum, non autem, sicuti Valesius sentit, Stephanum seniorem. A. C. 485 Petrum

 Ful-

Fullonem altera, non autem tertia vice in Synodo Romana damnatum asserit contra Valesium. A. C. 486 invaluisse observat aquarum in Epiphaniæ vigilia benedictionem. Circa A. C. 488 moris fuisse, sacra imaginibus ornare ædificia. A. C. 490 serpere cœpisse hæresin Prædestinatianorum, adhuc Prosperi ætate, secus atque Sirmondus vult, plane incognitam, quam quidem nonnulli ab Augustini adversariis confictam statuant, sed absque omni probabilitate; licet enim pauci fuerint & obscuri nominis Prædestinatiani, minime tamen Faustum Prædestinatianorum oppugnatorem, coram universis Galliæ Episcopis fingere potuisse & adversarios Lucidum atque Monimum, & libros hæresin tam horrendam, Deum tantum, quia ita voluit, quosdam ad æternum prædestinasse exitium, aperte professos; Synodos quoque Arelatensem & Lugdunensem idem confirmantes firmis niti testimoniis. A. C. 491 Olybrium juniorem consulatum gessisse absque collega, & Anastasium Imperatorem Henoticon Zenonis edicto sanxisse servandum. A. C. 494 Gelasium, qui anno superiori successerat Felici III, decretum promulgasse de Scripturis Divinis & opusculis sanctorum Patrum recipiendis & non recipiendis, nequaquam vero Hormisdam, qui ipsemet contrarium testetur. A. C. 496 Gelasium esse defunctum, de quo addit, Baronium abs re eidem abjudicasse libros de duabus naturis in Christo, etiamsi ab adversariis quandoque contra doctrinam de transsubstantiatione sint adhibiti; Valesium autem perperam ei adscripsisse Historiæ Eutychianistarum breviculum. A. C. 499 Baronius Clodoveum M. cum Alemannis bellum gessisse consignaverat, sed Noster docet, id contigisse anno 496 & paulo post, cum Deorum, quos colebat, opem frustra implorasset, conversum esse, atque ipso die Christi natali a Remigio baptizatum; nullam autem ampullæ Remensis facit mentionem. Ad A. C. 502 & sequentem studet Synodos Romanas, sub Symmacho habitas, ordinare atque collustrare. A. C. 511 Constantinopoli, cum Imperator Anastasius hymno Trisagio has vellet adjicere voces, *qui crucifixus es pro nobis*, gravissimam exortam esse seditionem, perinde quasi Christiana religio funditus everteretur. Circa A. 519 & sequentem viguisse in Oriente Monachorum Scytharum motus, eosque ad seditionem usque defen-

fendisse, ***unum ex Trinitate passum in carne***, quorum causam & immunitatem ab Eutychianismo Noster contra Baronium ex Norisio perorat. A. C. 525 Johannem Papam jussu Regis Theodorici Constantinopolin esse missum, Imperatorem Justinianum rogatum, ut Arianis Ecclesiæ restituerentur. Circa A. C. 527 innuit, quando & quomodo Dionysius Exiguus Cyclum suum annorum 532 concinnaverit. A. C. 531 Codicem Justiniani promulgatum esse testatur. A. C. 538 resuscitatos narrat Origenistarum tumultus, Nonno auctore præcipuo, qui vero miserrime sit extinctus. Ad A. C. 546 retulit Vigilii Papæ gesta & persecutiones, propter edictum Imperatoris Justiniani adversus tria capitula. Circa A. C. 561 conjurationem designat adversus Justinianum excitatam, cujus Belisarius vulgo habeatur particeps, qui tamen innocens postea sit repertus, non autem, uti Baronius credidit, excæcatus & ad tantam redactus paupertatem, ut eleemosynas peteret. A. C. 565 Imperatorem Justinianum edictum de incorruptibilitate corporis Christi emisisse, eodemque mortuum, adversus Baronium & Cointium, in annorum computatione aberrantes, asserit. A. C. 574 Samaritanis in Syria tumultum excitantibus opposuisse se refert S. Symeonem Stylitam juniorem, ejusque virtutes & mortem collustrat. Ad A. C. 581 de S. Gregorio adversus Baronium probat, quod anno 573 Urbanam gesserit præfecturam, eodem circiter anno Monachum induerit, & ante annum 582 a Pelagio II missus sit Constantinopolin Apocrisiarius. A. C. 584 mortuum videri Baronio S. Maurum, Ordinis Benedictini in Gallia fundatorem, cujus mors rectius in annum insequentem differatur. A. C. 590 Gregorium Magnum Pontificem consecratum affirmat, *Expositiones* autem *in VII Psalmos Pœnitentiales* ejus fœtum esse pernegat. A. C. 595 mortuum probat Gregorium Turonensem, simulque Historiæ ejus & opusculis lucem fœneratur. Ad A. C. 604 Gregorii M. emortualem diem refert cum Baronio; Synodum Augustini in Anglia celebratam, in qua inter hunc Papæ Oratorem & Episcopos Britannos, quæstionem de Primatu Pontificis R. motam asseruerat Stillingfleetus ex Beda & Spelmanno, quem satagit refellere. A. C. 616 circiter propullulare cœpisse indicat Monotheletarum hæresin, auctore So-

phronio Hierosolymorum Patriarcha, paulatim vero erupisse, præcipue circa annum 622 per Paulum Monoculum, qui audacter, coram Imperatore Heraclio, se Monotheletis addictum professus sit; aliam quidem hujus hæresis originem Theophanem tradere ad annum 629, sed eam fabulosam esse, cum Combefisio contra Goarem defendit. A. C. 633 alligat Honorii cum Sergio in causa Monothelitarum commercium, quem deceptum quidem concedit a Monotheletis, ab ipsa tamen hæresi fuisse immunem, neque in Synodo sexta damnatum propter hæresin, sed ob nimiam levitatem & facilitatem, propugnat. Hinc porro ipse ad A. C. 648 refellit *Oeconomiam Honorii*, qua approbat & commendat consilium Sergii de silentio tam Catholicis quam Hæreticis adhibendo, cum circa unam tum circa geminas in Christo voluntates.

Atque isthæc visa nobis sunt, B. L. memorabiliora ex altero Criticæ hujus Tomo excerpenda, quæ Clarissimus Auctor non solum ex antiquis Scriptorum fontibus confirmavit, sed etiam subinde cum a fabulis tum a parachronismis vindicavit, de eo potissimum sollicitus, ut & res in Ecclesia ac Republica gestæ, & eruditorum fœtus auctoribus pariter atque annis suis natalibus restituerentur. Vel ex hisce itaque speciminis loco allatis judicabis de cæteris, quæ brevitatis ergo prætermisimus & Tomi subsequentis in aliud tempus dilati recensionem benevole paulisper exspectabis.

ADAMI CORTREJI REPRÆSENTATIO JURIS Primariarum Precum Sacratissimis Imperatoribus Romano-Germanicis sine prævio Pontificum assensu competentis, ad Reverendissimum atque Celsissimum Archi-Episcopum Rhodiensem, Internuntium Papalem in Germania Coloniensem.

Magdeburgi, apud Joh. Dan. Müllerum, 1706, 4.
Constat 9. plag.

HOc quoque Excellentissimi Autoris opusculum, licet mole exiguum, spem nostram, quam de Corpore Juris Publici Germa-

manici ab eo edendo concepimus, non parum confirmat. Respicit Jus Primariarum Precum, quod, licet non impetrato Pontificis consensu, Imperatori in Germania competere, ex fide publicorum documentorum ac rationibus solidissimis defendit. Occasionem scriptioni dederunt Reverendissimi Archi-Episcopi Rhodiensis, Internuncii Papalis, ad Reverendissimum Ecclesiæ Cathedralis Hildesiensis Capitulum literæ, quibus Jus hoc summum Imperatoris vocaverat, in dubium, ac Pontificis nomine hujusmodi preces declaraverat inanes. Ipsas Archi-Episcopi literas, una cum velamine prætensionum Papalium, cap. I exhibet Autor, unde constare potest, Chokierii imprimis autoritate Pontificem Imperatori Romano, non nisi post impetratum a se indultum, Jus primariarum precum largiri, Carolum quoque V a Clemente VII, Ferdinandum I a Pio IV, Ferdinandum II a Paulo V hujusmodi indultum obtinuisse. His literis Archi-Episcopi respondit Excellentissimus Cortrejus ea, quam cap. II exhibet, epistola, ac Imperatores quidem quandoque, ex civilitate ac pietate in sedem Romanam, non autem ex necessitate, concessionem hanc a Pontificibus petiisse declarat, cum etiam sine ipsorum suffragio, Jus primariarum precum ipsis, ex Instrumenti pacis Osnabrugensis sanctione ac antiquissima consuetudine competat, unde citra Pontificis suffragium Imperatores Ferdinandus III & Leopoldus sua usi sint potestate. Quod ut plenissime evinceret, non solum ipsos Status Catholicos, cum de pace Westphalica condenda ageretur, ac Protestantes Jus primariarum precum sublatum cuperent, Imperatori reservatum hoc, ob antiquissimam consuetudinem, ac eminentiam supremam, & reverentiam Sacri Imperii vindicasse docet, sed & cap. III Ferdinandi III diploma ad Ecclesiam cathedralem Magdeburgensem, ac Leopoldi ad eandem, ut & ad cathedralem Mersburgensem, & ad Ecclesias collegiatas D. Nicolai, D. Sebastiani, & D. Petri & Pauli, in civitate Magdeburgensi diplomata subjicit, ex quibus appareat, nullam eos consensus Pontificii habuisse rationem; tandemque cap. IV Imperatorem Patronum quidem & Advocatum Ecclesiæ, nulla autem obedientia Pontifici subjectum esse, ex Historia Germaniæ, ac Pontificiorum quoque testimoniis evincit. Non ingratam igitur hanc celeberrimi Autoris operam iis, qui causas ac fun-

damenta hujus controversiæ accuratius evolvere cupiunt, fore confidimus, multo autem gratiorem, siquod iterum promisit, ac jam sub prelo esse intelleximus, Juris Publici Corpus, quam primum nostræ, & omnium rerum publicarum æstimatorum expectationi sistat.

JOHANNIS HENRICI, CASPARIS FILII, CUNRADI Silesia Togata, ex Auctoris manuscripto, quod in Bibliotheca paterna viderat, a CASPARO THEOPHILO SCHINDLERO, Lignicensi Silesio, in lucem edita.

Lignicii, apud Hæredes Rohrlachios, 1706, 4.
Constat Alphabet. 2.

QUum Nicolai Henelii *Silesiographiam Renovatam*, Vratislaviæ Anno 1704 in 4 excusam, eodem anno mense Junio pag. 266 in Actis nostris recenseremus, facta quoque fuit mentio *Silesiæ* cujusdam *Togatæ*, in qua laudatus Henelius sexcentorum Silesiorum, meritis in Rempublicam aut litteras clarissimorum, elogia libris XII persequutus est: quam cum aliis Henelii schedis Reverendissimus Crucigerorum cum rubea stella apud Vratislavienses Magister, Dn. Michael Fibiger, emtionis nomine sibi vindicavit, & ad illustrandam Silesiographiam, cum de Familiis Illustrium Silesiorum commentaretur, diligenter adhibuit. Nunc alius ejusdem tituli liber in medium prodiit, *Joannis* scilicet *Henrici Cunradi Silesia Togata*, in qua præstantissimus Auctor idem cum illo argumentum pertractat, sed dispari ratione. Henelius enim prosa oratione scripsit, Cunradus vorsa. Henelius diffusior est in memorandis uniuscujusque meritis & casibus, ac nullum plane ætatis aut dignitatis ordinem sectatur; Cunradus autem singulorum elogia singulis distichis comprehendit, iisque dies omnium natales & emortuales, officiorumque ab ipsis gestorum titulos subjunxit: qua quidem brevitate miram in pangendis versibus dexteritatem suam ostendit, elegantiam vero & perspicuitatem sæpenumero non ex voto adsequutus est.

Fuit

Fuit autem, ut de vita Auctoris aliquid lectoribus constet, Joannes Henricus Cunradus ortu Vratislaviensis Silesius, anno 1612 die 4 Aug. ex Christiana Tilesia & Caspare Cunrado, Philosopho, Medico, Poeta & Poliatro Vratislaviensi prognatus, qui præter studium juris, artis etiam poeticæ culturam adamavit, & in illâ Martini Opitii, præceptoris domestici, institutione magnos progressus fecit. Quum deinde anno 1631 ex Alma Francofurtensi in patriam reversus esset, caussarum civilium administrationem in se suscepit, & apud Milicenses, Wolavienses, & Bregenses in foro esse cœpit, eventu quidem ad clientum suorum vota semper respondente, sed ob tricennalis belli Furias, in Silesia tum temporis grassantes, sibi ipsi perquam funesto: siquidem binas Wolaviæ urbis obsidiones expertus est, in quarum altera supellectilem domesticam & pecuniam omnem, expilatione per milites facta, amisit, ut Bregam exulare, & inde denuo, bonis omnibus exutus, Vratislaviam migrare cogeretur. Ibi Juridicæ, quam vocant, praxi rursus indulsit, quæ res Magnificos Amplissimi Senatus Vratislaviensis Patres adeo ipsi conciliavit, ut eum anno 1644 in Collegium Advocatorum ordinariorum adsciscerent; Celsissima vero Domina Elisabetha Lucretia, Teschiniensis in Silesia Ducatus hæres, in numerum Consiliariorum cooptaret, quam spartam Ferdinandus Joannes Princeps Lichtensteinius, laudatissimæ Ducis filius, ipsi denuo confirmavit. Accessit dein novus bonorum cumulus, quando Judicii Episcopalis Consiliarius, Ducalis Monasterii Treboicensis Cancellarius, Excelsissimi Ducis Sylvii Würtembergico-Olsnensium Principis ad Conventus publicos, qui Vratislaviæ quotannis aguntur, Senator & Collega creatus fuit, ac intermedio insuper annorum spatio D. Jacobo, Curlandiæ Duci, a consiliis domesticis operam præstitit.

Ab istis vero muneribus omnibus tandem sese abdicavit, & senectutis pedetentim succedentis incommoda litterariis commerciis solari contendit. Cujus gratia, ut a strepitu forensi tanto remotior evaderet, ædes patrias, quas Vratislaviæ possidebat, divendidit, & anno 1680 Lignicium se contulit. Quo in secessu *Theatrum Prosopographicomelicum*, cujus *tres millenarios* Caspar Cunradus pater jam olim typis exscribi curaverat, septem aliis millenariis

riis auxit, & prælo adparavit. Quum librarium, qui sumtus ad editionem operis suppeditaret, non statim inveniret, licet Jacobo Thomasio & Christiano Daumio parariis usus fuisset, ex decem illis millenariis Prosopographiæ Melicæ Silesios solos excerpsit, & Elogia illorum in unum volumen sub *Silesia Togata* nomine contraxit. Quod cum vix ad umbilicum deduxisset, marasmo senili & apoplexiæ impetu iterato prostratus, rerum suarum negligentior evasit, & Familia Cunradina mortibus suorum fere penitus extincta, rudi cuidam mulierculæ, quam ultimæ migrationis sociam Lignicium adduxerat, reculas suas omnes tradidit: unde factum est, ut *Privilegiorum Silesiacorum*, *Observationumq; ad Statuta Vratislaviensium* volumina, vilissimo precio in tabernis piperaceis vendita fuerint, *Silesi-poliographia* vero Vratislaviam deportaretur, & reliquus librorum adparatus nescio in quorum manus deveniret. Ex isthoc quasi naufragio Rever. Vir, M. David Schindlerus, Ædis Marianæ apud Lignicenses Pastor, & Ministerii Aug. Confess. addicti Senior, *Prosopographiæ Melicæ* & *Silesiæ Togatæ* tomos manuscriptos a muliercula paratis nummis coemit, filioque Casparo Theophilo, Sacrarum Litterarum & Philologiæ omnis cultori solertissimo destinavit, qui *Silesiæ Togatæ* volumen multorum doctorum civium, quorum nomina calamum Cunradinum effugerant, memoriis complere, atque in lucem orbis eruditi exponere constituerat. Sed ipse quoque Schindlerus junior, maximæ civium ac patriæ spei fatis præmaturis ante aliquot annos ereptus est, ut adeo Parens venerandus superstes famam Filii perennare, & Cunradini operis editionem curare, Filii vero Accessiones ad alia tempora remittere debuerit. Fusius de iis omnibus disserit Clar. M. Christianus Stieffius, ipse Lygio-Silesius, cum in Epistola ad Rever. Schindlerum parentem consolatoria, tum in Vita Joannis Henrici Cunradi, quam per modum epistolæ ad Schindlerum filium, (quocum, ceu commilitone suo, ipsi familiaritas & consuetudo intima ab infantia semper intercesserat) aliquando Lipsia Lignicium miserat: ad quam & nos lectorem eo lubentius ablegamus, quod in ea non tantum de Familia & scriptis Cunradinis narratio contineatur, sed commercii quoque epistolici inter Cunradum, Thomasium, Daumium, Gebhardum, aliosque exculti fragmenta, ex sche-

schedis ἀνεκδόταις subjuncta sint. Ipse Cunradus d. 24 Maji A. 1685 Lignicii obiit, annis LXXII mensibus quasi X vivendo expletis.

THEODORI JANSONII AB ALMELOVEEN Fastorum Romanorum Consularium Libri II.

Amstelodami, excudit Jo. Wolters, 1705, in 8.
Constat 1 Alph. 9 plag.

CUm duo sint, quibus, qui Historiarum tractationem ingrediuntur, velut Ariadnes quodam filo, mirifice adjuventur reganturque, locorum videlicet atque temporum cognitio; summis laudibus utique efferendi sunt, qui expeditam utriusque viam reddere, &, quæ difficiles hic explicatus habent, interpretari dilucide susceperunt. His accenseri debet Celeberrimus Vir, Theodorus Jansonius ab Almeloveen, salutaris artis Doctor eximius, & Academiæ Harderovicanæ singulare decus. Viderat is, quantis difficultatibus scateret Romanorum Consulum notitia, propterea, quod ipsi antiqui Scriptores non satis fuerunt accurati in iisdem annotandis, & modo cognomina, modo eorum omiserunt prænomina, ex quo miræ obscuritates, nodique non temere explicabiles nati sunt, & quod suffectos Consules non signarunt rite, ut ab ordinariis statim possent distingui. Facturum ergo se operæ credidit pretium, si ordinatius omnia disponeret, atque lucem sic accenderet his, quibus per Romanæ Historiæ monumenta iter hactenus haud parum fuit impeditum. Et in subsidium adhibuit quidem fastorum conditores varios, quos in præfatione enumerat, ita tamen, ut haud raro, ubi vel supplendi, vel emendandi in lapidibus, aut sagaci conjectura occasionem reperiret, eadem uteretur. Duobus autem libris nova hæc de Fastis Consularibus commentatio absolvitur; in quorum priori annorum sequitur seriem, & Consules, prout sibi invicem successerunt, recenset, apposito quibuslibet tum conditæ Urbis, tum nativitatis Christi anno, quo ad Imperii sui clavum sederunt, & suffectorum nominibus alio literarum charactere signatis, ut ab ordinariis possent distingui. In posteriori libro secundum elementorum Alphabeti numerum

Consulum nomina digessit, ut protinus investigari queat, quo anno quisque e Romanis Senatoribus hac sublimi dignitate fulserit, & intelligi simul, quem in eadem habuerit collegam. Neque substitit hic doctissimi Viri labor, quippe qui notulas etiam addidit interdum, quibus corrupta Consulum nomina non modo corrigerentur, verum plurima etiam loca in Digestis atque Codice emendarentur.

DE PRÆROGATIVA OECUMENICÆ NOMENclationis & potestatis Romani Pontificis a Constantinopolitanis Præsulibus usurpata, Historica Dissertatio Auctore ANTONIO VAIRA, Veneto, in Archi-Gymnasio Patavino primario sacrorum canonum Antecessore.

Patavii, apud Jo. Manfré, 1704, in fol.
Constat Alphab. 6.

OEcumenicam Papæ Romani potestatem modis stabilire omnibus Clarissimus Autor in hoc opere laborat, eumque in finem mox ab initio antiquitatem illius probare satagit, iis adeo se opponens, qui aut Victorem omnium primum in externas Ecclesias jurisdictionem exercuisse tradant, aut usurpationem ejusdem jurisdictionis Zosimo, aut Bonifacio I, vel Cœlestino, aut denique Bonifacio III adscribant. At ipse vicissim autoritatem illam apud Pontifices multum his antiquiores stetisse, & ab ipsis Petri temporibus in successores ejus, qui vocantur, singulos derivatam esse, e variis historiarum monumentis declarare studet. Cumque primum potestatis illius usurpatorem illegitimum faciat Dioscorum, Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopum, hinc sedentem istis temporibus in Papali throno Leonem Magnum jus suum acriter defendisse, istudque & ab aliis eidem assertum folicite fuisse probat. Sed & apud eos, qui hunc proxime exceperint, illibatam stetisse Oecumenicam potestatem asserit, donec tandem Hormisdæ ævo Oecumenicæ nomenclationis & autoritatis prava, velut ipsi audit, cupiditas in Constantinopolitanum Præsulem immigrare cœperit, a quo tempore schisma maxime memorabile in hunc

hunc usque diem perduret. Joannem certe Cappadocem inter Conſtantinopolitanos Epiſcopos primum extitiſſe refert, qui Oecumenicus Patriarcha & Pater Patrum appellatus fuerit. Id quibus machinis evenerit, & quomodo Hormisda ad auſum illum ſeſe geſſerit, ulterius enarrat, non omiſſis iis, quæ paulo poſt Joannis Cappadocis ætatem Romana ſedes hoc in negotio peregerit. Poſteaquam ſcilicet Romano Pontifici diu ſatis ex iſto inſtituto ſiniſtra aliqua ſuſpicio ſubnata haud fuerit, ſequioribus demum temporibus manifeſtiora flagitioſi ambitus ſigna erupiſſe dicit. Joannem etenim Neſteutam ſive Jejunatorem, Conſtantinopolitanum Epiſcopum, eo turgeſcere cœpiſſe faſtu, propter opinionem non delatæ, ſed uſurpatæ, gloriæ ex ſuperbo vocabulo Oecumenici, ut jam meditaretur ſe erigere ſupra Orbis Chriſtiani Epiſcopos omnes, Patriarchas atque ipſum Pontificem Romanum. Pelagium II itaque non amplius connivere volentem, vulneri iſti Eccleſiæ præſentiſſimam facere medicinam, & perniciem latius ſerpentem auxiliis undiquaque paratis compeſcere ſtuduiſſe, unde, cum in Conſtantinopolitana urbe regia, Generale Concilium Joannes convocaſſet, anno 587 ſeu, ut alii tradant, biennio poſt, datis ad Synodum literis, Patres in ea congregatos Papa graviter admonuerit, & præterea illius geſta pleraque, pro paſtoralis officii munere, irrita pronunciarit. Sed cum mortuo Pelagio Jejunator in ſuis iſtis perſeveraret conſiliis, Gregorium M. Pelagii ſucceſſorem, diligentiam & conatum omnem adhibuiſſe monet, ut Orientales firmi & conſtantes in veritate perſiſterent, quanquam Epiſcopum eorum a ſententia ſua dimovere non potuerit, qui diſcedens ex vita ſucceſſori ſuo Cyriaco eandem mentem, altis infixam radicibus, poſt ſe reliquerit. Ut igitur hunc in viam aliam deduceret Gregorius, humaniſſime cum ipſo actum fuiſſe ait, ita, ut & Gregorius, modeſtiæ cauſa, Oecumenici titulum Epiſcopi reſpuerit, quod quidem Romani Pontificis auctoritati detrimentum ullum afferre poſſe, contra Carolum Molinæum operoſe negat. Pertinacem interim Cyriacum Bonifacii demum III temporibus a Phoca Imperatore repreſſum, Ro manique Pontificis primatum Oecumenicum ab iſtius inſultu vindicatum fuiſſe innuit, id ſimul agens, ut ex iſto facto Imperatoriæ poteſtati prærogativam Romanæ ſedi pa-

parum gloriosam haudquaquam accrevisse obtineat. Episcopos de cætero Constantinopolitanos integra adhuc spe nomen Oecumenici invasisse, primatumque ulterius exercere laborasse, quin Phocæ quoque Imperatoris placitum infringere annisos fuisse addit. Romanum tamen Episcopum vehementer nunquam non repugnasse, utut tempora illa propter hæreses Monothelitarum & Iconoclastarum, ac propter Synodum Trullanam fuerint impeditissima. Nec in Photiano schismate defuisse suo juri Romanam sedem, istiusque injurias ac impetus valide elusisse gloriatur. Qui proxime in sedem Constantinopolitanam Photio successerint, eos quidem in vestigiis eorum, qui hactenus Oecumenicum honorem sibi arrogare contenderint, perstitisse haud dissimulat, veruntamen & ipsos pro veritate stetisse vel invitos autumat, dum passim ad auctoritatem Romani Pontificis confugerint, atque inter alia electionis atque dignitatis suæ confirmationem inde petierint, ad Luitprandi usque tempora, mediumque adeo seculum decimum. Tandem vero Græcos ad alias artes confugientes, illud cum Latinis pactum iniisse memorat, ut Constantinopolitanus Episcopus in sua saltem Diœcesi Oecumenicus haberetur. Verum cum ne sic quidem efficere, quod cogitarant, potuerint, alia adhuc via rem aggressos fuisse Græcos indicat. Promisisse videlicet eos Romano Pontifici antiquam possessionem auctoritatis, in Orientis Ecclesiam universam, dummodo eodem permittente, obtinerent ipsi rursus Imperium Occidentis, qua in re opportunitatem nacti fuisse videantur ex eo motu, quo Occidentis Imperator, Fridericus Ænobarbus, Romanam Ecclesiam vexaverit. Consilium hoc ad exitum perducere studuisse Manuelem Comnenum Porphyrogenitum, callidis insidiis, astuque incredibili usum, per speciem germanæ religionis & obsequii officiosissimi erga Romanam sedem & Pontificem Hadrianum IV, cujus artes & successores ejusdem imitati mascule fuerint, licet conatu penitus frustraneo, quandoquidem Concilium Oecumenicum Lateranense IV A. 1205 congregatum, indulserit quidem Constantinopolitano Patriarchæ honoris prærogativam super Patriarchas cæteros, at Oecumenicum vicissim primatum uni Romano Pontifici arctissimo vinculo alligaverit. Huic definitioni schismaticos quidem pa-

parum obsequentes se gessisse tradit, ast post casus tamen, quos prolixe satis recenset, varios, non semel iterum eos speciem induisse, ac si Oecumenicæ Papæ potestati parere vellent, veriti quam maxime, ne regni amittendi immineret periculum. Michaelem certe Palæologum decreta Concilii Generalis II Lugdunensis approbasse, universamque Orientis orthodoxam Ecclesiam Romanæ sedis Pontifici soli honorem Oecumenici tribuisse. Sed ab hac mente rursus avertisse Imperatores queritur Josephum Patriarcham schismaticum & successores ejus, Andronico imprimis, Michaelis Imperatoris filio, octavo a definitione Lugdunensis Concilii anno vix exacto, schisma instaurante, quod latius serpere deprehensum fuerit latiusque, usque dum pericula nova emerserint. Johannem namque Quintum Palæologum, ingenti pavore ex Turcarum & Tartarorum irruptione in Græcum Imperium correptum, repetiisse artes majorum, & malis suis remedium quæsivisse ex ficta pietate, dolosi animi socio electo Joanne VI Cantacuzeno. Anno igitur 1343 suppetias implorasse Græcos refert a Clemente VI, contra Turcas, annexo promisso, ut dissidium Latinos inter atque Græcos componeretur, si Pontifex hos alliceret liberalitate & beneficio, juberetque Latinas copias pergere in hostem late populantem, eumque finibus exturbare. Annuentem tum his precibus Clementem VI, & sexennio post Joannis quoque Cantacuzeni votis ad eundem scopum tendentibus assurgentem dilaudat, idque & Innocentium VI, post Clementem Ecclesiæ gubernacula suscipientem, omnino fecisse testatur, quamvis ipse æque ac antecessores a Græcis spe vana lactatus fuerit. Nec meliores factos Græcos causatur, utut pericula cum annis subsecutis multum accreverint, imo Imperio etiam ipsi attulerint exitium, unde spem de errore vetusto nunc tandem deponendo prorsus abjicit. Finita ad hunc modum narratione historica, tria adhuc capita subnectit, quæ ad tractationem decertatoriam magis pertinent, & in redarguendis erroribus, quos appellat, Oecumenicæ Pontificis dignitati infestis occupantur. Primo enim Aloysii Mayburgi, quem vero nomine Ludovicum audire Maimburgum dicit, respondet argumentis, quibus ille Pontificis potestatem Concilio inferiorem constituit. Deinceps alias objectiones resolvere tentat, velut ubi trans-

translato Constantinopolin Imperio & Constantinopolitanum in Præsulem primatus Oecumenici migrasse perhibeatur; aut quando ex Synodi Nicænæ Canone sexto prærogativa Constantinopolitani Præsulis exsculpatur; aut quando Principum favor in exaugenda Constantinopolitani jurisdictione in primatus illius patrocinium convertatur, & quæ alia. Tandem ubi, in scribendo maxime, utriusque Ecclesiæ mentio fiat, Latinam Græcæ haud postponendam, sed prius istam & tum demum hanc nominandam venire contendit.

LIBRORUM DE RE DIPLOMATICA SUPPLEmentum, in quo Archetypa in his libris pro regulis proposita, ipsæque regulæ denuo confirmantur, novisque speciminibus & argumentis asseruntur & illustrantur, opera & studio Domini JOHANNIS MABILLON, Presbyteri & Monachi Ord. S. Benedicti e Congregatione S. Mauri.

Lutetiæ - Parisiorum sumtibus Caroli Robustel, 1704, in folio.
Constat Alph. 1 pl. 14 chart. reg.

Nuper admodum (mense Junio pag. 284 sqq.) Clarissimi Germonii disceptationem de Regum Francorum Diplomatibus, qua Reverendissimi P. Mabillonii artem diplomaticam labefactatum ivit, eamque fortiora efflagitare præsidia contendit, exhibuimus. Hæc ipsa igitur præsidia in hoc libro educit nunquam satis laudandus Autor, sive diatriba illa Germoniana provocatus, de quo tamen certo nobis haud constat, cum antagonistam nullibi nominet, sive sponte sua ad corroboranda præcepta, quæ luce aliqua indigere forte advertit, inductus. Quanquam enim ad novam integri operis Diplomatici editionem, tum exemplarium penuria, tum Francisci Halmæ bibliopolæ apud Belgas celeberrimi precibus se invitari sentiret, propter res tamen in tota Europa perturbatas, istud propositi in aliud tempus rejiciendum ratus, supplementum interim hocce in antecessum prodire voluit, maxime cum diversa veterum authenticorum specimina recuperasset. E tre-

tredecim autem capitibus, quæ plurima memorabilia continent, pauca pro instituto nostro seligere juvat. Et quidem sub initium fere Dionysiani archivi cimelia, quibus olim usus fuerat, non suis saltem, sed Baluzii, Fresnii - Cangii, Herovallii, & Cotelerii, virorum hisce in studiis versatissimorum, oculis ac judicio pretium debere asserit. Veritatem enim ac fidem ejusmodi diplomatum non a charta Ægyptiaca aut vulgari, non a membrana, scripturæ forma, stilo, subscriptionibus, sigillo, notis chronicis aliisque indiciis seorsim sumtis, sed ab omnium complexu æstimari oportuisse. Ad discrimen vero inter spuria atque anthentica statuendum, non opus esse ratione seu demonstratione metaphysica, sed morali, qualis nimirum in rebus hisce haberi queat, quæ tamen in suo genere non minus certa sit quam metaphysica, atque nonnisi longa ac diuturna omnium accidentium & circumstantiarum observatione comparetur. Propterea etiam Senatus consultis eorumque qui recte judicant suffragio, illa monumenta sincera & legitima reputari, quorum falsitas nullis certis atque indubitatis argumentis evinci possit. Nam si falsariorum imposturas quis semper crepare, harumque obtentu diplomata singula impugnare vellet, tum de quorumlibet auctoritate, quocunque demum seculo extitissent, actum foret, omniaque in pyrrhonismum reciderent. Cæterum inter tot Galliæ archiva, quæ singulari cum cura custodita fuisse ait, nullum integrius perseverasse quam Dionysianum. Factum hoc si quis fortean in dubium trahere præsumat, illum ad allata diplomata oculos, at peritos nulloque præjudicio affectos convertere jubet. Negat insuper regale hoc monasterium a Nortmannis incendio consumtum, aut membranis spoliatum ab hostibus, qui gazis unice inhiabant. Dagobertinæ vitæ scriptorem non omnia enarrare voluisse donaria, sed consulto plurima prætermisisse, ob fastidientium lectorum tædium. Dubletum e contra vel delectum fecisse instrumentorum illustrandæ S. Dionysii basilicæ inservientium, vel in unum alterumve chartularium incidisse, vel anthentica ipsa legere non valuisse putat. Eum sane calumniæ reum statuit, qui post Dubletum noviter detecta ulla ratione conficta suspicetur. Dubitantem porro circa membranarum & chartæ Ægyptiacæ durabilitatem, ad Virgilium

Cap. I

C. II.


C. III.

&

& Prudentium bibliothecæ Vaticanæ, ad psalterium S. Germani, librum Conciliorum, aliosque cœnobii sui in membranis exaratos codices; ad Aviti etiam Episcopi Viennensis homilias, quæ in regia, ad S. Augustini sermones, qui in Petaviana & Phimarcotiana, ad historiæ Josephi particulam, quæ in Ambrosiana bibliotheca delitescunt, & chartæ Niliacæ inscripta cernuntur, ablegat. Nec desunt alia instrumenta in phylira vetustissima hinc inde dispersa, quæ magna copia inducit. *Truncardum* autem hujusmodi chartam Ægyptiacam antiquitus appellatam fuisse, ex epistola Gallicani cleri ad Nicolaum I Papam conjectat. Merovingicam scripturam non in anthenticis saltem, sed aliis quoque istius ævi libris occurrere, ad oculum demonstrat. Orthographiam quidem pessime se habere, tum & stilum scabrosum ac salebris respersum esse, lubenter concedit. At hoc instrumentorum fidei prodesse potius quam obesse, e formulis Marculfianis, quæ illis simillimæ appareant, elicit. Antiquioris quoque Latinitatis lapidariæ specimina, autographis suis nequicquam politiora profert. Ulterius varia corruptorum diplomatum genera, alterum falsorum, alterum interpolatorum distinguit. Ex utraque classe nullum tanta arte effingi vel refingi posse autumat, cujus falsitas vel interpolatio a perito antiquario dignosci nequeat. Hinc authentica Dagoberti Senioris, ejusque filii Chlodovei Junioris, tum Theodorici ac subsequentium Regum Meroveadum, contra criticorum objectiones vindicat. Privatorum deinde chartis aliquot facem accendit. Aimoinum historiæ Francicæ scriptorem sub Hugonis & Roberti principatu demum vixisse, ac Floriacensem, non Pratensem monachum fuisse, cum Labbeo concinit. Autharium Abbatem sub Childeberti III regimine floruisse ostendit. Pratensem basilicam S. Germani nomine, vel ante ipsius translationem, decorari meruisse, statuminat. Mox ad chronologicas Merovingicorum Principum notas definiendas conversus internecina Autorum quorundam dissidia feliciter compescit, multa in historicis ac genealogicis nova eruit. Sic Clodoveum II R. Francorum ad A. 656 usque sceptra tenuisse, Clotharium III vero A. 671 aut 672 diem obiisse docet. Chilpericum III, Danielem ante dictum, Childericum II patrem habuisse, Childericum autem III ultimum Merovea-

C. IV. C. V. C. VI. C. VII. & VIII

veadum Regum ſuſcepiſſe, argumentis haud ficulneis perſuadet, ceu e præſenti ſchemate patere poteſt:



Carolum M. non A. 747, uti annales Petaviani volunt, ſed A. 742, & quidem IV Non. April. ex veterrimi Kalendarii Laurishamenſis autoritate natum eſſe credit. Patricii creandi quænam fuerit ſolennitas, qualisve veſtitus, ex antiquo codice Ottobonianæ bibliothecæ enarrat, quin & ipſam effigiem ſubjicit. In regno Ludovici Germanici tres epochas obverſari, unam ab A. 826, quo Bajoariæ regnum adierit; ſecundam ab A. 833 aut inſequente, quo Ludovicus Auguſtus in filiorum poteſtatem devenerit; tertiam ab A. 840 ſeu morte patris, quibus quartam addat Schatenus in Annalibus Paderbornenſibus, ab A. ſcilicet 838. Ludovicum V Carolidum Regum ultimum A. 979, ſeptennio ante obitum patris, coronatum eſſe, Clariſſimo Baluzio autore affirmat. Hugonis Capeti annum emortualem in A. 996 figit, multaque de genere ejus notabilia affert. Jam varia in libris de Re Diplomatica ante dicta pro candore ſuo hic retractat Noſter. Inter Pontificum bullas, alias incarnationis Dominicæ annum a Kalendis Januarii, alias a die 25 Martii deſumere, ultro fatetur. Francorum Reges præter ſigilla cerea, aurea etiam atque plumbea adhibuiſſe largitur, eorumque ectypa curioſis exhibet. De Caſſinogilo, Gardina, Turno, Vetere Domo, palatiis quippe regalibus mentionem facit. Notarios in libris, diplomatibus ac chartis ſcribendis, non ad arundinem, ſed avium pennas convolaſſe, e veterum codicum picturis

Cap. IX. C. X. C. XI.

C. XII. probat. Roganti forte, unde tanta post Dubletum authenticorum farrago? respondet Noster, Dubleto nunquam in mentem venisse, universas Dionysiani archivi tabulas excutere, neque etiam primæ stirpis archetypa illum facile legere potuisse, sed e chartariis quibusdam lectu gratioribus sua duntaxat evulgasse. Se vero nova hæc specimina, cum Dionysiana monumenta in charta Ægyptiaca scripta attentius revolveret, & nonnullis levioris pretii chartis alias ad supplendam earum caducitatem pro fultura suppositas animadverteret, separari inde curasse, atque sic præclaras opes ab oblivione vindicasse. Quæ de Dagoberti aliisque nominibus propriis diversimode exaratis, nec non de Græci cujusdam Imperatoris ad Regum Francorum nonneminem epistola, de vulgata item Charta plenariæ securitatis egregia hic commentatur, attingere hac vice nolumus. Ultimo tandem vetustis codicibus

C. XIII. fidem atque autoritatem suam, quam aliqui pessundare properarunt, mascule firmat. In bene moratis namque ecclesiis ac monasteriis olim obtinuisse, ut non modo periti adessent antiquarii, qui libros describerent, sed periti etiam correctores, qui conferendis atque emendandis iis enixam operam ponerent. Sic adpicta illic cerni varia signa, zetam nempe quod vitium, asteriscum qui defectum, obelum seu virgulam jacentem, quæ superfluum aliquod adeoque resecandum, chrismon seu monogramma Christi, quod probandum ac retinendum quoddam denotet. Corbeienses imprimis codices injuste falsitatis accusari perhibet. Num Florus, eruditus ille Lugdunensium Diaconus, librorum istius Ecclesiæ nomine scriptorum autor haberi debeat, disquirit, inque affirmativam sententiam propendet. Sequuntur jam aliquot authentica æri incisa, duo videlicet diplomata Chlotharii II & Dagoberti I, placiti Childeberti III versus nonnulli, Hadriani Papæ I & Maginarii Abbatis ad Carolum Magnum epistolæ, laudata itidem epistola Græci Imperatoris, ac plenariæ securitatis charta, prout quidem Brissonio hanc appellare visum est. Hisce succedit appendix in tres partes divisa, quarum prima Formulas Andegavenses LIX, ex antiquissimo codice monasterii Weingartensis in Suevia satis inclyti erutas, atque ab Autore Tomo IV Analectorum editas, hic iterum proponit, in quibus legis Romanæ,

næ, consuetudinis pagi & principalis potestatis frequens fit mentio; altera varia diplomata aliaque instrumenta vetusta, quorum aliqua laminis æreis ante describi fecerat, typis solitis Latinis exhibet; tertia chartas authenticas, quæ ad legitimam originem regiæ Stuartorum stirpis demonstrandam pertinent, cum explicationibus historicis sistit. Eas autem Jacobus Beatoun S. Bethune, Archi Episcopi Glasguensis, tempore reformationis A. 1560, una cum aliis chartis Ecclesiæ suæ, e Scotia in Gallias secum adportarat, & collegio Scotorum Parisino testamento reliquerat, donec A. 1695 cura Ludovici Innesse lucem ibi primum adspicerent. Illarum igitur ope corruit tota Buchanani fabula, quasi Robertus cognomento Seneschallus seu Stuartus, qui avunculo suo Davidi A. 1371 successit, adolescens adhuc cum Elisabetha More furtivos amores miscuisset, eamque demum Euphemiæ, Hugonis Rossiæ Comitis filiæ, uxori demortuæ superinduxisset, obtento dein Scotorum procerum assensu, ut ejus proles præteritis liberis ad regnum admitteretur, sicque in Rege creando ætatis quam natalium potior ratio haberetur; cum tamen exinde constet, Elisabetham More jam ante A. 1364 in humanis esse desiisse, justumque inter ipsam & Robertum matrimonium, nonnisi dispensatione apostolica contractum intercessisse, Johannem præterea ex ea susceptum primogenitum & heredem ibi vocari. Ast aliunde pariter liquet, Elisabetham priorem, Euphemiam vero secundam Roberti conjugem fuisse, adeoque illi a Buchanano affingi, quæ huic forte tribuenda. Sub calcem hujus Supplementi duæ inscriptiones, quin & quatuor totidem instrumentorum veterum specimina anectuntur, curiosis ad discernendas priscarum literarum formas perquam grata futura.

HISTOIRE DE L' ACADEMIE ROYALE DES Sciences Année M DCC III &c.

h. e.

HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIArum anni 1703, cum Commentariis Mathematicis & Physicis ejusdem anni.

Parisiis, apud Joh. Boudot, 1705, in 4.
Constat 3 Alph. 9 plag. cum aliquot figuris
& 12. Tabulis æneis.

ETsi *Mariottus* ac *Perrault* fontium ex aquis pluvialibus originem probabilem satis reddiderint; impossibilitatem tamen monstrare conatur *Clarissimus de la Hire* evincens, aquæ pluvialis copiam sufficientem ultra 16 digitos in terram vix penetrare, ut in fundo solido confluere possit, immo eandem ne plantis quidem nutriendis sufficere. Sub terra defodit craterem, cujus altitudo 6 erat pedum, superficies pedum quatuor a superficie extima telluris 8 pedum intervallo distabat, tubo 12 pedum instructum, satis notabiliter inclinato & in cellam penetrante, a qua tamen crater longo intervallo removebatur, ne terra in vicinia muri facile exsiccaretur. Suspicatus vero, aquam pluvialem eo usque vix descensuram, in profunditate 8 digitorum alium sub terra collocavit craterem, cujus superficies erat 64 digg. altitudo 8. Locus nec radiis Solaribus, nec ventis expositus; herbæ omnes ex terra sollicite eradicatæ fuerunt. A die 12 Junii usque ad 19 Februarii nihil per tubum effluxit aquæ; sed die 19 Februarii multa nive liquata primum fluere cœpit, fluxu postmodum aliquot a lapsa pluvia horis continuato. Idem eveniebat in cratere in profunditate 16 digitorum sub terra subsistente, nisi quod post diuturniorem siccitatem terræ sufficienter humectandæ mediocris pluvia non sufficeret. Crescentibus herbis, quas super cratere plantaverat, nihil per tubum effluxit aquæ, quin ob hujus potius defectum exarescebant istæ. Accurate igitur evaporationem aquæ per folia plantarum æstimaturus, die 30 Junii h. $5\frac{1}{2}$ matutina vitro foramine exiguo instructo aquæ libram unam immisit, duoque folia ficus mediocria, quorum pondus erat 5 drachmarum unciæ monetariæ 48 granorum, immersit. Ne aqua evaporari posset, orificii partem a foliorum pediculis non occupatam charta probe obturavit. Totum machinamentum ita præparatum Soli vento que exposuit, & hora 11 decrementum ponderis aquæ 2 drachmarum deprehendit. Cæterum per tubum primi crateris intervallo 15 annorum ne unica quidem gutta effluxit. Fontium itaque origi-

ginem a vaporibus deducit, ex aquis ſub terra ad libellam cum fluviis vel maribus vicinis conſiſtentibus intra ejus poros elevatis, & vel per frigus ad terræ ſuperficiem, vel per materiam ipſis figendis aptam condenſatis. Quodſi enim vapores confluentes ſolum ſatis ſolidum offendant, ſuper hoc intra terram eos proffluere, donec alicubi exitus pateat. Oſtenſurus autem figi poſſe vapores, vas vitreum in cella æſtate inprimis admodum humida collocavit, & ejus orificium linteo aqua, in qua ſal tartari diſſolverat, macerato obduxit, elapſoque aliquo temporis ſpatio copiam liquoris ſatis notabilem in fundo vaſis monſtravit, vaporibus aeris a ſalibus linteo adhærentibus condenſatis, & juxta vaſis latera defluentibus.

Dn. Amontons novam proponit terræ motuum theoriam. Supponit aërem eſſe denſiorem, quo majus incumbat volumen, cumque elater pendeat a particulis igneis, ſeu materia fluida, humana induſtria nunquam prorſus expellenda, condenſationis eam multo majoris eſſe capacem, quam produnt experimenta affirmantium, prope ſuperficiem terræ conſtitutum ad ſpatium ſuboctingentecuplum comprimi poſſe. Aſſumens præterea, quod tum *de la Hire*, tum ipſe plurimis experientiis didicit comprobatum, columnam aëris per 37 ſexpedas & 3 pedes ſupra ſuperficiem terræ protenſam vix $3\frac{1}{6}$ lineis Mercurii æquiponderare, cum pondere atmoſphæræ 27 digitis $5\frac{1}{6}$ lineis reſpondente oneratur, & quantitates aëris æquiponderantes occupare ſpatia ponderibus incumbentibus reciproce proportionalia, deducit, in profunditate 41931 ſexpedarum aërem ita condenſatum eſſe, ut ejus & Mercurii æqualia volumina æquilibria exiſtant. Jam cum idem caloris gradus elaterem aëris tanto violentiorem reddat, quo hic magis condenſatus, ſi inflammatio materiæ mineralis intra terræ viſcera gradum caloris multo vehementiorem eo, qui eſt aquæ ebullientis, producat, hunc eundem gradum, cujus mediocris eſt prope ſuperficiem terræ effectus, in iſta profunditate ita intendere poſſe elateris aërei vires, ut orbem ſolidum 41931 ſexpedarum disrumpere & ſubvertere queat. Quoniam vero, quo aër denſior, eo pauciores particulas igneas contineat, prope centrum vero telluris denſiſſimus ſit; hypotheſin de igne centrali cum admiſſa aëris continua condenſatione ſtare non poſſe.

Idem *Amontons*, cum novum suum thermometrum, quod ad mensem præcedentem repræsentavimus, ob apertum superius orificium non commode de loco in locum transferri posse, ac propter pondus atmosphæræ in observationibus continuo subducendum molestum ejus reddi usum didicisset, nova ratione construere docuit thermometrum spiritu vini replendum, gradus caloris infra eum, quem aqua acquirit ebulliens, accurate indicans. Figura vitri, quemque continet, liquor est prorsus ut in thermometris ordinariis, divisio exacte respondet divisioni thermometri aërei post correctionem ponderis atmosphæræ subtracti facta. Novo hoc thermometro observationibus institutis, expertus est, maximum calorem æstate esse ad minimum hyeme ut 6 ad 5. Cognovit etiam, pulsuum arteriæ numerum non esse gradui caloris sanguinis proportionalem, aliaque permulta.

TAB. VIII. Fig. 1.

Cum Academia Regia scientiarum memorabilem communicavit casum *Felibien*, Academiæ inscriptionum Socius. Juvenis scilicet quidam rusticus 24 circiter annorum, a nativitate surdus & mutus, cum quadam die inopinatum campanarum sonitum audiisset, atque ex aure obstupefacti sinistra quædam aquæ species profluxisset, auditum subito recuperavit, elapsisque 3 aut 4 mensibus, quamvis adhuc imperfecte, loqui cœpit. Mox accersiti Theologi de statu ipsius præterito eum examinarunt, sed de Deo, anima, moralitate actionum ac morte interrogatus, nullam harum rerum unquam habuisse cogitationem deprehensus fuit, utut cum parentibus Missæ frequenter interfuerit, signo crucis se signaverit, genua flexerit, aliosque orantium gestus dextre imitatus fuerit. Solis nimirum perceptionibus impulsus brutorum instar egerat, quicquid egerat, nulla facta ad perceptiones & actiones suas reflexione ante sermonis usum, multo minus idearum compositione aut disjunctione.

Maraldus duros ex Italia attulit lapides coloris albidi & per folia fissiles, in quibus pisces exsiccati, paleæ & folia oleæ reperta. Unum cum finderent, piscem petrefactum in duas juxta longitudinem partes accurate dividi contigit, cumque exacta piscis structura in corpore hujus animantis observaretur, quod verus fuerit piscis, in lapidem conversus, cum sabulo obduceretur, nulli

TAB. VIII. a


21 22 23 24 frigoris

52 51 50 49 gradus



Congelatio aquæ.

Ingens frigus octavi climatis.





li dubitarunt. Similes pisces exsiccatos intra lapidum substantiam, ex Phœnicia allatos, in Italia vidit *Maraldus*. Immo vidit Romæ ingentia marmora, ex montibus Siciliæ effossa, in quibus color ruber albo interstinguitur, ab ingenti conchiliorum intermixtorum marmori copia pendente. Cum igitur lapides quoque prædicti ex terra effodiantur, *Fontenellius* probabile esse asserit, dari in aquis subterraneis pisces subterraneos, & vapores ex iis exhalantes secum afferre ova, quæ istis condensatis intra terram in pisces & conchilia abeant, sabulo postmodum obducenda, vel aquis petrescentibus includenda.

Fœtum in utero aliquando, si non semper, per solam chordam umbilicalem nutriri, *Dn. Litre* exemplo canis ostendit monstrosi, qui absque naribus & ore similive cavitate, cum unico in fronte oculo in lucem vivus & crassus editus, sed ob respirationis defectum extinctus esset. Quale exemplum quamvis satis rarum sit, multo tamen rarior illa ascitis videtur species, in qua abdomen per crassum aliquod sepimentum, cum peritonæo continuatum, in duas cavitates ita diremtum fuit, ut sola inferior multum liquoris atri, crassi, viscidi ac putridi, cum multis corpusculis albidis ac duris figuræ diversæ, continuerit, quamque laudatus Anatomicus in muliere quadragenaria, præter insignem cordis polypum observatum, prolixius hic æque designat, ac *Dn. du Verney junior* multos hydropicos adjumento non minus paracenteseos, quam aliorum remediorum, a se curatos commemorat.

Ex Chymicis Chymica tum sulphuris communis, tum borracis exhibetur analysis. Ex communis quidem sulphuris libra una spiritus acidi, cum spiritu vitrioli penitus convenientis, unciam unam, interdum unciam unam & dimidiam, facile colligi posse, annotat *Dn. Hombergius*, si in destillatione campanæ consuetæ aliquod Recipientium maximorum, tanquam capacius, orificium pollicum 8 vel 10 obtinens, substituatur, simulque sulphuris fusi & accensi libræ 10 vel 12 supponantur. Quia nihilominus in tali destillatione, partim vehiculum aquosum ab aëre humido accedit, partim reliqua constitutiva dissipantur, ad sal, terram, principium pingue sive inflammabile, ac parum cupri e sulphure eruenda atque trium priorum æqualem fere proportionem

evin-

evincendam, oleum potius destillatum terebinthinæ sive fœniculi, spiritum vini & vitrum majus causticum, cum destillatione in subsidium vocat. Florum nempe sulphuris uncias quatuor, in olei terebinthinæ libris quatuor vel quinque successive dissolutas, ante omnia igne lentissimo per plures dies noctesque destillat, utque olei terebinthinæ odoris expertis tertiæ duæ, aqua albicans acida ponderosa & oleum rubicundum plus minus crassum, (quo apparente ignis intendendus ac excipulum mutandum,) obtineantur, remanentibus capitis mortui nigri, spongiosi, splendentis ac insipidi unciis duabus cum dimidia. Hinc, ubi oleum limpidum & aquam acidam per lenissimam destillationem, aliquot itidem dies ac noctes continuandam, ab oleo rubicundo separavit, ab hoc residuo spiritum vini recentem tam diu cohobat, donec hic omni destitutus prodeat fœtore, restitentque unciæ fere quatuor materiæ nigræ gummosæ, quæ in olei quidem destillatis tota, in spiritu vini vero ex parte tantummodo dissolvatur, egregia tamen sanguinis acrimoniam salsam corrigendi. Tum aquam acidam cum salis tartari unciis duabus in aqua solutis commiscet, atque post evaporationem ex salis augmento, salis acidi sulphuris drachmas tres & grana quindecim fuisse, cognoscit. Tandem caput mortuum primum speculo caustico majori exponit, multisque vaporibus acidis sub odore aquæ fortis exhalantibus, superstitem terram, non per se, sed cum borrace in vitrum liquandam, vix unciam unam drachmamque unam excedere, vitrum autem in aere humido pauca ærugine obtegi, deprehendit. Borracem vero sicuti *Dn. Lemery* salibus salsis ideo annumerat, quod nec cum acidis, nec cum alcalibus effervescat, ita destillationem ejus tam per se quam cum aliquo additamento, adornat. Borracis quippe libram unam, igne reverberii per gradus e retorta magna destillatam, multum intumescere, ac non nisi aquæ limpidæ & insipidæ, cum neutro salium ebullientis, uncias sex cum drachmis totidem suppeditare, restantibus unciis novem & drachmis duabus vitri elegantissimi, ad instar crystalli, quod in aqua nihilominus solvi, & loco insignis diuretici propinari valet. Ex Borracis autem uncia una semis cum duplo argillæ siccæ destillationem liquoris limpidi salini ac urinosi drachmas tres acquiri, e diverso ex borrace cum

cum sale tartari aquam ingratam & unctuosam obtineri: indicio manifesto, quia ex borrace acidum haberi nequit, illum ex sale salso, urinoso & pauca substantia oleosa sive bituminosa constare.

Camphoratæ Mompeliensium vires insignes in hydrope recenti atque asthmate primario, non minus ac in omni obstructione recenti, morbisque ex sanguinis cruditate & lymphæ visciditate pro pullulantibus, si tenuiores ejus ramusculi in modum ptisanæ vel thée usurpentur, per experientiam *Dn. Burlet* comprobat.

Illustris *Leibnitius* Arithmeticam binariam exhibuit, quam quidem in vita communi non reperire locum, ad Scientiarum tamen pomœria producenda, & multa in numerorum praxi atque geometria utilia detegenda mire conducere, dudum intellexit. Est hæc Arithmetica omnium simplicissima, & nonnisi duabus utitur notis, nempe 1 & 0, consequenter 2 scribitur per 10, 3 per 11, 4 per 100, 8 per 1000, 16 per 10000, & ita porro. Unde operationes non possunt non fieri facillimæ & errori minus obnoxiæ, quia nil prorsus memoriæ tribuendum, nec in multiplicatione & divisione ullo opus est abaco Pythagorico, cum ista in additionem, hæc in subtractionem abeat: quæ cum cogitaret *Dn. de Lagny*, facile advertit, numeros Arithmeticæ binariæ esse Logarithmos quam maxime naturales. Quamobrem hos usitatis nunc Logarithmis in *Nova*, quam meditatur, *Trigonometria Gallica* seu *Reformata* substituet, inprimis cum Logarithmos, quibus nunc utimur, in numeris majoribus fallere notaverit. Ipse autem *Leibnitius* Arithmeticam binariam ad explicanda mysteria Philosophiæ Sinensium, figuras nempe lineares antiquissimi Sinensium Regis & Philosophi, qui ante 4 mille annos floruit, *Foby* transtulit, sicque per literas ad R. P. *Bouvet* Pekinum datas, clavem ad referanda mysteria Sinensibus restituit ante plus mille annos amissam, non sine ingente Europæorum gloria. Immo cum idem *Foby* credatur Autor characterum Sinensium, quibus in scribendo utuntur, hi ipsi vero cum numeris convenientiam quandam habere ferantur; si qua talis occurrat, mysterium in characteribus istis a summo Philosopho absconditum dexterrime explicatum expectare licebit a laudato R. P. *Bouvet*, cujus in hoc argumento tractando

dexteritatem multum commendat *Leibnitius* noster. Quodsi tale quid contingat, quod ex notionibus elicere licet, ex earundem characteribus per modum calculi eruere dabitur: quod erit maximum intellectui humano unquam obtentu possibile adjumentum.

Dn. Cassinus A. 1703 d. 21 Martii h. 10 matutina per captas altitudines Meridianas contigisse didicit æquinoctium vernale: quam observationem cum comparasset cum omnium antiquissima Hipparchi, anno 32 periodi tertiæ Calippicæ, h. e. anno ante Christum natum 146 facta, anticipationem æquinoctii uno anno invenit 10′ 54″$\frac{1}{3}$, hincque quantitatem anni tropici apparentem determinat d. 365 h. 5 49′ 5″$\frac{3}{4}$, mediam vero 365 d. 5 h. 49′ 12″, prorsus ut Gregoriani supposuere. Utraque observatio facta eadem hebdomadis feria, anno a bissextili proximo: in sua tamen minutorum appendicem neglexit *Cassinus*, quia *Hipparchus* in sua de errore 6 horarum certus esse non poterat.

Suaserat anno 1700 *de la Hire*, ut in horologiis oscillatoriis pendulum non ex filo sericeo, sed lamina elastica suspenderetur, quia hæc alterationibus per siccitatem & humiditatem aeris minus obnoxia. Sed cum hanc isti substituisset, majores in motu penduli, quam antea, observavit inæqualitates, ut adeo filum laminæ præferendum censeat. Monet tamen, ad rectificandas vibrationes penduli, ut nempe tum longiores, tum breviores sint isochronæ, non sufficere cycloidem juxta regulas *Hugenii* exacte elaboratam, sed lineam cycloidi parallelam a parte concava dimidia fili sericei spissitudine distantem adhibendam esse, ut axis fili cycloidem exacte describat juxta ea, quæ dudum in Commentariis Mathematico-Physicis de usu Epicycloidis in Mechanicis proposuit. Suadet etiam, ut horologia, observationibus cœlestibus applicanda, collocentur in loco, in quo ab omnibus aeris injuriis quam maxime libera sunt, ne virga ferrea frigore, filum sericeum humiditate contrahatur, ista calore, hoc siccitate prolongetur. Similiter cum pendulum intra aquam moveri fecisset, motus retardabatur intra minutum 3″, adeoque intra diem 4330″. Hinc inferebat, aerem hu-

humoribus inspissatum vibrationes penduli breviores & diuturniores reddere, &, posito quod retardatio intra aquam densitati debeatur, densitas aeris non ab exhalationibus admixtis, sed pondere incumbente pendeat, gravitate aeris per $\frac{1}{28}$ variata, retardatio penduli in aere esse debebat $\frac{1}{28}$ ejus, quæ fit intra aquam, h. e. 154″ intra diem. Enim vero huic calculo cum experientia contradicat, caussam esse asserit diversam particularum aerearum & aquearum configurationem, quarum istæ his facilius divelluntur. Accedere, quod vapores intra aerem non colligentur, quemadmodum in aquam condensati. Interim tamen vapores irregularitatem inducere posse, si ponderi ex pendulo pendenti virgæque ferreæ associentur, & proprium sibi centrum oscillationis acquirant, consequenter & vetus immutent: cui malo medela quodammodo adhibeatur, si loco penduli usurpetur cylindrus, cujus exigua est basis, per omnem longitudinem homogeneus, in extremitate axis suspendendus, vel parallelepipedum aliquod.

SERENISSIMO POTENTISSIMOQUE PRINCIPI ac Domino, DN. FRIDERICO, Regi Prussiæ &c. &c. &c. humillima devotione dicata Synodi Telluris, Lunæ & Solis arctissima Observatio, habita Norimbergæ A. 1706 d. 12 Maji horis antemeridianis, a JOH. PHILIPPO WURZELBAUR.

Norimb. 1706 in fol.
Constat plag. 3, Tab. æn. 1.

Mense præcedente habitas in aliquot Germaniæ locis exhibuimus observationes. Cum vero Astronomiæ & Scientiæ naturalis cultorum intersit, diversis in locis ejusdem phænomeni institutas in promptu habere observationes; gratam iis nos præstituros confidimus operam, si, quæ observandi dexteritate dudum celeberrimus *Wurzelbaur*, de nupera Eclipsi Solis, phænomeno certe rarissimo, publicavit, in compendio communicaremus, inprimis cum, quæ Autorum sumtibus prodeunt, schediasmata non ubique ab omnibus haberi queant. Summo mane in instantem Solis ortum

tum direxit Observator solertissimus oculos, trans limpidissimam (paulo post autem nebulis spissiusculis temeratam) auram, e summitate speculæ observatoriæ h. 4 28' 30'' limbum ejus superiorem, h. 4 32' inferiorem ad radices Australes montis, quem vocant, rubei emergere vidit, facie Solari nulla prorsus macula temerata. Ab hora sexta usque ad octavam horologium oscillatorium cum Sciaterico Horizontali marmori inciso, & lineæ meridianæ applicato contulit, hoc ab isto dissidere plerumque advertens excessu vel integri, vel semiminuti primi. e. gr. Horologii oscillatorii H. 6 4' respondebat Sciaterici H. 6 4' 30''; istius H. 7, hujus H. 7 1'; istius H. 7 59', hujus H. 8; istius H. 8 17', hujus H. 8 17' 30''. Discum Solis per tubum lentibus convexis tribus instructum in cameram obscuram immisit, & in tabella candida excepit. Lunam ad Solem appellere observavit H. 9 6' 30'' circa $11\frac{1}{2}$ gr. a parte disci Australis & diametro ejus Horizontali sursum numerando.

Phases præcipuæ tum crescentes, tum decrescentes in Fig. 2.
TAB. VIII. Fig. 2. Tab. VIII repræsentantur. Discus Lunaris ab initio ad finem usque eandem retinuit magnitudinem apparentem, quæ, si semidiameter Solaris 15' 55'' assumatur, 16' 32'' haud superavit. H. 10 17' in tabella observatoria circa 17 gr. versus Septentrionem sursum ab Horizontali diametro numeratum plane extinctum lumen. Atrum Lunæ discum ad latitudinem semidigiti annulus lucens circumdare visus, cujus luculam auræ illuminatæ adscribendam judicat noster. Vidit is durante obscuratione totali ♀ & ♄, auram quasi primæ nocte tenebricosam, nubes hinc inde sparsas colore subrufo vel croceo tinctas; viderunt alii fixas, notarunt conticuisse oscines, circumvolitasse vespertiliones, omnia cum induisse vultum & produxisse effectum, qualem bihorio post occasum Solis nox increbrescens exhibet. Tribus post obtectionem elapsis minutis horariis ad tabellam observatoriam reversus, jam quartam fere digiti partem lucidam emersisse animadvertit.

Tan-

Tandem H. 11 28' Luna ad latus boreale disci ejusque a diametro Horizontali sursum numeratum 10 gr. Solem omnino deseruit. Capta posthæc fuit altitudo Solis meridiana 58° 38' 10": captæ sunt multæ altitudines aliæ Solis jam declivioris, e. g juxta horologium oscillatorium. H. 2 38' altitudo erat 45° 30', H. 2, 59' eadem erat 42° 30', H. 3 2' 15" eadem erat 42°, H. 3 32' erat eadem 37° 30', H. 3. 44' 45", erat eadem 35°. Ex his altitudinibus per calculum Trigonometricum deducta tempora erant H. 2 38' 4", H. 2 58' 56", H. 3 2' 20", H. 3 31' 59", H. 3 44' 47". Horæ igitur pomeridianæ horologii oscillatorii amice satis cum cœlo conspirabant, majorem matutinarum a sciaterico dissensum vel hujus non satis justæ ad lineam Meridianam applicationi, vel refractioni auræ post ortum Solis nonnihil turbidæ tribuendum judicat.

P. JOANNIS GISBERT, SOCIETATIS JESU, Præpositi Provincialis in Provincia Tholosana ANTI-PROBABILISMUS.

Parisiis, apud Joannem Baptistam de Lespine, 1703, in 4.

Constat Alph. 2. & plag. 4.

Quantas turbas doctrina de Probabilismo inter Pontificios excitaverit, in vulgus tam notum est, ut otio nostro male abuti haud immerito videremur, si multa de hoc argumento in medium afferre vellemus. Quamvis autem origo hujus pestilentissimæ doctrinæ a Jesuitis utplurimum repetatur; paucis tamen abhinc annis e medio Societatis illius prodiit Joannes Gisbertus, qui Antiprobabilismum seu Tractatum Theologicum edidit, in quo fidelem totius Probabilismi stateram exponit, & ex rationibus divinis seu veritatem seu falsitatem cujuscunque probabilismi in materia morali examinat. Ille novam quidem probabilismi doctrinam esse concedit, utpote quæ non nisi post Concilium Tridentinum exorta fuerit, interim tamen ejusdem originem plane in-

incertam esse contendit, cum non satis liquido constet, & quo præcise tempore, & quo primum loco, & quo primo auctore, fœtus ille prodierit. Quamvis itaque, rebus sic sese habentibus, uni alicui Scholæ de tali partu invidia conflari nequeat; hanc tamen maculam omnium minime Scholæ Societatis inuri posse contendit. Probabilismum enim a Doctoribus Societatis Jesu neque inventum, neque adoptatum esse, clarissima luce clarius esse ait. Quod enim ad prius attinet, Probabilismum prius inventum asserit, quam Societas Scholas Theologicas haberet, aut cathedram ullam in Scholis Theologicis occuparet; aliarum præterea Scholarum Doctores Probabilismum ante tradidisse, quam ullus de Societate scriptor existeret. Hinc quoque factum esse, ut, quicunque de Societate probabilismum docuerint, pro asserenda illa doctrina citaverint aliarum scholarum Doctores antecessores suos, ex quibus, velut ex fontibus, talem se doctrinam hausisse liberaliter & honeste professi fuerint. Nec etiam probabilismum a Schola Societatis adoptatum esse. Quod enim Societatis sensus & gustus omni tempore a probabilismo valde alienus fuerit, id facile apparere, tum ex mente Ignatii fundatoris, tum ex decretis Conciliorum generalium, tum ex Præpositorum generalium epistolis, tum ex praxi Doctorum Societatis, quibus fere omnibus religio sit & semper fuerit, probabiliores & communiores sententias sequi; inprimis autem illud ex speciali Societatis congregatæ decreto elucescere, quo talis adoptio ut imaginaria respuatur, & disertis verbis declaretur, probabilismum Societatis doctrinam minime esse. Si quis forte objicere velit, Doctores Societatis Jesu fere omnes, communibus studiis passim ivisse in sententiam probabilismi: respondet Auctor, multos equidem in Societate extitisse, qui huic doctrinæ calculum adjecerint, e contra vero hoc quoque verum esse, probabilismum primos habuisse Jesuitas impugnatores, Rebellum puta, Comitolum & Blancum, siquidem ante illos nemo probabilismum impugnaverit, & cæteri, quicunque adversus eum insurrexerint, cujuscunque tandem sint ordinis, fuerint omnes Rebello, Comitolo & Blanco posteriores. Præterea invidiosum istud argumentum torqueri posse in omnes alias Orbis Christiani scholas, Thomisticam, Scotisticam, Sorbonicam, Salmanticensem, Tolosanam &c. quæ

quæ singulæ doctores multos habuerint probabilismi, eosque magni ponderis & meriti viros. Quemadmodum igitur doctores, familias, scholas, quas probabilismus invasit, multas sane Auctor adducit, ita operæ pretium esse censet, in causas probabilismi in doctrinam moralem introducti, & stupendi plane ejusdem progressus, paulo penitius inquirere. Inde plenam probabilismi historiam texit, ejusque fallentia incrementa, variam & ancipitem fortunam, tandemque decrementum & inclinationem accurate exponit. Postea quam vero hactenus dicta, quæ ad historiam probabilismi pertinent, e medio ferme libri, quem præ manibus habemus, adduximus; jam tempus est, de ipso Auctoris instituto & primario ejusdem scopo uberius dispiciendi. Ille eo tendit, ut, quemadmodum jam supra diximus, probabilismum a tot tantisque Theologis receptum confutet. Istam vero antiprobabilismi doctrinam, quam tradere in animo habet, in quatuor regulis totam consistere ait. Prima regula est: ubi lex probabilior est quam libertas a lege, standum est pro lege probabiliore, contra libertatem minus probabilem. Altera regula: ubi lex est æque probabilis, ac libertas a lege, standum pariter est pro lege æque probabili, contra libertatem æque probabilem: quia Deus, in pari causa, jus prælationis habet irrefragabile adversus creaturam suam; debetur enim ea prælatio excellentissimo Dei dominio. Tertia regula: ubi libertas a lege notabiliter probabilior est, quam lex, licitum est operari secundum libertatem notabiliter probabiliorem, posthabita lege notabiliter minus probabili, quia Deus æqui & boni amans permittit creaturæ suæ rationali, ut apparentiam veri notabiliter majorem sequatur, tum in judicando, tum in operando, posthabita apparentia notabiliter minore. Quarta denique regula: quando probabilitas libertatis ita superat probabilitatem legis, ut tamen non superet notabiliter, sed levi aliquo duntaxat excessu, standum non esse pro libertate leviter duntaxat probabiliore; quia levis ille excessus probabilitatis, quo libertas superat legem minus probabilem, pro nullo habendus est; ac proinde legis probabilitas, quamvis physice minor, censeri tamen debet moraliter æqualis probabilitati libertatis. Hæc est summa seu principiorum seu regularum, ex quibus Auctor doctrinam totius Anti-

pro-

probabilismi deducit, & per eas, si constanter teneantur, vitari continuo extrema duo vitiosa, laxitatem & rigorem, asserit. Tractationi varia præambula præmittit, quæ materiæ per se obscuræ & perplexæ lucem afferre possunt. Ibi enim conatur 1. tradere veram probabilitatis notionem, 2. dividere veram probabilitatem in varias species suas, 3. explodere probabilitatem quamcunque ad recte operandum inutilem & insufficientem, 4. constituere stateram divinam pro examine totius probabilismi moralis controversi, 5. demum clare & dilucide proponere controversiam generalem, eandemque apte distribuere in suas partes. Ipsam tractationem duabus partibus absolvit: cum enim probabilitas dupliciter considerari possit, respective & absolute, seu in concursu & extra concursum; (posse enim fieri probabilitatis cum probabilitate concursum, posse itidem concursum quandoque non esse, & propterea duplicem controversiam instituendam esse ait,) primam de probabilitate seu legis seu libertatis, in concursu unius cum altera, secundam de probabilitate seu legis seu libertatis extra concursum unius cum altera. Primam pertractat in parte priori, ubi pro triplici concursu probabilitatis cum probabilitate tres proponit quæstiones. Cum enim possit concurrere probabilitas major legis, cum probabilitate minore libertatis, possit item probabilitas libertatis concurrere cum æquali probabilitate legis, possit denique probabilitas minor legis concurrere cum majore probabilitate libertatis: ex hoc triplici concursu nascitur quæstio triplex. Prima est: an sit obligatio sequendi majorem probabilitatem legi faventem, in concursu probabilitatis minoris faventis libertati? Secunda: an sit obligatio sequendi probabilitatem faventem legi in concursu probabilitatis æqualis libertati faventis? Et tertia: an sit licentia sequendi probabilitatem majorem libertatis concurrentem cum minore probabilitate legis? Singulas hasce quæstiones Auctor in prima parte affirmat. Quamvis enim, quod ad duas priores attinet, olim aliter senserit, unde rationes, quæ ipsum ad sententiam contrariam amplectendam tum temporis induxerint, ante tractationem secundæ quæstionis prolixe exponit, jam tamen se animum præjudicatis opinionibus exuisse, & hinc pristinam sententiam sine rubore se retractare ait. Ac proinde affirmationem ha-

harum quæstionum ex idea Dei & perfectionum divinarum, & ex reverentia Deo debita, vi cujus non tantum homo teneatur id omnino exequi, quod probabilius apparet, sibi a Deo præceptum esse, sed quæ itidem in pari causa seu legis seu libertatis Deo jus prælationis necessario tribuat; porro ex primis prudentiæ regulis, quas Creator ipse digito suo humanæ menti insculpsit, ex Scriptura utriusque Testamenti, ex traditione divina, ex decretis Concilii & Patrum, ex sensu & gustu Ecclesiæ per omnes ætates diffusæ, prolixe, eleganter & solide demonstrat. Hanc enim stateram justam esse & vere divinam, ad quam singulæ probabilismi species appendi possint, & ex hac serie ordinata rationum divinarum probabilismi controversi seu veritatem seu falsitatem æstimari, Auctor suadet. In secunda parte controversia de probabilitate extra concursum excutitur, eamque duas quæstiones complecti affirmatur. Unam de probabilitate libertatis ac soluta, seu non concurrente cum ulla probabilitate legis. Alteram de probabilitate legis absoluta, seu non concurrente cum ulla probabilitate libertatis. In prima quæstione ostendit, quænam probabilitas ad licite operandum requiratur, eorumque sententiam refellit, qui licitum esse operari ex quacunque probabilitate, quantumvis tenui, sibi persuadent. In decisione secundæ quæstionis duo demonstrat. Unum est, esse posse, & re ipsa esse, probabilitatem aliquam legis absolutam, seu non concurrentem cum ulla probabilitate libertatis. Alterum, ex probabilitate legis absoluta existere veram & strictam servandæ legis obligationem. Pro complemento & coronide totius operis, tria Corollaria Auctor subnectit, in quibus fidelitatem ac divinitatem stateræ, ad quam Probabilismum in hoc tractatu appenderit, uberius demonstrat. Primum ex istis corollarium est ordinata series principiorum generalium, in quibus statera Auctoris consistit. Alterum est inquisitio legitima voluntatis divinæ, regulæ universalis objectivæ actionum humanarum. Tertium denique est certa methodus conscientiæ recte formandæ, quam conscientiam actionum humanarum formalem & immediatam regulam esse tuetur.

ERPOLDI LINDENBROGII SCRIPTORES SEptentrionales: PETRI LAMBECII Originum Rerumque Hamburgensium Libri II: THEODORI ANCKELMANNI Inscriptiones Hamburgenses.

Hamburgi, apud Christianum Liebezeit, 1706, fol.
Constant 8 Alph. 8 plag.

TRes libri uno hoc volumine continentur, qui magno semper in pretio apud Eruditos fuere, & longo jam tempore comparari ægerrime potuerunt, distractis dudum prioribus exemplaribus. Non dubitandum ergo, quin de quamplurimis selectiorum librorum cupidis optime meritus sit celeberrimus Hamburgensium Professor, D. Jo. Albertus Fabricius, dum denuo typis eos exscribi curavit, omniumque usibus consecrare sustinuit, præfationibus insuper eruditis exornatos. *Primus* eorum Erpoldi Lindenbrogii Rerum Germanarum Septentrionalium Scriptores complectitur, quorum editio Hamburgi primum A. 1595 prodierat: de quibus, cum nemini in Historia rei litterariæ vel leviter versato ignorentur, dicere hoc loco plura non attinet. Id unum notamus ab ipso novo Editore pro candore suo admonitum, effigiem Lindenbrogianam, quæ præfixa huic editioni comparet, & distichon hoc præfixum habet:

Antiquæ fidei, doctrinæque, ingeniique
In Lindenbrogio cernitur effigies,

non Erpoldi nostri esse, sed filii ejus Friderici, vel ex Codice Legum antiquarum, Curis in Ammianum Marcellinum, aliisque a Fabricio in Præfatione recensitis Scriptis, non minus celebris. Qualem errorem facilem contingere, vel uno M. Antonini Philosophi exemplo Fabricius ostendit, cujus libris effigies L. Veri, non tantum in triplici editione Thomæ Gathakeri, verum etiam in Gallica Andreæ Dacerii, præfixa deprehendatur. *Alter* Petri Lambecii Origines Hamburgenses, sive Rerum Hamburgensium libros duos, quorum alter Hamburgi A. 1652, alter A. 1661 editus fuerat, exhibet. Quibus in nova editione Breviarium Vitæ S. Anscharii, & Excerpta Chronologica a Claudio Arrhenio Historiarum

Pro-

Professore in Academia Upsaliensi composita, tum Hymni & Collectæ Veteres in S. Ancharii memoriam, nec non Catalogus scriptorum Lambecii, qualem ipse A. 1673 Vindobonæ edidit, accessere. Jamque nulli dubitamus, ex reliquis Lambecii scriptis, affectis quidem magis quam perfectis, minimum propediem Prodromum Historiæ Literariæ, qui desideratissimus dudum est, denuo proditurum; etsi nec de nova Bibliothecæ Vindobonensis editione desperandum. *Tertius* inscriptiones urbis patriæ Hamburgensis, Heidelbergæ olim a Theodoro Anckelmanno A. 1665 editas, nunc cum novo auctario a Clarissimis Viris, qui in præfatione nominantur, cum editore Fabricio communicatas, repræsentat.

R. P. CLAUDII FRASSEN PERONENSIS, Doctoris Theologi Parisiensis & Lectoris bis emeriti, totius Ordinis S. FRANCISCI Exdefinitoris generalis atque magni Conventus & generalis Collegii Fratrum Minorum Parisiensium tertium nunc Guardiani, Disquisitiones Biblicæ in universum Pentateuchum.

Parisiis, apud Petrum Witte, 1705, in 4.
Constant Alph. 4 & plag. 5.

PRius volumen harum Disquisitionum Biblicarum Clarissimus Auctor jam anno superioris seculi octuagesimo secundo in lucem ediderat, cujus libri recensionem mense Novembri anni ejusdem in Actis nostris instituimus, ac in eo id inprimis egerat, ut auctoritatem Scripturæ sacræ ab insultibus hostium ejusdem, qua veterum qua recentiorum, pro virili defenderet. Postquam igitur hoc pacto, in priore isto volumine, viam quasi ad studium sacri Codicis tanto majori animi reverentia tractandum muniverat, laudabili prorsus consilio jam ulterius in ipsa sacrarum Literarum scrutatione progredi, animum induxit, ea scilicet fini, ut illa, quæ in iis obscura implexaque passim occurrunt, claris expositionibus illustrentur. In hoc autem instituto se operæ pretium facturum esse Auctor existimavit, si ab ipso Pentateucho, primum locum in sacris Bibliis occupante, initium faceret. Quamvis enim actum agere videri posset, quod post tot paraphrases, interpretationes,

 alia-

aliaque plurima tum Synagogæ, tum Ecclesiæ Doctorum, in Pentateuchum edita volumina, suas quoque lucubrationes cum Republica literaria communicet, hoc tamen se propterea non deterruisse, quod sibi non sit propositum nova moliri, & aquilinis mentibus lumen ingerere, sed quod scopus suus eo tantummodo tendat, ut sacræ Scripturæ studiosis, nondum satis exercitatis, ad faciliorem illius intelligentiam, & arcanorum reserationem, minus laboriosa pateat via, & jucundior aditus appareat. Quem finem ut Doctissimus Auctor eo facilius obtineat, ita in hoc opere versatur, ut, posteaquam breviter, sed nervose, cujuslibet capitis contenta ob lectorum oculos posuit, varias easque curiosas quæstiones in medium afferat, in quibus selectiores textus illustrantur, elucidantur obscuriores, dein in speciem pugnantes conciliantur, porro ex Chronologiæ atque Genealogiarum tricis graviores moveri solitæ controversiæ componuntur, tandemque præcipua sub cortice literæ latentia mysteria in lucem proferuntur. Ex quibus lectores abunde perspicient, qui campus dicendorum Auctori nostro sese aperiat. Et sane dici non potest, quanta voluptate animus legentis in perlustratione hujus operis perfundatur, cum eruditissima rerum varietas, quas Auctor ex scriptis tum veterum, tum recentiorum collegit, nec non elegantior stylus omne tædium nullo negotio abstergant, adeo ut optimo jure cum Paschasio Ratberto dicere possit, ea, quæ hic proponuntur, multorum quidem esse eruditissimorum, quos antiquior tulit ætas, & firmavit autoritas veritatis. sed proprio commendatam stylo novitatem facere, ut hæc ipsa tanquam sua sibi vindicare possit. Verum hoc ipsum in causa est, ut plura de ipsis materiis, quas Auctor sibi pertractandas sumsit, recensere dubitemus, cum præterea hæc ita comparata sint, ut quid potissimum eligendum sit, difficile esse videatur. Lectorum itaque curiositati ea relinquimus, Autoris scopum, & quid sibi de hoc libro polliceri debeant, indicasse contenti.

LE

LE GRAND DICTIONAIRE DE LA BIBLE, OU Explication Litterale & Historique de tous les Mots propres du Vieux & Nouveau Testament &c.

i. e.

DICTIONARIUM BIBLICUM MAGNUM, SEU Explicatio Litteralis & Historica omnium Nominum propriorum Veteris & Novi Testamenti, cum vita & actionibus praecipuarum Personarum &c. per SIMONEM, S. S. Theol. Doct.

Lugduni Gallorum, apud Joh. Certe, 1703, in fol.
Constat Tomus I 9 Alph. 8 plag. & aliquot figuris æneis.
- - - - II 8 Alph. 3 pl. & aliquot itidem fig. æn.

OMnigena eruditione refertum hoc opus equidem jam anno 1693 prodiit; sed quæ denuo comparet editio, duplo fere auctior est priori, unde & in duos distribuitur tomos, cum prior nonnisi unicum constitueret. Quid Autor doctissimus docere intenderit, prolixus operis titulus satis indicat. Neque enim, more Lexicographorum, vocum significatum explicasse contentus; sed multa ad Historiam tum sacram, tum profanam, ad Chronologiam, ad Philologiam, ad Theologiam, ad Scientiam naturalem, ad alias denique disciplinas spectantia, quæ textui sacro facem præferre possunt, ingenti cum solertia conquisita proponit. Describit vitam & actiones non solum Principum, qui populo Dei præfuerunt; sed multorum etiam, penes quos imperium fuit in Assyrios, Persas, Græcos & Romanos. Notatur tempus, quo imperium suscepere; notatur intervallum, quo illud tenuere; notatur denique momentum, quo mortem obiere. Leges ibi vitam & miracula Prophetarum: reperies ibi integram Historiam omnium Pontificum, qui usque ad eversionem templi ac urbis ultimam Aaroni successere: inprimis autem prolixissime describuntur nativitas, vita, miracula & mors Pontificis vere maximi, Salvatoris optimi, Jesu Christi. Disquiritur in tempus, quo Apostolos & discipulos suos vocavit; in annum & locum martyrii, quod ob veritas-

ritatis professionem perpessi: agitur de die unicuique eorum festo. Describuntur præterea proprietates animantium tam purorum quam impurorum; duodecim lapides pretiosi in Rationali Pontificis Maximi, & duo in lateribus superhumeralis positi; nomina festorum & solennitatum Hebræorum, sacrificia eorundem, provinciæ, regiones, urbes, arces, montes, fluvii & fontes memorabiles, quorum fit mentio in Bibliis, Josepho, aliisque Historicis, indicatis nominibus, quibus hodie appellantur, & gradibus latitudinis ac longitudinis, ut in mappis Geographicis facile eorum situs ab intelligentibus determinari queat. Explicantur denique pondera & mensuræ, & eorundem valor in mensuris nostris exacte determinatur: quod idem fit in monetis Judæorum. Præmittitur operi introductio ad Scripturam sacram R. P. Bernhardi Lamy, variis scriptis apud Theologos, Mathematicos & Philosophos celebre nomen dudum adepti: in qua agitur de ratione Judæorum, exhibetur compendium chronologicum Historiæ Judaicæ & descriptio Geographica Terræ Sanctæ; differitur de Republica & Legibus, de Magistratibus & administratione civili Reipublicæ, de personis sacris, de religione, obligationibus, cultu divino, fide ac opinionibus, sacrificiis ac oblationibus, locis sanctis, anni forma & calendario, diebus festis, schismatibus, sectis & doctoribus Judæorum; de ponderibus & monetis in Scriptura commemoratis, diversis itidem mensuris, nec non de consuetudinibus Judæorum antiquorum pariter & modernorum; disquiritur de libris Scripturæ Sacræ, de textu originario, de versionibus, de paraphrasibus & differentibus Bibliorum editionibus: traduntur regulæ interpretandi Scripturam: in quibus omnibus Autor sibi persimilis existit, h. e. concinna brevitate in exiguo compendio perspicue plura tradit, quam ingentia sæpius volumina vastitate sua comprehendunt. Comparet quoque ibidem idea Bibliorum generalis cum versibus librorum sacrorum mnemonicis, commendantur Patres, quorum Commentarii cum uno quoque eorum legendi, e. gr. in Matthæum *Hilarius* & *Chrysostomus*, in Marcum idem, in Lucam *Ambrosius*, in Johannem *Augustinus*, *Chrysostomus*, *Origenes*, *Cyrillus*, in Proverbia *Beda*; indicatur methodus, qua commode integrorum Bibliorum lectio unius anni spatio ita

ita absolvi possit, ut quotidie legantur textus tempori accommodati. Sub finem Tom. 2 repræsentatur compendium Chronologiæ sacræ. Opus autem erit, ut more nostro quædam speciminis loco ex ipso opere proponamus. Statim igitur ad vocem primam *Aaron*, non solum genealogiam & integrum vitæ curriculum Aaronis describit, sed & de ornatu & consecratione Summorum Pontificum disserit, expositis simul corporis ac mentis nævis, quibus persona inhabilis reddebatur ad Pontificatum & Sacerdotium, explicatis Sacerdotum officiis, exhibitoque catalogo successionis chronologicæ omnium Pontificum ab Aarone usque ad Phanasium, sub quo contigit excidium templi ac urbis. Notat etiam, *Aaronem* vi vocis significare montem, vel montanum, vel docentem, vel concipientem, & Pontificatum ejus viguisse ab anno Mundi 2545 usque ad 4130, seu ab anno ante Christum 1509 usque ad annum post Christum 75. Refert nempe Pontificatum Joasaris ad annum Mundi 4053, in quem incidisse credit nativitatem Salvatoris nostri. De herba *Aloe* discurrens autor est, inter fabulas referri debere, quod non nisi centesimo quolibet anno flores emittat, eosque cum ingenti strepitu protrudat, cum experientia in horto Regio Parisino contrarium docuerit. Ad vocem *Cainan* multus est, ut adstruat, memorati a Luca c. 3 v. 36 Cainanis nomen ex textu Hebræo a Judæis & Samaritanis expunctum fuisse, ex odio erga Salvatorem optimum: quamvis non adstruxisse videri quodammodo velit. Per *clavem Scientiæ*, quam quod abstulerint, Pharisæis exprobrat Christus, intelligentiam Scripturæ intelligi contendit, notans insuper, juxta Judæorum dogmata Deum quatuor clavium sibi reservare genera, quas nec cum hominibus, nec cum Angelis, nec cum ipsis Seraphinis communicare voluerit, clavem nempe pluviæ, clavem sepulchrorum, clavem partus, clavem sterilitatis seu caritatis annonæ. Vocem *Concilii* seu synedrii explicans, tria Judæorum tribunalia commemorat, quorum primum personis tribus, alterum 23, tertium 70 constabat, quibusque additum fuerit aliud materias nonnisi Ecclesiasticas seu ad religionem spectantes tractans. Describit quoque novem concilia ante nativitatem Christi a Judæis habita, excepto ultimo, cui Magorum de Christo nato percontatio ansam dedit: nec minus quatuor concilia Apostolorum post Christi ascensionem celebrata, subjuncto catalogo chronologico omnium conciliorum reliquorum ab

ævo

ævo Apoſtolico ad annum usque Chriſti 1599 habitorum. *Corban* ſacrum denotare ait theſaurum. *Coriandrum* eſſe herbam, cujus ſemen ſint grana granis fœniculi non multum abſimilia, digeſtionem mire juvantia. *Duplum Eliſæi Spiritum* denotare donum patrandi miracula, & donum futura prædicendi. *Epicurum* non in voluptate corporis, ſed animi quæſiviſſe ſummum bonum, cum nemo unquam ipſo ſapientior & magis continens extiterit, vitæ admodum frugalis & ordinatæ ſtudens; negaſſe tamen providentiam divinam & animæ immortalitatem, unde & Hieronymus nimius ſit in ejus commendatione, ipſum Chriſtianis tanquam optimum temperantiæ exemplar proponens: imo eundem optimum patientiæ præbere exemplum, cum inter exquiſitiſſimos ex retentione urinæ per 14 dies ortos dolores ne minimum impatientiæ ſignum ediderit. *Hæreſin* denotare opinionem circa religionem erroneam pertinaciter defenſam ubi docuiſſet, Catalogum contexit hæreticorum, qui Judaicam Eccleſiam ante adventum Chriſti turbarunt, quos inter commemorat *Fortunatitas*, Fortunam tanquam cœli Reginam, boni ac mali diſpenſatricem venerantium; *Hemerobaptiſtas*, per diem ac noctem corpus frigida abluentes a peccatis ſeſe expurgaturos; *Muſcorites*, Beelzebub ſub forma muſcæ, *Muſorites*, glires, & *Ophites*, ſerpentem æneum a Moſe in deſerto erectum adorantes. Prolixior multo eſt Catalogus hæreticorum Eccleſiam Chriſtianam infeſtantium, quem ſubdit. *Lunaticum* perſonam eſſe pronunciat influxui Lunari obnoxiam, qualis fuerit infirmitas Saulis. Morbum hunc ex nonnullorum opinione comitari eos, qui in novilunio naſcuntur. De *Malcho*, cujus in Hiſtoria paſſionis mentio injicitur, verba faciens, refert præter eum adhuc duos alios ejusdem nominis Arabiæ Reges, quorum alter multis ab Herode beneficiis affectus ad incitas redacto opem ferre ingratus renuit, alter Veſpaſiano in oppugnandis Judæis ſociam præbuit manum. Ex paucis dictis liquet, quod Autor nihil eorum omittat, quibus commemorandis anſam dare poterant nomina in Bibliis occurrentia propria, vel quaſi propria: ita ut hoc Dictionarium pro theſauro variæ eruditionis tam ſacræ quam profanæ haberi queat.

** ** **

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Septembris Anno MDCCVI.

SANCTI GREGORII PAPÆ PRIMI COGNOmento Magni, Opera omnia. Ad Manuscriptos Codices Romanos, Gallicanos, Anglicanos emendata, aucta & illustrata notis. Studio & labore Monachorum Ordinis Sancti BENEDICTI, e Congregatione Sancti MAURI. Tomi quatuor.

Parisiis, apud Claudium Rigaud, 1705, in fol.
Constant Alph. 35.

POst diligentissimam accuratissimamque operam in Sanctorum Patrum, Athanasii, Hilarii, Hieronymi, Ambrosii & Augustini scripta impensam, gradum nunc faciunt Benedictini solertissimi ad *Gregorium Magnum*, quem ut sui ordinis decus summum venerantur, sic scripta ejusdem mendorum spinis obsita relinquere diutius noluerunt. Non ignorarunt equidem, quid circa eadem jam alii præstiterint, diversarumque editionum indicem ipsimet referunt, celebrantes præ cæteris *Parisinam*, a Bertholdo Rembolto A. 1518 adornatam; *Rotomagensem* A. 1521, *Lugdunensem* A. 1539 & 1540, & *Parisienses* duas alias A. 1523 & 1542 curatas. In *Basileensi* editione, A. 1551 & 1564 Frobenianis typis excusa, multum laborasse *Huldricum Coccium* perhibent, ut Gregorii opera pristinam puritatem dignitatemque recuperarent, quanquam, ut id consequeretur, conjecturis potius suis, prout illa ætas tulerit, quam antiquis optimisque manuscriptis crediderit. *Joannem Gilotium*, Campanum, in

edendis repurgandisque S. Gregorii Operibus, non parum etiam laborasse testantur, ejusque curas A. 1571, & denuo post paucos annos, *Parisiis* publici juris factas esse referunt. Quæ *Romæ* Vaticanis typis A. 1589 inchoata sit autoritate Sixti V, & postmodum absoluta editio, præside doctissimo *Episcopo Venusino*, omnium antecedentium accuratissimam censent. Ultimo tandem loco A. 1675 vulgatam *Parisiis* labore & studio *Petri Gussanvillæi*, Presbyteri, ad quamplurimos quidem codices emendatam fatentur, plurimis tamen eam & haud levibus erratis adhuc scatere, ex adducto specimine non uno probant. Cum itaque multa desiderari intellexerint, sive ad integritatem, sive ad perfectionem oculum intendas, in editione Gussanvillæi, licet hæc omnium cæterarum præstantissima; ad novam hanc impigri se accinxerunt, in qua egregia codicum veterum copia ditati, nihil habuerunt antiquius, quam ut Gregorii M. sensus & verba ab omni aut librariorum interpolatione & hallucinatione, aut typographorum corruptelis repurgata repræsentarent. Ubi a prius receptis lectionibus recedere eos coëgit manuscriptorum consensus fere unanimis, quod sæpe factum, lectiones rejectas in brevibus notis subjecerunt, & manuscriptos codices, a quibus istæ reprobentur, indicarunt. Quandoque nulla in textu mutatione facta, varias lectiones infra columnas adscripserunt. Præter notas has & alias attexuerunt, ad plurima loca illustranda, sed eas modo breves, ne plus onerare textum, quam ornare, viderentur. In Dialogos tamen, in Epistolas, & in librum Sacramentorum, ampliores aut ipsi elucubrarunt, aut ab aliis jam elucubratas collegerunt. Singula vero Gregorii opera *quatuor* in tomos distribuerunt. In *primo* continentur Exegetica in Sacram Scripturam, scilicet *Moralium* in Job libri triginta quinque, Homiliarum in *Ezechielem* Prophetam libri duo, & totidem Homiliarum in *Evangelia*. His quidem accenseri potuissent Commentarius in librum primum *Regum*, Expositiones in *Cantica* & in septem *Psalmos* pœnitentiales. At primum tomum tot complecti minime posse, insuperque commemoratas elucubrationes non esse ita genuina S. Gregorii opera, ut omnis interpolationis expertes deprehendantur, probe perpendentes, in modo enumeratis acquieverunt. *Secundus* tomus con-

continet cætera Gregorii indubitata & germana opera, sive ea ad Historiam, sive ad Ecclesiasticam Disciplinam spectent, scilicet *Librum Regulæ Pastoralis*, *quatuor Dialogorum libros*, & *Registrum Epistolarum*. *Tertius* tomus bipartitus priori in parte exhibet *Librum Sacramentorum*, *Antiphonarium* & cætera *Liturgica*, cum D. Hugonis Menardi notarum & observationum accessione; altera pars complectitur Commentarium in *Librum I Regum*, Expositionem in *Cantica Canticorum*, & aliam in *septem Psalmos*, ac *Concordiam quorundam Sacræ Scripturæ testimoniorum*. *Quartus* tomus itidem in duas partes divisus, in priori *Vitam Gregorii* continet, tum a Paulo Warnefrido, tum a Johanne Diacono scriptam, & eam, quam ex Gregorianis præsertim scriptis Benedictini recens adornarunt; in posteriori sistitur genuinus *Paterius*, qualis habetur in quamplurimis optimæ notæ codicibus manuscriptis, & *Alulfi* Tornacensis monachi *Expositio in Novum Testamentum* ex Gregorianis sententiis, quæ Paterii nomen in superioribus editionibus immerito præfert. Quatuor Evangelia Gregorium explanasse, & de Samsone quædam allegorica scripsisse, negant. Pœnitentiale quoque Gregorii, quod Jamesius extare dicat in vetustissimo codice Bibliothecæ publicæ Oxoniensis, non alibi cum repererint, hoc loco pariter omiserunt. Hinc, quæ Gregorii adversus hæreticos doctrina fuerit, exponunt, ejusque dogmata a variis objectionibus vindicant.

Præstiterit autem hæc summatim indicata paulo dilucidare ulterius, & singularium imprimis Præfationum, quæ libris singulis præmittuntur, meminisse. A *Moralium* libris tomus *primus* splendidum sumit initium, quos primo inter opera reliqua loco Gregorium elucubrasse notant. Ex antiquioribus editionibus se adhibuisse memorant *Parisinam* A. 1495, ex quo tempore plures alibi additæ fuerint, quanquam has omnes superet ætate *Romana* A. 1475 Sixto IV sedente curata, cui præfixa sit brevis præfatio Dominici Brixiensis Episcopi. Præter restitutionem & emendationem passim in his libris factam, divisionem hujus operis sex in partes, a sancto Doctore ipso institutam, sed in editionibus plerisque neglectam, & plurimis fortassis ignoratam, se secutos esse profitentur. Capitum divisionem, quippe a Gregorio mi-

minime curatam, non ad prævium aliorum exemplum, sed pro suo lubitu ibi adornarunt, prout eam textus libri Job versus aut integri aut dimidiati requirere visi sunt, sic, ut idem fere semper sit & capitis & explicationis exordium; nihilominus tamen textum in minores sectiones numeralibus notis distinctas partiri voluerunt. Priorum etiam editionum capita in margine assignarunt, ut, quæ juxta illas passim in libris Eruditorum laudantur, nullo negotio inveniri queant. Argumenta capitum pene ubique mutarunt, quod textui minime responderent. Sed expungere noluerunt inventorum a *Tajone*, Cæsar-Augustano Episcopo, Moralium Historiam, (utut non omni ex parte certam) quippe quam non solum in omnibus antiquioribus editionibus, sed etiam in codice manu exarato Monasterii Longipontis legerint. Testimonia & elogia veterum Scriptorum de libris Moralium jam edita, nonnullis aut additis aut detractis, præmiserunt. Post Expositionem Gregorii in librum Job, servato Sanctarum Scripturarum ordine, sequuntur ejusdem Sancti Doctoris *Homiliæ in Ezechielem* Prophetam, quas licet afflictus morbis, negotiisque difficillimis immersus, ac innumeris vexatus curis, ob luctuosissimam tum Urbis ac totius Italiæ faciem, ad populum habuit. Et ad hoc opus exequendum præsentissimum Numen Gregorium expertum fuisse innuunt, quandoquidem, cum ultimam Ezechielis visionem interpretaretur, Petrus Diaconus, quo exceptore ac notario uti fuerit, Spiritum Sanctum observarit sub columbæ candidæ specie ipsius capiti insidentem, & rostrum ori immittentem, ex quo altissima mysteria didicerit, ac veluti ebiberit. Dicendi & scribendi rationem heic adhibitam, ut accuratiorem & venustiorem esse non contendunt, ita velut humiliorem & depressiorem ipsam contemni nolunt, rerum quippe magis sensusque curam, quam verborum delectum, a Gregorio habitum causati. Quamvis vero litteralem sensum, tanquam cæterorum fundamentum, præstruere ubivis conetur Gregorius, mysticis tamen rimandis, & moralibus explicandis, imprimis eum incumbere monent. Cæterum ita in novissima hac editione hujus operis se gesserunt: prolixiores Ezechielis textus, qui singulis homiliis, si priorem excipias, præmittuntur in excusis, non autem in manu exaratis, resecuerunt,

at

at singulos versus lineis distinctis excudi curarunt, ut successive explicandi a S. Doctore proponantur, ad manuscriptorum codicum similitudinem propius hoc pacto accedentes, in quibus aut majoribus characteribus, aut etiam minio vel alio exquisito colore depictis describuntur. Homilias, quæ hactenus velut uno ac continuato spiritu legendæ offerebantur, in varias sectiones, additis totidem numeris, partiti sunt. Argumenta, & quicquid observatione dignum ipsis visum est, in margine summatim adjecerunt. Aliis in notis infra & ad calcem adjectis, si quid obscurius occurrerit, quod explicatione indigeret, exponere curarunt. *Homiliæ in Evangelia*, aut minimum earum aliquæ, utut prius, quam Ezechielem Prophetam populo exponere Gregorius inciperet, habitæ fuerint, post istam tamen Ezechielis Expositionem heic comparent, ob ordin m, quo in Sacrarum Scripturarum serie libris Veteris Testamenti Evangelia, & quicquid alias ad Novum pertinet, postponantur. Quanto autem hæ in pretio Homiliæ nunquam non habitæ fuerint, vel hinc liquere docent, quod omnes, una forsitan excepta aut altera, Divinis Officiis præ cæteris Sanctorum Patrum Homiliis jam olim insertæ reperiantur, nec immerito, cum in iisdem, literali sensu prius breviter exposito, sententiarum ad mores spectantium copia profluat uberrima; quin & fidei dogmata confirmentur, & adversus subsecutos præmuniantur hæreticos. Hæc tomi primi facies.

Secundus tomus scripta Gregorii sistit, quæ aut *Apologeticis* accenseri merentur, *Librum* puta *Regulæ Pastoralis*; aut *Historicis*, nimirum *Dialogos*; aut *Dogmaticis & Canonicis*, *Registrum* videlicet *Epistolarum*, quibus universum pene Jus Canonicum continetur. *Pastoralem librum* scripsisse eum annotant Benedictini, in ipso veluti Pontificalis muneris tyrocinio, ut Johanni Ravennati Episcopo responderet, amice eum repre endenti, quod pastoralis curæ pondera fugere delitescendo voluerit; quos mores hodie rarissimos, olim frequentiores fuisse, simul observant, universis fere piis viris, ad officium pastorale postulatis, tantum onus, præ animi demissione summaque modestia, deprecantibus. Variis in hoc opere curando se editionibus usos addunt, præsertim Parisiensibus, una A. 1518 & altera 1571, Romana seu

Vaticana Sixti V jussu adornata, atque aliis aut pene coævis aut recentioribus, Parisiensi imprimis, quæ A. 1668 prodierit, opera Theologi Parisiensis, a quo collectas magna cura diversas lectiones ex antiquioribus manuscriptis cum suis convenire tantum non ubique animadverterint. *Dialogos* Gregorio, tanquam genuino autori, solicite vindicant, scriptosque eos autumant anno 593 aut 594 Romæ, in Monasterio forte S. Andreæ. Optimam opinionem de iisdem conceptam confirmare putant tot eorundem in alias linguas translationes, adeo ut & Arabica quædam in Bibliotheca Colbertina asservetur. Præterea in Bibliotheca Monasterii Lyrani in Diœcesi Ebroicensi, incidisse se narrant in codicem 500 annorum, eosdem Dialogos Gallicis rhythmis expressos continentem, prout & stricta oratione Latina descripti extent in Bibliotheca Gemeticensi. Sed ex his omnibus unicam tantum interpretationem Latino textui heic addunt, Græcam, a Zacharia Pontifice confectam, quam multo emendatiorem se exhibere profitentur, quam quidem a Gussanvillæo factum, qui ex Vaticanis editionibus omnes pene typographicos lapsus, etiam graviores, in suam transtulerit. *Epistolæ*, quæ tertium in hoc tomo locum occupant, ante omnia laudantur a sua, qua polleant, præstantia; hinc, quantum in curando earum ordine concinno, & ad leges temporum, quibus singulæ scriptæ fuerint, restricto effecerint, manifestum Nostri reddunt, qui & summarias earum inscriptiones accuratissimo studio se formasse, ac notis idoneis difficilia loca, quæ plurima sint, illustrasse testantur. Quæ de *Servi servorum* titulo a Gregorio M. usurpato notant, nec indocta sunt, nec inelegantia, modo acrem exceperis censuram latam in Centuriatores Magdeburgenses, quibus Benedictini succensent, quod *rejecto superstitioso Pontificis vocabulo* Gregorium se Servum nominasse scripserint. Notas Gussanvillæanas suis associarunt, licet de istis ita statuant: *se eas non reprobare quidem, sed nec pro ipsis spondere.* Ordinem epistolarum restitutum, post earundem finem, argumentis peculiaribus demonstrant. Insuper & Geographicam earum divisionem subnectunt, eamque duplicem. Prior illas continet, quas non ultra subditarum sibi, ut Metropolitano, regionum limites direxit Gregorius; posterior alias omnes, quæ tum

tum in Italiam, extra provincias Romano Episcopo Metropolitico jure subjectas, tum in reliquas Occidentis regiones, tum in Orientem missæ sunt. Tacemus ordinem harum Epistolarum antea vulgatum ad novum hunc reductum, & ordinem restitutum cum antea vulgato comparatum; catalogum item eorum, ad quos scripsit S. Gregorius, & qui ad eundem scripserunt. Sed *Excerpta* penitus silentio involvere non possumus, quæ sub titulos certos regesta ex Epistolis Gregorii coacervavit *Antonius Carafa*, Cardinalis, quæque integra heic apponuntur, prout id haud invitus tulit eorundem Collector Eminentissimus, pro ea caritate, quam rerum Ecclesiasticarum studiosis præstare quemlibet debere postulat.

Tertius tomus a *Libro Sacramentorum* orditur, quem cæteris Gregorii operibus annumerant Editores, non, quod primus ille ejusdem parens fuerit (quandoquidem is superioribus etiam Pontificibus, maximeque Gelasio primo, debeatur) sed quod summa cura meliorem in formam eundem S. Doctor redegerit. Soliciti autem de eligendo, quem sequerentur, codice aut edito aut manu exarato, S. Eligii codicem ab Hugone Menardo evulgatum, notisque ac observationibus illustratum, & ob antiquitatem, & ob integritatem, cæteris omnibus duxerunt præferendum. In eo autem denuo sistendo, hanc curam adhibuerunt, ut, quoniam notas columnis singulis subjicere, propter nimiam plerarumque prolixitatem, integrum non erat, eas seorsim excusas numeris distinxerint, & in libro Sacramentorum singula, quæ in illis notis illustrantur & ornantur, totidem numeris in margine adscriptis indicarint. Quoniam vero post Menardum multi de rebus Liturgicis egregie scripserint, & in his Johannes Bona Cardinalis, Josephus Maria Thomasius, Johannes Fronto S. Genovefæ Parisiensis Canonicus Regularis, Johannes Mabillonius qui Liturgiam veterem Gallicanam e tenebris eruerit, & Edmundus Martene, in tribus voluminibus de ritibus Ecclesiæ, hinc, quæcunque ex eorum lucubrationibus colligere licuerit a Menardo prætermissa, unde argumento proposito nonnihil lucis affulgere posset, in notulis ad columnarum calcem attextis observare se curasse perhibent. Menardianis notis eas adjiciunt, quas Angelus Roc-

Rocca Camers, Apostolici Sacrarii præfectus, in librum Sacramentorum editionis Vaticanæ scripsit. Sed & peculiare huic libro Sacramentorum auctarium dederunt, Collectam nempe & alias Orationes in terræ motibus dicendas, quas, cum anno 1703 Italia & Roma ipsa horridis terrarum motibus quateretur, elucubravit hodiernus Pontifex *Clemens XI*, cui novam Gregorianorum operum editionem inscripserunt Nostri, & redivivum in Clemente Gregorium in dedicatione adumbrarunt. His succedunt *Benedictiones Episcopales*, quæ in codice S. Eligii desiderantur. Sequitur Gregorianus *Antiphonarius*, quæ in Missis canenda sunt, exhibens. Ac tandem *Liber Responsalis seu Officialis*, in quo Cursus Ecclesiasticus tam pro nocturnis quam pro diurnis horis in ordinem digestus continetur, ex veteri codice Compendiensi descriptus, subjungitur. Ita omnia fere, quæ ad rem sacram pertinent, heic collecta reperiri tradunt, excepto duntaxat *Lectionario*, quem librum addere non ausi sunt, tum quia eum S. Gregorio nemo tribuat, sed potius Hieronymo, & Damaso Papæ; tum quia jam non semel excusus sit, nimirum a Jacobo Pamelio, & longe emendatior a Stephano Baluzio. Et hactenus recensita partem tomi tertii priorem conficiunt. In posteriori primo loco comparent *Expositiones in Librum I Regum*, circa quas nec iis assentiuntur, qui Gregorium pro vero indubitatoque earum parente habendum censeant, nec iis, qui ex operum Gregorianorum numero easdem penitus expungant; verum tertiam potius, & inter utramque fere mediam, sententiam eligunt, statuentes, Commentarium illum ex homiliis a S. Gregorio habitis de libro primo Regum, collectum & consarcinatum esse a Claudio, ejus discipulo, postea monasterii Classensis Abbate. Sane ex ipsis Gregorii verbis ac sententiis collectum eundem dicunt, ita tamen, ut quandoque, labente forte memoria, Claudius de suo quædam supplere coactus fuerit, unde evenerit, ut Gregorius hunc fœtum pene repudiarit. *Expositionem in Canticum Canticorum* se, Petrum Gussanvillæum secutos, Gregorio olim abjudicasse fatentur, nunc vero mutant sententiam, posteaquam in tot libros manu descriptos, tum Expositionis hujus, in quibus huc usque magna ex parte latitarat, tum genuinæ collectionis Paterianæ,

næ, inciderunt. Similiter & Expositionem in *septem Psalmos pœnitentiales* dignam judicant, quæ Gregorio M. potius vindicetur, quam Gregorio VII, cui eam tribuere Gussavillæus maluerit. *Concordiam quorundam testimoniorum Sacræ Scripturæ*, quam Johannes Gilotius, cum cæteris S. Gregorii operibus, tam genuinis quam spuriis, ediderit Parisiis A. 1571, non adeo confidenter Gregorio vindicant, quanquam haud ire velint inficias, stylum ac doctrinam hujus Autoris, quicunque fuerit, Gregorium omnino reddere.

Denique in *quarto* tomo triplex ante omnia Gregorii M. *Vita* repræsentatur; prima compendiose descripta, quæ *Paulo Diacono*, Casinensi Monacho debetur; secunda Gregorii præclare gesta fusiori stylo exprimens, cujus autor *Johannes Diaconus*, monasterii quoque Casinensis alumnus: tertiam Venerabilis *Bedæ*, quam ἀνέκδοτον reperiri in Bibliotheca Collegii Mertonensis scripserit Vir celeberrimus, Guilelmus Cave, non omissuri fuissent, nisi ex transmissis a Thoma Gale excerptis clare intellexissent, quod prius subodorabantur, hunc Bibliothecæ Mertonensis codicem nihil aliud, quam Pauli lucubrationem exhibere. Aliam proinde tertio loco vitam S. Gregorii heic exhibent, quam propria industria, ex ipsius præsertim operibus eruerunt atque adornarunt, & jam anno superioris seculi nonagesimo octavo Gallice publicarunt, nunc vero eandem Latine versam denuo heic exhibent, at breviorem, nec servato semper Gallicæ editionis ordine. Hæc libris quatuor absolvitur, in quorum *primo*, historiam Gregorii ab ortu ejus ad summum usque Pontificatum complexo, patrem ejus *Gordianum* nominant, Senatorii ordinis Virum nobilissimum & ditissimum, unum ex septem Diaconis Cardinalibus, qui dicti fuerint Regionarii, quod certis urbis Romæ regionibus præficerentur; matrem *Silviam*, quæ mundo valedicens (utrum viro demortuo, an adhuc superstite, incertum,) juxta portam basilicam S. Pauli Apostoli secessum sibi delegerit. Majores inter ejus Felicem Papam referunt, & amitas nuncupant Sanctas Tharsillam & Æmilianam. Nativitatis annum, conjecturis potius, quam rationum momentis ducti, statuunt 540. Qualia ejus studia, aut quinam Præceptores fuerint, penitus ignorari fatentur. Astrologiam ta-

men divinantem, aliasque curiosas & periculosas artes, eum nunquam sectatum esse probant. Quod autem Johannes Sarisburiensis perhibeat, eum non solum Mathesin ab aula recedere jussisse, sed etiam Bibliothecæ Palatinæ, in cujus archivis recondebantur omnium disciplinarum libri, zelo intempestivo ignem admovisse, ut major esset Sacræ Scripturæ autoritas, & in ea legenda flagrantius studium, id plane inter nugas & aniles fabulas rejiciunt. Hinc quomodo Prætor urbis factus sit, & Monachum post induerit A. 575, cum quadragenario quinque annis esset minor, enarrant, Baroniumque refutant, quod monastici illius instituti autorem constituat S. Equitium, cum potius S. Benedictus nominandus veniat, idque multis rationibus evictum dare laborant. Diaconatus officio functus dicitur sub Pelagio II summo Pontifice, qui eum Constantinopolin migrare jusserit, ut in urbe, totius Imperii sede, negotiis Ecclesiasticis curam & solicitudinem impenderet; ubi inter alia laudabiliter gesta novam oppresserit Eutychianam hæresin, librosque Moralium elucubrarit, filium etiam Imperatoris Mauritii e lavacro sacro susceperit. Romam reversus Abbatis in monasterio suo officium gessit, Pelagiusque eum sibi adjutorem adhibuit in scribendis epistolis. Ipso autem peste sublato, in ejus locum summus Pontifex est declaratus A. 590. Utut autem, ob præsentissima Ecclesiæ mala, Pontificatu se abdicare plus vice simplici in animo votisque habuerit, adjutorem tamen expertus Deum, ab initio libri *secundi*, quatuor priores Pontificatus ejus annos perlustrantis, schismaticos Italiam turbantes coërcuisse, Longobardos ad fidem Catholicam perduxisse, Gothos Ecclesiæ reconciliasse, Anglos Christianis præceptis imbuisse & sacro lavacro tinxisse, Donatistas in Africa tumultuantes repressisse, Agnoëtas aliosque in Oriente hæreticos debellasse, & plura ac maxima intra paucorum annorum spatium præstitisse perhibetur, ut jure omnium gentium consensu *Magni* cognomen sit consecutus. Inter virtutes ejus primarias humilitas summa, caritasque & animi constantia valde celebrantur. Episcoporum quoque rigidus, sed sui maxime, vocatur censor. Post varia ejus negotia in primis Pontificatus sui annis gesta, mox sub initium libri *tertii* ejus acta adversus Patriarchas Constantinopolitanos, *Oecume-*

cumenici titulum ſibi arrogantes, commemorantur. Hinc de miſſo abs eodem in Angliam *Auguſtino*, qui baptizaverit decem Anglorum millia, prolixe diſſeritur, ſententiaque de Gregorio S. Benedicti legibus adſtricto denuo defenditur. Fabulam de *anima Trajani S. Gregorii precibus ex inferno liberata*, Noſtri multis argumentis explodunt, & poſt enarratas ejus curas pro Eccleſia quamplurimas in libro *quarto*, quicquid ſupereſt hiſtoriæ vitæque S. Gregorii, exhibent, ac præter alia, in ſententia de uſu & cultu ſacrarum imaginum, ab Eccleſiæ doctrina nunc recepta eum quoquo modo abiiſſe, inficiari conantur. Tandem laboribus non minus, quam continuis morbis abſumtum, obiiſſe referunt IV Idus Martii, A. C. 604. His ita fuſe ſatis deductis, in altera tomi hujus parte, *Expoſitionem* repetunt *Veteris & Novi Teſtamenti* a *S. Paterio*, Gregorii M. diſcipulo, hoc ipſo autore ac hortatore cœptam & abſolutam. E tribus, quibus iſthæc conſtet partibus, unicam duntaxat publicam hactenus aſpexiſſe lucem tradunt, nimirum priorem in Vetus Teſtamentum, poſteriore in idem Teſtamentum Vetus, & tertia Novi Teſtamenti Expoſitionem continente, in Bibliothecarum huc usque pulvere latitantibus & ſordentibus. Etenim quæ ſub Paterii nomine impreſſa extet Novi Teſtamenti expoſitio, hanc ipſius haud eſſe probant, *Alulfo* potius eandem vindicantes. Se interim Paterii & ſecundam & tertiam partem genuinam in idoneo MSto reperiſſe, & nunc primitus in apricum protrahere teſtantur, & utraque hac parte abſoluta, & iſtam Alulfi, quam diximus, Expoſitionem Novi Teſtamenti integram ſubnectunt.

GEORGII FRIEDERICI FRANCI DE FRANKENAU Med. D. & P. P. Anaſtomoſis retecta.

Hafniæ, typis Reg. Maj. & Univerſit. Typogr. 1705. in 4to.

Conſtat 11. plag.

ANaſtomoſeos vocabulum Antiquitati ſatis quidem cognitum, ac primis Artis Reſtauratoribus nominetenus non inviſum, quoad rem tamen atque modum, per omnia forte non adeo pla-

num ac perſpectum fuit. Illis enim temporibus ſumebatur tantum in ſenſu pathologico, pro oſculi venæ vel etiam arteriæ laxatione & apertione, per quam ſanguis effundebatur, & inter fluxus ſanguinei reponebatur differentias. Alii intelligi ſimul poſſe hanc putabant vocem non tantum de ſanguinis, ſed & lymphæ, chyli, alteriusve humoris per hiantia vaſorum oſcula effluxu. Naturali tamen magis atque commodiori ſignificatione nominant Recentiores Anaſtomoſin mutuam certamque venarum & arteriarum connexionem, per oſcula ſeu parvos meatus, vel rectius inoſculationem. Tacemus enim illam vocis acceptionem, qua vaſa ſimilia inter ſe communicantur, ut videre eſt inter hepatis vaſa, venas uteri, hujusve arterias, vaſa arterioſa ab umbilico verſus chorion tendentia, ramos venarum mammariarum, arterias cordis, venasve coronarias, vaſa cordis in embryone, venas jugulares, arterias carotides, arterias medullæ ſpinalis, venæ meſaraicæ ramos, renum vel ſtomachi vaſa, inter venam ſuralem & iſchiam majorem, tubulos lacteos mammarum, nervos brachiales, ductus epaticos aquoſos & venas lacteas, ductus adipoſos &c. Veram igitur Anaſtomoſin vaſorum retecturus Clariſſimus Autor, Medicos non ſolum allegat, qui eandem negant, verum etiam eorum adducit authoritatem, qui pro ea militant. Palmarium Autoris noſtri argumentum & experimentum, pro ſtabilienda Anaſtomoſi arterias inter & venas, in eo conſiſtit, quod in canis aut cuniculi arteriæ magnæ truncum lac, aquam, vel alium tenuem liquorem colore quodam tinctum immittat per ſiphonem; unde omnia viſcera totumque genus arterioſum eodem implentur, atque cito, abſque intumeſcentia partium, quam quidam ſupponunt, per venas redeat, ex dextro cordis thalamo pulmones ſubeat, & ex his per cordis ſiniſtram cavitatem & arteriam magnam tranſeat. Hocque phænomenon, quoad vaſorum horum communicationem, in peculiaribus corporis partibus, ut in capite, pulmonibus, aſpera arteria, hepate, renibus, teſticulis, & utero frequenter apparet. Ad hæc provocat ad legem generationis & primam formationem, cum arteriæ & venæ ex parte regenerentur, & modus indicetur, quo ſanguis ex arteria repens reſecta poſſit ad latera protrudere particulas quaſdam ramoſas, & ad motum mi-

minus aptas, quæ ſibi invicem implicitæ forment ibidem rudimentum alicujus tunicæ, quæ arteriolæ nomen mereatur; & ſanguis in curſu offendens aliquod impedimentum, non poſſit reflecti, ſed particulis ramoſis ad latera iterum projectis rudimentum ibidem producat alicujus venæ. Cui pariter ſententiæ non parum roboris accedere confidit ex phænomeno, quod morbos, inediamve perpeſſis, aut magnis corporis exercitiis defatigatis, obvenire ſolet, ſiquidem tunc pinguedo ſeu adipis materia in cavitatibus pulpæ ſuæ membranoſæ aſſervata viciſſim reſorbetur, ac maſſæ ſanguineæ denuo commiſcetur, haud ſecus, ac quotidie videmus, humorem ſeroſum aut hydropicorum aquam carnoſarum partium poros in anaſarca vel aſcite præter modum opplentem, aut ſponte aut poſt data hydragoga a venis reſorberi, ſicque modo per alvum, modo per vias eliminari urinarias. In additamenti denique locum ſubdit e vegetabilium claſſe exemplum, actum nimirum illum, quem inoculationem vocant; ubi ſurculi inſerti & late creſcunt, & utiliter propagantur, facta prius ſtipitis certa apertione, deinde ſcuti, ut appellant, inſertione, atque debita demum ligatura. Sed ad adverſarios revertitur Noſter, eorumque argumenta ponderat, quæ inter illud, quod ab ἀυτοψία petitur, nullum habere pondus exiſtimat, cum negativa non procedat argumentatio: Ego non vidi, ergo non datur; quin ad propriam & Leeuwenhoekii provocat ἀυτοψίαν, ubi mediantibus microſcopiis, anaſtomoſes ejusmodi in tenerioris anguillæ caudæ pinna clare viderint. Ad *Marci Aurelii Severini* argumentum, debere nempe uniones tales vaſorum patere poſt mortem, & ſectionis cultri Anatomici opera inveſtigari, reſpondet, non confundendos eſſe ſtatus ſecundum & præter naturam. In cadaveribus enim rimæ aut oſcula obliterantur facile a materia viſcida & tenaci, ut viſum effugiant, & omnia flaccida ſupra ſe invicem recumbunt, fibrillæque a ſe invicem nonnihil diſtantes nunc accedunt propius, & oſcula claudunt. Quæ conditio in vaſorum finibus obſervatur, uti in reliquis diverſa temperie præditis ſubjectis, ita & in ſanguineis & phlegmaticis, carnes habentibus turgidas, poroſas, laxumque habitum, in quibus ſumme conſpicuas debere tales eſſe continuitates exiſtimaverat *Georgius Erneſtus Stahl*; cum quo tamen in eo con-

consentit Autor Clarissimus, quod ex decremento eximio & arctatione musculosarum partium mille nascantur incommoda, obstructiones, stases & corruptiones in illis locis. Contra *Joannem Alphonsum Borellum*, qui intermediam spongiosam su stantiam carnium, viscerum, &c. sensim debilitari, amitti, atque languere in extremorum angustiis vim impulsivam, motumque sanguinis, nec semper venularum orificia, quarum consistentia mollis & lubrica est, non dura & ossea, permanere dilatata & aperta; sanguinem vero a capillaribus venis exugi, & attrahi existimat, disputans, negat omne interstitium vel intermediam mollem aut fibrosam partium substantiam; concedit vero sanguinem in remotis a suo principio canalibus multum a celeritate motus quidem remittere, nullo autem modo sedari; & in statu naturali vigere totum viscerum, ac juvare fibrarum motricium in musculis actionem adstruit; suctionem autem & attractionem venarum capillarium, utpote diu explosam, recoqui ab eodem miratur. Nec metuit ruptionem nimiamque venarum dilatationem a sanguinis motu violento in arteriis liberoque in venas influxu; siquidem motus sanguinis in extremis remittit, & vasorum rotunditati debitum ad resistendum robur inest. Quod autem *Regnerus de Graaff, Johannes Bohnius* & *Petrus Dionis* regerant, nullum sanguinem testiculorum parenchyma, venularum extremitates, aliasve vias difficiles ingressurum, si vasa unirentur, sed qua data porta ruere, quotiescunque patentiorem & commodiorem invenit; considerandum esse putat Autor Noster, quod vasa ordinarie humore suo turgeant, motoque uno principio moveatur statim & alterum ob contiguitatem, pateantque summa æque oscula indifferenter deorsum propulso sanguini certo respectu in testibus, visceribus, & glandulis ac artuum extremis, aliisve corporis partibus. Quæ vero in contrarium producuntur experimenta, tanquam a violenta manu producta rejicit. Sed maximus adhuc, isque durissimus superest nodus solvendus, fundatus partim in nutritione & accretione, partim secretione humorum, cum quibus vasorum continuitas & immediatus per ea fluxus sanguinis, secundum *Borellum*, *Bohnium*, *Ortlobium*, *Stahlium* aliosque stare nequit. Nutritionis equidem negotium & augmentum partium hoc modo sibi

ſibi concipit Noſter. Scilicet globuli ſanguinis, quamdiu in vaſis feruntur amplioribus, majorem diametrum, capacitatem atque expandendi vim obtinent, quæ ſenſim minuitur & decreſcit in vaſis minoribus, ita ut ex uno tres, quinque vel ſex tandem fiant circa extremitates, certisque rationibus conſtent plurimum ex aeris bullis rarefactis, ſeroſas ſimul nutritias chyloſasque arripientibus particulas, cordis impulſu & jugi reſpiratione huc vectas, parietibusque, quamdiu molliores & cedere adhuc ſunt aptæ arteriarum tunicæ, id quod laudabile eſt nutriendis & augendis partibus aſſimilent: quamdiu vero accreſcente ætate factæ rigidiores debitumque nactæ incrementum expanſioni particularum ſanguinis reſiſtunt, motumque per eas unice & ſic cum calore conſervant vitam. Quoad ſecretionem vero exiſtimat, per ipſa immediate hiantia anaſtomoſis lege in arterias & venas ſeque mutuo reſpicientia tunicarum oſcula, diverſimode conſtructa ac figurata, omnes depurationes & ſecretiones fluidorum contingere, & ubi tales fiunt, membranas ſeu tunicas, quamvis ſubtiliſſimas, ſimul adeſſe, omnesque eadem muniri glandulas ac muſculos. Magna enim inter membranas vaſorum datur differentia, dum alia eſt retiformis & vaſculoſa, qualis eſt vaſorum extima; alia glanduloſa, alteri ſuccedens, quæ, quando ad glandulas pervenit, easque includit, ſubjectæ in plerisque membranæ adeo firmiter adhæret, ut ſæpe non ſine dilaceratione ab ea ſeparari poſſit; alia muſcularis; alia tenuiſſima & fere tantum membranacea, aut nervea; hæcque, Autore judice, illa videtur eſſe, quæ immediate tegit, ac unit utriusque generis vaſa ſanguivеha, & reliquis ſolum a ſero venientibus ſanguinis particulis, præterquam rubris, tranſitum ob certam pororum conſtitutionem, more diapedeſis concedit. Quibus poſitis ſponte patet, uſum Anaſtomoſis eſſe, ut ſanguinis motus reciprocus ejusque circuitus expeditior per totum fieri poſſit corpus, & ut totum corpus alatur, in ſtatu ſuo conſervetur, & ut variæ in diverſis organis procedant fluidorum ſeparationes atque ſequeſtrationes ab univerſali illo fluido microcroſmico purpureo.

VAL. ERN. LOESCHERI D. DE CAUSIS Linguæ Ebrææ Libri III.

Lipsiæ, apud Hæredes Grossianos, 1706. 4.
Constant 2. Alphab. plag. 20. & 2. Tab. fig. æn.

DUdum est, quod Auctor Celeberrimus libri præsentis de Ebrææ linguæ visceribus & genio accuratius meditari cœpit, qua de re edito etiam probuleumate quodam Orbem eruditum ante duos hos annos monuit. Fructus igitur meditationum suarum nunc eo lubentius cum literaria Republica communicat, quo magis se & divini honoris publicique commodi studio, & pollicitationibus variis eo adstringi nôrat. Credit ille, maximam hominum partem, vel falsos, vel mancos saltem ac perobscuros, circa Ebræam linguam conceptus habere, quando vel ad modulum Europæarum linguarum eandem metiuntur, vel ultra Rabbinos sapere religioni sibi ducunt, vel Philologorum quorundam auctoritate decepti, eandem ambiguam, jejunam, strigosam & plane tanto nomine indignam esse sentiunt. Has ille causas affert, cur in excolendo Ebraismo, longe minores progressus & nostra & majorum nostrorum ætas fecerit, quam in Græco Latinoque idiomate, cur anomaliis plena sint omnia, & in sacra etiam exegesi defectus isti sentiantur. Cui rei ut eat obviam, novam dignioremque Ebræi sermonis ideam suppeditat, perpensis ejusdem causis, unde & inscriptio libri ad causas istas respicit. Monet igitur, ut de Ebræa lingua nihil concipiamus, quod indignum sit lingua ex penetralibus Orientis petita, eaque antiquissima, peculiari Numinis ductu conservata gubernataque, ad sanctissimos fines Divinitus adaptata, & emphasium vivacissimarum plenissima.

Hoc consilio usus, postquam in Præfatione ea super re multa monuisset, atque inter alia observasset, eos, qui utilibus libris scribendis augendæque rei literariæ incumbunt, septem præsertim scopos habere præfixos, ut vel *origines rerum* incompertas indagent, vel *data* certissima constituant, eorumque adeo numerum augeant, vel doctrinas hactenus rudi stylo delineatas ad *subtilitates*, quæ frugi sunt, elevent, vel *scrupulos* hactenus nondum

dum sublatos e medio tollant, vel *Ideas* rerum accuratiores constituant aptiusque disponant, vel voces, formulas *terminosque* quos vocant, omnium ætatum, gentium sectarumque, circa unam eandemque rem usurpatos colligant ac illustrent, vel *exotericam* saltem rerum *notitiam*, circa historiam, libros de iisdem scriptos, varias opiniones &c. augeant, (quod quidem postremo inter ista loco habendum,) vel plura horum aut, si fieri possit, omnia simul libro recens scripto promoveant; hæc, inquam, & alia quædam ubi observasset, *Libro I* externas, quas nominant, Ebraismi causas indagat, & primo loco, quæ ad efficientem redundant. Quare Cap. I de ortu hujus linguæ sigillatim agit, atque in eodem characteres divinos agnoscit; Cap. II de quæstione, quænam primæva lingua sit? generatim disserens, Cap. III hanc prærogativam argumentis partim novis, partim denuo expolitis, Ebraicæ linguæ vindicat, interque alia Punica Plauti nova ratione explicat, ac Stephani Morini inventum de Phœniciis, gente a Cananæis discreta & longe his meliori, refellit. Hinc Cap. IV de iis, quas vulgo hodie Chaldaicam & Syriacam appellamus, linguis e rerum fontibus anquirit, docetque, istam nihil esse aliud quam Judæorum in Chaldæa habitantium sermonem, hanc vero dialectum esse, post reditum Judæorum ex carceribus Babylonicis exortam, antiquam denique Chaldaicam ac Syriacam linguas, (quarum rudera colliguntur) dudum intercidisse. His expositis, Historiam Ebraismi aggreditur quatuor capitibus. Et Cap. quidem V eandem ad Christum usque natum producit, observans inter alia, potissimas vocum Ebræarum formas in nominibus Patriarcharum, qui ante cataclysmum vixerunt, superesse; Zabiorum plane non tam cascam, quam creditur, esse ætatem; passam esse Ebræam linguam a Mosis usque ætate aliquot commutationes, & suas quasi periodos habere; fabulis proxima esse, quæ de Synagoga Magna Canonis Biblici custode vulgo traduntur. Capite VII (nam sextum ob numerorum sphalma deest) Historia ista per Christi atque Apostolorum tempora protrahitur, notaturque præ ceteris, quam memorabile inter Judæos Hierosolymitanos, Babylonios & Hellenistas, qua linguam & studiorum genera, discrimen fuerit; quod Philo Ebraismi mire imperitus fuerit; quod

p. 31. 38. 49. 58. 62. sq. 69. 72. sq.

p. 78. Judæi circa fontium Ebræorum ſtudium, Chriſto in terris dege-
86. ſq. te, negligentiſſimi fuerint; quin & rudera linguæ Neo-Ebrææ, ſive Hieroſolymitanæ, qua Chriſtus uſus eſt, p. 75 colliguntur. Eadem Hiſtoria per Patrum ſecula ad nos usque producitur Cap. VIII, ac præſertim de manca eruditione Ebræa Hieronymi, tum de ortu dialecti Rabbinicæ, recenſitis Rabbinorum antiquiſſimis ſcriptis, ſcholis & conatibus, de negligentia Chriſtiani Orbis antiqui circa fontes, de collapſa inter Judæos Ebraismi peritia diſſeritur. Addit Cap. IX Hiſtoriam reſtitutionis Ebrææ linguæ, ubi præſertim Capnionis, Bombergii, & Münſteri labores exponuntur, ac præterea Germanos in reſtauranda eadem palmam omnibus præ-
121. ripuiſſe, oſtenditur. Inde Cap. X de Ebraismi, ut hodie tractatur, defectibus ſermo eſt, nempe de radicum defectu, vocum & phraſium amphibolia, anomalia inſigni, &c. tum de reſtaurandi conſiliis, quo loco Forſteri, Bohlii, Guſſetii & Neumanni conatus perveſtigantur. Suppeditat porro Auctor Cap. XI Grammaticarum Ebræarum Hiſtoriam, ac præſertim Eliæ Levitæ, Capnionis, Capitonis, Pagnini & Spinoſæ Grammaticas examinat, vitia nævos-
161. ſq. que libellorum Grammaticorum vulgarium recenſet, deque eorundem emendatione mentem ſuam declarat. Geminus labor eſt Cap. XII circa Hiſtoriam Lexicorum Ebræorum, ubi cumprimis de rariſſimo Jul. Conr. Ottonis Lexico diſquirit, nec minus
171. ſq. Lexicorum defectus, ac qua ratione corrigi illi poſſint, enarrat. Hoſtes Ebraismi ſubjungit Cap. XIII, Cappellum, Morinum, Spi-
182. ſq. noſam, Meibomium, &c. præ cæteris vero Meibomii emendationes Biblicas ſub incudem revocat. Hactenus de efficienti cauſa. *Fines* Ebraismi interpretatur Auctor Cap. XIV, nimirum myſteriorum exquiſitam declarationem & conſervationem, piorum animi mo-
188. tuum excitationem, atque id genus alia, monens, in voce יהוה myſterium Trinitatis & Incarnationis peculiari ratione adumbratum eſſe. Quo ſpectat & Cap. XV, veſtigia Divinæ ejusque ſingularis circa Ebraismum providentiæ exponens.

Qui *ſecundus* ordine *Liber* eſt, *materiam* linguæ accuratius perveſtigat. Nam Cap. I de veris Ebræorum literis cum omni adverſariorum genere Auctor decertat, eoque pacto ad Samaritanos dilabitur nummos, quorum copiam aliquam ex Kirchero, Hot-

Hottingero, Morino, Relando aliisque in Tabula sistit, ancipites p. 201.
literarum Samaritanarum formas ad aliquot classes reducit, nummosque ipsos interpretatur: porro varias Ebræorum literas ex manuscriptis, Rabano Mauro, Balmesio, & nummis colligit, easque 224.
in alia Tabula cum Samaritanis, Syris, Arabicis, Æthiopicis, Ægyptiis, Græcis, Latinis, Marcomannicis, Gothicis & Runicis contendit, atque ad oculum demonstrat, has omnes ex Ebræis, si ad pristinam simplicitatem reducantur, revera ortas, ac præsertim Samaritanas ex sola earum tachygraphia prodire. Antiquissimas 207. sq.
igitur Ebræorum literas paulo rudiores, quam nostras, facit, ita ut v. gr. Aleph sit linea ad perpendiculum posita, una aut duabus 225. sq.
notulis ad latera, discriminis ergo, aucta. Literarum quoque pro- 242. sq.
nuntiationem in aprico ponit. Dehinc Cap. II interiora literarum pandit, in earundem ordine mira quædam observat, valo- 250. sq.
remque illarum & emphasin ut detegat, omnem impendit operam. Hinc Cap III de vera punctorum origine disputat, omnem movens lapidem, ut eorundem antiquitatem in luce ponat; ubi Stephani præsertim Morini recentia contra eam argumenta dissol- 294.
vit, ejusque hypothesin de אהוויע Ebræorum vocalibus labe- 297.
facit. Interiora vero & reconditam vocalium indolem Cap. IV eruit, considerata genesi vocalium quarumvis, nominibus earum 304.
penes Ebræos & pronuntiatione, regulis quoque punctorum 309. 315.
ad paucos & genuinos fontes reductis. Accentus vindicantur Cap. 325. sq.
V contra contemtores, eorumque doctrina in ordinem succincte redigitur. Caput VI tractat de radicibus, & variis earum generibus, de vocibus Ebræis omnium maxime primigeniis & biliteris, quas Auctor *semina* vocat, de vocabulis ab uno semine oriundis, ex quorum copia *familiam* construit, & in justum or- 363. sq.
dinem disponit, eamque hypothesin argumentis quamplurimis fulcit, & seminum istorum rudera in aliis etiam linguis common- 370.
strat. Atque hujus generis plura, recondita equidem, Cap. VII, quod de interiori Verborum natura agit, produntur, quippe de Conjugationum & Temporum certa ac adæquata significatione, præsertim τῷ Hiphil & Futuri, κ. τ. λ. Nomina aliasque voces Caput VIII considerat, monetque, gradus dictionum apud Ebræos dari, unam altera in significando perfectiorem esse; ubi & omnes

vocum formæ, earumque peculiaris significandi ratio, adeoque omnis linguæ apparatus exhibetur. De particulis & præfixis agit Caput IX, quarum singulæ ex intimo linguæ recessu explanantur.
p. 428. Phrases Ebræas in ordinem redigit Caput X, idemque de Idiotismis & Dialectis tractat, quo loco de ritualibus verbis antiquitatis rudera feliciter exprimentibus, sermo est. De Syntaxi vero & Poësi nonnulla Cap. XI subnectuntur.

Superest *tertius Liber*, maxime quidem necessarius, qui de *forma* Ebraismi nos facit certiores. Atque adeo Cap. I exterior sive Masoretica linguæ, & cumprimis Bibliorum sacro-
443. rum forma traditur, ac sanioris Criticæ, quæ varias lectiones examinat, regulæ concinnantur. Hinc de analogia Ebraismi, verisque consiliis anomaliam removendi, differitur, quo loco non inutiles dantur observationes de discrimine significationis rudis,
450. perfectæ & prævalentis, quod ingentem dubiorum vim tollit. Emphasis explicatur Cap. III, eaque duplex, subministratis etiam, ad eandem detegendam, subsidiis: sanctitas & castitas ejusdem Cap. IV, quo loco & notatur, Ebrææ linguæ idiotismos ad virtu-
461. tes varias inclinare, ac quasi manu ducere, & loca Biblica, quæ
463. sq. obscœna credebantur, ab hac labe purgantur. Commonstrantur etiam rudera Physicæ & Antiquitatis in Ebræo sermone latentia Cap. V, v. gr. ex aromatum, animalium &c. nominibus, qualia
469. sunt balsamum, camelus. Tandem Cap. VI simplicitas, opulentia & elegantia linguæ probatur: præjudicia, quæ eandem lædunt, varia Cap. VII resecantur, explosis etiam quorundam recentiorum manipulis stramineis ex vulpeculis Simsonianis, & agmine recenti militum ex maxilla asini confectis. Claudit librum specimen Originum Ebræarum, vel Lexici perfectioris, quod Auctor pollicetur, constans familiis vocum, quas semina גר & חל gignunt,
487. ubi cumprimis de Gade veterum multa memoratu digna leguntur.

Ne propius hujus operæ specimen nobis desit, paucula hæc enotamus. De Vau conversivo, ut vulgo nominatur, memorat Auctor p. 433, illud rectius continuativum dici, si ita liceret loqui; revera enim actionem & retro & post tempus, cujus formam verbum, cui præfigitur, gerit, producere, adeoque hanc veram ejus signi-

ſignificationem eſſe, quod fiat aliquid, factum & futurum ſit; ad quod vero tempus inter transferendum potiſſimum reſpici debeat, id ex circumſtantiis eſſe colligendum. Inter dicta Biblica ab obſcœnitate vindicata, locus etiam Jobi cap. XL, 12. occurrit, ad quem Auctor obſervat, vocem פחד male vulgo de teſticulis explicari, totamque iſtam ſententiam ad Priapeja trahi; ex uſu vero Biblico & analogia conſtare, quod ea ipſa nihil aliud indicet, quam rem, quæ terrorem contineat & incutiat, exponendamque adeo eſſe de oculis, naribus aliisque partibus τȣ̃ Behemot, quibus diſtentis ac furentibus pavorem aliis incutit.

Cæterum, cum in hoc libro multa, ſi de externa ſpecie judices, paradoxorum loco videantur habenda, aut novitatis ſolum gratia inventa videri poſſint, voluit Auctor celeberrimus, vel noſtra hac voce, eruditam Rempublicam interpellari, ne tali ingenio ſcripſiſſe credatur. Veritatem ſibi ſupremam legem poſitam voluit, teſtatusque eſt, nihil ſe ſcripſiſſe ea de cauſa, ut novum quid & ſingulare dicatur inveniſſe, ſed in omni hoc negotio, quæ poſt ſedulam perquiſitionem vera videbantur, ſive nova fuerint, ſive vetera, literis conſignaſſe. Doctos vero omnium ordinum rogatos vult, ut ſuis illum monitis amice inſtruant, ſicubi aberraſſe a janua videatur, quippe nullis non ſalutaribus documentis locum daturus.

COMPENDIUM HISTORIÆ PHILOSOPHICÆ antiquæ ſive PHILOSOPHUMENA, quæ ſub ORIGENIS nomine circumferuntur, edita primum ex codice Bibliothecæ Mediceæ a JACOBO GRONOVIO, Viro Clariſſimo, in Theſauro Antiquitatum Græcarum Tomo X; jam vero recognita & notis uberioribus illuſtrata, paſſimque correcta a M. JOHANNE CHRISTOPHORO WOLFIO.

Hamburgi, apud Chriſtianum Liebezeit, 1706, in 8.
Conſtat plag. 17.

PRæſentis tractatus jam ſemel a nobis injecta eſt mentio, cum in decimo Antiquitatum Græcarum, quas indeſeſſæ Clariſſimi

 Gro-

Gronovii industriæ Orbis Literatus debet, recensendo versaremur. Ut repetita vice idem commemoremus scriptum, repetita efficit editio, quæ non sine ratione quamplurimis, interque eos Editori Clarissimo, visa est necessaria. Recte enim is judicavit, utilitatem ex eo non vulgarem ad plures redundaturam esse, quæ ad paucos perveniret, quamdiu in eo delitesceret Thesauro, cui comparando plerorumque huic studiorum generi operam navantium, facultates vix responderent. In hoc consilio confirmatum se sensit, cum perspiceret, copiam sibi factum iri, Latinam Clarissimi Gronovii versionem nonnullis in locis emendandi, Græcum item contextum ex probabili conjecturarum fide nunc restituendi, nunc adversus fallaces aliorum suspiciones vindicandi; cujus rei vestigia & exempla in præfatione adducta legere licebit. Sic ut unum inde repetamus, assertionique faciamus fidem, meminisse juvat loci, qui exstat cap. XXI p. 147, ubi Stoici dicuntur statuisse *ἀνάστασιν εἶναι καὶ πεπληρῶσθαι πάντα.* Hæc de resurrectione accepit Clarissimus Gronovius, mentemque suam Latina versione expressit, quam ab Auctore libri ejusque instituto maxime alienam esse in notis inde evincitur, quod in verbis proxime antecedentibus negata a Stoicis corporum penetratio commemoratur, quæ fidem faciat, sequentia verba de *resistentia* corporum omnino interpretanda esse, licet ista notio Græcæ voci a Scriptoribus, quod non diffitetur Editor, raro subjiciatur. Alia quoque causa adductus est Editor, ut novam præstantissimi monumenti editionem curaret. Vidit enim Viris quibusdam eruditis, qui ex Manuscripto Auctoris hujus testimonia nonnunquam in partes suas verterunt, nominatimque *Menagio*, a Clarissimo Gronovio in adspersis notis subinde injuriam factam esse, quam ut ab illis amoliretur, nulli pepercit industriæ. Cum igitur animo constitutum haberet, libellum novis curis recognitum antiquitatis studiosis exhibere, rationes suas ita instituit, ut Latinam Gronovii versionem retineret integram & illibatam, si quæ vero in ea desideraret, ea notis modeste excutienda reservaret. Græcum contextum, quem Clarissimus Gronovius una serie exprimi curaverat, certis distinctum capitibus exhibuit, ut vel sic Lectorum consuleret commoditati, usumque libelli faciliorem redderet. Ut autem Lector eo rectius de Gronovii versione

ne & ſententia judicium formare poſſit, notas Viri Clariſſimi integras in calce addidit, conſilio laudis pleno & ab eorum inſtitutis alieno, qui in reddendis aliorum ſcriptis, vel ſuperciliofo alieni laboris contemtu, vel ſupina negligentia adducti, notas aliorum, de ſuis tantum ſoliciti, omittunt. Præfationem Gronovii non adjecit, forte quod maximam ejus partem, ſaltem quæ ad inſtitutum faceret, inſertam præfationi ad examen revocarit. In illa enim fuſe inquirit in Auctorem libelli, cumque Clariſſimus Gronovius, variis rationum præſidiis innixus, fœtum hunc Origeniano ingenio, cui acceptus a multis iisque non ineptis harum rerum judicibus ferebatur, vindicare conatus eſſet, operæ pretium ſibi facturus viſus eſt, ſi oſtenderet, parum illis tribuendum eſſe, & in eorum potius acquieſcendum ſententia, qui dubium incertumque eſſe ſcriptorem, modeſte & animo ab omnis arrogantiæ ſuſpicione libero faterentur. De qua incertitudine ut eo luculentius Lectori conſtaret, varias eruditorum de ſcriptore libri ſententias recenſuit, quorum alii inter νοθευόντα Origenis ſcripta illud numerarunt, ut Leo Allatius de Scriptis Socratis p. 168, Huetius in Origenianis lib. III §. 11, Colomeſ. in Obſervat Sacr. p. 232, Spencerus de Legibus Ebræorum ritualibus p. 1029 edit. Anglic. Galeus in Notis ad Hermiam p. 213 edit. Oxon. Fr. Redi lib. de Inſectis, & Caveus in Hiſt. Liter. Part. II p. 31, quem in eo falli putat Editor, quod φιλοσοφούμενα hæc a libro contra ſectas & hæreſes, qui ſub Origenis nomine laudari ſolet, diſtinxerit. Addi his debet Menagius & Dupinius, quorum ille in loco notarum ad Diog. Laertium non uno, hic in Reſponſione Tomo VI Bibliothecæ novæ ſubjuncta, Origeni libellum adſcribere veretur. Sunt tamen alii, qui germanum Patris hujus monumentum habuiſſe cenſendi ſunt, cum ſub ejus nomine, nulla dubitationis nota adjecta, allegarint. Hi ſunt Holſteinius & Pearſonius, quorum teſtimoniis cauſam ſuam præmunivit Gronovius. His Editor adjungit Gyraldum in variis Operum ſuorum locis Compendii hujus Philoſophici teſtimoniis uſum, Lloydium item Gyraldi veſtigia ſecutum, Alex. Morum in notis ad quædam N. T. loca, & Mabillonium p. 186 Itineris Italici. Huetius de ſuppoſitione Origeni facta certus, Epiphanium habet auctorem, hoc adductus argumento, quod iſte Epiſcopi munere functus, deque hæreſibus

bus alibi commentatus fuerit, quo utroque charactere φιλοσοφυμένων Scriptorem præfatio libelli designet. Sed huic argumento nervus inciditur ab Editore §. 5 præfationis, ipsaque Huetii opinio vel inde falsitatis convincitur, quod Epiphanius, in variis Historiæ Philosophicæ capitibus, diversum a Philosophumenon conditore sentiat. Galeum præter rationem Aëtio librum adscripsisse, ostenditur §. 7. Nec aliter de Gronovii, Origeni scriptum vindicantis, opinione statuendum esse, §. 8 & sequentibus Editor disputat. Has autem sententiæ suæ rationes attulit Gronovius, quod codex manuscriptus Origenis nomen præ se ferat, quod idem optimæ omnino notæ sit, idque constare putat tum ex ejus raritate, aliorumque exemplorum defectu, tum ex accurata prorsus librarii in describendo probata diligentia: tertii argumenti vicem obit scribendi ratio, quam Origenianam prorsus esse, sibi persuadet: sed non minus ista loca ab Editore examinantur, nihilque Origeniani sapere existimantur, & quam ante laudatis rationum momentis parum subsit roboris, ostenditur. Istis ita disputatis, nihil de impedito hoc & difficultatum pleno negotio definit Editor, sed totum Lectori dijudicandum relinquit Quod jam ad ipsum librum attinet, Auctoris institutum fuit, duabus eum absolvere partibus, quarum altera potiora sectarum placita percenseret, altera in derivandis inde hæreticorum erroribus, qui Christi turbarunt Ecclesiam, versaretur. Prior, sed fortasse nec illa integra, quæ Editoris in præfatione conjectura est, exstat; posterior temporis injuriis cessit, nec ætatem tulit. Tractationis momenta ita distincta sunt, ut præmisso proœmio copioso & eleganti, cap. I de Thalete, II de Pythagora, III de Empedocle, IV de Heraclito, V de Anaximandro, VII de Anaximene, VIII de Anaxagora, IX de Archelao, XI de Parmenide, XII de Leucippo, XIII de Democrito, XIV de Xenophane, XV de Ecphanto, XVI de Hippone, XVIII de Socrate, XIX de Platone, XX de Aristotele, XXI de Stoicis, XXII de Epicuro, XXIII de Academicis, XXIV de Brachmanibus, XXV de Druidis & XXVI de Hesiodo exponerent. Notæ Editoris vel ad exponendam Auctoris sententiam, vel ad illustrandas Græciæ literas & antiquitates, vel ad edisserenda Philosophorum dogmata pertinent: ubi id præcipue agit Auctor, ut recentiores lau-

laudet Scriptores, qui unum aut alterum Historiæ Philosophicæ caput, vel integræ Sectæ placita, commentationibus suis in majore luce collocarunt. Ita de bona nonnunquam vocis αἵρεσις acceptione p. 2 exponit, ibidemque pervulgatam apud veteres Philosophiæ in Physicam, Ethicam & Logicam partitionem fuisse, ostendit: de Inventore Logicæ vid. p. 4; de Collectoribus conviciorum in Christianos conjectorum a Gentilibus p. 6; de origine hæresium ex Gentilismo p. 17 sq. de discrimine discipulorum Pythagoræ p. 29; de mysteriis numerorum Pythagoreis p. 30 sq; de Pythagoræ Tetracty p. 33; de Metempsychosi compluribus recepta Philosophis & gentibus p. 36 sq. Reliqua non minus lectu digna brevitatis studiosi omittimus.

BIGA EXERCITATIONUM HISTORICO-THEOlogicarum de Pœnitentia Primitiva, nec non Romanæ Ecclesiæ. Autore JOANNE JACOBO HOTTINGERO.

Tiguri, apud Bodmerum, 1706 in 4.
Constat Alphab. 1. plag. 20.

OMnem Pœnitentiæ Christianæ primitivæ rationem, & hodiernæ Pontificiæ faciem, accurato studio delineaturus Summe Reverendus Autor, Theologiæ apud Tigurinos Professor celeberrimus, in *prima* Exercitatione *Pœnitentiam Ecclesiæ primitivæ* quatuor per sectiones, modo ut *nascentem*, modo ut *adolescentem & confirmatam*, modo ut *senescentem & degenerantem*, modo denique ut *expirantem* considerat.

Nascentem ubi persequitur, aliam facit eam, quæ *ante Baptismum*, & aliam, quæ *post eundem* injuncta fuerit. *Illam* tum Christi præceptum, tum Johannis Baptistæ & Apostolorum exempla postulasse innuit. Circa *hanc* vero diutius occupatur, & tria imprimis delicta hoc repagulo a cœtibus suis Christianos arcere voluisse notat, adulterium, idololatriam, & homicidium. Hinc ritus ejusdem exponit, ac disciplinam sic satis severam fuisse non negat, utilem tamen eam & lapsorum emendationi, aliorumque eruditioni, & nominis Divini celebrationi proficuam, una pronunciat,

ciat, & quo sensu pœnitentes Deo & Ecclesiæ satisfecisse dicantur, declarat, ita tamen, ut in his ritibus minime pœnitentiæ salutaris in Evangelio requisitæ proram & puppim collocatam, neque Divinæ gratiæ spem ab eis suspensam fuisse, moneat. Porro hoc teneri cupit, quod pœnitentia pro ratione criminis major minorve imposita, & desæviente persecutione lapsi rigidius habiti fuerint, quam qui rebus tranquillis a fide discesserint. Ac tandem ad illam pœnitentiam neminem nisi semel admissum animadvertit. Uti vero hæc disciplina multis invisa & exosa fuerit, sic martyrum eam indulgentia admodum laxatam deprehendi notat, usque dum a Felicissimo plane sublata fuerit. Vicissim rigidiores æque lapsis pronuntiat Montanistas & Novatianos, quibus deinceps Donatistæ, Luciferiani, aliique pollicem presserint.

His pœnitentiariæ disciplinæ rudimentis pœnitentiam subnectit *adolescentem & confirmatam* ubi quatuor illius gradus enumerat, *πρόσκλαυσιν*, *fletum*; *ἀκρόασιν*, *auditionem*; *ὑπόπτωσιν*, *succumbentiam*; & *σύστασιν* *stationem*, quos quidem ante Concilium A. C. 314 Ancyræ in Galatia celebratum constitutos esse, Natali Alexandro id asserenti non refragatur, at ideo nondum liquere innuit, quo vel tempore, vel autore ista graduum series eorumque nomina originem traxerint. Singulos deinde gradus sigillatim describit, & cui quisque delicto fuerit impositus, enarrat, haud omnia peccata, & omnium minime occulta, pœnitentiæ publicæ subjecta reperiri observans. Ad pœnitentiam neminem admissum dicit, nisi a peccato suo decessisset, & sincerum ejus odium ac dolorem de eo ingenuum professus pacem petiisset. Clericis peccantibus haud secus atque Laicis pœnitentiam impositam affirmat, prioribus tribus a nato Christo seculis, ubi Monachos Monachasve publicæ pœnitentiæ, æquo jure cum Laicis, subjici consuetudo tulerit; qua occasione Papistarum comparationem Monachatus cum Pœnitentia explodit, sed & de ejus collatione cum Baptismo agit, monachalemque anabaptismum rejicit. Duo hæc pœnitentiæ serius adjuncta fuisse refert, primum matrimonii perpetuam separationem, & mortuo conjuge, ne quis alterum ineat matrimonium, severam prohibitionem, & alterum cessationem a militia seculari, non eo solum tempore, quo istam sectantes pœniten-

tentiam egerint, ſed perpetuo obſervandam. Pœnitentiæ antiſtites & arbitros conſtituit Epiſcopos, eorumque in peccatoribus obſervandis, & criminibus indagandis atque plectendis, vigilantiam & circumſpectionem laudat. Poſt ritus pœnitentiæ imponendæ conſideratos, abſolutionis quoque hiſtoriam recenſet, ac tum ſtatim in ſectione tertia ad pœnitentiam *ſeneſcentem & degenerantem* pergit.

Seculo nimirum ſeptimo & nonnullis ſequentibus, non paucas ſuperiorum temporum leges in deſuetudinem abiiſſe, & novas ſucceſſiſſe docet. Imprimis jejunia valde circumſcripta & contracta ex priori claſſe allegat, non obſtante, quod quadrageſima recentior duplex unicæ illi melioribus ſeculis obtinenti acceſſerit; in hac enim veri jejunii naturam & indolem deperditam ac ſepultam dicit, ſic, ut jejunium non amplius in *ἀσιτίᾳ* aut temperantiæ ſtudio, ſed in abſtinentia a certo ciborum genere conſtiterit, donec Encratica & Montaniſtica xerophagia imperium obtinuerit. Ex iis vero, quæ poſt ſeculum ſeptimum acceſſerint, duo præ cæteris prolixe excutit, flagellationem puta & peregrinationem. Sed nec cætera pœnitentiæ vitia tacet, impoſitæ puta cum alia commutationem, ejusdemque in vicariam perſonam translationem, & omnimodam ipſius redemtionem. Diſtinctionem pœnitentiæ in ſolennem, publicam & privatam, ſequioribus itidem temporibus adjudicat, & denique cum omnis diſciplinæ Eccleſiaſticæ ratio Canonibus tunc definita fuerit, de Canonum variis collectionibus & libris Pœnitentialibus nonnulla diſſerit.

Seculo XIII non niſi ſpeciem & umbram, aut, ſi malis, nomen & cadaver pœnitentiæ publicæ reſiduum fuiſſe aſſerit, & ut hoc aſſertum probet, in Sectione quarta primitivæ Eccleſiæ pœnitentiam *expirantem* proponit. Et Pontificem quidem Romanum veriſſimum nuncupat pœnitentiæ *veſpillonem*, quippe qui non ſimul, ſed variis gradibus; non poteſtate a Chriſto conceſſa, ſed ambitu; absque ſuffragiis; injuria temporum hominumque culpa, Prætoriam in foro pœnitentiario dignitatem invaſerit & obtinuerit. *Tumulum* autem pœnitentiæ vocat indulgentias, & latius proinde in has invehitur. Romanorum quoque, veterem diſciplinam obliterantium, præſidia & prætextus varios, utpote

Ecclesiæ autoritatem, quodque disciplina vetus nec ubique, nec in perpetuum, nec omnis præscripta sit, & quod Romanorum pœnitentia a vetere nonnisi sola lenitate differat, modis omnibus enervare studet. Quamvis vero primam illam disciplinam nævis plane caruisse haud affirmet, eam tamen igne verbi Divini a scoriis repurgatam & liberatam postliminio restitui exoptat.

In *altera* Dissertatione *pœnitentiam Ecclesiæ Romanæ* ponderandam sumit, ac ante omnia susius ostendit, quam male ex eadem Pontificii *Sacramentum* faciant. Inde jactatas illius partes, *contritionem*, *confessionem* & *satisfactionem*, examinat, & quot labes singulis adhærescant, ubertim declarat. De Absolutione insuper oppositam Papistarum & Evangelicorum sententiam allegat, & in priori reprehendit, quod absolutionem habeant pro actu judiciali, qui gratiam infundat ex opere operato; quæ cuncta idoneis & eruditis argumentis impugnantur.

Ausführliche Beantwortung des Pasquils &c.

i. e.

REFUTATIO PROLIXA LIBELLI FAMOSI, QUI nuper sub titulo Epistola familiaris Ducis alicujus Bellici Germani ad summi cujusdam Principis Consiliarium intimum de præsenti Moscoviæ statu *prodiit.*

Juxta exemplar Narvense, 1706, 4.
Constat pl. 15.

UTi obtrectatores, ita & defensores atque promachos suos strenuos habent Mosci, quos inter primæ haud dubie partes debentur Apologiæ hujus contra quendam Russici nominis hostem infensissimum conscriptæ Auctori, quippe qui natione Germanus in Moscovia aliquamdiu commoratus est, moresque & Gentis & Principis optime cognovit, tum factis plerisque, de quibus controvertitur, interfuit, atque animum & rationes omnes, quæ adversarium ad edendum libellum famosum impellere poterant, accurate perspexit. Haud raro enim contingere ait, ut qui apud alias

alias gentes fidem omnem decoxerint, in Moscovia sperent se promte p. 50.
magnifica omnia consecuturos, qua spe ubi exciderint, inepti quip- 60.
pe ad ea officia, quæ arrogantius ambierant, (id quod Moscis experi- 71.
entia edoctis obscurum esse non possit,) impune putent gentem adeo 74.
remotam scriptis famosis lacerari posse & proscindi. Equidem nos controversiam nostram non faciemus, neque adeo repetemus, quæ hic de servatis sancte pactis cum exteris, de legatis nunquam ulla contumelia affectis, verum omni honore & humanitatis officiis exceptis ac dimissis, de carcere Suecorum, quos Mosci bello 10.
ceperant, haudquaquam molesto, deque duriorum pœnarum apud 16.
Moscos necessitate, passim afferuntur. Aliqua tantum, quæ ad 96. sq.
summum Principem, spectant, decerpemus, ut vel sic pateat, quid de Vita ejus promittere sibi quondam lectores possint, cujus scribendæ provinciam publica auctoritate nonnemini demandatam esse, Noster testatur. Clementissimum pariter & justissi- 91.
mum esse Principem, istud indicio est, quod, cum vitam homi- 31.
cidæ indulsisset, & paulo post aliud patratum fuisset homicidium, in hæc verba eruperit: *Indulgentior clementia mea hunc hominem interfecit. Proinde diligentius posthac justitiæ litandum erit, & imperium ab innocenti sanguine purgandum. Quodsi tamen, bone Deus, & hoc facinus impunitum velis, quæso te, ut luculento quodam signo voluntatem mihi tuam aperias.* Igno- 33.
vit tamen & postea cuidam e ducibus Germanis, qui homicidii convictus jamjam ultimum supplicium passurus erat, eidemque, exilii etiam pœna remissa, gladium, his additis verbis, restituit: *Recipe hunc gladium, quo deinceps adversus hostes meos, nequaquam vero adversus subditos utaris.* Quo rectius suorum me- 60.
rita perspiciat & remuneretur, familiares congressus non aspernatur, & profectus cujusque, in re imprimis militari, data occasione, quasi per jocum explorat. Calumnias aliorum generoso con- 77.
temptu prosequitur, *famam Principis perversæ hominis privati voluntati non subjacere* testatus, *nec ira summi Principis dignos esse miseros calumniatores*; cumque Narva vi occupata, non- 88.
nullos ibi acerbius olim carminibus in se lusisse accepisset, hoc unum dixisse fertur: *fingunt Poëtæ, raroque vera scribunt.* Ve- 83.
stium fastum etsi, ubi locus postulat, non abhorret, ridet tamen

plerumque & negligit; unde cum luxuriosa aliquando veste indutus ex aulico præsente, *num major nunc meliorve aut potentior quam antea factus esset?* rogasset, eo negante, confestim vestem
p. 84. exuit, eamque cuidam ex adstantibus donavit. Ne vero & subditis raræ pietatis exemplum desit, ipse sæpius, inter sacerdotes medius, in publico templo homiliam S. Patris alicujus, aut capita non-
88. nulla Scripturæ Sacræ, alta voce populo prælegit. Sed ut animæ, ita & corporis sui curam habet, eoque demonstrationes Anatomicas a D. Bidloo in Theatro Anatomico institutas, quibus Mosci Imperatori charissimi interesse debent, frequentius spectat, publiceque aliquando hac occasione judicasse fertur, *suum quemque medicum esse, si corporis sui rationem habeat perspectam, & corporis adeo animique viribus recte uti sciat, quæque ad eas*
89. *conservandas faciant, adhibeat.* Quo magis porro milites sibi devinciat, militaria munia, æque ac Serenissimus Filius, magnæ spei Princeps ad quævis præclara natus, ab infimo gradu publice obire non gravatur, eoque nomine stipendia ex ærario publico sibi porrigi gaudet. Quo loco auream ejus sententiam afferre juvat: nam cum multis aliquando præsentibus, assignatum Capitaneo (hoc enim munere tum fungebatur) stipendium recepisset, sapienter dixit, *hujus demum summæ pro lubitu erogandæ jus sibi & libertatem integram esse, quippe sibi ex officii ratione debitæ; reliquas pecunias, quæ ex aliis ærariis ad se redeant, suas revera non esse, sed ita a Deo sibi concreditas, ut non nisi in publicam utilitatem converti possint.* Etenim hoc anno tertiam ab Archithalasso personam (est autem Archithalassus Comes de Golowyn, & Vicethalassus Creutz, Norwegus) in classe, quæ ad Mare Balthicum ex Petropoli vela fecit, sibi imponi passum fuisse accepimus, quam vulgo, quod noctu Archithalasso somnum capiente classi imperat, *Schout bey Nacht* seu Contrà-Admiralem
86. classiarii vocant. Illud quoque imprimis nobis memoratu dignum visum est, quod tentorium cujusdam forte ingressus, cum Politicam Aristotelis & Juvenalis Satyras in mensa repositas offendisset, hæc fere verba protulerit: *fideles & industrii si fuerint privati homines, optimam tenent Politicam; Principibus autem viris Politica parum profutura est, si & Divina ope & viribus recte de-*

deliberata peragendi destituantur: quod ad Satyras, illis gravissima in Moscovia pœna statuta est. Cum vero longius exinde de his libris sermo protraheretur, aliamque Satyrarum Juvenalis rationem esse aliquis, exemplo inprimis ex undecim postremis Satyræ X versibus:

Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.
Fortem posce animum &c.

petito probaret, adeo iis versiculis Heros noster delectatus est, ut & ipse aliquoties postea familiaribus suis sensum eorum explicaverit, & comparata ex illo tempore Belgica Juvenalis versione, argutiores sententias crebrius sibi prælegi jusserit. Denique hoc quoque p. 7.
ad laudes ejus spectat, quod omnibus in Imperio Romano-Ger- 95.
manico toleratis religionibus publicum exercitium (exceptis qui- 97.
dem Judæis) permittat, & ut exteros ad terras suæ ditionis alliciat, ad ædificanda nova templa pecunias omnibus & tigna liberali ma-
nu donet. Neque istud plane omittendum, quod adulatores 22.
ægre ferat. Quoties enim, ut aliunde etiam novimus, in libris vel inscriptionibus titulum *Magni* vel *Invictissimi* sibi tributum videt, erubescit, imo indignatur, *solum Deum*, inquiens, *invictissimum esse, præstareque magna facere, quam vocari magnum.* Subjiciuntur Apologiæ huic leges bellicæ, quarum hodie apud Moscos usus est, de quibus plura proferre, institutum nostrum non patitur.

Relation von dem gegenwärtigen Zustand des Moscowitischen Reichs.

i. e.

RELATIO DE PRÆSENTI STATU IMPERII Moscovitici.

Francofurti, apud Thomam Fritschium, 1706, 8.
Constat plag. 16.

BEne etiam meritus de Moscis est libelli hujus Auctor Anonymus (est vero Vir Clarissimus *Christianus Stieffius*, ad Eloquentiæ & Historiarum Professionem in Illustri Gymnasio Vratislaviensi obeundam

dam nuper vocatus) in quo recensendo minus inhærebimus iis, quæ vel generatim in historia Moscorum, quam universam exposuit, vel speciatim de moderno statu aulico, politico, ecclesiastico & militari, quem hodiernus Autocrator, post itinera per cultioris Europæ partes peracta in melius reformavit, denique de diligenti & exquisita Serenissimi gentis Moscoviticæ Principis, Zaris Filii, educatione accurate observavit. In religione Moscorum describenda prolixus non est, commendat tamen hic, quæ Joannes Faber, Episcopus Viennensis, de dogmatibus Moscorum ad Ferdinandum I A. 1525 Tubinga perscripsit, tum Jo. Sacrani Elucidarium errorum ritus Ruthenici 1500 editum & a Petro Scarga continuatum, ut & ea quæ Spiræ A. 1582, 4 de Russorum, Moscovitarum & Tartarorum religione, sacrificiis, nuptiarum ac funerum ritu prodiere, in quibus eminent, quæ Jo. Rohita, Minister Ecclesiasticus Fratrum Bohemorum, qui legationi a Sigismundo Augusto Rege Poloniæ A. 1570 in Moscoviam missæ interfuit, adnotavit. Qua occasione ignorare nolumus eruditos, Moscos quosdam cordatiores vehementer hodie optare, ut deprehendatur, qui solide & per compendium, Latina quidem lingua, quodnam sit inter Romano-Catholicorum & Russorum sive Græcam religionem verum discrimen, doceat, quod illi his persuadere multis modis conantur, Moscoviticam cum Pontificia in præcipuis convenire, a Protestantium vero sacris longissime distare. Verum ut ad libellum nostrum redeamus, ea tantum hic quoque attingemus, quæ ipsum Potentissimum Moscorum Monarcham concernunt, ab Auctore, fide dignis haud dubie documentis instructo, relata.
p. 74. Constantiæ illustre in Belgio exemplum præbuit; cum enim haud procul Harderovico subita tempestate jactaretur, ut ægre fluctibus eripi posset, intrepidus hoc unum dixisse fertur: *An unquam Imperatorem aqua submergi vidistis?* quæ non absimilia sunt illis, quæ Julius Cæsar dixisse memoratur: *Quid times? Cæsarem vehis, & fortunam ejus.* Sed en exemplum aliud. Cum Nar-
244. vam A. 1704 secunda obsidione cingere cœpisset, accidit ut navis quædam ad transportandum in urbem militem Suecum & necessaria alia parata, a cæteris navibus vi tempestatis avulsa, ad littus Russis proximum allideret, quam etsi hostes e navibus conti-
nuo

nuo in eam jacularentur, primus conscendere Cæsar ipse ardebat. Itaque forte equo insidens, saltu se una cum illo in altum præcipitat, & cum equus procellis ingentibus resistere non posset, mox eo misso in mare se projicit, navique adnatans eam magno suorum tripudio conscendit, manuque propria hostile signum tollit. In eadem obsidione egregio dignoque, quod ad posteros propagetur, stratagemate usi sunt Mosci. Nam aliquæ legiones, vestes captis Suecis detractas indutæ, quarum agmen ipse ducebat, velut opem obsessis laturæ, die 8 Junii ad urbem appropinquabant, quas, simulata hostilitate, Mosci aliqui insequebantur. Cum ergo Succi, quo tutius reciperent adventantes, eruptionem fecissent, circumsepti mox, & partim cæsi, partim capti, partim cum clade in urbem rejecti sunt. Hoc stratagema Poeta quidam, ad Sabinarum adludens raptum, ita celebravit: p. 246.

Non fuit imbelles res ardua fallere amicas,
Nostrum est armatos fundere mille viros.

Cæterum non dissimulat Auctor, reperiri in hac Relatione nonnulla antiquata, quæ mores obsoletos & cura moderni Russorum Imperatoris abrogatos concernunt, quæ in secunda, quam meditatur, editione, monitus emendabit. Sic enim legem vel morem Moscis supplicaturis esse asserit, ut literis ad Czarem datis, nomina in diminutivo subscribant (e. gr. Jacobus se Jacobulum, Johannes Jwanuska, Petrus Petruscam, Alexander Alexascam vocet) atque olim quidem id moris apud Moscos fuit, quo magis nominis ita imminuti humilitate Principem colerent, addito insuper *cholop*, quod vile mancipium (Sclave) denotat; enimvero id publico nunc edicto prohibitum. Damnatus etiam publica lege olim erat herbæ Nicotianæ usus, ne forte plebejorum incuria in urbe, quod in ligneis ædibus sæpius contigit, incendium excitetur; at hodienum tabaci usus promiscue non interdictus. 89. 138.

S. EUSEBII HIERONYMI, STRIDONENSIS Presbyteri, Operum Tomus Tertius, studio JOHANNIS MARTIANAY, Presbyteri Congregationis S. MAURI.

Parisiis, apud Claudium Rigaud, A. 1704, in fol.
Alph. 10, plag. 6.

IN meliorem, Benevole Lector, interpretaberis partem, si tardius forte, quam sperasti, novæ Operum S. Hieronymi editionis relatio sit continuata, præterlapso jamdum sexennio, ab anni videlicet 1699 mense Decembri, quo in Actis hisce pag. 529 Tomum secundum recensuimus: moræ enim hujus originem vindicant sibi partim adversa Clarissimi Editoris valetudo, partim litterarum commercio infensæ turbæ bellicæ. Hæ vero sicuti non omnes, quas erudita Gallia producit fruges, nostris hactenus denegarunt oris, ita illam superavit non solum Medici prudentis solertia, sed potissimum fidelissima *Nicostrati Bara* opera, quippe quem celeberrimus Martianæus, in emaculando suo Hieronymo, novum sibi selegit sodalem. Complectitur autem Tomus hicce tertius commentarios in Prophetas, quatuor Majores, uti distingui solent, & duodecim Minores, eadem cura emendatos ac fide, quam priorum recognitione Erudito Orbi demonstravit. Præmissa heic vides duo prolegomena. Priori Auctor probat, atque contra adversarios suos defendit, operæ a se susceptæ necessitatem, adductis in rei testimonium aliquot locis, quæ in codicibus Hieronymi, ab Erasmo & Mariano recognitis, corrupta reperit, atque integritati suæ pristinæ restituit. Has enim editiones compluribus laborare queritur mendis, sive Hebraicum spectes sermonem, sive Græcum, sive Latinum. Et Hebraica quidem, quæ in hac Prophetarum interpretatione occurrunt, unde adulterationem passa sint, causas dari duas, sibi habet persuasum. Quarum altera est litterarum Latinarum in Hebraicas immutatio. Hieronymum enim verba textus Hebraici, quæ in commentationibus hisce adhibuit, charactere exarasse Latino, uti testari putat, quotquot in terrarum orbe extent codices manuscripti: ea vero ab Erasmo & Mariano litteris exscripta esse Hebraicis. Altera est additio punctorum & vocalium, quibus codex Bibliorum Hieronymi fuerit destitutus, cum ducentis demum vel trecentis post ejus ætatem annis, a Massorethis textui sacro sint apposita. Hinc corruptas esse voces in Hieronymo Hebraicas, aliquot exemplis probare insti-

instituit, collata veterum cum sua editione. Sic in comma ultimum Cap. II Jesaiæ, asserere ait Hieronymum, in Hebræo *Bama* legi, probare etiam, legendum *Bama*, id est, *excelsum* vel *excelsus*, & non *Bamma*, quod denotat *in quo*, & nihilo tamen minus Erasmum ac Marianum Judaicam Hieronymo inseruisse lectionem במה *bamma*, & tali ratione Hieronymum repræsentasse absurdissimum. Liceat aliud documentum adferre ipsis Auctoris verbis, quo evincere existimat, nihil in antiquis vere Hieronymianum superesse editionibus. In Cap. 47, v. 2, ejusdem Prophetæ ita Hieronymus est commentatus, secundum editionem veterem: *In eo, ubi nos interpretati sumus, denuda turpitudinem tuam, pro quo LXX transtulerunt :* ἀποκάλυψε τὸ κάλυμμα, id est, *revela operimentum: Theodotio ipsum verbum Hebraicum posuit* שמלתך (*simlatech,*) *Aquila* צמתך (*Sammatech,*) *Symmachus* τὴν σιώπησίν σου, *quod nos exprimere possumus taciturnitatem tuam, quod taceri debeat præ verecundia: quod quidem & in Cantico Canticorum legimus, ubi sponsæ pulchritudo describitur, ad extremum infert : absque taciturnitate tua* &c. Sed Auctor noster in nova sua editione eandem pericopam ita immutatam exhibet: *in eo ubi nos interpretati sumus, denuda turpitudinem tuam, pro quo LXX transtulerant, revela operimentum, Theodotio ipsum verbum Hebraicum posuit SAMTECH; Aquila SEMMATECH; Symmachus* τὸ σιωπηλόν σου, *quod nos exprimere possumus taciturnitatem tuam, quod taceri debeat præ verecundia* &c. &c. Pluribus supersedemus pro demonstranda textus Hebraici in Hieronymo emendatione; Græcas autem litteras quomodo integritati restituerit, advertimus, quippe quod pariter locorum quorundam comparatione demonstrare satagit. E. gr. Quando in Jes. cap. XIX ex veteris editionis tenore lego: *pro junco, papyrum LXX transtulerunt, de quo charta fit: addentes de suo* ἄχυρον τὸ χλωρὸν, *quod in Hebræo non habetur;* secundum novam editionem ita legendum est: *pro junco, papyrum LXX transtulerunt, de quo charta fit, addentes de suo ACHI VIRIDE, quod in Hebræo non habetur.* Tandem Latina quoque in veteri editione occurrere testatur, quæ aliter legi debeant. Utpote quando in Cap. 3 Jesaiæ hæc invenit verba: *qui cum pan-*

nis & sordibus vitam a Rege Syriæ precabantur. (*Et pro crispanti crine calvitium*) *pro continuis longis & ascendentibus orationibus, quæ per crines significantur, habuerunt calvitium, mentem undique obstrusam, & ad tacendum ab orationibus firmatam.* (*Et pro fascia pectorali cilicium.*) in admirationem rapitur Noster, neque unde hæc omnia in textum Hieronymi irrepserint, potuit perspicere, cum in codicibus manuscriptis præter hæc nihil invenerit: *qui cum pannis & sordibus vitam a Rege Syriæ precabantur. Et pro fascia pectorali cilicium.* Posteriori prolegomeno instituit horum Hieronymi in Prophetas commentariorum chronotaxin. Et Jesaiam quidem collustrasse eum conjicit circa A. 410; Jeremiam per intervalla, initio interpretationis non ante annum 416 facto, cum reliquos Prophetas omnes jamdum enarrasset. Ezechielis exegesi accessisse proxime ab explanatione Jesaiæ, cui & belli turbis, & amicorum calamitatibus, non parum impeditus, quadriennio sit immoratus. Danielem interpretatum esse intra annum 398 & 406 vel sequentem, id quod Noster ex eo colligit, quod hunc laborem a Paulino rogatus circa annum 398 susceperit, eidemque & Pammachio ac Marcellæ demum anno circiter 407 dedicaverit. Duodecim Minores autem Prophetas explanasse ordine plane præpostero, non a primo usque ad novissimum, eo quo leguntur ordine, sed uti potuit & rogatus est, ceu disertis ipsius verbis probatur; ex quibus simul ostenditur, quod hac opera anno 406 defunctus sit, quam jam ante annum 392 susceperat. Postquam ita prolegomenis contenta indicavimus, annotationes quoque textui Hieronymi subjectæ forent recensendæ, quæ vero cum lectiones potissimum concernant variantes, quarum specimen jam accepimus, suffecerit vel unam alteramque, quæ ipsi sacro codici lucem aliquam adferant, subjunxisse. In Cap. VII Jes. pag. 71, Hieronymum vocem *Alma* recte exponere de virgine abscondita & secreta, confirmat more isthoc antiquo, ab Hesiodo, Josepho & aliis commendato, quo puellæ ita educabantur, ut domi apud matres delitescerent, neque nisi necessitas & cultus publici ratio id flagitaret, in publicum prodirent. Ad Cap. XV p. 166 observat, *aquam Ægyptios appellare Mo*, unde Moses idem sit ac *ex aqua salvus.* Super Cap.

Cap. LII p. 374 disserit de animali תאו sive תוא, quod ipsi est *Oryx* aut *bos sylvestris*, ruminans ac ungulam dividens; unde ab Hieronymo Levit. cap. XI allegetur, non ac si nomen illius in eo occurrat, quippe cujus tantum Deut. XIV 6, & hic loci mentio fiat, sed quia ex immundis, quæ ibi referuntur, animalibus est. Ex Ezechielis Cap. XVI p. 782 demonstrat, distinctionem capitum in versiculos antiquam ab ea, quæ datur in editione vulgata, distare longissime, cum in hac capitulum præsens dividatur in 63 versiculos, Hieronymus autem heic ducentos numeret. In ejusdem oraculi, Cap. XLI p. 1002, exponit Amianti lapidis in Cypro nati indolem, quod scissili similis sit alumini, & si telæ ex eo confectæ in ignem conjiciantur, nulla lædantur parte neque comburantur, sed nitidiores evadant. Cognosces vel ex hisce, B. L. qualis sit florum sparsio, qua hæc nova ornata est editio. Non eo minus tamen, de præstantia illius ac necessitate, tam acerba extitit inter viros ex utraque parte eruditissimos controversia, ut quæ in illa mandata sunt literis, vix sine famæ utriusque offensione referri, uti par est, queant. Scilicet queritur Clarissimus Martianæus Tomi hujus III p. 1165, Celeberrimum Joh. Clericum tam dura perstrinxisse castigatione in Pentateucho suo Mosaico Hieronymum, ut Operum ejus recognitionem perperam suscepisse sibi videretur, nisi hac dica eruditionem Hieronymianam liberaret. Proinde Vindicias inseruit Tomi II initio, sed ea affectas acerbitate, quæ Clerico, uti passim testatur, extorserunt Quæstiones illas Hieronymianas A. 1700 Amstelodami vulgatas, in Actis hisce anno 1701 p. 31 recensitas, in quibus partim suam de Hieronymo sententiam confirmat, partim ipsum Antagonistam suum aggreditur. Ad has respondet Noster, tum in Tract. sub tit. Traité Historique du Canon de Livres de la Sainte-Ecriture, Parisiis 1703 publicato, & quidem p. 402 & seq. tum in Tomo præsenti ad calcem oraculorum Danielis, & utrobique Hieronymi asserit doctrinam, suæque editionis necessitatem & præstantiam. Ne omni plane silentio prætereamus, quæ hac defensione eruditionis Hieronymianæ continentur, vel ex iis duntaxat, quæ ipsum Hieronymum attinent, unum alterumque argumentum excerpamus. Nimirum Græcas non exacte calluisse literas Hieronymum, collegerant

 Scali-

Scaliger & Clericus ex versione Latina Chronici Eusebiani, quippe quæ passim in vocum ac phrasium veram significationem impingere ipsis videtur: sed Noster loca malæ interpretationis, ab Hieronymi censoribus allata, ita exponere studet, ut divo Doctori suus constet honos, in illos autem recidat culpa imprudentiæ. Vel primum id efficiat exemplum. Celebrem Eusebii de Mose omnium Prophetarum primo locum Hieronymus interpretatus, vocem ἀμφὶ reddiderat *ante*, cum vulgo *de* significet. Quod cum Clericus reprehendisset, regerit Martianæus, id studio fecisse Hieronymum, ne Eusebius sibi ipsi adversari videretur, quandoquidem alibi Abrahamum, alibi Jacobum inter omnes primum de Christo vaticinatos esse asseruerat. Porro neque Hebraicæ linguæ adeo peritum fuisse Hieronymum, sed quandoque in orthographiæ regulas, nonnunquam in nominum constructionem impegisse, vel ex eo Clericus effici posse dixerat, quod literas א, ח & ע in nominibus אישטוב, חירם & עירא cum litera Jod diphthongos constituere, & quintam generationem Hebraice dici posse חמישה דור existimavit. Verum Noster demonstrare satagit, recte Hieronymum pronunciasse nomina hæc propria, vocato in veritatis testimonium codice manuscripto Alexandrino LXX Interpretum, in quo *Hisboseth* scribatur per diphtongum Ἐισβοσθαὶ *Eiebosthai* 2 Reg. II, 10, & solœcismum commisisse pertinaciter inficiatur, causatus, vocem חמישה esse masculinam.

JUSTI FONTANINI, FOROJULIENSIS, IN Romano Archi-Gymnasio Publici Eloquentiæ Professoris, Vindiciæ antiquorum Diplomatum adversus Bartholomæi Germonii Disceptationem de veteribus Regum Francorum Diplomatibus &c. Libri duo. Quibus accedit veterum actorum appendix.

Romæ, per Franciscum Gonzagam, 1705, in 4.
Constat 1 Alph. 16 plag. ch. major.

MAbillonii causam diplomaticam a Germonio, ut mense Junio memoravimus, validis ad speciem lacertis oppugnatam, uni-

universæ Reipublicæ literariæ communem judicavit, atque Illustrissimi Abbatis Dominici Passionei hortatu, suam quoque fecit Clarissimus Fontaninus, proindeque non inglorium duxit in hoc libro, quem singulari ejus benevolentia ad nos pervenisse grati profitemur, cum audaculo hoste arma conserere, ac cœnobitarum adeo doctissimi promachum agere. Sub auspicium ergo certaminis stomachum ipsi movet, quod Papebrochio in causa, quam is penitus jugulatam candide despondit, suppetias nunc demum parare præsumsit Germonius; magis autem miratur, cur incredulam ejus mentem nec concordantia summorum virorum suffragia, nec tot præstantes canæ vetustatis reliquiæ, quarum splendidissimum numerum init Noster, ad rectum tramitem inclinare potuerint. Archiva enim ac tabularia Ecclesiarum & Monasteriorum lapideis arcubus & fornicatis turriculis custodita semper fuisse, ex historia planum reddit; tantum abesse ut instrumenta chartis inscripta susque deque habuerint, prout Germonius persuadere voluit. Dehinc temeritatem antagonistæ ridet, qui nulla in phylira exarata authentica etiamnum superesse, refragante licet veritate asseruit. Aliam diplomatum, aliam librorum fortunam & custodiam olim fuisse, colligit. Licet autem illorum potior haberetur ratio, quoniam ad dominii aliorumque jurium probationem faciebant, hisce tamen emendandis viros dignitate conspicuos operam posuisse, e Virgilio, Livio, Cæsare ac Terentio manuscriptis demonstrat. Cæterum gemina fere semper autographorum exemplaria veteres fieri curasse, Ripuarios etiam donationes suas scripto confirmare suevisse, non ficulneis argumentis evincit. Quid nomine *Notitiæ*, seculo maxime undecimo usitatæ veniat, accurate exponit. Tum Chlotharii & Ludovici Pii leges a Germonio perperam explicari, atque ecclesias nudo triginta annorum lapsu ab exhibendis possessionis suæ juribus nullatenus immunes haberi, multis corroborat. Inde enim in historia passim narrari, quanta illæ sollicitudine privilegiorum & concessionum suarum confirmationem a Principibus petierint, quantoque infortunio adscriptum, si chartæ alicubi pessundatæ ac perditæ fuissent. Aquilejensem urbem, licet toties eversam, diplomata tamen Imperialia, a Carolo Magno ad Carolum IV usque; longa serie adhuc profes-

C. 1.
C. 2.
C. 3.
C. 4.

C. 5. ferre posse. Pœnas deinde instrumentorum falsatoribus olim inflictas, atque rigorosa examina in discernendis chartis adulterinis antiquitus usitata recenset, nullamque spuriam e vetustis illis
C. 6. confictis superesse putat. Diplomatomastigi indignatur, quod *artem* quidem *secernendi antiqua diplomata vera a falsis* in fronte atque in singulis paginis libelli promiserit, in contextu vero *vetustiora diplomata vera vix posse, ut nunc res sunt, certo secerni a falsis* contenderit, omniaque sublestis adnumeraverit.
C. 7. Ast in sequentibus capitibus arietes ejus contra instrumentorum orthographiam & stilum admotos fortiter eludit, atque inter plura alia Francos Latinum idioma, in Gallia ante receptum, lingua sua conspurcasse & Romanorum insuper characteribus eliminatis, Merovingicum scribendi modum introduxisse, historiarum istius ævi, tum monetarum adhuc extantium, fide tuetur. Antea tamen in transitu quasi observat, Longobardos ad imitationem Francorum, qui Galliam Transalpinam in Neustrasiam & Austrasiam diviserunt, Galliam quoque Cisalpinam & Transpadanam bifariam separasse, Venetæ provinciæ Austriæ nomen, Insubriæ vero & Liguriæ Neustriæ appellationem tribuentes. Quod cum ignorarent historici Itali, caput Austriæ hujus Italicæ, Forum Julii, cui *Austria* nomen adhæsit, a Rosimunda quadam Austriaca ita nuncupatam commenti sunt. Eodem erroneo ausu Lazium etiam Austrasiam Francicam in Italiam protensam, atque ideo agrum Venetiis proximum Austriam a Paulo Diacono dictam pro-
C. 8. didisse. Quemadmodum vero duplicem literas pingendi rationem tenuerint veteres, quadratam alteram, alteram minutiorem, ita & Gallos, post Francorum adventum, duplici charactere usos fuisse, cum Mabillonio Noster conjicit. Diplomaticam porro scripturam a literaria atque usuali diversam faciem, atque Merovingicos characteres Romanis intermixtos habuisse, quin & Longobardicam Merovingicæ simillimam extitisse autumat. Cæteroqui chartam plenariæ securitatis Ravennatensem, non Longobardicis
C. 9. sed Gothicis literis constare credit. Stylum autem quod attinet, illum vel Ciceronis ac Quintiliani ætate, a turba forensi inquinari oportuisse; multo magis igitur gentium barbararum invasione orthographiam sordibus adspergi, & pronuntiationis sonique di-
ver-

versitate linguam ipsam Latinam in pejus ruere cœpisse statuit. Nec obesse, quod Cassiodorus, Priscianus, atque Isidorus recte scribendi regulas suo tempore tradiderint, cum sanæ dialecticæ repugnet, ut ideo quosvis notarios, referendarios & tabelliones Latini sermonis peritos statim æstimemus. Denique ipsam diplomatum barbariem eorundem sinceritatem testari perhibet, siquidem tabelliones plebejis idiotismis & pronunciandi modis in gratiam vulgi uti maluerint, Latinitate jam corrupta, & provincialibus gentis suæ vocabula Latino canone inflectere tentantibus. Contigisse tum temporis, ut quod reliquum adhuc esset eruditionis, Monachis in peculium quasi cederet, Clericique nomen ei imponeretur, qui literas calleret. De Anonymi Sandionysiani ætate ubi sermonem instituit Noster, eum Hilduino Abbate, qui sub Ludovico Pio floruit, paulo seniorem facit, simulque supinam ejus oscitantiam crebrasque hallucinationes propalat, ut Germonium frustra esse indigitet, qui dum Anonymum hunc multa diplomata Dagobertina, a Doubletio & Mabillonio demum vulgata, prætermisisse jactat, ideo nullum istorum in archivo Dionysiano illius ætate extitisse, nimis præcipitanter affirmat. Sic tota die accidere, ut viri graves magno sæpe numero moliantur opera, posteris tamen largam spicas legendi materiam relinquant. In altero libro, (ex priore enim hactenus dicta decerpsimus) ipsa diplomata Mabilloniana, quibus litem de natalibus scripsit Censor, sigillatim vindicat Eruditissimus Autor, quem per omnia insequi instituti nostri ratio haud patitur, adeoque nonnullos saltem ex uberrima messe colligemus fructus. Et quidem subscripturos olim in instrumentis aliena sæpe manu nomina sua adpingi curasse, nec dedecori sibi duxisse viros nobiles & principes, imo & episcopos interdum, scribendi imperitiam suam inibi fateri, pluribus exemplis illustrat, quæ eo minus suspecta videri debent, quod ipse Imperator Carolus M. eruditorum licet suo tempore facile primus, testante Eginhardo, literas effingere nesciverit. Chrodochildem Theodorici R. conjugem non subjectionis, sed benevolentiæ causa *Reginam nostram* vocari docet, quandoquidem illa consuetudo, ut uxores Regum eorundem Reginæ audierint, vel ad undecimum seculum duravit. In Episcoporum exauctoratione eorum vestes

C. 10. C. 11. L. II. C. 3. C. 6. C. 7.

C. 9. conscindi moris fuisse. Pipinum consulto utique a Zacharia Papa in Regem Francorum unctum, neque id grave Gallis videri debere, stabilire conatur.
C. 10. Clodoveum III Regem Chlotarii etiam nomen gessisse, contra Germonium defendit, eaque occasione alia binominium exempla notat, in Dadone Referendario, qui Audoënus; in Aribone Frisingensium Episcopo, qui Cyrinus; in Chilperico III R. qui Daniel; in Alcuino, qui Albinus; in Arnone Salisburgensium Episcopo, qui Aquila; in Bonifacio Moguntino, qui Winfridus; in Poppone Aquilejensium Patriarcha, qui Wolffgangus; in Margareta Carinthiæ Ducissa, quæ Elisabetha, appellati quoque veniant.
C. 11. Voces *regalis serenitas* nihil monstri portendere in instrumentis, sed Carolo M. multo antiquiores esse urget. Comitia veterum Francorum annua, in quibus de jure dicundo, legibus ferendis, gravaminibus & denariis populorum excipiendis, aliisque rebus publicis tractatum, primo Campum Martii, quoniam illo mense habita, ac deinde Maji campum, quia in hunc mensem rejecta, vocitata fuisse, solide adstruit. Qua de re sollicitus Reinesium & Rivinum erroris insimulat, quorum ille sub Morovingicis Regibus ad Calendas Maji conventus publicos indictos existimavit, cum tamen Pipinus demum hujus instituti in mense Majo servandi autor fuerit; hic vero ludicra illa atque impudica spectacula, Majumas voce Græco-latina appellata, Germanos & cumprimis Francicos Cæsares *Maicampum*, *Maikamp* vocavisse ac celebravisse, longe confidentius opinatus est.
C. 12. Tandem diplomata, propter notas chronologicas male inter se concordantes, non protinus tanquam spuria explodenda arbitratur, quum in plurimis, ad mensuram temporum barbari ævi pertinentibus, nobis minime compertæ sint veteres consuetudines & stili vulgares atque forenses, in annorum serie collocanda. Evidentius autem hoc apparere posse e recentioribus quibusdam exemplis, dum scilicet Concilium Tridentinum finitum dicatur d. 4. Decembr. A. 1563, bulla tamen Pii IV Pontificis ejusdem confirmatoria promulgata extet d. 26. Januarii A. 1563, unde sane difficultas summa oriretur, nisi constaret, in tabulis cancellariæ Apostolicæ annos non a Nativitate, sed ab Incarnatione Christi, nempe a Martio numerari; in actis vero Concilii communem stilum anno-

annorum vulgarium retentum fuisse. Similiter in memorata bulla Pii IV Alexander Cardinalis Farnesius, ut Episcopus Sabinensis subscribit, qui nihilominus in attestatione ejusdem Diaconus solum Cardinalis insignitur. Cum ergo idem Episcopus atque Diaconus una die esse nequeat, adeunda erunt Acta Consistorialia Curiæ Romanæ, quæ Cardinalem Farnesium aliquot menses post confirmationem Concilii in Episcopum Sabinensem electum, bullam etiam post aliquot menses subscriptam, diem interim adprobationis ibidem remansisse loquentur, adeoque dubium istud quam citissime evanescet. *Hinc ergo videat Germonius*, inquit Noster, *quam merito suis conjecturis tantum tribuat; ut eas adversus diplomatum autoritatem sufficere nullus dubitet; unde omnium fidem vacillare pro certo habet; atque artem diplomaticam a Mabillonio institutam funditus ruere.* Succedit jam appendix Acta vetera quinque nunc primum vulgata complectens, quorum mentio injecta in hisce Vindiciis, editio autem perquam accepta fiet palæophilis. Ex primo authentico, quod tabularium Ecclesiæ Forojuliensis suppeditavit, animadvertere libet, Morgengabam, seu donum illud matutinale sponsæ altera nuptiarum die a sponso offerri solitum, barbara phrasi nominari *pretium in mane.* Sed plures ejusmodi venerandæ antiquitatis exuvias Celeberrimo Viro suppetere novimus, quas ut aliquando in Literarii Orbis ornamentum depromat, omnibus ab eo votis efflagitamus.

I CESARI IN ARGENTO DA GIULIO CESARE fino a Trajano, raccolti nel Farnese Museo e pubblicati colle loro congrue Interpretazioni. Tomo secondo composto dal Padre PAOLO PEDRUSI della Compagnia de Gesu, e dedicato all' Altezza Serenissima di FRANCESCO I Duca di Parma, Piacenza, &c.

i. e.

CÆSARES ARGENTEI A JULIO CÆSARE AD Trajanum usque, collecti in Museo Farnesiano & evulgati cum conveniente iis interpretatione. Tomus II, auctore P. PAULO PEDRUSIO S. J. Dedicatus Serenissimo Parmæ & Placentiæ Duci FRANCISCO I.

Parmæ, in Typographia Ducali, 1701. fol.

Conſtant 5 Alph. 3 plag. & æneis tabulis, quibus numi inſculpti ſunt, 34.

PRimus hujus elegantiſſimi operis Tomus A. 1694 publici juris factus eſt, & ſuum inter Acta Eruditorum locum A. 1696 menſe Februario pag. 57 ſqq. invenit, ubi plura Lector Benevolus notatu digna deprehendet, quæ ad cognitionem Theſauri Numiſmatum Farneſiani, ex quo & ſecundus hic Tomus depromptus eſt, pertinent. Inter alia tum memoravimus, præclarum hoc opus, juxta Eruditiſſimi Auctoris primum inſtitutum, ſex complexurum Tomos, quorum primus aureos Cæſarum numos; ſecundus eorundem argenteos; tertius maximos eorum æreos, vulgo *Medaglioni*, & qui iis proximi magnitudine accedunt; quartus mediocres & minores æreos Cæſarum; quintus Conſulares ſeu Familiarum Romanarum; ſextus & poſtremus numos Regum exterorum, Syriæ puta, Ægypti, Macedoniæ, Siciliæ aliorumque Barbarorum, & Græcos inſuper ſeu veteris Aſiæ Græciæve populorum, inſularum, urbium recenſeat. Sed vero ſtatim in ſecundo Tomo mutandæ ſententiæ impoſita Auctori eſt neceſſitas, quod tanta ſe offerret argenteorum numorum copia, ut contineri unius Tomi intra terminos non poſſent, ſed in duos eſſent diſtribuendi. Ubi id ſtatim innuimus, nulla in ſecundo hoc Tomo reperiri numiſmata cum Græca inſcriptione argentea, ſed ea omnia ab Auctore ex inſtituto ad finem tertii rejecta. Neque dubitamus, in reliquis etiam, inprimis æreis Cæſareanis minoribus, eum apparatum Auctoris fœcundæ eruditioni objectum iri, ut ſæpius, non ſine approbatione tamen Eruditi Orbis, contra limites præſcriptos ſit peccaturus, opusque in plures, quam putaverat, tomos excreturum. Dolemus vero non immerito, non potuiſſe citius Benevolo Lectori indicari a nobis, opus ipſum ab Auctore ſtrenue continuari. Neſcimus enim, quod fatum ſecundus hic Tomus fuerit expertus, qui mature ſatis a Pedruſio per Virum Illuſtrem, Antonium Magliabechium, benigne transmiſſus, tam ſero ad nos pervenit; poſt quem tertium etiam atque quartum jam prodiiſſe, ex eodem celeberrimo Magliabechio accepimus, quibus ut maturius potiamur, quantum

per

TAB. IX. ad A. 1706. M. Sept. pag. 429.

Fig. I.



Fig. II.



Fig. III.



Fig. IV.




Fig. V.



Fig. VI.



per bellicos in Italia hoc tempore motus fieri poterit, curabimus. Nunc vero, ut ex secundo Tomo vel nunc demum, speciminis loco, quædam decerpamus, instituti nostri ratio requirit.

Ultimus numus in TAB. I, qui octavus est numero (nobis in Tabula IX primus) in adversa pagina laureatum & velatum Cæsaris caput exhibet, eamque ob causam inter rariores referri meretur. Inscriptio est DICT PERPETVO CÆSAR, *Dictator perpetuo Cæsar.* Aversa pagina Venerem sistit, quæ sinistra hastam, dextra Victoriolam alatam flexis genubus & fasciolam manibus protendentem gestat: unde Venerem victricem esse cognoscitur. Nam fascia victoriæ erat signum, quemadmodum & Corinnæ, puellæ Poëticis studiis clarissimæ, data capiti fascia traditur, quod Pindarum Thebis melico carmine superasset. Adscriptum legitur unicum verbum MACER, quod *Publium Sepullium Macrum* designat, cujus & alium numum in eadem Tabula jam supra no. 2 exhibuerat Auctor. In TAB. II conspicuus est numus quartus, nobis secundus. Antica vulticulum (ut loquitur Cicero ad Att. L. 14 Ep. 2) Bruti illius exhibet, qui magni Julii Monarchiæ Romanæ primi statoris parricidio inclaruit. Circa occiput legitur L. PIAET CEST, circa sinciput BRVT IMP. Postica præmium facinoris atque instrumenta, pileum scilicet, libertatis Romanæ signum, inter duos pugiones, quibus parta ea videbatur, medium ostendit; subjecta sunt verba EIDMAR, h. e. *Idibus Martiis*, quo ipso die Julius quinquagesimo sexto ætatis anno interemtus est, ut nihil utique ad conservandam exsecrandi facinoris memoriam desiderari in numo hoc possit. In eadem TAB. n. 6 argenteus Sexti Pompeji numus exstat, cujus & aureum e primo hujus operis tomo antea deprompsimus. Numi hujus (vide Fig. III) primam faciem caput Pompeji occupat, cujus ad latera urceolus & lituus, signa Pontificatum & Auguratum ejus denotantia; adscriptæ sunt literæ: MAG PIVS IMP. quas Noster legit *Magnus Pius Imperator iterum*, & probe simul observat, non ipsum hic Pompejum Magnum, verum ejus secundo genitum Sextum repræsentari. Altera numi facies aliquot figuris nudis exornata est. In his quæ media est, dextro pede proram navis calcans, & manu dextra navale ornamentum, quod acrostolium, alii acroterium vocant, tenens, haud dubie indicat, præfecturam

TAB. IX. Fig. I.

Fig. II.

Fig. III.

 clas-

classis & oræ maritimæ Pompejo fuisse a Senatu commissam, unde & addita verba: PRÆF. CLAS. ET ORÆ MAIT. EX SC, *Præfe-ctus classis & oræ maritimæ ex Senatus Consulto.* Apparent hic illic juvenes duo parentes decrepitos humeris portantes, qui pieta-tem ejusdem & misericordiam designant. Accidit enim Catanæ in Sicilia, quæ sub Præfectura Pompeji erat, ut coorto in vicinia Ætnæ montis incendio, Amphinomus & Anapus parentes humeris susceptos per medios ignes asportarent. Singularis plane numus quar-

Fig. IV. tus est, quem in TAB. III, n. 3 depictum cernimus. Utraque ejus facies Antonii caput ostendit, ut vix appareat, quænam antica, quæ postica dici debeat, nisi forte ex ipso titulo aliquid hariolari veli-mus. Nam cum vulgo in Antonii numis hæc deprehendantur: *M. Antonius Imp.* antica erit, ubi M. ANTONIVS, postica vero, ubi IMP. legitur. Caput posticæ nudum omni ornamento desti-tuitur; ad occiput lituus cernitur, quod Augur esset Antonius, co-que in quibusdam numis legimus *M. Antonius Imp. Aug.* Anticæ ve-ro caput radialem coronam, divinitatis symbolum, ostendit, qua nullum Imperatorum ante Neronem usum fuisse, hactenus creditum est, quem Gallienus imitatus videtur, ideo a Trebellio Pollione superbiæ accusatus. Etsi enim aliqui Imperatorum post mortem atque apotheosin coronam hanc in numis, quales *restitutos* vocant, impetraverint, ut sunt Augusti Imp. numi cum hac corona & in-scriptione *Divus Augustus*, a Tiberio cusi, primus tamen Antonius hanc coronam vivus sibi sumsit. Eam enim superbiam ipsi inspi-raverat Asiæ populorum abjecta submissio; quippe cum Reges un-dique ad eum concurrerent, & Reginæ donis ornatuque certantes sese ac formam suam Antonio offerrent, Cæsare interea Romæ bel-lis occupato, corruptus exemplo animus in consuetum morbum re-cidit voluptatum, ut ex Plutarcho Pedrusius noster notat. Hinc filium filiamque, quorum ex eodem Cleopatræ partu pater factus erat, Solem & Lunam appellari voluit, etsi verum illi Alexandri, huic Cleopatræ nomen esset. Quin & Ephesiis Bacchum se salu-tari permisit, quem eundem cum Sole Deum gentilibus fuisse, Ma-crobius L. I Saturn. testatur. Cæterum obiter notamus hoc loco, Græciæ populos, Græce nugari solitos, faciliores in concedenda radiali corona fuisse, quam Latinos aut Romanos. Siquidem Smir-

næorum

næorum nummum exhibet Triſtanus T. I p. 139, in quo junior ille Cajus Cæſar, non tantum laurea ob victoriam, verum & corona radiata, tanquam Sol oriens, cinctus conſpicitur. Eundem numum æque ac alterum Claudii Imp. Græca inſcriptione & corona radiata inſignem, exhibet doctiſſimus Morellius in numiſmatibus undecim Imperatorum, quæ mortuo licet auctore, in lucem mox proditura ſperamus. Quintus numus, in TAB. VIII, n. 10 obvius, laureatum Auguſti caput repræſentat, inſcriptione in poſticam rejecta, in qua clypeus votivus inter lauros ſuſpenſus literisque S. P. Q. R. circumdatus, addito ſupra CÆSAR, infra vero AVGVSTVS, cernitur. Eſt itaque hic *clypeus votivus*, literis CL. V indicatus, quales ob felices eventus S. P. Q. R. Diis dedicare in templis conſueverat, qui cum rotundi ſint, differunt a ſcuto, quod oblongum & majoris formæ eſt, unde & clypeum corium bovis veteres appellarunt. Lauri vero ideo hic exhiberi videntur, quoniam Auguſto, cum orationem de ejurando Regno, ac dividendis provinciis habuiſſet, inter alios honores decretum a Senatu ſcribit Dio L. 53, ut ante ejus palatium lauri ponerentur. Denique ſextus, qui in TAB. IX octavus eſt, magnitudine ſua commendabilis eſt, quippe inter maximi moduli numos (*Medaglioni*) ponendus videtur. Prima area Auguſti caput ſpectandum offert, cum lemmate IMP. CÆSAR, altera ſex ſpicarum faſciculum oſtendit, additum AVGVSTVS. Nimirum teſtatur numus de providentia Auguſti, qua effecit, ne urbs annona deſtitueretur, quo pertinent, quæ Suetonius in Aug. cap. 18, 40, 41, 42 & 76 annotavit. Non minus notatu digna ſunt alia numiſmata. Sic in TAB. XIV, n. 11. Claudii & Agrippinæ Auguſtæ capita jugata exhibentur, cum inſcriptione CLAVD. CAES. AVG. AGRIP. AVGVSTA, in averſa Diana multimammea, cum epigraphe DIANA EPHESIA: in TAB. XV, n. 3 Neronis & Germanici capita jugata, additis NERO. CLAVD. DIVI F. CAES. AVG. GERM. IMP. TR. P. COS, in poſtica currus triumphalis quatuor elephantibus actus, cui inſident Nero & mater Agrippina, quod patet ex verbis CLAVD. NERONIS. CAES. MATE: in TAB. XVII, n. 8 Vitellii caput laureatum, cujus inſcriptio AVLVS VITELLIVS GERMANICVS IMPERATOR AVG. TRIB. PO. in poſtica duo capita oppoſita, & lemma: LIBERI IMP. GERMAN.

Fig. V.

Fig. VI.

Sed

Sed filum abrumpimus, cum vel ex his, quæ adduximus, quantum laborem adhibuerit eruditiſſimus Pedruſius in explicandis nummis, conſtare lectori curioſo poſſit. Nos certe ſtyli elegantiam, enodationis facilitatem, profundamque eruditionem & lectionis copiam, ubique non ſine inſigni admiratione conſideravimus. Quamobrem ſine voto diſcedere non poſſumus; quin & ipſi clypeum votivum pro ſalute & vita Auctoris ſuſpendimus, quo deſideratisſimum hoc opus ad finem feliciter deducere valeat.

LIBRI NOVI.

Al de Godgeleerde en Natuurkundige Wercken, beſchreven door Mr. Johannes de Mey, in ſyn Leven Opper-Leer-Meeſter der Godgeleertheyt inde Hooge-School, oock Genees-Meeſter en Bedienaer des Goddelycken Woordts tot Middelburgh in Zeeland. Tot Leyden, by C. Boutſteyn &c. 1706. fol.

Reſolutien der Heeren Staten van Hollandt ende Weſt-Vriesland van Conſideratie, genomen zedert den Aenvangh der Bedieninge van den Heer Johan de Witt, beginnende met den 2 Aug. 1653, ende eyndigende mit den 19 Dec. 1668. Te Utrecht, by Willem van de Water, 1706. 4.

Le Droit de la Nature & des Gens. Traduit du Latin de feu Mr. Le Baron de Puſendorf, par Jean de Barbeyrac, avec des Notes du Traducteur. A Amſterd. chez Ger. Kuyper, 1706. in 4. maj.

Hiſtoire des Guerres Civiles des Eſpagnols dans les Indes entre les Piçarres & les Almagres. Traduite de l'Eſpagnol par J. Baudoin. A. Amſterd. chez Ger. Kuyper, 1706. 12.

Hiſtoire de la Conquéte des Isles Moluques, par les Eſpagnols, Portugais & Hollandois. Traduite de l'Espagnol d'Argenſola. A Amſterd. chez J. Desbordes, 1706. 12.

Le Jardinier Fleuriſte & Hiſtoriographe, ou la Culture Univerſelle des fleurs, arbres, &c. Par le Sieur Louis Liger. A Amſterd. chez Eſt. Roger, 1706.

Les Delices de L'Italie, par le Sir de Rogiſsard. En III Tomes. Enrichis de figures. A Leide chez Pierre vander Aa, 1706. 12.

Les Delices de L'Eſpagne & du Portugal, par Don Juan Alveres de Colmenar. En V Tomes. Enrichis de figures. Chez le Meſme, 1707. 12.

** ** **

N. IX.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Octobris Anno MDCCVI.

ANT. PAGI CRITICÆ HISTORICO-CHRONOLOgica in Annales Baronii Tomus III. Studio Franc. Pagi.

Coloniæ Allobrogum, ſumptibus Societatis, 1705.
Conſtat Alph. 10. plag. 6.

QUæ Tomo præſenti hiſtoria comprehenditur, tempora nobis ſiſtit barbarie, tyrannide & ſuperſtitione obſcurata; fugatis ex orbe Chriſtiano litteris; abolitis paſſim, in Germania præſertim & terris Septentrionalibus, Chriſti ſacris, S. Bonifacii, S. Anſcharii, aliorumque in propaganda fide ſociorum, cura quadantenus inſtauratis; dominante apud cæteros vana cultus divini perſuaſione. Omne ferme linguarum, & quæ ad humanitatem ducunt artium, exſpiraverat ſtudium; diſciplinæ tantis ſepultæ jacebant tenebris, ut ridiculis Marculfi opus eſſet formulis; ſcriptorum bonorum doctorumque ſummam heic videas raritatem, & præter Bedam, Johannem Damaſcenum, ac Photium, vix reperiuntur, quorum nomina orbi ſeſe commendent erudito. Doctrina pietatis in eam degeneraverat ſuperſtitionem, ut maxima Chriſtianorum perfectione in Monachatu poſita, Reges atque Principes, Theodoſius nempe A. 617, Anaſtaſius A. 714, Rachis Rex Longobardorum A. 750, Lotharius A. 855, aliique Monachum induerent. Præprimis pericopæ, quam Clariſſimus Auctor noſter ſibi conſtituit, hiſtoria Sanctis abundat in Eccleſia Pontificia celebribus, S. Bonifacio, S. Willehado, S. Lamberto, S. Hildelita & centum aliis, quorum vitam ſtudio perſequitur, eaque

 fide,

fide, ut fabulas non raro obelo notet, atque ex Baronio deleat, uti vel ex sola Suiberti historia, cujus ad annum 711 meminit, videre est. Cum vero neque horum temporum, miserrima licet non immerito dicantur, memoria utilitate omni destituatur, pauca quædam, more nostro, excerpemus ex emendatis nostris auctisque Baronii Annalibus. Initium itaque facit Noster continuandæ suæ historiæ ab A. C. 649, Pontificatus in Martinum collati memoria conspicuo, & progreditur ad A. C. 961, quo Otto M. imperium suum auspicatus est. Illo enim tempore, humanis erepto rebus Theodoreto successisse ait Martinum, auspiciis non adeo felicibus, quippe cui Imperator Constans, simulac in ejus consenserat electionem, injunxerit, ut Typum Monotheletis addictum in officio confirmaret. Mandato autem huic non obtemperasse Martinum, potius adversus Monotheletas Synodum Lateranensem coegisse, quin etiam ad S. Amandum Episcopum Trajectensem scripsisse, ut apostatas Presbyteros a functionibus suis removeret. Quapropter 653 anno ab Imperatore in exilium missus sit, atque in insulam Naxon deportatus, mox deductus Constantinopolin, inde Chersomam, ibidemque martyrio coronatus obierit anno 655. Rebus hisce a Martino gestis inseruit, & quidem anno 652, regimen Ecclesiæ Interpontificii tempore, quomodo ab Archidiacono, Archipresbytero & Primicerio Notariorum fuerit administratum, & tandem electus Eugenius, ipso consentiente Martino. Ad A. C. 653 investigat ætatem, qua cessaverit *disciplina arcani*, tandemque sequitur Clarissimum Tenzelium, quippe qui invictis, uti fatetur, contra Schelstratium argumentis effecerit, tam in Oriente, quam in Occidente, sub seculi VII finem, ad conspectum Sacramentorum paulatim catechumenos esse admissos. Circa A. C. 655 Sigebertum Bonum memorat, Saxonum Orientalium Regem, adhortatione Oswii Regis, fidem Christianam amplexum esse, & in regnum sibi subjectum restituisse; Clotharium II Galliæ Regem curasse, ut gentes sibi vicinæ Warasci & Bajoarii per S. Agilum, cujus vitam designat, converterentur. Ad A. C. 656 S. Maximum strenuum Monothelitarum adversarium, cujus opera a Combefisio edita sunt, prima vice anno

anno 655 cum Principibus in Secretario, hoc vero anno secunda in certamen descendisse cum Theodosio Episcopo Cæsareæ in Bithynia ac duobus Consulibus, mox Peberim in custodiam abductum, tandemque toleratis pro veritate variis calamitatibus, quarum etiam Anastasius Presbyter discipulus ipsius compos fuerit, mortuum esse in carcere A. 662. Ad eundem annum 656 retulit res a Sigiberto gestas & Clodoveo II Regibus Galliæ, quorum priori tribuit plerorumque, quæ in Gallia dantur, cœnobiorum ædificationem, posteriori plenarium in totam Franciam dominium. Ad A. C. 657 exponit festum Mediæ Pentecostes, a Græcis Μεσοπεντηκοστὴ appellatum, quod nempe prioribus Ecclesiæ seculis celebratum sit Dominica IV post Pascha, quam Græci Dominicam IV Paralitici vocant, per integrum octiduum, in honorem Paschatis & Pentecostes, quasi hæc duo festa per Μεσοπεντηκοστὴν vellent conjungere. A. C. 663 allegat Synodum Augustodunensem, etiam propterea notabilem, quod in quodam ejus canone Athanasius Symboli Nicæni auctor dicatur, quod antea a Scriptore nullo factum existimat. Ad A. C. 665 disserit de morte, virtutibus & scriptis S. Eligii, qui ex aurifabro Episcopus factus Noviomensis ac Tornacensis. A. C. 669 Pontificatum obtinuisse Adeodatum monet, Baroniumque, uti & Papebrochium, arguit parachronismi, defunctum autem statuit annno 676, postquam privilegium a Chrotberto Turonensi Episcopo S. Martini monasterio concessum confirmaverat. Ad A. C. 672 pluribus exponit, quî Constantinopolis septem annis oppugnata a Saracenis, tandemque obsidione eorum dextre liberata, instituerit *festum Acathisti*, quo Ecclesia Græca sabbatho quintæ hebdomadis Quadragesimæ celebrat hymnum *Acathistum*, in laudem Deiparæ, ob Constantinopolin ejus ope a Dei hostibus liberatam, sub Heraclio, Constantino Pogonato, & Leone Isauro. A. C. 678 narrat, Frisios, permissu Regis Pagani Algisi, Christi sacris initiatos esse, ministerio S. Wilfridi Episcopi Eboracensis, cujus vitam, fata, exilium, itinera, de Episcopatu suo in Anglia contentiones, ab anno hoc ad annum 709, quo mortuus dicitur, prolixius persequitur. Ad A. C. 680 vindicat

adverſus Baronium ſinceritatem Actorum Sextæ Synodi generalis, quippe qui aſſeruerat, in Synodica Concilii Romani ſub Agathone legi: *credimus & in Spiritum S. Dominum & vivificantem, ex Patre Filioque procedentem*, verba autem, *Filioque*, ab impoſtore quodam poſtea eraſa eſſe. Ad A. C. 682 ex Mabillonio refellit Sigonium, qui in Hiſtoria de Italiæ regno ſcribat, ante Leonem II ſoli Oſtienſi Epiſcopo aliquando fuiſſe conceſſum, ut aliis ſecluſis R. Pontificem conſecraret, cum a tribus ſemper peracta ſit ordinatio. A. C. 684 inſeruit morem Europæorum tondendi pueros, quod filios aliquamdiu reliquerint intonſos, deduxerint autem poſtea ad Epiſcopum aut alium quendam Clericum, ut ab eo cincinni demeterentur, qui hinc ſpiritualis Patris nomen obtinuerit. Ad A. C. 686 ex Papæ Cononis creatione, explicat ritus in conſecratione Pontificum ante ſeculum XI obſervatos, & ordinationem ab inthroniſatione diſtinctam obſervat. A. C. 711 nece Juſtiniani Imperatoris inſigni, Tarikum refert ab Arabibus in Hiſpaniam miſſum ſæpius cum Enecone Regis Roderici ſobrino dimicaſſe, Hiſpanoſque tandem penitus proſtraſſe atque diſſipaſſe, qua pugna ipſe etiam Rex perierit. Quæ victoriæ Saracenorum de Hiſpanis epocha cum memoratu digna ſit, Marianæ & Joſephi de Moreto Pampelonenſi, celeberrimorum rerum Hiſpanicarum ſcriptorum calculum, quo eam ad annum 714 referunt, examini ſubjicit atque refellit. A. C. 712 ſæviente in orthodoxos Philippico Imperatore, quoſdam Eccleſiæ Epiſcopos inveniſſe narrat *Oeconomiam*, hoc eſt, ejuſmodi fidei formulam, controverſias cum Monotheletis concernentem, quæ ſenſu quidem gauderet Catholico, ſupprimeret autem voces *geminæ in Chriſto voluntatis*, ut ſi hac ratione duo inter extrema teneretur medium, majus Eccleſiæ malum evitaretur. Quod inſtitutum laudat in Johanne Patriarcha Conſtantinopolitano, S. Germano, & Andrea Cretenſi, eorumque *Oeconomiam* exemplo Baſilii M. defendit. Ad A. C. 719 deſignat miſerum Eccleſiæ Gallicanæ & Germanicæ ſtatum, idque ex Hincmaro Rhemenſi, qui diſcordiis Principum inteſtinis omnem ferme religionem Chriſtianam abolitam pene eſſe, aſſerit. A. C. 726 Leonem Iſaurum bellum indixiſſe imaginibus,

bus, acriter autem ob crimen hoc a Gregorio II objurgatum duabus epistolis, male Gregorio III adscriptis: defecisse etiam Italiam injuria in imagines concitatam, non vero culpa Pontificis; quod penitus inficiatur. Ad A. C. 728 differit de libro Pontificum Diurno, ejusque auctorem Gregorii II ætate floruisse existimat. A. C. 731 Bedam mortuum dixerat Baronius; ast Noster mortem ejus ad annum 735 refert, præterea admittere haut vult, centenario majorem obiisse, negatque auctorem esse Collectanei, quod in Epistolas Pauli sub ejus nomine vulgatum est. A. C. 743 Constantinum Copronymum continuasse imaginum persecutionem, Constantinopolitanos rebelles sedasse, & Artabasdum, quem Imperatorem creaverant, cum duobus filiis excœcasse. De eodem refert p. 210, quod non solum Copronymus cognominetur, ob elisum in aquam baptismi ventris onus, sed & Cabalinus, præsertim a Johanne Damasceno, eo quod odore & tactu stercoris equini delectaretur. A. C. 755 martyrium subiisse S. Bonifacium memorat, celebrem Germanorum Apostolum, postquam Hassos, Thuringos, Bavarosque Evangelii luce collustraverat, Episcopatus passim complures instituerat & monasteria, Concilia celebraverat, Suessionense, Germanicum II, & alia, cujus gesta annis superioribus occasione quacunque diligenter inspersit. A. C. 742 natum esse Carolum M. non in Germania, uti vulgo creditur, sed in Gallia, quod & reliqua ad vitam ejus & facta plane Heroica pluribus persequitur. A. C. 784 obiisse Fulradum Archicapellanum, cum Pipini tum Caroli; qua ansa de Archicapellani dignitate differit, & munus ejus in iis versatum docet, quæ pertinent ad officia ecclesiastica & spiritualia cætera in Palatio curanda: quamobrem etiam ubique locum super Episcopos & Archiepiscopos obtinuerit. A. C. 785 Saxoniam, quæ tot hactenus annis bello flagraverat, pacem recuperasse, postquam a Carolo redacta esset in provinciam, & Witichindus baptizatus, quem ipse Imperator ex baptismo susceperit. Ad A. C. 794 de Elipando agit, & Synodo contra illum habita, sententiamque ejus de Christo, quod Dei filius sit secundum humanam naturam adoptivus, refert inter hæreses, ad quam etiam Felicem reduxerit.

A. C. 822 Carolum M. cum Saxonum Trans-Albianorum conversioni incumberet, epistolas scripsisse ad Archi-Episcopos cyclicas, quibus illos de ritibus baptismi consuleret. Ad quos prodierint Theodulphi liber *de Ordine Baptismi* & Amalarii *de S. Baptismate*, quorum posteriorem falso hactenus Alcuino suppositum dicit. A.C. 814 Carolum M. ex vita hac migrasse, nomen autem Magnus post mortem ei tributum, testimonio, uti addit, satis manifesto, diplomata, in quibus Magnus appellatur, non ab illo esse profecta. A. C. 843 illigavit divisionem Imperii, Lotharium inter Imperatorem, & Ludovicum Germaniæ Regem, & Carolum Calvum Francorum Regem, ita institutam, ut regna occidentalia cederent Carolo, Ludovico Orientalia, omnis videlicet Germania usque ad Rheni fluvium, & Lothario regnum quod in hunc usque diem ejus nomine nuncupatur. A. C. 844 meminit Sergium II sedem Pontificis obtinuisse, quem vulgo omnes *Os porci* antea appellatum immutasse nomen sentiant, & consuetudinem Pontificum mutandi nomen inde derivent; sed Nostro utrumque est falsissimum. Ad A. C. 848 docet, quomodo Gotheschalcus Prædestinatianorum errores propagaverit, & a Rabano Mauro refutatus sit. A. C. 867 Photium refert a Synodo Romana damnatum, cujus turbas passim Commentariis suis inseruit, scripta autem ad ann. 886 retulit. A. C. 865 mortuum esse Anscharium Hamburgensium Archi-Episcopum, postquam Nordalbingensium conversionem perfecerat, in Dania & Suecia Evangelium propagaverat, & Basilicas splendidas Sleswicæ, Bremæ & alibi extruxerat. Ad A. C. 876 disserit de scriptis Anastasii Bibliothecarii. A. C. 879 Baronius dixerat, Johannem VIII, ad legationem Basilii Imperatoris, Photium suscepisse in communionem, ob quam animi timiditatem Papissa per contumeliam dicatur; sed Nostro hæc sententia penitus displicet, & pro fabula eam habet, quæ ante seculum XIII conficta non fuerit. Ad A. C. 897 reduxit furorem, quem Stephanus VI Papa exercuit in antecessoris sui ossa & cineres.

HISTO-

HISTOIRE DE L'ACADEMIE ROYALE DES Sciences. Année M DCCIV.

h. e.

HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM Anni 1704 cum Commentariis Mathematicis & Physicis ejusdem anni.

Parisiis apud Joh. Boudot, A. 1706 in 4.

Constat 2 Alph. 19 plag. cum multis figuris & 20 tabulis æneis.

AD Physicam generalem spectantia pauca in præsenti volumine traduntur: rerum vero Mathematicarum largissima est seges. Unus *Amontons* de Barometris nonnulla notavit, scitu summopere necessaria iis, quibus observationes Barometricæ accuratæ cordi sunt. Multis nimirum experientiis tum *Hombergii*, tum propriis, didicit, calore ipsum quoque Mercurium dilatari, adeoque gravitate aëris immutata, Mercurium ascendere vel descendere sola caloris vel frigoris actione, consequenter observationes non esse satis fidas, nisi accurate constiterit, quid in ascensu calori, in descensu frigori tribuendum veniat. Deprehendit autem in ipsorum climate Mercurium calore intensissimo gravitatis specificæ amittere $\frac{1}{115}$, quam habebat frigore maximo existente, ut adeo cum maxima Mercurii altitudo sit 28 digitorum, 4 linearum, non variato pondere atmosphæræ altitudo Mercurii calore intensissimo 3 augeatur circiter lineis, quæ partem constituant octavam 2 digitorum, quos percurrit omnis Mercurii variatio. Jam quoniam omnis variatio caloris in thermometro ipsius, de quo in mensibus præcedentibus dictum est, 96 conficit lineas, dum per modo dicta in Barometro simplici, h. e. ex unico tubo, qui Mercurio solo repletur, constante nonnisi 3 percurrit; evidens est, dum calor auget altitudinem liquoris in thermometro una linea, eundem augere altitudinem Mercurii in barometro nonnisi $\frac{1}{32}$ unius lineæ, ut adeo, si supponamus in thermometro regnante frigore maximo constructo altitudinem Mercurii fuisse 28 digitorum 9 linearum, altitudinem vero liquoris in thermometro eodem tempore 50 linearum, toties $\frac{1}{32}$ lineæ unius sit ex altitudine

Mercurii

Mercurii subtrahenda, per quot lineas ultra 50 promotus fuerit liquor in thermometro, ut verum habeatur atmosphæræ pondus. Aliter vero se res habet cum barometro composito. Notum est, barometrum hoc constare duobus globis seu cylindris A & B per tubum incurvatum A C B inter se communicantibus. Vas superius A in cuspidem desinit hermetice sigillatam. Dimidium superius ab aëre crasso vacuum, alterum cum tubo ACB & dimidio vase B Mercurio plenum, reliquum vasis B cum tubo cohærente BD superius adaperto liquorem continet pro diversa aëris gravitate nunc descendentem, nunc ascendentem. Jam cum æstate Mercurius levior evadit quam hieme, atmosphæra liquorem in tubo BD satis sensibiliter ad 3 vel 4 digitos detrudit, mendax gravitatis variatæ indicium præbens. Monet igitur, loco olei tartari vulgo tubo BD infundi soliti, adhibendum esse spiritum vini calore facile dilatandum, & augendam esse capacitatem vasis B, ut eam capiat liquoris copiam, cujus dilatatio ex asse suppleat levitatem Mercurii, nec quicquam adversus atmosphæram agat. Capacitatem vasis B investigandi nullam methodum præscribit. Ad Mathematica tamen priusquam excurramus, nonnulla Anatomica & Chymica delibare, atque ex Anatomia Castoris, quam una cum vivendi genere hujus animalis *Sarrasinus*, Medicus Regis Cannadensis, ad Turnefortium prolixe & accurate perscripsit, singularia tantummodo circa structuram cordis capitisque indigitare liceat. Nempe ad cor castoris vena cava inferior in sacculum quendam, sesquipollicem circiter longum & latum, fibrisque carneis instructum expandi simulque sanguis a vena cava æque superiori, ac subclavia sinistra in eum infundi ideo videtur, ut ventriculus sinister æqualis cum dextra capacitatis sufficienti repleatur sanguine, tametsi auricula sinistra dextræ auriculæ amplitudini multum cedat. Ne sanguis autem descendens per sacculum ejusmodi facile regrediatur, obstant valvulæ, infimam ejus partem magis angustatam interne munientes. Os occipitis posticæ capitis regioni ad instar laminæ deprehenditur impositum, sinus autem falciformis atque anfractus cerebri uti frustra indagantur, ita cerebelli e contrario multæ conspiciuntur tuberositates figuræ diversæ,

TAB. X. Fig. I.

TAB. X. ad A. 1706. M. Oct.
pag. 440. sqq.

Fig. 1.





Fig. 3.

Fig. 2.



diversæ, piæ meningis medio ab invicem separatæ. In magno oculi cantho tertia locatur palpebra, illius perquam exigui corneam instar veli tegens; dentium vero incisivorum, quorum duo cum octo molaribus cuilibet maxillæ infiguntur, & bases, & radices sunt notabiles, quatenus incisorum superiorum bases lineas octo, & inferiorum pollicem longæ habentur, longitudo autem radicum superiorum ad duos pollices cum dimidio accedit, & inferiorum tres etiam pollices superat. Glandulæ potissimum salivales, quod Castores siccissimo sæpe alimento fruantur, prodigiosæ occurrunt magnitudinis, a claviculis per anteriorem colli partem omnemque maxillam inferiorem expansæ, ac peculiari musculo, salivæ secretionem promovente, coopertæ. In fœmina, cujus cordis non minus ventriculos ac utrumque arteriæ truncum, cum ramis tantum non omnibus, mirandus polypus, post mortem per Anatomen detectus, occuparat, quoties cor palpitaret, toties *Hombergius* in carpo & collo manifestum venarum motum, arteriarum pulsui analogum observavit, corde motibus convulsivis agitato sanguinem, propter arterias obturatas, necessario ad venas repellente. *Mery* quanto minus in oculi uvea sive iride fibras circulares præter rectas advertere potuit, quas alias *Drelincurtius* in *Præludio Anatomico*, tanquam veteribus jamjam sub coronæ titulo cognitas, descripsit; tanto majorem insumsit operam, nunc pupillæ dilatationem a sola fibrarum rectarum textura elastica, nunc contractionem ejus a spiritibus fibras istas influentibus atque elongantibus, deducendi: in capite quippe felis vivi aquæ submerso & radiis solaribus exposito pupillam diduci, in eodem vero in aerem rursus protracto illam denuo constringi, cum hic spirituum ad fibras rectas affluxus repetat, qui ibi ex respiratione ac sanguinis circulatione plus minus sufflaminatis pariter erat impeditus. Et quia sub aqua per dilatatam pupillam, nec humores, nec tunica retina, bene autem choroidea, vasa hujus sanguifera & nervi optici egressus cerni valent, quæ in aere haud apparent, partim sub aqua plus luminis oculos ingredi, partim retinam æque ac humores transparentes solamque choroideam primarium visus organum esse, quod

ſua opacitate radios luminis ſiſtat & retinam verſus propter ſpiritus ibidem commovendos reflectat, colligitur. Quam ſulphuris communis analyſin in principium acidum, inflammabile atque terreum, ad Hombergii ductum, hoc anno ex Hiſtoria Academ. Reg. Scient. *Menſe Auguſto* p. 367 excerpſimus, *Godofredus* per regenerationem ſulphuris, modo ſpiritum vitrioli, gummi-reſinam ſulphuris & alcali aliquod, modo alia ſimilia combinando, ſtuduit confirmare; omnem nihilominus rationem omniaque concreta, quibus ille hunc in finem uſus fuit, non eſt cur fuſius recenſeamus, poſtquam multis abhinc annis Experientiſſimus *Stahl in Zymotechnia fundamentali, Obſervationum Chymico-Phyſico-Medicarum Menſe Julio, ac Specimine Becheriano*, modum ex principiis iſtis ſulphur producendi non ſolum nervoſe edocuit, ſed &, in quibus Glauberus atque Boyle circa ſimiles conatus defecerint, ingenue monuit. Verum ad Mathematica properemus. Geometriæ perficiendæ hoc anno incubuere *Carré, de la Hire* & *Varignonius*. Primus præſtantiam Analyſeos Leibnitianæ vindicavit, dum methodum rectificandi curvas, quam propoſuit *Vanbeuraët*, multo faciliorem ac ſimpliciorem reddi oſtendit, ſi calculo differentiali utamur. Alter Locorum doctrinam promovit, dum novas expendit Curvas per concurſum Tangentium Cycloidis & Sectionum Conicarum generatas. Tertius denique doctrinam de Spiralibus ab *Archimede* olim propoſitam, a *Fermatio* aliisque recentioribus magis perfectam, ad ſummum faſtigium evexiſſe videtur, nova ſpiralium in infinitum detecta formatione, exhibitis ſimul quarundam Tangentibus, Quadraturis & Rectificationibus. Geneſis huc redit. Sit HHV Curva quæcunque, ſive Geometrica, ſive Mechanica, quam *Generatricem* appellat, cujus ordinatæ GH, Axis vel Diameter CX peripheriæ circuli cujuscunque ABYA, quem *Circulum revolutionis* vocat, occurrens in A. Sit CAX primus ſitus regulæ cujuſdam CP, quæ circa centrum C fixum gyretur in peripheria ABY formatura ſpiralem OZAK, ita ut, dum ei occurrit in E ac circulo revolutionis in B, ſi ex hujus centro C ordinata GH tanquam radio deſcribatur arcus EG, ſit conſtanter circumferentia circuli revolutionis integra

TAB. X. Fig. II.

ABYA

ABYA ad arcum AMB ſive ABYAMB, quem punctum B regulæ CP percurrit, ut recta quædam conſtans AD ad ordinatam correſpondentem HG curvæ generatricis HHV. Ex qua geneſi conſequitur, arcus revolutionis AMB vel ABYAMB eſſe inter ſe ut ordinatas reſpondentes alicujus Curvæ HHV. Quodſi ponatur ABYA $= c$, AMB vel ABYAMB $= x$, AD $= b$, GH $= z$, erit $c.\ x :: b.\ z$, adeoque æquatio generalis pro omnibus iſtis ſpiralibus in infinitum $cz = bx$, in qua ſi ex natura Curvæ generatricis ſubſtituatur valor ipſius z, vel in æquatione ipſius Curvæ valor ejusdem z ex æquatione generali $= \frac{bx}{c}$, prodibit æquatio pro ſpirali. e. gr. Sit Curva generatrix HAV una ex infinitis Parabolis, quarum æquatio $za^{m-1} = y^m$ vel $z = \frac{y^m}{a^{m-1}}$, ſi CX habeatur pro axe integro, erit æquatio pro ſpiralibus $\frac{y^m}{a^{m-1}} = \frac{bx}{c}$, ſeu $cy^m = a^{m-1}bx$. Tangentes earundem generaliter ita determinat. Sit CT ad ordinatam ſpiralis CE perpendicularis & Cp ipſi CP infinite propinqua, erit CB (a). CE (y) :: Bb (dx). EF $= \frac{ydx}{a}$, & Fe (dy). EF $(\frac{ydx}{a})$ :: CE (y). CT $= \frac{yydx}{ady}$. Jam ex natura Curvarum $mcy^{m-1}dy = a^{m-1}bdx$, adeoque $dx = \frac{mcy^{m-1}dy}{a^{m-1}b}$, quo valore in expreſſione ſubtangentis generali ſubſtituto, prodibit ſpecialis $\frac{mcy^{m+1}}{ba^m} =$ (ob $cy^m = a^m - bx$) $\frac{mxy}{a}$. Porro cum ſit EF $= \frac{ydx}{a}$ per demonſtrata, $= \frac{mcy^m dy}{a^m b}$, ſubſtituto valore ipſius dx, conſequenter Triangulum elementare FCE $\frac{mcy^{m+1}dy}{za^m b}$; ejus integralis $= \frac{mcy^{m+2}}{2m+4+a^m b}$

 $=$ (ob

$= (\text{ob } cy^m = a^{m-1}bx)\ \frac{mxyy}{2ma+4a}$ definit Quadraturas istarum spiralium. Ostendit deinde, quomodo unicuique harum spiralium assignetur alia æqualis curva Geometrica CLI, quæ cum ex Actis nostris transsumantur, Mense nempe Januario A. 1691 p. 16 & 17, ut plura de hoc argumento dicantur, opus non est.

In Astronomicis utiles occurrunt observationes: inprimis quæ d. 23 Dec. anni 1703 paulo ante Solis ortum contigit Eclipsis Lunaris, phænomenis notatu dignis nobilitata fuit. Nempe *de Plantade* ac *Clapier* post immersionem totalem *Montepessulano* Lunam adeo obscuram observarunt, ut maculæ ægre distinguerentur, quæ alias optime discerni solent durante obscuratione totali. Paulo post peripheria Lunæ rubebat pristina obscuritate medium disci occupante, & h. 6 circiter 15', obscuritas dimidiam diametri partem, annulus rubicundus partem dimidiam alteram tenebat. Circa h. 6½ Luna cœlo admodum sudo disparebat, cum adhuc stellæ circa Horizontem ortivum essent conspicuæ. *Arelati* Luna post immersionem totalem semper rubedine obscura tincta apparuit: contra *Avenione* adeo clara apparuit, ut transparens & pars ejus postica a Sole illuminata videretur. *Massiliæ* pars versus Euro-Boream directa rubicunda, pars ipsi opposita obscura admodum visa; circa h. 7 tota cœlo undiquaque sereno disparuit. Causa horum phænomenorum conjicitur in diversam vaporum quantitatem, atmosphæram in diversis locis turbantium. *Parent* per calculum Leibnitianum deduxit, Solis longitudine 46° 14' existente, motum in Ecliptica esse æqualem motui in ascensione recta. Unde Tabulas quasdam Astronomicas erroris arguit, quæ longitudinem Solis in illo casu constituunt 44° vel 45°. Postquam *Maraldi* in genere de momentis rerum circa motum Planetarum observandis, nec non de difficultatibus in hac investigatione obviis disseruit, hypotheses de motu Saturni proponit, quibus Tabulas Rudolphinas emendare studet, earum a cœlo dissensu per ingentem numerum observationum determinato. Etenim annis 1672 & 1673 peccare illas in excessu 26 usque ad 21', annis 1686 & 1687 in excessu 16 usque ad 12'; annis denique

1700,

1700, 1701 & 1702 in excessu 21′ deprehendit. Quia Tabulæ semper peccant in excessu, errorem attribui debere contendit, partim Epochæ, partim æquationi maximæ. Jam cum excessus, ubi æquatio additiva, repertus fuerit constanter fere duplus ejus, qui obtinuit, ubi æquatio fuerat subtractiva; æquationem maximam Saturni Keplerianam 6°, 31′ 30″ dimidia dissensuum auget differentia nempe 5′, ut evadat 6° 36′ 30″. Epocham Keplerianam anni 1607, quam esse ait 6. 28° 3′ 52″ minuit 16′, ut evadat 6 S. 27° 47′ 52″. Ex observatione occultationis fixæ mediæ in cornu Australi Tauri *a Kirchio* anno 1679 d. 17 Jan. h. 5 ope tubi 10 pedum instituta, longitudinem Saturni ad illud tempus ope propriarum de fixis observationum fuisse deduxit 7° 59′ ♊ & Latitudinem Australem 26′. Hac observatione & tabulis Solaribus *Cassini* usus didicit, locum Aphelii ultra Keplerianum 52′ promovendum & in 28° 28′ ♐ statuendum esse. Ex multis aliis observationibus huic instituto congruis mediam Saturni a Terra distantiam derivat 955000 partium, qualium distantia media Solis est 100000: anno 1696 mense Majo Saturni sine latitudine observati Nodo locum assignavit in 22° 10′ ♃. Anno 1688 latitudinem maximam Saturni septentrionalem in 21° 46′ ♎ reperit 2° 48′ 0″, parallaxin latitudinis 17′ 15″, veram inclinationem orbitæ Saturni ad Eclipticam 2° 30′ 50″. Quæ autem ex multis observationibus circa theoriam Saturni studiose deduxit, pleraque cum Tabulis convenire animadvertit, quas *Bouillaud* edidit. Cæterum idem *Maraldi* atque *Cassinus* d. 27 Jul. anni 1704 h. 1. pom. 24′ 20″ per telescopium 18 pedum ♃ a Luna tegi observarunt, h. 2, 7′ 29″ ab occultatione prorsus liberatum. Lumen liberati vivacitate lumini multarum fixarum cedebat, quas per telescopium 3 aut 4 pedum interdiu videre licet. Melius tamen circa initium Julii, cum duabus ante Solem horis Meridianum transiret, videri poterat, quam Saturnus 3 ante Jovem horis culminans. Lumen vero Saturni debilius erat lumine Mercurii, per multos dies mense Junio in ipso Meridiano per telescopium 3 pedum visi.

In Mechanicis *Bernoullus*, *de la Hire*, *Varignon* atque *Parent* egregios ingenii fœtus protulerunt. Inprimis *Parent* exemplo plano-

planorum inclinatorum, cunei atque trochlearum ostendit; quomodo Analyseos ac Geometriæ ope affrictus partium mutuus in machinis ad accuratum calculum revocari possit, cujus hactenus in Mechanica nulla est habita ratio.

EXCERPTUM EX EPISTOLA G. G. L. QUAM PRO *sua Hypothesi physica motus planetarii olim* (Febr. 1689) *his Actis inserta, ad Amicum scripsit.*

Vir doctus, qui ante aliquot annos in opere suo Astronomico Hypothesin meam impugnavit, vim ejus atque utilitatem non satis animo complexus est. Habet enim ea commodum hoc insigne, ut corpora solida harmonice circulantia in fluido similiter circulante perinde moveantur, ac si non nisi suo impetu suaque gravitate in medio tanquam vacuo (id est, non resistente) circularentur; & contra ut fluidum circulans a solidi illius circulatione non turbetur, perinde ac si solidum non adesset, vel non nisi pars fluidi esset; quod alia quæcunque circulatio efficere nequit. Itaque etsi circulationibus non conspirantibus moverentur fluidum & solidum, tandem tamen longo temporis tractu ad circulationem harmonicam conspirantem reducerentur, quo minus sibi obstent aut a se invicem turbentur. Unde etiam intelligitur, objectiones hujus Autoris contra vortices seu orbes fluidos deferentes, hanc circulationis speciem non ferire.

Cæterum illud facile colligitur, legem circulationis harmonicæ ab ipso fluido exercendæ non nisi in eodem orbe servari, ad orbis consonantiam cum suo planeta obtinendam; idque eo facilius est, quod unius orbis, intra quem scilicet versatur planeta, si cum toto vortice planetario conferatur, exigua est crassitudo. Sed in toto vortice, diversos planetas conferendo inter se, ubi motus medius planetæ tanquam in circulo pro toto ejus per orbem motu Elliptico assumi potest; dicendum est, obtinere legem Keplerianam temporum Periodicorum: quæ etiam ex consonantia ipsa motus liberi & vorticosi nasci debet; cum & liberi impetus hoc ferat cum gravitate compositio, & ipsum æquilibrium motus vorticosi, ut alias fusius explicabitur.

Observandum tamen est, etsi nihil in ipsa re, tamen aliquid in

in enunciatione nostra in melius mutari debere, quo veritatum concentus appareat absolutius. Nempe dicendum est, impressionem novam paracentricam planetæ harmonice circulantis, simulque ad Solem vel aliud centrum gravitantis, constare ex conflictu gravitationis & conatus centrifugi, simpli scilicet; non dupli, qui mihi ex incommoda Termini acceptione emerserat, cujus emendationem utilem puto, ut verba rebus quam optime consentiant. Certe gravitatio novam solicitationem accedendi ad centrum, at conatus centrifugus circulantis novam solicitationem recedendi a centro constituit, variantibus ambabus pro distantia a centro: & ipse conatus totalis inde resultans, in horum conatuum differentia consistit, sequiturque directionem prævalentis. Porro *conatus centrifugus circulantis* dupliciter accipi potest: vel pro eo, quem mobile exercet, si motus proxime præcedens concipiatur in tangente circuli, vel pro eo, quem mobile exercet, si motus proxime præcedens concipiatur in ipso arcu circulari. Hoc loco enim, ubi ad infinities infinite parva descenditur, angulus contactus negligi non debet. Prior conatus centrifugus locum revera habet initio circulationis, adeoque initialis quidem est, sed non durans; posterior vero persistit, locumque habet in progressu circulationis. Illum ergo, qui initialis est, dicemus *tangentialem*, hunc qui perdurat, *arcualem*: & posito æquali utrobique circulationis impetu, arcualis est duplus ipsius tangentialis; cum hic repræsentetur per sinum versum, ille per ejus duplum. Simpliciter autem nomine conatus centrifugi, Arcualem accipere præstat, cum de circulatione planetæ (quippe dudum cœpta) agitur, ita enim elegantior & rotundior enunciatio erit.

Sed ut res intelligatur, sit radius AC mobilis circa centrum C, & elementaris arcus circuli, hoc centro descriptus, sit EAG, bisectus in A, ut chorda EG radium secet ad angulos rectos, & ab eo bisecetur in B. Compleatur rectangulum ABGD, & in BC sumta BH æquali ipsi AB, compleatur Parallelogrammum AHGF. Iam ponamus mobile I moveri uniformiter velocitate repræsentata per spatium elementare IA, æquale ipsi AD, certoque temporis Elemento veniens ab I ad A, impingere in A,

in A, angulo IAC recto, & ibi ipso attactu adhærescere radio in puncto A; impetuque suo gyrationem radii efficiendo circa C, mox describere, æquali cum priore temporis Elemento, arcum Elementarem AG. Poteritque motus AG compositus intelligi ex impetu priore IA seu AD, & solicitatione centripeta AB (neque enim hic refert AG de arcu an chorda intelligatur) adeoque mobile, cum pro AD describit AG, retineri in circulo, vi, quæ sit ut AB vel DG; id est, conatum centrifugum (vi retinenti æqualem) esse ut DG, sinum versum arcus AG: atque hic est conatus centrifugus initialis vel Tangentialis. Sed si mobile in A positum jam dudum in circulatione versetur, veniatque non in tangente IA, sed in arcu EA, veluti si veniat ex E in A, cum radio CA describente arcum EA; motu nempe uniformi, & eodem temporis Elemento, quo prius diximus percurri IA. His positis impetus, quem mobile habet in A, est ut EA, quæ (recta an circularis nil refert) longitudine non differt comparabiliter ab IA seu AD. Idem est ergo magnitudine, impetus circulandi, qui ante; sed directionem aliam habet, nempe chordæ EA, quæ producta cadit in F. Quare continuata æquali cum priore temporis elemento circulatio, per AG, composita intelligi potest ex impetu priore ut EA, vel AF (quæ est æqualis & in directum ipsi EA,) & ex solicitatione centripeta AH, vel FG, dupla ipsius DG, sinus versi arcus AG. Duplus ergo sinus versus circulationis, conatum centrifugum arcualem repræsentabit, qui est duplus ipsius tangentialis seu initialis, ut ostendendum erat. Et licet verum sit, etiam conatus centrifugos arcuales esse ut sinus versos arcuum, quia dupli sunt simplis proportionales; revera tamen comparatione tangentialium per sinus versos repræsentatorum, horum duplis exprimentur.

Equidem olim (in dicto schediasmate Februarii 1689) conatus centrifugi nomine accepi non eum, quem revera impressionem planetæ a centro recedendi novam vel elementarem a circulatione ortam, constituere intelligebam, & gravitationi versus centrum nova impressione agenti opponebam; sed initialem illum vel tangentialem, qui prima fronte occurrit; sed inde

inde nata est incommoda enunciatio, qua nobis ipsi offecimus, obscurato veritatum concentu. Dum enim ipsam PN in figura schediasmatis dicti, nomine conatus centrifugi appellavimus, jam dicere oportuit (quemadmodum & fecimus) conflictum esse inter gravitatis solicitationem & dupli conatus centrifugi impressionem. Sed si, ut par est, conatus centrifugi nomine intelligamus illam ipsam novam impressionem a circulatione ortam, quæ gravitationis impressioni novæ obnititur, tunc designatur utique conatus centrifugus ille, qui locum habet durante circulatione, seu arcualis. Quo sensu convenientissime & simpliciter dicitur, impressionem paracentricam novam (qua celeritas ad centrum accedendi vel ab eo recedendi mutatur) vel quod idem est, Elementum velocitatis paracentricæ esse differentiam inter gravitatis solicitationem 3 M. L. seu $2a\theta\theta : rr$ (vid. dict. Schediasma §. 15 & 19) & inter conatum centrifugum $aa\theta\theta : r^3$ nempe arcualem, qui (per §. 12 & 15) exprimitur duplo ipsius PN sinus versi. Itaque arcualis erat simpliciter conatus centrifugi nomine hoc loco designandus. Occasionem autem unius appellationis pro alia sumtæ natam tunc ex eo suspicor, quod *vim excussoriam* (cujus species est centrifuga) metitus sum perpendiculari ex puncto ad tangentem proxime præcedentem; recte sane, sed per tangentem illam intelligi debet ea linea, in qua fuit directio proxime præcedens. Nempe *in figura præsente* ex puncto G perpendicularis ducenda est ad ipsius EA (circulationis præcedentis directionem repræsentantis) continuationem seu ad AF; non ad AD, nisi circulatio incipiat in A, quo casu AD est continuatio directionis præcedentis IA. Porro perpendicularis ex G in AF non differt comparabiliter ab ipsa FG. Ego vero etsi non in rei ipsius æstimatione, tamen in appellatione, respexi generaliter ad AD tangentem in A, eique perpendicularem GD: Unde non quidem error, sed tamen inconcinnitas prodiit, quam nunc sublatam esse juvabit. Animadversionis autem occasionem mihi præbuere elegantes celeberrimi Varignonii de conatu centrifugo meditationes, etsi alio ipsius scopo; cum alias a multo tempore de his parum cogitassem. TAB. X. Fig. III.

Hinc in dicto ſchediaſmate, Paragraphis 11, 12, 15, 21, 27, 30, pro duplo conatu centrifugo ponatur ſimpliciter, conatus centrifugus; & pro conatu centrifugo ſimpliciter, ponatur dimidius. Eadem occaſione lapſus quosdam typographi, vel calami, vel etiam ſcribentis in eodem Schediasmate emendare e re erit. Nempe Act. ann. 1689 pag. 86 lin. 4 omittatur: Sinus. pag. 87 linea 8 a fine computata, omittatur: ex conatibus repetitis collectam; pag. 90 lin. antepenult. pro 3 M, lege M R, & linea ultima pro 3 M H, H ☉, ☉ 3 M, leg. ☉ H, H 3 M, 3 M ☉; & pag. 91 circa medium pro B F, e, lege ☉ F, e; & linea quinta a fine inter, $-2\,aaq\,r\,\theta\,\theta$, & inter, : $bb\,r^3$, utiliter interponetur comma. In ipſa quoque figura ejus Schediaſmatis quædam male ſe habent. Nam in linea ☉. M 2, pro D 1, ponatur D 2; & ibidem inter M 2 & T 2, ponatur punctum G, ſic ut recta a G ad M 3 ſit parallela rectæ ab M 2 ad L. Denique infra, tribus punctis poſt Ω dextrorſum aſcendendo occurrentibus, ordine aſcribantur hæ literæ: M, 1 G, 2 G; ita prodibunt rectæ, quarum poſterior major priore, nempe hæ tres, Ω M, Ω 1 G, Ω 2 G.

Cauſam cur Attractiones Gravitatis ſint in ratione diſtantiarum (a Centro Gravia attrahente) reciproca duplicata; jam eo tempore, quo Schediaſma toties citatum vix edideram, cum Amicis nonnullis communicavi. Et memini celeberrimum Virum, Michaelem Angelum Fardellam, Profeſſorem nunc Patavinum, egregiis ſcriptis de Philoſophia & Matheſi bene meritum, cui eam rem Venetiis tunc explicabam; reponere: eodem modo a Geminiano Montanario, eximio quondam Mathematico, ſibi oſtenſum, illuminationes Objectorum eſſe in ratione diſtantiarum a radiante, reciproca duplicata. Quod verum eſt, aliisque etiam notatum; & par hic ratio eſt, cum non referat ad radiationis quantitatem ſeu effectum, radiosne concipias attractivos (rem abſtracte & mathematice conſiderando) an illuminantes. Ita Ellipticus Planetæ motus, a priori, lege gravitationis ex ſuis cauſis oſtenſa, comprobatur. Ego vero in Schediaſmate illo ex phænomenis, ſeu a poſteriori, id eſt, ex motu Elliptico obſervationibus comprobato, legem gravitationis derivaram, quæ

cum

cum tam bene rationibus radiationum Mathematicis consentiret, eo magis Hypothesi universæ fidendum judicabam.

LA FORGE DE VULCAIN, OU L' APPAREIL des Machines de Guerre, par le Chevalier de SAINT JULIEN.

h. e.

FABRICA VULCANI, SEU APPARATUS MACHInarum bellicarum.

Hagæ, apud Wilhelmum de Voys, 1706 in 8.
Constat plag. 10 cum aliquot figuris ligno incisis.

CUm Autori propositum sit omnium machinarum ac instrumentorum bellicorum formam, materiam, fabricam, finem & usum, succincte quidem, at accurate tamen describere, omnes autem has machinas animet pulvis pyrius; ab eo quoque tractationem suam orditur. Materia pulveris pyrii est nitrum, carbo & sulphur. Diversas igitur recenset nitri species, varias id colligendi vel parandi exponit methodos. Varias itidem sulphuris, varias carbonum examinat species. Jubet $\frac{2}{4}$ nitri misceri cum $\frac{1}{4}$ sulphuris atque carbonum, ita tamen ut dosin sulphuris tantisper excedat dosis nitri; materias commixtas per 20 circiter horas in mortario probe contundi, elapsis 4 quibuslibet horis aqua rigandas, ut absit inflammationis periculum; contusas denique per cribri foramina urgeri, ut in granula abeat massa. Purgandum vero esse sulphur, antequam compositionem ingrediatur, oleum liquefacto affundendo, & ne quid sabuli carbonibus subsit, cum cura dispiciendum. Optimum judicari pulverem pyrium, si facile inflammetur, fumus assurgens rebus, quas contingit, nigredinem minime inducat, multo minus eas adurat, & radiis Solaribus expositus nullo nitore effulgeat. Quasdam pulveris pyrii proprietates viribus motricibus esse communes, quod nempe vis ejus resistentiam molis subvertendæ superare, non tamen nimis multo excedere debeat, quodque major copia una incensa majorem edat effectum. Alias esse

proprias, quod nimirum circum circa uniformiter agat; nulla ejus sit violentia, nisi incarcerati; una scintillula accensa, ingens copia intra momentum in flammam una conjiciatur. Has proprietates respici debere in usu pulveris pyrii, eumque in finem tres esse considerandas pulveris pyrii actiones, subversionem scilicet, propulsionem & percussionem. In casu primo unciam pulveris respondere 100 libris; in secundo ponderi 150 librarum per 100 sexpedas promovendo 5 vel 6 circiter libras, globo efficaciter propellendo dimidium ponderis ipsius. Tradit etiam compositionem pulveris fulminantis, quam ingrediuntur pars sulphuris una, salis tartari duæ, nitri tres, & per errorem affirmari asserit, hunc pulverem nonnisi versus inferiora agere; quodsi enim massæ in pulverem redactæ, & in cochleari super carbonibus candentibus vel candela liquandæ, imponas monetam argenteam, hanc tanta violentia sursum versus laquearia projici, ut comprimatur.

His de pulvere pyrio præmissis, ad tormentum majus describendum progreditur, cujus exponit partes, materiam, formam & fabricam. Ubi monet, ornatum Architectonicum a basibus, scapo & capitulis columnarum petitum non ad augendas vires, sed gravitatem tormenti facere, adeoque citra ullum incommodum abesse posse. Cum tamen in æquilibrio fere suspendi debeat, ad hoc conciliandum, commode interdum illo uti artifices. Utut vero ex metallis pluribus fundantur tormenta, cupro nimirum, stanno & orichalco; consultius tamen esse, ut ex homogenea parentur materia, corporibus homogeneis firmiorem cohæsionem præstantibus. Inprimis vero stannum tormento minime idoneam esse materiam. Dividit tormenta ratione ponderis globorum, quibus onerantur, novumque describit genus, quod majorem veteribus præstet effectum, utut minori pulveris pyrii quantitate, parte nimirum nonnisi tertia, oneretur: quamvis etiam quasdam notet incommoditates, quæ illud comitantur, & quibus incognitam hactenus nec adhuc in praxin deductam præscribit medelam. Multus est in describendo foramine, per quod intra tormentum immittitur ignis, ac inprimis arcanum commendat, quod *Philippus*, *Hassiæ Landgravius*, cum

eum ipso circa præsentem materiam communicavit. Disserit etiam de ordinaria tormentorum oneratione, de collineatione, de spatii, per quod globi emissi feruntur, quantitate per plures experientias determinata, quam maximam esse ait, non cum elevatio tormenti maxima, nempe 45°, sed cum situs fere horizontalis. Per multas experientias didicit, in distantia 600 passuum propriorum globum intra terram defossum ad intervallum 9, 10, 11, 12, immo 13 pedum. Media enumerat, quibus uti licet ad globum per spatium longius urgendum. Subdit nonnulla usum tormentorum concernentia, nec canterium negligit, cujus duas requirit virtutes, nempe ut diu duret, utque sit facile mobile, fabrica quoad singulas partes accurate exposita. Agit porro de globis tormentariis; describit globos sclopetorum glandibus, catenis aliisque ferramentis infertos; globos candentes, aliasque materias tormentis onerandis inservientes, & quænam singulis effectibus producendis sint necessariæ ostendit. Diametrum tormenti, quam *Calibram* vocant, paulo majorem esse debere diametro globi cum insinuasset, Tabulam exhibet, in qua diversorum tormentorum calibris assignantur diametri globorum. Tandem instrumenta enumerat, in usu tormentorum necessaria, & generalem condit regulam, juxta quam definitur equorum numerus ad tormentum quodlibet datum avehendum sufficiens, pondere 300 librarum uni equo tributo. Tormenta excipiunt mortaria bombis jaciendis destinata, quorum ubi exposuit structuram, modum ea onerandi docet, compositione simul bombarum delineata, effectibus mortariorum indicatis. e. gr. Mortarium, cujus calibra 18 digitorum 4 linearum, bombam 48 libris pulveris pyrii repletam, & sine pulvere pondus 490 librarum adæquantem ejaculari. Nec bombarum negligit examen, immo ex observationibus circa earum jactum recensitis, jactus pro arbitrio vel longiores vel breviores efficiendi, eorumque longitudinem ad singulos elevationis mortarii gradus determinandi praxes derivat. Disquirit de methodo ejaculandi bombas ex tormentis, rejectisque spuriis, unam commendat successu non destituendam. Agit de quodam bombarum genere, quod *Carcasse* appellant; sed id parum laudat, cum

multos requirat sumtus, effectus vero bombarum communium efficaciam vix superent.

Hinc ad describendas varias granatarum species se confert, & de pyloclastris (*petardes* Galli vocant) prolixe disserit. Describit quoque peculiare tormentorum genus, quod in utraque extremitate adapertum & Gallis *Pierrier* dicitur, quia sæpissime saxis oneratur. In obsidionibus id sine ratione plerumque negligi contendit. Ignes artificiales, quos bella poscunt, breviter perstringit: prolixius multo de cuniculis & anticuniculis, nec non de suggestibus tormentorum ac mortariorum discurrit, cumque de omni apparatu bellico reliquo multa disseruisset, Architecturæ militaris tyronibus ac cultoribus gratissimum opusculum triplici tabula finit, in qua repræsentatur omnis apparatus, in gratiam trium maximi momenti obsidionum (quas tamen Autor non nominat) factus, & quænam ex eo in singulis fuerint insumta, accurato calculo definitur.

JOANNIS ANDREÆ PLANERI, P. P. IN ACAdemia Wittebergensi, de Epistola Enthymematica, sive Extemporali libri tres.

Wittebergæ, apud Meyer. & Zimmermannum 1706 in 8.
Constat plag. 21.

Cum expeditissima scribendæ epistolæ ratio, quæ per enthymema instituitur, esse soleat, laudandum est Clarissimi Autoris institutum, quod quæ ad epistolam enthymematicam spectant, egregia cura illustrare, ac cum studiosa Juventute communicare voluit. Tribus autem libris præsens scriptum absolvitur. Liber I de variis enthymematum generibus, quorum in epistolis usus est, agit, ac quæ circa eadem observanda sint, fideliter docet, eaque exemplis perspicuis demonstrat. Liber II, in quo dispositiones enthymematicæ & exempla enthymematica occurrunt, in quinque partes abit: quarum prima epistolas generis deliberativi, & quidem C. I petitorias, C. II supplices, C. III commonitorias, C. IV monitorias, C. V hortatorias,

C. VI

C. VI dehortatorias, C. VII suasorias, C. IIX dissuasorias, C. IX communicatorias, C. X conciliatorias, C. XI commendatitias, C. XII dedicatorias, C. XIII testificatorias, C. XIV consolatorias: pars secunda generis demonstrativi epistolas, illiusque C. I laudatorias, C. II gratulatorias, C. III valedictorias, C. IV ἐπιβατηρίους, seu adventitias, C. V salutatorias, C. VI votivas, C. VII propempticas, C. VIII gratiarum actorias, C. IX objurgatorias: pars tertia epistolas generis judicialis, ejusque C. I expostulatorias, C. II exprobratorias, C. III comminatorias, C. IV invectivas, C. V inficiales, C. VI defensorias, C. VII excusatorias, C. VIII deprecatorias, C. IX intercessorias, C. X reconciliatorias: pars quarta epistolas generis familiaris, hujusque C. I sciscitatorias, C. II nunciatorias, C. III familiares, C. IV lamentatorias, C. V mandatorias, C. VI dantes negotium, C. VII obsequiosas, C. VIII officiosas, C. IX civiles, C. X inanes: pars quinta eaque ultima epistolas generis didascalici sistit. Quinque his partibus duæ subjunguntur appendices, in quarum prima de epistolis jocosis, in altera vero de epistolis mixtis nonnulla afferuntur. Liber III Epistolarum M. T. Ciceronis, C. Plinii Cæcilii secundi, Augusti Buchneri & Conradi Samuelis Schurzfleischii indices accuratos exhibet.

MISCELLANEA CURIOSA, SIVE EPHEMERIDUM Medico-Physicarum Germanicarum Academiæ Naturæ-Curiosorum Decuria III Annus IX & X, continens celeberrimorum Virorum tum Medicorum, tum aliorum Eruditorum in Germania & extra eam Observationes.

Norimbergæ, Francofurti, & Lipsiæ, apud Engelbert Streck, 1706 in 4to.

Constat Alph. IV. plag. 7 cum figuris æneis.

Quanquam variis hactenus bellorum fulminibus concussa fuit crebro tota fere Germania nostra, aliaque regna, provinciæque; non penitus tamen siluerunt literæ, artesque, quin semper extiterint Viri Eruditi, qui ut in reliquis, ita Medicis potissimum & Physicis scientiis augendis, suas contulerunt ope-

operas. Id quod vel solæ loquuntur Ephemerides Medico-Physicæ Illustris Academiæ Cæsareo-Leopoldinæ Naturæ-Curiosorum, quæ per 36 annos collectæ, sensimque in lucem editæ, sub tribus integris Decuriis Curiosorum animum abunde nunc satiare poterunt. Annus IX & X Decuriæ III, quos jam sistimus, observationes & experimenta num. 256 methodo Illustri huic Societati alias solenni recensent. Cui annexa appendix continet 1) Historiam Epidemicam Germaniæ annorum 1699 usque 1705. 2) D. Johannis Henrici Hottingeri Descriptionem Montium glacialium Helvetiorum. 3) Anatomiam cerebri, ab H. Ridley idiomate Anglico conscriptam, & a D. Michaële Ernesto Ettmullero Latinitate donatam. 4) M. Martini Grünewaldi Observationem de Epilepsia secundi gradus a fascino in Catalepsi admiranda, Germanica lingua scriptam, & a D. Johanne Casparo Westphalo in Latinam translatam. 5) D. Georgii Friderici Franci a Franckenau brevem ac veram magni illius ac famosi fluxus maris vorticosi, Arctandris Moskoë-Strom, aliis vulgo Maal-Strom dicti, ejusdem qualitatum variorumque ibidem admirandorum descriptionem. 6) D. Johannis Baptistæ Scaramuccii Epistolam ad Illustriss. Antonium Magliabecchium de Hydrophobia ex vehementi indignatione oborta, ex lingua Italica in Latinam versam. 7) Memoriam Reiselianam, & 8) Memoriam Mercklinianam.

Sicque tertia hæc Decuria Ephemeridum Germanicarum feliciter est absoluta. Quos tamen labores suos omittere imposterum, quoniam libri moles sensim in tantum succrevit, ut magno eapropter pretio veneat, ejusdemque in bibliopoliis distractionem impediat, quin aliæ insuper difficultates inde emergant, decrevit laudatissima Academia. Nihilominus non deerit eadem, observationes rariores, sive abscondita, novave curiosa Physico-Medica per Centurias porro, vel quocunque alio ordine fieri commode poterit, cum erudito Orbe communicare. De quo B. L. monere voluimus, debuimus.

ANA-

ANACREON TEIUS, POETA LYRICUS, SUMMA cura & diligentia ad fidem etiam vet. MSC. Vaticani emendatus, pristino nitori, numerisque suis restitutus, dimidia fere parte auctus &c. Opera & studio JOSUÆ BARNES S. T. D. Græcæ linguæ Cantabr. Professoris Regii.

Cantabrigiæ, impensis Edmundi Jeffery, 1705. in 12 maj. Constat plagulis dimidiatis 45.

QUod studium olim impulit CL. Barnesium, ut nitidissimam nobis & locupletissimam *Tragœdiarum Euripidis* editionem adornaret, quam ante hoc decennium A. 1695 mense Augusto p. 355 in his Eruditorum Actis, cum ea, quam merebatur, laude recensuimus; eodem nunc, pro singulari suo in literas Græcas amore, incitatus, longe pulcherrimam eruditis, omnibusque aliis multo perfectiorem venustissimi Poetæ Anacreontis editionem procuravit. Equidem mereri id videbatur χαριεστάτη Anacreontis elegantia, ut præstantissima quæque ingenia in eo ornando atque illustrando quasi decertarent. Quare post *Henricum Stephanum*, *Eliam Andreæ*, *Fridericum Hermannum* *Flayderum*, nostra etiam ætate *Tanaquillus Faber*, cultissimumque filiæ ejus *Annæ Daceriæ*, ac *Longapetræi* nobilissimi Burgundi ingenium in eo interpretando edendoque laborarunt; quorum labores in his Actis A. 1683 p. 402, & 1693 p. 13. sq. indicavimus. In Anglia ante hos decem annos *Anacreontis Carmina, plurimis, quibus scatebant, mendis purgata, turbatis metris restitutis, notisque brevioribus ad textus emendationem potissimum spectantibus, & nova interpretatione literali Latina* nitidissimo charactere forma octava ediderat *Willielmus Baxter.* Sed quam ipse Baxterus a potiori manu medelam Anacreonti tot seculorum inscitia atque inertia, inprimis autem a *Tanaquillo Fabro* indigne habito, afferri optaverat; illam satis feliciter præstitisse amœnissimo seni videtur *Barnesius.* Longo tempore multisque vigiliis, adhibita etiam amicorum aliquot, inprimis vero Philologi insignis *Josephi Vassei*, Reginensis Collegii Socii, laudabili opera hunc se autorem tractasse, ipse fatetur in vita Anacreontis p. LXI. Cæterum

rum eadem methodo, qua Euripidem illustravit, hic quoque usus est. Quod caput est, contextum ipsum quam emendatissimum exhibere studuit. In quo optimis *Henrici Stephani* aliorumque editionibus, inprimis vero *Codicis MSC. Vaticani*, *Scaligeri* aliorumque Criticorum ope adjutum se ubique ostendit, interdum ingeniosis conjecturis desperata loca quædam supplet vel saniora reddit: additamenta tamen sua vel uncinulis includit, vel ita notat, ut aliis meliora monendi locum relinquat. Aliquot etiam Anacreonti carmina dubia olim vindicat, & plurima fragmenta tanquam naufragii tabulas ex universo antiquitatis oceano colligit suoque loco restituit. Alia scil. ex *Athenæo*, *Strabone*, *Arsenii Collectaneis*, *Hephæstione*, alia *ex Eustathio*, *Ammonio*, *Æliano*, *Aristophanis & Nicandri Scholiastis*, alia e *Dione Chrysostomo*, *Corinthio de Dialectis*, *Maximo Tyrio*, *Hesychio*, alia *denique e Stobæo*, *Etymologico Magno*, *Polluce*, *Demetrio Phalereo* & aliis repetens, singulari studio excerpsit: eorumque collectione altera fere parte auctiorem nobis Anacreontem reddidit. Græca omnia in Latinum convertit, & ut sensum eo melius lectori redderet, Prosaico sermone verbum fere verbo expressit. In notis pulcherrimis autem, sensum & paraphrasin suam explicare & illustrare studuit. Jam enim variorum collatione codicum & MSC. Vaticani contextus lectionem emendat, firmat, vindicat, quod ad v. 235, 237 & ubique fere factum deprehendes. Jam metri rationem accuratissime persequitur, singularum odarum genera, horumque varietatem notat, & observationes circa illa necessarias addit, quod post infinita alia loca vel ex una ad v. 469 nota intelliges, ubi contra Henricum Stephanum, in generis Anacreontici prima regione spondæum pro Anapæsto poni posse & solere evincit. Potissimum vero Autoris sensum ubique explanare ac illustrare nititur. Quem in finem sæpe aliorum optimorum Auctorum loca cum Poëtæ sui dictis confert: sic ad v. 61 Cupidinis Anacreonti servientis & papyro caput præcincti imaginem Ægyptiorum comparatione servorum, *Juvenalis*, *Plinii Pieriique in Hieroglyphicis* locis adductis illustrat. Sic ad v. 701 Musarum amorem, quo *cicadam*, perhibente Anacreonte, prosequi dicuntur, ex *Æliano* declarat. Quin ipsas *μυσομαιοις* appel-

pellari, Musis pariter atque Apollini sacras, Musicæ peritas credi, ipsisque adeo cygnis præferri, variis ex *Anthologia*, *Pierio*, *Euripide* locis probat. Sic ad Epigramma Anacreontis in *Myronis Buculam* v. 1342 tantam ejus fuisse elegantiam, tamque prope æneam istam figuram ad vivæ similitudinem bovis accessisse, ex *Anthologia & Propertio* ostendit, ut aliæ boves illi admugire, tauri assurgere, vituli sugendi studio abblandiri consueverint. Sæpe etiam noster ex antiquitate lucem affundere obscurioribus Poëtæ dictis solet. Quod enim v. 232 sq. dicitur, Cupidinem secum pugnantem, absumtis reliquis sagittis, ipsum se velut jaculum in Anacreontem conjecisse, id ex prisca militia Barnesius deducit; quod generosi olim milites, *Lucano* & *Papinio* testibus, absumtis telis ac viribus jam deficientibus, cum brevi moribundos se in terram lapsuros animadverterent, extremis viribus collectis, sese in adversarii sui corpus conjicerent, ut & morientes, vel solo corporis sui irruentis pondere ipsum prosternerent. Orestes v. 484 ideo **λευκόπους** ab Anacreonte emphatice dici traditur, quod insanus esset, discalceatusque vagaretur, quam ob causam & Bacchæ Euripidi **λευκόποδες** audiant; vel potius quod in antiquæ Tragœdiæ scenis, diu etiam ante Æschylum, Sophoclem & Euripidem notis, albis calceis usi fuerint. Quod Anacreon v. 992 se hymnos, quasi certamine proposito, cantaturum dicit, ex eo illustrat, quod, Pausania teste, in publicis Græciæ certaminibus, Pythiis præcipue, omnium primum & præcipuum certamen fuerit, hymnis in Deum Apollinem contendere: quæ ulterius noster de Dionysiacis etiam certaminibus ad v. 1290 ex *Euripide*, *Plutarcho*, *Æliano* doctissime persequitur. Interdum & profundiores in Anacreonte suo sensus quærit & aperit Barnesius. Quod enim Anacreon v. 841 rosam **θεῶν ἄημα**, & v. 83 **τὰ ῥόδα θεοῖσι τερπνά** appellat, in eo altius quid latere existimat. Ipsam scilicet Deorum præsentiam roseum quid spirare creditum esse, *e Virgilio & Euripide*, præsentisque alicujus Divinitatis optimum omen habitum fuisse, cum odor bonus absque causa sentiatur, *e Cardano* de Subtilitate probat. Interdum e sententiis Anacreontis integros communes Locos CL. Editor conficit. Sic frequentem & nobilem Anacreontis **ἔννοιαν**, **τὸ**

 σήμερον

σήμερον μέλει μοι, τὸδ' αὔριον τίς οἶδεν; e *Theocrito*, *Anthologia*, *Callimacho*, *Horatio*, *Virgilio*, *Seneca*, *Homero*, *Salomone* aliisque illustrat: in pluribusque locis pari studio utitur. Haud raro etiam aliorum editorum contextum, paraphrasin notasque examinat, & satis severe taxat. Odarion LXIV multum quidem injuria temporis, sed plus ex amanuensium inscitia passum, p. 218 ostendit. *Longapetræo* ad v. 316 acrius judicium quam *Daceriæ* tribuit, eumque emunctioris quam plures alios naris virum esse, ad v. 974 fatetur. *Tanaquillum Fabrum* sæpe, cum soli sibi sapere videtur, nihil videre, ad v. 237 existimat. Ejus nugas ab ipsa illius filia merito damnari, ad v. 184, rectius illo *Baxterum* judicare ad v. 785 censet. Ipsum tamen etiam *Baxterum* interdum versus Anacreontis lædere, ad Oden LXIII: *Henricum Stephanum* autem jure quosdam versus aliis dubios visos Anacreonti vindicare, ad v. 248 docet. Ipsum denique stylum Anacreontis, ejusque suavissimam ἰδέαν ubique miratur CL. Barnesius; ejus dicendi genus κομψὸν, μέλιτός τε παντὸς ὄζον, χαρίτων πνέον τε πασῶν, cum *Henrico Stephano* p. 384. appellat. Nonnunquam tamen Anacreontem se ipso majorem ac sublimiorem videri posse, ut a v. 489 ad 494 tota ode LXIV & v. 1140 sq. observat. Contextui Anacreontis ista ratione illisque augmentis ac notis ornato, Ἀνακρεόντεια quædam Carmina interpretatione sua notisque perpetuis illustrata Autor subjungit. Primum inter ea locum occupat Θεοκρίτου εἰς νεκρὸν Ἄδωνιν εἰδύλλιον p. 332. Sequitur Barnesii in Anacreontem uvæ acino suffocatum Græca nænia, *Amoris* nomine, & *Abrahami Couleji* Angli Poetæ nobilissimi imitatione conscripta p. 338. Hanc excipiunt *Antipatri Sidonii*, *Simonidæ*, *Leonidæ Tarentini*, *Eugenis*, *Dioscoridæ*, *Theocriti*, *Critiæ Atheniensis*, *Cælii Calcagnini*, *Henrici Stephani*, *Tanaquilli Fabri*, Græca & Latina Epigrammata in Anacreontem pluscula. Claudit opus *Anacreon Christianus*, sive cumulus carminum Græcorum ad imitationem Anacreontis de materiis sacris ac divinis, mundi, fortunæque contemtu, veroque humani generis lucro, a felicissimo Barnesii ingenio profectorum, nec sine singulari mentis delectatione legendorum. Præmissa est operi longa satis præfatio, Anacreontis vi-

tam, mores, fata & ſcripta exhibens. In qua Barneſius ſtudioſiſſime omnia undique conquiſiviſſe videtur, quæ ad Poëtæ hujus natales, ætatem, indolem, exilium, conſuetudinem cum Polycrate, Hipparcho aliisque, honores, laudatores, ſcripta, ſtylum, mortemq; pertinere videbantur. Multa hic occurrunt elegantia, multæ digreſſiones doctiſſimæ, & obſervationes, quibus aliorum errores circa Anacreontis hiſtoriam notantur, haud injucundæ. In primis multus eſt Barneſius in caſtitate & continentia Anacreontis a tot antiquorum & recentiorum convitiis vindicanda: in quibus tanto ſe captum Poëtæ hujus amore prodit, ut nihil ejus non probare poſſe videatur. Sed ſunt tamen ibi aliqua, quod pace humaniſſimi Viri dicere nobis liceat, quæ nondum omnino ſatis firma haberi queant. Certe quæ de Regio Anacreontis ſtemmate, falſam Platonis a Serrano datam paraphraſin Daceriæque judicium ſecutus §. III dicit, ſatis jam a CL. Bælio in Diction. Critico ſunt confutata. Quæ de Anacreontis ſero & ſerio cum quadam fœmina conjugio § XVIII in vita Anacr. & ad Oden XLIV tradit, ſomnio quodam Anacreontis, forſan non accurate ſatis explicato, nituntur. Quæ de Poëmate quodam Anacreontis, quo pius Ulyſsis in Penelopen amor celebratus fuiſſe dicitur, §. 32 perhibet, argumento ſatis firmo deſtituuntur, cum *fides Teja* qua Horatius *Penelopen Circenque in uno laborantes laudatas* lib. I Od. 17 dicit, nihil aliud quam Lyricum carmen imitatione forte Teji Poetæ factum ſignificet. Prolegomena altera quæ operi præmittuntur, tractationem de *Lyrica Poëſi* continent; lyræ nomina, antiquitatem, inventorem, chordarum numerum, Lyrici Carminis materiam, uſum, Poëtrias & Poëtas, eorumque brevem hiſtoriam explicant: inprimis Anacreontis elogia, ſublimitatem, elegantiam & metri rationem declarant; Interpretum Anacreontis futurorum requiſita edocent, objectionibusque adverſariorum Anacreontis occurrunt. Ad ornamenta denique libri hujus, præter chartam typorumque nitidam elegantiam, tres pulcherrimæ icones, *Barneſii*, *Anacreontis*, Celſiſſimique Ducis *Marlboroughi* pertinent, cum carmine Græco *Ἐπινικίῳ de inſigni victoria ad agrum Blindheimenſem* a Marlborougho deportata; quam uti hoc quoque anno in Belgiis

 felici-

feliciter continuavit Heros invictisſimus, ita ut porro hæ victoriæ inſtrumenta multarum ſequentium ſint, dignumque tantis rebus geſtis poſteritati prædicandis Homerum in Barneſio habeant, merito precamur. Tandem etiam, ne in his Eruditorum Actis Catalogum Operum a Barneſio editorum & edendorum obliviſcamur, inſtituti noſtri ratio poſtulat. LXI igitur ſcripta partim edita, partim jam elaborata typosque publicos provocantia, partim delineata, alteramque manum exſpectantia, ipſe Autor recenſet. De qua tam numeroſa prole, ut merito Autori CL. gratulamur; ita ut omnes iſti fœtus, tandem Eruditis publicentur, communi eorum nomine obteſtamur.

DELINEATIO MONTIS A METROPOLI HASSO-Caſſellana uno circiter milliari diſtantis, qui olim WINTER CASTEN, id eſt, hiemis receptaculum dicebatur, nunc autem CAROLINUS audit, ob ædificia & aquarum fontes, quibus Sereniſſimus Princeps ac Dominus, Dn CAROLUS, Landgravius Haſſiæ, &c. &c. illum poſteritatis monumento magnifice exornavit. Opera JOH. FRANCISCI GUEMERII, in alma urbe Architecti.

Caſſellis, typis Henrici Harmes, Aulæ Haſſiacæ Typographi, 1706 in fol.

Conſtat plag. 5 & tabulis æneis 15.

NUnquam Ars videtur felicior, quam ubi conjunctas præſtat operas Natura. Quamobrem cum Sereniſſimus Haſſiæ Landgravius *Carolus*, ſpecioſum in monte a Caſſellis uno circiter milliari diſtante opus a natura extructum cerneret, pro ingenii ſui ſagacitate, rerum Architectonicarum exquiſita peritia, & inſigni erga ſcientias Mathematicas amore, magis ſpecioſum illud reddere non irrito ſucceſſu anniſus. Dignæ igitur quoniam ſunt nobiles tanti Principis ideæ, quæ omnium admirationi exponantur; utilem *Guemerius* præſtitit operam, dum operis hujus excelſi extructiones ichnographicas & ſcenographica delineamenta dedit, cum brevi deſcriptione, idiomate Latino, Italico,

lico, Gallico, Germanico concepta. Delineationibus adjecit ſcalam palmorum, quibus Rhenani utuntur populi, ex quibus partis cujuslibet deprehendere licet menſuras. Ut vero auguſti hujus operis animo concipere detur lectori quandam ideam; ipſam Autoris deſcriptionem ob abſentiam Tabularum æneatum parumper hinc inde immutatam apponere libet. Invenies nimirum in montis cacumine aream octangularem, cryptis & receſſibus exornatam, quos ex Tiburtino lapide ars exſculpſit. Circumdant hi amplum hypetrum, illudque marmorea exornant ſimulachra in loculamentis exterioribus collocata. In murorum latitudine ſcopulis undique eminentibus via patet, per quam ſine gradibus facile aſcenditur ad montis apicem, ubi ſupra fornices planicies extenditur ad deambulandum commoda. Ab hac area octangulari 60 pedibus diſtantia loculamenta veluti in ſcopulis efformata, quæ marmoreis ſimulachris ſtationem præbent. Deinde duplici ſcalarum ordine ad aream deſcenditur, ubi 3 cryptæ patent, in quarum media Cyclops beneficio præterlabentium aquarum ſuaviter modulatur, in cæteris vero duabus fontes uberrimos receptacula excipiunt. Has cryptas, ſicuti alias proximas, muſivum opus exornat, ex conchis margaritiferis aliisque maris cochleis diverſimode coloratis compoſitum. In platea medium locum occupat irriguus fons, aquarum latices ad altitudinem 50 pedum eructans, atque ab eadem per duplicem facilemque acclivitatem veluti per ſcalas patet deſcenſus ad planiciem inferiorem, ubi ex ingenti ſcopulo copioſæ aquarum undæ præterlabuntur. Ex hoc loco ad tertiam planitiem deſcenditur per gradus, inde ex areæ cujusdam ambitu 600 pedum Rhenanorum, magnificentia ejus cognitu facillima eſt, quam plurimis fontium, ſtatuarum, ſcalarum variisque aliis exornationibus inſtructiſſima, prout areæ modo dictæ amplitudo ex ſcenographicis atque ichnographicis tabulis cuivis obviam ſe ſiſtit. In partibus hinc inde diſpoſitis, ubi aqua abunde decidit, atque citato curſu usque ad plateam præterlabitur, in qua minores fontes emanant, ampliſſimæ ſunt ſcalæ Tiburtino lapide extructæ, variis loculamentis diſtinctæ, com-

modas

modas sedes præbentes. His additur planicies, quæ fontibus diversis pulchrò ordine dispositis circumdatur: gradus insuper ad aream præbent ascensum, in qua virescunt arbores artificio insigni dispositæ, ubi amphitheatrum statuis exornatum conspectui se sistit, quarum binæ ventorum afflatu animatæ dulciter commodulantur, ex utroque latere duos fonticulos minores, in medio autem scopulum immanis magnitudinis præ se ferens, e saxis crassioribus extructum. Subter scopulis ante memoratis Gigas apparet, copiosissimas aquas faucibus ejaculans, quæ plures exinde fonticulos prosilientes efformant, in majus postea labrum delabentes, unde cascata exoritur usque ad aream aliquam 600 pedum longitudine se extendens. In infima areæ parte aqua decidit triplici repagulo interrupta, fonticulis aliis interim circumquaque effluentibus usque ad cryptam, omniumque effluvia simul congregata partim iterum in ternos fontes dividuntur, partim in amplum receptaculum citato cursu magnoque impetu excurrunt, rursusque in alios rivulos disperguntur, donec in planitie Amphitheatri absoluto labore placide quiescant. Hoc Amphitheatrum scopuli, arbores, fontes mira arte dispositi exornant, atque in ejus centro planicies patet, in qua amplum aquarum labrum; in lateribus vero hinc inde oppositis duo viridaria visuntur, in quibus domus perpulchre extructæ, & fontem spaciosa porticus exornat, ex qua ad viridarium per gradus datur descensus, prope quos omnium aquarum decidentium undæ recipiuntur. Plurimaque sunt artis ornamenta, quæ omnia Tiburtino lapide molibusque ingentibus constant, ut scenographica delineatio repræsentat, ex qua facilius mens deprehendet, quicquid e proximo oculus intueri nequit.

HENRICI BRENKMANN JURIS CONSULTI DE Eurematicis Diatriba: Sive in Herennii Modestini Librum singularem περὶ εὑρηματικῶν, Commentarius.

Lugduni Batavorum, apud Fredericum Haaringh. 1706 in 8. 20 plag.

Heren-

HErennium Modestinum, sive fragmenta libri singularis, quem περὶ εὑρηματικῶν inscripserat Modestinus, commentario illustrata, Celeberrimus Schilterus, ante aliquot annos, luci publicæ exposuit. Cum vero Doctissimus Autor noster, ubi primum ad hanc materiam animum appulit, diligenter inquisivisset, num forte aliquis Modestini illa de Eurematicis pertractasset, percunctando tamen inquirendoque neminem invenisset, liquido adseverare non dubitavit, fragmenta Modestini de Eurematicis, a nemine hactenus, quod sciret, ex professo tradita esse. Sed, opere vixdum absoluto, forte fortuna incidit in laudatum illum Schilteri commentarium. Tum initio se pœnituisse ait insumti laboris, quem a Celeberrimo inter Germanos Antecessore occupatum viderit; sed continuo cogitasse, non omnia sic cum ipso sibi communia fore, quin aliquid fortasse majoris momenti, nondum ab eo animadversum, proferret; imo legendo cognovisse, tantopere inter se discrepare istam & suam expositionem, ut haud multum luminibus suis illa officere videatur; quod ut lectoribus eo magis approbaret, aliquem de ea recensum & epicrisin in fine operis sui adjecit. Ipsam Diatribam hanc quod attinet, constat illa duodecim capitibus, quorum primum exhibet introductionem in materiam de Eurematicis; secundum *l.65 de Procur.* tertium *l.25.ad SCt.Vellej.* quartum *l.63.de jur.dot.* quintum *l.58.de solut.matrim.* sextum *l.9.de susp.Tutor.* septimum *l.4.de vulg. & pupill. substit.* octavum *l.50. de acquir.vel omitt.hered.* nonum *l.19.de usu & usufr.leg.* decimum *l.53. de condit. & demonstr.* undecimum *l. 45. ad Sct. Trebell.* in quibus omnibus fragmenta Modestini, quæ de Eurematicis habentur, explanat, quibus duodecimum varia aliorum JCtorum Eurematica adjicit. Uti autem omnia, ex Jurisprudentia humaniori, erudite illustrantur, ita instituto nostro, & Lectorum desiderio satisfieri posse arbitramur, si paucula inde specialius delibemus. In capite primo notat Clarissimus Autor, inscriptionem tractatus Modestini esse mere Græcam, & tam religiose, ni imperite potius, τὸ ΠΕΡΙ ΕΥΡΗΜΑΤΙΚΩΝ transscriptum, ut, quoniam majusculæ apud Græcos literæ vulgo omni accentu spirituque carent, de *Eurematicis* exaratum videatur, non, ut oportuerat, de

Heurematicis. Nihil autem aliud εὑρηματικὸν significat, quam inventum, sive inventionem, ac proprie, ex sententia Nostri, Eurematica sunt remedia, quibus JCti nimium juris rigorem, inventis verborum fraudibus, ad æquitatem naturalem inflectunt reducuntque, quam definitionem uberius deinde Consultissimus Autor explicat, ac sigillatim de nomine fraudis, remedii, inventi, cautionis vel cautelæ agit, eo etiam adjecto, quod Modestinus, ad exemplum aliorum præstantissimorum, tum juris, tum alterius scribendi generis Autorum, Q. Mucii, Labeonis, Pomponii, Pauli & Tullii, Græcum tractatus sui indicem fecisse videatur, maxime quod Græca lingua majorem in modum delectaretur, cum sex Excusationum libros, forsan & alia, Græce conscripserit. Cum porro verborum fraudes, a JCtis excogitatæ, in formulis & interpretationibus constiterint, ideo has quoque Noster declarat. De cætero Eurematica ipsi triplicis generis esse videntur, quædam enim sunt necessitatis, quædam securitatis, nonnulla etiam honestatis humanitatisque, quæ singula diligenter persequitur, eorumque usum in judiciis, contractibus & ultimis voluntatibus ostendit. Cum igitur tam insignis & multiplex Eurematicorum in Jure usus appareat, merito jam olim valde gratum acceptumque populo, hoc JCtorum munus accidisse, ac ex eo JCtos præcipue Prudentes sive Jurisprudentes fuisse vocatos, notat, & a communi Jurisperitorum laude, ad singularem Modestini commendationem translatus, quædam minus vulgaria de ipso præfatur. Fuit scilicet Modestinus Ulpiani discipulus, vixitque sub Alexandro Severo, atque ultimus fuit eorum, qui Jurisprudentiæ fama apud posteros floruere, ut cum ipso oracula JCtorum obmutuisse, eleganter Gothofredus dixerit. Quod ad indolem Modestini, valde æqualis & moderatus fuit, modeste modiceque de se sentiens, & tamen, quæ displicebant, ingenue notare, ac disputando animi sui sensa libere & constanter promere sustinuit, hinc sæpe etiam in media dominatione, libera & imperterrita ejus vox extitit. Æquitatem passim prætulit juri stricto, ac scripta civilis sapientiæ & solidioris ratiocinii plena reliquit, fragmentis, quæ crebra in Pandectis occurrunt, abunde id comprobantibus. In Capite octavo, occurrit explicatio *l. 50. de acqu. vel omitt.*

omitt. hæred. in qua dicitur, quod si per epistolam servo pupilli tutor hæreditatem adire jusserit, & post subscriptam epistolam, antequam ex ea servus hæreditatem adiret, tutor moriatur, nemo dicturus sit, obligari postea pupillum hæreditati. Circa eam observat Clarissimus Autor, usum procuratorum & nunciorum, contra jus subtile ac rigidum, moribus introductum esse, nec tamen, in omnibus omnino actionibus, locum habuisse, sed actus legitimos, ac inprimis hæreditatis aditionem, præfracte operam istam vicariam respuisse, rursus tamen, favore pupillorum receptum esse, ut etiam per tutorem, hæredes fieri possint. Sed ne quid temere hic concessum putes, non omni pupillo, sed infanti solum hoc datum esse, Noster deinde annotat, id tertio adjiciens, quod tutor, eo casu, non statim adeat, sed fere prius servum pupilli, nomine domini, hæreditatem jubeat adire: quibus positis, apparere amplius ait, in textu nostro, pupillum infantem supponi debere, num vero ipsum, vel ejus servum, hæredem institutum dicas, nihil referre. Quod autem, mortuo tutore, pupillum, ex servi ignorantis aditione, hæreditati non obligari, in lege nostra dicatur, illud singulare, ac diligentissimæ observationis Noster esse censet, cum, secundum communes juris regulas, contrarium omnino dicendum sit. Sed ut hactenus sententia legis satis sit manifesta, quodnam tamen Eurematicum hinc deduci possit, non perinde liquet. Fatetur igitur Clarissimus Autor, se non multum hic invenire, quod cautionem sapiat, hinc amplius conjicit, compilatores Pandectarum hunc locum quidem ex Modestini libro singulari de Eurematicis desumsisse, sed non propter ipsum Eurematicum, ut cæteros plerosque, verum ut materiæ de adeunda vel omittenda hæreditate inserviret, neglecto, quod ei adhærebat, Eurematico. Caput ultimum variis aliorum Eurematicis destinatur, quæ strictim recensebimus: Referuntur itaque Eurematica Q. Mucii Scævolæ, C. Galli Aquilii, Antistii Labeonis, Neratii Prisci, Juventii Celsi, Salvii Juliani, Sexti Cæcilii Africani, Sexti Pomponii, Gaji, Terentii Clementis, Ulpii Marcelli, Q. Cervidii Scævolæ, L. Æmilii Papiniani, Claudii Tryphonini & Ælii Marciani, Ulpiani & Pauli, Venuleji Saturnini, ac tandem

incertorum Auctorum, cujus generis Nostro esse videntur, vetus illa testandi ratio per æs & libram, providentia circa substitutionem pupillarem tradita in §. 3. *I. de pup. substit.* clausula codicillaris, fictiones legis Corneliæ & juris postliminii, constitutum possessorium aliæque fictæ traditiones, cessio in jure, & omnes imaginariæ ac umbraticæ emtiones venditiones, aliique actus solennes & legitimi: denique, quæ ad Jus publicum pertinere censentur, aquæ & ignis interdictio, pœnæ servitus & addictio in servitutem, si quis ad nomen non respondisset. Hæc tria enim, judice Nostro, nihil aliud sunt, quam mera commenta, in fraudem legis Porciæ & Semproniæ.

AD SODALES HISPANÆ CONFRATERNITATIS SS. Sacramenti, qui in solemnibus exequiis LEOPOLDI Rom. Imperatoris, Urnam sepulcbralem, & ipsius effigiem magnifico apparatu erexerant, Oratio Panegyrica Comitis JOANNIS BAPTISTÆ COMATII, ejusdem Confraternitatis Consodalis; habita Viennæ in Parochia Cæsarea Sancti Michaelis, Anno 1705, 1. 2. 3 & 4 Septembris.

Viennæ Austriæ, typis Joannis van Ghelen, 1705. fol.
Constat pl. 10 & fig. æn. 2.

NOn ignobile est inter nitidissimos hujus ævi scriptores Etruscos Illustr. Comitis *Comatii* nomen, quippe qui variis hactenus libris historicis atque politicis pulcre contextis inclaruit, quorum cum in Actis nostris, nescimus quo fato, mentio facta fuerit nulla, non erit ab hoc loco alienum, de his, qui ad manus nostras pervenere, paucis præfari. Nimirum postquam Historiographi Cæsarei munus, morte Ill. Comitis Galeatii Gualdi Priorati relictum, Comatio fuisset demandatum, qui solus dignus habebatur Imperatori *LEOPOLDO*, qui historiam rerum suarum a Gualdo cœptam pertexeret, e re existimavit, ea primum, quæ Gualdus fusius usque ad annum 1670 (quo vastum ejus opus *Historia di Leopoldo Cesare* Viennæ II Voluminibus in fol. prodiit) tradiderat, in compendium redigere. Prodiit ergo ejus *Istoria di Leopoldo Primo Imperadore* Viennæ,

Viennæ, circa annum 1689, duobus minoribus tomis in 8, eoque ſtatim plauſu exceptus liber eſt, ut & mox A. 1690 in Germanicam linguam translatus Auguſtæ Vindelicorum prodiret, & deinde A. 1697 Viennæ, etſi haud auctior, recuderetur; quo eodem anno prodiit ibidem libellus ejus elegans *Coronazione del Re dell' Ungaria, Giuſeppe, Arciduca d' Auſtria, celebrata in Poſonia l' anno 1687 li 9 Decembre*, in 8, quo multa continentur, quæ ad res Hungariæ accurate intelligendas pertinent. Dignisſimus quoque lectu eſt ejus libellus *La Mente del Savio* inſcriptus, quem ibidem anno 1697 in 8 impreſſum vidimus, primogenitum tamen ab Auctore in dedicatione appellatum, ubi Sapientem primo accurate deſcribit, deinde quem is conceptum de exiſtentia Dei, de religione, de rebus ſupernaturalibus, de immortalitate animæ, de libertate humana, de bono & malo, de virtutibus & vitiis, de ſe ipſo & ſuo ſtatu, de aliorum conceptu, affectibus, intentione & moribus, de legibus humanis, de mundi gubernatione, deque vita & morte habeat, ſigillatim, variis admixtis exemplis hiſtoricis, oſtendit. Denique Venetiis A. 1699 & hoc ipſo anno 1706 Viennæ prodiit ejusdem liber *La Morale dei Principi, oſſervata nell' Iſtoria di tutti gl' Imperadori, che regnarono in Roma*, in 8, in quo, transcurſa Cæſarum a Julio usque ad Conſtantium Chlorum hiſtoria, quædam notatu digniora paucis verbis excerpſit, quibus deinde morales quasdam obſervationes ſubjecit, & in his artes regnandi luculenter oſtendit. Hæc ſunt Comatii opera, hactenus a nobis viſa, in quibus & eruditionis varietatem, & ſermonis Etruſci, in quo regnat, ſuavitatem merito commendamus. At eum non minus Latinæ linguæ peritiſſimum eſſe, hic, quem ſiſtimus, Panegyricus oſtendit, quem, cum Hiſpanum Cæſareo - Regium Sodalitium SS. Sacramenti *LEOPOLDO* in Cæſarea Parochia S. Michaelis funebrem molem longe elegantiſſimam (cujus hic typus affabre depictus cernitur) exſtruxiſſet, magno omnium plauſu recitavit. In hoc virtutes Leopoldi, pietatem, prudentiam, conſtantiam, aliasque decantat, & qualem non modo ſuis, ſed & hoſtibus ſe propinaverit, qua felicitate Turcas Galloſque ſuperaverit, verbis magnificis oſtendit; neque minus ſingularia nonnulla paucisque

nota inspergit. Quorsum pertinent omina illa: *In Zentha conflictu prævolantes luserunt Aquilæ: ante desolationem Bosniæ, lymphatici per compita urbium clamarunt Vates: in extremis Hungariæ motibus, sacræ fleverunt imagines: ante Hachstetbianam Gallorum stragem, victoriæ nuntius Viennam accessit.* Verum malumus Lectores totam orationem perlegere, quandoquidem metuendum nobis est, ne, si laciniam pulcerrimæ vesti detrahamus, elegantiæ aliquid decedat.

NOVA LITTERARIA EX ANGLIA.

PLures Anglos sub prelo habere libros eximios, ex impressis aliquot schedis, quæ in manus nostras pervenere, intelleximus. Præterquam enim quod Oxonii Vir celeberrimus, Joannes Mill, S. T. P. Prolegomena Novo Testamento, quod Græce in folio, quod ajunt, cum variis lectionibus splendido volumine editurus est, præmittenda excudit, ibidem doctissimus Jo. Ernestus Grabe exactissimam Versionis LXXviralis editionem procurare aggressus est, id quod ante illum Fronto Duceus in Gallia, & Is. Vossius in Anglia frustra tentarunt. Constituit autem exemplar Alexandrinum sequi, a Wanlejo magna industria atque studio collatum, quod cur ceteris MSptis præferat, in epistola quadam ad laudatum Millium ostendit. Neque tamen alia MSpta negliget, quorum ope textus multis modis emendabitur, & supplebitur locis bis mille, in quibus sunt trecenti fere versus integri, qui in Anglicanis hactenus editionibus desiderati sunt. Hæ additiones atque emendationes suis locis, sed paulo minori charactere, inserentur, & si quid fuerit in Alexandrino codice emendatum, lectio tamen ejus codicis in margine deprehendetur. Præterea accedent passim Origenis asterisci atque obelisci, nulli hactenus editioni additi, & inter deperditos habiti, quorum illos supplementis, quibus lacunas LXXviralis versionis suppleverat, hos vero verbis & sententiis, quæ in textu Hebraico non comparebant, præfixit. Ceterum Grabium hunc ad editionem tam egregii operis haud imparatum accedere, vel tres ejus dissertationes de versione LXX Interpretum nuper Oxonii in 4 editæ, documento esse possunt. Imprimuntur & Oxonii Livii Opera, sex Voluminibus comprehensa cum variis Le-

ctio-

ctionibus, Chronologia & Notis, in 8, accurante T. Hearne A. M. quam editionem eo futuram ſperamus præſtantiorem, quod ejus ordinandæ ac revidendæ curam, præter dictum Hearne, eruditisſimus Hudſonus, Bibliothecarius Bodlejanus, in ſe ſuſcepit. Nimirum ipſe textus is futurus eſt, quem Gronovius ſenior exhibet, cum MSptis tamen variis, nunquam antea collatis, & editionibus præſtantioribus comparatus, cui ſeries chronologica, qualem Dodwellus conſignavit, in margine adjungetur. Subjicientur ſingulis fere paginis variæ lectiones, nec non conjecturæ atque emendationes virorum eruditorum longe plurimæ, quas alii Livii editores inſuper habuere, brevisſimis tamen, ne lectori offenſioni eſſe posſint. Proinde in fine cujusque voluminis, vel ſi videbitur, junctim in ultimo, annotationes & explicationes prolixiores, quæ textui commode ſubnecti non potuere, nec non Nummi atque Inſcriptiones, quæ ad illuſtranda Livii loca pertinent, deprehendentur. Denique lacunæ e Doujatio ſupplebuntur, & mappæ Geographicæ accuratiores ſuis locis inſerentur; & accedent operi luculenta præfatio, & indices copioſiores. Hæc ubi abſoluta fuerint, de imprimendis pariter Freinshemii Supplementis deliberabitur. Sic deinde etiam Tacitum duobus voluminibus, in 8, & Ciceronem duodecim voluminibus excudendum eſſe, in eadem ſcheda, ex qua hæc deprompſimus, nuntiatur. Vidimus & Dionis Caſſii novum ſpecimen, in fol. cujus quippe Scriptoris Hiſtorias Romanas, ex Guil. Xylandri Interpretatione a Jo. Leunclavio locis innumeris emendatas recudere Angli conſtituere. Neque vero inter Wechelianam & novam hanc editionem quicquam intereſſe videtur, niſi quod, quæ ad finem illius editionis adjectæ ſunt notæ, hic ſingulis paginis ſubjunctæ conſpiciuntur, quibus tamen plurimas adjecit Oddy, qui hanc forte editionem curabit. Appoſitæ quoque ſunt ſingulis paginis anni; contra, quæ in margine Wechelianæ exſtant, notulæ omiſſæ omnes. Sunt & ſub prelo Oxonii Theodoſii Sphærica Gr. Lat. accurante Joſ. Hunt, A. M. in 8. Item Eduardi Lhwyd, Ashmoliani Muſei Cuſtodis, Archæologia Britannica; containing ſome Account, additional to what has been hitherto published, of the ancienteſt Languages, Cuſtoms and Monu-

Monuments of the British Isles; from Obſervations and Collections in Travels through Wales, Cornwall, Baſſe Bretagne, Ireland and Scotlant, Vol. I. in fol. An Expoſition of Daniel's Prophecy of LXX Weeks, with Chronological Tables of thoſe Weeks, and other matters relating to the ſame; by the Right Reverend Father in God, William Lord Biſhop of Worceſter, in 4. The Natural Immortality of the Soul aſſerted and proved, from Scripture and Primitive Antiquity; (in Anſwer to a Book written by Mr. Dodwell, entit'led *The Diſtinction between Soul and Spirit*) wherein the true ſenſe of the Fathers concerning the Origin, Nature and Immortality of the Soul is repreſented, and a particular and full Account given of all thoſe Citations, Mr. Dodwell has made from them; by Tho. Milles, B. D. of Chriſt Church. Promittuntur etiam libri ſequentes, quanquam nondum prelo ſubjecti: Geographorum Græcorum minorum Volumen tertium, cura Jo. Hudſon, 8; Boſtoni Buriensis Catalogus Scriptorum Eccleſiæ, & Joannis Lelandi Opus de Scriptoribus Majoris Britanniæ illuſtribus, cum Additamentis uberrimis, e codicibus MSptis & impreſſis, per T. Tanner A. M. Cancel. Norwic. nec non John Spelman's Life of King Alfred the Great, from the Original Copy, with ſeveral Additions from MSS. by Mr. Hearne, cui, ſi e re videbitur, accedent ejuſdem Spelmanni tractatus duo, alter A view of a printed Book entitul'd, *Obſervations upon his Majeſties (King Charles I) late Anſwers and Expreſſes*, alter The Caſe of our Affairs in Law and Religion examin'd.

LIBRI NOVI ALII.

Le Grand Cabinet Romain ou Recueil d' Antiquitez Romaines que l' on trouve à Rome, avec les Explications de Michel Ange de la Chauſſe. A Amſterdam, chez Fr. Honoré & Zach. Chatelain, 1706. fol.

Nouveaux Memoires de Mr. Nodot, ou Obſervations qu' il a faites pendant ſon Voyage d' Italie. Avec des Cartes & des Figures. A Amſterdam chez Zacharie Chaſtelain le Fils, 1706. 12.

Divers Ecrits touchant la Signature du Formulaire, par Rapport à la derniere Conſtitution de N. S. P. le Pape Clem. XI. 1706. 12.

N. XI. 483

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Novembris Anno MDCCVI.

JOHANNIS MARCKII BIBLICÆ EXERCITATIONES ad quinquaginta selecta loca Veteris & Novi Testamenti.

Amstelodami, apud Gerardum Borstium, 1706. in 4. Alph. 6. plag. 8.

POst editas A. 1694. ad selectiora loca Veteris & Novi Testamenti, numero quinquaginta, Exercitationes *Textuales*, a nobis in his Actis anno modo nominato p. 234. s. recensitas, alias nunc ad totidem utriusque Fœderis extantiores textus Exercitationes, quas *Biblicas* vocare lubuit, Clarissimus MARCKIUS nobiscum communicat; unde non possumus, quin earundem themata notitiæ Lectorum paucis jam insinuemus, & generatim ante omnia varia heic Polemica, Critica, Chronologica, Moralia, Philologica, Topographica, Historica, Dogmatica & Problematica, quæ delectare ipsum queant, in volumine hoc reperiri significemus, quæ qualianam sint, strictior recensus ipsi paulo clarius ob oculos proponet.

Verborum Dei ad Cainum Gen. IV, 7. hanc esse versionem atque expositionem optimam, conjectura quadam sua nixus, asserit: *annon, si bonam feceris adductionem* vel *oblationem*, vel etiam *excellentiam*, quam possides jure primogenituræ, aut *si bene feceris offerendo*, una cum hoc opere, quin *&, si non bonam illam*, aut *bene feceris, ad ostium peccati cubans* porro, *& ad te*, ut primogenitum, *appetitus illius* tui fratris junioris erit, *& tu adeo dominaberis in eum?* Geminam sane heic, eamque diversissimam conditionem proponi, sed unum tamen eundemque eventum Caino optabilem promitti innuit, qui Cainum ab omni Exercit. I.

Ooo affe-

affectu & molimine pravo in Habelem deberet retrahere, utpote
II. illuc jam nimis inclinatum. *Ordinem filiorum Noachi,* ad locum
Gen. V, 32. illustrandum, ita disponit, ut Japhetum agnoscat ma-
III. ximum, Semum medium, & Chamum minimum. *Annum nativitatis Abrahami* non in septuagesimo, sed in centesimo potius trigesimo patris ipsius Terachi, quærendum autumat, locaque adeo Mosis Gen. XI, 26. & Gen. XII, 4. cum inter se, tum & cum narratione Stephani Act. VII, 4. conciliat. De facto Abraha-
IV. mi, *uxorem suam pro sorore haberi volentis*, Gen. XII, 11. 12. 13. ita judicat, ut Abrahamum a culpa expressi mendacii turpisque lenocinii absolvat quidem, nec tamen ipsum ideo a multa prudentia, subjectione, fide & fiducia commendandum, quin potius de nimio metu, dissimulatione indecenti, & impudicitiæ consensu satis manifesto, redarguendum venire statuat. Pro-
V. missionem Divinam *de semine Abrahami futuro instar stellarum* Gen. XV, 5. primo & directe posteritatis ex Abrahamo nasciturae secundum carnem multitudinem stupendam inferre, sed tamen insimul & pium Abrahami semen tum ex posteris, tum ex Gentibus, spectari, nec Christum excludi debere; in similitudine stellarum etiam, præter numerum, de variis laudabilibus horum po-
VI. sterorum qualitatibus cogitari posse contendit. *Itionem* Abrahami *ad patres*, Genes. XV, 15. memoratam, de ejus morte exponit, & quod addatur, *in pace,* non adeo spectare vult felicem cœli quietem, in quam moriens abierit Abraham, quam prosperitatem & tranquillitatem Abrahami, quæ ipsum in vita sic comi-
VII. tari debeat, ut nec morientem relinquat. In nominibus *Abraham* & *Sarah*, pro Abram & Sarai a Deo his impositis, non aliud mysterium, quam solam seminis multiplicandi denotationem
VIII. quærendam venire admittit. *Columnæ nubis & ignis* historiam ex Exod. XIII, 21. 22. dum illustrat, miraculosam istam omnino fuisse censet, nec pro miraculo substituendam admittit naturæ operationem, nedum humanam industriam in curando altaris foco, quo quidem posteriori in capite Clarissimum Hardtium
IX. palam refutatum dat. Similiter in *aquis Mara amaris* per injectum lignum edulcatis Exod. XV, 22--26. supernaturale Dei
X. ipsiusmet miraculum agnosci cupit. *Coturnices* juxta Exod. XVI,

XVI, 12. 13. Israelitis concessæ in cibum, non locustæ ipsi, sed omnino aves sunt, earundemque multitudinem stupendam miraculis Divinis utique annumerat; & in eadem classe *Manna* quo- XI.
que *deserti* Exod. XVI, 13 -- 36. reponit, quam gloriam & *aquis* XII
ex petra bis miraculose eductis Exod. XVII, 1--7, & celebri *aqua-* XIII.
rum puteo Num. XXI, 16. 17. 18. descripto vindicat. Sententiam
suam olim Exercitat. Textuali VIII. Part. I. assertam, *de vestimen-* XIV.
tis & calceis Israelitarum in deserto duratione extraordinaria instructis, qua vel nullatenus vel potius non plene detrita, a mortuis etiam relicta vivis, & ab his varie, pro ratione ætatis variantis, sibi aptata fuerint Deut. XXIX, 5. contra ea, quæ secus visa
sunt Celeberrimo Hardtio, paucis vindicat. Integrorum de- XV---XIIX.
hinc Psalmorum quatuor, qui sunt *secundus, octavus, decimus sextus* & *sexagesimus octavus*, exegesin subnectit, & in eorundem expositione, præcipua aliquot Christianismi mysteria, ad credentium instructionem, & incredulorum convictionem, stabilita dat.
De מנחה & אשכר Messiæ Regi adducendis juxta Ps. LXXII, XIX.
10. ita sentit, ut voce מנחה munus farreum, vocabulo autem אשכר libamen sacrum notari, modumque loquendi ab œconomia vetere ad cultus spiritualis & corporalis integritatem, lætitiam & acceptionem gratam transferri statuat. *Conversio-* XX.
nem seu *reversionem hominibus a Deo mandatam* Ps. XC, 3. nil nisi hominis mortalis corruptionem & mortem, ex Dei potentissimi & semper vivi sententia ac providentia immissam, respicere
affirmat. Locum alias difficillimum *de nimio justitiæ & sapien-* XXI.
tiæ, simul & improbitatis ac stultitiæ, a Salomone damnato Eccles VII, 16. 17. 18 sic παραφράζει: *Ne justitiam constituas in iis, quæ a Deo non sunt mandata, neque horum etiam intuitu de tua justitia altum sentias, aut dictis factisque te ipsum efferas. Sapientiam similiter noli æstimare, quæ in minus necessariis inutilibus & abditis versatur, nec ex ea aut aliunde tibi crescat animus, nedum ut de te inaniter glorieris; ne desolationis tuæ propriæ per conjuncta hæc vitia fias autor. Porro ne improbitatem agnoscas in iis, quæ Deus ipse non interdixit, ut hinc quoque te ipsum indecenter deprimas, aut depressum prodas; ut ne pro stultitia habeas ignorantiam quamvis, ut hinc vera de omni aut necessaria sapien-*

tia carere doleas, aut exclames; ne ejusmodi viis per additionem ad Dei verbum & abnegationem gratiæ ejus, festinatum tibi accersas judicium. Per *facies aquarum, super quas mittendus sit panis*, Ecclef. XI, 1. homines miferos cum fuis miferiis & lacrymis, qui liberalitate juvandi fint, & *per multitudinem dierum, in qua inveniendus ille rurfus fit*, multos dies vitæ hujus continuos, atque futuram infuper æternitatem intelligit. Circa populi *ad legem & teftimonium* factam Jef. VIII, 20. alligationem, duplicem expofitionem ulterius examinandam fuppeditat. Una hæc eft: *ad legem & teftimonium* fe conferant, attendant & componant, *fi non fint locuturi*, feu loqui nolint, *fecundum verbum hoc, in quo non eft aurora*, h. e. fi in meris tenebris renuant hærere, & veram lucem fincere quærant, quæ non eft extra legem & teftimonium Jehovæ. Altera rurfus hæc: *ad legem*, eo, ut dictum eft, modo fe recipiant, attendant & componant, *& ad teftimonium*, Vatum fcilicet, *fi non loquantur* hi *fecundum verbum hoc* Pythonum & fciolorum, *in quo non eft aurora*, fed lucidiffimam ex adverfo legem Dei teneant, fequantur & inculcent. Jerofolymitani *montis Zion fitum* magis pro meridionali, quam feptentrionali agnofcit, & locum Jef. XIV, 13. illuftrat. *Confilia Dei de longinquo*, Jef. XXV, 1. laudata, refpicere monet non tam præteritum quam futurum, tempora videlicet longe poft futura & loca longinqua. Hæc fummaria eft materia Exercitationum viginti quinque, quibus totidem locorum Veteris Teftamenti vexatiorum fenfus dilucidatur.

XXII. XXIII. XXIV. XXV.

Exerc. XXVI. In fecunda voluminis parte loca Novi Teftamenti tot, quot in priori Veteris, excutiuntur. *Excitationem filiorum Abrahæ ex lapidibus*, Matth. III, 9. allegatam, non vult accipi de immediata lapidum in Abrahamidas converfione, fed putat ex lapidibus dici tum excitari filios Abrahami, quando lapidum vilis, dura & ad nutrimentum naturaliter prorfus inepta fubftantia, cedat loco mollium & aptiorum terræ partium & frugum in nutrimentum, etiam femineum, Abrahamidarum, qui hinc alios iterum gignant filios, ex illa jam in fe mutata lapidum fubftantia.

XXVII. In *Spiritus fuper Chriftum baptizatum defcenfu*, veram *columbæ* formam fuiffe vifam, ad Matt. III, 16. adftruit; quanquam hunc confpe-

ſpectum ad Chriſtum & Johannem reſtringere malit, quam univerſo populo permiſſum credere. *Tentationem Chriſti* vere factam, XXIIX.
ex Matth. IV, 1. ſq. probat. *Debita*, quorum *remiſſionem Divinam* XXIX.
credentes in petitione quinta Matth. VI, 12. ſibi expetant, peccata
eſſe evincit. *Sapientia a liberis ſuis juſtificata* ex Matth. XI, 19. hanc XXX.
facit notionem, ut Sapientia (per quam omnino Chriſtum intelligit,) dicatur non intrinſeca quadam mutatione facta juſta, ſed pro juſta agnita, defenſa, pronunciata, celebrata, adeoque & ab oppreſſione injuſta liberata, & quidem a filiis ſuis, ſeu objective in eis & ob eos, ſeu ſubjective potius ab eis, ut efficientibus iſtius juſtificationis. *Blaſphemiam in Spiritum Sanctum* non re- XXXI.
mitti notat, ad ductum Matth. XII, 31. 32, tum ex rejectione medii unici ſalutis maligna, quæ heic adſit, tum ex defectu reſipiſcentiæ veræ, qui ſemper conſequatur. *Moſen & Eliam* nequa- XXXII.
quam in phantaſia modo, ſed vere, a diſcipulis transfigurationis Chriſti ſpectatoribus fuiſſe viſos affirmat, & locum adeo Matth. XVII, 3. ulterius explanat. *Sanctorum monumenta* in morte XXXIII.
Chriſti *aperta*, eorum vero *excitationem* Chriſti demum ſubſecutam eſſe reſurrectionem ſtatuit, ſuſcitatosque absque altera morte in cœli gloriam ingreſſos pronunciat, ut ſua lux narrationi Matthæi Cap. XXVII, 52. 53. conſtet. Voces, *ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον* XXIV.
Joh. I, 9. non ad hominem, ſed ad τὸ Φῶς trahit. *Accepta* a nobis *ex Chriſti plenitudine* χάρις ἀντὶ χάριτος, XXXV.
explicatur de gratia impetrata pro gratiæ agnitione per preces & gratiarum actiones. Per τὸν Λόγον in locis Actor. XXXVI.
X, 36. XIII, 26. XX, 32. & Hebr. IV, 12. Filium Dei deſignari ob- XXXVII.
ſervat. De *credentibus ad vitam æternam ordinatis*, ex Act. XIII, 48, XXXVIII.
adverſus Pelagianas torſiones varias diſputat. *Πάρεσιν peccatorum* XXXIX.
antecedentium Rom. III, 25. 26. interpretatur de facta fidelibus Patribus ante Chriſtum peccatorum ſeu prætermiſſione, ſeu transmiſſione, ſeu præteritione, ſeu diſſimulatione, quæ ſingula non modo impunitatem peccantium, ſub Novo Teſtamento non minus quam ſub Veteri obtinentem, includant, ſed & punitionem ipſius Vadis ad illud tempus excludant. Poſt *Sapientiæ Evangelicæ* præſtantem deſcriptionem, quæ 1. Cor. II, 6--10. XL.
re-

XLI. reperiunda est, decenter illustratam, *unicum fundamentum* declarat, & de *opere vario ei inædificato* ex 1. Cor. III, 11--15. agit.
XLII. Tum *Angelum Satan Paulum colaphizantem* 2. Cor. XII, 7. expo-
XLIII. nit de percussione corporali ab Angelo malo facta. *Fundamentum Prophetarum & Apostolorum* Eph. II, 20. illud esse perhibet, cui ipsi sint inædificati, vel rectius, quod ipsi active posuerint, sive illud sit personale, ipse Christus, sive reale, doctrina illorum etiam Scripturis comprehensa; lapidis vero *ἀκρογω-*
XLIV. *νιαῖε* nomen Christo recte tribui, palam ostendit. *Firmum Dei fundamentum* 2. Tim. II, 19. Christum ipsum dicit. Quan-
XLV. do Christus Jesus appellatur *Apostolus & Pontifex τῆς ὁμολογίας ἡμῶν*, Hebr. III, 1. per hanc non sponsionem seu conventionem & consensum, sed *confessionem* intelligi debere observat.
XLVI. Quid prudentiæ insit promisso Apostolico *de fundamento ite-*
XLVII. *rum haud jaciendo* Hebr. VI, 1. 2. 3. latius declarat. *Illuminatorum prolabentium renovationem ad resipiscentiam* negatam Hebr. VI, 4. 5. 6. capit de hominis lapsi interiori & exteriori immutatione ad statum & operationem meliorem, magisque Divinæ voluntati simul & saluti propriæ ac statui Adamico quadantenus convenientem. Hanc dicit vocari impossibilem ob impotentiam humanam, quæ tamen ipsa ex negata Divina voluntate & cooperatione oriatur, adeoque sic satis sit absoluta, & monstret, frustra fundamentum prorsus destructum rursus po-
XLVIII. nendum esse. Porro postquam, quid sit *ἄφεσις peccatorum*
XLIX. *tollens oblationem?* Hebr. X, 18. declaravit, & *certum ac grave judicium ultro post agnitionem veritatis peccantium*, ex Hebr. X, 26--29. exposuit, tandem in loco 1. Joh. V, 16. 17. definit, ac
L. quidnam sit *peccatum non ad mortem*, disquirit. Ascendendum nempe putat ad speciem unam, vel multiplicem potius, peccati, adversus quam, præ alia aliqua, decreverit Deus gratiam suam in Christo demonstrare, non in omnibus, sed in multis peccantibus, quæque hinc, sive gravior, sive levior in se, admittat resipiscentiam possibilem & actualem serius vel ocyus, in electis & credentibus hominibus, adeo, ut de nominatis fratribus, qui sic peccant, neutiquam sit desperandum.

Singu-

Singulis his ita absolutis appendix quædam subjicitur, Oratio puta funebris in obitum *Jac. Triglandii*, Jac. Filii, Jac. Nepotis, S. S. Theol. Doctoris, hujusque & antiquitatum Hebraicarum Professoris & Ecclesiæ Lugdunensis Pastoris, ab Autore Clarissimo habita, e qua vitæ a Triglandio transactæ brevissimas has lineas ducere, a scopo nostro haud alienum forte fuerit. Natus est Triglandius Harlemi, VIII. Maji, An. 1652. Undecimo ætatis suæ anno parente utroque orbatus, sub provida amicorum & agnatorum cura multum profecit. Latinas Græcasque literas, cum Philosophiæ principiis, tractavit primum in Schola Harlemensi, & dein in Amstelodamensi, sub ductu Rectoris Adriani Junii. Academias hinc salutaturus, primo venit Harderovicum, hinc Lugdunum transiit, ubi admissus est in hospitium Antonii imprimis Hulsii, cujus ductu multum in Orientalium linguarum exercitio præstitit. Impellente sanctissimo voto morientis Patris, quod religiose habendum merito credidit, Theologiæ se totum consecravit, & in Academia Lugdunensi Viros celeberrimos, Abrahamum Heidanum, Christophorum Wittichium, Fridericum Spanhemium, Davidem Knibbium aliosque diligenter audivit, tantumque ex eorum institutione emolumenti cepit, ut, quotquot respondentem, opponentem, defendentem, orantem Juvenem audirent, de maximis usibus, quos ab ipso olim certo esset habitura, Ecclesiæ lætabundi gloriarentur omnes. Posteaquam in examine solito Classi Harlemensi suam probavit diligentiam, A. 1676 Viris Eruditis, tum per Belgium, tum per Angliam, in quam per septimanas aliquot excurrit, coram innotuit. Vithornæ primum, qui pagus spectabilis est in Diœcesi Trajectina, hinc ineunte A. 1677. Trajecti, A. 1678. Bredæ Ecclesiæ Ministrum egit. Breda ipsum ad se trahere conabantur Medioburgenses, at hæsit ibi usque ad A. 1680, quo ejus ministerium expetiit & impetravit denuo Ecclesia Ultrajectina, a qua divelli se haud passus est per Roterodamensem Ecclesiam, quantopere hæc ipsum urgeret A. 1681; quo tamen labente major fuit in eum Lugdunensium impetus, cui, quippe fortius repetito, cessit, haud liber interim vel a rogationibus Hagiensium, vel a votis Amstelodamensium. Sed mansit nihilosecius Lugduni, ubi

ni, ubi A. 1690. ex Magistratus & Synedrii consensu, labores sacros cum Marckio partitus est. Anno 1686. ordinariam Theologiæ Professionem obtinuit, & insuper A. 1702. novo titulo antiquitates Hebræorum profiteri jussus est. Doctrinam de cætero Noster vere consummatam ei tribuit, linguarumque eum omnium ad stuporem potentem vocat, utpote qui, præter Theologiæ sacræ abstrusissima quæque capita, noverit, quicquid fabulosum aut verum, parvum aut magnum, vetus aut novum, indignum aut dignum dederit seu orbis Christianus, seu Roma gentilis, seu Græcia sapiens, seu Ægyptus solers, seu Oriens etiam extremus. Imprimis nihil tradidisse ait Judæorum populum, per suos Magistros vel Scripturarios, vel Talmudicos varios, quod ipse minus exploratum habuerit. Eruditionis præclaræ monumenta illustria reliquisse ipsum refert non tantum in selectis variis disputationibus, de *Librorum Apocryphorum appellatione*, de *Libro Justorum*, de *Corpore Mosis*, de *Trium Cœlestium Testium apud Johannem authentia*, de *Domini nostri elogiis apud Paulum initio Epistolæ ad Hebræos*; & in Orationibus, de *Legitima Fidei propagandæ ratione*, de *Utilitate Religionis in Republica*, de *Origine & Causis Rituum Mosaicorum*, de *Josepho Patriarcha in Sacri Bovis Hieroglyphico ab Ægyptiis adorato*, de *Laudibus Friderici Spanhemii defuncti*; sed & in Conjectaneis de *Dodone*, & Opere de *Karæis* (a nobis etiam nuper recensito in his Actis, A. 1703. p. 63.) & *Sacræ Scripturæ Vindiciis* adversus novum ejusdem Systema a Viro Docto temere formari cœptum. Et plura accepisset ab ipsius manu Orbis Eruditus, nisi eum fata his terris eripuissent, d. 22. Septembris, A. 1705, quo ætatis suæ quinquagesimum agebat quartum. Superstes tamen perennat in filio, quem præter filias quatuor reliquit, *Jacobo*, qui studiis variis egregie innutritus & excultus, *Juris-Consulti* titulum haud ita pridem cum omnium applausu accepisse dicitur.

IDEA DE' NOBILI NELLE GESTA DEL Comte Ottone Onorio di Traun, &c.

i. e.

i. e.

IDEA NOBILIUM IN VITA ILLUSTRISſimi OTTONIS HONORII, S. R. I. Comitis de Abenſperg & Traun, Wolckenburg & Eglos, Domini in Traun, Petronel & Maiſſa &c. hiſtorice delineata a Dn. DE LA ROCHE, ejusdem quondam Nutritio. In 8.

Conſtat pl. 16.

ETſi in titulo opuſculi hujus, neque loci, ubi editum, neque anni, aut typographi nomen conſpicitur, compertum tamen habemus, illud nuper admodum Viennæ prodiiſſe. Complectitur autem vitam, itinera & res geſtas Illuſtriſſimi Comitis *OTTONIS HONORII DE TRAUN*, hodieque ſuperſtitis, qui præter Aurei Velleris inſigne decus, Supremi Vexilliferi hæreditarii utriusque Auſtriæ, Conſiliarii Status Intimi, Magnique Mareſchalli & Generalis Colonelli Auſtriæ Inferioris dignitate gaudet. Natus is eſt Patre Honorio, & Matre Regina Chriſtina, Comitiſſa de Zinzendorff, anno 1644, die 13 Martii. Religione Catholica a primis annis imbutus, cum ingenium acre & ad quævis aptum prodidiſſet, nactus eſt præceptorem doctiſſimum Wagenſeilium, cujus præceptis & in ſeceſſu Maiſſano, & integro biennio Poſonii uſus eſt. Remoto deinde ex ejus co- 25
mitatu Wechtlero, quem periculum erat, ad Proteſtantium Sacra juvenem traducturum, cum Viennæ palam profeſſus eſſet 28
Catholicam religionem, nutritium nactus *Philippum Patritium* 30
de la Roche, natione Hibernum, qui hujus libri Auctor, iter cum eo ad exteros ingreſſus eſt. Primum in Galliam profectus, anno integro Lugduni, ſtudiorum inprimis gratia, nec breviori tempore Pariſiis commoratus eſt. Hinc Madritum, ubi tum 40
nuptiales feſtivitates inter Leopoldum Cæſarem & Margaritam, per vicarium, Comitem de Pötting celebrabantur, perrexit, at- 48
que in familiaritatem Joannis Auſtriaci admiſſus, cum copias in Luſitanos ducentem ſecutus eſt, egregiaque ea in expeditione

virtutis suæ rudimenta dedit, vario vitæ discrimine feliciter de-
53 functus. Visis postea celebrioribus Hispaniæ urbibus, in Afri-
cam cum Anglis nonnullis e Gaditano portu excurrit, ubi no-
vum in sedanda barbarorum rebellione virtutis specimen edidit;
redux deinde in Hispaniam factus, quicquid visu dignum reli-
quum fuerat, curioso oculo observavit, demumque Barcinone
Genuam solvit. Verum duplici jactatus tempestate, primum
68 Rhodum, deinde Massiliam appulit, & mutato adeo consilio,
cum Melitensium Gallorumque classe denuo in Africam ad subi-
71 gendam urbem Gigeri contendit, qua capta, Melitam ipsam pe-
tens, adversa ventorum vi in Tolonem Martium conjectus est.
Hinc denuo mare ingressus, Italiæ littora legit, & præter Ge-
74 nuam, urbes aliquas Regni Neapolitani & Siciliæ spectavit, &
ubique notatu digniora observavit. Sic Cajetæ vidit sepulcrum
76 matris Æneæ, & carcerem, in quo illo tempore Dux Guisius &
Masanielli propinqui, qui rebellionem adjuverant, asservaban-
tur, Puteoli pontem admirandum, quem opera Diaboli constru-
xisse Petrus Bailardus fertur, Sibyllæ Cumanæ habitationem, se-
pulcrum Agrippinæ, scholam Ciceronis, aliaque, nec non Syra-
81 cusæ cavernas subterraneas, & speculam Archimedis. De-
mum in Melitam insulam venit, & a Magno Magistro cruce &
dignitate Equitis voluntarii ornatus, eo honore dignum se uti-
86 que præstitit. Mox enim Messinam tendens, cum in pyratas Bi-
sertenses incidisset, fortissime maritimo prælio decertavit, atque
inde ad reficiendam navem ad Lampedosam insulam appulit.
88 Vidit hic cultum Christianum & Mahometicum, ab utriusque
religionis asseclis, pari securitate eodem fere loco celebrari.
Namque Turcæ capellæ B. Mariæ Virginis, a Christianis excita-
tæ, adjunxerant sepulcrum Mahometis Pseudo-Prophetæ. Ita
vero more receptum, ut, quisquis illac iter facit, in alterutro
loco pecuniæ vel eduliorum aliquid offerat, nec quicquam au-
ferat, nisi certissimum naufragium, ut traditio fert, velit expe-
riri. Hinc denuo Melitam rediit, rursusque solvens, cum py-
ratas, qui ab omni parte imminebant, feliciter evasisset, Paler-
mum venit, & transcurso Regno Neapolitano, Romam tandem,
97 caput mundi, adiit. Qua vero honoris significatione, & Romæ
a Sum-

a Summo Pontifice, Christina Regina, aliisque primoribus, & in aliis Italiæ urbibus, Viterbii, Senis, Florentiæ, Bononiæ, Ferraræ, Mantuæ, Venetiis, Mirandulæ, Mutini, Parmæ, Placentiæ, Mediolani, Augustæ Taurinorum, & reliquis, ab honoratioribus fuerit receptus, non attinet pluribus referre. Transcursa 111
deinde iterum Gallia, ubi nova ab ipso Rege Ludovico gratiæ documenta habuit, in Belgium secessit, & cum omnia accurate 115
lustrasset, cum Hispanico legato, Petro de Salinas, trajecit in Angliam. Hinc suadente Nutritio *de La Roche*, qui videndæ 120
patriæ cupidus erat, in Hiberniam proficiscitur, & ex hac porro in Scotiam. Redux deinde in Angliam factus, solvit demum Doveria, & per maritimum Galliæ tractum in Belgium rediit, quo tempore Gallos inter & Hispanos bellum exortum est; itaque novum fortitudinis campum nactus, Hispanis operam suam addixit, & splendido munere, quod vocant *General Ajutante*, 129
defungi cœpit, quod quidem mox, Ernesti consanguinei litteris ab eo vitæ genere avocatus, rursus deposuit. Sic, ut Viennam demum reverteretur, Oldenburgum transiit, quo in loco decus illud Comitum, Antonium Guntherum, jam senem, adeo cum 135
aliis virtutibus, tum speciatim arte pictoria, quam probe callebat, sibi obstrinxit, ut octo equis generosis ejusdem coloris ab eo fuerit liberaliter donatus. Cum vero & in itinere Princi- 138
pem Daniæ hæreditarium offendisset, quocum Lugduni in Gallia arctam amicitiam contraxerat, facile sibi persuaderi passus est, ut in Daniam proficisceretur, e qua mox etiam in Succiam excurrit. Denique peragrata universa fere Germania, & Wa- 152
genseilio imprimis præceptore Altdorffii amice salutato, Viennam rediit anno 1667 die 7 Octobris, omnibus virtutibus, qua homini datum est, ornatissimus. Hic mox Cæsaris Leo- 158
poldi gratiam meruit, a quo Camerarii munus, aureæ, ut moris est, clavis traditione accepit, jamque ad matrimonium animum applicans, Mariam Christinam, Comitissam de Zinzendorff & 159
Pottendorff, uxorem duxit ineunte anno 1668, quæ post triginta annorum suavissimum connubium, anno 1698 ad superos migravit, relictis duobus filiis, quorum alter vix degustatis cum 231
Maximiliana, Comitissa de Althaim, nuptiis decessit, alter Ca-

Camerarii aliisque muneribus defungens, Eleonoram Comitissam Palfi uxorem habet, e qua filium hactenus unicum suscepit. Hinc varia munia per gradus obiit, in quibus utique & prudentia ejus singularis, ubi judicandum fuit de rebus arduis, sive in foro, sive in aula, & fortitudo quoque, ubi res postulabat, patuit.
163 Quo loco lectu digna sunt, quæ Noster prolixius de ejus constantia in compescenda teterrima militum rebellione narrat. Solus enim, fortiter pugnando, non exiguam eorum catervam in fugam conjecit, & miraculi instar fuit, eum inter globulorum imbres (quibus & equus ejus periit, & servus non semel trajectus est) atque inter districtos tot mucrones, salvum evasisse.
177 Anno 1679, cum pestis Viennenses invasisset, insignem animi præsentiam ostendit, & paulo post, orto de Turcarum adventu rumore, dignissimus Cæsari & Statibus visus est, ad vim hostium repellendam. Reduxit itaque Viennam copias, easque tradidit Ernesto Starembergio, urbis præfecto, & porro accepto a
185 Cæsare Generalis Commissarii munere, nihil omisit, quod ad urbem tuendam, atque rebus necessariis omnibus repente adimplendam, pertineret. Quin & de commeatu in vicinis locis comparando mature prospexit, ne quid his, qui in auxilium ur-
190 bis appropinquabant, deesset, & frequenter, non sine summo vi-
198 tæ discrimine, ex urbe ad Cæsarem commeavit, ac prospere pu-
201 gnavit cum Turcis. Inde Regi Poloniæ & Electoribus Bavariæ & Saxoniæ, quorum favorem facile obtinuit, obviam missus, nihil omisit, quod ad maturandam opem pertineret, cumque Principes illi cum Duce Lotharingiæ, quo loco transiri commode Danubius posset, deliberarent, omnes ejus consilium pro-
204 barunt. Quin & ipse potissimum struendi pontis curam suscepit, cumque ancoræ aliaque necessaria ad firmandas naves deessent, jussit catenas omnes e vicinarum urbium puteis laqueosque crassiores in unum conferri, quo effecit, ut intra qua-
206 triduum pons integer sterneretur, quod Lotharingio adeo placuit, ut cum primum Tr[illegible] conspexisset, eum suavissime osculatus, Gallicis his verbis compellaverit: *Que vivent les*
207 *Gens d'esprit*. Certe de liberanda urbe adeo fuit sollicitus, ut trium mensium spatio, quo fuit obsessa, somnum non nisi carptum

ptim ac per intervalla ceperit. Unde urbe demum feliciter ab obsidione liberata, inter primos ob insignem operam a Cæsare remuneratus est, & porro ritus ordinavit, quibus congressus Cæsaris Regisque Poloniæ institui debuit. Sic majorem indies 214
Cæsaris gratiam lucratus, munus Commissarii generalis, postea Consiliarii Cameræ Aulicæ, & anno 1690 Magni Mareschalli 221
Austriæ Inferioris, quam dignitatem etiam Sigismundus Adamus & Ernestus e Trauniorum familia possederant, ut & Generalis Colonelli Austriæ, & demum anno 1691 Consiliarii Intimi Sta- 224
tus nactus est. Anno sequenti ad secunda vota processit, Esthere Juliana de Oppersdorff, Francisci Comitis filia, in matrimonium ducta, e qua post novem annos mortua, unicam filiolam hæredem habuit. Hinc ne deesset honorum complementum, anno 1694 ordine Aurei Velleris a Cæsare, cui facultatem 226
fecerat Rex Hispaniæ Carolus II, solenniter decoratus est, cumque coortis, quæ etiamnum durant, turbis Hungaricis, novum virtutis specimen edidisset, insuper Supremus Vexillifer hæreditarius utriusque Austriæ, ac postea Consiliarius actualis Secretiorum Consultationum *(della Segreta Conferenza)* factus est. 232
Denique anno 1704 tertias quoque nuptias, cum vidua Comitis de Weissenwolff omnibus virtutibus ornatissima celebravit, e qua natus illi haud ita pridem filiolus Joannes Adamus. Plura in laudem Traunii, qui nunc quoque superstes, eadem apud JOSEPHUM, qua antea apud Patrem ejus Augustissimum, gratia valet, proferre vetat modestia.

NOUVELLE FORTIFICATION, TANT POUR un terrain bas et humide, que sec et elevé, par feu Minno Baron de Coehorn.

h. e.

NOVA METHODUS MUNIENDI LOCA TAM humilia & humida, quam sicca & elevata, Autore L.B. de COEHORN.

Hagæ Comitum, apud Henricum van Bulderen, 1706. in 8.
Constat plag. 19. tabb. æn. 14.

NOtum satis est *Coehornii* nomen, nota ejus est rerum bellicarum peritia prorsus insignis, nota sunt egregia ipsius inventa ac præclare gesta. A tanto igitur viro quas non nobis polliceamur de arte muniendi meditationes? Quare cum idiomate vernaculo, h. e. Batavo, dudum ab eo publicatæ paucis admodum innotuissent, omnium tamen, quibus Architectura militaris curæ cordique est, ut in notitiam venirent, haud parum intereſſet, non inutilem publico operam præstitit, qui in linguam Gallicam, eruditis nostro tempore satis familiarem, illas traduxit. Equidem ut triplicem, quam Autor celeberrimus proponit, muniendi methodum hic exponamus, instituti nostri ratio non fert, inprimis cum sine prolixis schematismis intelligi nequeat: quodnam tamen ipsius fuerit institutum, breviter recensebimus. Diu scilicet recepta fuit Belgica muniendi forma, multis iisque fini Architecturæ militaris e diametro adversis defectibus laborans, non obstante, quod insigne Germanorum decus *Speckle*, in opere quantivis pretii de Architectura militari, (quod, cum multa in hac scientia exquisita contineat, recentioribusque inventionibus ansam dedisse dicendum sit, nuper Dresdæ recudi meruit) illos dudum, nempe jam sub finem seculi decimi septimi, notaverat ac emendaverat. Immutarunt illam *Comes de Pagan*, *Mallet*, *Heideman* aliique complures; monstrat tamen Noster, quod admissum in antiqua methodo errorem in emendationibus quoque suis erraverint: id quod tanto magis mirari debemus, quia emendationis istius defectum jam correxerat *Speckle*. Præcipua vis fortalitiorum in defensione ex ala petenda consistit. Interest igitur, ut alæ hostium conspectui subducantur: quod dum præstare nituntur methodi Belgicæ, aliarumque recentiorum plurimarum Autores, id vitium incurrunt, quod spatium ac terræ molem ad suggestus tormentorum excitandos hostibus suppeditent. Duplicem igitur aliam alas tegendi rationem substituit Noster, & in utraque vitium memoratum sollicite præcavet. Cæterum ut præstantia novarum muniendi methodorum ab ipso excogitatarum elucescat, accuratam istius cum moderna Gallorum instituit comparationem. Exemplum primæ proponit in hexagono, secun-

ſecundæ in heptagono, tertiæ in octogono. Rationem oppugnandi fortalitia, tum ſecundum Gallicam, tum ſecundum própriam methodum excitata, ſummo cum ſtudio expendit, ſuorumque præ illis inſignes monſtrat prærogativas, indicatis ſimul illorum defectibus, quibus in ſuis medetur. Immo accuratum init expenſarum in utraque methodo calculum, easque in ſua minores multo, quam in Gallica requiri, comprobat. Notatis quibusdam defectibus, circa modernam loca maritima vel ad fluviorum ripas ſita muniendi methodum obviis, propriam ſubjungit. Taxat denique Architecturæ militaris Scriptores, quod in ſuis muniendi formis nullum reſpiciant Horizontem fixum, cum tamen pro diverſa altitudine planitierum ultra libellam aquarum, in fluviis æſtivo tempore conſiſtentium, variari debeat orthographia. Quare cum ipſi in triplici ſua methodo altitudinem in plerisque Bataviæ locis obviam ſupponere libuerit, quomodo eadem in aliis Horizontibus, ſive magis elevatis commode uſurpetur, declarat.

TRIDUANA DE CANONE LIBRORUM SACRORum Concertatio, acta in Seminario Montis-Faliſci. Autore F. GUILLELMO BONJOUR, Toloſano, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, & in Seminario Montis-Faliſci Divinarum litterarum Profeſſore.

Apud Montem-Faliſcum, 1704. Ex typographia Seminarii. Conſtat pl. 7. in 4.

DOctiſſimi BONJOURII (cujus diſſertationem de *nomine Patriarchæ Joſephi, Zaphnath-Pahaneach*, menſe Januario anni 1679 p. 6, exercitationem vero *in monumenta Coptica ſeu Ægyptiaca Bibliothecæ Vaticanæ*, menſe Majo anni 1699 p. 233 in Actis hiſce recenſuimus) induſtriæ debemus triduanam hanc de canone librorum ſacrorum concertationem, quæ jubente & præſente S. R. E. Cardinali, Marco Antonio Barbadico, Archiepiſcopo, Epiſcopo Montisfaliſci & Corneti, quem mortem obiiſſe non ita pridem accepimus, in Seminario Montisfaliſci ampliſſimo, cujus ille Purpuratus conditor & inſtructor exti-

extitit, publice acta, & Clementi XI. Pont. Max. ab Autore humillime dicata fuit. In tres vero illa diſpeſcitur dialogos, quos inter ſe habent ſex numero interlocutores, Catholicus nimirum, Judæus, Ethnicus, Hæreticus, Samaritanus atque Politicus. Catholicus uti ubique illud agit, ut ſuperbiæ & pertinaciæ Hæretici, Judæi perfidiæ & obdurationi, Samaritani malevolentiæ & livori, Ethnici ſuperſtitioni, ac Politici impietati intemperantique licentiæ obviam eat; ita in primo dialogo non tantum canonem librorum ſacrorum, quem Eccleſia Romana ſequitur, adſtruere conatur, verum etiam, ut alia taceamus, de librorum Moſaicorum antiquitate ut teſtimonia ſua proferant, & Ethnico, & Samaritano, & Judæo anſam præbet. Ita Ethnicus docet ea, quæ in Moſaico legum Judaicarum volumine legerunt olim priſci Gentilium, nos legere hodie in Pentateucho. Longinum enim, Zenobiæ Palmyrenorum Reginæ a conſiliis & ſtudiis, eximio Moſen elogio proſequi in libello *de ſublimi genere dicendi*, quod legum initio ſcripſerit, dixiſſe Deum: *Fiat lux & facta eſt*, quæ verba adhuc hodie circa initium Pentateuchi occurrant. Numenium Pythagoricum agnoviſſe, Platonem dogmata ſua a Moſe ſumſiſſe, propterea que apud Euſebium lib. XI. Præpar. Evang. c. X. quærere: τὶ γάρ ἐςι Πλάτων ἢ Μωσῆς ἀττικίζων. Porro Platonicorum dogmatum, Platonicarumque legum cum Moſaicis comparationem, docere nos pariter, hodiernum Moſis Pentateuchum eſſe illum antiquiſſimum, cujus luminibus Plato uſus ſit. Cujusmodi comparationem jam olim inſtituerit Euſebius, libro undecimo & duodecimo Præparationis Evangelicæ. Unde non miratur Ethnicus, Ariſtobolum, Hebræum, dixiſſe apud eundem Euſebium libro decimo tertio ejusdem operis cap. XII, quod *ſatis conſtet, legum noſtrarum inſtituta ſecutum eſſe Platonem, ac ſingula earum capita diligenter ac ſtudioſe perlegiſſe*. Hinc Samaritanus, ut Pentateuchi antiquitatem tueatur, narrat priſcos illos Samaritas, qui deportatis in Aſſyriam Iſraelitis ſucceſſerunt, habuiſſe libros legis ab uno *de Sacerdotibus his, qui captivi ducti fuerant*. Hunc Iſraelitarum Sacerdotem fuiſſe de ſchiſmate Jeroboami, quo decem tribus Iſrael defecerunt a Roboamo, ipſo ſtatim anno, quo Salomonem is excepit.

Ne-

Neque quenquam latere continuatam in Samaritis Jeroboamitarum a Judæis dissociationem. Quod ergo Samaritæ conveniant cum Judæis in tribuendo Mosi Pentateucho, quem, dissociatione non obstante, conservent & tueantur, id non habere a suo schismate, sed a tempore, quod antiquissimum illud schisma antecessit. Quocirca hodiernum Samaritarum Pentateuchum altissimæ esse antiquitatis, Samaritanus colligit. Quin & summam hanc antiquitatem elucere hodie idem ait in characteribus, quibus ille Pentateuchus descriptus sit. Institutos Jeroboamitas literis Mosaicis, quibus Hebræi omnes suos ante Esdram libros exaraverint, dedisse eas Samaritanis; *cum ad illud usque tempus iidem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint*, uti ex Hieronymi præfatione in libros Regum constet. Notum esse pariter ex doctissima Josephi Scaligeri dissertatione de literis Jonum, Græcos characteres ad exemplum Samaritanorum esse formatos. Cumque constet de antiquissima literarum Jonicarum origine a Phœnicibus seu Chananæis, in quorum regione habitabant Hebræi, adeoque & Samaritæ; constare etiam de altissima literarum Samariticarum antiquitate, merito censet. Summæ igitur antiquitatis tenacissimos Samaritanos indicio esse concludit, antiquissimum esse Pentateuchum, quem a Mose scriptum agnoscunt. Tandem Hebræus in eos invehitur, qui legis libros a Mose non esse scriptos adserunt, ac proinde non tantum istam sententiam ex Exodi cap. XXXIV. v. 27. collato capite XXIV. v. 4. ejusdem libri, & capite XXXI. Deuteronomii v. 9. refellit, sed etiam clare edocet, quomodo Mosis ille liber integer ad posteros fuerit propagatus.

Secundi dialogi scopus eo tendit, ut Pentateuchi Divinitas probetur, pariterque & antiquitas & Divinitas aliorum veteris Testamenti librorum commonstretur. Divinitatem Pentateuchi dum probat Catholicus, illud maxime argumentum urget, quod ex Prophetiarum veracitate depromitur. Cum enim duplex sit prædictionum genus, aliud per signa, aliud per verba: illud imaginibus seu formis ac figuris adumbretur, istud verbis exprimatur, quæ vel nudam & apertam habeant significationem, vel latentem & allegoricam; utrumque prædictionum genus includere Mosis

Mosis libros ostenditur. Ipse Judæus varia hujus rei testimonia in medium producit, & ad vaticinia de Messia imprimis provocat, contra quæ tamen Hæreticus varia adfert, quæ Faustus Manichæus, Theodorus Mopsuestenus, & Apelles Marcionista olim somniarunt, prætereaque Hugonis Grotii mentionem facit, qui omnes de Christo prophetias docuerit involvere primarium quendam, proximum, propriumque sensum, ad historiam ejus temporis, quo proferebantur, referendum; secundarium vero, remotum, mysticum & allegoricum pertinere ad Christum, Prophetiasque adeo ad Christianam fidem probandam infirmas esse & invalidas, nihilque ad ponenda fidei fundamenta prodesse, cum non in vim argumenti proprie adhibeantur, sed ad illustrandam atque confirmandam rem jam creditam. Verum hanc Grotii sententiam Catholicus rejicit, ac prædictiones Prophetarum, fidei nostræ fundamenta firmissima, nec quasdam solum allusiones veteris & novi Testamenti a piis & ingeniosis hominibus excogitatas esse, ex variis Scripturæ locis confirmat. Reliqua dialogi hujus pars circa reliquos V. T. libros ita versatur, ut de libris Josua, Judicum & Regum prolixius agatur, ceteri vero breviter saltim strictimque attingantur. De libris Regum inter se dum colloquuntur Judæus, Catholicus & Ethnicus, hicce Judaicos istos Regum annales cum antiquissimis variarum gentium monumentis quam aptissime cohærere, exemplis quibusdam declarat. Ita Chaldæos in suo Regum Babyloniorum mathematico canone nos docere ait, tempus Mardokempadi, seu Merodachi, Regis Babylonis, qui Ezechiæ, Regi Judæ, legationem misit libro quarto Regum c. XX memoratam. Tempus etiam aperire Nabocolassari seu Nabuchodonosori, qui Judæos abduxit in servitutem Babylonicam, monumenta nedum Hebraica, verum etiam Chaldaica, quæ Berosus, Sacerdos Beli excusserit apud Josephum l. X. Antiquit. c. 11. & lib. I. contra Apionem. Eadem monumenta eundemque canonem manifestare quoque tempus Ilvarodami seu Evilmerodachi, qui Joachinum, Regem Juda, exemit vinculis. In antiquissimis annalibus Tyriorum, quorum fragmentum eximium recitet Josephus lib. I. contra Apionem & lib. VIII. Antiquit. c. 2. memorari Solomonem

nem Jerosolymorum regem: item templum ædificatum Jerosolymis duodecimo anno regni Hiromi, seu Hirami, Regis Tyri, qui juxta librum tertium Regum c. V. concessit Salomoni cæsores lignorum ad templi ædificationem. In iisdem annalibus celebrari Ithobalum, Astartæ Sacerdotem, & Tyriorum, adeoque Sidoniorum, Regem, qui sit Ethbaal, Rex Sidoniorum, cujus filiam Jezabelem in uxorem duxit Achab Rex Israel 3. Reg. 16, 31. Attenta æra Carthaginis, quam habemus ex Solino, c. XXVII. editionis Salmasianæ, eundem ab Hiromo numerum annorum colligi ex Tyriorum antiquitatibus, qui reperitur a Salomone in Regum libris. Inde quoque manifestum esse, tempus Ithobali esse tempus Ethbaali, tempus Mardokempadi esse tempus Merodachi, tempus Nabocolassari esse tempus Nabuchodonosori, tempus Ilvarodami esse tempus Evilmerodachi. Adhæc Assaradinum, qui locum habet in mathematico Regum Babyloniorum canone, referre ætate Asor-haddanum, alias Asar-haddonem, illum Regem Assyriorum, qui de Babylone aliisque ditionis suæ locis adduxit, quos collocavit in civitatibus Samariæ pro filiis Israel 4 Reg. XVII, 24. Assarhaddonis hujus patrem ac decessorem Sennacheribum, qui juxta caput decimum octavum ejusdem libri, bello infestavit Judæam aliasque Asiæ regiones, exprimere sine dubio Sanachæribum, Regem Arabum & Assyriorum, quem adversus Ægyptum magnum movisse exercitum, testetur Herodotus l. 2. c. 141. Sed & Berosum, Chaldaicarum rerum scriptorem, Senacheribi meminisse, quod omnem Asiam & Ægyptum bello infestaverit; ut observet Josephus l. X. Antiquit. c. 1. Eundem auctorem l. 7. c. 6. exscribere præclarum de Regibus Syriæ fragmentum ex Nicolai Damasceni Historiarum libro quarto, in quo celebretur Adadus, Damasci & reliquæ Syriæ Rex, qui bello inter eum & Davidem, Judææ Regem, exorto, crebris prælіis cum illo conflictatus, postremo apud Euphratem victus sit. Librum secundum Regum vocare eum Adar-ezerem seu Adad-ezerem regem Soba, sub cujus ditione erat Syria Damasci, cujusque mentio fit c. VIII. 3. Si antiquitates Ægyptiorum excutiantur, reges Ægypti memoratos in Judaicis Regum libris reperiri eo tempore, quo ponantur in istis anti-

tiquitatibus. Quando in libris Regum inveniatur *Sesac*, alias *Sesoc*, ea ratione, qua *Iramus Iromus* sit, in Dynastiis Ægyptiorum celebrari *Sesonchosin* seu *Sesoch-osin*. Quando in istis legatur *Necos*, in illis haberi *Nechao*.

Reliquum est, ut de tertio Dialogo aliquid dicamus, in quo de Canone librorum Novi Testamenti breviter disseritur, quem cum juxta receptam in ecclesia sententiam constituisset Catholicus, Hæreticus contra monet, istum multa probare, quæ Hæresis repudiaverit, multa rejicere, quæ illa susceperit. Nimirum Evangelium Matthæi, ceteris repudiatis, admisisse Cerinthum: sed mutilasse Ebionem: Manetem prorsus abjecisse. Evangelium Lucæ, ex quo selecta quædam exceperint Cerdo & Marcio, penitus respuisse Carpocratem. Evangelium Joannis sprevisse sectam Alogorum. Basilidem suum habuisse evangelium, habuisse Apellem, habuisse & Tatianum. Lectum fuisse a Gnosticis evangelium secundum Philippum: ab Ebionitis & Encratitis, secundum Hebræos: a Manichæis, secundum Thomam. Nec defuisse, qui probaverint evangelia Petri, Andreæ, Bartholomæi, Judæ seu Thaddæi, Jacobi Junioris, Matthiæ, Barnabæ, Nicodemi; sicut & illa, quæ secundum Ægyptios fuerint & secundum duodecim Apostolos. Verum Catholicus verbis maxime Augustini, quæ libro 33. contra Faustum Manichæum, c. 6. leguntur, probat genuina esse evangelia aliaque Apostolorum scripta, quæ Ecclesia recipit, adulterina vero, quæ contra Ecclesiam ab hæreticis producta sunt. Veraces vero esse libros Evangeliorum, reliquosque novi fœderis, ipsis Judæi, Ethnici & Samaritani suffragiis confirmatur, & Judæus quidem inter alia ad celebrem istum Josephi locum provocat, qui l. XVIII. c. 4. Antiquit. extat, ubi ingenue narratur, venisse Christum prænunciatum a prophetis, nempe Jesum, qui plurimos & ex Judæis & ex Gentibus ad se pertraxerit. Cum tamen Politicus objiciat, plures hodie inficiari Josephum ista locutum esse, Catholicus omnem movet lapidem, ut germanum Josephi fœtum esse præclarum illud de Christo testimonium evincat. Hoc ipsum enim ostendere ait, quotquot reperiantur Josephi codices sive typis, sive calamo exaratos, sive Græcos, sive Latinos, qui

omnes

omnes mire consentiant in retinendo hoc testimonio. Illius sinceritatem neminem veterum negasse, neminem ipsorum vocasse in controversiam, multos potius inter illos eosque gravissimos locum adeo celebrem laudasse, exscripsisse, ut Eusebium in tertio Demonstrationis Evangelicæ & in primo Historiæ Ecclesiasticæ libro cap. XI; ut S. Hieronymum in catalogo scriptorum ecclesiasticorum, agentem de Josepho; ut Isidorum Pelusiotam lib. 4. epist. 225; ut Sozomenum lib. 1. c. 1. quibus addi possit Georgius Cedrenus in Historiarum Compendio pag. 169, Nicephorus Callisti lib. 1. c. 39. & Suidas in Lexico, verbo Ἰώσηπος. Cum præterea idem ille Scriptor, aliis in locis minime dubiis & controversis, meminerit *Joannis Baptistæ* & *Jacobi fratris Jesu*, neminem recte dubitare posse, infert, dixisse eum testimonium de ipso Jesu, cujus nomen longe illustrius clariusque fuerit. Quamvis etiam facta Josephi ostendant, eum non habuisse pro Christo, quem Christum dixerit, quia non ad fidem Christi accesserit, non tamen ideo spuria & adulterina censenda esse verba, quæ in ejus scriptis eundem Christum declarent. Nam & Philosophos Gentiles *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificasse, aut gratias egisse: sed evanuisse in cogitationibus suis, & obscuratum esse insipiens cor eorum*, Rom. I, 21. Evanuisse revera Josephum in cogitationibus suis, cum per turpissimam adsentationem accommodaverit Vespasiano jactata per id tempus de Messia totius orbis moderatore oracula lib. 7. de Bello Judaico cap. 31. Dum isto in loco dixerit, quod oraculum sacris repertum in literis prænuncium ejus, qui ex Judæa toti orbi imperaret, eo tempore *significaverit simul* imperium Vespasiani, ostendisse Josephum, se soli Vespasiano non aptasse vaticinia Christi prænuncia, sed putasse illum orbis moderatorem, quem ex Judæa promittebant prædicta in sacris paginis Mesiæ tempora, esse Vespasianum, alias vero Mesiæ notas alteri a Vespasiano competere. Cum enim cerneret, in his Mesiæ temporibus neminem ex Judæis obtinere temporarium ac terrenum orbis imperium, quale expectabatur a terrenis & carnalibus; oculos ipsum conjecisse in Vespasianum, creatum in Judæa orbis Romani Imperatorem. Rabbinos complures comminisci duos Mesias, alterum

rum infelicem & ærumnis ac cruentæ morti devotum, alterum Iſraelitici regni vindicem, ſummam geſturum gloriam & diſperſos Iſraelitas congregaturum, juxta doctrinam quam habeant in libro ſexto partis ſecundæ Thalmudis & in Bereſith Rabba. Non ergo mirum eſſe ſi Joſephus, raptus partim cœco adſentationis impetu, partim terrena Judaiſmi cupiditate, duos quoque admiſerit, quibus aptaret res Meſſiæ, alterum nempe Jeſum, adflictum, ærumnoſum & ignominioſæ mortis ſupplicio addictum; alterum, nempe Veſpaſianum, temporario ac terreno orbis Romani imperio clarum. Nec incredibile eſſe, hunc ſcriptorem dixiſſe, Jeſum fuiſſe mirabilium operum patratorem, & inde ejus ſupra homines excellentiam quandam agnoviſſe, nec tamen eſſe amplexum Chriſtianam legem: quandoquidem Chriſtus dixerit de Judæis, qui perſpectis miraculis, quæ ipſe patraverat, nihil remittebant de ſua pertinacia: *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent,* Joan. XV, 24. Quin & in libris veterum Hebræorum, maxime in *Avoda Zarà* Thalmudis Jeroſolymitani, & in *Midraſch Cohelet* tradi, hauſtus veneni & ſerpentium morſus nomine Jeſu ſanatos fuiſſe, nec tamen illos verpos credere in Jeſum. Ipſos quoque Mahummedanos miraculis a Chriſto Jeſu patratis habere fidem, quamvis Chriſtianam religionem adſpernentur.

DISSERTATIO IN HISTORIAM SACRAM primæ mundi ætatis, habita per dialogos in Academia Divinarum literarum Seminarii Montis-Faliſci. Autore F. GUILLELMO BONJOUR, Toloſano, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, & in Seminario Montis-Faliſci divinarum literarum Profeſſore.

Apud Montem-Faliſcum, 1705. Ex typographia Seminarii. Conſtat pl. 6. in 4.

JUſſu Eminentiſſimi S.R.E. Cardinalis, Marci Antonii Barbadici, antea laudati, in Academia divinarum literarum Montis-Faliſci habita fuit hæc quoque diſſertatio, quæ perinde, uti illa, quam

quam modo recensuimus, dialogi in modum conscripta est ab Autore doctissimo. Tribus autem absolvitur illa dialogis, in quibus inter se colloqui finguntur Hebræus, Ægyptius, Phœnix, Græcus atque Latinus, quorum prior in primo & secundo dialogo non tam Hebræi, quam Christiani personam tuetur, quandoquidem ibi de illis rebus agitur, quæ Christianis cum Hebræis communes sunt; reliqui vero ex Ægyptiorum, Phœnicum, Græcorum & Latinorum monumentis diversa proferunt, ex quibus Cl. Autoris ingenium non minus, quam eruditio varia, multaque lectio egregie elucescunt.

Primus dialogus ad tria Geneseos priora capita spectat, utpote in quo universa eorundem historia ex diversarum gentium placitis illustratur, plurimaque ejusdem vestigia apud profanos scriptores occurrere ostenditur. Non licet nobis jam ea singillatim recensere, quæ de rerum primordiis, de primis tenebris, luceque primigenea, de terra primum inani & vacua, de creationis opere, de septimo die, de Verbo Dei, quo omnia creata sunt, deque aliis rebus quamplurimis erudite disseruntur, saltim ex iis quædam delibasse sufficiat, quæ circa Protoplastos memorantur. Non ignorasse scilicet paganos, primum humani generis parentem de limo terræ fuisse formatum, ex Promethei atque Saturni fabulis imprimis probatur, prætereaque ostenditur, Ciliciæ incolas ipsius quoque Adami nomen olim fuisse adsecutos, qui Saturnum *Adanum*, *Virum cineris* & *filium terræ*, vocaverint, illoque nomine procul dubio Adamum innuerint, cum mutatio litterarum M & N sit usitatissima. Equidem quod Promethei primi hominis formatoris fabulam attinet, illud valde Græco obscurum esse videtur, quod Prometheus Japeti filius decantetur, cum tamen vix constet, quomodo ille Japeti filius dici queat, qui primum hominem produxerit. Verum Hebræus contra excipit, causamque fabulæ istius insulsissimæ ex Genesi detegit. Docet nimirum Divinum istum librum c. X. v. 2. narrare, *Japhetum* seu *Japetum* genuisse *Javan*, a quo Jones, seu Græci, ducunt originem. Hebraicam vocem יון *Javen*, unde nomen invenerit is Japeti filius, significare *cœnum*, *lutum*, uti Psal. XL. v. 3. Quod ergo *Japetus* esset pater illius, qui

qui dictus est lutum, & a quo Græci orti sunt, patrem Promethei, hominum e luto formatoris, seu potius *Promethei luti*, Japetum gentiles homines finxisse. Hinc Paradisum, in quo Deus Adamum collocavit, sub Alcinoi horto latere exponitur, cum Ἀλκίνοος sit אל כיון *El-Kiun*, hoc est *Deus Saturnus*, monente Phœnice; Græco autem atque Hebræo judice, Plato quoque de hoc horto locutus est, tum in Convivio, ubi fingit Porum in Veneris natalibus nectare ebrium, tum etiam in Politico, ubi de hominibus e terra natis loquitur. Non attingimus, quæ hac occasione de somno Adami, de priorum hominum nuditate, de serpente seductore, de arbore scientiæ, cujus symbolum arbor in Hesperidum hortis aurea mala proferens dicitur, de pomo, quod Eva Adamo dedit, erudite proferuntur, potius de ipsa Eva aliquid addimus. Hæc enim sub Rheæ & Pandoræ nominibus indicari dicitur, dum Hesiodus Pandoram vocet mulierem, quæ vase hominibus curas graves importaverit, eosque orbaverit primigenio illo statu, in quo omnino absque malis, sine molestia & labore, sine senio vixissent. Cumque Græcus vix possit intelligere, cur Vulcanum jussu Jovis formasse hanc mulierem Gentiles finxerint, Hebræus iterum erroris hujus fontem ostendit. Monet enim *claudicationem* dici Hebraice צלע *tsela*, voce quæ proprie *costam* significet; *Vulcanum* esse Hebraicum חלק אנוש *Heleck-enos*, seu Chaldaicum חולקא נש *Hulca-nas*, quod notet *portionem hominis*; jam in textu Hebraico Gen. II. v. 21. 22. legi vocabulum צלע, significans *costam*, quæ ergo ista hominis sit portio, unde mulier tracta sit. Pari ratione Hebræus Hesiodi fabulam explicat, qua dicitur, quod mulier a Jove data sit ἀντὶ πυρὸς, pro igni, & in ejus formationem Ἥφαιστος, seu Vulcanus, ignis pater, terram undæ miscere jussus fuerit. Observat enim eos, qui ista confinxerint, audivisse costam, ex qua formata est mulier, sumtam esse מן האדם, *ex Adam*: mulierem vero vocatam esse: אשה כי מאיש לקחה זאת *Isscia*, hoc est, "Virago, *quoniam de Isch*, hoc est de Viro, *sumpta est*, Genes. II, v. 23. *Ignitum* Hebraice dici אשה *Issce*, seu *Isscia*, eodem prorsus vocabulo, quo designatur *mulier*: ignem vero vocari אש *Esh* seu

ſeu *Iſh*, ut pronunciatur cum adfixis. Ex eadem radice Chaldæos dicere ignem אשא, *Eſſcia*, אשתא *Eſſciath*, אשתא *Eshta*, & igneum אשי *Iſſci*. Eosdem quoque vocare mulierem אשה *Iſſcia* & אשתא *Eſſceth*, quæ vox emphatice fiat אשתא *Eshta*. Ob hanc nominum alluſionem, Hebræos paſſim dicere in ſuis ſcriptis, mulierem viro, virum mulieri ignem eſſe. *Vulcanum* ergo, ceu ignis patrem, fingi formatorem mulieris, quaſi mulier, ſumta de viro, ex igni educta ſit. Hinc & Græco ejus nomine ἥφαιςος, Doricè ἄφαιςος, quod ſit depromptum ex Chaldaico אב אשתא *Af-echta*, Syra pronunciatione *Af-eshto*, non tam *patrem ignis* ſignificari, quam *patrem mulieris*. Quoniam autem coſta, ædificata in mulierem, ſumta ſit ex *Adam*, qui nomen habet ab אדמה, ſive a terra, commentos fuiſſe antiquos ait, Vulcanum terram aquæ miſcuiſſe in formationem mulieris.

In dialogo ſecundo ea partim diſcutiuntur, quæ ad primam humani generis usque ad diluvium univerſale propagationem pertinent. Inter alia occurrit comparatio, quæ inter *Cainum*, Adami filium, & inter Græcorum *Caunum* vel *Cainoum* eorundemque hiſtoriam, per ſedecim partes ab Hebræo inſtituitur. Primo enim ille monet, *Cain* adhibita terminatione Græca eſſe & Καινὶς & Καινεὺς & Καινὸς. Secundo, *Cainum* eſſe *Caunum*; ſicut פעו *Pau*, (civitas in qua regnavit Adar Rex Edom, Gen. XXXVI, 39.) ſit פעי *Pai*, 1. Paral. I, 50. quia literæ *Jod* & *Vau* invicem facile commutentur. Tertio, uſu evenire in lingua Hebraica, ut haſta dicatur קין *Cain*, & in proverbii conſuetudinem veniſſe τὸ Καινέως δόρυ, *Cainei haſtam*. Quarto obſervat, quod Heva conceperit & pepererit Cain dicens: *poſſedi hominem per Deum*, Geneſ. IV, 1. In textu vero Hebraico legi את יהוה *eth-Jaho*, vel *eth-adonai*, hoc eſt *a Domino*, quod alio modo diceretur מאל *meel*, hoc eſt, *a Deo*, juxta expreſſionem, quæ eodem in libro cap. XLIX. v. 25 reperiatur; אל ſcilicet eſſe unum ex Hebraicis Dei nominibus. Ab *El* eſſe *Elatum*, a quo procreatus ſit *Caineus*: a *Meel* eſſe *Miletum* ſeu *Melatum*, ex quo *Caunus* natus ſit. Accedere addit, quod Hebraicum nomen אלוה *Eloah* Chal-

 dæis

dæis sit אלה *Elah*, unde divinitas dicatur אלהות *Elahuth*, & *a divinitate* מאלהות *Meelahuth*. Quinto notat, *Cain* duxisse sororem in uxorem. Sororem בבעול *Bibol*, hoc est, *in conjugando*, esse sororem ductam in matrimonio. A *Bibol* esse *Bibolis*, per Syncopen *Biblis*, quæ fuerit soror, cujus amore captus est *Caunus*. Sexto, *Cainum* fuisse agricolam: *Caineum* incumbentem ad arationes erecto pede terram fodisse. Septimo, impie se gerentem *Cainum* in muneribus, quæ offerebat, repudiatum esse a Deo, quasi sacrificium non faceret, quasi non adhiberet ipsi preces. Hinc iram, hinc livorem, hinc pugnam adversus fratrem fuisse ortam, cujus munera grata & accepta Deus habuerit. *Caineum* secundum fabulam neque Diis sacrificasse, neque illis adhibuisse preces, sed suæ hastæ; quod ideo dictum sit, quia hasta fuerit signum hieroglyphicum principii pugnæ. Octavo, *Cainum* contendisse cum Abele: *Caineum* cum Apolline. Nono, *Cainum* fuisse maledictum super terram, seu maledictum a terra, ut sit in textu Hebraico: & fabulam inducere Centauros, sive percussores a Jove missos, qui *Cainei* membra per terram vexent, obterant, & contundant. Decimo, *posuisse Dominum Cain signum, ut non interficeret eum omnis, qui invenisset eum*; & *Deum aquoris alti* dedisse *Caineo*

— super ne saucius ullis
Vulneribus fieri, ferrove occumbere posset.

Undecimo, *egressum Cain a facie Domini habitasse profugum in terra - - - & ædificasse civitatem*: urbem condidisse *Caineum* sive *Caunum*, peregrinatum procul a patria terra. Duodecimo, ante conditam a *Caino* civitatem homines fusos per agros ac dispersos fuisse, cum ea fuerit omnium urbium prima: regionem, in qua *Caunus* ædificaverit civitatem, fuisse primum a Lelegibus, hoc est, hominibus erraticis inhabitatam. Decimo tertio, *Hanochum*, terminatione Græca Ἀνωχαῖον & per syncopen Ἀγχαῖον, esse illum *Caini* filium, qui principatum obtinuerit in condita primis orbis Lelegibus civitate: principem Lelegum haberi Ἀγκαῖον, ejusque originem referri ad Neptunum, quem fabula copulaverit cum *Caine* velut cum muliere,

liere, quæ Neptuni beneficio in virum, Cainelum nomine, fit mutata. Decimo quarto, Hebræis vocantibus orbem matrem proclive fuisse celebrare antiquam civitatem *Hanoch* velut Hanochii seu Hanchæi matrem: Αςυπαλαία enim, Hebræus inquit, hoc est, *urbs antiqua*, ferebatur mater *Ancæi*. Decimo quinto, Hanochæum Cainitam exhibere Ὑπερήνορα fabulæ Cadmeæ: Αγκαῖον ὑπέρβιον esse Αγκαῖον ὑπερήνορα, sicut & Αγκαῖον κορωνὸν, Coronum vero filium esse *Cainei*. Decimo sexto, Hanochæum, filium agricolæ, facile in patris vestigia incurrisse: Ancæum fuisse φιλογέωργον amantem agriculturæ.

Tertium dialogum quod attinet, veritas textus Hebraici, adversus calculos editionis LXX interpretum, in eo maxime, adstruitur. Et Latinus quidem agit causam editionis Latinæ vulgatæ in numeris annorum, quibus antediluviana mundi ætas definienda est, quique aliter in Græcis codicibus expressi sunt. Græcus titubanter & inconstanter loquitur de editione LXX interpretum, ob codicum instabilitatem. Hebræus vero veritatem Hebraicam planam facit. Exempli loco ea lectori exhibemus, quæ circa Adami annos differuntur. Ostendit nimirum Græcus, juxta vulgatos editionis LXX codices, *vixisse Adamum triginta & ducentos annos; & genuisse ad figuram suam & ad imaginem suam: & vocasse nomen ejus Seth.* Sibi tamen non constare hanc lectionem, ulterius probatur. Nam juxta vetustum codicem, quem homiliis D. Joannis Chrysostomi super Genesin interseruit Oecolampadius, *vixisse Adamum triginta & trecentos annos, & genuisse secundum speciem suam, & adpellavisse nomen ejus Seth.* Id ipsum Græce perhibere Biblia Aldina, Theophilum Patriarcham Antiochenum l. 3 ad Autolycum, eumque antiquitatum Judaicarum Josephi interpolatorem, cujus manuscriptum extat in Bibliotheca Vaticana n. 1304, sicut & in Regia, ad quam adpellat altera defensionum textus Hebraici, ab studiosissimo & diligentissimo sacri hujus fontis vindice D. Joanne Martianæo non ita pridem elaborata. Inde factum esse, ut loco bis mille ducentorum quadraginta duorum

annorum, quos ab Adamo usque ad diluvium vulgo numerant Græci, alii colligant annos bis mille trecentos quadraginta duos, ut Joannes Antiochenus in excerptis Constantini a Valesio editis p. 780, & Suidas in Σέρουχ. At rursum aliam varietatem occurrere in homilia vigesima D. Chrysostomi super Genesin, juxta editionem tum Basileensem anni Domini 1525, tum Parisiensem anni 1556, ubi LXX interpretum versio referat, quod *vixerit Adam annis centum triginta & genuerit secundum speciem suam & secundum imaginem suam, & appellaverit nomen ejus Seth. Et fuisse ejus annos octingentos, & genuisse filios & filias. Et factos esse omnes dies Adam annos nongentos triginta, & mortuum esse.* Sic, Græco judice, de summa bis mille ducentorum quadraginta & ultra annorum, qui vulgo colliguntur ab Adamo usque ad diluvium, detrahenda esset centuria. Id quod certe factum fuisse ait in veteri apud Clementem Alexandrinum supputatione l. 1. Stromat. p. 337. Quin & plusquam ducentos annos desiderari in Pseudo-Methodii revelationibus, Græcos alioquin numeros secutis. Narrare enim, quod *in expletione secundi millenarii factum sit diluvium aquarum.* Ceterum quinam sint patriarchæ, quorum annos his centenariis auctiores non invenit ille auctor, exploratum se habere idem Græcus negat. Putat tamen, forte pro ducentis & quinque annis τῆς τεκνογονίας, qui Setho communiter tribuuntur a Græcis, illum legisse centum quinque. Nihilominus, ait, hanc lectionem etiam receptam esse a custodibus & defensoribus versionis septuaginta, ut ab Ægyptiis, qui in sua interpretatione Copto-Arabica manuscripta Bibliothecæ Vaticanæ adponant notam marginalem de ΣΕ-ΤΤΕ-ΝΡΟΜΠΙ, hoc est, *centum quinque annis,* quos juxta variam & discrepantem lectionem vixerit Sethus ante genitum Enosum. Eosdem numeros repræsentare Græcos codices manuscriptos Antiquitatum Josephi, Vaticanum & Regium, antea memoratos, in quibus legatur Sethum genuisse Enosum *κατὰ πέμπτον καὶ ἑκατοστὸν, anno quinto & centesimo.* Præterea eundem Vaticanum codicem annos Henochi ante natum Mathusalam sic exprimere: *Μαθουσαλὰ δὲ Ἐνὼχ* παῖς

παῖς κατὰ ἔτος αὐτῷ γεγονὼς πέμπτον καὶ ἑξηκοςὸν *Mathusala autem Henochi filius, ipsi natus anno quinto & sexagesimo*, cum tamen Græca Chronologia statuat Henochum genuisse Mathusalam anno ætatis suæ centesimo & sexagesimo quinto. Hæc ergo Græcus postquam protulit, & versionis LXX interpretum inconstantiam adeo demonstravit, Latinus editionem Latinam Vulgatam laudat, quæ constanter in omnibus codicibus doceat, vixisse Adamum *centum triginta annis*, & genuisse Sethum: istum vixisse *centum quinque annis*, & genuisse Enosum. Pari numerorum firmitate describere eandem ostendit annos Enosi, Cainani, Mahalaelis, Jaredi, & Henochi, quem dicat genuisse Mathusalam, cum vixisset *sexaginta quinque annis*. Et cum reperiantur isti numeri in variantibus lectionibus Græcorum, nec ab illis diversi locum in ullo codicum editionis Latinæ vulgatæ habeant, nullius roboris fine dubio esse Græcos codices, qui Latinæ huic interpretationi refragentur, Latinus inde concludit. Quibus omnibus denique Hebræus adsensum præbet, & Latinæ editionis calculos cum Hebraicis fontibus optime conspirare probat.

DEMONSTRATION OU PREUVES EVIDENTES de la Verité & de la Sainteté de la Morale Chretienne. Premier Entretien. Par le R. P. Bernhard Lamy, Prêtre de l'Oratoire.

h. e.

DEMONSTRATIO EVIDENS VERITATIS & Sanctitatis Ethicæ Christianæ. Dialogus primus, Autore R.P. BERNHARDO LAMY, Congregationis Oratorii Sacerdote.

Rothomagi apud Nicolaum Boucher & Franciscum Vaultier, 1706 in 12.

Constat plag. 13.

TAntam sibi famam scriptis Mathematicis, Philosophicis ac Theologicis apud eruditos acquisivit doctissimus Autor,

ut non nisi optime limata ab ejus manu proficisci posse, persuasum habeant. Nec hanc expectationem fallet in opere, quod publicare cœpit, 5 Dialogis integrum Scientiæ moralis sanctæ corpus complexurum, cujus partes ordine naturali disponantur, probationes ex intimis animi sensibus petantur. En brevem totius Sciagraphiam. Dialogus primus evincit, felicitatem hominis consistere in possessione Dei, aut in spe certa ipsum olim possidendi. Secundus probat, hanc spem non cadere in eos, qui voluntati Divinæ conformiter non vivunt. Tertius recensebit officia hominis erga Deum, nosmetipsos ac proximum. Quartus demonstrabit, hominem esse corruptum, adeoque aliter tractandum, quam si existeret sanus, & nasceretur innocens; regulas Politicas non tollere, sed tantum occultare corruptionem ejus; opus ipsi esse Medico cœlesti ad Deum reconciliandum. Ultimus denique de necessitate Mediatoris aget, & confirmabit, solam Scientiam Moralem in Evangelio propositam rationi esse conformem. Utitur autem paulo diffusiori scribendi genere, & allegatis ex Philosophis gentilibus, Poëtis ac Oratoribus, ut animus lectoris in meditatione eorum, quæ scribuntur, retineatur, nec veritatem paucis lineolis comprehensam statim rursus elabi patiatur. Principia demonstrationum moralium in ipsis hominum cordibus contineri asserit, ut ad eas capiendas nonnisi opus sit, ut habeatur attentio ad ea, quæ in nobis & a nobis fiunt. Cæterum monet, etiam veritates revelatas esse demonstrabiles, demonstratione ad fidem sufficiente: demonstrandum enim, 1. Scripturam sacram esse librum Divinum, cujus autoritati nos submittere debeamus, 2. nos credere, quod ipsa dicit. Hujus tamen demonstrationis paucos esse capaces.

Hisce in genere præmonitis, non inutile fore arbitramur, si paulo pleniorem Dialogi primi delineationem in præsenti exhibeamus. Ante omnia igitur Scientiæ Moralis genuinam formare laborat notionem, habetque pro tali Scientia, quæ viam ad felicitatem perveniendi docere debet. Hujus notionis realitatem evicturus notat, per experientiam constare, omnes hominum actiones eo tendere, ut satisfiat desiderio, quo ad felicita-

Cap. 1.

citatem adspirant, plerisque licet non perpendentibus, quomodo felices fieri possint. Hunc appetitum felicitatis esse a natura, & veram felicitatem nonnisi in eo consistere, quod illo fruamur, propter quod reliqua habere volumus. Intelligit autem per naturam vel ipsum Conditorem, vel opus tale, quale a manu Conditoris venit. Probat ulterius, naturæ tribuendum, quod voluptatem amemus; dolorem fugiamus. Etenim voluptates pariter ac dolores a natura esse, cum sapida non ideo bene sapiant, quod comedens vult, nec ignis ideo urat, quod manum ipsi injiciens eum urere vult. Hinc omnem voluptatem esse bonam, omnem dolorem malum, si in se consideretur; comparative tamen bonum esse nonnisi illud, quod est instar medii eam obtinendi voluptatem, quam per naturam desideramus; malum contra nonnisi istud, quod est perpetua omnium voluptatum privatio. Quare voluptatem, quæ impedit, quo minus ad majorem perveniamus, esse malum quoddam, non bonum: contra dolores, qui nos a majoribus liberant, esse bonum quoddam, non malum. Consentire cum his religionem Christianam. Christum enim nunquam voluptatem vocasse malam, nec dolorem bonum, nisi respectu voluptatis summæ. Veram itaque Philosophiam esse, non cum plebe sine regula quærere voluptatem; sed juxta regulas Christi fugere voluptatem majoris mali causam, subire dolorem majoris boni causam. Ex eodem fundamento voluptates dividit in stabiles & transitorias. Stabiles sunt, quæ respiciunt finem nostrum: transitoriæ, quæ medium aliquod. Bonum illud, quod natura hominem desiderare facit, æternum esse debere, infinitum ac immutabile contendit: omnes namque homines optare, ut voluptates ipsorum sint æternæ, infinitæ, immutabiles; contrarium expertos inquietos existere ac animo minime contento. Inde in varietate quærere, quod non inveniunt in qualitate: nec placere quicquam, nisi ut diffusum, varium, stabile, perdurans. Probare nititur porro, idem illud bonum esse debere verum, honestum, amabile & simul terribile, provocans tum ad actiones infantum, quos ingeniose naturæ Speculum appellat, tum omnis generis hominum adultorum, avarorum, ambitiosorum, voluptuosorum.

Cap. 2.

Cap. 3.

Cap. 4.

Cap. 5. ſorum. Ex ipſo infiniti boni, tum ratione quantitatis, tum ratione durationis deſiderio, quod non eſſe naturæ depravatæ oſtendit, animæ immortalitatem deducit. Cum enim homo natura affectet felicitatem perpetuo duraturam, natura autem, teſtibus piſcibus ad natandum, avibus ad volandum natis, omnia ita faciat, ut finem ab ea ipſis præſcriptum conſequi valeat; poſita vero animæ mortalitate, homo nullius voluptatis ſit capax, memoria mortis voluptatem turbante: evidens eſſe, animam hominis eſſe immortalem. Ulterius concludit, bonum æternum ac infinitum, quale appetit homo, reale quid eſſe debere, conſequenter Deum exiſtere.

Cap. 6. Quantum vero in nobis ſit deſiderium bona poſſidendi nondum acquiſita, tantum quoque in nobis eſſe metum natura perdendi jam acquiſita. Timere nos, ne forte evadamus infelices. Hunc metum omnem Gentilium introduxiſſe religionem, ut adeo ipſe paganiſmus, licet in ſe abſurdiſſimus, metum Numinis vindicis in corde hominis exiſtentem comprobet. Hinc recte nos argumentari, exiſtere Deum, quia naturaliter timemus Deum judicem, natura, quæ nil fruſtra agit, non timere faciente, quod non eſt. Exinde quod habeamus ideam cruciatuum æternorum concludit denuo, animam eſſe immortalem: & metui prædicto deberi ait opinionem de inferno apud omnes gentes, ſaltem facilitatem credendi infernum. Ipſam autem metus iſtius univerſalitatem & in ipſis infantibus exiſtentiam, de actionum honeſtate ac turpitudine nondum inſtructis, evincere, eſſe ipſum naturalem: ejus vero qualitates oſtendere, judicem hunc eſſe ubique, omnia videre, eſſe potentem, eſſe æternum. Non poſſe excipi, religionem ac metum Deorum & inferorum eſſe figmentum Politicorum; metu enim tanquam medio ad compeſcendum populum eos uti non potuiſſe, niſi ipſum in hominibus obſervaſſent. Non aceto captari muſcas.

Cap. 7. Numinis exiſtentiam innoteſcere quoque affirmat ex contemplatione mundi. Dari enim in mundo corpora organica, h. e. partes innumeras figurarum differentium habentia: nequaquam autem concipi poſſe, quomodo juxta Epicuri principia ex fortuito atomorum concurſu prodierint. Id aſſerere magis ridiculum eſſe, quam aſſe-

asseverare, Parisiorum urbem cum suis ædificiis, palatiis ac incolis per fortuitum atomorum concursum produci potuisse, utpote Physicæ principiis, legibus præcipue motus, prorsus adversum. Cogitandum enim, mundum esse machinam, in qua tanquam partes, in se mutuo influentes & ad unum finem conspirantes, connectuntur Sol, Luna, arbores, animalia, homines, &c. & singulas partes majorem ad se invicem magisque necessariam habere relationem, quam domus Parisiorum. Non negari posse Dei existentiam ideo, quod non videatur: sufficere ex cognitis continuo in nobis operantis actionibus eadem ratione, qua mentis nostræ existentia concluditur, ejus quoque existentiam concludi. Enimvero Divina opera Numinis etiam eloqui attributa seu proprietates essentiales, nempe fuisse ante mundum; esse unum, quia nexus omnium mundi partium monstrat, quod is opus sit unius intelligentiæ; esse æternum, infinitum, immensum, immutabilem, sapientem. Ex sapientia Dei deducit, factos nos esse propter Deum, & ad eum tendere desiderium nostrum, quod nonnisi possessio ipsius explere valeat. Inprimis autem sapientiam Dei, in operibus ejus maximis minimis latentem, egregie explicat. Dei adeo possessio cum sola reddat hominem felicem, facile comprobat, in terra non licere esse felicem, ubi nullum detur bonum purum sine admixtione mali, voluptates mutationi sint obnoxiæ, sequatur eas dolor, sequantur tædia. Mentem esse integro mundo vastiorem: mundum igitur ipsam explere non posse. Certe si in corpore resideat felicitas, multa animalia homine esse feliciora. Voluptates corporis ordinari erga res, quæ non sint ultimus hominis finis. Etenim si edendi, bibendi ac libidinis ergo productus fuisset homo, non opus ipsi fuisse mente intelligente, facturamque naturam, ut bene sapiant, quæ nutriunt, insipida sint superflua. Voluptates in his terminatas non esse stabiles istas, quas mens desiderat, causis earum transitoriis, nec viribus organorum corporis infinitis existentibus, ut corpus adeo esse nequeat infinitæ voluptatis sedes, multorum dolorum, mediocrium vero motuum moderatorum capax. Proprium corpus nos miseros reddere posse, non felices: nec alienum nobis felicitatem

Cap. 8.

Cap. 9.

Cap. 10. tem procurare valere. Hinc in specie monstrat, felices nos
reddere non posse divitias, utpote nonnisi voluptatibus corporis comparandis inservientes, quæ verum illud bonum non
sint, ad quod tendit desiderium nostrum: nec scientiam, quæ
voluptatem non producat, nisi dum acquiritur: nec gloriam, quæ
in bona aliorum de nobis opinione consistens lubricum habeat
Cap. 11. fundamentum. Disputat contra Aristotelem, quod usum moderatum bonorum terrestrium nos felices reddere statuerit. Taxat eum, quod de summa felicitate agens nonnisi bona terrestria consideret: magis taxat Philosophos Christianos, quod inter beatitudinem naturalem & supernaturalem distinguant,
cum Deus nos propter se fecerit, adeoque sit finis noster, & natura hominis ita facta, ut sine ejus possessione felix esse nequeat;
quo intuitu possessio ac fruitio Dei dici debeat bonum naturale, ut ut supernaturalibus viribus unice acquiratur. Quare cum
felix dicatur, qui possidet, quod optat, aut olim se possessurum
certo sperat; beatitudinem, quæ in terra obtineri potest, pen-
Cap. 12. dere a spe certa aliquando possidendi Deum. Refutat Epicurum, qui vitam doloris expertem, & de futuro securam, pro fe-
Cap. 13. licitate habuerit. Invehitur in Stoicos patientiam cum felicitate
confundentes, juxta quorum principia felix sit, qui sibi imagina-
Cap. 14. tur, se esse felicem. Quoniam igitur Philosophi veteres felicitatem quæsiverint vel in voluptatibus sensualibus, vel in usu earundem per virtutem normato, vel in absentia doloris, vel in indifferentia ad dolores ac voluptates a rebus externis pendentes,
his omnibus autem fruens non certus sit, se post mortem fore
felicem, non infelicem; neminem omnibus illis fruentem, in
quibus felicitatem posuere Philosophi veteres, esse felicem, me-
Cap. 15. tu mortis felicitatem ejus turbante. Ex principiis Philosophiæ
Cartesianæ evincit, Deum solum esse voluptatis Autorem, nec
carnem, sed mentem ipsi unitam sentire, cujus unionis causa sit
Cap. 16. Deus. Inprimis prolixe deducit, perceptiones nostras, e. gr.
imagines rerum visarum, non inesse objectis extra nos, sed in
nobis existere, a Deo immediate productas, in quo omnia videa-
Cap. 17. mus. Inde infert, Deum, qui menti omnes suaves perceptiones præsentes facere potest, objectis externis præsentibus, similiter-

literque ingratas ac molestas, animam ipsi unitam infinita voluptate perfundere, ab ipso autem separatam doloribus inexplicabilibus afficere posse. Immo per experientiam probare nititur, Deum aliquando infinita voluptate perfusurum eos, qui ipsum possidebunt. Homines enim perfectam amare pulchritudinem, quam quærentes non inveniunt. Ejus ideam, utut variam in diversis hominibus, ob diversam ingenii capacitatem, eundem tamen in omnibus sortiri effectum, nempe ut homo non sit contentus omni illo, quod ipsi præsens exhibetur, ob notatos in eo defectus. Et quia confusa ista idea, ignorare homines, quanam in re invenire debeant ideatum. Luculentum tamen præbere hanc experientiam testimonium, quod facti simus ad Deum possidendum, & in possessione ejus summa voluptate perfruendum. Immo non placere in creaturis nisi imaginem Divinam, quam creaturæ non minus referant, atque opera artis imaginem artificum. Ex quo principio eleganter rationem reddit, cur placeat veritas magis rebus sensibilibus, utut de rebus abstractis in Geometria concepta; cur tantopere placeant, quæ ad infinitum appropinquant; cur spernamus, quorum angustos statim advertimus limites. Inprimis Symmetriæ aut Eurythmiæ potius Architectonica a priori reddit rationem. Cap. 18.

Cæterum non prorsus impossibile esse asserit concipere, quomodo anima cum Deo uniri, & per hanc unionem infinita voluptate perfundi possit. Cum enim veritas cognita homini voluptatem conciliet, facile concipi, hominem fore felicem, si Deus, prima veritas, se ipsi revelet: qua revelatione posita, hominem Deum cogniturum & amaturum. Cognitionis ac amoris haberi conceptus: ergo nos concipere, nos fore unitos cum Deo per animæ nostræ facultates eum in modum, quo amicum aliquem possidemus. Unionem cum Deo esse possibilem probat, quia anima nostra sine amore inquieta tædioque plena, nihil autem cordis nostri capacitatem explere valet, ut ipsa amoris nostri inconstantia evincat, solum Deum cordi nostro prorsus occupando sufficere. Velle autem Deum se cum homine unire, ex desideriis insatiabilibus, ipsi juxta superiora naturalibus, quæ frustra Deus fecisse nequeat, comprobat. Immo non concipi posse, Deum Cap. 19.

nos tam miserabiles fecisse, cum major sit miseria, infinitam desiderare pulchritudinem nec invenire posse, quam perpetuo sitire, nec unde bibatur habere.

Cap. 20. Prolixe tamen deducit, beatitudinem in terra aliam obtineri non posse, quam quæ in spe possidendi Deum consistat, & Philosophorum Gentilium ab hac veritate aberrationes inculcat.

Cap. 21. Tandem denique adstruit, Evangelium Christi veram esse Philosophiam, cum is per discipulos suos & prophetas, veram felicitatem in spe olim possidendi Deum consistentem & viam ad eam ducentem docuerit, immo certos reddiderit, spem non esse vanam, utpote promissionibus Divinis nixam, & miraculis confirmaverit, viam ab ipso monstratam esse veram. Accedere, quod Philosophia Christi in praxin deduci possit ab omnibus cujuscunque conditionis hominibus.

EPITOME TOTIUS MEDICINÆ, INSTITUTIONES, Chymiam rationalem, Commentarium Pharmaceuticum atque Praxin Medicam succincte complectens. Addita est in calce Theodori Zvingeri, Anat. & Botan. in Academ. Basil. Prof. Ordin. Dissertatio Medica de acquirenda vitæ longævitate.

Lugduni, apud Danielem Gayet, 1705. in 8.

Constat Alph. 2. & plag. 14.

PRæsens Epitome Totius Medicinæ cum idem sit liber, qui Anno 1701 Londini impressus titulum gerit: *Michaëlis Ettmülleri, in Academia Lipsiensi quondam Professoris celeberrimi, Opera omnia in Compendium redacta;* plura de illa jam addere supersedemus, imprimis cum ipsa B. Authoris Opera a Filio ipsius, Medicinæ in Academia nostra Professore hodie solertissimo, recognita sub prelo jam sudare noverimus: quid vero in addita Dissertatione Medica Zvingeri de acquirenda vitæ longævitate contineatur, brevibus sumus explanaturi. Triplex statuitur Authori Clarissimo vita hominis, prima in anima rationali, quæ in perpetuo cogitandi actu consistit; altera in homine, quæ nihil aliud est, quam unio corporis & mentis; tertia in corpore solo, quæ sita est in continuo pulsu cordis & arteriarum

riarum, indeque contingente assiduo partium fluidarum per solidas decursu, cum subsequentibus diversis actionibus corporis vitalibus. Vitam animæ quod spectat, immortalis eadem est, & ab interitu prorsus immunis; reliquæ autem duæ vitæ a se invicem quodammodo dependent. Cum autem major hominum pars ante senectutis annos hodie e vivis excedat, nec primorum parentum ætatem attingat, interea pauci reperiantur, qui longævitatem spernant, atque studio evitare contendant, inquirendas sibi sumsit causas tum primitivæ illius, tum hodiernæ vitæ diuturnitatis. Et quidem quod finalem causam attinet, videtur omnino Deus primævis hominibus longiorem vitam vel eapropter largitus esse, ut tanto citius genus humanum in his terris multiplicaretur, dominiumque in cæteros mundi incolas exerceret; & ut quæ in paradiso facta est promissio a benignissimo Creatore, perfecte cognosci, longa contemplatione accurataque consideratione probe expendi, & penetrari, hinc posteritati tanto melius inculcari, imo inviolata semper conservari, propagari, & a nocentissimis Satanæ corruptelis tuta præstari posset. Causam vero efficientem atque conservantem longævitatis duplicem statuit, communem vel generalem unam, alteram specialem vel propriam. Communis est liberrima Dei voluntas & providentia, qua quidem hos voluit majorem, alios minorem vitæ annorum numerum attingere; specialem vero primorum patrum longævitatis causam non equidem in miraculo Divino, nec in solius naturæ viribus, nec in amore Dei extraordinario, nec in salubriori ante diluvium aëre & alimento, nec denique in ciborum crudorum usu, sed partim in naturæ bonitate, seu firma admodum constitutione, & soliditate in partibus corporis, partim in simplici vivendi ratione, diætaque cum perpetuo salubrium aquarum potu per omnia exacta quærit. Hodiernæ vero longævitatis causa est partim firmior partium corporis constitutio vel a nativitate acquisita, partim diæta exacta simpliciorque victus cum passionum animi debito moderamine, partim aëris bona constitutio, partim vita pia & religiosa. Parvi autem æstimat Author noster annos climactericos, rationibus superstitiosis fundatos.

Monita potius communicat, quæ pro vita proroganda observatu necessaria sunt. Commendat igitur justam diætam, quæ ad prolis longævæ procreationem requiritur, legitimamque ad generationis opus præparationem, debitum gravidarum regimen, infantis recens nati congruentem nutritionem, ablactationem & educationem bonam. Adultis & senibus ex fonte Diætetico suadet aëris salubritatem, qua urbem Basileensem admodum se commendare deprædicat, ejusve correctionem, victus commodam rationem, quoad quantitatem, qualitatem & assumendi modum; legitimumque quoad reliquas sex res, n. n. dictas regimen. Ex fonte Pharmaceutico cum Panaceæ & Tincturæ auri non adeo universales sint, quæ promiscuæ omnibus temperamentis conveniant, omnesque morbos tollant, his rejectis, quæ cholericis, melancholicis, sanguineis & phlegmaticis conducant, item quibus podagrici, nephritici, & stomacho debili laborantes, a morborum insultibus immunes se præstare possint remediis, inculcat. Tandem ex fonte Chirurgico plethoricis venæ sectionem bis quotannis celebrandam, vel scarificationes, aut harum loco jejunia subinde instituenda imperat; clysmata lenientia & detergentia alvum segnem habentibus, & setaceum in nucha vel fonticulos in brachiis, cacochymicis commendat. Hujus dissertationis calci addita est brevis Consultationum Medicarum Idea.

THOMÆ CRENII ANIMADVERSIOnum Philologicarum & Historicarum Pars XIII. XIV. XV.

Lugd. Batav. apud Matthiam ter Heyden & Abrah. van der Myn, 1705 & 1706. in 8. Plag. 40.

DUm recensendis majoribus Doctorum Virorum Operibus intenti sumus, inde minora, & quæ in tomos præsertim plures sigillatim editos dissecta sunt, manibus se nostris quasi clam subducunt. Quod fatum & in Crenianis Animadversionibus experti sumus, quarum duodecim omnino partes jam antea his in Actis recensitas invenient Lectores. Sed præter has citius

citius, quam nobis licuit advertere, tres novæ comparuerunt, ut est invicta prorsus diligentia Autoris celeberrimi, qui insuper eodem fere tempore doctam quoque de *furibus librariis* Dissertationem, & aliam de *singularibus Scriptorum*, in lucem publicam emisit, quin & primæ Exercitationi de *libris Scriptorum optimis*, a nobis A. 1704. p. 526. memoratæ, duas ejusdem argumenti superaddidit. Nos hac vice tribus istis Animadversionum partibus postremis junctim operam navabimus, ac e singulis nonnullos colligemus flosculos.

Pars *decima tertia* post præfationem, de *Medicis elegantiori literatura instructis* agentem, a *Persii*, *Juvenalis & Sulpiciæ Satyris* differendi facit auspicium, & quæ in codice, editionem earum Parisiensem, A. 1585. curatam continente, manu sua passim *Juvenalis* versibus alleverit *Petrus Scriverius*, prolixissime cum Lectoribus Philologiæ studio deditis communicat, neque nunc tamen singula annotata absolvit liberalis in his erogandis Crenius, sed in parte sequenti demum notas residuas adjungit. Post sparsim in illo tomo plurima de Viris doctis judicia variorum recenset Noster, moresque singulares quorundam delineat. *Jacobum Andreæ* tot maledictis a non unis peti, dolet p. 69. Qua occasione apud aliquos *Daniel Heinsius* in favoris erga Pontificios suspicionem inciderit? p. 98 declarat. *Tanaq. Faber* ut admodum in religione inconstans p. 101. s. sistitur. Quod *Benedictus Spinosa* non indignus Carolo Ludovico, Palatino Electori, visus fuerit cathedra Philosophica Heidelbergensi, p. 103 observatur. *Stephani Curcellai*, scortatorii & concubinarii amores p. 108. s. perstringuntur, verbis potissimum Maresii. Objectam *Chamiero* ambitionem p. 113. s. luxumque vestitus in *Petro Molinæo* p. 115. s. taxatum videas. *Johan. Knoxium*, Ecclesiæ Scoticanæ instauratorem, pro impio, imo mago, venditari p. 119, & *Jul. Cæsarem Scaligerum* atheismi insimulari p. 120 discimus. In *Henrico Lorito Glareano* morum austeritas p. 127 reprehenditur. *Amandus Polanus* multæ lectionis, at exigui judicii Vir constituitur p. 133. *Francisci Gomari* munia, ingenium, errores, scripta p. 141. s. recensentur. *Jac. Altingii* filiis imputatur p. 189, quod Patris opera aliter curarint imprimi,

ac ipse olim eadem conceperit. *Samuel Maresius* p. 166 pro maledico & sarcastico venditatur. *Justum Lipsium* ab *Is. Casaubono* Μακαρίτην vocari p. 183 obelo notatur. Quam dura fata ad instinctum Georgii Calixti, *Statius Buscherus*, istum quia impugnarit, expertus fuerit, p. 198. s. narratur. *Thomas Reinesius* p. 235 magna impotentia animi in veros cœlestis & fidelis doctrinæ propugnatores invectus fuisse dicitur. Tacemus curiosæ eruditionis specimina alia, puta, quæ afferuntur de *eloquentia Nestorea*, p. 40. de *asini mandibulo* in proverbium abeunte p. 41. de *pinguitudine ingenii* Bœotis tribui solita, p. 39. de *depositione Academica*, p. 190. de *cereis Paschalibus*, p. 234. s. de *Reformatorum Doctorum quorundam laudibus præcipuis* p. 169. s. *de Adami salute, ejusque cum singulis animalibus* suscepto ex vana aliquorum traditione *coitu*, p. 166 & p. 88. de *idolo Rimmon*, p. 251. *de purpuramento & eucausto*, deque *diplomatibus*, literis aureis olim ornari suetis, p. 252. &c.

Pars decima quarta plurimis invectivis, notatisque variis erroribus ab Eruditis hominibus admissis, referta est. Post sectionem primam *notis MStis Petri Scriverii in Juvenalem*, ut diximus jam ante, destinatam, integra secunda eaque satis prolixa sectio varia enarrat *vitia*, quæ *adversus Grammaticæ Latinæ* regulas, Viri cætera doctissimi in scriptis suis commiserunt. Alibi minus recte dicta ab *Andrea Hyperio* percensentur; alibi aliis dica scribitur. Sed vides tamen intermixta passim notabiliora alia, quem in censum retuleris varia variorum de *Caroli Paschalii Opere de Coronis* judicia, p. 84. s. & quæ differantur *de autore Psalterii Mariani*, p 89. de *Hanna*, *Samuelis matre*, an in θεοπνεύστων numerum referenda? p. 96. *de apocryphis olim in Ecclesia lectis*, p. 107. s. de *censu pro funeribus antiquitus solito*, p. 122. s. deque ejuscemodi pluribus. *Ciceronis* haud pauca loca exponuntur atque illustrantur p. 59. s. integro §. 6. quem morem & alibi jam tenere Clarissimo Autori placuit.

Pars denique *decima quinta* non solum lemmata hactenus allatis similia quamplurima complectitur, sed & (quod unum ex eadem præ cæteris notatu itidem minime indignis, heic monere lubet,) observationes quasdam sacras haud ubique

obvias

obvias sexto in inciso cumulat, e quibus has in gustum propinamus. Sicut nomen *Judæ*, unde Judæi dicti, in Scriptura Veteris Testamenti admodum gratum & frequens fuerit, ob promissum e tribu Juda Messiam, idem tamen in Novo Testamento inter Christianos, ob proditorem Servatoris, fere inauditum & insuetum factum sit; ita nomen *Johannis* in Veteri Testamento rarum, in Novo usque adeo obvium & familiare redditum pronunciat, ut nullum fere nomen vulgarius deprehendatur, idque ob annunciationem primam gratiæ divinæ in Christo a Joanne Baptista factam. Si a Christo & Elisæo discesseris, nullum in Scriptura Sacra *Prophetam unctum* observari ait, quanquam & illud Elisæi exemplum in controversiam vocetur. *Terram* Deus quod damnaverit, in Sacris quidem legi observat, ast *mari* id accidisse, non item, sed hoc Deum tantum increpasse, imo & mari primo omnium Spiritum Sanctum speciali sua providentia adfuisse. In Veteris Testamenti locis, ubi *vitæ* Patriarcharum recenseantur & Sanctorum, imo & aliorum, semper fere, quantam exegerint *ætatem*, quotquot confecerint annos, annotatum reperiri docet, at in N. T. non æque, quandoquidem haud congruum fuerit, Christianos longa annorum superbire serie, postquam ipse tam brevis in his terris vitæ Christus esse voluerit. Paucos *ante suam nativitatem nominibus suis insignitos* legi, omnesque, si Salomonem excipias, forte in honorem Jesu, primam in appellatione literam I habuisse ait, utpote Johannem Baptistam, Isaacum, Ismaëlem, Josiam. Nullo seculo plures vixisse celebres *Prophetas* innuit, quam cum pius regnarit *Ezechias*, & cum Judæi sub *Babyloniorum jugo* ingemuerint. In Scriptura Canonica (ne Sirach forte objiciatur,) neminem Salomone acrius invectum esse refert in *mulieres*, qui tamen ipse sibi ab iisdem provide satis haud caverit: econtra Christum amiciorem & benigniorem illis, familiariterque iisdem usum, multas earum convertisse addit.

TRAITÉ DE LA GENERATION ET de la nourriture du fœtus.

h. e.

TRACTATUS DE GENERATIONE ET nutritione fœtus, Autore DANIELE TAUVRY, Academiæ Regiæ Scientiarum Socio & Doctore Medicinæ in Facultate Parisina.

Parisiis, apud Bartholomæum Girin, A. 1700. in 12.
Constat plag. 13½.

CUm scripta Autoris quantivis pretii fiant ab eruditis, & reliqua in Actis nostris debita cum laude fuerint recensita; non possumus non, hujus quoque eruditi de argumento difficillimo Tractatus brevem eo magis exhibere delineationem, quod ultimum simul monumentum ille sit, quod Autor, A. 1701. trigesimo primo & dimidio ætatis anno phthisi extinctus, post se reliquit. Notamus igitur, scopum Autoris esse, refutare errores per aliquos Anatomicos instauratos. Quem in finem diversa examinavit animalia, ut in sententia sua confirmaretur. Et ideo exhibet descriptionem Anatomicam partium nonnullarum quorundam animalium, a nemine hactenus datam, cum multis novis explicationibus. De generatione ex animalculis seminis virilis nihil habet, quia iisdem difficultatibus hoc systema obnoxium credit, quibus subjicitur reliquum quodcunque, immo naturæ legibus prorsus contrarium reputat, quæ admirandam affectans simplicitatem, nihil in operibus suis inutile ostentet. Accedere, quod multa animalcula, etiam in aliis liquidis, per microscopia detegantur, nulli tamen generationi inservientibus. Nec huc facere, quod in lue Venerea animalcula sint pleraque emortua, quia ista nec in viris, nec in fœminis fœcunditatem tollit.

Cap. I. in originem fœtus inquirens, leges motus generationi explicandæ non sufficere monet, cum nondum constet de minimis partibus seu principiis nervorum, fibrarum musculosarum, ossium, &c. Negat animam posse sibi formare corpus tanquam domicilium, cum hanc machinam propriis viribus ne movere quidem possit, multaque in corpore dentur & con-

tingant, quorum mens prorſus ignara. Negat primum hominem prima omnium ſubſequentium continuiſſe ſtamina, cum materiæ, in infinitum licet diviſibilis, actualis diviſio certos ſupponat terminos, adeoque habita attentione ad rationem fœminæ ad ovarium ſuum non diu progredi liceat, quia ſupponenda ſit infinite parva ſtaminum quantitas, nec, quinam liquores iis arrodendis & nutriendis inſervire queant, appareat. Negat aërem eſſe receptaculum omnium ſtaminum cum cibo aſſumendorum, & per poros in ovaria filtrandorum, cum, ob parvitatem ſtaminum, nulla comprehendatur filtrorum differentia, ut animalium ovaria non ſolum ſuæ, ſed & alterius ſpeciei ſtamina recipere valeant, monſtraque repugnent, tertiam inter duas alias ſpeciem conſtituentia. Veriora igitur de origine fœtus traditurus, in generationem ovi, & ejus, quoad partes majores, ſtructuram inquirit, de explicatione diverſarum ovi partium ſimul diſſerens, atque oſtendens, quam multa & ardua hic adhuc ignorentur. Expendit diviſionem animalium in ovipara & vivipara; ſubdiviſiones item oviparorum & viviparorum: tandemque concludit, naturam uniformiter agentem, omnia generare ex ovo. Huic utrum ante fœcundationem inſit germen, nec ne, definitu difficile pronunciat. Oppugnat tamen ſyſtema veterum de generatione ex commixtione ſeminis virilis ac fœminei, a recentiore quodam Autore innovatum: inprimis diſputans contra diverſas vias, quibus ſemen fœmineum, juxta *Laurentium, Riolanum, Plazzonum, Diemerbrockium, Galenum, Varthonum, Kerkringium,* ex ovario ad uterum deferri debet. Cum vero probabilius eſſe ſtatuat ſyſtema ovorum, in eo eſt, ut evincat, tubas in fœminis oviductibus & teſticulos ovariis reſpondere: id quod inter alia confirmat accurata deſcriptione partium genitalium in teſtudine fœmina, quæ, utut ova pariat, partes tamen habet genitales, partibus genitalibus canis vel felis non abſimiles.

Cap. 2. modum expoſiturus, quo ovum ad uterum deſcendit, de ipſis ovulis diſſerit. Veſiculas exiguas in teſticulis ovula eſſe pronunciat, in eo ab hydatidibus teſticulorum, non ſemper, nec in omnibus animalibus reperiundis, differentia, quod

quod ista facile, hæ difficulter ad ignem indurentur; hæ aliter, quam ista, cum testiculis connectantur; in his æque membrana externa facile separetur ab interna, in istis minime; has denique in plerisque animantibus deprehenderit molles ac transparentes, ista vero firma satis & minus pellucida. Ovulorum existentiam per observationes *Regneri de Graaf, Peyeri, du Verney*, & proprias probat, & quomodo ab ovario separentur, testiculique membranam perforent, exponit, id optime addisci monens secando animantia vivipera aliquot a coitu diebus. Inprimis ostendit, quomodo ovum majus per foramen minus penetrare possit, per quod ipsi negandus videbatur egressus: ovum scilicet, dum prolongatur, crassitiem imminuit, & foramen ob membranæ tenacitatem dilatatur. Hanc assertionem eleganti illustrat experimento. Nempe si ovum gallinaceum aceto immittatur, ut testa mollescat, per foramen ipso multo minus urgeri potest in vitrum, ex quo non patet per idem reditus, si affusa aqua testa rursus induretur. Addit, quomodo papillæ supra testiculis producantur, & cur tales in oviparis non compareant. Ex ovario per tubas Fallopianas ad uterum deferri ovulum, probat per fœtus interdum extra uterum conceptos, casum sui temporis commemorans de fœtu intra abdomen concepto, placenta non utero, sed aliis ventris partibus alligata. Hunc vero casum rariorem pronunciat, non quod sæpius ex ovario in abdomen non cadant ovula, sed quod illuc cadentia non commodum semper reperiant locum, ubi alligentur ac nutriantur. Provocat ulterius ad fœtus in tubis repertos, quales ipsi *Vesalius* & *Riolanus* retulerunt, utut systematis de commixtione seminum patroni. Ut vero explicare quodammodo posset, quomodo ex ovario in tubam delabatur ovulum, tubarum descriptionem tradit satis accuratam, & hominum cum quadrupedibus hac in parte convenientiam, cum volatilibus disconvenientiam edocet, addita harum differentiarum causa, a disparitate incessus quadrupedum & volatilium petita. Subjungit, quomodo tubæ per spiritum seminalem ad actionem determinentur, ut ovario applicatæ ovulum egrediens excipiant exceptumque ad uterum devolvant. Non autem crassam seminis substantiam, sed so-

lam

lam ſpirituoſiorem conceptioni inſervire, hinc evincit, quod multa animalia, utut concipiant, ſemen immiſſum rurſus ejiciant; quod conceperint fœminæ, utut penem in vaginam non immiſerint, quia erant imperforatæ; quod inprimis ſemen ſine alteratione in utero teſtudinis recipi nequeat, cum per aliquod tempus in communi cavitate commoretur, ubi urina & materiæ fæcales exonerantur. Refutat tamen illorum ſententiam, qui cum *Stenone* & *Bartholino* juniore, ſpiritum ſeminalem in tubas & ovaria non agere affirmant, antequam ſanguini permixtus per circulationem eo deferatur; utut hujus hypotheſeos patroni, per eam optime explicari poſſe varia fœminarum concipientium ſymptomata, contendant, qualia ſunt vomitus, nauſeæ, guſtus depravatus &c. Ipſe aſſerit, per tubas ad ovaria non per effumationem, ſed infiltrationem, in uteri ac tubarum membranas deferri ſemen. Utut vero neget, per circulationem ſanguinis ad ovarium delatum ſpiritum ſeminalem ovo fœcundando ſufficere; non tamen ideo negat, quandam ejus partem ſanguini permiſceri poſſe. Rationem denique reddit, cur tubæ & oviductus ovariis non cohæreant. Inde mutationes ovi in utero exponit, & ex ſubita uteri extenſione, quæ irritationem per ſpiritum ſeminalem productam ſequitur, pleraque accidentia conceptionem conſequentia deducit, qualia ſunt dolores, vomitus, nauſeæ &c. Inprimis declarat, quomodo ovulum utero connectatur, chorda umbilicalis naſcatur, ovulum nutriatur, monſtrata analogia inter ovulum & grana plantarum, notatis ſimul differentiis, quæ in brutis obſervantur, earundemque ratione ſubjecta.

Cap. 3. membranas fœtum involventes, cum chorda umbilicali & placenta uterina deſcribit, multasque diverſitates in diverſis animantibus obvias, cum earundem rationibus tradit. Exponit connexionem chorii cum utero in equa, porca, porca fera, torpedine (qui eſt piſcis quidam marinus) cane marina, vipera: placentam uterinam fœminæ, canis, felis, leporis, cuniculi, porculæ Indicæ, animalium ruminantium, delphini: membranam urinariam ruminantium cum ejus characteribus, ſpeciatim in porcula Indica, equa, cuniculo, cane, fele

ac fœmina: amnion & speciatim quædam de amnio oviparorum: quartam tunicam in quibusdam animalibus obviam: vasa omphalomesenterica: vasa quartæ membranæ, quas venas esse contendit, aliaque huc spectantia.

Cap. 4. eadem industria disquirit de humoribus in membranis fœtus contentis. Multus est, ut comprobet, fœtum in utero nutriri per chordam umbilicalem, præter argumenta ex structura placentæ & vasium umbilicalium petita, ad fœtum caninum provocans, quem capite & bucca carentem, optime tamen nutritum, deprehendit *Regnerus de Graaf.* Interea tamen non negat, per buccam quoque nutriri fœtum, quia inter liquorem in ventriculo ejus, & inter liquorem in amnio contentum, omnimoda reperitur similitudo. Cum autem uterque ab eo multum differat, qui in membrana urinaria continetur: in istam similitudinem, hanc dissimilitudinem multis inquirit. Agit etiam de liquoris in amnio origine & modo, quo in ventriculum defertur. Causam reddit, cur urina fœtus peculiari tunica contineatur; cur non per urethram, ut in adultis, sed per urachum secernatur; cur peculiare urinæ, nullum autem excrementorum in intestinis contentorum sit receptaculum. Sub finem capitis in eo est, ut demonstret, interiorem uteri cavitatem considerandam esse tanquam exiguis glandulis repletam, per quas filtretur succus nutritius, magis tenuis, minus viscosus, & ad naturam lactis sive chyli magis accedens, quam liquor amnii, per arterias eo derivatus, & per porositates placentæ fluens, atque cum sanguine ex arteriis fœtus propullulante in venam umbilicalem abreptus.

Cap. 5. denique circulationem sanguinis in fœtu expendit: qua occasione de foramine ovali, per quod vena cava cum vena pulmonali communicat, & de canale arterioso, per quem arteria pulmonaria cum arteria aorta commercium colit, prolixe agit. Sub finem operis controversias tractat, quæ ipsi cum *Dn. Mery* circa sanguinis in fœtu circulationem intercedebant.

GEOR-

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII COMpendium Praxeos Clinicæ Exemplaris, secundum ordinem Casuum Timæi a Guldenklee.

Jenæ, sumptibus Johannis Bielkii, 1707. in 4.
Constat Alph. 1. plag. 8.

QUanquam variis hactenus scriptis Illustris WEDELIUS peritiam suam, qua in Arte Medica pariter ac Chymica excellit, abunde testatus fuerit, sicque nomen suum ab oblivione vindicaverit; ulterius tamen famæ suæ Philiatrorumque commodis inhians, Praxin tandem Clinicam, ab omnibus Artem salutarem excolentibus diu expetitam, luci publicæ exponere decrevit. Per Praxin autem Clinicam intelligit exercitium eruendi & exhauriendi signa & phænomena, ut suppositis causis ad illa producenda aptis, indicationes & indicata specifica, individualiter hinc applicari possint debite. Utut vero ordinis ratio jubeat, Praxin Clinicam generalem præmittere speciali; attamen facilius visum fuit Compendium hoc præmittere Praxeos Clinicæ Exemplaris, eidem scopo velificantis, alteri, volente Deo, brevi subsecuturæ. Potuisset certe Excell. WEDELIUS, ex sua Praxi XL annorum amplissima, casus atque exempla eruere, prout in Præfatione testatur; noluit tamen actum agere, sed cum Balthasar Timæus a Guldenklee ejusmodi casus dudum ediderit, ex universo ambitu occurrentium medico morborum, eosque non semel emensus fuerit Author Noster; horum responsionem edere aliam, & ordinem sequi visum fuit, ut & eosdem commendaret, & sic breviori via sapientibus simplici filo styloque monstraret, quomodo copia rerum & verborum satisfacere ægris, & hæc variare liceat.

ULRICI HUBERI JCTI, SUPREMÆ FRIsiorum Curiæ Ex-Senatoris, Prælectionum Juris Civilis Tomi III. secundum Institutiones & Digesta. Accedunt huic Editioni Novæ Additiones CHRISTIANI THOMASII, quibus Scholia ipsius contra Autorem defenduntur, ejusdemque nova Præfatio, & Differentia Juris Com-

Communis & Saxonici, cura LüDERI MENCKENII JCti. Lipsiæ, sumtibus Joh. Frider. Gleditschii, 1707. in 4.

Constant Alph. 9. pl. 4.

QUæ Operum Juridicorum Celeberrimi Huberi sit præstantia, quod inter Eruditos pretium, quæ imprimis Prælectionum ad Institutiones & Digesta toties editarum elegantia & utilitas, actum ageremus, si prolixius hic exponeremus. Non male igitur de Jurisprudentia meritus est Bibliopola solertissimus, qui, quas diximus Prælectiones Huberianas, apud nos curavit recudendas. Sed cum partem Prælectionum primam, quæ ad Institutiones pertinet, in Actis A. M DC LXXXVIII. pag. 464, II & III tiam quæ Jus Pandectarum tradunt, A. M DC LXXXIX. pag. 302, & A. M DC.LXXXX. pag. 507. prolixius recensuerimus, nihil superest, quam paucis ut moneamus, quantum hæc præstet prioribus editio. Accessérunt enim ei novæ Additiones Dn. Thomasii, quibus Scholia sua contra Responsiones Huberi vindicavit, sæpius tamen suam reliquit & in Huberi sententiam transiit, ut ipse in Præfatione fatetur; in qua simul rationes exponit, quibus olim ad edenda Scholia, & jam ad has Replicas edendas fuerit adductus. Præterea hæc editio exhibet Differentias Juris Communis & Saxonici, secundum seriem Prælectionum ad Institutiones & Digesta, cura Dn. Menckenii, quæ eum in finem fuerunt additæ, ut, qui in Saxonia Huberianis Prælectionibus uti cupiunt, in singulis titulis fere, quid usus aut Leges Saxonicæ tam Communes, quam Electorales, immutaverint, sine negotio possint cognoscere. Denique Indices Operis in meliorem redactos ordinem, ac mendas, quæ in priori editione occurrebant, summa cura sublatas esse, Lector Benevolus facile ex ipsa utriusque collatione intelliget.

LIBRI NOVI.

Julii Pollucis Onomasticum Græce & Latine. Præter aliorum notas, suas etiam adjecere J. H. Lederlinus & T. Hemsterhuis. Amstel. ex officina Wetsteniana, 1706. fol.

Description de la Virginie. A Amst. chez Th. Lombrail, 1707. 12.



ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Decembris Anni M DCC VI.

FERDINANDI CHRISTOPHORI HARPRECHTI JCti, Sacri Cæsarei Palatii Comitis, diversorum Imperii Principum & Statuum Consiliarii, in alma Tubinga Antecessoris & in Summo Würtembergico Tribunali Assessoris, Responsorum Criminalium & Civilium Volumen secundum, tertium & quartum.

Tubingæ, impensis Augusti Metzleri, A. 1701. 1702. 1706. in fol.

Constat volumen II. Alph. 3. plag. 12. III. Alph. 3. plag. 5. IV. Alph. 3. plag. 7.

PRimum Responsorum horum Volumen, a nobis, mense Junio *1701* pag. *277 seqq.* relatum est. Secundum & Tertium hactenus curam nostram effugerunt, ut debito tempore non sint exhibita; hinc vel verbo eadem nunc indicare, e re esse videtur. Telam igitur semel inceptam, serie non interrupta, pertexit Illustris Autor; hinc in Volumine Secundo, agmen ducit Responsum decimum septimum, claudit vero quadragesimum octavum. Ab hoc Volumen Tertium, usque ad Responsum sexagesimum quintum extenditur. Inde Quartum, illudque novum, Volumen succedit, quod a sexagesimo sexto, usque ad septuagesimum septimum excurrit, adeoque duodecim Responsa complectitur. Responsum sexagesimum sextum, quod primum locum occupat, sollicitam de feudo meritorum remuneratorio, exhibet tractationem. Tum, juxta or-

dinem sequentium Responsorum agitur de renunciatione acquæstus conjugalis, constante adhuc matrimonio, facta. De actione spolii, an & quatenus illa in spoliatoris hæredes transeat. De fructibus sylvestribus, wild Obs und Eicheln, utrum vi juris venandi & forestæ, ad eum qui isto jure gaudet, an vero ad sylvæ proprietarium pertineant. De renunciatione filiarum nobilium, monasterium ingressarum. De læsione enormi, in feudi masculini venditione. De crimine incestus in linea recta, patris cum filia. De crimine falsificatæ monetæ. De jure perpetuæ reluitionis prædiorum Würtembergensium, in forenses translatorum. De crimine vini, per lithargyrium, Silberglätt oder Silber-Schaum, adulterati. De transactione prætensive vi metuque extorta, ejusque rescissione, ex hoc capite petita. De solutione & condictione indebiti, prolixe disputatur. Nos, speciminis loco, duorum Responsorum summam breviter exhibebimus. In Sexagesimo nono, ut antea indicatum, disquiritur: utrum fructus sylvestres, ad eum, qui regali venandi & forestæ jure gaudet, an vero, ad sylvæ proprietarium pertineant? Circa hanc controversiam præmonet Consultissimus Autor, eam ex statutis & consuetudinibus cujusvis loci, fere esse decidendam, cum ex solo jure naturali, aut jure Romano, vix decisio aliqua peti queat; statuta vero vel leges provinciales, sylvæ proprietario favere, autoritate ordinationis forestalis Würtembergicæ, Bavaricæ, Brunsvicensis & Hohenloicæ, deinde ostendit. Quodsi autem leges ejusmodi provinciales seponamus, tum nihilominus, pro sylvæ proprietario, pronunciandum esse censet, cum utique fructus, tam pendentes, quam separati, in dubio, domino attribui debeant. Nec obest, quod fructus ejusmodi, feris, ne fame pereant, relinquendi, nec hæ, per glandis collectionem, fugandæ esse dicantur; nam hanc rationem proprietarium, a jure suo, non penitus excludere, sed hoc solum aliquo modo restringere, Noster docet, ac insuper, plurium Doctorum autoritate, sententiam suam confirmat. Interim alii fructus sylvestres ei, qui jure venandi & forestæ gaudet, adscribunt, quo nomine diversos Autores Noster laudat, sed eos hypothesi, nondum ad liquidum dedu-

deducta, verum in circulum potius recurrente, quod facultas decutiendi & legendi glandes, juri venandi cohæreat, niti, simul admonet, id adjiciens, sententiam illam, ex Gailio male intellecto, imo in editione anni 1616 etiam corrupto, fere habere originem, cum tamen Gailius sylvæ proprietario fructus sylvestres non plane abjudicet, sed eum, in præjudicium Domini forestalis, jus suum non nimis extendere debere, solum doceat, quæ sententia, uti rationi est consentanea, ita aliis Autoribus quoque probatur. Solidius quidem fundamentum sententiæ suæ dissentientes, in longæva consuetudine, quæ fructus sylvestres Domino forestali tribuat, reperisse existimant. Verum consuetudinem illam jactari quidem, sed non probari, Noster demonstrat; imo tantum abesse evincit, ut generali consuetudine sententia illa firmata sit, ut potius, in plerisque locis, contraria jura, vel scripta, vel non scripta, obtineant, Gailius etiam & Friderus, quorum autoritate dissentientes potissimum nituntur, consuetudinem talem minime asserant, sed Domino forestali fructus competere, si longa consuetudine jus illud acquisiverit, solum doceant, inter quæ duo, magnam esse differentiam, nemo non videat. Denique in specie, in casu controverso, sylvæ proprietario jura omnia favere, Consultissimus Autor, additis nonnullis limitationibus, ostendit.

Ex doctrina Responsi septuagesimi septimi, mercator quidam decessit, vidua, quatuor filiis & tribus filiabus relictis. Post quatuor, a morte, annos, vidua negotiationem, quam hactenus continuaverat, filiis cessit. Subducto calculo, unus ex filiis, per errorem, matri sortem mille imperialium indebite assignat, eidemque per duos annos, sortis illius, in negotiatione relictæ, usuras præstat. Tum moritur filius, qui errorem commiserat: superstites fratres, rationibus denuo dispunctis, illum deprehendunt, sed dum verentur, ne reverentiam matri debitam lædant, aut hæc etiam, repetitione indebiti, ad iram provocata, sortem ex negotiatione tollat, vel ex nimio animi motu, morbum contrahat, aut plane moriatur, errorem commissum illi non indicant, sed potius, per quatuordecim annos, sorti indebitæ usuras constanter adjiciunt. Interim filii mercatores bonis labuntur, ac ma-

ter, quod sibi deberi existimabat, exigit, sed filii, indicato errore, ut mater tam sortis, quam usurarum indebite assignatarum deductionem patiatur, petunt. Quæsitum ergo fuit, an & quousque jus vel retinendi, vel repetendi, filiis hic competat? Quoad ipsam sortem, res satis certa Consultissimo Autori videtur, quod ejus intuitu, condictio indebiti locum habeat, cum omnia ejus requisita, solutio scilicet vel promissio, error facti ac indebitum, hic concurrant. Et licet de filii nunc defuncti intentione, utrum ille ex errore, an potius sciens prudensque, atque ita animo donandi, matri sortem illam assignaverit, liquido constare non videatur, attamen Noster censet, ex indebito, quod rationibus subductis satis apparebat, errorem merito præsumi, cum nemo suum, sine justa ratione, præsumatur jactare. Idem dicendum de usuris biennii, quas filius errans matri concesserat, cum enim hoc, ex eodem errore, quo sors illi assignata, factum sit, ideo earum vel repetendarum, vel retinendarum jus recte asseritur. Major difficultas subesse videtur, quoad reliquorum annorum usuras. Cum enim has, cognito errore, cæteri filii matri præstiterint, ideo eas donasse censeri possunt: verum ex scientia, hoc in casu, animum donandi asseri non posse, Noster existimat, cum ille rationibus fortioribus, a reverentia filiali, & metu incommodorum, quæ negata præstatione, vel in matrem, vel negotiationem, redundare potuissent, desumtis, excludatur, hinc illarum etiam usurarum intuitu, condictionem indebiti locum habere concludit.

REMARKS ON SEVERAL PARTS of Italy, &c.

h. e.

OBSERVATIONES CIRCA DIVERSAS Italiæ partes, annis 1701, 1702 & 1703 subnatæ.

Londini, apud Jacobum Tonson, 1705, in 8.

Constat Alph. 1. plag. 11.

Quam-

QUamvis Autor harum observationum Doctissimus nomen suum titulo libri haut præfixerit, dedicatio tamen, quæ ad Illustr. Virum *Jo. Sommers* directa est, satis edocet, deberi hocce elegantissimi ingenii monumentum *Jo. Addisonio*, qui hactenus poemate in Victoriam Hochstadiensem, aliisque carminibus, Musis & Apolline faventibus, in lingua vernacula conscriptis, magnam nominis celebritatem inter suos adeptus est. Noverat ille, præter Italiam, theatrum istud & naturæ, & antiquitatis, & artium, & rerumpublicarum diversarum splendidissimum, in toto fere terrarum orbe vix regionem inveniri, quæ iis, qui peregrinationis studio tenentur, majorem quam illa vel jucunditatem vel utilitatem promitteret. Hinc & ipse eo non tantum iter ingressus est, sed etiam operæ pretium se facturum recte existimavit, si ea, quæ circa diversas, quas perlustravit, Italiæ partes observaverat, cum erudito orbe communicaret, præloque publice subjiceret. Qua in re exemplis ipsi ac scriptis præiverunt cives ejus clarissimi, *Burnetus*, Sarisberiensis hodie Episcopus, eorum quæ ad religionem in Italia florentem & rerumpublicarum instituta spectant, imprimis studiosus; *Lasselius* in consignandis scriptoribus, qui diversa Italiæ loca illustrarunt, maxime adsiduus; *Rajus* ob rerum naturalium scrutinium percelebris; ac denique *Missonius*, qui uti ad generalem Italiæ notitiam acquirendam plurimum adjumenti adfert, ita studium, quod in adumbrando regionum locorumque situ adhibuit, feliciter admodum ipsi cessit. Hos ergo imitatus Noster has observationes edidit, in quibus, uti plurima ab aliis prætermissa studiose attigit, ita alibi jam memorata raro adduxit, quin ulterius illustrentur clariusque exponantur. Id quod summa non modo styli elegantia, verum etiam tanta varietate factum est, ut modo naturæ arcana scite recludi, modo rerumpublicarum fundamenta & imperantium artes accurate exponi, modo antiquitatis monumenta præclare exhiberi, modo quæ ad Historiam, Geographiam & rem litterariam spectant, erudite explicari, non sine voluptate lectores sentiant. Tanta scilicet rerum pulcherrimarum seges hic efflorescit, ut facile prolixiorem libri recensionem exhibere possemus, nisi instituti nostri ratio

tio brevitatis nos admoneret, cui obsequentes pauca saltim ex iis commemorabimus, quæ ad antiquitatis notitiam & elegantiores litteras imprimis pertinent.

p. 142. Dum arcuum istorum meminit, quibus tanquam egregiis antiquitatis monumentis Ariminum, Fanum & Ancona hodie celebrantur, eos quidem a plerisque triumphales adpellari, Addisonius monet, Romanos tamen olim inter eos fornices, qui honoris tantum causa Imperatoribus fuerunt extructi, & eos, qui victoriæ cujusdam monumentum statuebantur, & triumphalium nomine tantum digni sint, discrimen quoddam fecisse, adserere non dubitat. Ita Arcum, qui Anconam ornat, gratitudinis documentum existere erga Trajanum, quod urbem portu clausisset, reliquosque duos parem forte in finem fuisse erectos, verosimile sibi videri ait; laudatque proinde veterum Romanorum sapientiam, qui ut Imperatores suos ad studium salutis publicæ quasi stimulis eo magis excitarent, ob res pacis tempore laudabiliter gestas, eosdem ipsis honores tribuere consueverint, quos alias ob laudem bello promeritam iisdem deferre solebant. Quam in rem duos nummos memorat, quorum unus Galbæ imaginem arcumque cum inscriptione, XXX. REMISSA. S. C. refert; alter ob munificentiam portu Anconæ extructo comprobatam, Trajani memoriæ dicatus portum cum navigio & catena cinctum exhibet, istis adscriptis verbis: S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. S. C. Et quamvis Doctiss. Fabrettus posteriorem huncce nummum ad aliam occasionem referre maluerit, Bellorium tamen in additionibus suis ad Angelonium satis ad ea, quæ objiciat, respondisse Autor monet.

p. 263. Capreas, insulam prope Neapolin, Tiberii secessu olim nobilitatam, describens, sæpius antiquos nummos ex terra ibi erui observat, inter quos non raro occurrant illi, qui Spintriis Tiberianis accensiti, ex una parte lascivam quandam imaginem, ab iis inventam, quos monstrosi concubitus repertores vocat Suetonius, referunt, ex altera vero parte litteras numerales exprimunt, quales numerum XX exhibentes se oculis usurpasse Noster testatur. Quin illi genuinæ sint antiquitatis, non dubitat, eosque ut nummos tertiæ magnitudinis describit; fa-

tetur

tetur tamen, nec in Suetonio, quem Patinus nummis illustravit, se ea quæ speraverat, de iis invenisse, nec alios sibi notos esse, qui de antiquis id genus nummis aliquid commentati sint, quamvis sciamus, Illustrissimum Virum, Ezechiel. Spanhemium in laudatissimo opere de Usu & præstantia Numismatum antiquorum, non contemnenda de iis alicubi protulisse, neque minus Baudelotium de Dairval in libro *de l'Utilité des Voyages* P. II p. 685, & Cl. Eucharium Gottlieb Rinckium in opere eruditissimo, quod sub tit. *de Veteris Numismatis potentia & qualitate lucubratio, occasione Rubricæ Codicis de eodem argumento; sive Cognitio totius rei numariæ*, Lipf. 1701 in 4 edidit, Cap. 3 pag. 21 mentionem eorum injecisse. Cum vero illi, quorum sententiam circa istos nummos indagare penitius Autori licuit, eos convitii causa eumque in finem cusos esse existimaverint, ut Tiberii spurcissimæ libidines risui omnium publice exponerentur, ipse quidem aliter sentit, eam imprimis ob rationem, quod nummis alios exagitandi consuetudo non antiquitatem, sed novitatem potius sapiat. Equidem non diffitetur, occurrere duo alia numismata, quæ huic sententiæ repugnare videantur, illud scilicet Marci Aurelii, quod repræsentat Venerem, quæ blanditiis suis Martem a bello retinere studet, cum inscriptione: VENERI VICTRICI; & præterea illud aureum Galieni, quod in Galliæ Regis Nummophylacio adservatur inscribiturque: GALLIENÆ AUGUSTÆ, PAX UBIQUE. Prius enim a plerisque ad Faustinam, quod Gladiatori nimium indulserit, acerbe adplicari, imprimis cum Venus eam facie referre videatur; altero vero Galieno probrum objici, probabile videri, utpote cujus tempore gravissimis motibus Imperium fuerit concussum, nec pacis tranquillitate gloriari adeo potuerit. Verum enimvero uti Addisonius sibi persuaderi non patitur, urbis Romanæ Patres eo audaciæ esse progressos, ut Faustinam, Aurelii uxorem, & matrem Commodi, quam dein Dearum numero adscripserint, publice traduxerint, vel Imperatorem ipsum offenderint, quem milites pariter atque populus habuerit charissimum, ita tantam Galieni stupiditatem animique securitatem fuisse docet, ut merito credi possit, ipsius auto-

autoritate nummum, quem memoravimus, fuisse excusum. Quodsi mos, publicis nummis alios exagitandi, inter Romanos obtinuisset, quin ingens ejusmodi nummorum numerus ad nos pervenisset, non dubitat, cum certe sæpius diversis uno tempore imperium fuerit oblatum, qui se invicem vehementissime insectabantur, prætereaque Imperatores tales non raro habuerint successores, cum quibus summæ inimicitiæ ipsis intercesserint. Quæ cum ita sint, tantum abesse censet, ut numini isti obscœnis Philenidis schematibus insigniti ab aliis, ut Tiberio convicium facerent, effecti fuerint, ut potius ille ipse Imperator ad propagandam nefandæ societatis memoriam eosdem excudi curaverit; id quod eo magis extra omnem dubitationis aleam positum esse arbitratur, quoniam adhuc hodie eo in loco inveniantur, in quo impurissimis istis voluptatibus Tiberius maxime se dederit.

Neque vero illa nobis prætermittenda penitus esse videntur, quæ ad illustranda quædam veterum autorum loca, Addi-
p. 291. sonius in medium producit. Ita de veteri Antio loquens, Fortunæ templo urbem illam olim celebrem fuisse notat, omnesque consentire ait, cultum ibi duabus Deabus fuisse exhibitum, quas Suetonius *Fortunas Antiates*, Martialis vero *Sorores Antii* adpellet. Quosdam in ea versari sententia addit, duas istas Deas duas Nemeses significasse, quarum una bonis bona, altera malis mala retribuat; Fabrettum vero innixum prisco cuidam monumento ex Antii ruderibus eruto verbisque notato, FORTUNÆ FELICI, in eam propendere sententiam, quæ duarum Fortunarum nomine aut istam, quæ prosperitatem concedit, aut istam, quæ adflictiones mortalibus infert, generatim indicari vult. Interim duplex illud Deæ officium Horatii Odæ XXXV Lib. I, quæ ad *Divam gratum quæ regit* Antium directa est, magnam accendere lucem observat. Uti enim Poeta preces ad Fortunam mittat, ut Cæsaris armis adesse hostesque profligare velit, ita utramque Dearum officii sui commonefieri, & quintum Odæ tetrastichon, quod *clavorum trabalium, cuneorum, uncorum liquidique plumbi*, rerum in puniendis reis adhiberi solitarum, mentionem facit, hac explicatione recepta

recepta longe rectius intelligi ait, quam si communem interpretum sententiam quis sequatur. Ex variis antiquitatis monumentis, quibus Roma hodie se effert, statuarum maxime se captum fuisse adspectu fatetur, earumque ope diversa Poetarum loca elegantiæ ac luci suæ felicissime restitui posse, eo certius colligit, quo minus dubitandum sit, quin veteres illi scriptores ad eas sæpius imagines respexerint, quæ sua ætate celeberrimæ omnium conspectui fuerunt expositæ. Id, ne frustra dixisse videatur, exemplis diversis comprobat, & primo quidem Juvenalis locum ex lib. 1. Sat. 6, v. 15. ubi Jovis barbati meminit, eleganter illustrat, quæritque annon istis hominibus sensus verborum istorum longe melius, quam nobis, constare potuerit, qui quotidie plures Jovis barbati statuas coram cernebant, quales & hodie Romæ supersint. Hinc ex Satyra Juvenalis tertia lib. 1. v. 88. descriptionem adulatoris attingit, qui *longum invalidi collum cervicibus æquat Herculis, Antæum procul a tellure tenentis*, eaque alludi putat ad nobiles quasdam Antæi atque Herculis statuas, in publico quodam forte loco prope Romam positas; qua de causa non modo ad nummos provocat imagines ejusmodi repræsentantes, sed etiam Propertium lib. 3. Carm. 1. statuarum hujus generis expressam mentionem fecisse, memorat. Porro cum Poëtæ Latini colli brachiorumque aptam compositionem inter summæ pulchritudinis signa referre sæpe soleant, quod Horatii Oda XIII. lib. I. confirmat, id ut rectius intelligatur, observandum esse ait, in antiquis Romanorum statuis istas humani corporis partes, perinde uti faciem ac manus, nudas semper oculis omnium fuisse expositas. Omittimus ea, quæ ad declaranda pari ratione alia quædam Poëtarum loca adducuntur, illudque saltim addimus, in eo singularem diligentiam Autorem comprobasse, quod congestis sedulo variis Poëtarum descriptionibus, eas rebus in itinere sibi obviam factis, eleganter adplicuerit, Anglicisque versibus tanta suavitate expresserit, ut quanta carminis facultate polleat, vel exinde facile intelligatur.

p. 303. p. 305. p. 306. p. 308.

JOHANNIS NICOLAI, ANTIQUITATUM Professoris, Tractatus de Synedrio Ægyptiorum, illorumque Legibus insignioribus.

Lugduni Batavorum, apud Henricum de Swart, 1706. in 8. Plag. 18.

IN eleganti hoc, quod de Synedrio Ægyptiorum agit, opusculo, ad septem negotium omne capita redigitur. In primo, quod de Synedrii Ægyptiaci existentia inscribitur, ad varia aliarum Gentium, Ebrææ potissimum atque Græcæ, Autor Synedria excurrens, apud Ebræos tria tantum, apud Ægyptios vero triginta, pro Nomorum, in quos Ægyptum Strabo dispescit, numero olim floruisse adstruit. Viros, qui Judiciis istiusmodi præficiendi erant, ex civitatibus clarioribus, quales Heliopolis, Memphis atque Thebæ erant, optimos electos fuisse, caput II nos edocet. Hi ut ex Mercurii instituto, Sacerdotio insimul fungebantur, & secundum honoris dignitatisque gradum post Regem tenebant, ita, ut prudentia & virtus eosdem summopere commendarent, necessum erat. Diversos istorum ordines capite III recenset, in quo primus locus assignatur Cantoribus, qui dubia ex Legum Mercurii digestis circa Deorum hymnos & laudes exorta solvere, & vitæ regiæ rationes ad supremarum Mentium ideas disponere debebant; secundus Horoscopis, quos quatuor Mercurii de Astrologia libros alto pectore imbibisse, & exactam temporum distributionem in Deorum cultu peragendam observare oportebat; tertius Hierogrammatistis, quorum erat, ut Hieroglyphica, Cosmographiam, Geographiam, ordinem Solis, Lunæ & quinque Planetarum, Chorographiam Ægypti, Nili item & omnis sacri apparatus, accurate cognitam haberent atque perspectam; quartus Stolistis, ab amictu, ut probabilis habet ratio, & quod longis stolis induti incedere consueverint, ita dictis, quibus, ut sacrificia opportuno tempore ordinarent, & μοσχοϕραγιςικὰ h. e. omnia ea, quæ Apides sive Vitulos, qua consignandos qua mactandos concernebant, sollicite curarent, incumbebat; quintus idemque ultimus Prophetis, quos, ut de rerum in Comitiis agitatarum eventibus, sinistros

niſtros per auguria cæteraſque divinationum ſpecies a proſperis diſcernendo judicarent, lex obligabat. Omnes hactenus memorati Sacerdotum ordines, pro Nomorum totius Ægypti numero, juxta C. IV. triginta Viros ambitu ſuo complectebantur, ubi & de totius Collegii Præſide ſigillatim adnotat Autor, quod communes reliquos Aſſeſſores, prudentes, ut jam monuimus, & virtuoſos, ætate non minus quam doctrina & morum gravitate antecellere debuerit. Victum & amictum ſimilem omnibus itidem non obtigiſſe, iſta, quæ C. V. proponuntur, luculenter ſatis demonſtrant, ſiquidem non victus tantum, quem Reges in univerſum omnibus ſuppeditabant, lautior Sacerdoti ſummo cedebat, ſed &, quantum ad amictum attinet, multum ſplendidior, dum communes Judices, eo, quod & ipſi Ægypti Sacerdotes eſſent, veſtibus lineis ſive candidis linteaminibus obtegerentur, Summus vero, ut reliqua taceamus ornamenta, ζώδιον τῶν πολυτελῶν λίθων, ſignum e pretioſis lapidibus, cui VERITAS nomen erat, ex aurea catena de collo dependens præ ſe ferret. Imaginis hujus, quæ fatidica erat, occaſione Autor CL. Marshami, Spenzeri, & qui idem cum his Duum-Viris cornu hac in parte inflant, Martini utriusque, patris & filii, errorem, quaſi ſcilicet Urim & Tummim ejusdem, cum dicta Ægytiorum imagine fatidica, indolis & naturæ fuerint, imo ſuam iſta ab hac originem repetiverint, rationibus & Clariſſimorum Virorum, Meyeri, Witſii, Tillii, Van der Wayen, Hilleri, Othonis, Ribeudealdi &c. teſtimoniis in medium propoſitis curſim refutat. Modum in Synedrio agendi ductu C. IV huc fere rediit, ut cunctis legibus, quæ octo libris continebantur, in conſpectum productis, diſceptatio de Juſto & Injuſto, ad quam tres minimum perſonæ concurrebant, duæ, quæ inter ſe diſceptarent, Actor puta & Reus, & una, quæ litem dirimeret, i. e. Judex, inſtituebatur. Accuſatione juxta methodum, quam §. III. hujus Cap. depingit, rite peracta, Reo ad ſingula, vel exceptione, vel negatione, vel diminutione, iterata, ſi rei id exigebat neceſſitas, vice reſcribere permiſſum fuit, atque ſic tandem, poſtquam communes Judices de controverſia quæſiverant, Princeps ſigno veritatis in partem veriorem verſo, ſententiam

ferebat. His ita præmissis, C. VII. eodemque ultimo in antiquas Ægyptiorum Leges, de quibus in Synedrio agendum erat, & quarum septendecim in universum enumerantur, ordine suo Autor fusius inquirit, omniumque ratione ac ampliori explicatione adducta, & accurata inprimis cum Legibus Civilibus collatione, quæ si non unicus, primarius saltem scriptionis universæ scopus est, instituta, coronam operi imponit, similem Legum Mosaicarum in Institutiones Justiniani, in Codicem item & Decalogum, ubi haud ingrata Eruditis hæc fuisse cognoverit, operam promittens.

NICOLAI PARTHENII GIANNETTASII Neapolitani, Societatis Jesu, VER HERCULANUM.

Neapoli, ex officina Jacobi Raillard, 1704. in 8.
Constat plag. 19.

ELegantissimum opus ab Auctore *Ver Herculanum* inscribitur, propterea quod erudita colloquia contineat, quæ in locis Herculi sacris, Herculanio scilicet oppido, ab Hercule a debellatis Hispaniis in ea loca victore invecto olim condito, inter ipsum Auctorem & Mecœnatem quendam, nec non alios amicos instituta fuerunt. In iis autem colloquiis doctissimi Auctoris ingenium, quod erudito orbi non prima vice probat, denuo mirum in modum elucescit, utpote quod utile dulci miscendo, sine dubio omne punctum tulerit. Comminiscitur longum peregrinantis iter, ac inter eas ingeniosissimas fabellas, purissimo stylo depictas & expressas, Historici, Physici, Philologi, imo & Mathematici invenient, quo se delectent & proficiant. Giannettasius enim, libro VI Nauticorum, navigationis cujusdam in Ægyptum mentionem fecerat; hujus itineris historiam audire gestit Mecœnas, quem Auctor invisit; cui desiderio velificaturus prolixam hac de re narrationem aggreditur, quæ cum multa curiosa contineat, haud abs re fore putamus nonnulla, quæ in primis memoratu digna sunt, in medium afferre. Post varia igitur pericula, in itinere feliciter superata, primum Alexandriam se pervenisse Auctor ait, & ibi Nilum

Nilum fluvium oculis usurpasse, quem non septem, ut priscis temporibus, sed quinque in mare ostiis se exonerare observat. Occasione vero a Nilo arrepta disquirit, undenam fontes fluviique oriantur, tantaque perennitate fluant? Ac primo vetustissimam eorum opinionem adducit, qui acceptam e cœlo tum pluviis tum nivibus aquam per fontes remitti, atque una ex hac oriri fluvios arbitrantur; cui sententiæ aliquam verisimilitudinem conciliari exinde, quod iis in locis, atque ea anni tempestate, qua frequentiores imbres effusioresque decidunt, frequentiores etiam fontes atque uberiores scateant. Contra vero iis in locis, ubi aut nullæ, aut rarissimæ sint pluviæ, vel nullos vel paucissimos esse fontes, atque hos plerumque deficere. Præterea cum aquæ tum pluviis tum nivibus mirum in modum in fluminibus crescant, tumidaque ea reddant, ac veluti alant, neminem inficias ire posse, generari ex iisdem flumina, quibus mox quodammodo nutriantur atque augescant. Et quamvis objici queat, non altius pedes decem humidam se subter humum aquam insinuare, istud tamen nondum sufficere ad sententiam illam evertendam; magnis enim in montibus vastas inesse lacunas, imo & montium ferme omnium sinus in immensos fornices amplissimasque cavernas concameratos, in quas ex altissimis jugis pluviales aquæ decurrentes confluant universæ, excipi autem illuc per rupium rimas commissurasque, per quas sua se levitate insinuent atque intrudant, mox vero per rimas alias ex lacunis illis erumpentes scaturire, fluviosque progignere. Quamvis vero hæc ita sese habeant, Auctor tamen sibi persuadere non potest, universos amnes ex solis pluviis procreari, cum non sit probabile, tot ac tam vastis fluminibus, ac nunquam intermisso cursu fluentibus, tantum ex unis duntaxat pluviis aquæ suppeditari, præcipue cum plurimi sint & magni fluvii, quorum fontes non e montibus, sed ex campestribus exiliunt, in planitie vero adunari tantum aquæ non possit, quando hæc ad duodecim vix pedes descendat. Hinc ad eos devenit, quorum dux est Aristoteles, qui concreto ex aëre in aquam converso oriri amnes ac fluere opinati sunt: quemadmodum enim pluviæ in aëre ex coacto vi frigoris vapore producantur, inque

ſubjectas mox terras aërii quaſi amnes delabantur: ita etiam intra montium viſcera ex eadem cauſa, quam efficientem vocant, eundem in aquam aërem immutari, perque rimas deinde hiatusque rupium erumpere; factoque vi alveo per lata camporum ſpatia vallesque decurrere. Et quamvis plurimi hujus ætatis Phyſici negent, præ frigore denſari aërem, inque aquam abire, cum alias totus hyeme circa terras aër concreſceret, inque aquam converteretur: eſſe tamen rationem Auctor ait, quæ pro iſta coactione pugnet. Si quis enim ſtillatoriam uſtrinam viderit, in ea miro artis magiſterio, e variis herbarum generibus, vinoque atque aliis humoribus, aqueos igneosque rores educi deprehenderit. Jam vero, quod in hac induſtria fit artis, fieri etiam in montibus a natura poſſe. Quæ enim cauſæ illius extillationis ſint, easdem in efficiendis fontibus ineſſe. Etenim concava rupium operculi præ ſe vicem gerere, quæ quoniam ſuapte natura frigida ſint, idonea quam maxime ſint ad aërem in aquam transmutandum: infra lacunas ſtagnare, & his ſubter incluſos ignes calore ſuo ſenſim aquas attenuare, inque vapores ſolvere: eos mox in rupium fornices incurſantes, illico præ illarum frigore concreſcere, inque aquarum guttas abire, extillare, fluere, atque jam fluvios præterlabentes immurmurare. Nec impoſſibile videri, in tot montium vaſtiſſimis viſceribus tantum extillare humorem denſato ex aëre poſſe, ut affatim pabula rivis fontibusque ſuppeditentur, ſi modo cogitemus, id quod Cardanus refert, quendam nimirum ægrum ſingulis diebus ſex & triginta urinæ libras reddidiſſe, cum vix ſeptem qua edendo qua potando conſumſiſſet, idque per ſexaginta ſolidos dies, quo tempore ex ſubducta ſumma confectum, M DCCXL lotii libras ſupra potum cibumque effudiſſe. Unde Phyſici concluſerint, aërem arteriis reliquoque corpore contentum in aquam coactum, novoque nunquam deficiente propter animantis reſpirationem, novam ſemper aquam concreviſſe. Illud quoque memoriæ traditum eſſe Auctor ait, Virginem quandam ex iis, quæ ſe Deo manciparunt, tantum præ vigiliis, jejuniis aſſiduaque rerum divinarum meditatione ignem in ſe excitaſſe, ut tota ardere videretur; ad eum autem ingentem calorem remit-

remittendum copiosissimum naturam aërem attraxisse, qui mox visceribus concretus, inque aquam mutatus, tanta per vesicam copia egestus fuerit, ut multis hebdomadis singulis diebus CC libras urinæ emitteret. Verum non obstantibus hisce demonstrationibus, Auctor nullam esse collationem tantulæ urinæ cum immensa illa aquarum mole, quam universa flumina continuo evolvunt, existimat, ac proinde hoc fieri non posse, Geometrica demonstratione conficit. Ut vero tandem de hoc argumento aliquid certi statuat, ab Oceano aquarum omnium parente inexhaustoque fonte oriri amnes, ex S. Scriptura demonstrat. Qui vero fiat, ut aqua suapte natura gravis sese altius attollat, inque editissima montium juga, ex quibus plerumque fontes scatent, insiliat, post varias sententias, quas recensere longum foret, excussas, incompertum esse ostendit. Post prolixum hunc discursum de fluviis eorumque ortu absolutum, Historiam itineris sui Auctor continuat, & quæ ipsi Alexandria Babyloniam profecto contigerint, apud Mecœnatem exponit. In iis, quæ de indole Crocodili ejusdemque usu in Medicina afferuntur, in primis notatu digna sunt, nec non ea, quæ de Nili incremento & vera causa, itidemque de ejusdem fluvii fontibus & a quibus isti detecti fuerint, fuse disputantur. Babylonia in Arabiam Auctor profectus est, cujus itineris historiam jam libro secundo Veris Herculani exponit, & quæ in montibus Sina atque Horebo ipsi visa fuerint, prolixe satis enarrat. Reliqua quæ in hoc libro continentur, reditum Autoris ex Arabia depingunt, ubi variæ eæque jucundæ admodum narrationes, more fabularum Romanensium propositæ, insperguntur, quibus sub finem libri descriptio Ægyptiarum Pyramidum subjungitur, ubi describit, & a quibus positæ, & quam mira structura ædificatæ fuerint. Libro denique tertio, capite I. reditum suum in Italiam, quæque in eo acciderint, exponit. Cap. II. Galli cujusdam Ode in Philippum Ducem Andegavensem, cum Rex Hispaniarum a suis renunciatus esset, nec non elegantissimum Auctoris carmen seculare Innocentio XII dictum recitatur. Cap. III. multa de Vesuvio disquiruntur, cunctaque illius incendia breviter recensentur. Cap. IV & V magnificentissimæ villæ Magni Ducis

cis Etruriæ, quæ non longe a Florentia in colle, quem Pratolinum Thusci dicunt, sita est, accurata & elegantissima descriptio legitur. Cap. VI. quæ in Magnete vis sit, qua ferrum alliciat, quæque Sympathia atque Antipathia, pluribus disputatur. Capite denique ultimo occasione ignis speculo excitati quæritur, an a Prometheo id primum tentatum fuerit, quod fabulam ejus innuere Autori verosimile videtur, & an revera, & quibus speculis Romanas naves Archimedes incenderit? Quod ad veritatem hujus historiæ attinet, de ea, neminem dubitare posse, Autor existimat, cum Proclus etiam insignis machinator, Archimede vero multo inferior, Zonara teste, feratur speculis hujuscemodi, sub Anastasii Cæsaris tempora, ingentem Barbarorum classem, quæ circa Byzantium erat, incendisse. Quibusnam vero speculis tantum opus confici potuerit, in sequentibus disputat, ac Zetzem quidem tradidisse ait, id Archimedem speculo sexangulo plurimisque e regione aliis illi adjunctis effecisse; alios vero existimare, ab Archimede illud speculis aut globosis aut concavis perpetratum esse, quod posterius tamen ex Autoris sententia nullo modo fieri potuit, propterea quod hujuscemodi specula, sive e crystallo fingantur, sive e chalybe, vix tantæ molis elaborari possint; ut ultra triginta passus, quantum Romanorum navigia a muris abfuisse probabile sit, cum alias extra ictum sagittarum non fuissent, acceptos a Sole radios repercutiant, inque cavum constipent. Ac proinde in eorum concedit sententiam, qui duobus id ab illustri Sene speculis, parabolico, ut ajunt, cavo, & tubulo ejusdem formæ, non minus ingeniose quam feliciter tentatum effectumque fuisse existimarunt, quam opinionem Autor in sequentibus magis explicat atque fusius deducit.

DEMONSTRATION OU PREUVES EVIDENTES DE LA VERITÉ & DE LA SAINTETÉ DE LA MORALE CHRETIENNE. SECOND ENTRETIEN.

h. e.

DEMONSTRATIO VERITATIS ET SAN-

ctitatis

ditatis Ethicæ Christianæ. Dialogus Secundus. Autore R. P. BERNHARDO LAMY, Congregationis Oratoriæ Sacerdote.

Rothomagi, apud Nicolaum Boucher & Franciscum Vaultier, 1706. in 12.

Constat plag. 16.

CUm in Dialogo primo ostenderit Autor, omnes homines naturaliter desiderare felicitatem, veramque vitæ hujus felicitatem in spe certa possidendi olim Deum consistere; in secundo ulterius disquirit, qualis esse debeat homo, ut felicitatis istius compos fieri queat. Utut autem ex principiis unice rationis rigorosas nectat & sublimes demonstrationes; a devotione tamen Christiana haud quaquam abest, utpote persuasus, corpus *Theologiæ Moralis* affabre constructum excellentissimum esse *Philosophiæ Moralis* systema, & *Philosophiam Moralem* melioris notæ præstantissimum esse devotionis librum, ratione & Scriptura idem docentibus, cum utraque sit eadem ejusdem Numinis vox, ista quidem interius, hæc exterius homini loquentis. Summa eorum, quæ in Dialogo secundo proponuntur, huc redit. Quoniam in Dialogo primo demonstravit, omnia agere Deum perfectionibus suis convenienter; fieri quoque non posse concludit, quin regulis sapientiæ suæ conformiter cum homine se communicet. Juxta has itaque actiones suas dirigere, adeoque vitam voluntati Numinis congruam vivere debere, quicunque certam Deo olim fruendi spem habere gestit. Enimvero monstraturus, quomodo per principia rationis nobis innotescat Numinis voluntas, a prima rerum origine omnia repetit. Ex admirabili nimirum omnium, non modo in corporibus organicis, membrorum, singularumque in membris singulis partium, sed universorum in stupenda machina mundi corporum nexu evincit; mundum hunc, quæque in ipso continentur, omnia esse propter finem aliquem facta, adeo ab ente sapiente. Ubi prolixe disputat contra *Spinosam*, quod Deum cum creaturis confundat, & finem in operibus suis intendere neget, qui nostro ævo multos asseclas nactus. Veritas ista maximi mo-

Cap. 1.

Cap. 2.

Cap. 3.

moralibus momenti: rebus enim externis non utendum, secundum intentionem Dei, si per earum productionem finem nullum intendisse ponatur. Quare accuratius discutiendum sibi sumit, quod Deus res omnes ex nihilo creaverit, multus simul in refellendis iis, qui cum *Aristotele & Spinosa* æternitatem mundi defendunt: & ex *Malebranchii Dialogis Metaphysicis*, ipsis Viri ingeniosissimi verbis demonstrat, condidisse Deum hoc universum propter gloriam suam; condidisse homines, ut ejus faciant voluntatem; præcipue autem respexisse ad Hominem-Deum, Jesum Christum. Omnia in mundo a Deo quia sunt, Deus autem mali autor non est, dubium oriri poterat, unde sint tot mala? *Manichæorum* igitur destruit opinionem, duo principia coæterna & mutuæ dependentiæ prorsus expertia, quorum unum sit malorum omnium, alterum bonorum omnium causa, statuentium. Ab eodem principio pendere omnia probat, quod effectus naturales omnes, sive boni, sive mali, homini juxta eandem motus legem contingunt, diversitate effectus non a difformitate legum motus, sed combinatione causarum differenti pendente. Addit, quod in Dialogo primo probatum, unum Deum & voluptatis & doloris esse autorem: addit rationes alias, quibus luculenter comprobat, duo contraria principia locum reperire non posse, cum in excessu noceat voluptas, a nocuo hominem retrahat dolor. Disputat inprimis contra *Baelium in Dictionario Critico* asserentem, systema de duobus principiis omnes tollere circa malorum originem difficultates. Mala physica mutationi Telluris, per diluvium factæ, forte deberi; moralia ab hominis voluntate unice proficisci contendit, invehens tum in *Socinianos*, perversum arbitrii usum a Deo prævisum fuisse negantes; tum in *Spinosam*, homini libertatem denegantem, ac fluentem inde actionum imputationem evertentem. Omnibus in eo convenientibus, rerum bonitatem per earum cum finibus earundem convenientiam constitui, nil bonum, nil justum esse infert, nisi propter exactam cum regulis sapientiæ Divinæ, h. e. voluntate Numinis, conformitatem: peccatum contra esse, quicquid contra finem a Deo stabilitum, consequenter contra ordinem & voluntatem ejus fit, ut adeo in sola hominis volun-

Marginal notes: Cap. 4. (beside "defendunt"); Cap. 5. (beside "Jesum Christum"); Cap. 6. (beside "Omnibus in eo"); Cap. 7. (beside "vinæ, h. e.")

voluntate, in rebus naturalibus reliquis nequaquam inveniat locum. Peccatum a Deo puniri ostendit. Pœnæ instar habendos esse dolores, quos per abusum rerum externarum sibi conciliat peccator. Deo tamen generalem voluptatis legem in gratiam peccantium non abrogante, æternum miseros fore, quotquot in tempore voluptatibus abutuntur: cujus pœnæ indicia sint inquietudinis animi peccatorum sibi conscii. Refutat objectiones *Epicuræorum* ac *Libertinorum* nostri temporis. Non tamen ideo hominem a Deo factum probat, ut sit miser, cum is proprium odisse nequeat opus, immo odisse gratis justitiæ ipsius repugnet. Omnibus vero propter Deum factis, non potuisse non ipsum quoque hominem propter Deum produci: nec hinc sufficere, ut anima hominis sit naturaliter imago Dei, intelligentiam, libertatem ac spiritualitatem Divinam repræsentans, verum insuper requiri, ut in moribus quoque suis sit imago Dei. Hominem adeo necessario assimilari debere Deo, per Divinarum perfectionum imitationem: quem in finem ea sit ipsi concessa natura, ut ex istiusmodi actionibus, quibus Deo assimilatur, voluptatem capiat, aliisque æstimium inde statuat. Imago hæc in ipsum ut caderet, libertate instructum esse, h. e. vi sequendi vel declinandi impressiones naturales, versus Deum nos ferentes. Non igitur eidem obstare generale boni infiniti desiderium, unde desideria nostra omnia reliqua, motusque omnes particulares pendent, quia ad nihil in particulari nos determinat, quin quilibet potius determinat istud, prout hac vel ista re ipsi satisfieri judicat. A Deo nempe esse motus animi; sed eorundem determinationem libertati nostræ deberi. Egregie insuper docet, quod homo liber solus Deum honorare queat; creaturæ autem, ex necessitate perfectiones Divinas referentes, & voluntatem ejus exequentes, ipsi quidem honori sint, nequaquam tamen eundem honorent. Competere homini libertatem, per experientiam probat, hoc inter alia utens argumento, quod, licet idem felicitatis desiderium generale in omnibus reperiatur, non tamen omnes idem appetant & aversentur, quemadmodum animantia ex necessitate agentia omnia idem appetunt, e. gr. porci glandes, equi avenam. Monet præterea, si li-

Cap. 8. Cap. 9. Cap. 10. Cap. 11.

si libertas in indifferentia ad agendum & non agendum consistere dicatur, non indifferentiam passivam, quæ tantum recipi facit impressiones mutari nescias, (quo in sensu materia dicitur indifferens ad motum & quietem) sed activam, qua præsente anima ad eligendum medium aliquod beatitudinis ipsi arridens se determinare valet, intelligendam esse. Cum ista, non hac consistere dubia & ancipitem animi statum ab ignorantia profecta: liberum contra non magis esse, quam qui rationi obsequitur, affectibus semel indulgentes machinarum instar post-
Cap. 12. hac agere. Mox ulterius deducit, quænam libertati essentialia sint, inter quæ præcipue refert potentiam super ideis nostris reflectendi, & mentem nostram ad objectum aliquod contemplandum applicandi, prout visum fuerit. Licet vero nil appetat voluntas, nisi ab intellectu cognitum, & necessario appetat, quod tanquam necessario bonum ab intellectu cognoscitur: liberam tamen idcirco manere animam, quia voluntas mentem ab objecto hoc ad aliud, vel a rationibus propositis ad alias contrarias avocare potest. Hinc rationem reddit, cur tam differentia in theoria & praxi formemus judicia, & ortum erroris
Cap. 13. a libertate mentis monstrat. Libertatem solam esse causam, cur actiones nostræ nobis imputentur, vel ad præmium, si voluntati Numinis conformes, vel ad pœnam, si difformes, atque a libertatis abusu malum universum proficisci cum edocuisset, contra eos subtiliter disputat, qui omnes hominis operationes mechanicas esse, adeoque ex necessitate fieri arbitrantur, invi-
Cap. 14. ctis comprobans argumentis, bonitatem, malitiam, justitiam, injustitiam, non a sola opinione; nec leges a sola hominum conventione, propter prævisam earundem utilitatem pendere,
Cap. 15. absurdis indicatis consequentiis, ex perversa hac doctrina fluen-
Cap. 16. tibus. Monstraturus jam, quomodo in justi atque injusti cognitionem deveniatur, *Lockium* arguit, principia moralitatis connata negantem; concedens tamen, quod eo in sensu, quo ipse illa oppugnat, recte eadem oppugnet. Exemplis vero ostendit, veritates quaslibet ab homine quolibet statim admitti, modo clare ac distincte percipiantur: immo quemlibet veritatem cognoscere a se ipso & in se ipso, haud tamen semper veritatem omnem per-

percipi, quod mens versus eam non vertatur. Quemadmodum enim Regem nosse dicendus sit, qui interrogatus, qualis Rex sit, objecta oculis ipsius imagine ejus, respondet, hanc esse Regis effigiem; ita & veritatem ex se nosse dicendum esse, qui propositam statim agnoscit. Unde concludit, dari in mente lumen aliquod internum, intellectum illuminans, & commendat methodum, qua in *Platone* instruendo usus est *Socrates*, in *Adeodato* juvene *Augustinus*, per interrogationes ordine institutas procedente. Quale sit illud lumen ut appareat, veritatis & regularum sapientiæ, juxta quas homo actiones suas dirigere tenetur, quæque legum naturalium nomine veniunt, affectiones expendit, æternitatem nempe, immutabilitatem, infinitatem, independentiam a loco & tempore, atque prolixe confirmat, leges naturales omnibus esse præsentes, a quibusdam tamen oppugnari & non considerari, quia perversam hominum vivendi libidinem non ferunt. Cæterum Lumen hoc Rationem vocat: quare cum proprietates ejus sint Divinæ, Rationem, quatenus est lumen aliquod, ipsum Deum esse contendit. Immo prolixe adstruit, esse Sapientiam Verbi æterni, seu Filium Dei, ut adeo is luceat in omnibus hominibus. Qua occasione, ex constantia præsertim rationis omni loco & tempore in omnibus hominibus, materialitatem animæ refellit: refellere etiam conatur, rationem hominibus omnibus communem non esse participationem aut effectum tantum rationis Divinæ. Quamvis vero ratio illa communis sit ipsa ratio Divina nobis unita, hanc tamen unionem non reddere hominem felicem, sed in diversis subjectis diversos sortiri effectus, Deo in aliis præsente tanquam fonte dolorum, in aliis tanquam fonte felicitatis. Non obstare huic sententiæ affirmat concionatorum in rationem debachationes, cum ipsi rationem accipiant pro eo, quod non est, lumen illud vere augustum confundentes cum lumine, quod mens per suas experientias & proprias reflexiones acquirere valet, seu cum mente ipsa & ejus cognitione, vocem nempe rationis cum voce passionum ac præjudiciorum. Ex hoc rationis conceptu derivat obligationem obsequendi rationi; immo & conscientiæ, (quæ est cognitio ejus, quod dictitat ratio)

Cap. 17. Cap. 18. Cap. 19. Cap. 20. Cap. 21. Cap. 22.

non tamen nisi veræ: ubi obiter, sed solide ostendit, qui se decipiunt, non eadem evidentia cognoscere, qua illi cognoscunt, qui se non decipiunt, utpote aliquod supponentes tanquam evidenter cognitum, quod hac ratione cognitum non fuit.
Cap. 23. Multis etiam declarat, eum, qui se ipsum decipit, quod non satis examinavit, quid dictitet ratio, per hoc non excusari, quod opinionem approbationibus suis non destitutam sequatur.
Cap. 24. Monstrata obligatione obsequendi rationi, quid illa dictitet, edocet, omnes nempe nostras facultates, passiones & actiones ad Deum referendas esse. Intellectus itaque rectitudinem consistere in attentione Divinæ Sapientiæ intus loquenti præbenda: rectitudinem voluntatis in concordia motuum liberorum cum motu naturali, quo erga Deum ferimur. Motus illos particulares passiones vocat, quorum differentiam a diverso respectu, quem habent vel ad bonum, quod appetitur, vel ad
Cap. 25. malum, quod fugitur, desumit. Ne vero circa actionum omnium ac passionum ad Deum directionem ulla remaneat obscuritas, duplicem actionis cujuslibet dari observat finem, alterum proximum, qui intellectui actionem consideranti prima statim fronte se offert; alterum ultimum, ad quem is assurgere debet, ut actio secundum rationem fiat. Ad Deum igitur referri actionem, si vel effectus ejus immediatus est gloria Dei, vel actio, quem Dei gloria necessario subsequitur. Non tamen ideo necessarium esse monet, ut patrans quamlibet actionem gloriam Dei actu cogitet: quemadmodum enim mater propter infantes laboret, etiam cum de iis non cogitat, ita etiam hominem actiones suas ad Deum dirigere posse, prævia tali intentione alio tempore, etiam cum de Deo minime cogitat, amore
Cap. 26. Dei actiones omnes sanctificante. Denique quid virtus sit, quid vitium, & quantus virtutum ac vitiorum numerus, exponit. Virtutem nempe esse vim, ait, dirigendi actiones cum facilitate secundum rationem. Vitium contra impotentiam dirigendi actiones secundum rationem, ex crebro patratis actionibus malis ortam. Virtutum differentias a differentiis officiorum; illarum definitiones a definitionibus horum petendas esse inculcat, virtutemque nonnisi in Christiano reperire locum, evincit.

ERRA-

ERRATA Mensis Junii Anno 1706.

Pag. 256 lin. 5 pro JOANNE lege JACOBO. p. 258 l. 29 pro GL lege SL. p. 260 l. 19 deleatur, *Curva quæsita, hoc est.* p. 261 l. 16 lege erit. Ibid. l. 26 pro nupere lege nuper. Ibid. l. 32 pro unum lege primum. p. 262 l. 17 pro (PN—ER) lege (PN+ER.) p. 263 l. 2 pro $\frac{n.\,n-1.\,n\;2}{1.\,2.\,3}\,a^{n-2}\,b^{3}$ lege $-\frac{n.\,n-1.\,n-2}{1.\,2.\,3}\,a^{n-2}\,b^{3}$ & pro $\frac{n.\,n-1.\,n-2\;n-3.\,n-4.\,n-5.\,n-6}{1.\,2.\,3.\,4.\,5.\,6.\,7}\,a^{n-6}\,b^{7}$ lege $-\frac{n.\,n-1.\,n-2.\,n-3.\,n-4.\,n-5.\,n-6}{1.\,2.\,3.\,4.\,5.\,6.\,7}\,a^{n-6}\,b^{7}$.

INDEX AUCTORUM,

quorum Libri aut Inventa hoc Volumine recensentur.

I. Libri Theologici & ad Historiam Ecclesiasticam spectantes.

Cock-

Marckii

II. Libri Juridici.

III. Libri Medici & Physici.

Fonte-

IV. Libri Mathematici.

V. Li-

V. Libri Historici, Geographici &c.

VI. Libri Philosophici & Philologici miscellanei.

Fon-

INDEX RERUM NOTABILIORUM IN HOC VOLUMINE OBVIARUM.

Aqua-

Colo-

Gelasius

Huge-


Lumen

Philip-

Riche-

ERRATA.

Pag. 151. l. 22 post *proportionalium*, lege *æquemultorum*. P. 270. l. 3. pro *sustendere* lege *subtendere*. P. 290. l. 29. pro *schismati* lege *schisma*. P. 426. l. 1. deleatur *a*. P. 496. l. 21, post *nempe jam*, lege, *vergente seculo decimo sexto*.



ACTA ERUDITORUM

ANNO MDCCVII

publicata.

Cum S. Cæsareæ & Regiæ Polonicæ Majestatum Privilegiis.

LIPSIÆ,

Proſtant apud JOH. GROSSII Hæredes,

JOH. FRID. GLEDITSCH,

&

FRID. GROSCHUF.

Typis JOH. SAMUELIS FLEISCHERI.

A. M. DCC VII.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Januarii Anni MDCCVII.

JULII POLLUCIS ONOMASTICUM, Græce & Latine ex variis Codd. MSS. emendatum, suppletum & illustratum, cum notis W. SEBERI, commentariis itidem GOTHOFR. JUNGERMANNI & JOACH. KUHNII; quæ omnia contulere, & ex aliis codicibus V. L. notasque item suas adjecere, septem prioribus libris JOH. HENR. LEDERLINUS, post eum reliquis TIBERIUS HEMSTERHUIS.

Tomi duo.

Amstelod. ex offic. Wetsteniana, 1706. fol.
Constat Imus Tomus Alph. 8. IIdus Alph. 9.

SPlendidissimum opus, magno apparatu adornatum, producimus, de quo ipsa tamen potius res quam verba nostra loquantur. Nempe in *Julii Pollucis Onomastico*, post Venetam editionem anni 1502, Florentinam Juntæ anni 1520, & Basileensem Grynei anni 1536, primus quod sit operæ precium fecit Wolffgangus Seberus, qui textui Græco, cum interpretatione Latina Rudolphi Gualtheri, Francofurti anno 1608 edito, eruditas notas adjecit. Veruntamen omni, Viri optimi diligentia & studio effici non potuit, ut non multis partibus luxatus, mancus atque ægrotus Pollux relinqueretur. Quamobrem nequicquam obstante Seberiana editione, sub idem tempus ab instituto suo de Polluci medela afferenda non destitit charissimum eruditis nomen, Gothofredus Jungermannus, qui Palatino inprimis usus codice, & Labbeano ex parte, qua erat ingenii felicitate, singu-

ſingularem plane huic autori operam præſtitit. At invidit ejus labores publicæ luci præmatura Viri doctiſſimi mors, qua factum, ut integro fere ſeculo eis cum blattis & tineis fuerit luctandum. Neque Clariſſimo *Kuhnio*, novo poſt illum Atlantem Herculi, tam felici eſſe licuit, ut poſtquam ſuccedere in has partes, ſuaſu atque inſtinctu celeberrimi Wetſtenii, animo deſtinaſſet, Jungermannianis ſchedis potiri poſſet. Nihilominus tamen ille ingenii viribus pariter ac egregiis, a Wetſtenio maximam partem procuratis, ſubſidiis nixus, opus aggreſſus eſt. Suppeditaverat nempe ei Bibliotheca Patrum Soc. J. Antverpienſis chartaceum Demetrii Chalcondylæ codicem: Bibliotheca Iſ. Voſſii autem lectiones egregii illius codicis, quem Illuſtri Spanhemio in obſervationibus ad Juliani Cæſares p. 337 tantopere commendatum meminimus. Atque iſtis primum inſtructus opibus, tantum ſpecimen ſuarum ad Pollucem obſervationum, ante annos aliquam multos, egregium ſane, & quod ſalivam omnibus eruditis moveret, in lucem protulit. Salmaſianas inde lectiones, collationesque cum MSS, Palatinis maxime & Pithœano, imo & obſervationes nactus eſt: Henrici item Valeſii obſervationes & emendationes. Quibus adjutus textum Græcum reſtituit, ex Græcis veteribus allegata correxit, notulis emendationum fundamenta indicavit, conjecturas ex ingenio propoſuit, confirmavit, Latinam verſionem paſſim emendavit, ut ſpes jam eſſet propediem ſi non integrum plane, multo magis certe quam antea ſanum Pollucem in lucem proditurum eſſe. Sed neſcio quo fato Pollucis, altera vice mors, quæ oppreſſit inopina Cl. Kuhnium, denuo ſpes conceptas ſuſpendit & diſtulit. Non abjecit tamen, qua eſt in litteras juvandas immota conſtantia, animum Cl. Wetſtenius. Sed illuſtri Obrechto conciliatore, Kuhnii diſcipulum, Cl. Lederlinum, Orientales litteras in Academia Argentinenſi hodie cum laude, publica autoritate, docentem, operis nactus promotorem, qua ſemel cœpit, ſtrenue ire perrexit. Potitus autem interea fuerat Wetſtenius Jungermanni commentario, Sebero ab eo teſtamento olim legato, tum vero Altorffi apud ſutorem latitante, cui pro quatuor imperialium ſummula fuerat oppigneratus. Apud eum reper-

repertum Vir Illustris J. C. *Artopæus*, Sereniss. Ducis Saxo-Cizensis hodie Cancellarius, ad Obrechtum miserat, hic Wetstenio concesserat describendum, cujus cura totus novæ huic editioni insertus fuit a Lederlino. Eidem uti licuit codice, quem Falckenburgianum ille cum Cl. Grævio credidit, quamvis ejus esse in dubium vocet Hemsterhusius, manum aliam esse existimans. Ceterum eum ille in adornanda hac editione ordinem jam fuit secutus, ut integris Seberi, Jungermanni & Kuhnii subjectis notis, quid in textu Pollucis a Kuhnio correctum atque additum aut etiam resectum fuisset, diligenter moneret, inde ex codice Falkenburgiano varias lectiones & emendationes adderet, ut & Canteri in quas inciderat restitutiones, paucula ipse quoque ex ingenio quandoque adjiceret. Quo quidem ordine ad Libri VII caput usque XXVII cum opus istud produxisset, ad Professoris munus in Academia patria evocatus, lampadem Cl. Hemsterhusio, Philosophiæ & Matheseos in illustri Athenæo Amstelodamensi hodie Professori, tradidit. Ille, ea accepta, eodem modo ad finem usq; opus illud pertexuit, nisi quod paulo plura de suo addiderit, ex nummis quoq;, a celeberrimo Wildio maximam partem suppeditatis, librum inprimis nonum illustraverit. Quibus tamen sibi ipsi, uti videtur, vix satisfaciens, majores in Pollucem Commentarios minatur. Ceterum textus in distinctiones minores apte divisus, & legendi, & allegandi facilitatem præbet, indicesque accuratissime sunt confecti, ut nihil facile quærentis industriam fugere possit. Ille denique chartæ est & typorum nitor, ea adhibita in emendate typis omnibus exscribendis cura, ut commendatissima omnibus non esse non possit splendida illa Onomastici Pollucis Sophistæ editio.

In Præfationibus de Polluce nonnulla ejusque rebus observarunt Kuhnius, & diligenter inprimis Hemsterhusius, qui ex instituto, quæ ad vitam ejus, gesta & scripta pertinent, recenset. Patriam Naucratin in Ægypto fuisse Philostrato, Suidæ, & Tzetzæ omnino assentiuntur. Ad Suidæ autem quod attinet verba τινὲς δὲ Αρδʋέννας γράφʋσι σοφιςὴν παίζοντες, (in quibus nullum *jocum* aut *salem* animadvertens Cl. Suidæ restaurator, post Pearsonum πταίοντες rescripserat,) de iis ea est Kuhnii sententia,

tia, scomma adversariorum illud fuisse, quo Pollucem *Arduennæ Sophistam* dicerent, mordentes eum quasi ex cultioribus gentibus discipulum nancisci posset nullum, sed sectatores tantum haberet ex iis, quæ humanitatis & culturæ haberent parum, quales essent quæ circa Arduennam, horridam Galliæ sylvam, habitarent, inter quos μὴ εἰδότι ἐν μὴ εἰδόσι eminere fuerit facile. Suidam vero hoc male accepisse, & ex *Arduenna* nescio quam urbem Phœniciæ exsculpsisse, quam Polluci patriam non nullos tribuisse dicat. Eoque etiam refert Luciani istud, quo in Lexiphane κέλτιον μέλημα (sic enim emendat pro κλητίου μ.) *puerum qui maxima sibi curæ sit ex Gallia* ad Pollucis Scholam adducere non nemo fingitur. Priorem ex his conjecturis non improbat Cl. Hemsterhusius, firmatq; aliis hujusmodi nominibus per jocum Sophistis adscriptis, inter quæ ἐπιθύρου refert cognomen Secundo tributum: at pro illo ἐπιύρου certissime legendum erat, ut Salmasio ad Sol. p. 775 & Bocharto in Geogr. S. P. I. p. 647. jam pridem monitum. Posteriorem de loco Luciani conjecturam & emendationem, qua ea nititur, plane rejicit, in allegato Luciani loco κλυτοῦ μέλημα cum Grævio potius legendum ducens. De Parente Pollucis agens, quem κριτικοὺς λόγους εἰδότα Philostratus dicit, optime monet κριτικοὺς λόγους nihil aliud esse, quam ipsam κριτικήν, certe enim σοφιστικοὶ λόγοι in immediate sequentibus, sunt ipsa σοφιστική. Solebantque κριτικὴν exercere Sophistæ, ne vocibus parum Atticis, vel parum rebus accommodatis uterentur. Nec erat proinde, cur hæsitaret vir doctissimus, locumque forte esse posse putaret ineptæ Bonfinii & Morelli versioni, qui κριτικοὺς λόγους *controversias forenses* interpretati fuerunt. Scrupulum omnem eximere poterat, quod idem Philostratus narrat, κριτικοὺς τῶν λόγων Herodem exercuisse apud *Munatium*: Qui Munatius plane Rhetor non fuit, sed κριτικός,
p. 562. quo nomine diserte appellatur ab eodem Philostrato in vita Polemonis. Nam quod ibi κρητικὸς legitur in editis, unde *Cretensem* eum esse somniarunt interpretes, errore fit manifesto,
p. 537. cum *Tralles* patriam Munatium habere paulo post eodem loco diser-

diserte indicetur. Dum de munere agit Pollucis, cui ut satisfaceret, duas quotidie orationes habuit, ut ipse narrat præf. lib. VIII. τὸν μὲν ἐκ τοῦ θρόνου τὸν δὲ ὀρθοστάδην, *alteram in cathedra sedens sophistica, alteram stans*, Cresollium castigat, qui L. III. Theatri Rhet. c. 13. verba Philostrati in Scopeliano, quibus ille ἀπὸ τοῦ θρόνου ξὺν ἁβρότητι, ὅτε δὲ ὀρθὸς διελέγετο ξὺν ἐπιστροφῇ declamasse dicitur, de una eademque oratione accepit. Nempe aliter se rem habere ipse putat, & plane diversa illa declamationum genera, quæ ἀπὸ τοῦ θρόνου, & quæ ὀρθοστάδην fierent, existimat. At saltem non semper ita se rem habuisse, rursum docere poterat Philostratus, qui de Polemone Herodem narrasse refert, ἀναπηδῆσαι τοῦ θρόνου περὶ τὰς ἀκμὰς τῶν ὑποθέσεων, τοσοῦτον αὐτῷ περιεῖναι ὁρμῆς, h. e. tantum Polemoni fervoris fuisse, ut ea parte argumenti tractandi, quæ τὸ παθητικὸν inprimis admitteret, ex cathedra, in qua sedens orabat, exiluerit. Quem locum ob oculos habuisse Cresollium, ipsa illa verba mihi prodere videntur, quæ castiganda sumsit Hemsterhusius: sic enim ille: *Porro Sophistæ vulgo declamitabant sedentes, nisi forte in graviore quadam amplificatione* (sic ille vertebat ἀκμὰς τῶν ὑποθέσεων) *exurgerent*. Athenodorum, Pollucis æmulum dum fuisse refert, ex Philostrato recte contra Morellum tuetur vocem ἐπικόπτειν, quam in ἐπισκώπτειν pessime ille mutabat. Defendi poterat vera lectio ex ipso Philostrato in procemio Vitis Sophistarum præmisso, ibi enim eodem plane sensu vox ἐπικόπτειν occurrit. At reliqua in loco Philostrati de Athenodoro, an satis feliciter solicitaverit Vir Clarissimus, dubitamus. Nempe pro ἐπέκοπτεν αὐτὸν ταῖς διαλέξεσι ὡς μειρακιώδη, λέγων· Ταντάλου κῆποι, quorum verborum in proclivi est sensus: nempe *Athenodorum in lectionibus suis* (hoc enim sunt διαλέξεις, a μελέταις passim ipsi Philostrato distinctæ) *perstrinxisse Pollucem*, dicentem *Tantali hortis* eum similem esse. Ut non fuerit, cur vir doctus rescribi mallet vel: ἐπέκοπτεν αὐτοῦ τὰς διαλέξεις ὡς μειρακιώδεις, vel: ἐπέκοπτεν αὐτὸν ὡς μειρακιώδη ταῖς διαλέξεσι. Scilicet fraudi illi fuit, quod non animad-

p. 537.

p. 488.

 mad-

madverteret διαλέξεις non *declamationes*, sed *lectiones*, & quidem non Pollucis, sed Athenodori notare, qui suis scilicet διαλέξεσι, apud discipulos, ut facere quandoque solent in lectionibus suis artium professores, Pollucem perstringebat. Diligens autem inprimis Hemsterhusius in eo est, ut ostendat Luciani sales, quorum in Lexiphane & Rhetorum præceptore adeo fuit prodigus, ad Pollucem, ut creditum fuit plerisque, minime pertinere. Argumenta, quibus Lexiphanem nihil ad Pollucem pertinere contendit, sunt ista. I Vocabula obsoleta, quæ ad risum in eo dialogo Luciani prostituuntur, in Pollucis onomastico non reperiri omnia. II Perpetuum quoddam scriptum non onomasticon eo perstringi, quibusdam locis fieri manifestum: nempe διανοιῶν τοῖς ῥήμασι καταπεποσμημένων meminit Lucianus, quibus nullus in Lexico locus. Lexiphanes item in dialogo hæc proferens sistitur ἀντισυμποσιάζων τὸν Αρίςωνος, unde verosimile fit, Symposium ad imitationem Platonis scripsisse eum, quem perstringit Lucianus. III Autori, qui a Luciano perstringitur, voces exprobrari ab ipso confictas, nullas autem a se confictas voces Pollucem in onomastico exhibere. Nec *Rhetorum præceptore* Pollucem a Luciano peti putat. Quod primum evincit eo, quod non facile probari possit Pollucis patrem fuisse ἀφανῆ καὶ ὀ καθαρῶς ἐλεύθερον, matrem ἀκέςριαν ἐπαφρόδιτον, quales parentes Rhetoris, quem perstringat Lucianus. At nec quomodo id negari possit video, nemine veterum illustre ei genus tribuente. Præterea Satyram de ejusmodi rebus liberalius loqui, satis nos docent ea, quæ Æschini de genere objecit Demosthenes. Porro vitam profligatissimam tribuere Rhetori suo Lucianum, quam si Polluci esse novisset Marcus Imperator, filio Commodo fuisse daturum præceptorem, haut esse probabile. At notum magna quandoque latere diu flagitia: multa etiam viris innocentibus ab hominibus, qualis Lucianus fuit, impudenter affingi. Denique ex ipsis verbis Dialogi, quibus cummaxime Græculus, primus sententiæ, quæ hic impugnatur, autor, Pollucem a Luciano tangi contendit, contrarium suadere. En ea: πρῶτον μὲν οὐκέτι ποθεινὸς ὀνομάζομαι, ἀλλ' ἤδη τῆς Διὸς καὶ Λήδας παισὶν

παισὶν ὁμώνυμος γεγένημαι. Nempe ex his rectius cum Palmerio colligi putat, *Dioſcuri* vel *Dioſcuridæ* nomen fuiſſe ei, qui hic perſtringitur, quam *Pollucis*, non enim alterum ex Jovis & Ledæ filiis hic, ſed utrosque ſignificari: id vero etiam argumentum an non frequente adeo numeri enallage admiſſa eludi poſſit, doctiorum eſto judicium.

Verum ſatis de iſtis. Quantum ad notas attinet, fieri non potuit, ut cum integri virorum doctorum exhibeantur Commentarii, multa identidem non repetantur. Sed iſtarum repetitionum tædium compenſat, quod plerumque tamen ſe ſuppleant mutuo atque perficiant, quæ viri docti obſervarunt. Sic ut unicum exemplum adducam Lib. IX. c. VI. Sect. 27. Ἱπποκράτȣς παρακαταθήκη allegabatur, & ex ea Jambi quidam recitabantur. Ubi Jungermannus ſola conjectura ductus Σωσικράτȣς reſcribit, pro Ἱπποκράτȣς, cujus nomine παρακαταθήκη allegata antea quoque fuerat a Polluce, prout quidem MSS. ejus textum repræſentabant L.IV. ſ. 173. Ipſos Jambos vero alii docto viro Jungermannus reſtituendos reliquit. Kuhnius Σωσικράτȣς in margine codicis Voſſiani quoque adſcriptum obſervat, itidemque ad Pollucis locum L. IV. ſ. 174. provocat. Ceterum Jambos ex illo autore allegatos ita reſtituit:

Ὅταν γὰρ, οἶμαι, λευκὸς ἄνθρωπος, παχὺς,
Ἀργὸς, τὸ τρυφᾶν εἰδὼς, λάβῃ δίκελλαν
Πεντασάτηρον, γίγνεται τὸ πνεῦμ' ἄνω.

Senſum eſſe ait, hominem delitiis innutritum, non eſſe ferendis laboribus: opus enim facientem ligone quinquelibri, ſpiritum cum crebro anhelitu in ſummo pectore reciprocare. Eamque in rem locum Platonis Polit. VIII. allegat, qui divitem τρυφερὸν in periculis ἄσθματος dicat καὶ ἀπορίας μεστὸν. Præterea ille Obrechtum tamen in ſecundo verſu εἰωθὼς τρυφᾶν malle obſervat: Ad explicandum autem τὸ λευκὸς ἄ. ex Damaſceni excerptis Peireſc. exemplum Parſondæ advocare, qui ex milite ſtrenuo γυναικῶν ἁπαλώτερος καὶ λευκότερος τὴν χροιὰν ſit factus. Ipſe addit locum Excerptorum ex Diodoro, ubi Tyro hoc nomen indepta dicitur, διὰ τὴν λευκότητα καὶ σώματος

μαλα-

μαλακότητα, ut cetera, quæ addit, prætercam. Denique Salmasium in Tr. de modo Usurarum *Cratetis* nomen hic reponere pro *Hippocrate* observat, locumque Comici ita repræsentare, ὅταν γὰρ οἶμαι λευκὸς ἄνθρωπος, παχὺς, ἀργὸς, λάβῃ δίκελλαν, εἰδὼς ἐντρυφᾶν πεντασάτηρον: se tamen lectionis, quam proposuerit, nondum pœnitere. Hisce ita succinit Cl. Hemsterhusius: Retinet Hippocratem Scaliger de Re Numm. p. 18. Comicumque eum appellat, quod, quo fiat indicio, se ignorare ait, neque aliter tamen habere Meursium ad Chalcidii Timæum, qui incertum tamen fateatur, cui hoc opus sit tribuendum. Salmasium decepisse locum Pollucis IV, 173. ubi κράτη]ος παρακαταθήκη legatur, cum Σωσικράτες ibi Manuscripta habeant, quamobrem ægre ferre videtur, a Cl. Lederlino illo loco Σωσικράτες in textum non receptum fuisse. Ipse hoc loco, de quo agimus, Σωσικράτες in textum admisit. Sed mirum *Hippocratem* in versione, quæ, quod in textu est, repræsentare debebat, eum reliquisse. Inde repræsentat Scaligeri restitutionem Jamborum hujus Poetæ, in secundo tantum & tertio versu a Kuhniana abeuntem:

Ἀργὸς λάβῃ δίκελλαν, εἰωθὼς τρυφᾶν
Πεντασάτηρον, πνίγεται τὸ πνεῦμ' ἄνω.

Ipse tamen postremo frustra hic Jambos quæri putat, prorsam nempe censens hujus παρακαταθήκης orationem fuisse, non vorsam, argumentum non Comicum, sed philosophicum. *Sosicratis* autem Rhodii διαδοχὰς Diogenem Laertium passim citare: κριτικὰ, vel ut rectius legatur κρητικὰ Athenæum allegare, Suidam item & Apostolium: Φιλαδέλφες denique Athenæum, quo opere Philadelphorum historiam sit complexus. Eum & παρακαταθήκης esse autorem. Ceterum λευκὸν ἄνθρωπον esse hominem nitidum qui cuticulam curet, εἰδὼς τρυφᾶν esse ponendum post ἀργὸς, & eleganter dictum τρυφᾶν εἰδὼς pro *deliciis assueto*, qui usus verbi εἰδὼς non fugiat Græcæ linguæ elegantiis assuetos.

Q. EN-

Q. ENNII FRAGMENTA, AB HIERON. COLUMNA conquisita, disposita & explicata, nunc novis accessionibus locupletata, accurante FR. HESSELIO. In fine subnectuntur eadem fragmenta, prout a P. MERULA olim sunt edita.

Amstelædami, apud Wetstenios, 1707, in 4to.
Constat Alphab. 2. plag. 18.

HAbuerunt jam superiora duo secula viros ex eruditorum cavea non postremos, qui *Ennii*, poëtarum parentis ingenioque maximi, at, quod hirsuto sordidoque velut palliolo atque in partes fœde discerpto, pro ætatis incuria incederet, ad ima quasi subsellia deturbati, vicem serio dolerent, eundemque orchestræ suæ restitutum impense cuperent. Ludovicum Vivem equidem vix est ut in hunc censum referamus, utpote quem in nuda saltem lacinias Ennianas colligendi voluntate, cujus ipse ad Augustinum de Civit. Dei l. 2. c. 21. indicium dedit, substitisse constat. Felicius longe res successit ambobus Stephanis, Roberto atque Heinrico, quorum diligentia complura carminum Ennii fragmenta, tam historica, quam comica & tragica, tanquam e naufragio servata, brevibusque ceris miniatulis perpolita, inter alias Poëtarum veterum reliquias, Parisiis A. 1564 in lucem prodierunt. Verum & his quoque palmam præripuit Hieronymus Columna, Nobilis Romanus, Vir admirandæ doctrinæ, qui multo spissiorem gemmularum ejusmodi farraginem accumulavit, & quod caput rei est, commentariis elegantissimis explicuit, ipse autem operis editioni non superfuit, sed filius Joannes, cui illud inscripserat, quadriennio post ejus decessum A. 1590 Neapoli publico id indulsit. Quod cum nesciret Paulus Merula, homo multæ industriæ atque eruditionis, ad idem forte pensum, nisi quod Annalium Ennii spicilegium unice institueret, animum adplicuit, neque illud postea abjecit, tum quia varia fragmenta, Columnæ invisa, e codicibus manuscriptis, inprimis vero e vetusto illo bibliothecæ S. Victoris Pa-

risiensi, cui titulus: *L. Calpurnii, L. F. Pisonis V. C. de Continentia veterum Poëtarum ad Trajanum Principem*; conquisiverat, tum quoniam commentarii sui folia aliquot imprimi jam feceerat, dictamque editionem Neapolitanam valde raram in Belgio esse adverterat, ideoque suam Lugduni Batav. A. 1595 in vulgus exire passus est. Qualia autem sint Enniana lipsana, Lugduni A. 1603 procusa, quorum amplissimæ Bodlejanæ catalogus mentionem injicit, id quidem compertum minime habemus, hariolari tamen libet, ante recensita hic nova duntaxat forma apparuisse. Ita Martinus Antonius Delrio in tragœdiæ Latinæ syntagmate, quod A. 1593 typis Plantinianis innotuit, tragœdiarum Ennii sicilimenta, ab aliis coagmentata, cum opinationibus suis denuo publicavit. Nec incongruum porro visum fuit Petro Scriverio, inter collectanea veterum Tragicorum Lugd. Batav. A. 1620 eadem recentare, ita tamen, ut Vossii patris castigationibus ac notis haud leve pretium illis superadderet. In hac vero iterata editione, quid Clariss. Hesselius, JC. & Roterodamensis Athenæi Eloqu. & Historiarum Professor, egregii præstiterit, paucis nunc indicandum. Primo nempe integrum Columnæ (cujus elogium e Thuano adducit,) volumen, qua ipsos Ennii confragosos versus, qua commentarium doctissimum ac vitam poëtæ exhibet, recudi curavit, retentis etiam in margine pristinis paginarum numeris. Tum ante laudatorum Delrii & Vossii animadversiones omnes, quin & Gronovii patris, Lipsii, Rutgersii, Salmasii, Schefferi, Turnebi, Ulitii aliorumque emendationes undique constipatas uno agmine sequi jubet. Quare tamen Stephanorum non sane nullius momenti observatiunculas hic loci exauctoraverit, nonnemo mirari posset, nisi istam jacturam scholiis, quæ nescio quis eruditorum collectaneis Scriverianis allevit, Celeberr. Almeloveenius autem, pro insigni humanitate sua, Nostro communicavit, quadantenus pensatam diceris. Hinc index omnium verborum, quotquot in Ennianis occurrunt poëmatibus, Wetstenii cura confectus annectitur; autorum vero ac rerum elenchi ab alia manu sunt. Tandem, ne quid deesse videatur, Annalium textus, prout Merula eum juxta annorum seriem disposuerat, separatim prostat, omisso tamen

men illius commentario, quoniam diversissimæ a Columna conjecturæ ibidem proponantur, ceu Autor in præfatione innuit, qui etiam Ennii emendandi consilium sibi adhuc superesse monet. Interea Illustris Grævii, incomparabilis illius eheu! quondam bonarum literarum vindicis, opinionem circa decantatum Poëtæ versum: *O Fides alma apta penneis, & jusjurandum Jovis*, quam is J. Scherpezelio rescripserat, depromit, quod scil. priora verba ita sananda censeat: *O fides albo nupta panno &c.* ut inde Horatius illud: *Albo velata panno*, mutuare potuerit.

GEORGII HENRICI GOETZII, D. Superintendentis Lubecensis, Meletemata Annæbergensia varii argumenti.

Lubecæ & Lipsiæ, apud Jo. Wiedemeierum, 1707. in 8. Alph. 3. plag. 4.

INde a primis doctæ suæ juventutis annis Summe Reverendus *Götzius* delectari visus est brevioribus schediasmatibus de materiis curiosis, & quarum tractatio non ubique habetur obvia, conscribendis & in lucem publicam emittendis; a quo instituto dimoveri nec istis quidem potuit temporibus, quæ officiis sacris primariam operam ut dicaret, ab ipso flagitarunt, unde in numerum illa excreverunt maximum, & si colligenda forent singula, voluminum aliquot grandiorum spatia haud difficulter iisdem implere liceret. Sed dum cætera plurima hinc inde dispersa ab Eruditis, quibus omnino ad palatum sunt, studiose asservantur, Autor de Orbe erudito non minus ac Ecclesia meritissimus exiguam eorundem particulam in fascem hunc collectam dat, qui illa modo meletemata complectitur, quæ Annæbergæ, cum ibidem ante paucos annos Pastoris atque Superintendentis munere dexterrime fungeretur, conscripta sunt. Absolvuntur eadem *viginti* Dissertationibus, quarum contenta paucis indicare fas est. Primo loco se sistit *Observationum Sacrarum specimen*, editum in memoriam Jubilæi Annæbergæ, VIII. Decembr. Anno M DC XCVII. celebrati, propter elapsum alterum tunc seculum, ex quo illa civitatis jura

atque privilegia obtinuit. Agitur ibidem de *Religione Pontificia* haud præter rem *muliebris* titulo insignienda, quod Mariæ, Annæ, Catharinæ, Margarethæ, fœminisque pluribus aliis Divinum cultum deferat; de *Sixto Senensi*, ejusque, quod sectatus fuerit in *Bibliotheca Sancta*, instituto; de *versionis Vulgatæ autoritate* temere jactata; & de *Petersenii Chiliasmo*. Secunda Dissertatio *Centurionem sub cruce Christi*, cujus conversionem Evangelica memorat Historia, considerat. Tertia libri A. 1635. Lugduni sub titulo: *Musei, sive Bibliothecæ tam privatæ, quam publicæ, extructio, instructio, cura, usus*, a *Claudio Clemente* editi, recensum instituit, & quædam in illo obvia sub examen revocat. Quarta Salvatoris illud dictum Joh. XIV, 26. quod *extraordinariam Spiritus Sancti missionem* tradit, expendit, atque observationibus Exegetico-Porismatico-Problematicis illustrat. Quinta de *viris claris*, qui *Schmidiorum* nomine innotuere, ac vel libris conscriptis, vel muneribus publicis inclarescentes omnium meruere admirationem, verba facit. Sexta id agit, ut *Commentarios in Sacram Scripturam a Cornelio a Lapide* constructos paulo contempletur accuratius, Eruditorum de illis conferat judicia, & ἐπίκρισιν iisdem subjungat, ac breviter istorum Lectores, quo sibi bene consulant, admoneat. Septima ostendit, quam proterve Pontificii *Scripturam Sacram, eamque Canonicam, remota Ecclesiæ autoritate, ejusdem esse valoris* perhibeant, ac *Fabulas Æsopi vel Titum Livium*. Octava *Lutherum* absolvit ab impacta ipsi per Pontificios profana censendi libidine, qua *librum Jobi cum Terentii scriptis & Virgilii Æneide* contulerit, & appendicis loco brevem quandam in *Epistolam Judæ* introductionem annexam habet, cui ad latus jungitur Max. Rev. Christiani Lehmanni, Götzii in Ephoria Annæmontana antecessoris, epistola de *Threnis Jeremiæ*. Nona de *Theologis Pseudo-Medicis* agit, & quæstionem: *num Theologo artem Medicam exercere liceat?* in negativam partem definit. Decima *Concionatoribus castrensibus* regulas quasdam practicas præscribit, & quomodo se in militia degentes gerere debeant, ut suo satisfaciant officio, commonstrat. Undecima *Principem Concionatorem* seu *Concionatores illustres* exhibet. Duodecima *vestibus sacris in*

admi-

administratione cœnæ Dominicæ usitatis ex instituto patrocinatur. Decima tertia observationes Exegetico-practicas in textum 2. Cor. XII, 20. 21. accumulat. Decima quarta *Imperatores* nonnullos *Romano-Germanicos, qui fidem Lutherano-Evangelicam morte confirmarunt*, introducit. Decima quinta *Lutheranismum Divi Bernhardi* adstruit. Decima sexta *Principem Hebraice doctum* in fronte gerit, ac de Imperatoribus, Electoribus, Ducibus, aliisque illustri loco natis ac Rempublicam administrantibus, qui Hebrææ linguæ, imo & Arabicæ, reliquarumque Orientalium periti fuerint, instruit. Decima septima cum duabus sequentibus *cultum Abrahami, Josephi*, item *Patris Christi*, & *Annæ* denique, *Christi aviæ* (cujus veneratio & in Misniam introducta fuerit,) expendit. Vigesima (quæ sola Lipsiæ jam A. 1689. fuit evulgata,) *Amœnitatum Juris Divini* refert *Eclogam*, in qua de *Lectione Commentariorum Biblicorum, tam Latinorum, quam Germanicorum*, & de *salute Caini* differitur. Quæ integro volumini præmittitur epistola Dedicatoria ad Celeberrimum *Schmidium* nostrum, notissimi illius Heidelbergensis Ecclesiæ quondam Pastoris, *Adami Neuseri, transitum ad Turcarum sacra*, quem alii, & Christophorus imprimis Sandius, in dubium vocarunt, omnino contigisse idoneis argumentis probat.

Ex tanto ergo rerum diversissimarum adparatu quamplurima, eaque Lectoribus haut ingrata, facile adferri possent; sed cum brevitatis ratio nobis habenda sit, ex illa tantum commentatione, quæ *Principem concionatorem* seu *concionatores illustres* talesque sistit, qui vel Regis Principisve prosapia orti sunt, & majores illustres honore ac nomine venerantur, vel Regis ac Principis dignitatem tuentur, quædam delibasse sufficiat. In duas vero illa sectiones dispescitur, quarum *prima historica* est, & ex historia antiquiori juxta ac recentiori, sacra pariter ac profana, *illustrium concionatorum* exempla suggerit. Commemorantur ergo hic *Melchisedechus*, cui sacræ litteræ regiam pariter ac sacerdotalem dignitatem tribuunt, quam tamen utramque *Davidem* conjunctam habuisse, aliis quamvis secus sentientibus, Autor negat, uti nec *Salomoni* concionatoris titulum accurate deferri posse docet, utpote qui proprie dicendo verba ad populum

lum non fecerit; *Jesaias*, eorum saltim judicio, illustribus concionatoribus annumerandus, qui ipsum regio sanguine cretum fuisse reputant; *Constantinus M.* de quo *Eusebius* memoriæ prodidit, quod conciones ad populum habuerit; *Imperatores Byzantini*, qui, teste *Valesio*, conciones catecheticas & de rebus sacris habere consueverint, quo de argumento Autor noster quasdam Fratris sui *D. God. Christ. Götzii*, Viri Consultissimi ac in colligendis hisce Actis egregiam operam navantis, observationes secum communicatas, in medium producit, quas non possumus non hic referre. Observat scilicet V. Cl. inter alios titulos, quos sibi arrogaverit olim Imp. Constantinopolitanus, hunc imprimis eminuisse, ut ἐπιστημονάρχης, i.e. doctrinæ ac disciplinæ ecclesiasticæ Præses diceretur, pari fere ratione ac fecerit Henricus VIII. R. Angliæ, qui post iras cum Pontifice Romano susceptas supremum ecclesiæ Anglicanæ caput, adsensu curiæ utriusque insigniri voluerit, quem honorem nec Eduardus VI. filius ejus, nec Maria Regina, quantumvis Pontificia, redigni sui primordio aversati fuerint. Vim memoratæ vocis distinctius explicatam inveniri apud *du Cange* in Glossar. Gr. Barb. v. ἐπιστημονάρχης, ubi quoque ἐπιστημοναρχὴν σοφίαν Manueli Comneno adscriptam fuisse referatur. Istud autem ideo factum videri, quod ad Imperatorem non minus atque ad Patriarcham docendi munus olim pertinuerit, eoque intuitu ille & rubra & prasina cera in signandis diplomatibus usus fuisse legatur, ceu adpareat ex *Meursii* Glossario v. κηρόβουλον, ubi celebris locus *Balsamonis* adducatur, qui & hic repetitur propterea, quod Imperatoris potestatem circa sacra maxime declarat. Quandoquidem vero Imperator rebus ecclesiasticis summa autoritate præfuerit, hinc cum sæpe contingere posset, ut peregre abesset, Patricium aliquem ejus locum tenuisse additur, qui ὑπεκκλησίων hac de re adpellatus fuerit, tantaque polluerit autoritate, ut Patriarchæ ipsi par censeretur, proximus quippe ab Imperatore, & licet ob honorem atque reverentiam ipso prior nominatus fuerit Patriarcha & Episcopus, sedisse tamen eum supra Præfectum Prætorii & Episcopos omnes adseritur; quamvis

vis *Cangius* in v. ὑπεκκλησίων ita explicet hanc dignitatem, quod eadem præditus vices Imperatoris in silentiis publicis sive consessibus obierit, ejusque nomine oraverit. Sed videri partium studio adductum id fecisse, ut denegaret Imperatoribus omnem in rebus ecclesiasticis potestatem, cum tamen eandem in v. ἐπιστημονάρχης ipsis antea adseruerit. Porro Illustrium Concionatorum numero accensentur *Oswaldus* R. Angliæ, *Godescalcus*, Vandalorum Dux, *Arinaldus*, e Marchionum stemmate ortus, *Sigismundus* Imp. *Ernestus*, Saxoniæ Dux, & Archiepiscopus Magdeburgensis, *Adolphus II.* & *Georgius IV*, Anhaltini Principes, ac denique *Wilhelmus Ernestus*, Dux Saxo-Vinariensis, hodie adhuc felicissime imperans, qui in ætate tenera A. 1670 antequam rerum potiretur, suggestum adiit, ac præsente & admirante magna Principum & Nobilium turba fidei suæ confessionem concionando edidit, versum 31. cap. XVI. Act. publice ita exponens, ut in brevissima accuratissimaque synopsi totius Augustanæ confessionis summam repeteret, placuitque Autori nostro integram concionem commentationi suæ inserere, cujus ceterum *posterior* pars *Theologica* est, & illam quæstionem: *num princeps clavum Reipublicæ tenens concionatoris officium gerere possit?* ita discutit, ut extra necessitatis casum negativa sententia adprobetur.

LES QUATRE EN UN

i. e.

HISTORIA EVANGELICA ORDINE NATIVO repræsentata, sive nova Harmonia quatuor Evangelistarum, auctore ABRAHAMO COUET DU VIVIER.

Hagæ, apud Thomam Johnson, 1706. in 4. ch. aug. Alph. 2. plag. 8.

RECordabuntur benevoli Lectores, Harmonias Evangelicas complures in hoc Actorum opere fuisse recensitas, in his Bernhardi Lamii, Stephani le Roux, Jo. Clerici, quibus post tot

veteres volvere hoc saxum placuit. At enim cum plerique augustum hoc institutum ita fuerint exsecuti, ut non desint, quæ desiderari in uno alteroque possint, ac ipse etiam Clericus, cujus diligentiam, ac perspicuitatem Autor noster in Præfatione laudat, eodem tamen judice non tulerit omne punctum, non minima sane laboris hujusce pars doctissimo Auctori relicta est, quam ille non infelici successu, inter sacras curas, (agit enim Ecclesiæ Ministrum Hagæ Comitum) exantlavit.

Hanc igitur ingressus viam est, ut primo omnium extra dubium poneret, nullum Evangelistarum contra temporum ordinem scribere; removendas potius esse causas, quibus inducti scriptores unum cum altero commiserint. Inter hanc præcipuam esse, quod, si quæ narrationes Evangelistarum velut parallelæ, aut saltem uno alteroque momento convenientes, occurrerent, statim pro iisdem haberentur, etsi revera diversæ actiones, locis temporibusque distinctis factæ exponerentur. Duplicem v. gr. sanationem socrus Petri, duplicem restitutionem aridæ manus, geminam curationem cœci Hierichuntini, alteram ante ingressum in urbem, post egressum ex ea alteram, narrari, idque rem ipsam loqui. Similiter parabolam de semine binis vicibus a Christo fuisse recitatam, bis etiam Servatorem e templo institores ejecisse. Argumento esse, quod unus idemque Evangelicus scriptor, v. gr. Matthæus, sermones Christi, qui iidem prorsus videantur, diversis temporibus, cap. XII, 39. & cap. XVI, 4. pronunciatos fuisse testetur, quos, si duo Evangelistæ traderent, pro uno procul dubio omnes habuissent. Addit Orationem Dominicam, quam sine dubio Servator bis diversis in locis, in Galilæa nimirum Matth. VI, 9. & Bethaniæ in Judæa Luc. XI, 2. docuit. Noster itaque, sequestrato prorsus hoc præjudicio, non dubitat, idem bis vel ter dici potuisse; actiones etiam distinctas interdum inter se convenire.

Præterea ad loca singularum actionum Christi, quæ *stationes* vocat, omni cura respicit, ratus, hoc se pacto Servatoris cursum eo certius secuturum, si utramque circumstantiam, temporis locique, perpetuo ante oculos haberet. Omnem igitur Christi historiam CXX stationibus complectitur, quarum quævis,

vis, quoties Dominus locum commutavit, terminatur. Hac methodo observata, sequentem in modum Evangelicas narrationes connectit, ut Lucæ caput I. omnes antecedat, addita Joannea præfatione, dehinc Matthæi cap. I. II. & Lucæ II. pari passu ambulent, nec minus Matthæi cap. III. IV. Marc. I. Lucæ III. IV. & Joannis I. II. III. IV. Deinceps æquo gressu incedunt Marci cap. II. Lucæ cap. V. & Joannis cap. V. posthæc Matthæi cap. V. VI. VII. Marci cap. III. Lucæ cap. VI. VII. porro Matthæi cap. VIII. IX. X. Marci IV. V. VI. & Lucæ cap. VIII. IX. Matthæi vero capita XI. XII. XIII. sola progrediuntur, reliquis silentibus. Cum Matthæi capite XIV. concordat Marci cap. VI. altera parte & Joannis cap. VI. VII. Matthæum capite XV. solus Marcus cap. VII. VIII. IX. comitatur. Sed cum Matthæi capite XVII. XVIII. conspirant Marci & Lucæ caput IX. Lucæ autem caput X. comites habet Joannis cap. VIII. IX. X. Solus posthæc incedit Lucas capite XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. Postea amplissimo consensu consonant Matthæus capite XIX. XX. Marcus cap. X. Lucas cap. XVIII. Joannes cap. XI. Hic vero solus canit capite XII. Hinc παραλλήλως scribunt Matthæus cap. XIX. XX. Marcus cap. XI. Lucas cap. XIX. ac porro Matthæus cap. XXII. XXIII. Marcus cap. XII. Lucas cap. XX. XXI. & præterea Matthæus cap. XXVI. Marcus cap. XIV. & Lucas cap. XXII. Inde solus Joannes cap. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. loquitur. Conveniunt post illa Matthæi caput XXVII. Marci cap. XV. Lucæ cap. XXIII. & Joannis cap. XVIII. XIX. nec minus Matthæi caput XXVIII. Marci cap. XVI. Lucæ cap. XXIV. & Joannis cap. XX. Tandem Joannes solus capite XXI. Historiæ Evangelicæ finem imponit. Atque ita se res ὡς ἐν πλάτει habet; accuratior enim facies ex ipso Auctore petenda est.

Ille vero, postquam in Præfatione fundamenta suæ methodi tradidisset, firmassetque argumentis, chorum velut quendam Musicum repræsentat, in quo mox quatuor vocum concentus, mox trium aut duarum observetur, ceteris silentibus, interdum unus, quiete reliquis concessa, cantum continuet. Posthæc figuris æneis Palæstinam, Hierosolyma, templique aream

C repræ-

repræſentat, atque ad ipſam harmoniam progreditur; quam ita diſpoſuit, ut in quavis ſtatione quatuor columnis parallelis ſingulorum verba Evangeliſtarum ad iſtam ſtationem pertinentia exhibeat, deinde uno & continuo orationis tractu omnes jungat. Indicibus vero admodum accuratis & Tabula Chronologica hoc opus concludit.

CORONA AUSTRALIS IN POLO POLONIÆ, inter tergemina diademata auguſtiſſima conſtellatione refulgens: ſive, Sereniſſ. e ſtirpe Auſtriaca Reginarum Poloniæ immortales virtutes, Ethicis, Politicis, Hiſtoricis obſervationibus propoſitæ per ULADISLAUM TURLAY, Equitem Lituanum, Notarium Caſtrenſem, Palatinatus Trocenſis.

Vilnæ, typis Academicis Soc. Jeſu, 1705. 4.
Alph. 1. plag. 18.

PAnegyrici hi Auguſtiſſimo Imperatori JOSEPHO dedicati, variisque locis communibus exornati, ab Auctore Lituano ſtylo magnifico illique nationi ſolenni conſcripti ſunt. Celebrantur autem hic Reginæ Poloniæ, quotquot ex Auſtriaca familia prodierunt, adhibito ubique coronæ cujusdam ſchemate. Itaque ſub titulo Coronæ Gnoſſiæ, Eliſabethæ, Alberti Auſtriaci, Rom. Imp. filiæ, Caſimiri III uxoris virtutes deprædicantur, quæ quatuor Regum parens deceſſit A. 1505, die 30 Auguſti. Inde Eliſabethæ, Ferdinandi I Imp. filiæ, Panegyri, quod nuptiis Sigismundi Auguſti vix integro biennio gaviſa eſſet, quippe A. 1545, 18 Cal. Jul. anno ætatis decimo octavo exſtincta, Coronæ Floreæ titulum impoſuit. Sequitur Corona Solis & Lunæ, a Suetonio in Caligula C. 43 memorata, quam Annæ, Sigismundo III nuptæ, Caroli Auſtriaci filiæ, ſorori Ferdinandi II. Imp. tribuit, ſexto poſt nuptias anno mortuæ. Ejus ſororem Conſtantiam, quæ eidem Sigismundo poſt ſeptennii cœlibatum, annuentibus Clemente VIII & Paulo V, Pontificibus, nupſit, ob conſtantiam in adverſis mariti rebus demonſtratam, ſub Coronæ Oleaginæ ſymbolo celebrat, ſimulque oſtendit repentinam ejus

ejus morte, quæ in diem 10 Julii anni 1631 incidit, adeo fuisse consternatum Regem, ut & ipse haud multo post e vita excesserit. Uladislai IV uxorem Cæciliam Renatam corona Radiata exornat, & orationes Latinas, quibus ad connubium Regis a Ferdinando III fratre deposcebatur, & arcus triumphalis, per quem in Varsaviensem urbem invehebatur, inscriptiones exhibet, tandemque A. 1544 mense Martio exstinctam epitaphiis celebrat. Denique corona Imperiali cingit Eleonoram, Ferdinandi III Imp. filiam, quæ A. 1670 Regi Michaeli Wisniowieccio nupsit, cujus pariter virtutes fusius enarrat. His varia, ut diximus, passim insperguntur, ut de malis mulieribus p. 30, de ominibus, quæ mortem fœminarum Illustrium antecessere p. 48, de liberalitate Principum Austriæ p. 66, de rosa p. 80, de his, qui brevi spatio regnarunt p. 83, de quorundam somno, per aliquot annos aut menses continuato, p. 107, de fœminis, quæ bellis materiam præbuere p. 121, de glebæ adscriptitiorum, quos *Kmetones* Poloni vocant, conditione p. 129, de pædagogis Principum p. 145, eorundemque adulatoribus p. 148, de eclipsi Lunæ, Regnis funesta, p. 156, de constantia quarundam fœminarum p. 177, de etymo & significatione vocabuli *Rokosz* p. 193 de lascivis Principum uxoribus p. 214, de inæqualibus Principum nuptiis p. 227, de inconstantia fortunæ Principum p. 277 & de pietate Principum Austriæ p. 297. Sed hæc de Panegyricis his memorasse sufficiat.

ACTA CONSISTORIALIA CREATIONIS Eminentissimorum ac Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium instituta a Sanctissimo D. N. CLEMENTE XI. P. M. diebus 17. Maji & 7. Junii Anno Sal. 1706. Accessit eorundem Cardinalium brevis delineatio.

Coloniæ, 1707. Constant 4 plag. in 4.

ACta hæc creationis S. R. E. Cardinalium, ex S. Consistorii monumentis descripta, *J. Vincentius Gravina*, qui inter eruditos Italiæ magno loco est, ad Excellentissimum Virum, *Henricum Huyssenium* perferri curavit, ut publicis typis in Ger-

mania imprimerentur. Quæ ſane eo magis digna ſunt, ut oculis omnium exponantur, quo majori admiratione rerum in illis contentarum magnitudo, & exemplorum novitas Lectorum mentes adficit atque percellit. Videas enim hic miram Pontificis M. conſtantiam, atque in uberrima honorum diſtributione neglectum ſui atque ſuorum incredibilem, quandoquidem nullis Eminentiſſimorum Cardinalium precibus expugnari potuit, ut *D. Annibalem Albanum*, germani fratris filium, adoleſcentem omnibus doctrinis & virtutibus ornatiſſimum, quem ille jure ſibi depopoſcerat adjungendum, ad ampliſſimam dignitatem adſumere dignaretur. Quin cum iterata vice ac validioribus, quam antea, precibus ſinguli Patrum Pontificem adgrederentur, ut nepotem ſuum ſacra decoraret purpura, ipſe propoſiti tenax novam hanc oppugnationem fortiter excepit propulſavitque, quinimo vultu commotior dixit, ſe eorum ſuffragia exquiſiviſſe pro iis, quos Cardinales creare intendebat, non autem pro iis, quos creare minime intendebat, adeoque omnino ab ejusmodi ſibi moleſta petitione deſiſterent. Quibus verbis univerſos dimiſit, ingenti profecto admiratione perfuſos, quod Pontificia conſtantia obnixis iteratisque totius Collegii precibus flecti minime potuiſſet. Rara quoque ac ſingularis eſt, quæ in his actis memoratur *Gabrielis Philippuccii*, Signaturæ Juſtitiæ Votantis, moderatio ac humilitas, qua oblatam ſibi a ſummo Pontifice præcelſam Cardinalis dignitatem conſtanter recuſare non dubitavit. Curaverat is quidem, jam ante promotionis diem, per Eminentiſſ. Cardinalem *Mariscottum* ſummo Pontifici non obſcure indicari animum ſuum a tantæ dignitatis, quam ſibi deferendam audiverat, fulgore refugientem, ſed hic Chriſtiana iſta & rara Viri humilitate in ſuſcepto conſilio potius confirmatus, d. 17. Maji 1706, cum aliis novendecim principibus ac graviſſimis viris eundem Purpuratorum numero in convocato iſtum in finem conſiſtorio adſcripſit, in quo tamen poſtmodum idem *Philippuccius* clarius ac diſertius ſenſus ſuos Pontifici aperuit ſupplici libello, per eundem Eminentiſſ. Cardinalem *Mariſcottum* exhibito, quo Cardinalis dignitatem, cujus oneribus ferendis ſe prorſus imparem agnoſceret, recuſabat vehemen-

hementer, atque obnixe deprecabatur. Quo facto Pontifex, etsi animum a compellendo invito alienum ostenderet, adserens, se toto Pontificatus sui tempore neminem unquam renuentem ad Episcopale munus suscipiendum coegisse, & cæteroquin expediens ducere, ut præclara hæc Christianæ humilitatis exempla ederentur, noluit tamen hac in re quidquam tunc illico decernere, sed meritissimo Viro longius tempus ad deliberandum in re tam gravi se concedere velle declaravit. Misit itaque postridie *P. Franciscum Mariam Casinum*, ex familia Capucinorum, sacri Palatii Apostolici Concionatorem, pietatis, prudentiæ doctrinæque laudibus insignem, qui, nullo hortationis genere prætermisso, hominem de suscepta sententia revocare, & ad accipiendam Cardinalitiam dignitatem adducere niteretur, eique præterea subsidia exponeret, quibus Pontifex domesticæ illius rei angustiis liberali plane animo subvenire decreverat. Irritus tamen fuit Pontificius conatus. Nam *Philippuccius* propositi tenax nullis omnino rationibus flecti potuit; quinimo, ex ejusmodi sibi permolesto successu, eam suscepit animi ægritudinem, ut in admodum gravem ancipitemque corporis morbum delapsus fuerit. Quod ubi rescivit Pontifex, illico misit Illustriss. *D. Jo. Mariam Lancisium*, Medicum intimum Pontificium, qui suo nomine ægrum inviseret, eumque consolari & a suscepto mœrore abducere conaretur. Explorato vero jam satis superque *Philippuccii* animo, P. M, ne quid inconsulte decerneret, exquirendum censuit votum complurium Cardinalium sapientia & rerum usu præstantium, ipsisque negotium serio ac diligenter expendendum commisit. Hi itaque coacta hanc in rem peculiari congregatione, discussoque mature dubio, an *Philippuccius* a Pontifice cogendus esset præcepto sanctæ obedientiæ ad Cardinalatum suscipiendum, ejusque insignia gestanda, cæteraque solennia peragenda, tandem unanimi consensu nullam renuenti vim adhibendam esse censuerunt. Interim idem *Philippuccius* in proposito usque magis constantior perseverans, ne de fixa deliberataque ejus voluntate recusandi, refutandi ac etiam renunciandi Cardinalatum unquam dubitare contingeret, omnia & singula in supplici antea exhibito libello

contenta confirmavit ampliavitque, ac uberius adhuc & solennius animum suum hac in re declaravit, publico desuper celebrato instrumento, cujus exemplum in Actis subjicitur. Cernens itaque P. M. nullam jam sibi reliquam esse spem flectendi viri constantiam, vimque renuenti juxta Congregationis sensum adhibendam non esse ducens, tandem ad enixas illius preces exaudiendas benignum animum inclinavit, indicique propterea jussit Fer. II. d. 7. Junii 1706 sacrum consistorium, quo rite coacto præsentibus Eminentissimis Patribus numero XXXVII. renunciationem *Philippuccii* se admittere publice declaravit, eidemque forsan aliquando illud ipsum se dicturum esse addidit, quod B. Gregorius cuidam Sebastiano, qui commissum sibi ab Anastasio Patriarcha Ecclesiæ regimen recusaverat, rescripserit, videlicet: *Sensum ac Sapientiam vestram valde ego libenter amplexus sum, laudavi vehementer & vos felices, me infelicem esse deputavi, qui hoc tempore regimen Ecclesiæ suscipere consensi.* Hinc Pontifex adprobatam Cardinalium consensu sententiam, ac *Philippuccii* renuntiationem solenni decreto admisit & comprobavit, ac postremo, ut eximiam suam, ac vere paternam in *Philippuccium* charitatem aliquo alio minime respuendo beneficii genere declararet, simulque ejus honestæ sustentationi opportune prospiceret, peracto Consistorio illi attribuit & adsignavit annuum subsidium mille scutorum monetæ Romanæ, quoad vixerit, ex Cameræ Apostolicæ proventibus persolvendum, quamvis isto beneficio *Philippuccio* haut diu frui licuerit, utpote quem d. 15. Julii 1706. supremum obiisse diem accepimus.

Cæterum, ne ignotum esset, quibus hæc Acta accepta referenda sint, præmisit Typographus iisdem *Gravinæ* ad *Huyssenium* epistolam, quæ lectores certiores reddit, fore, ut posteriores libri eruditissimi *Gravinæ* de *Originibus Juris* quorum prior Neapoli primum editus, curate in Germania recusus fuit, propediem, ut ibidem quoque lucem publicam adspiciant, transmittantur. Promittit etiam Cl. Autor addere & *Institutiones Juris* eleganter contextas, & *orationes septem* ad morum & litterarum emendationem ac regimen pertinentes; nempe primam

primam de instauratione studiorum ad Clementem XI. Pont. Max. secundam de Sapientia universa; tertiam de Juris prudentia; quartam pro novis Philosophis; quintam de repetendis fontibus doctrinarum; sextam de recta in jure disputandi ratione; septimam de canone interiori. Quæ singula opuscula, quin Juris pariter atque litterarum elegantiorum cultores avide expectent, non est quod dubitemus. Ne quid denique ad historiam recens creatorum Cardinalium deesset, nonnulla de eorum vita ex idiomate Italico translata in fine horum Actorum adjecta sunt a Typographo, ad quæ ergo lectores remittimus.

Schau-Platz der streitenden, doch unüberwindlichen Christlichen Kirche.

i. e.

THEATRUM MILITANTIS, SED INVINcibilis Ecclesiæ, Auctore DAVIDE NERRETERO.

Norimbergæ, apud W. M. Endterum, 1707. 8.
Constat alph. $3\frac{1}{2}$. & plurimis figg. æn.

CLarissimus Auctor omnes religiones atque hæreses, quæ in universo hoc terrarum orbe unquam extiterunt, delineare in animum induxerat. Quem finem ut eo facilius obtineret, librum Alexandri Rossæi, qui eundem scopum sibi præfixerat, lingua Anglicana conscriptum elegit, eumque non solum in vernaculum nostram vertit, verum etiam multis in locis emendavit, prætereaque multis accessionibus, quæ molem libri Rossæi longe superant, eundem auxit. Jam sex circiter anni elapsi sunt, ex quo primus Tomus hujus operis lucem adspexit, in quo admirandum Judaico-Ethnicum Templum aperitur, eorumque tum verus tum spurius cultus, variaque idololatriæ genera copiose atque erudite exponuntur, quibus omnibus doctissimus Autor luculentam narrationem de origine idololatriæ, nec non de fabulis Poëticis earumque genuina significatione subjungit. Hunc primum Tomum haudita

multo

multo post alter subsecutus est, in quo Mahummedanæ religionis origo, incrementa, sectæ, imperia, varii ritus, ac denique conjecturæ de ejusdem interitu proponuntur. Deinceps totus Alcoranus, juxta optimam Ludovici Marraccii editionem, in Germanica lingua legitur, simulque breviter refutatur. Jam tertius Tomus, quem præ manibus habemus, Historiæ Ecclesiasticæ enarrandæ destinatus est, utpote in quo ad ductum sectionis septimæ de diversis cultibus Alexandri Rossæi, de Ecclesiæ origine, incrementis, propagatione, impedimentis, persecutionibus, hæresibus, schismatibus eorumque causis fuse ac diligenter disseritur, prætereaque ostenditur, quo pacto schismata, divina annuente gratia, tolli, & Ecclesiæ a se invicem divulsæ absque syncretismo ad veram unionem reduci possint. Totum opus decem quæstionibus absolvitur, in quibus evolvendis Auctor eandem methodum adhibet, qua in antecedentibus etiam Tomis usus fuerat, ut scilicet singulis Anglici Auctoris paragraphis additiones prolixissimas subjiciat. Altius vero ab ipsa Christianismi origine rem arcessit, ita, ut religionis Christianæ veritatem pluribus confirmet, & singula propemodum Veteris Testamenti de Salvatore nostro vaticinia excutiat, omniaque veri Messiæ γνωρίσματα Jesu Nazareno competere demonstret. Quo facto doctrinam, cultum & varios ritus primitivæ Ecclesiæ enarrat, & postea causas rimatur, quæ puriorem primitivæ Ecclesiæ Christianismum corruperint, easque non alias fuisse dicit, quam perversam hominum voluntatem, Episcoporum inprimis ambitionem, malitiam Satanæ, & tandem justissimum Dei omnipotentis judicium. Ecclesiam vero post decem persecutiones magis magisque depravatam esse asserit, donec Papatus, cujus historiam ab ejus origine usque ad tempora reformationis nervose & perspicue exponit, erectus fuerit. Quibus absolutis, historiam hæresium & hæresiarcharum, qui Ecclesiam mox ab initio, signo quasi a Simone Mago omnium hæreticorum patriarcha sublato, miris modis turbarunt, contexit. Ea occasione prolixum de hæresi instituit discursum, & in quo vera ejusdem natura consistat, abunde docet. Ostendit præterea, quemadmodum omni tempore

pore Diabolus ejusque instrumenta hoc vocabulo ad opprimendos bonos abusi fuerint. Sub finem denique de unione Ecclesiarum, a se invicem dissentientium, disserit, eamque tum possibilem, tum necessariam esse, sibi persuadet; minime tamen per syncretismum, quem pro hæresi venditare non dubitat, eam in actum deduci posse censet, quin potius per unionem cum Deo trinuno in Christo, juxta Apostolico-Catholicam fidem, quæ per charitatem erga Deum & omnes homines sit efficax. Hac fini exemplar Christianæ unionis in fide subjungit, in quo omnes partes, quæ ad doctrinam & vitam Christianam necessario requiruntur, ad ductum Catechismi nostri exhibet, quas si modo homines amplectantur, omnes & singulos sine dubio salvari posse contendit.

LE DROIT DE LA NATURE ET DES GENS, &c.

i. e.

JUS NATURÆ & GENTIUM, SEU SYSTEMA Generale Principiorum momenti maximi Moralium, Jurisprudentiæ & Politicæ, ex Latino B. Baronis de PUFENDORFF traductum, auctore JOH. BARBEYRAC. Cum notis Interpretis, & Præfatione, Introductionem in universum Opus continente.

Amstelodami, apud Gerh. Kuyper, 1706. in 4, chartæ augustæ. Constat Alph. 6. Plag. 8.

CUm pridem communi Eruditorum adsensu adprobatum sit Illustris Pufendorffii Jus Naturæ ac Gentium, suæ quoque genti utilissimam operam præstiturus Cl. Barbeyracius, in Gallicum idioma illud transtulit, pulcherrimisque notis ac præfatione adornavit. In doctissima præfatione quidem potissimum de natura doctrinæ moralis, per quam Ethicam, Jus naturæ & Politicam, sive omne id, quod ad vitæ beatam rationem tenendam scitu factuque necessarium est, intelligit, erudite agit. Hanc simplicissimorum etiam captum non excedere, sed ut §. 1.

omnibus æque necessaria sit, ita & omnibus facilem perceptu esse, & ipsorum præceptorum ratione, & maximorum testi-
§. 2. monio Philosophorum ostendit. Hanc ut idiotæ etiam clare perspicere queant; ita eam eruditos, quorum subactiora ingenia sint, evidentibus demonstrationibus & mathematica certitudine, inprimis cum principia hic æque clara multoque, quam in aliis disciplinis, pauciora habeantur, sapientissimi
§. 3. *Lockii* judicium secutus, tradere posse affirmat. Quicquid hic a multis difficultatum in conciliandis diversis Ethicæ præceptis fingatur, vel hominum affectibus ac præjudiciis, vel negligentiæ tribuendum, qua impediti accurate satis virtutum naturam & officia considerare vel nolint vel nequeant. Hac occasione *Charronis* potissimum, & *Montani* objectionibus scite respondet, omnemque doctrinæ moralis, quam accusant, difficultatem, non tam in ejus principiis, quam applicatione, & circumstantiarum consideratione, latere declarat.

Si vero omnino quædam sint ita difficilia, ut ea mens humana capere non posse videatur, eorum ignorantiæ vel veniam nos apud Deum habituros, vel remedium tandem, majori ac sinceriori adhibito studio, inventuros, adeoque certam quidem doctrinæ moralis scientiam, quanquam non continuo omnibus numeris partibusque absolutam & perfectam consecuturos ait.
§. 4. Neque diversas, & sæpe contrarias hominum de vitiis ac virtutibus sententias, quicquid hic oggenniant *Pyrrhonii*, ipsius doctrinæ certitudini quicquam derogare; sed illud saltem probare docet, quod homines sæpe vel abutantur, vel non recte utantur ratione sua. Qua occasione, ut controversiam *Carte-*
§. 5 *sii*, *Lockii*, & *Scherlokii* de idearum etiam in moralibus natura docte examinat; ita in justissimas querelas diffunditur, quod in nulla fere disciplina minori opera uti mortales, pravissimæ voluntatis inclinatione seducti, voluerint, quam in ea, quæ ad ipsos maxime pertinet, deque moribus ac vitæ felicitate agit.
§. 6. Cum enim duo potissimum sint genera hominum, qui præ aliis excolere hanc doctrinam deberent, *publicorum* scilicet *religionis interpretum*, & *eruditorum universus ordo*; per neutros satis eidem consultum fuisse perhibet. Theologos enim, vates

Vates & Sacerdotes inter *Paganos* plerosque, moralem doctrinam a Religione separasse, & vel aperte turpia de Diis suis tradidisse, vel externam modo honestatis speciem utcunque servasse. *Judaeorum* Doctores, post captivitatem Babylonicam, § 7.
moralem doctrinam corrupisse potius, quam excoluisse: in ritibus externisque ceremoniis observandis totos fuisse, traditionibusque suis ipsa naturalis juris praecepta obliterasse, & a *Servatore* nostro propterea pluribus locis castigatos fuisse, commemorat. Et quanquam ab hoc, ejusque discipulis sanctior § 8.
morum doctrina restituta esset, non defuisse tamen plures falsos doctores, qui, testantibus Paulo, Petro, Johanne, & aliis, illam additamentis suis turbare auderent. § 9.
Auctum illud malum fuisse, post *virorum* excessum *Apostolicorum*, a *Patribus*; qui fabularum, allegoriarum, vanae eloquentiae & paganae Philosophiae perverso studio ducti, sanioris Logicae & Hermeneutices destituti praesidio, ambitione denique, & abstractioribus de variis haeresibus controversiis agitati, doctrinam tam utilem & necessariam vel neglexerint, vel obiter & confuse tradiderint; quin, ut prolixe docet, crassissimos plerique errores admiserint. Inde plures nobis controversiarum quam moralium libros enatos: inde sermones etiam ad plebem habitos, potius polemicam, quam moralem doctrinam sapere: quin haereseos prope suspectos fieri, qui moralia potius, quam dogmatica tractent. Quare nec a Theologis superioris seculi, sed ab *illustri Grotio* primum doctrinam moralem in justum Systema redactam fuisse: imo felicius fere a Laicis & privatis morum praecepta exculta esse, quatenus illa vel traditione vel suae usu rationis cognita ipsis fuerint; quanquam & eruditis in omni antiquitate *Philosophis* nonnihil doctrina moralis debeat: quorum tamen sententias non nisi e Graecorum literis cognoscere liceat, unde eas *Marshamus*, & *Stanlejus* potissimum collegerint. *Chaldaeorum* quidem dogmata plurimum in Physicis, Astronomicis, Metaphysicis ac Pnevmatologicis versari. Paucula quaedam illorum de moribus praecepta superesse, quae Autor Clarissimus e *Chaldaeorum oraculis* breviter repetit: quaeque potissimum animi nostri ad superiora illa, unde orti simus, cogitanda, αὐτο-

χειρίαν vitandam, & ἔργα ἐυσεβέιας exercenda excitationem continent.
§. 12. De *Ægyptiorum* morali doctrina, inprimis cum suppositia sint *Mercurii Trismegisti* opera, ipsique symbolis ac hieroglyphicis figuris omnia obscuraverint, pauca etiam nobis constare. Ea, quæ de officiis hominum adversus se invicem tradant, pleraque cum Decalogi præceptis convenire: nisi quod v. g. filias ad nutriendos indigentiores parentes obligarent, filios eo pietatis officio eximerent, utrosque autem majorem patri, quam matri honorem exhibere ideo juberent, quod mater solum scilicet fœtui habitaculum ac nutrimentum, dum in hanc lucem ederetur, præbuisset.
§. 13. *Persarum* moralem Philosophiam ut Chaldæorum similem, ita subobscuram fuisse perhibet. Ejus autem culturam potissimum e Principum juventutis, nobiliumque puerorum a *Xenophonte* & *Platone* descripta educatione patere. Reliqua e celeberrimi *Hydii historia de Religione Persarum veteri*, & compendio doctrinæ *Zoroastris*, *Sadder* dicto posse intelligi; in quibus scilicet inter optima de moribus præcepta, multa superstitiosa, multa etiam insipida & insulsa sint: quorum nonnulla Cl. Autor noster repetit.
§. 14. *Sinensium* moralem doctrinam, judice celeberrimo *Leibnitio* in præfatione ad *Novissima Sinica*, Europæorum fere omnium sapientiam superare: multaque in *Confucii* libro esse præstantissima, quæ brevibus recensentur ab Autore nostro: quin e parvo libello, *quo ille Regem imperandi artem docet*, plura disci posse, quam ex ingentibus nonnullorum Ecclesiæ Patrum voluminibus. Cæterum prævalere hodie alterius *Philosophi Foe* dicti apud Indos impia præcepta; cujus discipuli exteriori sua doctrina in officio continere populum studeant, interiori autem, magisque recondita, proxime ad *Spinozæ* ἀθεότητα accedant.
§. 15. Ad *Græcos*, perlustrato Oriente, pergit Autor, eosque Orientalium discipulos moralis doctrinæ præstantia ipsos superasse Magistros perhibet. Prima illorum dogmata, orientalium more, fabulis, ænigmatibus, symbolis, versibus concepta fuisse: quod ex *Hesiodo*, *Æsopo*, *Theognide*, *Homero*, aliisque, Tragicis potissimum Poëtis, appareat: quanquam horum opera multa obscure & confuse, infraque moralis doctrinæ dignitatem sint tradita.

Septem

Septem Graciæ Sapientes, viros rebus agendis, Reipublicæque gubernandæ deditos, brevibus, sed prudentissimis oraculis, a *Laertio* aliisque proditis, suam sapientiam declarasse. *Pythagoram* magis quidem excoluisse morum regendorum prudentiam, sed pleraque sua symbolis numerisque obscurasse: multum tamen autoritate, eloquentia, exemplo profecisse, præstantissimosque legislatores *Zaleucum & Charondam* formasse: multis itineribus factis prudentiam auxisse, Dei unitatem, omnium rerum numerosam harmoniam, *μετεμψύχωσιν*, sapientiæ finem Dei similitudinem, via purgativa & unitiva, veritatisque studio obtinendam statuisse; quibus similia ejus quoque discipuli tradiderint. *Anaxagoram* primum post *Thaletem* Ionicæ Sectæ firmatorem, quanquam inter Atheos relatum, agnovisse tamen principium hujus universi, spiritum quendam infinitum, omnique relicto patrimonio, solius studio speculativæ sapientiæ vacasse, *Homeri* etiam Poësin, tanquam Ethicam allegoricam, magni fecisse. *Archelaum* Physicæ inprimis deditum, naturæ jura negasse, omnesque res, nisi accedente lege humana, indifferentes reputasse. Ejus contra discipulum, virum optimum ac sapientissimum, *Socratem*, primum plus studii ordinisque ad moralem doctrinam attulisse, quanquam nil ipse scripserit; ad *fastum Sophistarum* reprimendum, singulari quæstionum methodo, suæque extenuatione scientiæ usum fuisse, qua perhibebat, se solum id scire, quod nihil sciat. Cæterum unum & solum Deum, Ens summum, agnovisse; quodque non omnes, de Diis inferioribus, turpes fabulas crederet, capitis damnatum fuisse: Dei providentiam celebrasse, eamque dignis invocandam precibus statuisse: jura naturæ ab ipso Deo orta, ideoque sancte servanda, dixisse: doctrinæ ejus summam e *Xenophonte* potissimum ac *Cebetis* tabula cognosci harum rerum studiosis posse. *Platonem*, discipulum ejus, inter Scepticos nequaquam referendum, dialogis suam doctrinam proposuisse, inque iis omnibus moralem potissimum Philosophiam tractasse. Cujus eo abeant principia: finem omnium actionum nostrarum esse bonum: id unum esse summeque perfectum, ens infinitum, patrem & causam omnium entium: hoc bonum paucos possidere,

§. 16. §. 17. §. 18. §. 19. §. 20.

dere: ab hoc manare lumen ſcientiæ & veritatis, ſanctitatis & juſtitiæ, quibus homines uniantur Deo, unde ſumma voluptas & tranquillitas, immortalitas & æterna felicitas; cum impios premant in hac vita, maneantque in altera ſummæ miſeriæ. Hæc principia ſublimi a Platone ſtylo, myſticisque phraſibus proponi, interdum tamen & nugas de affectibus impurioribus admiſceri: quibus quidem ipſis moralia & politica dogmata ſint involuta, unde non ſine fructu legi ejus opera queant. Ibi certe doctrinam de animorum immortalitate, de precibus pura mente in omnibus rebus ad Deum faciendis, de Philautiæ damnis, de mortis meditatione, patientiæ ſtudio, charitatis officiis ſæpius inculcari: dogmata Reipublicæ perniciosa refutari; ideam denique boni viri talem ab ipſo proponi, ut multi eam vaticinium quaſi de Servatore noſtro habuerint. Politicæ doctrinæ veriſſima principia Platonem conſtituiſſe, & omnia ad totius ſalutem civitatis legibus obtinendam retuliſſe, quanquam ex optimis principiis concluſiones nonnullas a vera morali alienas v.g. de communione bonorum, fœminarum, liberorum, derivare videatur.

§. 21. *Antiſthenem* ejus diſcipulum, *Diogenem*, aliosque Cynicos, optimi præcepta doctoris, *Socratis* nimirum ita excoluiſſe, ut veritatem aſſererent proverbio: *rara magna ingenia ab omnibus ineptiis libera eſſe.* Inde, quod Socrates moralia potisſimum excolenda putaret, omnes illi bonas literas, Logicam quoque, Phyſicam, Geometriam, Muſicam repudiabant. Bene docti erant: ſolam ad felicitatem virtutem ſufficere. Sed male inde omnes vitæ tranſigendæ commoditates repudiabant, extremamque ultro ſibi paupertatem accerſebant: omnem decori rationem, actionumque circumſtantias negligebant: omnium ſibi rerum uſum ex eo principio vendicabant, quod omnes omnium opes Dei, ipſisque adeo, ut Dei amicis, communes eſſent: ſpretis omnibus humanis legibus, ſoli naturæ juri, cujus monſtroſam ſatis ideam habebant, obtemperabant: inde monetæ cudendæ facultatem ſibi tribuebat, mulierum, jurisque naturalis nobis cum beſtiis communionem aſſerebat *Diogenes.*

§. 22. *Ariſtippum*, Cyrenaicæ Sectæ conditorem, vitæ liberioris voluptatisque jucundæ, in qua & ſummum

mum bonum collocabat, ac decori studiosum, civilibus, non naturæ legibus omnia metitum esse, inque ejus Ethicæ Systemate virtuti veræ vix locum fuisse, Autor Cl. docet. Scilicet alii, ejus discipuli, aperte Atheismum profitebantur; alii, *Hegesiæ* nimirum discipuli, αὐτοχειρίαν tanto successu commendabant, ut interdicere ipsis has doctrinas necesse Ptolemæus Rex haberet.
Inde *Aristotelis*, celeberrimi Platonis discipuli, Sectam examinat §. 23.
Autor Cl. eumque contra *Rapinum*, non iisdem fundamentis, principiis atque ordine, quibus Platonica utitur, gaudere; sed cum Platonis Philosophia sublimis esset, & ad divinarum cogitationem rerum nos duceret, Aristotelis moralem doctrinam intra hujus cancellos vitæ contineri, & ad externa potissimum, civiliaque respicere, demonstrat. Parum apud eum de Deo, ejus providentia, animæ immortalitate; sed de Diis, Intelligentiisque stellarum sphæris affixis plura inveniri. Omnem ejus Theologiam ad ista duo capita abire: esse Deum, qui hoc universum virtute sua comprehendat, darique Deos inferiores: naturam Supremi illius Numinis instrumentum esse, quo ille ad res certis finibus producendas utatur. Actionum humanarum principia, virtutisque naturam satis quidem distincte ab ipso tractari; sed deesse tamen pluscula, quominus Aristotelis Ethica, quod Rapinus velit, omnium perfectissima haberi queat, quod e resolutione librorum Ethicorum ad Nicomachum accuratissima Autor ostendit: ubi cum Grotio inprimis falsitatem definitionis, qua Aristoteles virtutis naturam in mediocritate ponit, defendente licet eum Gronovio, observat, eamque justitiæ, fortitudinis, temperantiæ, magnanimitatis, mansuetudinis exemplo declarat: errores etiam in dividendo jure, tradendisque virtutibus intellectualibus satis crassos notat. Cæterum quæ in *libris X. Nicom.* tradita erant, eadem prolixius *in duobus magnorum Moralium* libris repeti & explicari docet.
Arcesilam, secundæ Academiæ fundatorem, Scepticismi profes- §. 24.
sorem, moralis veritatem doctrinæ plane propemodum evertisse; *Carneademque* tertiæ statorem Academiæ, paria fere sensisse, quanquam ad aliorum evitandam invidiam paulo Scepticismum suum mitigasse videri voluerit; *Pyrrhonem* vero omne discri-

discrimen inter justum & injustum, honestum & turpe, ab arbitrio consuetudineque hominum derivasse; cum *Carneade* vanum justitiæ nomen efficere voluisse, adeoque & Academicos, & Pyrrhonios, *Indifferentissimum moralem* sua jam ætate proposuisse demonstrat.

§. 25. *Epicurum* Arcesilæ æqualem unam omnino substantiam, corpus scilicet, inque ea extensionem, soliditatem, magnitudinem, figuram, situm, motum agnovisse, simul tamen plures Deos, otiosam in intermundiis vitam agentes, hominum nulla cura tactos, ab his tamen, ob suæ excellentiam naturæ ac felicitatis, colendos, politica, vana satis chimericaque ratione tradidisse, ideoque a Posidonio jure *Atheum* dictum, neque a *Gassendo* illo crimine omnino liberatum fuisse ostendit. Moralem tamen doctrinam eundem in nonnullis haud incommodam tradidisse addit: summum bonum enim in voluptate sive tranquillitate ab ipso positum fuisse: istam voluptatis notionem sinistre quidem a multis acceptam, odioque omnium dignam reputatam fuisse: in quo, quanquam errare putat plures Autor Cl. illud tamen monet, nec vere summum bonum, nec solidam virtutem tradi ab Epicuro per suam hypothesin potuisse, cum omne hujus vitæ bonum, felicitas omnis, sine Deo imperfecta sit. Duo igitur potissima Epicureæ Ethicæ vitia esse: primum, quod virtutem omnem e præsentis utilitate vel commoditate vitæ metiatur: alterum, quod ejus de voluptatibus sententiæ plures omnino in hac vita turbas in animis mortalium necessario fere gignant.

§. 26. Porro ad *Stoicorum* Sectam, *Zenone* Autore ortam, Epicureæ in omnibus pene contrariam, describendam Autor pergit, illorumque in Physicis plura dogmata absurditatis arguit. Et profecto, cui illa de mundo animali, cujus anima sit ipse Deus, i.e. substantia activa ignea, pro diversitate materiæ, cui uniatur, plures quasi Deos inferiores, & ipsos aliquando in communi hujus universi incendio perituros constituens; illa de hominum animabus in æthera redituris & corruptibilibus; illa de fati necessitate, ipsum quoque Deum obstringente, cum qua tamen summa illa hominum, quam toties jactant, libertas constare possit, absurda non videantur? Saniora prædicat Autor Cl. ea, quæ de morali doctri-

doctrina tradiderint: in qua cuncta ad vitam naturæ conformem revocabant, mundumque hunc regnum appellabant, cujus Rex Deus esset, homines cives, ad mutua commoda promovenda sanctissime obligati: e quibus principiis *M. Antoninus, Seneca, Epictetus*, plurima pulcherrimaque monita derivabant. Sed hic etiam habent Stoici, quæ sapientioribus probari nequeunt. Præter vanitatem enim morumque in his Philosophis malignam hypocrisin, ipsa etiam morum præcepta, perhibente Autore nostro, non satis erant accurata. Virtutis ideam formabant satis quidem magnificam, sed neque omnino perfectam, neque solido satis fundamento nixam; quippe qui alterius præmia vitæ ignorantes, ipsam etiam virtutem inter res vanas referre debebant. Inde laudes Sapientis Stoici vanas & chimericas, & paradoxa pleraque, ambigua, nulliusque ad solidam virtutem implantandam momenti esse, Autor declarat. *Eclecticam* denique *Philosophiam*, *a Potamone* quodam, Augusto Romanis imperante, introductam, multis probatam fuisse Autor Cl. ostendit. *Ciceronem* non magis Peripateticos, quam Stoicos sequi in libello de officiis, quo omnium fere inter antiquos perfectissimum moralis doctrinæ systema contineri, Autor noster existimat: quanquam multa eidem specialius monenda desint, ordoque interdum & principia decidendi accuratiora desiderari queant. Jacturam *Libri Ciceronis de Republica* Autor merito dolet, istam tamen quodammodo *libro pulcherrimo de legibus*, compensari docet; in quo quidem elegantia Ciceronis principia solidioribus firmata rationibus, plusque sapientiæ quam eloquentiæ lectoribus datum fuisse optat; quod magis e Seneca, quanquam confuse ac μετεωρολόγως scribente, potissimum vero e Plutarcho peti possit: qui tamen ipse profundius sæpe & explicatius tractare sua dogmata potuerit. *Epictetum & Marcum Antoninum* Seneca solidiores Autor censet: sed isti ingenium animique dignam Philosopho elevationem; huic tersam principiorum puritatem, stylique claritatem defuisse queritur. Philosophorum Stoicorum studia imitatos fuisse plerosque *JCtos Romanos*, suaque industria Juris naturæ doctrinam potissimum perfecisse Autor Cl. adfirmat: prorsus

§. 27. (margin, beside "Eclecticam denique Philosophiam")

ut dolendum sit, *Justinianum*, fragmentis quibusdam illorum in digesta relatis, ut jurisprudentiæ quoddam quasi compendium redderet, ingens præstantissimorum Scriptorum dispendium fecisse, *Tribonianique* opera, pro clarissimorum virorum luminibus, obscurum nobis legum chaos reliquisse. *Platonis* sectatores *Plotinus, Amelius, Porphyrius, Jamblichus & Proclus*, Metaphysicas potius Platonis ideas, quam moralem doctrinam, Autore nostro perhibente, illustrare studuerunt. *Aristotelis* recentiores sectatores, scilicet *Scholastici & Casuistæ*, plura etiam morali doctrinæ, quam speculativis scientiis præjudicia intulerunt, confusum quoddam ejus corpus e sententiis Aristotelis, jure Civili, Canonico, Divino, Patrumque dictis, sine ordine & accurata connexione consuentes.

§. 28. Cum immortalium in Rempublicam literariam meritorum Vir, *Franciscus Bacon Verulamius*, viam reformandæ Philosophiæ feliciter ostendisset, & *Philippus Melanchthon* in suis Ethicis, nec non *Benedictus Winckler* in suo libro de Principiis juris anno 1615 edito, radios quosdam clarioris luminis edidissent; tandem *Hugo Grotius*, divini Vir ingenii, felicissimo successu luculentissimam morali doctrinæ lucem affudit, opere suo de Jure belli & pacis Parisiis A. 1625 primum edito, & ob summam sui præstantiam, communi omnium Eruditorum applausu recepto. Grotium laudabili æmulatione sequutus *Seldenus* eruditissimum opus, de Jure naturæ ac gentium, e doctrina Hebræorum edebat, in quo tamen ordinem, perspicuitatem, & dogmatum principia satis firma, Autor Cl. desiderat. Brevi ante Grotii obitum, *Thomas Hobbesius*, Vir profundissimi judicii, turbis patriæ suæ indignatus, in lucem edebat Parisiis A. 1642 *Tractatum suum de Cive:* in quo principii loco ponit sui conservandi, propriæque utilitatis, in bello quasi omnium adversus omnes studium, Regibusque ac Principibus omnium rerum absolutam potestatem tribuit: quam doctrinam excussit singulari libello *Lambertus Velthuysius*, & ipse Hobbesius declaravit in *Leviathane suo*. In quo tamen nonnulla Atheismi vestigia, quin & non satis sibi invicem cohærentia, quod Hobbes omnia cogitata sua aliis communicare veritus sit, Autor noster esse judicat.

cat. Denique Illuſtris *Pufendorfius*, literarum humaniorum, & Philoſophiæ, ac inprimis Matheſeos ſingulari ſcientia, judicio ſolido, exquiſito, & a præjudiciis aliorum libero, ſedula optimorum Autorum lectione, Eruditorumque ſuæ ætatis familiari opera adjutus, incluta inprimis Grotii veſtigia ſequi, & quæ imperfecta in Juris Naturæ ac Gentium doctrina videbat, heroico conatu, ſucceſſu feliciſſimo, frendentibus licet plurimis, tantique gloriam operis ipſi invidentibus, ipſe perficere cœpit. Meditatus enim ea, quæ in *Grotio*, *Hobbeſio*, aliisque legerat, & ordine Geometrico complexus, amicorum ſuaſu primum in Belgio edidit A. 1660 *Elementa Jurisprudentiæ univerſalis*. Deinde *Heidelbergam ab Electore Palatino, Carolo Ludovico, Profeſſor Juris Naturæ ac Gentium* vocatus, dum Grotium publice interpretaretur, quid ſuis deeſſet Elementis quotidie magis intelligens, Illuſtriſſimi potiſſimum *Boineburgii* ſuaſu excitatus, quam *Bœclerus*, *Conringius*, *Rachelius* præſtare operam de formando methodico Jurisprudentiæ Naturalis ſyſtemate noluerant, ipſe modeſte ſuſcepit, dexterrime præſtitit, edito A. 1672 Lundini, quo *Profeſſor Juris primarius* a Rege Sueciæ vocatus fuerat, *opere majore de Jure Naturæ ac Gentium*, quod duobus interjectis annis quarta fere parte auctius prodiit Francofurti. §. 29.

Hoc opus cum interpretandum Autor noſter ſuſceperit, accurata potius paraphraſi, quam panegyrica opera defungi maluit; quam potiſſimum ſuperfluam cenſuit eſſe in eo opere, quod communi nunc Eruditorum approbatione fruitur, tot repetitis editionibus imprimitur, tanto ſtudio & ab aliis gentibus deſideratur: cui ſane deſiderio & ſuam hanc paraphraſin, & *Doctoris Kenneti* verſionem Anglicam, notasque amplisſimas nondum editas deberi exiſtimat. Porro, comparatione *Grotii Pufendorffiique* facta, ſtylum quidem Grotii magis conciſum, ideoque paulo obſcuriorem, nec niſi ſapientioribus intelligibilem, Pufendorffii clariorem, omniumque lectorum captui accommodatum Autor judicat: generalem totius operis ordinem in Pufendorffio meliorem, in ſpecialioribus pertractandis accuratiorem eſſe Grotio putat: in materiis ipſis pertractandis plura Grotio deeſſe, qui ſcilicet noluerit perfectum §. 30.

 mora-

moralis doctrinæ Systema condere; Pufendorffium autem inde ab actionum humanarum principiis orsum, omnes conclusiones studiosissime deducere ostendit: multa quidem hausisse Pufendorffium e Grotio fatetur, sed ita, ut ista vel distinctius explicaret & applicaret, vel Grotii etiam errores notaret. Multis igitur modis Pufendorffii opus præstare Grotiano concludit, quanquam nihil ea re de laudibus tanti Viri imminutum, vel quenquam a sedula ejus lectione prohibitum velit, potiusque doleat, quod a *Curtino* tam male in linguam Gallicam traductus, notisque ejus magis obscuratus, quam illustratus sit
§. 31. Grotius. Sua quidem hac Pufendorffii interpretatione, & juvenibus bonarum literarum, & moralis doctrinæ studiosis succurrere, & illis potissimum, qui a literis alieni, nullam plerumque Juris naturæ vel Ethicæ naturalis aut revelatæ cognitionem
§. 32. habeant, salutarem operam præstare Autor Cl. nititur. In hac, præter styli Gallici puritatem, claritatem & elegantiam, omnia, quæ ad illustrandum Pufendorffium pertinere videbantur, contulit. Singulorum materias capitum in ora paginæ superiori notavit, paragraphorum contenta sub illorum initia singulatim adjecit, ipsos Pufendorffii paragraphos longiores diversasque complexos materias distinxit, plura argumenta numeris notavit, Autorum adductorum loca, ne contextum læderent, in marginem rejecit, ipsos aliorum textus falso vageve citatos rectius indicavit, & a Pufendorffio rebus potius, quam verbis intento, sensu non satis accurato adductos emendavit; supervacanee adductos omisit, omniaque illa removit, quæ cupidum legendi animum turbare sive oculum impedire possent: concisa magis explicuit, abundantia resecuit, negligentius & contra Autoris sententiam posita emendavit, citata Autorum loca, ita, ut & Pufendorffium magis illustrarent, minorique tædio lectoribus essent, accommodavit, ipsumque sæpe Autoris sui textum, ut melius sibi cohæreret, aliter disposuit. In notis potissimum singularem operam præstitit. Exhibet ibi loca veterum Autorum ab Autore notata quam emendatissima. Cæterum jam Autoris sententias, si quæ istis desunt, supplet, confirmat, defendit; jam etiam examinat, critica-

criticaque virgula notat, jam eleganti digreſſione lectoris ſtudioſi animum delectat. Quæ declararemus pluribus, niſi e fontibus potius ipſis haurire iſta lectorem mallemus, & noſtra hæc ſcriptio excerpti fere modum excederet. Poſſunt tamen, quibus iſta curæ ſunt, notarum Auctoris Cl. ſpecimina ex iſtis capere, quæ Tom. 1. p. 48. n. 5. p. 87. n. 7. p. 89. n. 2. p. 142. n. 1. p. 211. n. 4. p. 307. n. 1. p. 480. n. 2. Tom. 2. p. 29. n. 3. p. 139. n. 2. p. 192. §. 7. n. 1. doctiſſime notata ſunt.

Sub calcem libri duplex index adjectus eſt, Auctorum, alter qui vel ad confirmanda dogmata Pufendorffii adducti, vel ab eo aut Paraphraſta confutati, aliave de cauſa notati ſunt: alter rerum, tum in Pufendorffii contextu, tum in Autoris noſtri notis occurrentium utiliſſimus.

B. DN. W. A. LAUTERBACHII COLLEGII TheoreticoPractici, a Libro Vigeſimo Pandectarum usque ad Digeſtum Novum, Pars Secunda.

Tubingæ apud J. G. Cottam, 1706. 4to. 7. A. 8. pl.

QUartum jam agitur luſtrum, ex quo præſtantiſſimi hujus Operis prima pars prodiit, quam exhibent Acta hæc A. 1690. M. Julio p. 366. ſq. Alteram nunc edendam curavit Excellentiſſimus Ulricus Thomas Lauterbachius, Cameræ Imperialis Aſſeſſor graviſſimus, turbulentis bellorum motibus, domicilii mutatione, ac muneris ampliſſimi negotiis hactenus impeditus, quo minus citius promiſſis ſuis, & orbis eruditi deſiderio ſatisfaceret. Continet ea eruditam ac pleniſſimam expoſitionem Libri Pandectarum vigeſimi & ſequentium, usque ad Librum trigeſimum nonum, ſive Digeſtum novum, a quo partem ultimam Paterni Operis auſpicabitur Excellentiſſimus Autor, cujus propediem edendi otium ex hoc diuturno Cameræ Imperialis juſtitio nactus ſpem in Præfatione facit certiſſimam. Utilitatem ſummam ac præſtantiam hujus Collegii non eſt quod commendemus prolixius, cum omni commendatione major ſit applauſus, quo prior ejus Tomus exceptus eſt, & communis Synopſeos Schützianæ æſtimatio, quam ubique

que illustrat, explicat & emendat hoc Opus, ac perfectissimi in eam Commentarii vicem plenius, quam cujuscunque annotationes aut observationes præstat. Superest, ut more nostro speciminis loco ex selectis Juris quæstionibus, quibus hæc pars referta est, quasdam non ubique obvias subjiciamus. Ita Lib. XX. Tit. 1. §. 22. observat, Jus Patronatus principaliter oppignorari non posse. Fisco ratione pœnarum, Jure non Communi, sed Würtembergico, tacitam hypothecam competere, eod. Lib. Tit. 2. §. 11. Cessionario privilegium, quo uxor intuitu dotis fruitur, denegat, ibid. §. 21. Utrum Notarii communi sigillo instrumenta valide queant subsignare, disquirit Lib. XXII. Tit. 4. §. 41. Ob mutatam religionem sponsalia recte dissolvi, tradit Lib. XXIII. Tit. 1. §. 54. matrimonium non æque L. XXIV. Tit. 2. §. 4. Pupillo, qui finita tutela tutorem convenire cupit, ob pecuniam non bene collocatam, incumbere onus probandi tutorem occasionem habuisse, idoneos inveniendi creditores, affirmat L. 26. T. 7. §. 24. Curatoris ratihabitionem instar consensus esse, ac negotium minoris validum reddere, defendit Lib. seq. T. 10. §. 35. In testamentis Christianorum a Turcis captorum fictionis Legis Corneliæ opus esse, censet L. XXVIII. T. 1. §. 24. In testamento parentum inter liberos nuncupativo, fœminarum admittit testimonium Lib. XXIX. Tit. 1. §. 34. In eodem §. 31. parentibus jus exhæredandi liberos concedit. Legata ad pias causas non hæredi tantum Falcidiam deducere cupienti, sed & reliquis legatariis nocere, exemplis declarat L. 35. Tit. 2. §. 25. Universam vero materiam successionis, secundum Jus Novissimum, fuse & eleganter exponit post finem Libri 38. Sed speciminis loco hæc quidem sufficiunt, quare ad ipsius Operis non injucundam nec minus utilissimam lectionem avidos hujusmodi observationum Cultores Jurium remittimus.

ANDREÆ ADAMI HOCHSTETTERI, SS. THEOL. D. & Prof. in Academia Tubingensi, Tractatio Synoptica Moralis de Jure Pœnarum, IX Exercitationibus comprehensa.

Tubingæ typis J. C. Reisii, 1706. in 4. plag. 18.

Diffi-

Difficile, magnique omnino momenti argumentum Academica hac tractatione exponitur; eo fine, ut, quod paucis hactenus tactum, ac velut impervium visum est, ex interioribus principiis eruatur, ostensisque genuinis rerum fontibus, nihil facile, quod ad ordinatam, perspicuam & innoxiam materiæ de pœnis delineationem desiderari possit, negligatur. Et primum quidem demonstrata Pœnarum necessitate, earum a *restitutione* & *vindicta* differentia proponitur; addita memorabili observatione, præcipuum in magnis scriptoribus defectum esse, quod Pœnarum naturam non in abstracto, ut ajunt, sed *velut ad Rempublicam referuntur*, considerarint. Unde factum, ut non pauca confuse, multa intricate, plurima præter usum tractarint. Eam quoque rationem esse, quod *multi finem pœnarum internum* non perspexerint, quia de pœnis saltim humanis fuere soliciti, in quibus is prima, ut ajunt, fronte, non adeo pervius est. Hic ergo finis eo solicitius demonstratur; quum in delictis non nuda occurrat punibilitas, sed meritum ac dignitas pœnæ, & naturalis ad eam obligatio. Præcipue quidem, si eorundem ad Conditorem habitus relatioque consideretur, quo intuitu peccatum sit injuria in Deum, quæ necessario debeat expiari. Usum argumenti in theologia ipsa tractationis inspectio docebit. Nobis enim omnes rationum nervos congerere non licet. Inde docetur, pœnam non dari, nisi quæ a superiori in inferiorem proficiscitur, neque jure naturali, hoc est abducto a divinis cæteris humanisque legibus, innocentem habere jus puniendi nocentem. Quod pluribus contra formulam Viri doctissimi confirmatur, addita legis, quæ objici poterat, de Jure Zeli Deut. XIII. 9. factaque Phineesi expositione. Ex quo consequitur, naturalem puniendi facultatem adscribi omnibus non posse, quippe quos inter nulla est naturaliter superioritas; neque pœnam irrogare licere PARIBUS ob delicta in DEUM, qui ipse μέτρον delictis statuat. Genes. XV. 16. Matth. XXII. 32. de ea, quæ verbis fit, correptione non dubitari. Cæterum, si quis instrumentum sit interficiendi hominis innocentis, cum a culpa & reatu absolvi

p. 1. 2.
p. 9.
p. 16.

p. 22. 23. solvi non posse. Quidquid aliis videatur, de ministro meræ, ut vocant, exsequutionis. Additur, probandum non esse quarundam morem gentium, quo rei sibi ipsis mortem consciscere, suarumque pœnarum activa instrumenta esse jubentur. Ut a *Ricautio* de Turcis memoretur, non esse gloriosius martyrium opinantibus, quam manu, & quidem propria, vel saltim jussu Imperatoris necari. Interim conceditur, fieri a reo optionem pœnæ posse, quia quod eligit, gradum solum ac modum pœnæ concernit. Sed & hoc, uti par erat, luculenter evincitur, Deum non e mero dominii jure punire; nec obstare, post ultimum ejus judicium impios non emendari, quia præter emendationem, alius quoque sit pœnarum finis, nimirum compensatorius. Pœna homicidii capitalis, an ad Jus positivum universale referenda? disquiritur, ac de Jure in vitam civium *directo* & *indirecto* disputatur. Ubi & obiter de obsidibus, an & quomodo innocentes puniri possint? late deducitur, junctis de servitute pœnali observationibus. Universitatem ob delicta ante tres pluresve generationes perpetrata puniri non posse, deciditur. Dehinc, cur in foro humano capitalem pro reo pœnam vas subire non possit? rationes afferuntur, secus ac in foro divino *Christi exemplum* comprobet, cui sanctissimo Sponsori *jus fuit in vitam* propriam, Principi quippe ac Domino vitæ Joh. X, 18. Cæterum quando Princeps pœnis exemptus esse probatur, idem contra Judæos, & ob *Cromwelli* tempora *meticulose loquentem Seldenum*, de Regibus Hebræorum asseritur; & quid de Herode, in Synedrium, velut judicium vocato, sentiendum sit, ostenditur. Primum enim dubium esse, an ullum tale unquam Synedrium magnum, nisi fortasse *ab Hasmonæorum temporibus* extiterit? Deinceps, Herodem Galileæ Præfectum fuisse, vivente adhuc Patre. Ac deinde armatum comparuisse, & sufficienti militum manu instructum, ut si sequiorem ferrent sententiam, ipse mactatis judicibus evaderet. Quid? quod *Sext. Cæsar*, Syriæ Præses, ad Hyrcanum scripserit, ut Herodem absolveret; minis additis, si contra fecisset. His expositis, de objecto pœnarum, atque an ad id referendi sint *actus interni?* ex instituto agitur; ac *Lex*

Margin notes: p. 24. (beside "pœnæ concernit"); p. 29. (beside "an & quomodo"); p. 37. (beside "pro reo pœnam"); p. 40. (beside "cium vocato").

Lex forensis de falso teste, Deut. XIX. 17. *uti plures per hunc librum aliæ*, explicatur. Scilicet, eo in casu non occurrere actum internum, sed qui jam exterius proruperit, licet voto non fuerit potitus. Et quum vexata inter Doctores quæstio sit: An delinquentes ad pœnam teneantur, eamque DEBEANT? affirmans modeste, additisque rationibus firmatur. Ubi & ostenditur, *non dari actus malos, qui neque directe, nec indirecte ad societatem humanam pertineant.* Namque & illum Rempublicam lædere, qui corpore aut rebus suis abutitur, qui avarus est, qui concupiscentiis indulget, & si quæ alia his similia committit. Cæterum pœnarum objectum per se non est hæresis, aut error in fide. Quod argumentum solide prudenterque excolitur, expensa lege Deut. XIII. 10. & distinctione *Ludovici Maimburgii* inter hæreticos *natos* & veluti *factos*. Ubi & Augustini contra Donatistas denique 38.
severioris exemplo probatur, quod δεύτεραι φροντίδες non semper sint σοφώτεραι. Frustra quæri: an ob negatas ab integra gente notiones generales ab alia pœnæ eidem infligi possint? quum dari ejusmodi gentem moraliter impossibile, & ab Auctore, post Apologeticum pro humano genere a Joh. Ludov. Fabricio editum, peculiari dissertatione de Religione naturali sit ostensum. His subjungitur, pœnis etiam subjacere delicta ante *legem pœnalem* commissa, ubi tamen aliter legem pœnalem a Grotio de J. B. & P. II. 20. 22. aliter communi apud Doctores significatu accipi monetur. Formam pœnæ in proportione & exæquatione, Justaque 57.
commensuratione inter malum actionis & passionis constituit; & irrogationem ejus ad Justitiam commutativam refert, additis rationibus, e sublimiore etiam sanctioreque disciplina, de *compensatione injuriæ adversus* Deum. Quod egregie ac præ aliis viderit longiore vita dignissimus *Schomerus*. Ubi simul specimen *moderationis* in decidendis quæstionibus, magno animorum fervore agitatis, exhibetur; dignum quod & alio loco sequamur. 65.66.
Cæterum ad Formam non pertinere *talionem* simplicem, quæ nec possibilis semper sit, nec justa, sed periculosa, immo noxia. Postea adversus Petrum *Puteanum* probatur, *præscriptionem* pœnam 72.
non esse. Neque *dimissa culpa pœna locum dari* probatur, argu-

 mentis

mentis ex natura rei desumtis. Nec ob delicta aliena pœnam irrogari posse, totumque adeo argumentum de *communicatione pœnarum* proponitur, solutis quæ in speciem opponi possunt.
77. Circa quæstionem: an pœna aut malum irrogari possit delicto nondum probato? injustitia purgationumque varii generis demonstratur, addito nobili *Agobardi*, Lugdunensium Episcopi effato: *unde probari potest, judicium esse Dei, quod Deus nunquam præcepit?* Ubi & obiter advertitur, esse qui de explorata *Kunigundis* Imperatricis innocentia narrationem, pro fabula declaraverit. Neque doctrina de *merito*, & *culpa*, ac *reatu*, *pœnarumque taxatione* prætermittitur; quæ quantum in vita humana usum præstet, nemo facile ignorat. Inde ad *exasperationem pœnarum*, & moralem peccatorum *reviviscentiam* devenitur, ususque hujus sententiæ demonstratur.
90. An *veniam* dare liceat? & qui ea a *dispensatione*, a *mitigatione*, a *dilatione pœnæ*, ab ἐπιεικείᾳ differat, satis docetur. Dehinc ad caussas veniæ proceditur, quæ interiores, & extrinsecæ. Memorabile punctum est: *An dispensatio locum habeat circa pœnas lege universali positiva definitas?* ubi de homicidii pœna speciatim disquiritur, subjuncto de *jure gratiæ Principis judicio*; & doctrina de *calculo Minervæ*; ut & *asylis*, ubi argumenta pro immunitate templorum solvuntur, & excerpta e *Castro* Palao ac *Antonino* Diana suppeditantur. Denique variæ pœnarum divisiones recensentur, subjunctoque totius Operis breviario & conspectu, finis eidem imponitur. Fruantur hoc Opusculo, qui difficilem de pœnis locum ex instituto & perspicue expositum cupiunt, atque rerum inprimis omnium summam, brevi ac rotunda definitione in libri frontispicio comprehensam, diligenter expendant.

ANALECTA DE CALAMITATE LITTERAtorum. PETRI ALCYONII Medices Legatus, sive de Exilio libri duo: accessere JOH. PIERIUS VALERIANUS, & CORNELIUS TOLLIUS de Infelicitate Litteratorum, & JOS. BARBERIUS de Miseria Poëtarum Græcorum; cum Præfatione JOH. BURCHARDI MENCKENII.

Lipsiæ

Lipsiæ, apud Joh. Fridericum Gleditsch, 1707. 12.
Alph. 1. pl. 4.

CUm ob propagatum nuper e Polonia in ipsam Saxoniam bellum, (quod exoptatissima nunc pace compositum esse, immortales Deo Opt. Max. gratias decernimus,) Musæ passim in his oris exularent, peropportunum visum est, desideratum pridem Alcyonii de Exilio dialogum recudere, cui, ut volumen justum conficeretur, Valeriani & Tollii de Infelicitate Litteratorum, & Barberii de Miseria Poetarum Græcorum libelli adjecti sunt. Præfationem ad Ill. atque Exc. DN. JOH. ROBINSON, Magnæ Britanniæ Reginæ ad Regem Sueciæ hoc tempore Legatum Extraordinarium & Plenipotentiarium, eo potissimum direxit Menckenius noster, ut in Regia Angliæ Societate ab aliquot annis nomen professus, non minus se nationi Anglicæ, quam Illustrissimo Domino Legato, cujus, dum Lipsiæ commoratur, expertus est favorem singularem, obstrictum publice profiteretur. Nos, cum libri novi non sint, paucissima e præfatione, de Alcyonio imprimis, delibabimus. Fuit is Latinarum litterarum peritissimus, adeo, ut fertili illo ævo, quo tot viri eruditissimi in unius Ciceronis imitatione omnem fere ætatem agebant, neminem æqualem, nedum superiorem habuerit. Et in Græcis quoque fuit optime versatus, quanquam, quæ ex Aristotele traduxit, Sepulveda mire castigavit, ab aliis nihilominus non nullo in pretio habita. Tenuibus initiis usus (nam Venetiis primum corrigendis typorum erroribus operam navabat) Joannem ante alios, Cardinalem & Legatum Medicem, nactus est Mœcenatem; cui & in ipso hoc Dialogo primariam personam assignavit, duos libros, quibus eum divisit, Medicem Legatum priorem & posteriorem, exemplo Platonis appellans, qui Alcibiadem priorem & posteriorem scripsit. Itaque Florentiæ publicam profitendi provinciam nactus, simul atque Joannem Medicem, Pontificem electum intellexerat, nondum impetrata discedendi venia, cum duo forte festa inciderent, quibus a Lectionibus vacare solent Professores, Romam evolat. Etsi vero initio non omnia

prona reperiſſet, quod Clemens VII Pont. facile e tanto faſtigio veteres amicos deſpiceret, ejusque commodis Academici Romani obſtreperent, inde tamen Eloquentiæ Profeſſionem accepit, quam magna auditorum frequentia Demoſthenis explicatione obivit, minori tamen ob Columnenſes turbas fructu, & ut Tuſcus auctor ait, *per l'amor di Dio*. Cum deinde in expugnatione Urbis, Pontificem in arcem Æliam ſecutus, a Cæſareanis brachium ſauciatus eſſet, vulnus hoc duabus ſplendidiſſimis orationibus de clade Romanorum ultus eſt. Tandem ingrati viri exemplum dedit, quandoquidem deſerto Pontifice in Columnenſium familiam commigravit. De libro ejus de Exilio Paulus Manutius, Antonius Verderius, Victorius item, Colomeſius, Abercrombius, & multi alii Paulum Jovium ſecuti, ita exiſtimarunt, quod ea elegantia conſcriptus ſit, ut longe præſtantiorem, atque adeo ipſum Ciceronem auctorem habuiſſe, neceſſe ſit. Itaque eum ajunt Ciceronis de Gloria librum integrum, cujus hodie non niſi fragmenta exſtant, in manibus habuiſſe & paſſim expilatum, ne pateret plagium, igne cremaſſe. Plura Jovius addit in contumeliam Alcyonii; quod hoc magis mirum videri illis debet, qui ab Alcyonio in his ipſis de Exilio libris, laudandi imprimis Jovii occaſionem, alieno ferme loco ſtudioſe arreptam obſervabunt p. 150. At noſter Richardi Bentleji, aliorumque ſaniorem ſententiam ſecutus, aliter ſentit, cum maxime Jovium eo in Alcyonium male animatum conſtet, quod eum hiſtoriam, cui ſcribendæ laudem ſibi præripi nolebat, meditari pariter accepiſſet. Prodiit vero hoc opus Alcyonii Venetiis primum A. 1522 ex Aldina typographia, quæ editio tanto eſt in pretio, ut nuper, cum Gudiana Bibliotheca ſub haſta venderetur, undecim marcis Hamburgenſibus veniret. Inde & cum Cardani libris de Sapientia & Conſolatione Aureliop. 1624, & ſeorſim Baſileæ 1546 recuſum eſt, curante Jo. Heroldo Hæchſtetten, qui eruditam præfationem præmiſit; utraque tamen editio rariſſime proſtat, & hæc adeo infrequens eſt, ut ipſam doctiſſimi Bælii notitiam fugerit. Ceterum Menckenius longe plura eruditorum infelicium exempla, quam in hoc volumine continentur, produ-

producere ſe potuiſſe teſtatur, & velut ſpeciminis loco ex Anglica gente aliquos producit. Franciſcum nempe Baconem Verulamium paupertate prope in ſenectute oppreſſum, Thomam Fullerum & Richardum Bakerum, Hiſtoricos, & Robertum Greene, Poetam, pauperrimos omnes, Jacobum Uſſerium ex Hibernia exulem, Joannem Lelandum phreneſi, & Simonem Thurwayum, rerum omnium ignorantia, in extrema vitæ parte laborantes, Fiſcherum & Cannerum cœcos natos, Joh. Miltonum, non una in re infelicem, Thomam Morum, pluresque alios extremo ſupplicio affectos, nec non Jacobum Chaloner, Henricum Butts, Vice-Cancellarium Cantabrigienſem, & Thomam Creech αὐτόχειρες. Nec tacemus denique, ſpem fieri, elegantisſimas Joh. Antonii Campani, cujus hic de Miſeria Poetarum poema pag. 486. inſertum videas, Epiſtolas propediem noſtris pariter typis in lucem prodituras.

LIBRI NOVI ANGLICI.

THe Poſthumous Works of Robert Hooke, containing his Cutlerian Lectures, and other Diſcourſes, read at the Meetings of the Illuſtrious Royal Society; publiſh'd by Richard Waller, R. S. Secr. London by Sam. Smith and Benj. Walford, 1705. fol.

The New World of Words, or an Univerſal Engliſh Dictionary, compiled by Edward Phillips. The Sixth Edition, with the Addition of near 20000 Words, by J. K. London for J. Phillips, 1706. fol.

An Eſſay concerning Humane Underſtanding, vvritten by John Locke, Gent. The fifth Edition, with large Additions. London for Awnsham and John Churchill &c. 1706. fol.

Silva, or a Diſcourſe of Foreſt-Trees, and the Propagation of the Timber: Terra, a Philoſophical Eſſay of Earth, to which is annexed Pomona, or an Appendix concerning Fruit-Trees, in relation to Cyder: alſo Acetaria, or, a Diſcourſe of Sallets, with Calendarium Hortenſe &c. The

fourth Edition, much inlargd by John Evelyn, Fellow of the Royal Society. London for Rob. Scot, 1706. fol.

Optice, sive de Reflexionibus, Refractionibus, Inflexionibus, & Coloribus Lucis Libri III. Authore Isaaco Newton. Latine reddidit Sam. Clarke. Accedunt Tractatus ejusdem Autoris duo, de Speciebus & Magnitudine Figurarum curvilinearum. Londini apud Sam. Smith & Benj. Walford, 1706. 4.

Synopsis Palmariorum Matheseos: Or, a New Introduction to the Mathematics. By W. Jones. London for Jeff. Wale, 1706. 8.

Eliza: an Epick Poëm. By Richard Blackmore. London for Auwsham and J. Churchil, 1705. fol.

Miscellaneous Tracts Volumen II. & III. By Michaël Geddes. London for A. and J. Churchil, 1705. 1706. 8.

Holy David and his Old English Translators clear'd. London for Knaplock, 1706. 8.

Miscellanea Curiosa, being a Collection of some of the Principal Phænomena in Nature accounted for by the gretest Philosophers of this Age. London for Jeffery Wale, 1706. 8.

Pharmacopœia Bateana. Or, Bates's Dispensatory &c. with Emendations, and enlarged by Will. Salmon. London for Sam. Smith and B. Walford, 1706. 8.

Praxis Medica. The Practice of Physick. Or Sydenham's Processus integri, inlarged by Will. Salmon. London by Sam. Smith and Benj. Walford, 1707. 18.

Novus Græcorum Epigrammatum & Poematum Delectus, cum nova versione & notis. Opera Thomæ Johnson. Londini apud Sam. Smith & B. Walford, 1706. 8.

The History af Cold Bathing. In two Parts. The first written by John Floyer. The second by Edward Baynard. London for S. Smith and Benj. Walford.

Præsa.

Præſagium Medicum, or, the Prognoſtick Signs of Acute Diſeaſes. By James Harvey. London for George Strahan 1706. 8.

Sea Diſeaſes: Or, a Treatiſe of their Nature, Cauſes, and Cure. By W. Cockburn. London for George Strahan, 706. 8.

A Collection of Miſcellanies: conſiſting of Poems, Eſſays, Diſcourſes and Letters occaſionally written. By John Norris. London for Marship, 1706. 8.

Hiſtorical Collections, relating the Originals, Converſions and Revolutions of the Inhabitants of Great Britain to the Norman Conqueſt. London, for John Wyat, 1706. 8.

An Apologetical Vindication of the Church of England. By George Hickes. London for W. Kettilby, 1706. 8.

An Eſſay on the Revelation of St. John &c. to which are added two Diſſertations, the one upon Mark II. 25, 26. the other upon Matthew XXIV &c. with a Collection of Scripture-Prophecies relating to the times after the Coming of de Meſſiah, by William Whiſton, Profeſſor of the Mathematicks. Cambridge for B. Tooke, 1706. 4

Sim. Ocklcji Introductio ad Linguas Orientales, in qua iis diſcendis via munitur, & earum uſus oſtenditur. Cantabrigiæ, impenſis Joh. Ovveni, 1706. 8.

An Epiſtolary Diſcourſe, proving from the Scriptures & the firſt Fathers, that the Soul is a Principle naturally mortal; but immortalized actually by the Pleaſure of God, to Puniſhment, or to Revvard, by its Union vvith the Divine Baptiſmal Spirit; vvherein is proved, that none have the Povver of giving this Divine Immortalizing Spirit, ſince the Apoſtles, but only the Bishops. By Henry Dodvvell. London, for R. Smith 1706. 8.

A Letter to Mr. Dodvvell; vvherein all the Arguments in his Epiſtolary Diſcourſe againſt the Immortality of the Soul are particularly anſvvered, and the Judgment of the Fathers concerning that matter truly repreſented. By Sam. Clarke. London for James Knapton 1706. 8.

Caroli

Caroli Daubuz pro Testimonio Flavii Josephi de Jesu Christo Libri duo. Cum Præfatione Joh. Ern. Grabii. Lond. apud R. Sare, 1706. 8.

Posthumous Works of Mr. John Lock. London printed for A. and J. Churchil, 1706. 8.


An Essay, attempting a more certain and satisfactory Discovery, both of the true Causes of all Diseases, proceeding from vitious Bloods &c. by Barth. Beale M. D. London for Richard Wilkin, 1706. 8.

A Compleate History of England: vvith the Lives of all the Kings and Queens thereof, from the earliest Account of Time, to the Death of his late Majesty King William III. The vvhole illustrated vvith large and useful Notes, taken from divers Manuscripts, and other good Authors. In three Volumes. London for B. Aylmer, R. Bonvvick, S. Smith and B. Walford, W. Freeman &c. 1706. fol. *Liber proxime proditurus.*

The French Churches Apology for the Church of England; Or, the Objection of Dissenters against the Articles, Homilies, Liturgy, and Canons of the English Church, considered and ansvvered upon the Principles of the Reformed Church of France. By J. Bingham. London printed for R. Knaplock, 1706. 8.

Reflexions upon Ridicule, or vvhat it is, that makes a Man ridiculous; and the means to avoid it. London for Tho. Nevvbourough &c. 1706. 8.

Vitæ quorundam eruditissimorum & illustrium virorum, (Jacobi Usserii Archiepiscopi Armachani, Joannis Cosini Episcopi Dunelmensis; Henrici Briggii Geom. Professoris, Joannis Bainbridgii Astron. Professoris, Joannis Gravii Astron. Professoris, Petri Junii, Jacobi Regis Præceptoris, Patricii Junii Bibliothecarii, & Joannis Dee Mathematici Angli) scriptore Thoma Smitho S. Th. D. & Eccl. Angl. Presbytero. Londini apud Dav. Mortier, 1707. 4.



N. II. 49

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Februarii Anni MDCCVII.

EZECHIELIS SPANHEMII, LIBERI BARONIS & Legati Regii, Dissertationes de Præstantia & Usu Numismatum antiquorum. Editio nova. Tomus I.

Londini, impensis Rich. Smith, 1706. fol. Alph. 12.

Immortale opus, priore jam habitu omni eruditorum genti, victa, quæ nationes exercet in rebus ingenium spectantibus, æmulatione atque invidia, maxime spectatum, novò ecce multoque illustriore habitu prodit: secum ipso quasi certante illustrissimo atque excellentissimo ejus Autore, neque se, nisi a seipso superari posse, vel in his quoque, quæ animi causa suscipiat, & quibus a publicis, Regum populorumque salutem concernentibus, negotiis vacare sibi liceat horis, publice demonstrante. Nempe primariæ dignitatis virorum ægre victus precibus, subsecivas, quas Serenissimi Heri sui necessitates, in splendidissime obita ad felicissimam Brittannorum Reginam legatione, ipsi relinquebant horas, retractandis iis, quibus olim rem nummariam ex instituto illustravit, impendere instituit. Maxime dum obviam ejus rei facultatem, imo haut leve incitamentum superadderent, quos versare ipsi ab eo tempore, aut a viris præstantibus vulgatos nosse contigerat, plures antiqui & insignes nummi. Cui instituto illud insuper accedebat, ut, quæ in superiori editione deerant, aut leviter solum ibi erant delibata, plurimum tamen ad prisci æris commendationem

facerent, velut quæ ad veterem Geographiam aut Chronologiam, ad Religionem præterea ac Theologiam gentilium adtinent, nunc demum non parcente dextra conferret. Quod dum egit, id præter expectationem contigit, ut pro quinque prioribus operis antea editi dissertationibus, novem, illæque iisdem insuper aliquanto ampliores, conficerentur, quæ justi jam voluminis mensuram implerent, quod non expectata alterius editione jam solum tenere nos vellet. Continetque adeo illud ea suis ordinata locis, & servata, quam decebat, argumentorum serie, quæ ad tradenda primaria nummarii studii post renatas litteras incunabula, & incrementa respiciunt: ad veterem præterea haut unius gentis, Græcorum maxime ac Romanorum, litteraturam: adde ad civilem ac moralem disciplinam: ad naturalem animalium aut plantarum historiam: ad antiquam, inprimis Græcorum & Barbarorum Regum, Heraclidarum puta, Seleucidarum, Arsacidarum, aliorumque notitiam ac successionem: ad ipsas quoque perscrutandas nobilissimarum urbium origines, dignitates, jura, privilegia, magistratus: quorum omnium cognitionem exhiberent tot vetera bonis fatis nobis servata numismata.

In prima dissertatione, qua veteris numismatis prima & secunda commendatio a dignitate continetur & voluptate, ut ea taceamus, quibus locupletata olim dicta liberaliter fuere, nova plane est de nummis Hebræorum eorumque antiquitate διάλεξις, quam dum dignitatem nummis ab antiquitate conciliatam persequitur, instituit. Qua de re ubi dissidere suffragiis eruditorum senatum concinne fuisset ostensum, eam fere de eo argumento ἐπίκρισιν Vir illustrissimus subjungit. Viros præstantes, minus etiam in hac Orientis literatura exercitatos, de nummorum, Samariticis Assyriisve characteribus signatorum, antiquitate pronunciasse securius, pro affectu, quo vel in Samariticas, vel Assyrias litteras ferrentur. Haut immerito autem, pro nota recutitorum versutia, suspectam esse debere fidem id genus nummorum, qui ab ipsis proferantur. Neque tamen e falsorum aspectu probari continuo, nullos omnino exstitisse cusos aut signatos ante vel post captivitatem Babylonicam Hebræorum

rum nummos, ſed ἀσήμυς omnes fuiſſe & rudis metalli, quod Conringio, Wagenſeilio, Sperlingio viſum. Nempe de ætate, loco & conditione erutorum id genus ac repertorum, quod fertur, in Judæa vicinisve locis nummorum, conſtare oportere, antequam de illorum omnium αὐθεντίᾳ vel νοθείᾳ tuto queat pronunciari. Ex iis enim indiciis rite exploratis, & accurata nummorum iſtius generis inſpectione, confidentius ſtatui poſſe, ab iis maxime, qui nullo hic præjudicio ducti, & præterea uſu aliquo in veterum nummorum tractatione, & facultate exercitati, eos diligenter expendant. Se quidem in præclaris cimeliarchiis incidiſſe ſubinde in Judæorum nummos, & cum Samariticis quidem litteris, quos pro ſinceris ac antiquis agnoſcere compelleretur; adeo omnia bonæ fidei argumenta concurrebant. Neque obſtare, quod ultimorum etiam Regum ævo adpenſi dicuntur nummi, quo minus ſignati ei eſſe potuerint. Jer. XXXII, 9. 10. Sic enim apud Romanos quoque, non aſſes tantum librales adpenſos, verum denarios quoque, argenteosque proinde nummos, quam in rem Caſſiodori locus adducitur. Var. VII, 32. Nec probabile, Judæos ſolos ſignati æris uſu caruiſſe, Gentibus omnibus circumfuſis familiariſſimo. Imo diſerte νόμισμα ſuum, ſat diu ante gentis ſub Romanis excidium, Judæos habuiſſe, probare Antiochi Sidetis edictum, 1 Maccab. XV, 6: ipſosque nummos Simeonis, quibus liberatio Iſraelis commemoretur, additis etiam annis illius liberationis. Primum tamen initium nummorum Judaicorum, an inde ſit arceſſendum cum Conringio, multis rationibus allatis non ſatis liquere demonſtratur, judiciumque omne ea de re Nicolao Toinardo, qui aliquid inſigne in eo genere minari videatur, permittitur.

Non minus nova eſt in eadem diſſertatione de Græcorum antiquiſſimis, qui ſuperſunt, nummis διάσκεψις. Nempe Conringii hic, ante tempus Peloponneſiacum cuſos non dari Græcorum nummos ſtatuentis, error luculenter vel ex nummo Amyntæ, primi eo nomine, ſexti in ſerie Regum Macedoniæ, Cyri Cambyſisve æqualis, confutatur: quem nummum in Theſauri Brandeburgici Vol. III. p. 4 cl. Begerus edidit; multo

 ſci-

scilicet antiquiorem alterius Amyntæ nummo, qui sit postremus
eo nomine Macedoniæ Regum, magni Alexandri avus, quem e
thesauris Gallorum Regiis memoret Harduinus Specim. Chro-
p. 109. nol. V.T. & nummum omnium, qui sunt in Cimeliis, vetustissi-
mum arbitretur, quam Sauoti quoque sententiam meminimus
esse P. IV. c. 17. At utroque tamen haut paulo antiquiorem,
TAB. I. ex illustrissimi Comitis Pembrociæ thesauris primus hic exhibet
Fig. I. p. 18. excellentissimus Autor, vetustissimi eum primo statim aspectu
rudisque operis, hinc senilis barbati capitis cum Phrygio pileo
effigie, illinc monogramma duas litteras A T complexum, re-
præsentantem. Eum *Atyis* igitur esse statuit, non *Mane* qui-
dem primo Lydorum Rege juxta Herodotum prognati, Lydi
autem, a quo genti illi nomen, parentis: id enim, quo minus
affirmare audeat, magnam efficere ait, quæ eidem ab autoribus
tribuitur, vetustatem: sed cujusdam ex Heraclidarum Dyna-
stia Lydiæ Regis, cujus dynastiæ octodecim Regum excidisse no-
mina, magnis Chronologis sit observatum. Immo, si Strabo
Can. Isag. audiendus sit, quod mirum, nec alii cuipiam, nec Scaligero,
p. 327. cui tamen ille Strabonis locus allegatus, fuisse observatum;
secundæ hujus dynastiæ *Atyn* fuisse, ex Herculis quippe & Om-
phales progenie ortum, ad quem pertineant ea omnia, quæ He-
rodotus ac Dionysius, tanquam gesta a vetustiore Atye, primæ
apud Lydos Dynastiæ Rege, referant. Firmare autem illam
L. I. c. 94. de nummo isto conjecturam haut parum, quod Herodotus Ly-
dos πρώτȣς τῶν ἀνθρώπων, ὧν ἡμεῖς ἴδμεν, ΝΟΜΙΣΜΑ
χρυσȣ̃ καὶ ἀργύρȣ ΚΟΨΑΜΕΝΟΥΣ χρήσασθαι dicat, cu-
jus loci diligenter contra clariss. Sperlingium vindiciæ institu-
untur. De aliis antiquissimis Græcorum nummis, quorum non-
nullos DCCC annis Christi natalem antecedere cl. Bernardus
putabat, nihil addimus, cum ipse Vir illustrissimus hic obiter tan-
tum eorum mentionem faciat, uberiusque de iis dicendi, ubi
ad secundam dissertationem perventum fuerit, occasio sese sit
oblatura.

De antiquissimo ære Romano loquens, asses librales su-
peresse, contra doctiss. Vaillantium, qui id in præf. ad familias
Romanas negaverat, non tantum in Museo S. Genovefæ vulga-
tos

ad A. 1707. M. Febr. pag. 52. seqq.

Fig. II.




Fig. I.




Fig. IX.



Fig



Fig. X.






Fig. V



Fig. VI.





Fig. XIV.





Fig. XIII.



Fig. XII.



tos asses librales & semisses allegando, demonstrat; (quales etiam in Cimeliarchio Sereniss. Regis Daniæ esse audimus, & Bibliotheca amplissimi Senatus Lipsiensis asservat) verum ipsi etiam sibi in Cimeliarchio Pembrociano quamplures ejus generis oblatos testatur, ex quibus aliquam multos ære incidi curavit. Inter eos plane singularis nec visus hactenus est quinquessis, (nam quadrussis in Museo S. Genovefæ publicatus extat) seu quinque assium libralium nummus, magnæ, ut ex conspectu ejus & attrectatione pateat, antiquitatis. Ab utraque parte signatum præfert bovem, TAB. I. ex more antiquissimæ pecuniæ. Stipem quoque uncialem præ- Fig. II. terire nefas gravis æris, cum pileato utrinque imberbi capite, Fig. III. quod suspicionem magno Autori facit, ad Vindicium id genus νομίσματος pertinere, quem ob detectam liberorum Bruti cum Tarquiniis conjurationem, libertate aliisque honoribus auctum fuisse constat.

Multo magis quam prior locupletata altera prodit dissertatio, in cujus priore parte commendatio nummorum ab utilitate in re Grammatica instituitur. Primum hic locum tuetur satis prolixa, de litteris Samariticis, & an iis prius quam Assyriacis in sacris voluminibus usi fuerint Judæi, διάσκεψις. Cujus momentum omne cum ipsi postremo Samariticæ scripturæ fautores in veteribus nummis positum esse dicant: siquidem non satis liquido de Thalmudistarum constet suffragio: Hieronymi, Ebraicarum quippe rerum non adeo periti, nulla sit autoritas: Eusebiani vero testimonii lubrica sit fides, ut quod in melioribus codicibus MSS. sive Græcis sive Latinis Chronici ejus sit omissum, ab ipso Scaligero in sua editione deletum; ex nummis demum quid confici possit, Vir magnus inquirit. Id igitur primo censet esse expendendum, si argumentum ex nummis Samariticis valere hic aliquid debeat; an constet de nummorum ejuscemodi ante Babylonicam captivitatem cusorum fide. Hoc porro certum esse, Phœniciam Scripturam, quam eandem pene cum Samaritica censeant Scaliger, Bochartus, alii, subinde haut parum tamen ab ea discedere. Easdemque illas litteras omnium primævas a Cl. Bernardo statui quidem, non tamen extra omne dubium id collocari.

cari. Scaligeri porro singularem plane sententiam esse, statuentis, nulla ab Esra mutatione facta Samariticas litteras a Mose usque ad excidium templi & gentis receptas fuisse, eas autem, quibus hodie utantur Judæi, plane novitias esse, depravatas ex Syriacis ut ex Samariticis istæ. Neque stare vel conciliari posse Conringii sententiam: dum hinc eandem immutatarum ab Esdra literarum adsertionem, & quidem Eusebii ac Hieronymi autoritate tueatur; illinc tamen ex quotidiano & civili Judæorum post Esdram usu, eandem Samariticarum litterarum scripturam a Judæis retentam statuat, litteras vero Assyriacas *nonnisi demum post tempora* Hassamonæorum, h. e. CCCC fere post Esdram annis, imo forte post excidium gentis Romanum in promiscuo usu constitutas fuisse dicat: cum diserte Eusebius & Hieronymus tradant, communibus suam gentem cum Samaritis litteris uti noluisse Esdram, ne iis misceretur. Ceteras Conringii contradictiones illustri Autori observatas prætermimus. Hoc postremo observandum: cum ante & post captivitatem Babylonicam proferantur cusi cum Samariticis litteris Hebræorum nummi, iique pro genuinis ex æquo a Viris eruditis, qui Samariticarum litterarum apud Hebræos antiquitatem propugnant, habiti; hinc utique ex illustris Autoris sententia opinionem de immutata omni illa ab Esdra, juxta Hieronymum, ejusque sententiæ adsertores Talmudicos aut Christianos, scriptura, ac vetustiori Samaritica Samaritanis post captivitatem relicta, plane corruere, aut vero labare eorundem nummorum fidem, ita, ut nihil certi inde in dijudicanda hac lite possit definiri. Id interea fatetur, e Judaicis illis, qui hactenus cum Samariticis litteris prostant, minus dubiæ fidei ac vetustatis visos, qui post captivitatem demum signati occurrebant. Quo in genere æreos tres ex Cimeliarchio Pembrociano exhibet atque explicat, qui ejusdem tamen sunt signaturæ, seque mutuo supplent & explicant. Continent nempe memoriam juxta magnum, quem allegat, antistitem Loydium, libertatis Simeonis Sacerdotis summi ætate restitutæ, quod notat inscriptio חרות שתים שנת quemadmodum alii quidam nummi Samaritici, in quibus mentio גאלת *Redemtionis*, ad templi Encænia, a Juda Maccabæo facta,

facta, pertineant. Sed ea de re plura non addam, quod hanc ſententiam jam publicam fecerit cl. Gagnerius in epiſtola, qua Relandianam nummorum quorundam Samariticorum explicationem confutavit. Ex hujusmodi vero nummis firmari ſententiam Buxtorfii & Lightfooti cenſet, eorumque, quos illi allegant, Talmudicorum, qua legem Aſſyriacis litteris a Deo datam ajunt, Judæos vero cis Jordanem ſcriptura deinde uſos, & quidem in rebus profanis, qua Cuthæi ſeu Samaritani ſolent: quam in rem duo ante a Viris doctis non obſervata loca producit, alterum Maiemonidæ in Miſchn. Maſſecoth Jadim IV, 5. alterum Obadiæ de Bartenora in Miſchn. Tract. de Lotione manuum c. V. §. 6. p. 490 Tom. VI. Ed. Amſtel. Quibus omnibus ſuffragantem Theologi clariſſimi Petri Allixii adducit ad ſe datam epiſtolam, ex qua, paulo quippe prolixiore, id ſaltem liceat annotare, quod Hieronymum, qui ſolus relinquitur traditionis de litteris ab Esra immutatis autor, accepiſſe hoc ſomnium exiſtimet ab ejus furfuris Judæo, quales fuere, ex quorum officina prodiit Liber IV. Eſræ, qui concinnatus ſit a Judæo facto Montaniſta. Eo enim c. 14. ſtatui, totam Bibliothecam ſacram in excidio urbis periiſſe, atque adeo ab Esdra Deo dictante fuiſſe reparatam. Hoc nempe ſemel poſito, nihil proclivius fuiſſe, quam credere, characteres etiam antiquos ab Esdra fuiſſe mutatos, in gratiam plebis, quæ ſacram linguam in captivitate dedidicerat.

De Phœnicum porro litteratura haut paulo magis quam antea luculenter Vir illuſtriſſimus diſſerit, vetereque mutata ſententia jam propiores eas litteris Samariticis quam Aſſyriacis agnoſcit, variisque Virorum doctorum circa eas caſtigatis erroribus, in uſum eorum, qui Samariticis Phœniciisque monimentis aliquid operæ dare voluptati ſibi ducunt, diagramma ſubjungit, quo juxta cum Alphabeto Hebraico, primo Phœnicium quale a Scaligero, inde quale a Bocharto exhibitum fuit, repræſentatur: Samaritanum porro Numiſmaticum, quale ex Judaicis & Africanis nummis Ed. Bernhardus collegit, & poſtremo Babylonicum & Judaicum ab eodem deſcriptum.

Diſcurſui de Græcorum litteratura Eduardi Bernardi rurſus præmittit diagramma, quo quadruplex Alphabetum Græcum,

cum, Cadmi ſcilicet, Simonidis, ſive Atticum, Alexandri M, atque Conſtantini M. prout ea quidem ex nummis, aliisque antiquis monimentis concinnaverat Bernardus, cum litteris Samaritanis ſive Phœniciis comparantur, atque ex iisdem derivantur. In eo autem notam incurrere cenſoriam Viro illuſtriſſimo Bernardus videtur, quod Alphabetum Cadmi XXII abſolvat litteris, cum non modo XVI tantum litteras Cadmum Græcis tradidiſſe, veteres ſcribant plerique omnes: ſed & Fαῦ, Σσαδδὶ & Κόππα non adeo pro litteris habitas eſſe, (quamvis tamen de ϙ Koppa paulo poſt notet, in antiquiſſimis nummis illud inveniri non ἐπισήμου, ſed litteræ K vices obiens, adeoque non abs re forte in Cadmeis cenſeri) ζῆτα autem, ἦτα, θῆτα, ξῖ longe recentiores autores habere conſtet, atque adeo alphabetum XXII litterarum multis demum poſt Cadmum ſeculis fuerit completum. Imo & Ionicum jure dici poſſe Cadmi Alphabetum, dubium reddi, ſi iis ſit locus, quæ Salmaſio de alphabeto Ionico diſputata fuere. Bœotis enim, non Ionibus ab eo id eſſe traditum: inde a Pelasgis primo uſurpatum, unde Pelasgicum dictum, autore Diodoro: porro a Palamede & Epicharmo, Dorici generis hominibus auctum, ut ne tum quidem Ionicum dici queat. Imo, ne novis quidem ſuppletum augmentis a Simonide Ceio, Dorio homine, potuiſſe Ionicum appellari, quod perperam tamen viſum Salmaſio ad Inſcript. Herod. p. 32. & in Addend. p. 132. Nec tamen etiam errorem eum feliciter emendaſſe in poſterioribus addendis p. 228, ubi Ionicum Alphabetum dictum eſſe a Calliſtrato Samio, qui repertas variis temporibus litteras in unum coegerit in Samo, e Tzetze doceat, cum meliorem ejus rei autorem Andronem dare potuiſſet ex Suida, Ephorusque etiam cujus primus Vir ill. jam locum producit, apud ineditum Homeri interpretem, qui in Iſ. Voſſii libris fuit, Peloponneſiaci belli temporibus, hanc Grammaticam adtuliſſe Calliſtratum, & Athenienſibus tradidiſſe teſtetur. Sed ſalvam tamen rem eſſe, neque obſtare debere male a Salmaſio diſputata Bernardo, quo minus Ionicum dicat Cadmeum alphabetum, in ſequentibus oſtenditur. Nempe diſerte Herodotum, qui ante bellum Pelopon-

L. V. c. 58.

loponnesiacum scripsit, dicere, illatis in Græciam a Phœnicibus, qui cum Cadmo advenerant, litteris, a vicinis Jonibus eas in usum receptas & immutatas fuisse, sparsaque ea de re ab ipsis fama obtinuisse, ut Phœniciæ eædem litteræ vocarentur: quibus mox addit, se vidisse in antiquis Thebanorum inscriptionibus litterarum elementa, τὰ πολλὰ ὅμοια ἐόντα τοῖς Ἰωνικοῖσι. Unde & a Phœniciis primum litteras in Græciam illatas, & ab Ionibus, a quibus acceptæ, immutatæ, divulgatæ fuere, Herodoti ævo appellatas, & Ionicas has cum Phœniciis, quibus signati erant Thebanorum tripodes, easdem fuisse affirmatur. Imo nec a Callistrato Samio XXIV litteras primum fuisse constitutas ostenditur, sed a Palamede & Simonide Ceio vel coævo ei Epicharmo, ut ex Plinio, Mario Victorino, aliisque constet, atque adeo hoc solum relinqui, ut deinde a Callistrato Samio constituta plenius, & ubique ab Ionibus, quin & Atheniensibus recepta dicatur Ionici illius XXIV litterarum Alphabeti forma. Quod autem porro Bernardus e nummis Siculis, Æginensibus, Bœotis, Atticis, aliisque collectum sibi Cadmeum sive Ionicum dicit Alphabetum, & quidem 1500 annos ante Christum natum conflatis, id suspectum viro summo. Ægienses sane inprimis nummos hactenus nemini conspectos esse Elagabalo antiquiores. Præterea Achaicos, Atticos, & Bœotos nummos, in quibus ad caput Diagrammatis sui Bernardus A Argos, FEI Epidaurum, ΘE Thebas, AΘE Athenas notare ait, DCCC annis Christi natalem haut antecedere, neque vel istam ætatem ista signa arguere. Præterea Θ non ex Cadmeis, sed autore Aristotele, ex Epicharmo inventis esse, non integris D ante Christum annis: Athenienses vero, diu post constitutam formam Alphabeti XXIV litterarum, Cadmeam tamen retinuisse, & ATHE, scripsisse pro AΘE. Denique æreos nummos sub Archonte demum Callia Athenis cudi cœpisse, testibus Grammaticis ad Aristophanem, qui proinde quinque ante Christum seculis multo sint juniores. Eadem vero ratione, a littera Θ petita, Thebanorum quoque nummos, non attingere ætatem a Bernardo indicatam, evinci. Quin & colligi ex istis minus convenientem, a veteribus traditis esse ejusdem senten-

tiam, qua Simonidis alphabetum cum Attico idem faciat, cum & Dorius Simonides fuerit, cui non major cum Atticis, quam cum Ionibus cognatio, & diu post Simonidem Cadmeis litteris usos Athenienses constet. Minime omnium Atticos, imo nec cetera monimenta, ex quibus confici debuisset a Bernardo hoc Simonidis alphabetum, tria episema Faῦ, Σαδδὶ, & Κόππα, quæ tanquam litteræ in hoc alphabeto censeantur, pro talibus usurpasse, nisi quod Koppa in antiquissimis quibusdam nummis vices τῦ K sustineat. Hæc de istis Bernardi diagrammatibus litterarum Græcarum, nam de Alexandri M. quidem alphabeto, prout ab eo exhibetur, liquida omnia Vir illustrissimus esse existimat.

Mutatarum autem litterarum Græcarum eam fere rationem edocet, ut scilicet primo Græcis traditas esse ipsissimas Phœnicum litteras ex Herod. V, 58 adstruat, inde ex eodem eorum cum sono modulum ab ipsis Phœnicibus mutatum, observet. Porro ab Ionibus magis immutatas agnoscat: quibus tamen mutationibus non longe a prima Phœniciarum litterarum forma recessum esse, vel ex eo constare ait, quod Thebis incisas vere Cadmeas litteras, Ionicis non dissimiles, Herodotus agnoscat. At nec Ionicarum eandem faciem semper mansisse, ut ex nummis constet & lapidibus. Sic enim literam H in Siculorum antiquis, Himeræorum puta & Selinuntiorum, Bœotorum item & urbis *Ismenes* nummis, non η, sed adspirationem notare. Exempla τῦ ϙ Koppa pro littera K, non ἐπισήμῳ, positi in nummis Crotoniatarum, Syracusanorum, & Corinthiorum esse, ut quæ de variis litterarum Ȯ & Ω itemque Π Z Σ & aliarum figuris in antiquo ære observavit, nunc taceamus.

De Gothicis & Latinis litteris, in priore opere dictis, non adeo multa accessere, ipsa tamen alphabeta Latina varii generis cum Gothicis una & Runicis exhibentur. Paulo liberalius aucta invenimus, de varia litterarum permutatione & orthographia disputata. Sed illis diutius haut immorabimur, cum non omnes æque Lectores talibus capiantur. Ad tertiam igitur progredimur dissertationem, totam fere novam, cum eam partem vix paucis in priore opere tactam observemus, qua, quid

ad ci-

ad civilem morumque doctrinam conferat æris antiqui studium, ostenditur. Hic primum, quid ad utrumque nummi Græci conferant, docetur: Senatusque & Populi in urbibus ex iisdem observato regimine, rarissimus nummus, isque ineditus hucusque producitur, in quo signatus habetur ab altera parte ΙΕΡΟΣ ΔΗΜΟΣ, in altera vas ingens, solitum ludorum præmium, & voces ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ ΠΥΘΙΑ. Inde de variis Provinciarum Romanarum Rectoribus in nummis Græcis, de cultu Romæ ac Senatus in nummis Græcarum urbium, de juribus & privilegiis urbium in Græcis nummis consignatis, de fœderibus, societatibus, & concordia in iisdem, virtutum item, vel abundantiæ & felicitatis symbolis, agitur. Similique inde modo, quæ ad civilem & moralem doctrinam pertinent, in nummis Romanorum spectantur. Ubi de virtutibus in nummis Augustorum Augustarumque, Principumque beneficiis & parta ab illis felicitate publica copiose disseritur. TAB. I. Fig. IV. p. 134.

Succedit quarta dissertatio, de Utilitate Nummorum ad historiam animalium: In qua inter alia multa Vir illustrissimus, quo est candore, non valde opportune in priore editione a se allegatos duos veteris Epigrammatis versus de Delphinis fatetur, quos ineditos crediderat. Scriptam vero ob eos sibi a cl. Gronovio plagii dicam, pariter ac ob fragmenta Callimachi, quæ idem Vir doctus *grassatione nefanda*, & *per teterrima furta* ad novam illius Poetæ editionem a Spanhemio atque Bentlejo contrectata, conquestus fuerat, de quibus jam ad Helladium monuerit Meursius, & quæ proinde ab ea *fœditate*, qua inde nempe illi inquinentur, sint *liberanda*, strenue amolitur. Quemadmodum & in præfatione, ob consimilia humanitatis specimina alia, modeste & graviter Virum illum clarissimum compellat, & censuræ in Republica litteraria perpetuæ, modo ne Domitiani ingenio administrandæ, iniquitatem ei exprobrat. Nova autem plane sunt, ut ceterorum supplementa innumera taceamus, quæ de *phoca* & *phocæna* in hac dissertatione ex nummis disseruit, ubi contra Harduinum ostendit, non phocam quidem, bene phocænam tamen esse, quæ in nummis Phocæensium exhibetur, ipsas origines appellationis *Phoceæ*, ut Heracli- Fig. V. p. 235.

dis de Politiis testimonio ostenditur indicantem, neque adeo primo Sponio in mentem ejus rei venisse, quod Harduinus putaverat, demonstrat.

Idem de animalibus argumentum continuatur per totam Dissertationem quintam. In qua primum locum statim obtinet capricornus, quo insignitum præterire non possumus singularem nummum, urbis plane ignotæ, ΑΓΟΥΣΤΑΝΩΝ, quam inscriptionem ad Siciliæ *Agostam*, quod nulla ejus apud antiquos mentio sit, illustrissimus Autor referre veretur, ut quærendum supersit, cujus ille nummus urbis gentisve esse debeat. Harpyiæ ex nummis Brandenburgicis in hac dissertatione nunc demum producuntur. Inde vero sexta de Utilitate Nummorum ad historiam plantarum agitur. Hic de Silphio dum differitur, singularis Gazæ Regis Galliarum exhibetur nummus, altera parte Jovis Ammonis caput cum IV litteris ΒΑΡΚ, *Barcen* urbem, quæ erat una ex Cyrenaicæ Pentapoleos, designantibus, altera Silphium repræsentans: alium item ex Pembrociano cimeliarchio cum eodem Jovis capite, aquila fulmini insistente, monogrammate & caulis Silphii parte. Inter nummos cum malis Hesperidum refert, qualem alibi nuspiam se observasse meminit, inter cimelia Viri præclari Christophori Vreen obvium, altera parte caput leonis, altera arborem Aurantiæ similem exhibentem, nulla addita inscriptione. Quem tamen ex illis signis colligit, in Africana aliqua Mauritaniæ, velut Lixi aut Cyrenaicæ urbe esse signatum. Et ut alia infinita taceam, Balsami Judaici figuram, ignotam fere, ex duobus nummis, Samaritico altero, altero Romano, accuratius nunc delineatis, exhibet. Sed ecce ad dimidium vix nobis perducta amplissimi operis historia, jamque tamen chartæ implevimus affatim. Quamobrem consultius ducimus, ut, abrupto hic recensionis filo, ad proximum mensem, quod restat, differamus, quo longe nobilissimam operis partem, historiam quæ concernit, veterisque æris in ea utilitatem percurremus.

TAB. I. Fig. VI. p. 240.
Fig. VII. p. 296.
Fig. VIII. p. 297.
Fig. IX. p. 335.
Fig. X. XI. p. 360.

ANT. PAGI CRITICA HISTORICO-CHRONOLOGICA in Annales Baronii. Tomus IV. Studio FRANC. PAGI.

Colo-

Coloniæ Allobrogum, sumptibus Societatis, 1705. fol.
Constat Alphab. 9.

TUrpem rerum divinarum humanarumque ignorantiam pessimos parere mores, & in omnem præcipitare scelerum libidinem, vel solus satis confirmat, quem historia Tomi hujus IV complectitur, Ecclesiæ status. Observavimus in Actis nostris anno superiori pag. 433 ex recensione Tomi III, fugatas ex foro & Ecclesia litteras, insecutam esse barbariem & superstitionem profundissimam. Misera isthæc hominum ætas protulit progeniem avis sane adhuc pejorem, flagitiis addictam nefandis, a quibus etiam gentiles verecundia absterruit. Quamvis autem scelerum, tunc temporis grassantium, ignominia viri, adeo in Republica sacra pariter ac civili principes, dignitatem suam conspurcarint turpissime, eo tamen non obstante, odiosum hoc historiæ emendatæ intervallum clariss. Auctor tali continuavit candore, ut nec summorum Ecclesiæ Romanæ Episcoporum vitia silentio præteriret. Vel ideo non indignus erit Tomus præsens ultimus, ex quo, more nobis consueto, excerpamus pauca quædam memoria digniora, quæ scriptoris industriam confirment ulterius, atque demonstrent. Telam autem narrationis suæ, a primo orsus Germanorum Imperatore Ottone Magno, ad Papam Innocentium III pertexuit, An. C. 1198 ad dignitatem Pontificis progressum, quo ipso Auctor labori coronidem imposuit. Nomen augusti hujus Principis invisum fuisse curiæ Romanæ, palam omnino rerum hoc tempore gestarum peritis, neque Noster circa An. C. 962 & sequentes reticuit, unde in odium istud inciderit: videlicet, quod decreto de ordinando coram Cæsaris Legato Papa, exauctoratione Johannis XII, atque aliis constitutionibus Pontifices in ordinem redegit. Attamen repetiit simul, & in laudem ejus probavit ex scriptoribus coætaneis Reginone, Luitprando, & aliis, curam ab ipso sacris instaurandis adhibitam, præsertim quod confirmaverit donationes Pipini & Caroli M, non autem Ludovici Pii, cujus diploma suppostitium esse largitur, item quod A. C. 967, Romanos, qui Johannem XIII expulerant, justo affecit supplicio, & Magdeburgensem Archi-Episcopatum in Regno Saxonum

juxta Albim, ut epistolæ Pontificis verbis utar, instituit. A. C. 964 Benedictum V, eo quod, invito Imperatore Ottone, electus erat, capta urbe remotum esse a dignitate sua & custodiæ Adaldegi Archi-Episcopi Hamburgensis traditum, deductumque ab eo Hamburgum ibidem obiisse, cujus cenotaphium in templo cathedrali adhuc sit conspicuum, sed valde immutatum & corruptum. Ad A. C. 965 erudite differit de Ecclesia Poloniæ, eamque ab Andrea Apostolo fidei quidem lucem accepisse concedit, quæ vero temporum injuria adeo postea iterum obtenebrata sit, ut ad præsentem usque annum, quo Miecislaus, Poloniarum Regum primus, Christi sacris initiatus est, nullus publico nomine religionem Christianam palam profiteri auderet. A. C. 967 Heroldum, Archi-Episcopum Salisburgensem, utroque antea orbatum oculo, eo quod seditionem excitaverat in Imperatorem, & Ecclesias deprædatus, multum Christianorum effuderat sanguinem, in Concilio Ravennatensi remotum esse ab officio. A. C. 969 alligavit nefandam Imperatoris Phocæ necem, a successore ejus Johanne patratam, qui ipse postea anno 975 veneno interiit. Circa A. C. 970 differit de pœnitentia Edgari, Angliæ Regis septennali, a Dunstano ipsi injuncta, ob violatam Edithæ monasterio dicatæ virginitatem, quam non serius contigisse, contra Baronium defendit, quam anno 964. Eodem anno 970 Benedictum VI Papam, laqueo suffocatum, in sede Pontificis Bonifacium VII excepisse ex Sigeberti Chronico efficit. Circa A. C. 975 cometam refert comparuisse, terrorem omnibus incutientem, ex cujus conspectu fausta complurima augurati sint Imperatori Symeones, Logotheta atque Magister, nec non Stephanus Nicomediensis Præsul, viri ea ætate doctrina clari, sed plane contrarium evenisse. Ibidem agit de vera Symeonis Metaphrastis ætate, quem ad hunc usque annum superasse statuit, sicuti & Suidam eodem floruisse tempore, ex evolutione vocis Ἀδαμαί, quæ in Lexico ejus obvia est, colligit. A. C. 979 Piligrinum, Archi-Episcopum Laureacensem, Hungarorum conversioni dedisse operam, ex litteris ejus a Lambecio lib. 2. Biblioth. Cæsareæ p. 6410 reci-

recitatis observat. A.C. 980 tribuit persecutionem Christianorum in Dania, quam Sueno excitavit, ejurata in Christum fide, paulo ante cum patre suo Haraldo suscepta. Ad A. C. 987 eruit ex collatione Elmacini Historiæ Sarac. cum Cedreno & Sigismundo Herbersteino, circa hanc ætatem Russos seu Moscovitas sub Imperatore Basilio Christianam à Græcis accepisse fidem, qui vero nondum tunc temporis schismatis atque hæreseos rei fuerunt, id quod contra Possevinum pluribus propugnat. A. C. 993 Udalricum, Episcopum Augustensem, relatum ait in album sanctorum a Johanne XV, eumque primum fuisse, qui hoc honore mactatus sit, adversus Baronium ex Mabillonio aliisque demonstrat. Circa A. C. 996 ex Codice Diplomatico Excellentiss. Leibnitii, & monumentis quibusdam aliis efficere studet, institutionem septem Imperii Electorum Gregorio V Papæ male esse adscriptam, medio enim circiter seculo XIII, & non antea, Collegium istud illustre in electione Regis Germaniæ prævaluisse, idque ita quidem, ut numerus Electorum exiguus potentiorum usurpationi adscribendus videatur, cum antea omnes Proceres jus in electione Germanorum Regis possederint atque usurparint, neque illi renunciasse eos ex antiquis scriptoribus pateat. Ad A. C. 999 Goldastum refellit, quod Silvestrum II ab Ottone III Papam creatum, ex subdititia quadam Imperii constitutione probare ausus sit. A. C. 1002 vitam cum morte commutasse vult Ottonem III, *mirabilia mundi* vulgo appellatum, ob res præclare gestas, præcipue ob eruditionem, quibus omnes in admirationem rapuit. Circa A. C. 1004 floruisse Fulbertum Carnotensem ac Leutherium Senonensem, quorum prior prodromus vulgo habeatur Berengarii, non quod veritatem corporis Christi negaverit penitus, sed quia tantum dignos illud accipere statuit, quapropter etiam a Roberto Rege acriter sit increpitus. A. C. 1007 Angliam a Danis sæpius hactenus afflictam, tandem tributum solvere illis cœpisse. A. C. 1009 Johanni XVIII successisse Sergium IV, ante occupatam Pontificis sedem *os porci* vocatum, quod nomen ab Historicis perperam Sergio III tribuatur, contra

ra: fidem præstantissimorum Pontificum catalogorum. A.C. 1013. Unwanum refert successisse Libentio in Archi-Episcopatu Bremensi & Hamburgensi, tunc temporis unitis, unde etiam Archi-Episcopi illi, modo Hamburgenses, modo Bremenses ab Historicis appellentur, secus ac Baronius senserit. Hujus autem Unwani præclara esse in Ecclesiam & civitatem Hamburgensem merita. Reconciliatis enim cum Duce Saxoniæ Bernhardo Vandalis, Hamburgum, anno præcedenti ab illis vastatam, instaurasse, Ecclesiam Cathedralem & ædificia alia ex ruderibus resuscitasse, cives passim dispersos undique revocasse, novosque insuper incolas recepisse, opem ei ferente ipso Duce Bernhardo. Ad A. C. 1016 refert primum Normannorum in Apuliam adventum, castigato Baronii parachronismo, bellaque illorum, contra Græcos fortiter gesta, sequentibus annis egregie passim collustrat. Circa A. C. 1020 morem invaluisse docet deferendi sanctorum reliquias in Concilia, ad augendam populi visitantis devotionem. A. C. 1024 Benedicto VIII successisse Johannem XIX, qui ex laico promotus est in Pontificem, inaudito hactenus exemplo. Ad A. C. 1033 depingit ex Victoris III Papæ epistola deplorandum Ecclesiæ statum, grassante præsertim in Italia simonia, ipso Pontifice Benedicto IX sacerdotium numerata pecunia ingresso, qui etiam postea dignitatem suam turpissima vita inquinavit. Ad A. C. 1034 agit de gente Leuticorum, quæ sæpius in Christianos pessime sævit, eamque sitam fuisse ostendit in Germania ad mare Balticum, in Ducatu Megapolitano. Cum A. C. 1039 connectit disquisitionem de Canonicorum Regularium instituto & ortu, & Gabrielem Pennotum refellit, qui eos ab Apostolorum usque ætate derivat, cum nulla hujus instituti in Scriptoribus Ecclesiasticis ante hanc ætatem occurrant vestigia, quin Abælardus, qui seculo demum sequenti floruit, suo tempore novum fuisse testetur. A. C. 1044 inseruit historiam schismatis inter Benedictum IX, Silvestrum III & Gregorium VI, qui eodem tempore in sedem Pontificis involarunt, eorumque simoniam, & alia scelera, neque occultat, neque excusat, ex numero autem verorum Pontificum propterea excludi debere inficiatur. Circa A. C. 1052 animad-

animadvertit, centum & amplius ante præsentem annis cœlibatum neque in pluribus Franciæ & Italiæ partibus, neque in Anglia ac Germania a sacerdotibus passim fuisse observatum. A. C. 1054 Ecclesiam Græcam divisam esse a Latina ait culpa Michaelis Cerulatii Patriarchæ, promovente schisma Michaele Psello, occasione azymorum Romanæ Ecclesiæ in sacra cœna usitatorum, in quo ritu præcipuam controversiæ causam fuisse statuit. A. C. 1058 alligavit ortum Patarinorum ab urbe Pataria dictorum, eo quod in illam secesserant. Fuisse autem Patarios sacerdotes docet, non concubinarios, ut Sigonius refert, sed cœlibatum defendentes, qui etiam Arialdistæ appellati sunt, ab Arialdo Mediolanensi Episcopo, præcipuo conjugii Clericorum oppugnatore. Quod tamen nomen postea etiam aliis hæreticis in Italia præcipue Manichæis a vulgo tributum sit in detestationem omnis veræ fidei corruptionis. A. C. 1059 Nicolaum II, qui superiori anno in locum Stephani IX electus erat, constitutione peculiari electionem Pontificis Cardinalibus adscripsisse, addita in favorem Henrici IV cautela, ne Pontifex antea consecraretur, quam Regi electio esset indicata. Ad A. C. 1063 retulit contentionem Canonicos inter & Petrum Damiani de proprietate bonorum & aliis, quæ in Canonicis improbavit atque rejecit. A. C. 1071 inseruit vitam ac laudem Michaelis Pselli literarum in Oriente instauratoris celeberrimi. A. C. 1085 adsignat obitum Gregorii VII Papæ, cujus cum Henrico IV Imperatore simultates tanto persequitur studio, ut vix quicquam memoratu dignum prætermisisse, & ad suam ætatem omnia revocasse videatur, magis tamen Papæ favet partibus, quam Imperatoris. A. C. 1086 mortuum statuit Anselmum Episcopum Lucensem, scriptorum hac ætate multis, quos exclusit, ingenii fœtibus præstantem, cui etiam Collectio Canonum Ecclesiasticorum tribui soleat, sed reluctante veritate. Multa enim complecti librum hunc Pontificum decreta, ad quorum tempora Anselmus non pervenerit, nec meminisse ejus vitæ ipsius auctorem Sebastianum Tengnagelium, nec Sigeberthum, nec Trithemium. Cum A. C. 1088 connectit mortem Berengarii, quem pestilentissimum quidem hæreticum vocat, sed post multiplices in hæ-

resin relapsus tandem vere resipuisse statuit, secus ac Baronius putavit, id quod probat ex Hildeberti Cenomanensis epitaphio, Francisc. Roii dissertat. de Pœnitentia Berengarii, Clarii Floriacensis Chronico Senonensi & aliis ea de re testimoniis. Ad A. C. 1090 exposuit miram officii Gallicani in Ecclesiis Hispaniæ receptionem. Cum enim ritus Gallis usitatos Clerus populusque totius Hispaniæ omnibus modis recusarent, Regique ac legatis ejus obsequium in mutandis sacris denegarent, commissa est dissensus diremtio pugnæ inter duos & igni. In illa victor evasit miles officii Toletani, in igne in quem & liber officii Toletani & liber officii Gallicani conjectus erat, prior mansit illæsus. Eo tamen non obstante Regis rata fuit voluntas: servandum esse in omnibus Regni sui finibus officium Gallicanum. A. C. 1095 Synodum celebratam esse Claromontanam, ob canonem *de communione sub utraque specie* memoratu dignissimum. Prohibitum enim illo est, *ne quis communicet de altari, nisi corpus separatim & sanguinem similiter sumat, nisi per necessitatem & cautelam.* Auctor noster canonem hunc ex Petro de Marca collustrans, pravam istam consuetudinem, panem vino tinctum in sacra cœna porrigendi fidelibus, male a Baronio adscribi Berengario asserit, cum apud plane alios, disciplinæ ecclesiasticæ ignaros, Græcos præcipue, invaluerit. Adversari hanc eucharistiæ formam institutioni Christi, qui corpus seorsim a sanguine commendaverat, concilio Bracarensi III, quod similem corruptelam damnavit, confirmat. Circa A. C. 1114 floruisse ostendit Petrum Abælardum, cujus vitam, eruditionem, scholam celeberrimam & amores præcipue Heloissæ, virginis eruditionis fama inclutæ, quomodo illis illaqueatus, fidei ipsius ac doctrinæ commissam defloraverit, & ob turpissimum istud scelus membro, quo peccaverat, fuerit mutilatus, paucis collustrat. Cum A. C. 1124 connectit conversionem Pomeranorum per S. Ottonem Episcopum Bambergensem. Ad C. 1153 S. Bernhardum Abbatem Claraevallensem, cum ætatis suæ annum sexagesimum tertium & Præfecturæ cœnobii annum trigesimum octavum explevisset, animam Deo reddidisse sentit, quæque ab eo præclare gesta sunt, summa cum diligentia passim prolixius persecutus

cutus est, atque ad ætatem suam revocavit. A. C. 1164 mortem Petri Lombardi vindicavit, patrem vero ipsi Gratianum & fratrem Petrum Comestorem fuisse, ob diversam horum patriam, inficiatur. Ad A. C. 1176 inter fabulas refert, quæ de reconciliatione Friderici Barbarossæ cum Alexandro III vulgo jactantur, quasi Imperator osculum figens Papæ, dixisset: non tibi, sed Petro; & vicissim Papa osculum admittens, & caput ejus premens, respondisset: & mihi & Petro. A. C. 1197 addit de Valdensibus, quorum historiam jam supra passim tetigerat, eos in Hispania Sabbatatos appellari, quia in sotulari, quod ibi Zabbati vulgo dicitur, signum singulare quoddam, quo ab ipsorum complicibus cognoscerentur, gestabant.

HADRIANI RELANDI DISSERTATIONUM Miscellanearum Pars prima.

Trajecti ad Rhenum, ex officina Guilielmi Broedelet, A. 1706. Plagul. 22.

Singulari Autoris Cl. humanitati debemus, quod eruditissimas ejus dissertationes hic tibi L. B. exhibere queamus. Pro ea enim, qua rem literariam juvare solertia studet, humanissime eas nobiscum communicavit, & quæ præter eas in his Eruditorum Actis speranda habeamus, luculento nobis documento demonstravit. Complectitur prima hæc pars Dissertationum Miscellanearum sex potissimum exercitationes, quas illustri Huetio, harum literarum eximio patrono, dedicavit Cl. Autor, inque iis singulare judicium, ubertimamque optimorum Græciæ, Latii, quin & Orientis, qua patet, Autorum lectionem ostendit. Prima Dissertatio de situ Paradisi terrestris ad Gen. II. v. 10 conscripta est: quod argumentum, ut vel ex his Eruditorum Actis patet, Bocharti, Clerici, Huetii, pluriumque maximorum Virorum ingenia, vario quidem successu, occupavit. Missis autem aliorum sententiis suam, veritati forte propiorem,
exponit Autor Cl. In Armenia scilicet olim fuisse Paradisum ter- §. 1.
restrem putat, & eo quidem loco, qui medius est inter fontes quatuor fluviorum, Phasidis, Araxis, Tigridis & Euphratis. Distincta enim ipsis fluminibus capita, distincta nomina tribui:

 ergo

§. 2. ergo & ipsa flumina distincta esse, nec pro ramis forte Tigri-
§. 3. dis ac Euphratis haberi debere. Phisonem igitur Phasium esse,
quanquam paulo minorem fluvium, & nominum similitudine,
& situs ratione, & plurimorum testimonio Scriptorum probat.
§. 4. Chavilam vero a Chavila, fratre Ophir, Hebri nepote, nomina-
tam, quam universam circumire Phison dicitur, non esse pro A-
malekitica habendam, vel cum Huetio ad Persici sinus litus col-
locandam, sed in Scythia prope & ultra Colchidem quærendam,
§. 5. putat, quippe ubi, testibus veteribus Scriptoribus, plurima auri
§. 6. pretiosorumque lapidum copia habeatur, & quæ ipso nomine
ac scriptione cum Colchide conveniat, & urbem etiam aliquam
§. 7. Χάβαλα, ejusdem fere cum Chavila nominis, habuerit. Quæ
§. 8. fusius Autor inde a §. VII. ad XV. ex optimis Autoribus pro-
bat: primas Scytharum, antiquissimarum gentium, sedes circa
Colchidem fuisse e Diodoro Siculo observat, aurum optimum
§. 9. 10. in Colchide abundanter provenire, vel ex aurei velleris fabula,
Strabone, Appiano, Solino, Plinio, & Agathia clarissime docet:
nomina lapidum pretiosorum, in Chavila inventorum satisque
omnibus obscurorum, explicat, per ברלח, contra Bochartum,
§. 12. 13. Crystallum Scythiæ optimum, teste Solino, per אבן השרם
§. 14. 15. Smaragdum, pariter Scythiæ præstantissimum, intelligendum
esse, multorum consensu Physicorum evincit. Secundus Para-
disi fluvius, cujus nomen dicitur Gihon, quique totam alluere
terram Cush perhibetur, Autori nostro Araxes est, qui accolis
§. 16. hodie Arras dicatur, & modo Armeniæ, modo Scythiæ flumen
appelletur: quod nomen Arras cum nomine Gihon maximo-
pere conveniat, cum utrumque eruptionem illam & impetum,
quo flumina ferri solent, designet, unde & hoc nomen Persis
commune fluviorum rapidorum sit, cujus rei ignoratio ingen-
§. 17. 18. tem apud Geographos confusionem pepererit. Terram porro
§. 19. Cush, quam ille alluere dicitur, montanam regionem Cussæo-
rum, quæ non longe abfuit ab Araxe, fuisse putat, eque Polybio,
Appiano, Strabone, Diodoro Siculo, Arriano, Plutarcho probat.
Tertium fluvium Chiddekel Tigridem esse, aliis consentientibus
statuit, & Huetio, nomen Tigris e Chiddekel derivanti, annuit:
descriptionem vero, qua is e fontibus suis fluere versus Assyriam
dici-

dicitur, multo aptius suæ, quam vel Huetii, vel alius cujusdam, de situ Paradisi, sententiæ convenire dicit. Quartum denique §. 20.
fluvium Phrat, communi eruditorum sententia, Euphratem esse §. 21.
perhibet: voculam scilicet *Au* vel *Eu* aquam Persis significare, illorumque more nominibus fluviorum propriis jam postponi, jam præponi, erudita digressione ostendit. Horum igitur qua- §. 22.
tuor fluviorum confines ac vicinos esse fontes, inque Armenia cunctos positos, e Strabone, Arriano, Plinio, Diodoro Siculo confirmat, hosque omnes e fluvio uno Edenico ortos præviis sacris literis declarat: quanquam ipse fluvius Edenicus hodie a nemine ostendi possit, ideo, quod cum ipso Paradiso post Parentum lapsum a Deo deletus fuerit, nec ullibi, nisi sub terra forte, inveniri possit. In dissertatione secunda de Rubro Mari duo potissimum examinat Autor Cl. 1. quid pro mari rubro debeat haberi? 2. unde nomen rubri videatur esse deductum? Errare scilicet illos docet, qui maris rubri nomen non ultra sinum Arabicum, quem sicco pede transiverunt Hebræi, extendendum esse putant: quod tamen antiquiores & recentiores Geographi in suis tabulis, & Lexicographi cum Hofmanno fa-
ciant; undeque plures Critici in explicandis Diodori Siculi, §. 1.
Curtii aliorumque Autorum locis crassos satis errores committant. Vastius igitur & remotius æquor a veteribus nomine §. 2.
maris rubri intelligi, quam ut id sinui Arabico tribui possit, existimat. Mare scilicet, quod totam Asiam a meridie alluit, §. 3.
rubrum appellatum fuisse, ex Herodoto, Plutarcho, Dionysio, aliisque docet: illo Indiam terminari ex ejusdem Dionysii περιηγήσει, Livio, Curtio, Mela, confirmat: Sinum Persicum, §. 4.
unde plures gemmæ ac margaritæ eruantur, item Sinum Arabi- §. 5. 6. 7.
cum mare rubrum vel maris rubri sinum dici, e Lucano, Seneca, Propertio, Beroso, pluribus aliis declarat. Hanc suam sen- §. 8.
tentiam porro ex iis Scriptoribus, qui data opera de Rubro Ma- §. 9.
ri scripserunt, Agatharchide & Arriano roborat. In altera §. 10.
Dissertationis hujus parte appellationis hujus maris rubri originem inquirit, eamque non ab Hebræis, quippe quibus non audiat hoc mare rubrum, sed a Græcis Latinisque petendam censet. His igitur ea ἐρυθρὰ appellari, quæ Soli propiora ejus

radiis perusta quasi & rubicunda sint, unde rubicunda Africa, & plaga torrida quoque ἐρυθρὰ Eratostheni, Virgilio aliisque
§. 11. rubens appelletur; rubrum igitur id mare dici, cui Sol quasi supra verticem esset, e pluribus veterum locis erudite contendit.
§. 12. Deinde Fulleri, Scaligeri, Drusii, Bocharti aliorumque Eruditorum communem fere sententiam, qui mare rubrum ab Edom,
§. 13. ejus accolis, vel etiam Rege Erythra in Arabico sinu suffocato, dictum volunt, multo verosimillimis rationibus confutat, & do-
§. 14. 20. ctis ubique digressionibus, multis Poëtarum ac Historicorum Geographorumque locis explicatis, illustrat, adeoque hujus ob-
§. 23. servationis suæ, qua mare rubrum vastum illum Oceanum ab extremis Indiæ litoribus usque ad orientale latus Africæ se extendentem esse evincit, usum in Autorum sacrorum & profanorum lectione luculentissimum ostendit.
§. 1. Tertia Dissertatio agit de monte Garizim. Hujus primo varias appellandi ac scribendi rationes ex Ebræo, Chaldæo, Græco,
§. 2. Arabico, Syro, Samaritano Latinoque idiomate notat: montem benedictum a Samaritanis a benedictionibus olim inde recitatis
§. 3. Deut. XI, 29. a Judæis ob cultum idololatricum ibi institutum פלשנום quasi πελεθῦ ναὸς stercoreum templum dictum ob-
§. 4. servat: ratione etymologica autem montem messorum significare docet. Deinde Epiphanii, magna fiducia hunc montem
§. 5. ad Jerichuntem positum fuisse asseverantis, errorem redarguit.
§. 6. Neque tractum aliquem montium, sed unum omnino contra
§. 7. Gerardum Mercatorem, eumque penes urbem Sichem situm
§. 8. fuisse Judic. IX, 7. ostendit. Ista occasione pluscula de urbe Sichem eleganter examinat. Scilicet Μορθία illam in antiquis nummis, a Plinio vero & Josepho Mamortham & Mabartham a loco vicino Moreh nominatam. Eandem in N. T. Joh. IV, 5.
§. 9. Sichar, quod mendacium notat, ob cultus divini ibi exerciti fal-
§. 10. sitatem dictam: frustra autem ab Eusebio, falsa τῶν LXX
§. 11. translatione loci Gen. XXXIII, 8. seducto, eandem Salem appellatam, nec sine errore Cl. Dherbelotii in Bibliotheca Orientali p.
§. 12. 753. cum urbe Sebaste confusam demonstrat. Deinde ad ipsum montem reversus, singularem ejus altitudinem Judæis fabulæ occasionem dedisse commemorat, ut contra expressa Mosis verba Genes.

Genes. IV, 19 hunc a diluvio separatum non fuisse fingerent.
Quæ de imagine columbæ, a Samaritanis in hoc monte erecta, §. 13.
& culta ab Ebræis, dicantur, ea de Telesmate quodam, ænea
scil. ave, a Romanis ibi constituto, intelligenda, e Scriptoribus
Samaritanis Autor docet. Deinde dum ritum Samaritanorum, §. 14.
ad montem Garizim, dum precabantur, vultus convertentium tradit, Epiphanii fabulam de idolis sub illo monte absconditis examinat, illamque ex historiis Samaritanis perperam intellectis petitam ostendit: deque vasibus sacris ab Ozi Sacerdote 1 Chron. VI, 6. DEI jussu ibi absconditis intelligendam, è Josepho, Libb. Maccabæorum aliisque Samaritanorum monumentis erudite demonstrat. Tandem Theodoti aliquod fragmentum ex Euseb. Præpar. Evang. IX. 22 de situ montis Garizim & Ebal addit, illudque critico examine in quibusdam emendat.
Dissertatione quarta ut de terra Ophir cogitationes suas rectius proponeret Autor Cl. primo certa quædam & indubitata illius
terræ κριτήρια e 2 Chron. IX, 21. & 1 Reg. IX, 27 constituit, ea- §. 1-4.
que omnino regioni circa urbem Ouparam in India, quæ & Suphara dicitur, uti & Ophir Sophira, competere pluribus probat. Urbem quidem Ouparam satis e Ptolomæo, Ammiano §. 5. 6.
Marcellino, Arriano in Periplo notam esse; Ophir autem, quæ & a LXX Interpretibus & a Josepho ac Origene Sophir sive
Sophira perpetuo fere nominetur χρυσικὴν γῆν veteribus Geo- §. 7. 8.
graphis dici, eoque nomine a Χρυσικῷ νήσῳ sive aurea Chersoneso distingui, tractumque illum circa Goam notare, e Mela aliisque perhibet. Huic regioni omnia ista competere, quæ
de Ophir in sacris literis dicantur, docet. Primum ingentem §. 9-10.
ibi auri, argenti, eboris, simiarum & pavonum copiam fuisse, e Diodoro Siculo, Dionysio Periegeta aliisque Geographis ac Poetis probat, qui omnes non solam Chersonesum auream, sed universam Indiam, ut harum rerum feracem, describant, e qua in terram urbemque Ouparam celebre ac maritimum emporium illa quasi confluxerint.
De eboris etiam in hac regione copia §. 11.
Indicorum Elephantorum multitudinem, magnitudinem & sin- §. 12.
gularem præ Africanis præstantiam, tot Autorum testimoniis &
αὐτοψίᾳ probatam, neminem dubitare sinere, existimat. Si- §. 13.
mia-

miarum ac pavonum, quorum tamen loco psittacos substitui mavult noster, lignorum item ac lapidum pretiosorum magnum in Oupara numerum fuisse, ex Æliano & Arriano, Curtio aliisque confirmat: e quibus primum κριτήριον terræ Ophir Ouparæ, quam ea indigitari putat, vindicandum censet. Secundum quoque κριτήριον, quo in tali regione collocandam terram Ophir dicit, ad quam facilior, tutior, ac brevior via sit e portu sinus Arabici, quam maris mediterranei, terram hanc Ouparam designare, ex ipso Ouparæ situ statim patere existimat. Eadem
§. 14. opera & tertium κριτήριον, ne scil. in terra nimis remota Ophir statuatur, e situ Ouparæ deducit, quippe cum Salomonis tempore, imo aliquot post illum seculis, ultra Gangem non pertigerit ullarum gentium navigatio, verosimilius longe putat, naves mercaturæ faciendæ gratia circa loca Ouparæ vicina constitisse, quam easdem ad auream usque Chersonesum pervenisse.
§. 15. Denique quod quartum suppofuerat Autor noster, non tam vicinam Ouparam Judææ fuisse ostendit, quin ad eundum eo ac redeundum pro illorum temporum navigandi modo, triennii fere spatio opus fuerit, cum littora saltem legerent, & interdiu fere tantum navigarent, multisque aliis impedimentis ac ipsa mercium permutatione retardarentur. Quibus omnibus per terram Ophir Ouparam potissimum intelligendam Autor Cl. evinci posse, existimat.

§. 1. Dissertationem quintam de Diis Cabiris scriptam a se occasione dissertationis Cl. Gutberletii, tractatusque Jo. Antonii Astorii, JCti Veneti, de eadem materia fuisse, affirmat. Qui quidem cum in ratione denominandi a Celeb. illis Viris tradita acquiescere non posset, humaniter sane cum eruditis egit, quod
§. 2. suas quoque meditationes iisdem communicavit. Id igitur antiquissimum habuit, ut ostenderet, quot & qui Dii hoc nomine olim in Samothracia culti fuerint. Post Castorem & Pollucem vero quatuor omnino tales fuisse Mnaseæ testimonio a Scholiasta Apollonii Rhodii conservato probat: Cererem scil. Proserpinam, Plutonem & Mercurium. Eos Deos Cabiros i.e. חבירים sive socios, socialia numina, Junctos appellari: quæ appellandi ratio, ut in Geminis Castore & Polluce ultro pateat, ita

ita Cererem ac Proserpinam, Plutonem & Mercurium eodem nomine dictos, putat, quia isti quatuor θεοὶ χθόνιοι Dei inferi in mortuorum cura communes operas jungant, & collegium quasi quoddam constituant. Quæ cura ut singulis competat, prolixe ac erudite docet. Horum sacra ideo nocte celebrata dicit, quod Castor & Pollux non nisi noctu navigantibus profuerint, & reliqui quatuor inter tenebrarum numina relati fuerint. Aliam denique Etimologiæ rationem subjungit, Deosque istos Cabirios appellari, non a כביר magnus, sed a גבר quasi גבירים potentes, censet: quocum illud egregie convenire docet, quod a Varrone Cabiri Samothracum Dii, non *magni*, sed *POTES* nominentur.

§. 4. 5.

§. 5.

§. 6.

§. 7.

§. 8.

Ultima denique Dissertatione veteris linguæ Indicæ λείψανα quædam in lectione Scriptorum veterum occurrentia ordine Alphabetico collegit, & doctis conjecturis illustravit. In pluribus autem, v. g. vocibus Berberi, Byssus, Citrium, Deunus, Sid, aliisque explicandis linguæ Persicæ utilitatem expertus, in ea est opinione: multis olim minus cognitam Indiam fuisse, qui tamen, ut eo magis legentium animos percellerent, Indis multa tribuerint, quæ non nisi Persis accepta ferenda erant. Sane hac quoque opera insignem Orientalium antiquitatum peritiam Cl. Autor testatus, & de optimis Autoribus egregie meritus est. Quod ejus studium pluribus in posterum Erudito Orbi declaratum iri, læta mente ominamur.

PALLADIUM REFORMATORUM A SUA sede destructum, id est, doctrina de absoluta Dei gratia vel decreto ex Cap. IX. Epistolæ ad Romanos subruta & eversa, Autore ADAMO HEROLD, SS. Theol. Doct. Pastore & Superintendente Ileburgensi.

Lipsiæ, apud viduam Brandenburgeri, 1706. in 4.
Alphab. 2. plag. 7.

K Quod

QUod varios hactenus Interpretes tantopere exercuit, nonum Paulinæ ad Romanos Epistolæ Caput, nova nunc methodo a Summe Reverendo Auctore ita pertractatur, ut ubique dispalescat, Apostolo minime propositum esse, doctrinam in eo de electione & reprobratione stabilire, multo minus eum absolutum quoddam Dei in his decretum tradere voluisse, ceu Reformati quidem statuant, istamque doctrinam palladium suum vocare nulli vereantur. Eum in finem veram Apostoli mentem fusius explicare modis omnibus allaborat, quam ὡς ἐν τύπῳ ex Auctoris nostri opinione sic referimus. Partes integri Capitis facit quatuor. *Primam* nuncupat Exordium, in quo a v. 1. ad 6. post gravem & elegantem benevolentiæ captationem, testantem, se minime ex odio Judæorum & affectu præpostero in Gentiles scribere, sed potius ardentissimo erga Judæos amore teneri, tacite Apostolus argumentum suum insinuet, acturum videlicet se de rejectione fratrum suorum, quæ mens ipsius certe ex eo colligatur, quod hanc propriæ salutis dispendio avertere se velle asseveret. Cæterum sententiam suam non statim aperte proposuisse Apostolum, observat, ideo, ne Judæos ad auditum doctrinæ, ipsis adeo exosæ, a diligentiori ejus consideratione abstraheret, & turbatam jam præconceptis opinionibus mentem in cognitione veritatis impediret. Sequi hinc dicit *secundam* Partem, eamque παρασκευαστικὴν, in qua rejiciat Paulus impedimenta hujus doctrinæ gravissima, in exceptionibus contra eam fundata, quarum quidem exceptionum tres omnino constituit, *primam*, de promissionibus Dei ejusque verbo, quæ cessare putentur in rejectione gentis tot privilegiis ornatæ; *secundam*, de jure quodam debiti, quod sibi Judæi imaginentur, quasi Deus ob ipsorum cultum & observantiam legalem ipsis gratiam debeat, ipsosque citra injuriam rejicere non possit; *tertiam*, de justitia punitiva, quam Deus in Judæos reprobos exercere non possit, si ipsos voluntarie rejecerit. Primam proponi atque removeri ait a v. 6. ad 14, secundam a v. 14. ad 19, tertiam a v. 19. ad 24, & e singulis ad singulas responsionibus patere, dicturum esse Paulum

ſum de re poſſibili, quæ nil omnino abſurdi aut iniqui complectatur. In Parte *tertia* propius ad ſcopum accedentem Apoſtolum docere innuit, eandem eſſe a Deo per Prophetas prædictam, adeoque ex hypotheſi incredulitatis Judæorum neceſſario futuram, id quod Hoſeæ atque Jeſaiæ teſtimoniis confirmetur a v. 25. ad 30. Et tum demum in Parte *quarta* totius capitis ſummam ſcopumque exhiberi, qui v. 30. & 31. theſi bimembri proponatur, & duobus verſiculis ultimis per ætiologiam comprobetur. Theſeos bimembris contenta eo tendere perhibet: Gentiles, qui alieni erant a civitate Eccleſiæ, abominabiles Deo, cujus verum cultum negligebant, ejusque, quem idololatria gravisſime offendebant, inimici, etiamſi juſtitiam & modum verum Deum colendi non curabant, nec de eo addiſcendo, ut proſelyti juſtitiæ, ſoliciti erant, tamen ultro prædicatione Evangelii invitati, nullo inter ipſos & Judæos diſcrimine facto, ad Eccleſiam admittuntur, & gratiæ Dei & juſtitiæ veræ, qua Deo placent, participes fiunt, & quidem talis juſtitiæ, quam ſine injuncta obſervatione legis Moſaicæ, ſine omnibus meritis operum legalium, quibus omnino carent, ſtatim credentes impetrant. Contra vero Judæi, populus Dei electus, & non tantum multis, quæ a Deo habent, privilegiis inclytus, ac in arctisſimæ amicitiæ fœdere conſtitutus, ſed & ex ſanctimonia illuſtris, ac in obſervanda lege adeo ſedulus, ut etiam ultra, quam a Deo mandatum erat, obſervationes ſuas extenderent, modum verum placendi Deo non invenerunt, ſed potius cultus eorum legalis nullus, &, mediatore exhibito, irritus, imo, ob accedentem opinionem meriti, damnabilis eſt, ipſique ob incredulitatem jure rejecti ac in ſenſum reprobum traditi ſunt. Ætiologiam reſpicere quidem immediate dicit rejectionem Judæorum, at ſimul tamen ex oppoſito receptionis Gentilium rationem notare, & pro cauſa allegare ſpretum a Judæis conſilium Dei, circa fidem in Chriſtum, ſine operibus legis in ſola Chriſti gratia ſalutem quærentem & impetrantem. Hæc cuncta per luculentam ante omnia analyſin inſinuantur, & per juſtam poſtea exegeſin uberius deducuntur, in qua Reformatorum una detorſiones refutantur, ſervatis in theſi adver-

sariorum definienda plerumque verbis & opinione Christophori Wittichii, Theologi Lugdunensis Batavi, qui inter recentiores præ aliis in impugnandis ex hoc capite Lutheranis suo in Commentario se operosum exhibuit. Tum Loci Communes ex hoc Capite profluentes cumulantur, & luculenta denique Paraphrasis subjungitur.

Das Dispensations-Recht in verbotenen Ehen der Churfürsten 2c.

i. e.

JUS DISPENSANDI IN PROHIBITIS CONJUGIIS Electorum & Statuum aliorumque Imperii Membrorum immediatorum, repræsentatum a JOHANNE JOACHIMO MULLERO, Secretario & Archivario Ducali Saxonico-Vinariensi communi.

Jenæ, impensis Johannis Bielckii, 1706. in 4to.
Alph. 2.

MAteria matrimonialis uti quotidiana est, ita suis semper premitur difficultatibus, adeoque Doctorum ingenia ad perpetuam sui culturam velut provocat. Horum classe etiam censeri voluit doctissimus Autor, qui tribus libris jus dispensandi in prohibitis conjugiis, intuitu Germaniæ, explicavit. Primus liber prohibitionibus matrimoniorum destinatus est, hinc ordine disquiritur, an, & quousque Conjugia jure naturali, Gentium, Divino, in S. Scriptura revelato, Romano, Canonico & provinciali Germanico sint prohibita? In libro Secundo de autoritate horum jurium, sive virtute obligandi, tam quoad Status, quam eorum subditos, sollicitus consultissimus Autor, ostendit, legibus naturalibus in genere, ac in specie, quoad prohibitiones connubiales, omnes, etiam Imperantes, subesse, licet libidinosi quidam Principes incestu naturali se polluerint, &, velando crimini, incestuosa ejusmodi matrimonia aliis quoque permiserint. De legibus divinis, in S. Scriptura revelatis, operosior fere est disquisitio, hinc varias illarum

illarum species Noster distinguit, singularumque autoritatem persequitur, addita prolixiori, de existentia, indole, præceptis & sensu juris divini universalis mere positivi, tractatione. An, & quousque legibus civilibus Status Imperii obligentur, ejus dijudicatio ex statu Reipublicæ dependet: ea igitur res Nostro, de forma Reipublicæ Germanicæ, utrum monarchia, an mixta illa sit, nec non, de juribus Majestatis reservatis & non reservatis, disserendi ansam præbuit, qua disquisitione peracta, Status Imperii jure civili Romano & Recessibus Imperii omnino obligari concludit. Alia quodammodo ratio est juris canonici; nam licet hoc a Statibus Protestantibus in suis territoriis in totum abrogari non posse, censeat Noster, nos tamen illud in rebus, confessioni suæ contrariis, non admittere, simul admonet. Succedunt leges provinciales, quarum indolem & autoritatem ut eo rectius intelligamus, præsupponit clarissimus Autor, Statibus Imperii Majestatem vere talem non competere, nec in Germania occurrere Systema Rerumpublicarum confœderatarum, utut nonnulli utrumque asserere soleant, quorum dogmata, velut ex adulatione aut ignorantia profecta, cordatiores Politici & juris publici Doctores rideant, nec ipsi etiam Principes prudentes approbent: ex his autem tertio infert, leges, a Statibus Imperii latas, non proprie, sed analogice leges esse. Quibus præsuppositis, habitum legum provincialium, tam in ordine ad territoria, quam totum Imperium, ulterius declarat, ac eximiam Domus Electoralis & Ducalis Saxonicæ, in legibus provincialibus, contra jura Imperii antiqua & recentia ferendis, præ aliis Statibus prærogativam commemorat. Atque illa generaliter de jure civili Cæsareo, canonico & constitutionibus provincialibus, dicta doctissimus Autor ad matrimonia deinde transfert, ac quousque, horum intuitu, memoratæ leges Status eorumque subditos obligent, sigillatim edisserit. In libro Tertio ad ipsam dispensationem accedit, ac, præmissa ejus definitione, circa jus naturæ ne Deum quidem dispensare, actum tamen aliquando objecto laudati juris eximere posse, censet. Ex quo ultro consequitur, nec homines dispensationem, juris illius intuitu,

sibi asserere posse, licet olim Ethnici nonnulli, de facto, circa illas prohibitiones dispensaverint. Sed hodie, docente Nostro, inter Christianos pravæ illæ consuetudines cessant, adeo ut ne quidem Papa Romanus impedimenta juris naturalis, ex plerorumque Scriptorum pontificiorum sententia, possit tollere. Circa leges divinas mere positivas, Deum vere & proprie dispensare posse, deinde docet consultissimus Autor, ac, num illo jure aliquando usus sit, an vero saltem nonnullos actus, legibus illis contrarios, connivendo velut, toleraverit, amplius disquirit. Quoad homines tamen leges illæ, ex doctrina Nostri, sunt etiam indispensabiles, quamvis, ut olim quibusdam Gentilibus matrimonia fratrum & sororum fuerunt probata, ita hodie Pontifex jus circa leges divinas positivas dispensandi sibi asserat, id quod variis, ac in specie Henrici VIII Regis Angliæ, fratris viduam Catharinam ducentis, & post viginti annos denuo repudiantis, exemplis illustratur. Sed illa facti sunt; verum enim aliquod jus Papæ competere, datis rationibus, Noster negat, eaque occasione in causas, ob quas summi Imperantes matrimonia, contra jus divinum, inire soleant, inquirit. Circa jus canonicum & civile, qua tale, dispensari posse, satis quidem certum est, cui vero illud jus, intuitu Statuum Imperii, competat, non perinde liquidum censetur, rationibus tamen & quibusdam juris Romani textibus Cæsari illud Noster adscribit, & qua ratione Pontifex id jus Cæsareum ad se traxerit, Scriptoresque pontificii ausus illos defendere soleant, distinctius enarrat. Uti autem Papa jus dispensandi sibi arrogat, ita non insolitum est, ut factam dispensationem iterum revocet, id quod exemplo Bonifacii IX doctissimus Autor declarat. Non tamen arrogatum illud jus papale semper illibatum perstitit. Nam non tantum Imperator Ludovicus Bavarus jus dispensandi in matrimonialibus exercuit, historia hujus rei exempla suppeditante, sed &, post Reformationem, a Protestantibus papalis illa dispensandi potestas plane negari cœpit. Post hanc igitur, ex doctrina Nostri, jus sacrorum, actu quidem primo est penes Cæsarem, sed actus secundus plerumque deficit, quoad Catholicos quidem, injuria & ex falsa ipsorum hypothesi, quoad Pro-

Proteſtantes vero, ex pacto. Juxta hæc itaque Status Catholici, quoad diſpenſationem matrimonialem, tam contra jus humanum, quam divinum, faciendam, Pontifici ſe ſubmittunt, ſed Proteſtantes neque ab hoc, neque a Cæſare, eam vel petunt vel impetrant, cum ipſo velut jure ſint liberi: ne tamen illa libertas legibus divinis repugnet, in caſibus dubiis conſilia peritorum exquirere ſolent. Peculiaris quæſtio eſt, an Pontifex matrimonia Principum Proteſtantium, contra juris canonici prohibitionem inita, nulla declarare poſſit, ſi alter conjugum pontificiam amplectatur religionem? quam, affirmantibus licet Pontificiis, conſultiſſimus Autor negat, totamque controverſiam memorabili exemplo, quod in domo Mecklenburgica, inter Ducem Chriſtianum ejusque conjugem Chriſtinam Margaretham, accidit, illuſtrat, adductis iis, quæ tam a parte Pontificis Alexandri VII, ejusque Nuncii, Cardinalis Barbarini & Cæſaris, quam conjugis Ducalis, proximorum agnatorum & totius Corporis Evangelici in hoc negotio intervenerunt. His abſolutis, ad territoria Noſter tranſit, ac, quousque jus diſpenſandi Statibus vel Pontificiis, vel Proteſtantibus, præcipue quoad ſubditos pontificios, competat, oſtendit, &, num diſpenſatio, in caſu matrimoniali, jure divino, controverſo, conceſſa, etiam extra Principis diſpenſantis territorium effectum habere queat, diſquirit.

DE MORBIS ACUTIS INFANTUM, Editio ſecunda, priori auctior; cui acceſſit Liber, obſervationes de Morbis aliquot gravioribus Medicas complectens; annexis etiam quibusdam de Luis Venereæ origine, natura & curatione, Autore GUALTERO HARRIS, Med. D. Celeberrimi Collegii Medicorum Londinenſium Socio.

Londini, impenſis S. Smith & B. Walford, 1705. in 8. 13 ½ plag.

OCtodecim jam præterlapſi ſunt anni, cum Autor clariſſimus ſuum de Morbis acutis infantum librum orbi literato

rato communicasset, quem pariter anno 1690. in Actis Mens. Junio pag. 296. recensuimus. Prodiit nunc altera ejus editio, quæ non solum auctior priori existit, hinc inde novos continens interjectos paragraphos, sed Observationibus quibusdam raris & scripto de Lue Venerea est locupletata. Ut pauca delibemus ex novis illis additis, p. 52. Mecurium dulcem sexies sublimatum contra febres puerorum comatosas commendat Autor clarissimus. Pag. 81. in vomitu pertinaci & præsertim in illo, qui a lacte vitioso dependet, narcoticorum usum admittit. Pag. 82. infantibus anniculis aut bimulis, pro saburra humorum serosorum & noxiorum ex ventriculo educenda, radicis Epicamannæ gr. XV. propinare jubet. Pag. 84. in Convulsionum intervallis sanguinis modicam detractionem sive per venæsectionem, sive per hirudines, retro aures, aut brachio adhibitas, conducere dicit. Pag. 78. calida alimenta dentientibus infantibus ingerere prohibet; & sub calce libri Materiam Medicam, a veteribus Medicis traditam, non penitus negligendam esse pronunciat, eamque in rem *Justi Molleri*, Germani, *Fasciculum remediorum ex Dioscoride & Matthiolo* Basileæ excusum, etiam atque etiam commendat; nullam vero Materiam Medicam sine methodo medendi ex usu esse asseverat. De cætero etiamsi seculum nostrum nihil nunc in sublimibus cœli, neque in terræ penetralibus, notitiam suam effugere posse arbitretur, proponit tamen Noster problemata quædam de fluxu & refluxu maris, de motu stellarum & terræ, de distantia cœli stellarum fixarum a terra, &c. quæ hactenus a nullo satis explicata ei videantur. Certe si stellæ fixæ tanta magnitudine donentur, quanta Mathematici demonstrant illas constare, supponeret Autor, lucidas illas regiones stellares esse posse spirituum cœlestium proprias ac peculiares sedes, easque fore corporum cœlestium propria domicilia, cum corpora mortalia ac pereuntia in cœlestia & perennia fuerint transmutata, & orbes illos planetarum magnos aut spatium illud amplum, quo prius errabant planetæ, post extinctum Solis & planetarum lumen, & post conflagrationem postremam esse posse spirituum malorum, dirisque devotorum hominum receptacula tenebrosa.

In

In Obſervationibus, quarum decem numerantur, egregiæ terebinthinæ vires in paralyſi pag. 134; rhabarbari in diabete pag. 139, in dolore ventriculi & colico pag. 160; ſulphuris tam vivi, quam ejus florum in angina & hæmorrhoidalibus tumoribus pag. 150; ſpiritus vini per fotum admiſſi in nimio hæmorrhoidum & menſium fluxu pag. 165. & 166. collaudantur, noxæ vero ex opiatorum uſu, in affectione hyſterica & puerperarum torminibus & vigiliis propinatorum, pag. 157. depinguntur.

Denique in ſcripto de Lue Venerea in eam fere abit Autor Cl. opinionem, natales ejus longius eſſe repetendos, quam communiter fieri ſolet. Morbum enim venenatum & maxime deleterium vocat, utpote cui eadem, quæ venenis, potiſſimum acribus, aſſumtis competunt phœnomena; inſignis ſcilicet faciei totiusque pallor, & extremorum perfrigeratio; venenoſæ materiæ decubitus in ſuperficiem corporis & partes externas; faucium & ventriculi eroſiones, inteſtinorumque tormina; adde quod inſtar venenorum propria hic morbus exigat antidota. Quoad curam annotat, ligna exſiccantia tantum fere emolumenti naturæ humanæ conferre, & debilitatæ ſuppetiarum ſalutarium præbere, quantum damni & nocumenti hydrargyroſis corpori infligit, eſſeque veneni venerei antidota, licet, prætermiſſo mercurio, imperfecta. Catharctica deleteria huic morbo expugnando minus convenire, quam mitiora & blandiora medicamenta. Ab hydrargyroſi corpora craſſa, obeſa, phlegmatica & frigida maxime omnium lædi; ſi lue hac infecti & per plyaliſmum aliquatenus curati in atrophiam incidant, urgente licet diarrhœa, a narcoticis & adſtringentibus eſſe abſtinendum exiſtimat, ſed antivenereis inſiſtendum. Pro reliquiis Venereis corrigendis & educendis commendat nervina, antharthritrica, amara & antiſcorbutica, interpoſitis ſubinde catharcticis blandioribus. Infantes a nutricibus infectos, his mutatis, farina ſarſæparillæ & ſantali citrini polline pulticulis admiſto curari commode perhibet. Curationem per remedia ſalivatione mitiora continuari debere injungit, donec

nec omne venenum penitus fuerit subactum, & symptomata omnia prorsus evanuerint.

D. JACOBI DOUGLAS OBSERVATIO de Tumore magno in anteriori colli parte.

Ex Act. Philos. Anglic. 1706. N. 305. pag. 2214. excerpta & hic Latine reddita.

Occasio mihi nuper suppetebat secandi mulierem 50. circiter annos natam, quæ in anteriore colli parte tumorem sat magnum, omne spatium inter maxillam inferiorem & superiorem sterni partem replentem, obtinebat. Hic in medio enormiter protuberabat, apice versus latus sinistrum inclinante, lata vero parte in dextro hærente. Apicis cutis tenuis & rugosa existebat, alius, quam qualem reliquus tumor monstrabat, coloris, & videbatur, omnino hic loci tumor ad rupturam dispositus. Quemadmodum & reliqua cutis tumorem tegens valde tenuis erat, omni pinguedine privata, nisi quod in cavitate quadam inter duos lobos in latere dextro aliqua conspiceretur; quoniam enim hic loci cutis non adeo expansa erat, cellulæ membranæ adiposæ non omni pinguedine carebant. Fibræ carneæ musculi latissimi dorsi vix conspici poterant. Mastoidæus & Coraco-hyoidæus valde erant tenues, &, ubi ascendunt, tumori subjacenti firmiter affixi. Sterno-hyoidæus & Sterno-thyroidæus, qui super partem anteriorem hujus tumoris ferebantur, usque adeo erant expansi, ut difficulter ab hoc separari possent, potissimum ultimus. Arteria carotis dextra super apicem currens, a tumore indies aucto compressa, sanguinem ad caput libere vehere non poterat. Sic & vena jugularis interna, par vagum & intercostale eundem attingebant, ubi ad thoracem descendebant. Duæ glandulæ lymphaticæ prope venam jugularem ad ovorum minorum magnitudinem intumefactæ cavitatem inter se pinguedine repletam relinquebant, & sic tumoris superficiem inæqualem in latere dextro reddebant.

Musculis & vasis dictis remotis, tumoris magnitudo, figura, peripheria & cum partibus vicinis cohærentia melius in oculum

oculum incurrebant. Magnitudo excedebat duos pugnos invicem conjunctos. Figura triangularis fere erat, a basi lata sub mento descendebat transversim usque ad sterni partem superiorem, quam fere attingebat, tumor. Superficies inæqualis erat propter tres protuberantias, quarum maxima sinistrum latus respiciebat; reliquæ dextrum occupabant, ut dictum. Adhærebat per filamenta membranacea glandulis maxillaribus, musculis Digastrico & Stylo-hyoidæo; sub quo in latere dextro exilis ejus portio instar papillæ sub linguam protendebatur, in parte superiore & anteriore ossi hyoidæo affigebatur. Lateraliter connectebatur Levatori scapulæ, & paulo inferius illi portioni Cucullaris, quæ in claviculam terminatur. In parte postica toti asperæ arteriæ spatio, quod inter tertiam vel quartam ejus cartilaginem & os pectoris intercedit, ut & musculo capitis, Rectus internus major dicto, & cuidam Scaleni portioni adhærebat; pars inferior jugulo seu parti falcatæ sterni affigebatur. Ab his partibus omnibus facilius separari poterat, quam a glandulis thyroidæis; ubi enim hæ sibi invicem accumbunt, paulo sub cartilagine cricoide in parte anteriore asperæ arteriæ, usque adeo his connectebatur tumor, ut absque dilaceratione nullo modo avelli posset: unde apparet, ab unione harum glandularum radices propullulasse ingentis hujus tumoris; licet, quod notandum, glandulæ hæ naturalem obtinerent & figuram & magnitudinem.

Hic tumor admodum durus & firmus erat, ejusdem consistentiæ, quam ubera vaccina cocta habent; in paucis tamen locis, ubi mollis existebat, liquorem continebat crassum. Color erat ex albo luteus, in quibusdam locis propter vasorum sanguineorum majorem copiam rubicundus.

Cum tumorem dissecarem, cultri apicem in rem aliquam duram impingere non sine stupore advertebam, hinc separata omni substantia molli, duram coqvebam & mundabam, ita tamen, ne partem cartilagineam teneriorem ipsi cohærentem removerem.

Hæc certe, si diutius vivere concessum fuisset ægræ, eundem cum priori indurationis gradum nacta esset. Durum

hoc corpus simile videbatur corallio albo rupeo, nondum polito; num vero osseum sit, an potius ex humore viscido glandularum dictarum in irregularem ejusmodi tartaream & lapidosam substantiam concreto, vel quavis alia materia conflatum, aliorum relinquo judicio. Vid. Fig. XII.

F ig. XII.

Ante duos annos in prostatis senis decrepiti aliquot dura corpuscula me invenisse recordor, pisis albis similia, quoad consistentiam dicto corpori respondentia, magis tamen polita, quoad faciem externam; quorum quædam ipsi harum glandularum corpori insidebant, quædam exilibus radicibus membranæ has obtegenti adhærebant. Vid. Fig. XIII.

Fig. XIII.

Viginti jam abhinc annis tumor hic colli apparere cœperat, occasione venæ, ut mulier rem exprimere solebat, in partu difficili ruptæ; a quo tempore sensim accrescebat, nec tamen notabilem acquirebat magnitudinem, nisi paucos ante obitum annos; nec dolorem concitabat; erat enim totus scirrhosus. Varia quidem a variis fuerunt applicata, sed frustra. Tandem valde molestus evadebat hic tumor, ingentem magnitudinem nactus, siquidem deglutitionem & liberam respirationem enormiter non solum impediebat, verum etiam hanc tandem penitus intercipiebat; asperam arteriam, cui incumbebat, comprimendo.

Præter hunc tumorem alio, eoque molesto & doloroso, ultimis annis vexabatur fœmina hæc symptomate, mortem itidem accelerante. Uterus scilicet totus erat scirrhosus, & usque adeo distentus, ut totam pelvis cavitatem repleret; Coli & Ilei pars firmiter ipsi cohærebat, ut absque laceratione separari inde haut posset; ovaria & tubæ ipsi fere immersa erant; ita ut, nisi ovaria hydatidibus hinc inde fuissent obsessa, vix ea dignoscere potuerim. Cervix uteri usque adeo erat depressa, ut sub labiorum levi admodum dilatatione in conspectum veniret; maxime insimul existebat dura, sed polita, æqualis, & adeo occlusa, ut absque sectione nihil in eam intrudere valuerim. Vesica urinaria versus os pubis adacta & compressa parum vel nihil urinæ continere potens erat, hinc eandem sæpius

pius reddere, idque nec ſine dolore cogebatur miſera. Sic pariter inteſtinum rectum compreſſum nihil fæcum transmittebat, & laboraverat fœmina ante mortem quinque ſeptimanas alvi obſtructione.

Per anum equidem aliquamdiu materia purulenta & pituitoſa in ſat magna copia evacuari obſervabatur, ſed hæc utero natales ſuos debebat. Humor enim acris, qui alio tempore per vaginam excernebatur, jam propter firmam ejus clauſuram nullum inveniens tranſitum, in ejus cavitate ſtagnaverat, & corrodendo parietes uteri, novam ſibi paraverat viam ad inteſtinum rectum. Qualem deplorandum caſum in ſectionibus plus ſimplici vice obſervavi.

Uteri craſſities duos fere æquabat pollices, in cujus fundo magna humoris albi & craſſi copia reperiebatur, quæ digitos meos albos & rugoſos cuticulam contrahendo reddebat, haud ſecus ac ſi eosdem lixivio quodam acri lavaſſem; quemadmodum ſimili modo ſal cauſticum in ſapone latens lotricum manus afficere ſolet. Difficulter uterus propter firmam cum partibus vicinis cohæſionem ex pelvi extrahi poterat.

Notandum adhuc, quod parum fæcum inteſtina continuerint, quoniam per longum tempus nihil ciborum ſolidorum deglutire poterat miſera; quicquid autem ibidem reperiebatur, durum erat, & in varias diſtinctas glebas coactum.

ANIMADVERSIONES IN D. GEORGII CHEYNÆI Tractatum de fluxionum methodo inverſa, per Abr. De Moivre: R.S.S.

Londini, 1704. apud Danielem Midwinter & Thomam Leigh. 8. Plag. 9.

DEbitam Cl. *Cheyneo* laudem in Actis noſtris A. 1703 p. 450 & ſeq. tribuimus: ſed eam derogare ipſi videbatur *Moivreus*, cum ſuas in ejus Tractatum Animadverſiones ederet. Etenim durum admodum de Geometra inſigni in eo fert judicium. Errores plures libro ejus ineſſe pronunciat; methodum quadrandi Curvas Mechanicas precariam vocat, quod

quod maximam quæsiti partem jam aliunde cognitam supponat, nec nisi fortuito metam propositam attingat. Methodum pro Curvis exponentialibus nihil concinnitatis habere ait. Quod de quadratura Curvarum irrationalium secundi generis traditur inutile esse, quia series divergentes adhibeantur; prætereaque inconcinnum, quia per series infinities infinitas in quantitatibus irrationalibus exprimatur, quod per unicam in rationalibus exprimi potuisset. Perperam in Curvis altiorum graduum alium aliumque infinitatis & irrationalitatis gradum adhiberi. Methodum Newtonianam radicem ex æquatione differentiali extrahendi ita demonstrari, ut casus infiniti in ea comprehensi excludantur, & in artificiis explicandis falsas adduci conjecturas: immo non aliud factum esse a *Cheynæo*, quam ut illam infinities perplexiorem effecerit. Investigationem theorematis *Bernoulliani*, in Actis nostris A. 1694 p. 437 exhibiti, precariis postulatis inniti, ipsum theorema infinities implicatius redditum. Lubricam & incertam esse methodum, qua binomium vel infinitinomium ad potestatem quamvis indeterminatam attollitur. Theorema suum pro reversione serierum infinite implicatius redditum fuisse. Immo calculum de centro oscillationis, comparationem Curvarum, methodum de reducenda serie infinita ad valorem finitum, methodum extrahendi radicem ex æquatione differentiali, aut erroris redargui, aut momenti nullius deprehendi. In suis itaque Animadversionibus totus in eo est *Moivre*, ut dictis fidem faciat, & errores *Cheynæo* imputatos emendet, methodos meliores substituendo. Aliqua ex illis specimina in medium afferre libet. Negat nempe, si numerus sit x, fluxionem seu differentialem logarithmi x fore dx:x. Cum *Cheynæus* semper supponat, areas cum abscissa simul incipere; $x^{m+1} lx :, m+1 - x^{m+1} :, \overline{m+1}^2$ non esse summam ipsius $x^m dxlx$, nisi cum lx est quantitas infinita, ubi terminus posterior respectu prioris prorsus evanescat. Culpat *Cheynæum*, quod ubi x^x consideranda venit,

loga-

logarithmos in auxilium vocet, immo in differentiatione ipsius x^{x^x} logarithmos logarithmorum, cum ipse nil præter numeros vulgares adhibeat. Indigne fert, quod *Cheynæus* theorema ipsius pro infinitinomio ad potestatem indeterminatam elevando corollarium esse dixerit notissimi theorematis *Newtoniani* pro binomio ad dignitatem quamcumque attollendo, nempe loco quantitatis P poni saltem debere az & loco alterius PQ, $bz^2+cz^3+dz^4$ &c. tandemque 1 pro n. Cæterum sub finem theoremata quædam pro comparatione Curvarum in *Transact. Philos. Num. 278* exhibita denuo proponit, adjecto inventionis modo, in casibus similibus imitando.

RUDIMENTORUM METHODI FLUXIONUM inversæ specimina: quæ responsionem continent ad Animadversiones Ab. de Moivre in librum G. CHEYNÆI.

Londini, 1705, impensis G. Strahan, in 4.
Plag. $7\frac{1}{2}$

Bilem *Cheynæo* moverat *Moivreus*: ad iram itaque concitatus cum scriberet, nimiumque affectui suo indulgeret, acerrimo usus est scribendi genere, quod in Mathematico merito culpandum. Animadversiones *Moivreanas* profectas esse asserit vel ex ignorantia inexcusabili; vel ex impudentia & immodestia; vel ex inhonestate & improbitate; vel ex inhumanitate & malitia: totusque in eo est, ut suas methodos defendat & *Moivreanas* vel falsas esse, vel cum suis coincidere, ostendat. E. gr. investigationem *Moivreanam* methodi *Newtonianæ* pro extrahenda radice ex æquatione differentiali a sua solis speciebus differre: nempe si in *Moivreana* loco a+x ponas p+px, loco n scribas m & loco y denique 1+z, prodire *Cheynæanam*. Ipsum *Bernoullum* in Actis nostris A. 1697 p. 129 demonstrasse, si numerus sit x, logarithmus lx, esse dlx=dx:x. Immo in genere probat integrales differentialium positarum ab ipso assignatas esse probas,

probas, quia ab iis non abhorret criterium, quod summus Geometra *Newtonus* in tractatu de Quadraturis p. 210 proposuit, salvis tamen calculi ac præli erroribus. Scilicet si fluentium assignatarum fluxiones colligantur, h. e. si summæ seu integrales assignatæ differentientur & differentiæ debite reducantur, semper prodituras esse differentiales primo positas. Id vero turbasse *Moivreum*, quod perperam assumserit, Curvarum areas investigatas esse a *Cheynæo*, cum tamen is generales summandi differentias leges explicare constituerit. Neque enim methodi fluxionum seu calculi infinitesimalis objectum esse solas Curvarum areas; sed ipsarum quoque longitudines, solidorum superficies & contenta, numerorum proprietates, logarithmos, potestates numerorum & earum exponentes, motum, celeritatem, tempus, spatia &c. verbo quantum quodcunque. Atque adeo *Cheynæus* de quantitate, quæ summæ repertæ ob evanescentes in differentiatione quantitates prorsus incognitas adjicienda, vel prorsus non est sollicitus, vel quantitatem cognitam arbitrariam adjicit, quæ in determinatam abit, ubi de Curvarum quadraturis agitur. Ex his fundamentis probat, $x^{m+1}:,m+1\ l--x^{m+1}:,\overline{m+1}^2$ esse summam ipsius $x^m lxdx$; non autem venditari pro area curvæ. Ita $dx:x$ esse differentialem ipsius lx & momentum areæ hyperbolæ exterioris rectangulæ; non tamen lx esse aream absolute hyperbolæ exterioris, nisi ei adjiciatur quantitas infinita. Areas nempe Curvarum esse summas repertas, per circumstantias illarum restrictas & definitas. Contendit etiam, logarithmos logarithmorum omnino æquipollere exponentialibus secundi gradus, adeoque exponentiales secundi gradus exponendos per logarithmos logarithmorum. Similiter series rationales non esse quærendas in Curvis Geometrice irrationalibus, non nisi per irrationales sua natura expressibilibus, cum alias earum proprietates non manifestentur. Quod denique theorema *Moivreanum* de infinitinomio ad potentiam indeterminatam elevando sit tantum exemplum theorematis *Newtoniani*, satis patere asserit. Uti-

que

que enim *Moivreanum* haberi, ſi in *Newtoniano* ponatur P=az, $PQ=bz^2+cz^3+dz^4$ &c. n=1, modo valores *ipſarum* A, B, C &c. ſubſtituantur. Licet enim forma *Newtoniani* $\overline{P+PQ}$ binomialis ſit, expreſſe tamen monuiſſe *Walliſium* in Algebra, Q. deſignare terminos reliquos per primum diviſos, atque in trinomialibus exemplum exhibuiſſe. Hæc ſufficere arbitramur, ut lector rerum Geometricarum peritus de controverſiis inter *Cheynæum* & *Moivreum* agitatis judicium ferre poſſit. Optandum vero foret, ut mitius ſe mutuo tractarent Geometræ, ne diu ipſis in diſputando tributa modeſtiæ laus tandem periret.

NOVUM SYSTEMA MUNDI A SEBASTIANO CLERICO propoſitum, & ex artic. 10 Menſ. April. Anni 1705 Diarii Trevoltienſis huc translatum.

DN. Clericus non alium in finem novum hoc proponit Syſtema Mundi, quam quia ipſi ad veritatem propius accedere videtur reliquis hactenus receptis. In compendio autem huc redit. Ponit ſcilicet, Terram & Solem circa centrum ſui vorticis gyrari, revolutione Telluris, ut in Syſtemate Copernicano, intra ſpatium unius anni, revolutione autem Solis intervallo ſex tantummodo menſium, demtis aliquot ſecundis, abſoluta. Per hanc hypotheſin non ordinaria ſolum cœli phœnomena, ſed alia etiam hactenus non ſatis intellecta explicari poſſe contendit. Ex. gr. oſtendit 1. quomodo dies naturales neceſſario nunc 24 horas excedant, nunc ab iisdem deficiant, ſine ulla motus in revolutionibus Terræ irregularitate; & quomodo hæ inæqualitates dierum iſtis conformes debrehendantur, quæ pendulorum ope obſervantur. 2. Demonſtrat, motum firmamento attributum non eſſe, niſi apparentem. 3. Monſtrat, quomodo Sol ſingulis annis nunc magis a nobis recedat, nunc ad nos appropinquet, nulla excentritate, neque in Telluris, neque in Solis revolutione ſuppoſita. 4. Evincit, quod circa medium anni Sol ultra 12 horas ſupra Horizonte

M nostro

nostro commorari debeat, utut Telluris in semicirculo Meridionali non plures sint revolutiones, quam in Septentrionali. 5. Demonstrat, hypothesin Copernicanam esse absolute falsam. 6. Novos extruit vortices nostro superiores in aquis firmamenti a Mose pluribus in locis Geneseos notatis: & hos vortices in aquis cum bullis puerorum saponariis comparat. 7. Supponit etiam orbem aqueum supra firmamento, qui totum Universum involvit, in loco Geneseos fundatum, ubi Moses asserit, Deum separasse aquas supra firmamento ab aquis infra firmamentum. 8. Contendit, aquas istas in glaciem abiisse & sic orbem Crystallinum constituere admodum solidum & sufficientem resistendo conatui, quem omnes vortices ad se mutuo dissipandos adhibent. 9. Probat, quamlibet fixam particulares exercere revolutiones circa centra suorum vorticum, quemadmodum Sol circa centrum nostri. 10. Denique in suo systemate nec eccentricitates, nec epicyclos, nec ullum motum violentum supponit. Omnia simplicissima sunt & Scripturæ sacræ demonstrationibus Geometricis & rationibus admodum naturalibus superstructa: quemadmodum se probare posse prætendit. Cæterum in Fig. XIV A denotat centrum Telluris, B centrum Solis, C Terram, D Lunam.

Fig. XIV.

Optandum foret, ut pleniorem hujus systematis descriptionem publicaret Autor, quo Astronomi id examini suo submittere valerent, visuri, num calculus Geometricus juxta illud institutus cum observationibus conveniat.

ELEMENS DES MATHEMATIQUES PAR M. PIERRE POLYNIER, Docteur en Medicine.

h. e.

ELEMENTA MATHESEOS, AUTORE PETRO POLYNIER, Medicinæ Doctore.

Parisiis, apud Joh. de Laulne & Jacobum Quillau. 1704 12.
Const. 1. Alph. 4 plag.

Tres

TRes Matheseos partes constituit Autor, *Arithmeticam* nempe, *Algebram* & *Geometriam:* reliquas pro earundem ad Physicam facta applicatione habet. *Arithmetica* est ipsi numerorum scientia: in qua nonnisi communes Arithmeticæ operationes, additionem nempe, subtractionem, multiplicationem, ac divisionem, tam in integris, quam fractis, satis perspicue explicat, & exemplis necessariis illustrat, omissis demonstrationibus. Per *Algebram* quantorum in genere consideratorum scientiam intelligit, quæ alias *Mathesis Universalis* appellari consuevit. Explicat in ea *Arithmeticam speciosam* seu *litteralem* in integris & methodum extrahendi radicem quadratam & cubicam ex numeris propositis vel perfectam, vel prope veram, una cum problematibus facilioribus *Algorithmi irrationalium*. Per Arithmeticam litteralem propositiones palmarias Matheseos universalis de quantitatum proportione Arithmetica & Geometrica demonstrat, tandemque vulgares proportionum regulas in Arithmetica explicari solitas subjicit. Cæterum methodum approximandi ad radicis irrationalis valorem traditurus monet, propositam potentiam imperfectam (39) multiplicandam esse per quadratum denominatoris fractionis (169) ultra quam progredi haud libet, & ex facto (6591) extrahendam radicem quadratam (81) quæ per denominatorem prædictum (13) divisa dabit radicem prope veram desideratam ($6\frac{3}{13}$.) *Geometriam* definit per partem Matheseos fundamentalem de lineis, superficiebus & solidis tractantem. Quare præmissis definitionibus, postulatis & axiomatibus cap. 1 linearum rectarum & circuli; cap. 2 superficierum & cap. 3 solidorum proprietates demonstrat. Nulla omittitur earum propositionum, quæ Euclidis Elementa 1, 2, 3, 4, 5, 6, 11 & 12 absolvunt. Elementis hisce præmittitur discursus de utilitate Matheseos: præmittuntur regulæ, quas observare debet tyro illa cum fructu perlecturus: præmittuntur difinitiones, postulata & axiomata generalia ad omnes Matheseos partes pertinentia. Ordo in hoc opere optimus: idem certe, quem *Bernhardus Lamy* in suis Elementis Matheseos & Geometriæ observavit, nisi quod præcepta *Arithmeticæ* numerosæ seorsim explicet Noster, & pauciora, quam *Lamy*, ad Algebram spectantia tradat, immo fere nulla.

ELEMENS DE GEOMETRIE DE MONSEIGNEUR le Duc de Bourgogne.

h. e.

ELEMENTA GEOMETRIÆ SERENISSIMI PRINcipis, Ducis Burgundiæ.

Trevoltii 1705 in 4 impressa, venduntur Parisiis apud Johannem Boudot.
Constant 1 Alph. 7 plag.

HÆc Elementa propria manu Serenissimi Principis, Ducis Burgundiæ, descripta, immo ab ipso composita, cum 14 annos natus anno 1696 jussu Regis a Domino *de Malezieu,* Principatus Dumbensis Cancellario, in Mathematicis instrueretur, non multum differunt ab Elementis *Arnaldi,* quibus in informatione utebatur *Malezieu,* tanquam ordine maxime naturali conscriptis & fœcundioribus comprehensuque ac retentu facilioribus, quam Euclidea. Propositiones tamen nonnullæ minus utiles omissæ, & in earum locum utiliores substitutæ. Præmissis linearum & superficierum definitionibus, postulatis & axiomatibus, Arithmeticæ speciosæ compendium in litteris majoribus ad morem *Vietæ* exhibetur, quia ejus ope propositiones aliquot in subsequentibus demonstrantur. In ipsis Elementis symptomata linearum perpendicularium & obliquarum lib. 1; parallelarum lib. 2; rectarum in peripheria circuli terminatarum lib. 3; angulorum lib. 4 & 5; proportionalium lib. 6; reciprocarum (h. e. extremarum ex 4 porportionalibus) lib. 7; figurarum lib. 9 & solidorum lib. 10 pertractat. Proprietates solidorum per methodum indivisibilium demonstrat & propositionem Archimedeam de proportione Cylindri ad sphæram inscriptam per methodum *Guldini* ex centro gravitatis. Subjungitur brevis *Trigonometriæ* explicatio, cujus usus in aliquibus exemplis Euthymetricis & Astronomicis de distantia Lunæ, Solis & Jovis a Tellure ostenditur. Constructio quoque Tabularum Sinuum, Tangentium & Secantium declaratur. Ad calcem libri subjicitur sylloge problematum Arithmeticorum & Geometricorum per Analysin speciosam solutorum. Brevite

viter ac perſpicue in his Elementis explicatur, quicquid ex Geometria communi cognitu neceſſarium exiſtit.

NOVA LITTERARIA.

ERneſtus Martinus Plarre, Berolinenſis, amore patriæ ductus, hiſtoriam Brandenburgenſem e tenebris revocare, eamque juſtis voluminibus complecti molitur. Hoc ille inſtitutum edita nuper plagula ſub titulo: *Schediasma πρόδρομον de Scriptoribus Rerum Marchico-Brandenburgenſium, cum προσφωνήσει ad eruditos, Berol. 1706, 8.* litterato orbi ita indicandum cenſuit, ut non modo lineas & conſpectum abſoluti propemodum operis de Scriptoribus Rerum Brandenburgenſium exhiberet, ſed mentionem quoque faceret reliquorum voluminum a ſe edendorum. Ac primum quidem, quod ad Commentarium Hiſtorico-Criticum de Scriptoribus attinet, ille omnis Decem Libris erit abſolvendus, quorum Primo Geo-Choro-Topographici, II Genealogici, III Hiſtorici, Chronologi & Biographi univerſales, IV Hiſtorici particulares, V Politici, VI Eccleſiaſtici, VII Prætenſionum ac Controverſiarum, VIII Juridici, IX Naturales, X Extranei eo facientes Scriptores comprehendentur. Singuli Libri variis iterum Claſſibus diſtinguuntur, quarum ſingulis quosnam Scriptores ſibi notos capiat, in Schediasmate profeſſus eſt. Huic operi ſuccedent deinde alia: I de Viris Illuſtribus Marchiæ, II Theatrum Nobilitatis Marchicæ, III de Urbe & Rebus Berolinenſibus, IV Annales Marchiæ a prima origine ad noſtram usque ætatem perducti, V denique nova Nicolai Leuthingeri Commentariorum de Marchia Brandenb. editio. Et in hac quidem quid præſtiturus ſit, alio ſpecimine nuperrime publicato docuit, cujus integrum titulum exſcribere placet: *NICOLAI LEUTHINGERI, Optimarum Artium Magiſtri, Poetæ Laureati & Hiſtorici Brandenburgici, Rerum Brandenburgicarum Commentarii ab exceſſu Joannis Principis Electoris & Marchionis Brandenburgici.* Ern. Martinus Plarre, Berol. *omnia ſtudioſe collegit, exemplaria inter ſe contulit, libris argumenta præfixit, eosdem ſecundum annorum ſeriem diſpoſuit, breves notulas indicemque locupletiſſimum adjecit, ac primus junctim edidit. Præmiſſa eſt ab eodem Diſſertatio de Vita, fatis & ſcriptis N. Leuthingeri, qua a malevolorum iniquis cenſuris & calumniis*

scripta tanti viri ex veritate vindicantur. Accesserunt alia ejusdem scriptoris opera, denuo accurate recensita; cum figuris aeneis. Berol. impensis Jo. Michaelis Rüdigeri, 1707, f. In his omnibus vero cum summorum virorum ope & consilio se egere profiteatur *Autor Cl.* eos omnes rogat & obtestatur, ut symbolas suas de patria mereri volenti conferant, inprimis vero, ut, quicquid Scriptorum Brandenburgicorum in genere, vel Leuthingerianorum in specie deesse ipsi deprehenderint, publici boni causa benigne submittant. His accessionibus ubi auctus fuerit, utrumque opus, tam Leuthingerianum, quam quod de Scriptoribus pertexuit, præcipite mense Martio hujus anni bono cum Deo sub prelum mittet, curabitque, ut prioris editio intra sex menses perficiatur. Nos utique doctissimo Auctori de optimo instituto gratulamur, vires ipsi integras & successus faustissimos apprecati.

Ceterum incidit nuper admodum in manus nostras schedula, qua novam omnium Operum D. Augustini impressionem Venetiis modo parari nunciatur, neque ingratum L. B. futurum existimavimus, si, quæ imprimis ad institutum hoc spectant, quanquam sermone minus eleganti exposita, hoc loco inseramus: *Reverendi Monachi Ordinis Sancti Benedicti e Congregatione Sancti Mauri, selectis suæ Religionis doctissimis eruditissimisque Viris, per cunctas terrarum orbis ditiones eos emisere, ubi, nulla laboris ac sumptus ope prætermissa, aliquem hujus Sancti Doctoris codicem reservatum & antiquum perlegere possent. Vaticanæ propterea, nec non omnium aliarum Christinæ Monarchiæ Bibliothecarum adminiculo omnibus numeris tale Opus expolivere, feliciter perficientes, quod vix unquam absolvi posse videbatur. Ita igitur fauste gloriosque Parisiis Anno 1679 primum Tomum typis mandarunt, totum complentes laborem Anno 1701. Ex his celebribus illustrationibus factum est, ut omne aliud D. AUGUSTINI scriptum, diversum ab ista recenti correctione, ineptum reddatur ad inserviendum, tanquam legitimum fundamentum, citationi tam sublimis Doctoris. Siquidem, præter variam Tractatuum dispositionem, adest ulterius ipsius textus expurgatio, aliquorum, quondam non attributorum, & vere ipsius Operum recognitio, nonnullorumque aliorum, quæ illius usque nunc sunt habita, reprobatio. Universalis penes Catholicos horum, sic correctorum, Operum necessitas & extrema eorum penuria no-* vam

vam istam Venetam editionem suscipiendi ansam præbuere. Quamvis enim, propter duas jam Galliæ & Belgii peractas editiones, satis affluenterque provisum esse aliqui crederent, attamen ita res non se habet, cum una tantum existat legitima editio, quæ nullibi amplius venalis nunc existit, sed tota jam est distributa, impressa Parisiis amplo papyro, annis, ut infra, recensitis. Primus & secundus Tomus anno 1679, tertius 1680, quartus 1681, quintus 1683, sextus & septimus 1685, octavus & nonus 1688, decimus 1690, undecimus 1701. Reliqui Tomi Parisiis impressi papyro exiliori, annisq; neutiquam supra scriptis, non recognoscuntur a Patribus Divi Benedicti tanquam conformes propriæ correctioni. Quoad Amstelodamensem vero editionem, Antverpiæ nomine pervulgatam, undequaque reprobatur, non tantum propter duodecimum Tomum, multam non sanæ doctrinæ copiam continentem, verum etiam propter transcriptionis infidelitatem ipsius Divi Patris textus, quem non solum adulterati sunt, multa verba demendo, sed etiam mutilum reddiderunt, integras periodos auferendo, præter innumeros errores passim insertos. Difficultas autem D. AUGUSTINI correcta Opera consequendi; pretium non modicum, quo hujuscemodi extarent, si reperiuntur; necessitas tot Magistrorum & Doctorum iis utendi; utilitas quam plurium eruditorum virorum, si illis libere propriis ædibus perfrui liceret, ablato incommodo ad publicas locupletesque Bibliothecas accedendi, in mentem induxerunt, ut non solum hæc Veneta editio, undiquaque similis Parisiensi autographo, temporibus dictis impresso, institueretur, verum etiam traderetur minori quinque annorum intervallo multo correctior, eisque conditionibus, quoad pretii exiguitatem & temporis ad solutionem requisiti commoditatem, ut unusquisque, vel non admodum dives, haud difficulter eam sibi adipisci posset, edoctus ut infra. Mentem suam aperiet Joanni Baptistæ Clarello Bibliopolæ Veneto, in Via Mercatoria, sub signo Leonis aurei, antequam compleatur annus 1706, prænumerando libras Venetas novem cum dimidia pro primo Volumine; & ejus utilitas erit, quoad pretii quantitatem, prænumerare libras novem cum dimidia pro quolibet Volumine, nullo tamen tegumento illigato; & quoad opportunitatem temporis, numerare pecuniam, dum recipiet quodlibet Volumen, quod illico ac impressum fuerit, ei tradetur. Et cum integrum Opus, levioris oneris causa, distribuatur in 16 Partes, (quanquam contineat 11

tan-

tantum Tomos) concedet complendam 16 distinctis vicibus pecuniæ solutionem, quæ simul juncta æquabit dimidium pretii, quo stabit Opus, cum completum fuerit, & tertiam partem pretii, quo staret expurgatum Originale Parisiense, si inveniretur. Qui vero extra Venetam Urbem morantur, & hocce commodo comparare sibi cupiunt dicti S. Patris Opera, significare facient nomen suum eidem Joanni Baptistæ Clarello ab aliquo Veneto incola, qui eodem tempore præsolvet libras novem cum dimidia pro proximo primo Volumine. Cui quoque Veneto incolæ incumbet, apocham deinceps signare Voluminum, quæ illico, ac impressa fuerint, ei tradentur; toties præsolvendo libras novem cum dimidia pro Volumine subsequente, quoties Volumen antecedens ei exhibebitur. Quando vero collectio concurrentium pervenerit ad illum numerum operum, quæ tali facilitate in mente est distribuere, non adscribetur alius quivis pretio descripto, verum enumeratione librarum 11 pro quolibet Volumine. Qui non soluta, sed illigata Volumina cupiet, pro illigatione, quam rusticam vocant, solvet 24 solidos pro quolibet Volumine, id est, pro toto Opere simul libras 19 & solidos 4, pro illigatione vero charta pergamena peracta, libras 3 pro quolibet Volumine, id est, pro toto Opere simul libras 48. Ad reddendam tutam erogationem pecuniæ, cui arriserit, præstabitur fidejussio.

LIBRI NOVI.

Apollonii Pergæi de Sectione Rationis libri duo. Accedunt ejusdem de Sectione Spatii libri duo restituti. Præmittitur Pappi Alexandrini Præfatio ad VIImum Collectionis Mathematicæ cum lemmatibus ejusdem Pappi ad hos Apollonii libros. Opera & studio Edmundi Halley, apud Oxonienses Geometriæ Professoris Saviliani. Oxonii e Theatro Sheldoniano, 1706. 8.

Velleji Paterculi quæ supersunt, id est Historiarum libri II ad M. Vinicium Consulem, cum adnotatis & indicibus Christophori Cellarii. Lipsiæ apud Thomam Fritsch, 1707. 12.

In Medicina facienda remediorum simplicitatem operosæ compositioni præferendam, Oratio septima habita in Patavino Lyceo a Bernardino Ramazzini, Practicæ Medicinæ Professore, die 5 Nov. 1706. Patavii, typis Vid. Frambotti. 8.

ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Martii Anni, M DCC VII.

LES DELICES DE L' ESPAGNE ET DU Portugal &c.

h. e.

DELICIÆ HISPANIÆ ET PORTUGALLIÆ, &c. figuris illustrata a JOHANNE ALVARO DE COLMENAR.

Tomi V.

Lugduni Bat. apud Petr. Van der Aa, 1707, in 12. Alph. 3, pl. 17 & figg. æn. pl. 24 ch. aug.

QUam in præfatione hujus libri pollicitus est Auctor noster voluptatem literatoribus ex collectione variarum Antiquitatum; Geographis, exactiori hujus regionis notitia; militibus, designatione fortalitiorum tuendis hisce provinciis destinatorum; mercatoribus, recensione emporiorum maxime celebrium, merciumque ibidem præ aliis venalium; peregrinantibus rerum, vel antea non sine admiratione spectatarum, dulci memoria, vel mox videndarum accurato indicio; omnibus demum, qui variarum rerum cognitione delectantur, cujuscunque ordinis sint vel dignitatis, descriptione horum Regnorum accuratiori; hanc inquam voluptatem omnes, quos opus ipsum evolvere haud pigebit, abunde percipient. Eamque insuper non parum adaugere annisus est, quem alias jam laudavimus, Lugdunensium apud Batavos Bibliopola solertissimus Petrus Van der Aa, additis figuris quam pluri-

mis accuratissime delineatis atq; perleganter in æs incisis; quippe qui pari ornatu superiori etiam anno *Italiæ Delicias* auctore *de Rogissar:* edidit, & nunc *Angliæ, Scotiæ atq; Hiberniæ Delicias* parat. Animus autem fuit hujus operis Auctori, accuratiorem iis, quæ hactenus extitere, provinciarum Hispanicarum adornare descriptionem; hinc, instituti sui memor, præmissis iis, que de situ regionis, magnitudine item ac nominibus variis, ut & fluviis montiumque jugis nobilioribus in universum commemoranda fuere, quæ Veteris Hispaniæ provinciæ, quinam incolæ earundem, quique mores horum fuerint, quæ etiam soli natura, paucis recenset; additis insuper notabilioribus status istius Reipublicæ, quæ inde ab antiquissimis temporibus contigere, mutationibus. Hoc facto præsentem nobilissimæ hujus Orbis Europæi partis conditionem diligentius scrutatur, insertis locorum rerumq; visu digniorum delineationibus, a *Colmenario*, qui pleraque suis oculis vidit, factis. Quandoquidem vero hæ provinciæ Hispanico partim, partim Lusitanico jam parent imperio, ab illarum descriptione exorsus Auctor noster, per Cantabriam, provinciam maxime septentrionalem Galliæqu: conterminam, ad Astures comitatur lectorem, post in Gallæciam. Mox in Regni viscera penetrans Castellam Veterem pariter ac Novam peragrat, & quæ Mantuæ Carpentanorum inque vicinis eidem palatiis Regiis videri merentur, attentius considerat. Hinc meridiem versus in Vandalitiam pergit, tum ad Granatenses, Murcianos & Valentianos divertit; unde in Arragoniam atque Navarram progressus in Catalaunia subsistit, facta insimul excursione in vicinas huic insulas Baleares. Tum demum separata a reliquis Hispaniæ provinciis Portugalliæ Algarbiæque Regna perlustrat, atque subnexis iis, quæ de aeris temperamento, fertilitate regionis, moribus gentis, Sacris item ac Reipublicæ administratione aliisque apud Lusitanos pariter atque Hispanos iter illuc facientibus hodienum observanda veniunt, coronidem huic operi, quinque tomos complexo, feliciter imponit. Nos, ut specimen aliquod extet, rerum singularium hoc in libro contentarum, paucula quædam nunc delibabimus. Et sane omnino no-

no notari meretur, quod pag. 107 seqq. de populi, Cantabricos agros hodie incolentis, lingua refert Noster. Hæc scilicet cum aliis apud reliquas gentes Europæas hoc tempore florentibus nihil prorsus commune habet, insigni argumento, quam reconditæ sit antiquitatis. Quamvis vero per universam hanc provinciam, Bajonam usque, emporium Aquitaniæ celeberrimum, usus ejusdem obtineat, incolæ tamen nihil prorsus hac lingua solent litteris mandare, sed, prout vel Hispanorum vel Gallorum subjacent Regibus, unam vel alteram linguam usui huic adhibent, ejusdemque notitia liberos suos mature curant imbuendos. An invidia hoc fiat, ne exteris quoque hæc ipsorum lingua innotescat, an verborum inopia, quod alii putant, incertum. Cæterum auditu ipsa non ingrata esse perhibetur, ejusdemque maxima pars vocabulorum, quantum quidem ad nomina spectat, ubi de singulis sermo, in *a*, de pluribus autem, in *ac* terminatur. Ex. gr. cœlum vocatur *Cerua*, plur. *Ceruac*; terra, *Lurra*, plur. *Lurrac*; Sol, *Eguzquia*, Luna, *Irarguia*; stella, *Izarra*; nubes, *Odeya*; ignis, *Suà*; fluvius, *Ibaya*; vicus s. pagus, *Vria*; domus, *Echéa*; lectus, *Oeea*; indusium, *Acandorea*; panis, *Oguia*; vinum, *Ardáoa*; piscis, *Arraya*; maritus, *Senarra*; matrona, *Andria*; senex, *Zarra*; mas, *Guizona*; fœmina, *Emaztéa*; pater, *Aytéa*; mater, *Améa*; frater, *Anagéa*; soror, *Arrevéa*; filius, *Seméa*; filia, *Alavéa*; corpus, *Gorpuza*; pulchrum, *ederrà*; bibo, *edatendòt*; lego, *iracúrtendot*; amare, *oneréxtea*; dormire, *lonazà*; videre, *bacust*; edere, *jan*; curro, *laster eguidendòt*; album, *Zuria*; rubrum, *Gorria*; nigrum, *Belza*; caro, *Araguia*. Numerare hunc in modum solent: *bat*, donotat unum; *bi*, duo; *irù*, tria; *laù*, quatuor; *bost*, quinque; *sey* sex; *zazpi*, septem; *zorzi*, octo; *vedrazi*, novem; *amar*, decem; *oguèy*, viginti; *oguéytamar*, triginta; *berroguey*, quadraginta; *berroguéytamar*, quinquaginta; *yruroguey*, sexaginta; *yruroguéytamar*, septuaginta; *lauroguèy*, octoginta; *lauroguéytamar*, nonaginta; *eun*, centum. Quam numerandi rationem cum Galli quoque nunc servent, qui v. g. per *soixant & dix* denotant septuaginta, per *quatre vints*, octoginta &c. non immerito conjicit Noster, ipsos temporibus Henrici IV, Regis e

Benearnia oriundi hunc in morem tranſiiſſe. Ut vero tanto facilius de hac lingua judicare queant lectores, exemplum apponit Noſter Orationis Dominicæ, quæ apud Cantabros, adſcitis paucis e lingua Hiſpanica verbis, quorum uſus nimirum Cantabris, qui res iis deſignatas ignorabant olim, non fuit, ſonat:

Gûre Aita ceruëtan aicena,
Sanctifica bedi hire icena.
Ethor bedi hire Reſuma.
Eguin bedi hire vorondatéa, ceruän beçala lurrean-ere.
Gure eguneco oguia iguc egun.
Eta quita ietzaguc gure çorrac, nola guçere çordunèy quittazen baitravegu.
Eta etzgaitzala ſar eraci tentationetan, bâina delura gaitzac gaichtotic.
Eçen hirea duc Reſuma, eta puiſſança, eta gloria ſeculatotz.
Amen.

Pag. 308 Epitaphium Cardinalis Ximenii in templo Collegii Magni, quod Compluti ab ipſo fundatum eſt, ſepulti nobis ſiſtit, his verbis:

Condideram Muſis Franciſcus grande Lycæum,
Condor in exiguo nunc ego ſarcophago.
Prætextam junxi ſacco, galeamque galero,
Frater, Dux, Præſul, Cardineuſque Pater.
Quin virtute mea junctum eſt diadema cucullo,
Quum mihi regnanti paruit Heſperia.

Notatu digna quoque ſunt, quæ pag. 332 ſeqq. de Officio Moſarabico traduntur, cujus memoria, poſtquam aliquot ſeculorum intervallo ſepulta quaſi jacuiſſet, ab eodem Cardinali Ximenio fuit reſuſcitata. De eo quoniam obiter tantum ſuperiori Menſe pag. 66 actum eſt, non erit ab hoc loco alienum, rem paulo luculentius ex noſtro Auctore recenſere. Ita vero ſe res habet. Gothis, qui Arianorum ſectæ addicti fuerant antea, ad priorem fidem, converſis, Iſidorus Hiſpalenſium Archi-Præſul, Concilii IV Toletani juſſu, certam aliquam cultus divini formam præſcripſit, compoſito hunc in finem libro, quem Officium vocant, Pſalmodias, precum item publicarum miſſarumque formulas continente. Qui ritus tum ubivis in templis eorundem

rundem usurpari cœperunt, atque integrum ferme sex seculorum spatium perdurarunt; donec, Mauris totam pœne Hispaniam occupantibus, veteres ejusdem incolæ Christiani longe lateque dispergerentur. Toletanis tamen, quibus etiam hoc barbarorum jugum erat subeundum, & conscientiæ libertas & sex insuper templa relinquebantur a victoribus, in quibus avita Sacra ad præscriptum Officii hujus Isidoriani constanter peregerunt, a Maurorum quodam Principe Moza Mistarabes sive Mosarabes vocati. Post trium seculorum lapsum, anno scilicet a N. C. 1039, cum Toletum Mauris iterum eripuisset Alphonsus VI, de restaurando, qui hactenus ibidem obsoleverat, cultu Christiano cœpit cogitari. Ubi quidem Regis ejusque uxoris Constantiæ, quos Papa per Nuncium stimulabat, is fuit animus, ut, ritu veteri (Mosarabico nimirum) sublato, Romanus introduceretur. Sed intercedebat Clerus una cum Ordine equestri & Populo, quibus grave erat aboleri consuetudines Ecclesiæ suæ, tam diu frequentatas, atque tot Conciliorum approbatione firmatas. Post multas disceptationes res eo devenit, ut, pro more seculis istis, barbaris nimirum, usitato, controversiam hanc duello dirimendam judicarent. Rex itaque virum nobilem delegit, qui partes Officii Romani tueretur, Populus & Clerus alium, qui Mosarabici; postremus vicit; hinc totius Ecclesiæ judicium, Deum suæ causæ fuisse adjutorem. Sed neque hic pars adversa manus dabat, quæ ancipitem armorum fortunam esse causabatur; alia igitur viam rem tentare placuit. Jejunium indicitur, preces publicæ fiunt, solennes per urbem pompæ ducuntur. Omnibus in primario urbis foro congregatis ingens rogus accenditur, cui Missale utrumque, Romanum pariter ac Mosarabicum, injiciunt; Rege interim Populoque precibus Deum sollicitantibus, velit, quæ sit hac in re voluntas ipsius, dato signo aliquo facere manifestum. Ferunt Missale Romanum illico fuisse combustum, altero ab igne illæso permanente. Hæc quidem sufficere poterant ad Regem de præstantia Officii Mosarabici convincendum, quippe quod cœlum suffragio ipsum suo probasset. Ast hic, propositi tenax, ut Romanum introduceretur, perfecit; id sal-

 tem

tem gratiæ ab ipso datum est Toletanis, ut in vetustioribus parochiis suis Officium Mosarabicum retinere possent. Verum ibi quoque seculis subsecutis paulatim in desuetudinem abiit, omni prorsus memoria ejus ex animis hominum deleta, cum Ximenius illud, characteribus Gothicis exaratum, & in veteri codice MSCto repertum, in lucem iterum protraheret. Is non sine magnis sumtibus sacrarium, a Mosarabibus nomen gerens, extruxit, ibidemque duodecim Canonicorum Collegium fundavit, qui suo sub Decano viventes, quotidie Missam recitare solent, atque ad ductum hujus Officii Sacra peragere. Plura quidem hic adduci possent lectoribus minime ingrata; ut cum pag. 832 sceptrum atque corona Lusitanica ex auro, quod Tagus vehit, fabrefacta perhibentur. Sic pag. 835 singulare vehiculi genus describitur, apud Hispanos iter facientes usitatum, quibus id ipsum *galera* vocatur; hoc adeo spatiosum esse dicitur, ut quadraginta homines una cum impedimentis necessariis eodem simul vehi possint, ibique & victum sibi, ceu in culina, præparare, & æque commode, ac in hospitio aliquo, somnum capere. Similiter pag. 847. Augustissimus Lusitanorum Monarcha Petrus II, quem nuper admodum, V nimirum Idus Decembris anni proxime elapsi, terris ereptum dolemus, adeo vini abstinens fuisse memoratur, ut vel solo odore offenderetur. Verum hæc atque innumera alia sicco pede præterimus, id unice adhuc monentes, illos, quibus volupe est veterum Inscriptionum reliquias spectare, pag. 126. 153. 158. 167. 191. 339. 368. 378. 381. 382. 403. 404. 412. 416. 440. 441. 488. 515. 517. 521. 558. 566. 568. 619. 624. 709. 718. 748. 775. 784. 797. 798. 799. 800. 803. 804. 805. 806. 811 abunde reperturos, quo desideriis suis facere queant satis. Nobis, qui brevitati studemus, easdem indicasse sufficiat.

APOLLONII PERGÆI DE SECTIONE RATIONIS Libri duo. Accedunt ejusdem de Sectione Spatii Libri duo restituti. Præmittitur Pappi Alexandrini Præfatio ad VII^mum Collectionis Mathematicæ cum Lemmatibus ejus-

ejusdem Pappi in hos Apollonii Libros. Opera & studio Edmundi Halley, apud Oxonienses Geometriæ Professoris Saviliani.

Oxonii, e Theatro Sheldoniano, 1706, 8.
Constat plag. 12 $\frac{1}{2}$.

Librorum de Sectione Rationis Apollonianorum brevem, sed satis accuratam descriptionem dudum dedit *Pappus* in præfatione Operi præsenti præmissa, quæ ex versione *Hallejana* ita habet. Duo sunt libri de Sectione Rationis, sed unam „ tantum faciunt propositionem subdivisam: quare unam illam, „ sic describo: *Per datum punctum rectam lineam ducere, quæ* „ *auferat a duabus rectis positione datis segmenta, punctis in iisdem* „ *datis adjacentia, datam rationem inter se habentia.* Diversas „ autem multasque figuras habere contigit ob subdivisionem fa- „ ctam, & ob diversas rectarum datarum inter se positiones ca- „ susque puncti dati differentes, propterque Analyses & Com- „ positiones horum casuum, ut & diorismῶn. Habet autem „ liber primus de Sectione Rationis loca septem, casus viginti „ quatuor, diorismos vero quinque: quorum tres sunt maximi, „ & duo minimi. Maximus quidem est ad casum tertium loci „ V. Minimi vero sunt ad casus secundos locorum VI & VII. „ Reliqui autem maximi sunt ad casus quartos eorundem lo- „ corum VI & VII. Liber posterior de Sectione Rationis lo- „ ca habet 14, casus vero 63; determinationes autem ex primo, „ ad quem quasi totus refertur. Lemmata habent hi duo li- „ bri 20, itidemque figuras (sive schemata) habent 181 vel et- „ iam plures juxta *Periclem*.„ Hi libri hactenus pro deperditis habiti sunt ab eruditis: nunc vero non sine insigni Analyseos Geometricæ studiosorum emolumento a celeberrimo *Hallejo* præsentes Orbi erudito sistuntur. Bibliotheca scilicet *Bodlejana*, quæ ingentem librorum rariorum thesaurum custodit, inter Codices MSS. *Seldeni* librum asservat Arabicum, qui cum ante annos plures in manus *Ed. Bernardi*, Astronomiæ Professoris Saviliani, linguarum Orientalium peritissimi, incideret, cumque vir eruditissimus traditam ante *Pappi* descriptionem librorum

Apolloni

Apollonii περὶ λόγȣ ἀποτομῆς exacte illi convenire depre-
henderet, fœtum *Apollonii* extemplo agnovit. Arabicum vero
illud MSS. ex lingua Græca in Arabicam traductum esse, pro-
bat *Hallejus*, quod in diagrammatis lineæ notas juxta ordi-
nem alphabeti Græcorum dispositas habeant, qui ab ordine
alphabeti Arabum plane diversus. Factam conjicit hanc tra-
ductionem circa annum Christi 820, auspiciis *Almaimonis* Cha-
lifæ s. Imperatoris *Saracenorum*. MSStum vero adscriptum ha-
bet nomen possessoris anno Hegiræ 613, i. e. Christi 1235. Cum
Bernardus inventum tam præclarum Orbi litterario non invi-
dendum censeret, ei vertendo operam dedit; sed vix decimam par-
tem absolvit. Ipso mortuo, hortatu *D. Henrici Aldrich* S. T. P. &
Collegii Ædis Christi Decani, Fautoris nostri æstumatissimi, in
versione *Bernardina* loca nonnulla castigavit, totumque opus ma-
nu eleganti describi curavit *David Gregorius*, cujus nomen Acta
nostra legentibus non minus, quam Mathematicis notum. Tan-
dem cum, *Wallisio* fatis cedente, Professio Geometriæ Saviliana ad
Hallejum devolveretur, is versioni MSSti a memorato *Aldrichio*
communicati solertia incredibili incubuit: neque enim solum co-
dex punctis diacriticis plerumque destituebatur, integra verba &
periodi sæpius erant omissa, & diagrammatum lineæ litteris male
signatæ, sed ipse etiam litteraturæ Arabicæ prorsus ignarus.
Nempe beneficio schedarum a *Bernardo* traductarum primum
voces excerpsit, quarum significatum *Bernardi* versio prodebat,
dein ad argumentum respexit, & ita multo labore sensum eru-
it, lacunasque supplevit. De suo quæ addidit, alio charactere
sunt expressa. Adjecit autem etiam scholia, quorum ope lo-
ca Geometrica, rectas omnes datam rationem abscindentes con-
tingentia, designari possint.

Enimvero præter duos *Apollonii* de Sectione Rationis li-
bros duos adhuc alios ejusdem Autoris de Sectione Spatii com-
memorat *Pappus* in præfatione laudata, qui continent resolu-
tionem problematis priori de Sectione Rationis admodum si-
milis & hoc solo differentis, quod in illo oporteat segmenta duo
abscissa rationem habere datam, ast in hoc datum continere
rectangulum. Ita a *Pappo* effertur: *Per datum punctum rectam
lineam*

lineam ducere, quæ auferat a rectis duabus positione datis segmenta, datis in ipsis punctis adjacentia, quæ rectangulum æquale dato comprehendat. Cum itaque in codice Arabico hi duo libri non comparerent, utpote jam olim deperditi, ob materiæ tamen affinitatem prioribus jungi mererentur; eos propriis meditationibus ita restituit *Hallejus,* ut ab ipsius *Apollonii* opere non multum discrepare confidat. Hoc vero opus Analyseos Geometricæ studiosis apprime utile prædicat, quia habent exemplum problematis plani per omnes casus plenissime soluti. Cæterum cum præstantiam Analyseos Veterum, cujus egregium in his libris *Apollonii* specimen continetur, maximi fieri debere judicet *Hallejus,* nec dubitet, quin in aliis Bibliothecis inter MSS. Arabica forte lateant Tractatus veterum Analytici reliqui a *Pappo* commemorati, eruditos hortatur, ut Bibliothecas excutiant, & libros utilissimos ex pulvere protrahant: quod ut tanto facilius fieri posset, præfationem *Pappi* sæpius jam memoratam & Græce antehac non excusam, quæ una Sciptorum Analyticorum veterum memoriam servat, ex duobus codicibus MSS. Bibliothecæ *Savilianæ* integritati suæ (quantum fieri potuit) restitutam una cum versione accurata operi præmisit, inprimis cum *Commandini* versio, ipso judice, in plerisque sit absurda & insulsa. Præterea hunc quoque in finem accuratam illius præfationis dedit versionem, ut constaret, Cartesium in doctrina de Locis Veterum laudi detraxisse, & regulam *Guldini* centrobarycam ipsis etiam Veteribus innotuisse, certe *Pappo* annis 1200 ante natum *Guldinum* perspectam fuisse. Ad calcem præfationis prima 20 Lemmata e libro 7 *Collect. Mathemat. Pappi* excerpta comparent, quia in demonstratione illa assumit *Apollonius.* Equidem monitum ad eruditos de conquirendis libris veterum Analyticis inutile videri poterat, tum quia talia nullam difficultatem creant Analyseos modernæ seu Algebræ perito, tum quia Mathematici recentiores illis instaurandis operam navarunt, nempe libris de Sectione Rationis & Spatii, item Sectione determinata *Willibrordus Snellius,* de Tactionibus *Franciscus Vieta* in *Apollonio Gallo,* de Locis planis *Fermatus* in operibus posthumis, de Inclinationibus *Marinus Gethaldus,* de Locis solidis *Vincentius*

Viviani: aliud tamen asserit *Hallejus* problema aliqualiter resolutum dare, aliud methodo elegantissima id ipsum efficere, Analysi brevissima & simul perspicua Synthesi concinna & minime operosa, quod præstitere Veteres. Et profecto dudum notavit summus Geometra *Leibnitius*, Analysin nostram minus concinnas suppeditare constructiones Geometricas: licet enim subinde tales dentur ab Analystis recentioribus, quales omnino in Geometria *Gerardi van Kinckhuysen* occurrere diffiteri nequit, non tamen immediate ex æquatione problematis constitutiva, sed aliunde potius desumuntur. Denique orbis eruditus non minus, quam *Hallejus* gratias habebit longe maximas Viro celeberrimo & de re litteraria longe meritissimo, *D. Joh. Hudsono* S. T. P. Bibliothecæ *Bodlejanæ* Præfecto, quod summam curam adhibuerit, ut nitidum & emendatum prodiret opus Geometris longe gratissimum, & nos præsertim habemus, quod ejus munere tam cito operis desideratissimi copia facta fuerit. Non ingratum fore Lectoribus arbitramur, si ex sæpius laudata *Pappi* præfatione indicemus scripta Veterum Analytica. Sunt autem sequentia: *Euclidis* de *datis* liber unus; *de Porismatibus* III; *de Locis ad Superficiem* II: *Apollonii*, de *Sectione Rationis* II; de *Sectione Spatii* II; de *Sectione determinata* II; de *Tactionibus* II; de *Inclinationibus* II; de *Locis planis* II; *Conicorum* VIII: *Aristæi* de Locis solidis V; *Eratosthenis* de *Mediis proportionalibus* II.

RESOLUTIEN DER HEEREN STATEN van HOLLAND ende WEST-VRIESLAND, van Confideratie;

seu

DECRETA STATUUM HOLLANDIÆ FRISIÆQUE Occidentalis notatu digniora; a die II. Aug. A. MDCLIII. quum JOANNES de WITT Status-Pensionarii, ut vocant, spartam dignitatemque ornare cœperat, usque ad diem XIX. Dec. A. MDCLXVIII. facta.

Trajecti

Trajecti ad Rhenum, apud Wilhelmum vande Water, Acad. Typogr. 1706. in 4.
Alph. 4. plag. 15.

Quæ in unis alterisve tantummodo Magnatum in Belgio imperantium musæis vel aliorum etiam quorundam bibliothecis, instar pretiosi depositi, latuerunt *Statuum Hollandiæ Frisiæque Occidentalis Decreta*, ætate maxime *Joannis de Witt*, Status-Pensionarii, facta, ea nunc altera quadam editione, ad communem omnium usum, in lucem protrahere, operæ pretium visum fuit. Ordiuntur ea a die II. Aug. A. M DC LIII. & varia circa res militares, civiles & ecclesiasticas Statuum Præpotentium decreta atque conclusa, usque ad diem XIX. Dec. Anno M DC LXVIII. juxta dierum & annorum, quibus de iis in senatu magno actum est, seriem, ex authenticis documentis recensita, complectuntur. Ac quum inter illa *Deductio* seu *Declaratio* Statuum Hollandiæ Frisiæque Occidentalis emineat, qua post vera liberi in Belgio confœderato imperii fundamenta asserta *Decretum* maxime *seclusionis Statuum Hollandiæ Frisiæque Occidentalis*, die IV. Maj. A. M DC LIV. contra Principis Arausionensis ad *Capitanei* sive *Gubernatoris Generalis* in Belgio dignitatem evectionem, die IV. Maji, A. M DC LIV. initum longa apologia adstruitur, vel ex hujus saltem deductionis succincta quadam enarratione universi operis præstantiam, in tanta rerum ubertate, satis dijudicari posse existimamus.

Delata autem fuit ista *Deductio*, per Deputatos quosdam antea concepta, ad prælectionem, confirmationem & registraturam in Senatum Ordinum Hollandiæ Præpotentium die XXV. Julii A. M DC LIV, & ubi tum publice approbata, tum per Statuum typographum ordinarium, determinato exemplarium numero, typis exscripta fuerat, ad Provincias universas, communi consilio, missa. Occurrit in ea primum totius facti narratio, quæ, ut paucis multa complectamur, huc redit. Videlicet eo sanguinolento illo Belgarum cum Anglis bello, tempore *Cromwelli*, Reipublicæ Anglicanæ, ut tum vocabatur, *Protectoris*, res devenerant, ut Angliæ tum Magnates imperantes cum Deputatis Belgarum in aula Westmonaste-

riensi die XXVIII. Nov. A. MDCLIII. de viginti septem pacis ineundæ articulis agerent, quos inter Angli duodecimum hunc esse volebant: *Ut neque Status Generales Provinciarum Belgii confœderatarum, neque Status quidam earundem particulares, ullo unquam inposterum tempore, WILHELMUM, Principem Arausionensem, postremi Regis Angliæ nepotem, vel ullum ejus Descendentium, Capitaneum, Gubernatorem & Imperatorem castrorum, copiarumque suarum Generalem, vel aliquarum saltem suarum urbium, arcium, castellorumve Gubernatorem, vel etiam classium, navium, copiarumque maritimarum Præfectum summum facerent, constituerent & decernerent; quin potius ejusmodi aliquorum consilio & decreto, sive jam suscepto, sive adhuc suscipiendo, ipsa re se quam severissime opponerent.* Diu multumque de ratihabendo hoc articulo apud Belgas & cum Anglis agitabatur, quod ne ullum in eo Angliæ Protector momentum mutatum vellet. At quum tamen quidam Anglorum imperantium articuli hujus in secretam aliquam clausulam mutationem suaderent; alii vero eum vel in ipsa pacificatione, vel in annexa eidem clausula quadam secreta hoc modo leniri & attemperari posse censerent: *Ut quemcunque unquam Ordines Belgii confœderati omnes, vel aliqui, Capitaneum Generalem, aut copiarum suarum terra marique Imperatorem, aut etiam unius alteriusve saltem Provinciæ Gubernatorem forte facerent & constituerent, is maxime fidem suam ad servandam sanctè præsentem pacificationem omnesque ejus articulos juramento adstringere teneatur:* non dubitarunt Hollandiæ Ordines Præpotentes hoc articuli duodecimi temperamentum amplecti, atque inde etiam Deputati eorum in Anglia, Domini de *Beverningk* & *Nieupoort*, Legatorum Extraordinariorum jam nomine & dignitate ornati, pacis consilia & deliberatione,shucusque interruptas, reassumserunt. Felix jam sperabatur totius pacificationis tam diu agitatæ exitus; quem vero denuo interceptum & retardatum videbant Belgæ, quod Protector, temperamento illo non satisfactum desiderio suo credens, in ratihabendo articulo duodecimo, ut primum conceptus erat, tenaciter persisteret. Diu se Beverningkius postulato isti, gravissimis quidem argumentis, oppone-

ponebat; quibus tamen nihil aliud impetrabat, quam ut per Status Angliæ Secretarii litteras quasdam intelligeret, eam esse Protectoris demum voluntatem & declarationem, ut Ordines Hollandiæ Præpotentes particulari quodam documento seu instrumento, Status sui sigillo obfirmato, ad servanda articuli memorati duodecimi momenta omnia se obstringerent. Detrectabat & hoc etiam Beverningkius cum Nieupoortio mascule, quod eo jussa & instructionem suam se non extendere demonstrarent. Ast quum Protector per Status Angliæ Secretarium ipsis significaret, se articulum illum ut fundamentum omnis pacificationis respicere, unaque protestari, se vero & sincero in Status Præpotentes eorumque Provincias affectu trahi, nihilque aliud quærere, quam pacem æternum duraturam; quæ vero æternum daratura non sit, si vel Principi Arausionensi, vel alicui ejus posterorum, utpote ex familia Stuartorum descendentium, summæ Status sui dignitates deferantur; eamque in rem se instrumenti pacis ratihabitionem & mutuam extraditionem postulare, hac tamen conditione, ut si Domini Legati particulare istud Articuli duodecimi documentum sistere jam non possent, istud tamen intra duarum aut trium mensium spatium exhibendi promissa darent certissima: idcirco hac Protectoris declaratione ad referendum assumta de reliquis interea pacis articulis cum Anglis convenerunt, ne aliæ eæque ancipites magis & graviores rerum mutationes in pacificatione tum adeo necessaria suborirentur. Quæ ubi per Legatorum suorum litteras intellexissent Status Hollandiæ Frisiæque Occidentalis Præpotentes, unaque perspicerent, omnem belli pacisve eventum a documento prædicto pendere, re omni diu multumque ponderata, die demum IV. Maji A. M DCLIV. in senatu suo decretum fecerunt: *Ut Ordines Hollandiæ Frisiaque Occidentalis nunquam Principem Arausionensem aut ullum ejus lineæ Capitaneum vel Gubernatorem suarum Provinciarum constituerent, neque etiam permitterent, quantum ad se suarumque Provinciarum vota spectaret, ut ille unquam militiæ Generalitatis, prout ajunt, Capitaneus Generalis cooptaretur.* Missum fuit hoc decretum documento quodam, ut conventum erat; particulari consi-

gnatum & obsignatum in Angliam ad Dominos *van Beverningk* & *Nieupoort*, Statuum Legatos, quod cum Protectore Anglisque suis communicarent, hac tamen lege, ut repetita denuo prius vice omnibus viribus, consiliis & studiis eo allaborarent, num forte Celsissimum Protectorem a postulato illo suo dimovere, & ad aliud quoddam pacis consilium mitius permovere possent. Faciebant Deputati, quod poterant, ac eapropter etiam se relati modo decreti documentum accepisse dissimulabant: ast quum omne consilium omnemque operam frustra plane esse viderent, maxime quod præcipitantes Deputatorum ceterarum quarundam Provinciarum motus, & zelus, prout conqueruntur, plus justo incensus, ansam Anglis aliud quippiam suspicandi dedissent, denique documentum istud famosum tradiderunt.

Quam rem quum Status præsertim Zelandiæ, una cum Groningæ aliarumque quarundam Provinciarum & civitatum Deputatis non uno omnes eodemque oculo ac animo intuerentur, & multi præjudiciorum maximorum plenam esse contenderent; jam facti narratione præmissa, amplam facti istius sui deductionem & declarationem subjungunt. Ubi quidem primo loco contra sentientium argumenta distincte recensent, quæ tum ipsam seclusionem Principis Arausionensis in abstracto, tum Angliæ Regnum, tum Status sui Rempublicam, tum quoque domum speciatim Arausionensem concernere monent. Quoad primum enim obvertebant contra sentientes, quod 1. Decretum illud seclusionis Principis Arausionensis cum constitutione & natura Unionis magnæ A. M DLXXIX. inter Provincias fœderatas factæ pugnaret, qua nulla Provinciarum a deliberationibus ullis sit excludenda, ne quicquam aliis præjudicio fiat, & ut libertas inconcussa perstet; quod 2. idem cum Declarationibus Confœderatorum omnium, tam ore, quam manu, extraordinaria quadam congregatione A. M DCLI, in Aula Hollandiæ, datis pugnet; & quod 3. seclusio absque ulla speciatim cum Statibus Zelandiæ communicatione per solos Hollandiæ Frisiæque Ordines concludi non potuerit. Atque hæc sunt argumenta, quæ ipsam seclusionem in abstracto concer-

concernunt. Quod secundo ad Angliæ Regnum attinet, objiciebant contra sentientes, quod 4. articulus seclusionis a scopo & sensu pacificationis cum Republica, ut tum vocabant, Anglicana, ejusque Celsissimo Protectore conclusæ deflectet, eique decimus ejusdem articulus plane obsistat; quod 5. ille absque præviis litteris significatoriis & consensu omnium Provinciarum ad Unionem pertinentium non legitime ratihaberi, multo minus Protectori per Generalitatis Statuum, ut vocant, Ministros extradi potuerit; & quod 6. idem cum decreto Statuum Hollandiæ die XIX. Febr. A. MDCLIV & attemperamento tum approbato pugnet. Porro si ipsam tertio Statuum Rempublicam respicias, contendebant contra sentientes, quod 7. decretum seclusionis libertati tanto pretio coemtæ contrarietur, eamque ut & jus Status absolutum, ac reliquarum Provinciarum jura summa sit turbaturum, quod 8. idem præjudicium subjectionis & pusillanimitatis, una cum despectu Status, apud alios Reges, Principes & Respublicas ipsis sit allaturum; & quod 9. dissensiones & factiones tum inter ipsos Provinciarum Status imperantes, tum inter subditos Statuum ex seclusione ista sint resultaturæ. Quod denique ipsam speciatim Domum Arausionensem spectat, instabant, quod 10. decreto illo Princeps Juvenis Arausionensis, una cum descendentibus suis, jure & potestate prærogativarum, nativitatis jure ipsi competentium, defraudetur; tum quod 11. defraudatio vel seclusio illa ingratitudo futura sit in domum Austriacam, tam bene meritam, ultra modum enormis; adeoque satius fuisset, decretum istud plane seponere.

At respondent ad hæc omnia Status Hollandiæ Frisiæque Occidentalis, primo in universum, quod Provincia Hollandiæ omnino, vi potestatis & jurisdictionis suæ absolutæ, sine prævia cum ceteris Provinciis communicatione, earumque consensu decretum seclusionis peremptorie facere potuerit: quoniam singuli Provinciarum Status, vi Unionis istius magnæ, jus & potestatem habeant absolutam de omnibus rebus, quarum in Unionis articulis nulla mentio fieret, vel quæ particulari Provinciarum consensu Generalitati non essent commissæ, id negative vel positive ordinandi & decernendi, quod ad provinciarum suarum, incolarum-

colarumve interesse pertinere, vel alio quocunque nomine necesse esse, ipsis visum fuerit; ceu id quoque documentum Statuum Zelandiæ, die XXX. Junii anni præsentis, congregationi Statuum Hollandiæ præsentatum, in ipsis terminis haberet. Consequi inde, quod cuivis sigillatim Provinciæ potestas absoluta competat de constitutione Gubernatoris vel Capitanei Generalis aut ejus seclusione, absque consiliorum cum aliis Provinciis prævia communicatione, hoc vel illud decernendi. Atque ita jam, ut rem exemplis & facto comprobent, in ipso Reipublicæ suæ principio Status Hollandiæ Frisiæque Occidentalis separatim & sine ullo alterius Provinciæ consensu, masculo consilio juramentoque secreto decrevisse, quod nunquam Regem Hispaniarum Provinciæ suæ Herum & Principem velint agnoscere; neque nomen, sigillum & titulos ejus in suis amplius decretis vel conclusis usurpare. Ita eosdem Status Ducem Andegavensem, Regis Galliæ fratrem & Belgii confœderati Protectorem, quum A. M D LXXXIII. mense Januario Antverpiam aliasque Statuum urbes potestati suæ impetu improviso, & ipsarum Status copiarum ope, subjicere tentasset, heroico facinore a Protectoris in Provincia sua dignitate seclusisse. Atque ita etiam Comitem Leicestriæ ab eadem Gubernatoris & Capitanei Generalis dignitate fuissent seclusuri, nisi ipse in tempore Rempublicam deseruisset. Secundo respondent, quod in congregatione magna A. M DC LI. habita nullæ declarationes factæ fuerint, quibus seclusio toties memorata repugnare possit; cum nulla in illis Principis Arausionensis ad supremas provinciarum suarum dignitates evehendi mentio occurrat. Tertio ostendunt, quoad, & in quibus rebus Hollandiæ & Zelandiæ Status per confœderationes suas particulares A. M D LXXV. & M D LXXVI. initas tenerentur, communicatis consiliis & non separatim quicquam decernere. Discrimen enim hic faciendum esse volunt inter constitutionem Gubernatoris in universum, quæ sine prævia utriusque Provinciæ notitia fieri non posset; & inter seclusionem vel promotionem hujus aut istius personæ ad prædictam dignitatem specialem, quæ, salva confœderatione particulari, tum Zelandiæ tum Hollandiæ libera permanerent. Quarto commonstrare

contra-

contendunt, quod decretum ſecluſionis nullatenus cum articulo decimo pacificationis, cum Angliæ Protectore concluſæ, pugnet. Nam utut articulus ille in terminis ita ſe habeat: *Ut nulla Provinciarum & Civitatum, neq; ulli earundem Deputati cum vicinis Principibus & Rebuspublicis confœderationem aliquam aut unionem, absque confœderatarum Provinciarum conſenſu, ineant:* in confeſſo tamen monent eſſe apud omnes, quod quidem omnes confœderationes & uniones ſint tractatus, contractus, compactata & promiſſa reciproca; at quod vice verſa omnes tractatus, contractus, compactata & promiſſa reciproca non etiam illico ſint confœderationes & uniones, perinde ac quidem omnes tractatus ſint contractus, compactata & ſponſiones, non autem vice verſa omnes contractus, pacta & ſponſiones ſint tractatus ſeu transactiones. Cumque adeo ſecluſionis decretum, de quo nunc lis eſt, ad Angliæ Protectoris inſtantiam perpetuam pacificationi annexum, declaratio tantum ſit & ſponſio obligatoria, de re quadam particulari, a ſola Statuum Hollandiæ poteſtate abſoluta dependente; & præterea poſt concluſam cum Anglis pacificationem memoratam Provinciæ fœderati Belgii quædam ſeparatim, quædam conjunctim cum vicinis Regibus, Rebuspublicis & Principibus varios contractus & tractatus ſimplices concluſerint; cujus rei unum alterumve tum Statuum Geldriæ, tum Statuum Ultrajectenſium, tum Statuum Hollandiæ & Zelandiæ exemplum affertur: inde pacificationis Anglicanæ violationem ſibi jure opponi non poſſe exiſtimant. Quinto reſpondent, quod de privatis & particularibus cum exteris Regibus, Principibus & Rebuspublicis colloquiis vel tractatibus nullius Provinciæ Status ceteris confœderatis ſuis notitiam facere teneantur, ceu ex facto atque exemplis quoque conſtet; quodque adeo etiam Status Hollandiæ de eo, cujus propalationem non ob unas rationes prægnantes inconſultam ducebant, libere & privatim cum Reipublicæ Anglicanæ Protectore tractare potuerint; quodque non obſtet, ſecluſionis iſtud negotium per Generalitatis Statuum Miniſtros & Legatos, *van Beverningk* & *Nieupoort* expeditum fuiſſe, cum in pacto iſto privato privatæ etiam provinciæ Deputatorum nomen poteſtatemq; habuerint. Sexto reſpondent, quod decretum ſecluſionis ſecreto

P Statuum

Statuum concluso, die XIX. Febr. A. MDCLIV. facto, nullo modo repugnet; cum quidem sperassent, & eo cum Legatis serio allaborassent, ut temperamentum supra memoratum articuli duodecimi a Protectore assumeretur; quod vero nullis consiliis, nullisque argumentis impetrare potuissent. Septimo negant & pernegant, quod seclusio Principis Arausionensis libertatem tanto pretio coemtam aut jus absolutum tum singularum, tum omnium conjunctim Provinciarum, contemeret & lædat, cum in libera Republica nemini per nativitatem jus summarum dignitatum competat. Non enim quidem dissimulant Status Hollandiæ, quod seclusione ista se ipsos potestate & libertate Wilhelmum, Principem Arausionensem, vel ejus aliquem descendentem ad dignitates summas antea nominatas, vel propria auctoritate in sua provincia, vel votorum suorum consensu in fœderatis Provinciis, evehendi exuerint. At quum ex altera parte etiam palam sit, tum omne bellum exercitio libertatis, qua sibi ipsis, ceu primis ejusdem in Belgio assertoribus & vindicibus nihil vel charius sit vel antiquius, obices violentos ponere; tum bellum Belgarum cum Anglis ipsis libertatem de hac vel illa re quippiam liberius disponendi, pariter ac incolis Provinciarum suarum facultatem commercia sua, quæ Status universi anima essent, feliciter tractandi ademisse: inde tantum abesse, ut is, qui in animæ suæ conservationem & libertatis recuperationem, aliqua re alteri quippiam supererogatorie cedit, libertatem læsisse dici possit, ut potius eandem conservasse & restaurasse dici debeat. Imo indicia esse certissima zelotarum contra sentientium motus, qui evectionem Principis Arausionensis ad summas dignitates, a majoribus ejus ornatas & administratas, adeoque velut jure quodam nativitatis ei competentes, urgerent, quod ipsi libertatis hostes sint præsentissimi; cum nullum libertatis argumentum sit, in libera Republica ei dignitates summas conferre, cujus majores eas jam antea ornarunt; quin potius ex omnium liberarum Rerumpublicarum historia & actis constet, rem ejusmodi vel imperio absoluto & Monarchico illas subjecisse, vel tamen multis aliis modis eis fuisse exitiosam. Ita Vicecomites, Nobiles antea Mediolanenses, & civitatis Mediolanensis Protectores, demum nomi-

ne

ne Protectoris in Capitanei Generalis titulum commutato, & Filia principe Joannis, Regis Galliarum, Joanni Galeatio Vicecomiti nupta, deinceps Ducum Mediolanensium sibi dignitatem & potestatem conciliasse. Ita C. Julium Cæsarem, ubi per decem annos militiæ Romanæ in Gallia Imperator summus fuerat, totam deinde Rempublicam Romanam, per ipsius Reipublicæ milites, sibi fidos, imperio suo subjugasse. Ita omnes Græcorum Respublicas, & quidem Corinthum per Cypselum; Syracusam per Thrasibulum, Gelonem, Dionysium, Hieronem & Agathoclem; Argiam per Phidonem; Ambraciam per Periandrum; Leontium per Panætium & Icetam; Agrigentum per Phalaridem; Candiam per Archilaum; Cyprum per Evagoram; Samum per Polycratem; Rhegium per Anaxilaum; Sicyonem per Nicoclem; Pheras per Alexandrum; & Catanam per Mamercum: perinde ac recentioribus temporibus Respublicas Italas, & quidem Veronam per Scaligeros; Bononiam per Bentivoglios; Faventiam per Manfredum; Perusium per Baleonem; Tifernum per Vitellium; & Florentiam per Mediceos fuisse subjugatas. Atque ita etiam, quod ad Belgium attineret, Ducem Alenconium, Provinciarum Belgii Protectorem, cui tamen & Provinciæ nonnullæ supremum imperium, certis quidem legibus circumscriptum, detulerant, Antverpiam aliasque Statuum civitates sibi cum universa Republica subjicere tentasse. Imo ita suis ipsosmet nuperrime oculis vidisse, quomodo Provinciarum suarum Capitaneus Generalis, haud ita pridem defunctus, A. MDC L. Amstelodamum, principem & potentissimam Reipublicæ suæ civitatem ipsis Status copiarum armis sibi subjicere, ac sex viros Statuum imperantes captivitati mancipare ausus fuerit, non sine maximo Reipublicæ detrimento. Præterea id quoque addunt, quod neque Reges in Europa consultum duxerint, Capitanei Generalis in militia sua munus perpetuum esse, ne forte per illos Reges aliquando ipsi sede sua dejicerentur; hincque tum Anglos, tum Gallos, supremi Regiorum exercituum magistri, *Connéable* dicti, munus summum abrogasse. Et quum ad rem hanc amplius illustrandam nec in Scriptura Sacra exempla desint, capite hoc simul adjecta, satis eapropter evictum esse putant, seclusionem

ſuam libertati Reipublicæ tanto pretio comparatæ non obeſſe, ſed prodeſſe. Octavo reſpondent, quod Decretum ſecluſionis nullam vel ſubjectionem vel puſillanimitatem inferat; cum conſtet, illud unice in belli tam ſanguinolenti extinctionem, in libertatis tantum concuſſæ reſtaurationem & in tranquillitatem provinciarum confœderatarum omnium eſſe factum; contra vero ſecluſione iſta ſepoſita, timendum fuiſſe, ne belli flammæ diutius eſſent & atrocius duraturæ. Nono probant, diſſenſionum & factionum in Provinciis anſam non per Decretum ſecluſionis, quod ad tuendam ſancte libertatem & pacem publicam imprimis ſpectaret, ſed per motus & diſſenſiones eorum ſuppeditari, qui liberam Rempublicam non ſine capite aut Principe ſummo ſalvam eſſe poſſe, perperam crederent. Decimo reſpondent, quod in libera Republica ſummæ dignitates digniſſimis unice ſint conferendæ, & nemo eas jure nativitatis ſibi vindicare poſſit. Undecimo oſtendunt, quod nulla utique Statibus Hollandiæ Friſiæque occidentalis in Celſiſſimam Domum Auſtriacam ingratitudo obverti poſſit; cum partim gratitudinis in eandem documenta ſat multa, ſatque magna proſtent, utpote quam, præter tot in dignitatibus ſummis ſucceſſiones, & præter ceterarum Provinciarum beneficia innumera, a ſola Hollandiæ provincia, Mauritii, Friderici Henrici & Wilhelmi III. temporibus XIX. milliones & 699758 florenos accepiſſe, publicæ rationes oſtenderent; partim vero in libera Republica liberum maneat, num beneficia ſua ad deſcendentes velint extendere & imperium infantibus æque ac viris permittere.

Atque huc redit deductionis iſtius non ignotæ caput & ſumma; cui demum XLVI. documenta, cum avthenticis collata, in antea dictorum comprobationem manifeſtam, ſubjiciuntur. Tametſi vero præter alia plura Decreto ſecluſionis ejusque declarationi die IV. Aug. A. M DC LXVII. novum aliquod Edictum, quod Perpetuum vocant, acceſſerit, quo Capitanei Generalis & Gubernatoris Hollandiæ ſpartam dignitatemque, juramento omnibus, qui vel ſummum vel infimum aliquod munus tenent, impoſito, plane, ut ajunt, mortificatam aut extinctam voluere: nihilominus tamen rerum temporumque viciſſitudo, Wilhelmo III. Principe Arauſionenſi, & poſtea etiam Angliæ Rege

ge, A. M DC LXXII. ad Capitanei & Gubernatoris Generalis in Belgio confœderato dignitatem summam non infeliciter admoto, omnes edocuit: *Majorum decreta, utut gravissima, nec valida semper esse, nec perpetua.* Quæ cetera sunt Statuum Hollandiæ Frisiæque Occidentalis decreta, tum res civiles tum res militares & ecclesiasticas spectantia, & in futurorum etiam temporum usum inservientia, ea magis ipsa introspexisse, quam hic summatim recensita legisse juvabit.

JOANNIS SCHULZII FLORUM SPARSIO ad loca quædam, in re litteraria controversa. Ad Virum Amplisf. D. CHRISTFRIEDUM WÆCHTLERUM JCtum & Litteratorem apud Dresdenses celeberrimum &c.

Francof. ad Mœnum, apud Mart. Hermsdorff, 1707, 12. Plag. 12.

Occasionem ad deproperandum hoc Opusculum Autor sibi datam esse putavit ex nonnullorum censuris, quibus hic modeste pariter ac erudite respondet, tum vero disserendi materiam nactus, ingenii, variæque lectionis, ac solidioris litteraturæ facultates pandit, &, ut titulus libri præfert, ad Grotii Lydiique exemplum effictus, flores jucundissimos spargit.

Primum igitur *de Veterum emendandi retractandiq; studio* ex Lipsio, Vossio, Gaudentio, Perizonio, Sagittario disserit, & cur p. 6.
Horatius Poetas *genus irritabile* dixerit, verbis J. Camerarii declarat, simulque rigidas Cunæi in Nonni Dionysiaca censuras cum Dan. Heinsio expendit, post via sibi ad propositum munita, de 9.
Tholis Veterum ex Vossio, Thomasino, Achille Statio & Val. Chimentelio tractat, & descriptis *Prytanensibus*, propriam vocum *figere, pangere,* notionem ex illo ritu indagat. Examinato deinde 15.
promptitudinis vocabulo, Lexicographorum labores non sufficere, sed *Scholiastarum* etiam & *Glossarum* suffragia in auxilium vocanda esse monet, adductis Goclenii, Mureti, Canteri, Bœcleri, Borrichii, Gronovii aliorumque sententiis, & vindicata simul autoritate Eutropii, ejusque codicum, quos contulit nuper Thomas Hearnius. Exponit dehinc æneæ ætatis Scriptores, in his *Grammaticos* & *Scholiastas*, quos non incommode *Masorethas Latinos* appel- 18 seqq. 21. 23.

p. 25. & de *Servio* quidem Beroaldi, de *Prisciano* Scioppii atque
291. Brunsmanni, de *Acrone* Parrhasii, Nannii, Vossii, Ptolemæi
39 & Flavii, L. Scoppæi, de *Asconio* Hadriani Cardinalis, Modii, Hoto-
202. manni judicia adducit, exprobrata Mureto aliisque Criticis in
29 & 253. Geographicis ignorantia. Porro usum particulæ *In*, & apud
Græcos τῦ εἰς, ἐν, ὅτι, εἶτα exemplis quam plurimis docet,
Bosiique sententiæ accedit, non redundare illas, sed plane ex lin-
42 seqq. guæ genio poni, ubi simul de Livii, Ciceronis, Justini idiotismis tra-
& 256. ctat, adjecta farragine singularium structurarum in Latina lingua,
castigato quoque Nizolii Thesauro, & vulgaribus libellis Gramma-
35 seq. ticis. Commendat in orthographia Latina *Pandectas Florenti-*
nas, quas mirifice hic extollunt Politianus, Ant. Augustinus,
39. 292. Carrio. J. Godofredus, Labbitius, Laur. Theod. Gronovius & J.
Clericus; Inscriptiones item antiquas & optimos codices, quor-
sum exempla bene multa per totum libellum sparguntur, & Gifa-
nii, Guilielmii, Popmæ, Passeratii, Barthii, Loensis, Manutii,
49. seqq. Lipsii, Dausquii, Cellarii symbolæ afferuntur. Ad *Illustris* ti-
220. & tulum annotat, quomodo is a Romanis Equitibus ad Præfectos
296. Prætorio, mox ad Francorum Reges, deinde ad Missos atque
Legatos eorum, demum ad Scultasios transierit, castigatis Ludov.
51. deDieu & Isaaco Casaubono, defensoque Luthero, illud *Act. XXV,*
23. recte convertente, rejecta etiam sententia Menagii, negantis,
59. Atticis superiores quoscunque dictos ΤΙΜΙΟΥΣ, ubi plura de
259. voce τιμῆς ex Falconerio, Rittershusio, Mart. Themis, Ant.
Perizonio, eleganter quoque expositis hinc locis *1. Tim. V, 17.*
Hebr. II, 9. & Canone VIII Concilii Niceni. Paria observat
de *Clarissimi* appellatione, apud JCtos, Jac. Lectio leviter corre-
62. cto. At *Nobilissimos* Cæsares, quorum mentio in antiquis mar-
moribus, cum Ez. Spanhemio & Cupero recte de *Porphyrogennetis*
interpretatur, id quod Francorum Anglorumque Reges simili ap-
pellatione *Adelingorum* imitati, quorum filii *Clitones, Clituncu-*
67. 70. *li* quasi *Inclyti*, dicti. Saxones item distinctos ait in *Edhilingos, Frilin-*
262. *gos* & *Lazzos*, & a Fr. Junio & Petro Victorio dissentit. Examinat
63 seq. etiam nummum Commodi, respondetque Oiselio, ambigenti de
Anubis simulacro, instituta digressione tum de πολυωνυμίᾳ,
tum

tum de ἀνωνυμίᾳ Deorum Gentilium, expensoque Paulo *de Deo Atheniensium ignoto*, ac nomine Josephi Ægyptiaco, ubi & de Θεῷ ἀῤῥήτῳ, ἀκαταονομάστῳ, κεκρυμμένῳ, *arcano, incerto*, *innominato* apud Tacitum, Lucanum, Pollionem, Josephum, Philonem. p. 292. Qua occasione etiam Arcerii, Seldeni, Huetii, Witsii, Cudworthi, Dikinsonii sententiæ, *Mosen* esse *Moschum*, expenduntur: repetita Angeli Rochæ querela, de obscuritate Ægyptiacorum nominum, & rejectis Kircheri atque Harduini originationibus. Nec illud inelegans, *Crucis figuram Osiridi sacram, ejusque causas*, testibus Pignorio atque Mich. Neandro, 63. *Paganis arcanas fuisse*, unde conjicit manasse opinionem Ethnicorum, 66. & commune quidpiam Christo cum Serapide fuisse, quorsum Salmasii, J. Godofredi, Seldeni atque Js. Vossii conjecturas allegat, 294. & rariores significationes vocum Ἀνὴρ, ἀθλητὴς, ἄνθρωπος, 69. 260 στρατιώτης, βασιλεὺς, Καῖσαρ, *Mas*, *Dux*, ex Victorio, Cujacio, & 267 F. Petito, Grotio, Falconerio, Perizonio, Ruperto, Schurtzfleischio explanat, unde non tantum Inscriptiones, sed & loca *Job. XIX, 5. Actor. XXIII, 23. XXVII, 25.* nec non *l. qui balneum D. qui potior. in pign. l. 38. §. 5. D. de pœnis. l. 1. C. de Latina lib. l. 4. C. qui manumittere non possunt* explicari possint. Convertit se deinde ad alteram Dissertationis hujus partem, quæ tota ad Poeticam spectat, ita tamen ut ornamenta ex utraque literatura velut flores appareant. Differens de *Phonascis*, *Phonasciis* & Ηχείοις, *rythmis*, 75. 84. *metris*, νόμοις & διδασκαλίαις & ἀποκρήσεσι veterum, 273. usum cujusque vocis evolvit, Casp. Hoffmannum ex Petito corrigit & juvat, Henninii conjecturam refellit: *Paulum in Græcorum Ηχείοις institutum fuisse*. Lucianum porro, Christum μέγαν ἄνθρωπον, & Christianorum doctrinam θαυμαστὴν σοφίαν appellantem, per contemtum hoc fecisse, probat ex ἀνθρώπου & θαυμαστοῦ singulari notione, θαύματα scilicet sæpe 83. & *præstigias*, uti apud Latinos *miraculi* vocem *res turpes*, denotare 264. contendit. Ostensis deinceps veterum ac recentiorum Poetarum nævis, Scaligeri Hypercriticum ex Vossio & Heinsio examinat, *Lessi* verum usum ex optimis Criticis restituit, cum aliis multis hujus generis, atque Inscriptionum fide docet, vocabulum

Apte

p. 265. *Apte* proprium esse curandis funeribus. Eodem modo exponit
104.266. voces *Augendus*, *Auctus*, *Augustus*, *Auguratus*, *Ampliatus*, *Devo-*
101. *tus*, *Mactus*, *Magmen*, & non prorsam tantum vorsæ orationi
in Epitaphiis, sed & in numis Græca Latinis permisceri consuevis-
184. seq. se, *Æolismos* item in Latium migrasse, hinc orthographiam La-
107. tinam multa traxisse ex Græca vocalium permutatione, id quod
auctoritatibus Virorum in re litteraria principum & exemplis lu-
culentissimis p. 110. 150 seqq. 215. 220. 296 probatum ivit, indeq;
factum fuisse autumat, ut ipsa Auctorum nomina non parum cor-
rumperentur, testibus P. Petito, Divæo & J. Jonsio. Examinan-
dum deinde sibi elegantissimum Ursini numum in familia Tarqui-
111. tia cum Inscript: ΠΡΑΤΤΩΝΤΟΣ sumit, Fulvio (de quo elegans
judicium Rutgersii) partim correcto, partim defenso contra Cu-
113 seqq. peri censuram, ubi digreditur ad observationes de Ἔρδειν ῥέζειν,
πράττειν, θύειν, ποιεῖν, illustrato hinc loco *Luc. II, 27.* &
versione Lutheri contra A. Buchneri stricturam excusata. Paria
127 & legas de vocibus *facere*, *agere*, *gerere*, *operari*, *conficere*, *macta-*
268. *re*, quas omnes prima origine victimarias fuisse, postea ex Sacris in
Circum, ex hoc in Scenam, demum ad omnes vitæ actiones, im-
primis ad secundam belli fortunam; traductas fuisse monet, ubi
non temnenda de *Agonio* Deo, de *Agonalibus Sacris*, *victimis*,
119. *sacerdotibus*, de usu τῦ *agere l. 1. ff. de edend.* & *l. 12. pact. conv.*
τῦ *condemnare* & *κρίνειν Matth VII, 1.* τῦ *ἄγειν καὶ φέρειν*
126. afferit, correctis Rad. Fornerio, Cujacio, Grotio & Alb. Gentili,
laudatis contra Dudæo Modio, Rufo, Robortello & H. Dodwel-
lo, exposito item *Arrii* numo apud Patinum, quem commode in-
terpretatus est J. Perizonius. Subjicit his suam de Ursini numo con-
jecturam, Aram scilicet de Victoria Dea, *πράττειν* de re bene
gesta, litteras NEIK ex Homero & Græcis Inscript. de hono-
re Heroibus dari sueto intelligit, simul & Græcos Patres atque
128. Latinos de usu τῦ *ποιεῖν*, *conficere*, *facere* in S. Cœna ex Casau-
130. bono, Albaspinæo, Espencæo, Mastrichio, Beveregio, Mornæo,
131. Molinæo, Dallæo explanat, *χρίσμα Joh. II, 27.* cum Tennulio
de Paracleto Unctore capit, cum animadversione de voce *Dius* &
μακάριος. His expeditis observat, non semper opus esse, in
Inscriptionibus ut litteræ geminentur, etsi de pluribus sermo sit;
imo

imo in numis multas literas apparere, quæ otiosæ quodammodo, & nihil ad sensum facere videntur. Post miram antiquitatis fraudem detegit, *plerasque inscriptiones, quæ prima Reipublicæ tempora mentiuntur, demum a posteris ævo Augusteo subjectas fuisse*, quod de Ægyptiacis quoque monumentis, de Tabulis Capitolinis, de numis familiarum, de titulis in Galliæ Regum tumulis observasse ait Sam. Maresium, Thom. Hearnium, Petrum Seguinum & Petrum Gassendum, explicato ex Schurtzfleischio Boissardi lapide, *de Druide fœmina*, excusato item Occone, ubi de Allatii penna, & correctis passim libellis prosodicis, cum sylvula licentiarum etiam in optimis Poetarum. Hinc *funalium* veterem rationem accurate exponit, ubi non injucunda *de funali equo, crebro funali, Elephantis funirepis*, & *Luminarium* usu apud Gentiles pariter ac Christianos. Commendat Servium Petri Danielis, deserit Richardum Bentlejum, negantem correptionem diphtongorum apud Græcos, cui satisfactum sit nuper a Johanne Jensio. His farraginem subnectit nominum propriorum, in quibus, si forte repugnarent versui, admodum licenter versati sint Poetæ & multa passim turbarint, forte etiam quia priscis Græcis atque Latinis multarum literarum usus primum ignotus, & aliæ aliarum loco usurparentur. Excurrit porro ad *Lares*, quos etiam *Lartes* dici observat, *Lars* enim Thuscis προςάτης, hinc commode illustrat loca *1 Tim. V, 17. Rom. XVI, 2. Joh. X, 3. Act. XVII, 17.* Προςάτας etiam Athenis fuisse *inquilinorum præsides*, quibus utebantur ξένοι καὶ πάροικοι, teste Harpocratione, hinc Paulum jucundissimam trajectionem petere *Eph. II, 19.* Græcos non esse amplius πάροικυς, sed συμπολίτας τῶν ἁγίων καὶ οἰκείυς θεῦ. Stephanum quidem le Moyne existimare, illam trajectionem ex ritibus Judaicis petitam esse; sed Auctori magis probabile est, Paulum potius ad Græcum municipii jus ex præscripto legum Atticarum respexisse. Expendit etiam προςάτυ vocem ex Casaubono, Salmasio, Bapt. Coteleriο & Inscript. Græc. ubi de *Agonistarchis* occurrit, eosdem Lares dictos *Genios* & Ἐφέςιυς θεὺς, quibus contradistincti λύσιοι θεοὶ, docente ad Simplicium Salmasio; conjicit vero, locutio-

p. 141. 147. 151. 161. 172. seq. & 270. 178. 180 & 271. 186 & 191. 189. 197. seq.

tionem illam *Act. II, 24.* λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου ali-
quid lucis hinc capere. *Fusiam* quoque Legem apud Imp. Just. &
Paulum Lib. IV. Sent. C. 14 eandem quam *Furiam* esse apud Ul-
p. 193. pianum & Theophilum probat; literam enim R teste Pompon. l. 2.
§. 36. de O. J. sero inventam apud Romanos, ejusque loco S posi-
tum fuisse, e. gr. in *Asam, Cusem, Esit, Lases*; & a *Laribus* fa-
miliam Lartiam & Anglicam vocem *Lords*, consentientibus Nan-
nio & Pithœo, origines traxisse docet. Quibus ita expositis, redit ad
195. Poeticas observationes, vindicat licentias Ausonii, Prudentii & re-
centiorum Poetarum, quos omnino etiam imitandos esse suadent
Barthius, Vossius, Muretus, Naudæus, aliique. De Casaubono sin-
199. gulare P. Molinæi judicium ex Colomesio affert, differitque de cæ-
202. seq. *lesto* Afrorum *Deo* & de vero usu vocum: *auricomum nectar, Ambro-
sium, corymbus, aurea coma, de comatis arboribus, & vitibus crini-
tis*, hinc quæstionem Juris: *an vites arboribus sint accensendæ?* apud
Magium, Meursium, Menagium, Bruyerinum, ex Jud. IX, 13. de-
cidit, veteres capillis non tantum aureum pulverem inspersisse,
sed aureas etiam cicadas implectere consuevisse, cujus ritus ve-
stigia sint apud Ælianum & Nonnum. His denuo subnectit
sylvam rariorum epithetorum, quorum singularis apud Aucto-
res significatio, v. gr. *coctus* pro prudenti, *cocta ligna* pro non
206. fumosis ff. de V. S. & l. ligni appell. ff. de Leg. 3. *virentes* pro
mortuis in Inscript. (quomodo & apud Syr. XLVI, 15. *virere ossa
Prophetarum* dicantur) *superbus* pro mortuo, μέγας pro sto-
207. lido, *plures* pro malis, *nobilis* pro notho, *constans* pro im-
pudenti, *Latina oratio* pro obscœna &c. Hinc de *Orthio Car-
mine*, quomodo distinguatur a σκωλίῳ ex Scholiaste Aristoph.
211. Eustathio, Suida solide differit, & rationem hujus cantionis a
Judæis ad Paganos manasse contendit, non abnuente J. Davisio
302. ad Maxim. Tyr. 1703 Cantabr. ed. vestigia etiam illius moris ap-
parere in Cantilenis veterum Germ. & Antiphoniis primitivæ Ec-
clesiæ, quarum leges descripserit Arnoldus Dehnius. *Sophianum*,
non Michaelem, ut volunt Victorius, Gruterus, Colomesius, sed
213. Nicolaum, testibus Nic. Gerbelio & Scaligero, dictum fuisse o-
stendit; *Druides* item denominatos a δρυὸς, quod & quercum
& quam-

& quamlibet arborem significet, uti *roboris* vocabulum Latinis. p.217.
Pergit, in ipso S.Codice η cum υ sæpissime permutari, & farragi- 270
nem denuo rariorum exemplorum genuinæ orthographiæ, ex au- 296. seqq.
thoritate summorum Criticorum exhibet. Apud veteres item di- 221.
versimode flecti *Gauron Gaurus, Aulon Aulus, Caulon Caulus, Di-* 226.
do Didus, Sappho Sapphus, Pyrino Pyrinus; antra iisdem dici pro 216.
ædibus; *Nymphas* quascunque pro Musis addit. Paria observat
de *limitis* singulari notione, de *limitaneis fluviis, militibus, Limenti-* 228. seq.
no Deo, Lima Dea, limite item *decumano* in Jure, rejectis senten-
tiis Politiani & Hermolai Barbari. Porro de *Callinico* cantionis
genere differens, communem sententiam tuetur, Græca voca- 230.
bula, civitati Latinorum adscripta, non mutare accentum, ubi
etiam de accentibus Latinorum. Vindicat a barbarie *famige-* 234 & 304.
ratissimi vocem ubi & de *diffamandi & famosi* significatione in bo-
no sensu, ex Jacobo de Cruce, Gronovio, Donato, Thysio. 236.
Stobæum rectius *Stobensem* dicendum cum Valesio & Holstenio 241.
judicat, uti & Pyndari *Pythionica* rectius quam *Pythia*. Tan- 269.
dem totam Dissertationem, exemplo Andreæ Schotti, jucunda
Inscriptione ex optimis veterum Formulis composita munit; &
spicilegia ex varia eruditione Mantissæ loco subjicit, quæ tra-
ctant de *Evlogiis* Episcoporum, de Ægyptiacis Chaldaicisque mo- 249.
numentis, de usu particulæ *quod* pro *ut*, de *sugillandi* voce ex re 251.
Gymnastica petita, (unde ὑπωπιάζειν Pauli & illud Christi
Matth. VI, 23. Marc. VII, 22. Luc. XII illustrat) de *Murcea Dea*,
de *naso Attico*, Eph. IV, 31. de sorte, sortitionibus, Κληρωτοῖς, 254.
Clero, & Natalitiis Martyrum: de genuino usu vocum *stipu-* 256. seq.
landi, dividendi, deportandi, dandi, dedicandi, castigatis Nizolio 258.
& J. Clerico: de Patricia dignitate: de reliquiis Paganismi 260.
inter Christianos: de *Baronum Comitumque* priscis significatio- 262.
nibus: de pronominis ἀυτὸς honorifica appellatione: de ge- 264.
nuino *Catulli & Tibulli* ἔτυμῳ: de *Sebaste, Augusta, Augustamnica*
item & *Epiphania* urbibus: de ἁγία τράπεζα, θεοῖς ἐπιτραπε- 268.
ζίοις: de Auspiciis veterum: de lege Papia: de Cereorum insti- 270.
tutione: de meridiationibus veterum, & Dæmone meridiano 271.
Psalm. XCI: de mendis Glossarum, de Homeri solœcismis, He- 291.

p. 295. braiſmis eorumque cauſis, nec non de Maſorethis Homeri: de vocibus θυσία, θυσιαστήριον, δῶρον, κορβᾶν: de antiquis Ortho-
300. graphiæ Scriptoribus: de Scholiaſtis Græcis valde corruptis & interpolatis: de ἅπαξ λεγομένοις: de uſu particulæ *vel* pro &:
303. de Voſſii Ariſtarcho ab G. H. Urſino fuſe caſtigato: de ſtigmatibus & notis Chriſtianorum ad locum *Gal. VI, 13*: de Literato-
304. ribus, Tefferariis, Magiſtris Scriniorum.

AUGUSTI BUCHNERI EPISTOLARUM Partes tres, quarum tertia jam primum adſpicit lumen; opera M. JO. JACOBI STÜBELII, Ill. Afr. Miſn. Rectoris, cujus præfatio de Scriptoribus variis Epiſtolarum præmiſſa.

Francof. & Lipſiæ, apud Mart. Gabrielem Hübnerum, 1707. 8. Alph. 2. plag. 20.

QUemadmodum A. M DCC V Menſe Octobri p. 448. Volumina Orationum *Buchneri* tria recenſere noſtrum putavimus, ita nec alienum credimus a nobis, tres Partes ejusdem diſertiſſimi Autoris Epiſtolarum conjunctas hic referre. Atque hoc magis convenire id nobis arbitramur, quod *Buchneri* Epiſtolarum pridem editarum, & jam quinta vice recuſarum, nondum in Actis his mentio eſt facta. Idem editor M. *Johannes Jacobus Stübelius*, Rector Illuſtris Afranei, qui tertium Orationum faſciculum duobus antea evulgatis adjecit, nunc quoque tertium Epiſtolarum duobus prioribus addidit, atque agrum ſic dedit ampliorem, in quo ſpicas, aut pratum ſpatioſius pulchriusque, in quo flores legere ingenui adoleſcentes poſſint. Operam autem perquam utilem ſe inſumturum cenſuit, ſi ſingulis epiſtolis argumenta præfigeret perſpicua & concinna, & cujusque genus & materiam lectorum oculis illico ſubjicientia; qualia etiam non ſine juventutis evidenti commodo, cui unice invigilat, ſingulis in quaque parte præmiſſa cernimus. Curavit inſuper, ut quam emaculatiſſimæ omnes tres partes prodirent; quamobrem & priores duas perlegit admodum ſtudioſe,

diose, ac plurima menda, quæ incuria & inscitia describentium irrepserunt, sustulit, ac solicite, quantum quidem in se fuit, providit, ne nova illis & tertiæ immitterentur. Totique huic operi, quod ex epistolis constat ad illustrissimos & doctissimos Viros perscriptis, quo commendatius foret, præposuit *Præfationem* luculentam nec brevem, in qua *de plerisque nobilioribus Latinarum Epistolarum Scriptoribus* erudite disserit, & quid in quoque probandum, quidve culpandum aut rejiciendum videatur, examinat, ostenditque adeo, præ cæterorum, potissimum recentiorum, Epistolis, ipsisque *Baudianis*, *Lipsianis*, *Maresianis*, *Boxhornianis*, juventutis manibus terendas esse *Buchnerianas*, quæ diligenter lectæ ipsæ se satis cum styli venustate ac elegantia, tum materiarum diversitate atque copia, & earum quamvis decenti compositione commendabunt, nec pœnitendos legentibus, præcipue dictionis puræ ac nitidæ amantibus, dabunt fructus. Nos ex aliorum de illis judiciis, quorum aliqua Cl. Stübelius præfationi subjunxit, unum hoc *Morhofii*, maximi nominis ac existimationis Viri, nec infelicis ingeniorum censoris, adscribemus. Sic vero ille in libello *de ratione conscribendarum Epistolarum* & *in Polyhistore* suo: *Aug. Buchneri epistolarum Tomi duo prodierunt Dresdæ anno 1679 & 1680. Erat Vir ille ad omnem nitorem literarum factus, Orator optimus & Poetarum suo tempore inter Germanos Princeps. Bene sane meriti fuerunt de orbe literato, qui has ejus epistolas publicarunt, in quibus multa sunt de rebus literariis judicia. Stylus ipse elegans, quanquam concisus. Formata tamen ipsi e Cicerone dictio est. Quod vero τὸ περιοδικὸν spectat, ab ipso diversus. Quantus hic fuerit Ciceronis æstimator, videas ex epistola illa luculentissima, quæ est XXXII. P. II. ad Schneiderum Ducis Holf. Consiliarium, qui ipsius consilium rogaverat de Curtio, an scilicet ipsius stylus ad eloquentiam Romanam sufficere posset? Sed in alia omnia it Buchnerus, qui Curtii declamatoriam indolem abesse judicat a puritate nitoris Romani. Solum itaque Ciceronem illic ad omne scribendi genus commendat unice; ne quid dicam de variis rebus & judiciis, quæ habet de autoribus veteribus & recentioribus.* Optamus denique, ut sumptus huic libro impensus eveniat salubriter ju-

ventuti scholasticæ rogamusque illos, apud quos plures Epistolæ *Buchneri* latent, ne publico invidere velint.

SAMUELIS DALE PHARMACOLOGIÆ, SEU Manuductionis ad Materiam Medicam Supplementum.

Londini, impensis Sam. Smith & Benj. Walford. 1705, in 8.
Const. pl. 19½. chart. aug.

NObilissimum *Autorem* extitisse primum, qui diffusam omnis Materiæ Medicæ, sive cunctorum Simplicium, triplici Naturæ regno comprehensorum, cognitionem ex vastis multorum voluminibus in epitomen studiose contraxerit, contractamque in Philiatrorum aliorumque gratiam emiserit, in *Actis* nostris *Mense Julio A. 1694 p. 337* merito asseruimus, cum *Pharmacologiæ sive Manuductionis ad Materiam Medicam*, ab eodem Londini An. 1693 editæ, strictam exhiberemus recensionem. Neque laudatum opusculum publico displicuisse, variæ novæ ipsius impressiones, hic illic magno plausu factæ, certissime attestantur. Ab eo autem tempore quia *Noster* in plurimos libros de Re Medica agentes incideret, vel recentius impressos, vel saltem antea non visos, adverteretque a se multa omissa fuisse, quæ in medicum nihilominus vocarentur usum, haud destitit talia omni diligentia colligere, atque tum Simplicia officinalia, tum alia priori libro neglecta, in præsens compingere Supplementum. Quod avide pariter exceptum iri, eo minus dubitamus, quo majorem *Autor* operam dedit, ut, præter notas Vegetabilium characteristicas ex *Rajo* petitas, ubique de Materia Medica Dioscoridis liquido constaret, quamvis in votis habeat, a Clariss. *Tournefortio*, itinere per Græciam insulasque adjacentes feliciter absoluto, de antiquorum Græcorum plantis observata cum orbe literario prius fuisse communicata. Quorum opera usus est, nomina hic quoque fideliter non minus indigitantur, ac sub calcem, tam Simplicia omnia officinalia, & in Phar-

Pharmacologia, & in præſenti Supplemento contenta, quam nomina eorundem Anglico-Latina, Indice duplici deſignantur. Cæterum de modo pigmentum cœruleum ex Cobalto in terris noſtris Saxonicis conficiendi, pro ſecreto diu habito, non poſſumus non annotare, in *Speculo Metallurgiæ politiſſimo* a *Balthaſare Rœslero* Dresdæ idiomate Germanico A. 1700 f. divulgato p. 162 & ſeqq. exactiorem multo ipſum haberi, quam quem D. D. *Davidi Krieg Autori* æque noſtro *p. 27*, ac in *Actis Philoſoph. Anglican.* N. 293 *p. 1754* communicare placuit.

FRIDERICI HOFMANNI, CONSILIARII & Archiatri Regii, Medicinæ & Philoſophiæ experimentalis P. P. Ord. Idea fundamentalis Univerſæ Medicinæ ex Sanguinis Mechaniſmo methodo facili & demonſtrativa in uſum tyronum adornata.

Halæ Magdeburgicæ, apud Chriſtoph. Andr. Zeitlerum, A. 1707. 4.

Conſtat plag. 11.

UTut hoc noſtro præſertim ævo Viri doctrina & experientia Medica excellentes omnes Medicinæ partes ſummo cum ſtudio, nec ſucceſſu infelici excoluerint egregiisque inventis auxerint (id quod ipſa Acta noſtra ſatis ſuperque loquuntur;) haud quaquam tamen diffitetur Autor de re Medica dudum optime meritus, *eſſe hanc Artem difficilem in diſcendo, perplexam & confuſam in ſentiendo, infidam & incertam in applicando.* Cauſam aſſignat duplicem, nempe inſufficientem hiſtoriæ morborum cognitionem & ſelectarum circa res corpori humano vel ſalutares, vel nocuas, obſervationum defectum, atque demonſtrationis ſolidæ inopiam, ſeu methodum tractandæ Medicæ theoriæ confuſam. Ad priorem defectum tollendum ſocia multorum requiritur opera. Quare celeberrimus Autor dudum optavit, ut Medici omnibus in locis accuratas quotannis morborum hiſtorias ederent, cumque in Idea ſua evincat, aeris multum eſſe in ſanitatem influxum, obſervationes Meteorologicas

gicas simul adderent. Eum in finem jam 1701 *Observationes Barometrico-Meteorologicas & Epidemicas Hallenses Anni 1700* publici juris fecit, Illustri *Leibnitio* institutum hoc multum probanti dicatas, in quibus singulis diebus per totum annum omnes mutationes tempestatis, ventorum & graduationum in Thermometro & Barometro annotantur, morbique mensibus singulis grassati cum notabilioribus symptomatibus describuntur, partim ut suo exemplo ad simile quid faciendum alios invitaret, partim ut viam, qua eundum, monstraret. Alterum impedimentum in præsente opusculo removere conatur, in quo Artem Medicam in Scientiæ formam redigere intendit: quod præstiturus, unum clarum perspicuumque principium, circulum nempe sanguinis, assumit, ex quo, quicquid de vita & sanitate corporis, de morborum origine, de modo agendi medicamentorum, de methodo curationis & methodo præservationis cognitu necessarium, methodo demonstrativa deducat. In circulo vero sanguinis duo distincte considerat, solidum nempe & fluidum, illud ceu movens, hoc quod movetur & propellitur: in solido expendit strictum & laxum, in fluido proportionem ac temperiem. Vita ipsi est perennis fluidorum per tubulos beneficio impulsus solidorum progressio, corpus corruptibile a corruptione præservans: Sanitas vero certus ordo motus sanguinis circularis, in moderato & libero sanguinis progressu beneficio pulsus cordis ac toni fibrarum æquabilis, seu æquilibrio solidorum & fluidorum consistens. Nimirum in Sanitate impulsum solidorum esse debere moderatum & æquabilem, humorum proportionatam ad vasa & robur fibrarum copiam, decentem elementorum componentium proportionem, vasaque libera & aperta. Temperamentorum naturam & diversitatem a fibrarum motricium copia, magnitudine, robore, sanguinis materia & temperie, vasorum copia, capacitate & exilitate derivat. Morbum definit, quod sit circulus sanguinis vel immoderatus, vel impeditus, vel inæqualis propter læsum æquilibrium pulsus ac toni solidorum & intemperiem ac indecentem proportionem fluidorum. Morborum varietatem a variis modis, quibus circulus sanguinis lædi potest, petit. Quare cum par-

partibus moventibus, cordi nempe ac fibris universi corporis, quæ subtilissimo sanguinis & elastici aeris fluore animatæ omnis generis fluores constrictione per vasa impellere ponuntur, systolen tribuat atque diastolen, utraque vero lædatur, si nimia fiat; ex systole læsa spasmorum, ex læsa diastole resolutionis, laxitatis ac debilitatis fibrarum originem explicat. Si pulsus in corde & vasis augeatur, tonus in fibris intendatur, circulationem fieri celerrimam, febrimque excitari; si motus partium musculosarum nimis intendatur, ac ipsæ locum suum mutent, convulsionem fieri & circulationem partim inæqualem, partim immoderatam reddi notat. Morbos itaque omnes vel ad spasmos referri debere, vel ad atoniam seu partium debilitatem, vel ad febres, vel ad convulsiones. Quibus in genere præmonitis, in specie ostendit, quinam morbi ad classem unamquamque sint referendi, & quomodo unus idemque morbus pro diversa corporis, quam afficit, parte diversa sortiatur nomina. Exposita morborum ratione formali, ad causas efficientes enumerandas progreditur, eas scilicet, quæ circulum sanguinis turbant & tonum partium solidarum lædunt. Considerat primo causas proximas; dein remotas. Ad proximas refert *1. animi affectus*, quorum in partium solidarum tonum, robur ac impulsum actionum aliquibus exemplis declarat: *2. venena*, tum extrinsecus advenientia, & vel putredinosam fluidis fermentationem afferentia, vel partes solidas aggredientia, vel sulphureo alieno principio circulum humorum sistentia fluidumque spirituosum nervorum exstinguentia; tum intra corpus genita, ut excrementa agilissima salino-sulphurea, per habitum cutis propelli solita, ubi regrediuntur, putredinem sive solidarum, sive fluidarum partium; sanguinis coagulum seu polypum: *3. plethoram*, fibrarum tonum ac elaterem solventem vasaque nimium distendentem, ut circulus fiat debilior; atque *cacochymiam*, impuritates generantem & sanguinis circulum atque necessarias evacuationes, præsertim perspirationem, minuentem. De causis remotis dum agit, monstrat, quomodo temperamentum, ætas, sexus, hæreditaria dispositio, habitus corporis, consuetudo partes solidas & fluidas ad morbosas affectiones disponant: ubi

ſimul monet, annos climactericos non eſſe prorſus negligendos, quod ſingulis ſeptenariis ſingularem corpori mutationem accedere omnino certum ſit. Oſtendit ulterius, quid in ſanguinis circulum poſſit aer frigidus, nimis fervidus, præhumidus; quid poſſint ipſi Planetarum Adſpectus, quos aeri mutationes inducere ſupponit. Pro comperto aſſumit, Planetas ſuperiores ♄ & ♃ atmoſphæram valde compreſſam, frigidam, rigidam & ventoſam reddere, & vehementiorem eſſe influxum, ſi inter ſe, mitiorem, ſi cum aliis jungantur: ♂ & ☉ aliis junctos calorem & ſerenitatem addere atmoſphæræ, inferiores ☽, ♀ & ☿ atmoſphæram ſiſtere leviorem ac ob id vaporibus replere. Unde infert, in caſu primo fibras corporis tendi & ſtringi, ſicque omnis generis ſpaſmos, arthritidem, inflammatoriam & eryſipelaceam febrim, epilepſiam, hæmoptyſin excitari: in caſu altero calidos morbos foveri ſanguinemque commoveri: in tertio fibras laxari & corpus pronum fieri ad morbos ex atonia, ſtaſi & circulo ſanguinis languido provenientes. Quia morbi partes ſolidas plerumque depravant, fluidas vitiant atque corrumpunt; morbos etiam generare alios morbos concludit. Pluribus denique exemplis declarat, quomodo morbi ex imprudente medicatione originem trahant. Similiter ſymptomatum generationem per varia exempla edocet: notat inprimis, quod fere in omnium, qui e morbo moriuntur, cadaveribus diſſectis vel corruptio viſceris, vel putredo ſanguinis, vel nobilioris partis profundior inflammatio, vel ſanguinis ſerique extravaſatio, vel polypus vaſa majora obſidens deprehendatur. Ad remedia pede promoto, omnem in medendo Medici curam eo tendere evincit, ut per medicamenta circulum ſanguinis extra ordinem delatum rurſus reſtituat. Tollendas igitur eſſe cauſas morbificas: quæ cum ſint vel proximæ, vel remotæ, medicamenta ſingulis tollendis apta generatim recenſet. Remediorum nempe genera in tot claſſes diſtribuit, quot conſtituit claſſes morborum. Morbis itaque ex ſpaſmo remedia opponit antiſpaſmodica; morbis ex atonia roborantia; febribus antifebrilia; convulſionibus antepileptica. Ad primam claſſem refert omnia oleoſa temperata & pinguia, omnia actu humida

mida, omnia vaporosa sulphure expansivo fragrante prædita, omnia nitrosa: ad alteram omnia balsamica, omnia oleo subtilissimo & gratissimo instructa, omnia gummata cum liquoribus suavi resina & oleo instructis, omnia salia volatilia oleosa, omnia fixiora terrea: ad tertiam omnia acida & martialia: ad quartam denique, præter antispasmodica, omnia quæ sulphure & oleo graveolente rancido instructa. Cum hæc remedia plus in solidum, quam in fluidum agere credat, in capite vero de remediis fluidum quoque considerari debere statuat; humores vel quantitate, vel qualitate, vel motu peccare affirmat, hincque tria remediorum genera nova condit, nempe *evacuantia*, quæ quantitatem respiciunt, *alterantia*, quæ qualitatem noxiam corrigunt, & *derivantia*, quæ motus sanguinis & humorum præternaturales a partibus affectis avertunt. Agit insimul de remediis causas morborum remotas antevertentibus. Medicamentorum enumerationi subjicit methodum medendi & fundamentum therapiæ explicandum sibi sumit. Ubi multus est, ut evincat, naturam esse Medicum omnium optimum, & in medendo primas tenere partes præcipuamque partem absolvere; Medici vero esse addiscere illum ordinem nulloque modo ipsum impedire, sed potius illum naturæ laudabilem motum quovis modo adjuvare vel imitari. Esse enim Naturæ non Magistrum, sed ministrum; Naturam in curando esse Dominam, Medicum famulum. Inprimis Medicum spectatorem esse debere in morbis acutis, cum natura in passionibus acutis & paroxysmis chronicarum plus perficiat arte, quæ tamen in tollendis chronicis malis naturam antecellat. Recenset aliquot medentium errores, & tandem de morborum præservatione differens, ad eos avertendos præcipit, ut morborum causæ antevertantur. Commendat igitur animi tranquillitatem, abstinentiam ab omnis generis miasmatibus, exhalationibus morbosis contagiosis, plethoræ præcautionem per ciborum quantitatem viribus internis motuique externo proportionatam, cacochymiæ evitationem per purgationem primarum viarum vere & autumno, immo singulis mensibus instituendam, abstinentiam ab omnibus alimentis corruptioni proximis, so-

mnum sufficientem, sed moderatum, motum, laborem, temperantiam.

TRAITÉ DES SECTIONS DU CYLINDRE & du Cone, considerées dans le solide & dans le plan, avec des demonstrations simples & nouvelles, par M. le POIVRE.


h. e.


TRACTATUS DE SECTIONIBUS CYLINDRI ET Coni, in solido & plano consideratis, cum demonstrationibus simplicibus ac novis, Autore POIVREO.


Parisiis, apud Bartholomæum Girin, A. 1704 in 8.
Constat plag. 5 & Tabb. æneis 8.


Opusculi hujus conscribendi ansam Autori dederunt litteræ a *Cartesio* ad *Dn. Desargues* datæ, in quibus duplex asseritur scopus de Sectionibus Conicis commentaturi. Etenim aut doctis scribitur; aut hominibus illiteratis quidem, sed curiosis. Illos novas Sectionum Conicarum proprietates; hos proprietates dudum quidem inventas, at in vulgus tamen minus cognitas ob insignem in Perspectiva, Arte pictoria, Architectura &c. usum edocere intendimus. Scopum utrumque sibi præfixit Autor: neque enim solum intra paucas pagellas palmarias Sectionum Conicarum proprietates mira facilitate ac perspicuitate explicat; sed inter eas quoque aliquot proponit antea parum cognitas. Præmittit 36 propositiones elementares, quibus in demonstrationibus utitur, sed quarum veritatem ex elementis Geometriæ communis jure cognitam supponit, quia doctrinam ab ipso propositam tractare non convenit nisi ei, cui elementa Geometriæ communis jam sunt perspecta. Dum de sectionibus Cylindri agit, multas Ellipseos proprietates demonstrat & problemata illuc spectantia solvit: e. gr. *Ducere Tangentem in dato Ellipseos puncto; ex puncto extra Ellipsin dato duas ducere rectas, quæ Ellipsin tangant; una ex diametris conjugatis data,*


B. II. ad A. 1707. M. Mart.
pag. 133. seqv.











data, invenire alteram; duabus datis, invenire circulum generatorem, h. e. eum, cujus peripheriæ singulis punctis in Cylindro respondent singula puncta peripheriæ Ellipseos; ex iisdem datis invenire axes; ex axibus datis diametros duas conjugatas angulum datum intercipientes. Doctrina de sectionibus Conicis in duas abit partes. Altera circa Tangentes; altera circa comparationem parallelogrammorum versatur. In illa non solum methodi ducendi Tangentes in datis Sectionum Conicarum punctis vel a datis punctis extra sectiones Conicas perspicue explicantur; sed & Tangentium proprietates complures manifestantur. In hac inter alia Asymptotorum etiam Hyperbolæ affectiones demonstrantur. Elegans inprimis est Sectionum Conicarum in plano descriptio, quam omnibus tribus communem tradit. Concipiatur scilicet punctum *f* moveri juxta longitudinem peripheriæ circuli *fh*, ita ut secum abripiat duas rectas *f*S & *ha* circa puncta fixa S & *a* mobiles, & eodem tempore linea *fa* secum abripiat per punctum E, ubi lineæ DE occurrit, rectam EF ipsi *a*S constanter parallelam: continua intersectio F rectarum S*f* & EF describet Sectionem Conicam HF, quæ erit *Ellipsis*, si recta *ab* ipsi DE parallela extra circulum tota cadit; (Fig. 1.) *Parabola*, si circulum tangit; (Fig. 2.) TAB. II. *Hyperbola*, si secat. (Fig. 3.) Fig. 1. 2. 3.

DE CURVA DESCENSUS EX-ACCELERATO-retardati, hoc est, accessus ad horizontem ex continue celeriore continue tardioris, duobus temporis intervallis æqualibus; sive quæratur curva data velocitatum a Gravi cadente acquisitarum hypothesi; sive curva data invenienda sit velocitatum propria hypothesis.

Excerptum ex epistola F. D. C. Ab. Val.

TOt tamque præclaras Cycloidis primariæ proprietates hactenus observatas si quis nunc colligere & scripto recensere vellet, eam esse jure merito a doctissimo Hugenio dictam & ab omnibus Mathematicis dicendam *mirabilem lineam* facile evin-

evinceret. Quumque proprietates illæ jam non minus numero quam varietate conspicuæ sint; ne minima quidem omnium despicienda est, imo aliqua notatione digna mihi videtur. Quapropter hic propositum problema, quanquam parvi momenti, studiosis Matheseos tironibus indicandum & demonstrandum esse existimavi; quod non suppositione mere mathematica, sed ipsis motus naturalis legibus ad hanc nobilem curvam pertinere animadvertent.

TAB. II. Fig. 4. Sunto in Fig. 4. AB recta ad horizontem perpendicularis, longitudinis ad libitum determinatæ a; PQ horizonti parallela, versus P indefinita, per datum ipsius AB initium A ducta; ADH linea curva, sive data, sive quæsita, ad verticalem a in aere respectiva; RBH horizon per infimum punctum B ejusdem verticalis transiens, & curvæ occurrens in H. Dividatur cogitatu eadem illa AB bifariam in C; singulusque semissis CA, CB intelligatur sectus in partes quotlibet æquales Cf, fA, Ch, hB, ad quas referantur totidem istius curvæ portiones inæquales D1, 1A, D2, 2H, intra rectas horizonti parallelas e sectionum punctis ductas CD, f1, h2, comprehensæ. Nominentur y omnes hujusce curvæ ordinatim-applicatæ ad horizontem RH terminatæ, & $a-y$ earum supplementa ad verticalem BA; vel vice versa, prout inde expeditior calculus videbitur. Differentiola, velut Le, inter duas ordinatas propinquissimas (quæ hic eadem & sibi constans sub omnibus curvæ punctis intelligenda est) dicatur Dy, cui coordinatam LE vocamus Dx. Velocitates variabiles, cum quibus curva ADH deorsum percurri debet, designet littera v. Expressa autem unitas denotet locum quantitatis cognitæ substituendæ & ad servandam homogeneorum legem accommodatæ prout velocitatum v hypothesis postulabit. Jam proposito sic fiet satis. Duæ assumantur coæquandæ expressiones ejusdem instantis, quo lineæ curvæ particula quam-exigua eE a Gravi cadente secundum quamlibet velocitatum hypothesin transiri concipiatur: Una scilicet, nunc in Geometria notissima $\frac{\sqrt{Dy.^2+Dx.^2}}{v}$; altera

vero

vero huic homogenea; ad conciliandam curvæ proprietatem requisitam comparata $\frac{1 \times Dy}{\sqrt{ay-yy}}$, in qua denominator $\sqrt{ay-yy}$ singulos exprimit semicirculi supra diametrum a descripti sinus rectos, crescentes a primo & minimo = cyphræ usque ad maximum & medium $= \frac{1}{2} a$, & deinceps eadem differentiarum serie decrescentes ab illo maximo ac medio ad ultimum ac minimum usque. Adeo ut numerator constans $1 \times Dy$ divisus per denominatorem iis quas dixi conditionibus variabilem $\sqrt{ay-yy}$, tot det quotientes primum decrescentes, & tot deinde iisdem differentiis crescentes, quot partes in recta data BA æquales & quot arcus in relativa curvæ portione ADH correspondentes assignari possunt: Unde liquet sic exprimi totidem instantia descensus continue minora totidemque continue majora, singula ex una parte singulis ex altera; ordine inverso, æqualia; quibus in duas summas collectis duo æqualia temporis intervalla resultant; motu videlicet a primo termino A usque ad ultimum H continuato, quandoquidem distantiæ verticales, secundum quas Grave descendens ad horizontem accederet, vel semper crescerent, nempe Af, AC, AB, vel semper decrescerent, nempe BA, BC, BH.

Adæquatis itaque duabus illis ejusdem instantis expressionibus obtinetur formula $\sqrt{\overline{Dy}^2 + \overline{Dx}^2} = v \times \frac{1 \times Dy}{\sqrt{ay-yy}}$ quæsitum præstans; si substituatur aut in primo membro elementum curvæ datæ proprium in locum elementi generalis $\sqrt{\overline{Dy}^2 + \overline{Dx}^2}$ (ut facta reductione ipsius Dx ad solam Dy seu ipsius Dy ad solam Dx expressio velocitatis requisitæ v concludatur) aut in secundo membro in locum litteræ v quantitas variabilis per y vel x velocitatem propositam exprimens (ut ad æquationem curvæ differentialem perveniatur) & simul in locum unitatis quantitas constans ad homogeneitatem terminorum inducendam necessaria.

Exempla

Exempla aliquot.

Celeberrimus inter Eruditos Libnitzius, Geometrarum ætatis nostræ sagacissimus, curvam æquabilis descensus, per quam Grave, motu naturaliter accelerato, æqualibus temporis intervallis æqualiter ad horizontem accederet, esse Paraboloidem cubicalem, æquatione $b^{1} x^{2} = y^{3}$. notam, primus omnium animadvertit. Digna sane notatu proprietas ex ipsis Naturæ legibus petita; quam quidem a proposita non parum discrepare, satis apparet. Attamen hæc eadem curva sic capax est unius, ut alteri non repugnaret, si qua causa dari posset, quæ velocitates deorsum acquisitas certo, qui competit & mox ostendetur, modo temperaret. Quum enim ejus natura præstet $x^{2} = \frac{y^{3}}{b}$, hinc colliguntur $Dx = \frac{3y^{2} Dy}{2bx}$ & $\sqrt{\overline{Dy}^{2} + \overline{Dx}^{2}} = \frac{Dy}{2bx}\sqrt{9y^{4} + 4b^{2}x^{2}} = \frac{Dy\sqrt{9y + 4b}}{2\sqrt{b}}$ quod adæquatum secundo formulæ præcedentis membro $\frac{Dy}{\sqrt{ay - yy}} \times v$ (ubi nullam unitatis rationem haberi homogeneitas exigit) velocitates ad descensum, qui ex continue promptiore continue lentior fieret secundum segmentum verticale AH hujusce paraboloidis comprehensum inter verticem A & ordinatam pro libitu assumtam AB $= a$, necessarias sub dictis conditionibus debere esse $v = \sqrt{\frac{9y + 1}{4b}} \times \sqrt{ay - yy}$ ostendit.

Esto nunc curvæ propositæ portio ADH quadrans circuli intervallo $= a$ verticaliter sic descriptus ut horizonti tangenti RH habeat radiorum terminantium alterum perpendicularem, alterum æquidistantem. Denominatis x sinubus rectis, & y segmentis radii inter centrum illosque sinus comprehensis; dantur $xx + yy = aa$, $x = \sqrt{aa - yy}$, $Dx = \frac{-yDy}{\sqrt{aa - yy}}$, &

& $\sqrt{\overline{Dy.}^2 + \overline{Dx.}^2} = \frac{a\,Dy}{\sqrt{aa - yy}}$ quo (per probl.) facto $=$

$v \times \frac{Dy}{\sqrt{ay - yy}}$ (ubi termini ſine unitatis ſubſidio homogenei ſunt) invenitur dividendo utrinque per Dy ac multiplicando per $\sqrt{a - y}$ velocitas $v = \frac{a\sqrt{y}}{\sqrt{a + y}}$ ex altitudinibus y acquirenda, ut deſcenſus per quadrantem circuli fieret is quem *ex-accelerato-retardatum* appellamus.

Repræſentet jam figura HDA hinc & inde, ſupra Aſymptotum horizontaliter poſitam, indefinite continuata, Logarithmicam curvam verticaliter delineatam; per cujus punctum quodcunque H ducto horizonte HR, & altius ad quodlibet intervallum $= a =$ BA acta ipſi parallela recta P Q curvam illam ſecante in aliquo puncto A; ſupponantur diſtantiæ verticales inter horizontem ac ejuſdem lineæ curvæ convexitatem Bh, BC, &c $= y$, intervallum puncti H ad Aſymptotum poſitione datam pro libitu determinatum $= c$, & ſubtangentialis ſuper hac Aſſymptoto ſumpta $= b$; erunt Ordinatæ $= c + y$, æquatio $\frac{b\,Dy}{c+y} = Dx$, & curvaturæ elementum $= \frac{Dy}{c+y} \sqrt{\overline{b.}^2 + \overline{c+y.}^2}$, cujus expreſſionis & quantitatis $v \times \frac{Dy}{\sqrt{ay - yy}}$ facta ex problemate æqualitate reperietur $v = \sqrt{\frac{\overline{b.}^2}{\overline{c+y.}^2} + 1} \times \sqrt{ay - yy}$ pro hypotheſi velocitatum ex altitudinibus $a - y$ in hoc caſu acquirendarum, ut Grave datam curvæ Logarithmicæ portionem deorſum percurrens deſcenſum continue accelerare certo tempore, ac poſtea continue retardare tempore æquali videretur.

S Porro

Porro quoniam omnes iſtæ velocitates forent adeo varie variabiles, ut a cauſis effectus ſuos uniformiter variantibus produci non poſſent, ſyſtematis mundani leges iis quam maxime repugnare conſtat. Relictis itaque his Mathematicis nugis, quid in noſtro problemate Natura præſtet, inquirere ſufficiat. Experientia compertum eſt, & in Mechanica demonſtratur, corpora gravia, quæ libere in terram cadunt, proportionales in ſubduplicata ratione altitudinum (y aut $a-y$) e quibus dimiſſa deorſum feruntur, velocitates ($\sqrt{y}$ aut $\sqrt{a-y}$) adipiſci. In formula igitur problematis propria, quam ſuperius exhibuimus, ſubſtitue in locum v quantitatem $\sqrt{y}$ aut $\sqrt{a-y}$ ad libitum, & in locum unitatis $\sqrt{a}$ pro terminorum homogeneitate; quo fiet $\sqrt{\overline{Dy}^2 + \overline{Dx}^2} = \frac{Dy\sqrt{a}}{\sqrt{a-y}}$ aut $= \frac{Dy\sqrt{a}}{\sqrt{y}}$: Dehinc utrobiq; quadra, transpone $\overline{Dy}^2$, multiplica vel per $ay-yy$ vel per yy & radicem quadratam extrahe: Devenies aut ad $Dx\sqrt{ay-yy} = yDy$ aut ad $yDx = Dy\sqrt{ay-yy}$; quæ utraque æquatio exprimit naturam ſemi-cycloidis primariæ, in plano verticali inverſæ, vel ad baſim horizonti parallelam PA, vel ad horizontem in vertice tangentem RH relatæ, habentisque axem ſuum rectæ verticali a æqualem: Quandoquidem ſinus rectus ſemicirculi ſuper ipſam a deſcripti, nempe $\sqrt{ay-yy}$, æquatur tum ſubnormali $\frac{yDy}{Dx}$ qua parte y ordinatim applicatur inter concavitatem & baſim, tum ſubtangentiali $\frac{yDx}{Dy}$ qua parte y ordinatur inter convexitatem & verticis tangentem.

Vides hanc celebrem curvam inter alias multas proprietates inſignes id etiam peculiare, licet minus præcipuum, habere, ut ſi ſecto ejus (verticaliter atque inverſe deſcriptæ) tum axe bifariam, tum utroque axis ſemiſſe in partes quotcunque æquales, ipſa per rectas baſi parallelas ex omnibus harum ſectionum punctis eductas divideretur (velut in 1, D, 2) Gra-

ve quod

ve quod eam cum velocitate naturaliter accelerata percurreret, non modo ſuperiorem illius arcum ſuperiori axis ſemiſſi correſpondentem AD eodem trajiceret tempore, quo inferiorem inferiori axis ſemiſſi reſpective oppoſitum DH, continuato deorſum motu, conficeret; ſed præterea per ſucceſſivas primi arcus AD portiones (A 1, 1 D) ſemper citius donec ad punctum D centro axis horizontaliter reſpondens pervenerit, & reciproce per ſucceſſivas ſecundi arcus DH portiones (D 2, 2 H) ſemper tardius, donec extremum H attigerit, deſcenderet.

THEOREMA SPHERICO-CATOPTRICUM Univerſale. *Per D. HUMFREDUM DITTON.*

Ex Actis Philoſ. Angl. An. 1705, N. 295, p. 1810 ſſ. transſcriptum.

FOcorum inventio tum in Dioptrica, tum in Catoptrica, ex calculo pro Curvis Cauſticis facili modo ſequitur. Nil enim aliud agendum eſt, quam ut locus in quo Radius (ad Curvam, vel Refringentem, vel Reflectentem perpendicularis) Curvam Diacauſticam vel Catacauſticam tangit, cognitus habeatur. De qua methodo videatur *D. Hayes* Liber Fuxionum nuper editus: nos ex aliis principiis, rem (ad Catoptricam quatenus ſpectat) aggrediemur.

Sit Fig. 5. DEF Speculi Spherici concavi portio, cujus centrum B, ſemidiameter B E vel B D: ſit etiam A punctum radians in axe collocatum, a quo profluat radioſa linea A D, quæ ad punctum D reflectatur in D C. Inveſtiganda jam eſt Foci C a ſpeculi vertice E diſtantia. TAB. II. Fig. 5.

Notandum vero, quod punctum D ipſi E proximum ſupponimus. Radii enim remotiores oculum (quem in axe A E conſtituimus) præterlabuntur, nec ad imaginis viſionem aliquid faciunt. Porro, propter arcum D E indefinite parvum, anguli D A B, A D B (ut & ipſorum ſumma D B C) ſunt quam minimi, ac idcirco eandem habebunt inter ſe ratio-

 nem,

nem, quam ipsis latera opposita: quo ratiocinii principio posito, ad Theorema Dioptricum pervenit *D. Halleius* Geometriæ Professor apud Oxonienses.

Hisce præmissis, sit AB = *b*. BD = BE = *r*. BC = *z*. CE (= r — z, sed brevitatis causa ponatur) = *f*. Quantitates *b* & *r* cognitæ sunt (dantur enim semidiameter speculi, ac puncti lucidi a vertice distantia) *z* vero & *f* quæsitæ ac incognitæ. Jam in Triangulo DAB, erit ∢ DAB : ∢ ADB :: *r* : *b*. Item in Triangulo DBC, ∢ BDC = ∢ ADB, ex natura Reflexionis, & ∢ DBC = ∢ DAB + ∢ ADB, ex Elem. Eucl. Ergo cum ∢ DBC sit ut r + b, & ∢ BDC ut b; erit etiam ∢ DBC : ∢ BDC :: r + b : b & (quod ex principio supra memorato consequitur) DC : BC :: r + b : b. Sed quoniam punctum D ipsi E proximum est, erit DC ipsi CE æqualis æstimanda, ergo CE : BC :: r + b : b; hoc est f : z :: r + b : b, & (comparando antecedentium & consequentium summas ad antecedentes) f + z : f :: r + 2 b : r + b; sed f + z = r, ergo r : f :: r + 2 b : r + b, ergo $f = \frac{rrxrb}{rxrb}$. Q : E : I.

Si ponatur r + b (= AE) = d, Theorema in formam contractiorem redigetur, & sic stabit $f = \frac{rd}{2d - r}$. Sed utrovis modo, focorum inventioni, quæcunque tandem sit vel Speculi forma, vel radiorum conditio, aptum evadet.

Coroll. I. Erit z d = d f — r f, sive AE x BC = AB x CE, vel quod idem est, linea AE harmonice dividitur in punctis A, B, C, E; nam prædicta Rectangulorum æqualitas, lineæ secundum proportionem harmonicam sectæ, propria est. Patet hæc veritas: est enim $f = \frac{dr}{2d - r}$, & $z = r - f = r - \frac{dr}{2d - r}$, unde valores hosce substituendo, Æquatio manifesta fiet. Adeo ut in omni Speculo Spherico lineæ DA, DB, DC, DE, sint harmonicales; & Punctum radians, Centrum, Focus, Vertex sint puncta divisionem harmonicam efficientia.

Coroll.

Coroll. II. 1mo Posito $d > r$; erit ex calculo f, sive $\frac{rd}{2d-r} > \frac{r}{2}$ semper. Hoc est, si puncti radiantis distantia major sit semidiametro Speculi, foci distantia semper major erit quarta parte Diametri.

Item, erit $\frac{rd}{2d-r} < r$ semper. Hoc est, distantia foci semper erit minor speculi semidiametro.

2do. Si ponatur $d = r$, erit $\frac{rd}{2d-r}$, sive $f = r$. Hoc est, si punctum radians in centro speculi constituatur, Imago ejus ibi cum eo unietur.

3o. Si ponatur $d < r$, tum ipsius f expressio erit vel positiva, vel negativa, vel infinita, prout quantitas $2d$ quantitate r vel major est, vel minor, vel ei æqualis.

Si $2d > r$, hoc est, si $d > \frac{r}{2}$, tum punctum radians & focus ad easdem partes speculi jacent.

Si $2d < r$, vel $d < \frac{r}{2}$, tum Imago in axe, ultra speculi verticem producto, sita est.

Si $2d = r$, vel $d = \frac{r}{2}$, Imago infinite distat, sive radius reflexus axi parallelus evadit.

Coroll. III. Calculi hujus ope expedite determinari potest, quomodo objecti radiantis (speculi respectu) motui, ipsius Imaginis motus respondet. Sit (ut antea) Imaginis a speculo distantia $= \frac{dr}{2d-r}$, quando objecti distantia est d. Mutetur jam utcunque objecti distantia, & ex d fiat n d, quantitate n Numerum vel integrum vel fractum designante: & sic loco prioris Æquationis, $f = \frac{dr}{2d-r}$, habebimus pro novo Foco aliam Æquationem, $F = \frac{ndr}{2nd-r}$. Et quidem si n Numerum in-

tegrum exprimere supponatur, secunda hæc objecti distantia prima major erit, si vero sit fractus, tum minor erit prima.

Hisce positis, si $d > r$, & n sit integer, erit $F < f$, id est, erit $\frac{ndr}{2nd-r} < \frac{dr}{2d-r}$, sive $2nddr - ndrr < 2nddr - drr$, quod manifestum est. Hoc est, si in Speculo Concavo objecti distantia major sit semidiametro, tum recedente objecto a speculo, Imago versus speculum accedet. Rursus designet n Numerum fractum, & tunc reperietur $2nddr - ndrr > 2nddr - drr$, sive $F > f$. Hoc est, accedente objecto ad speculum, recedet Imago.

Supponatur jam $d < \frac{r}{2}$; ut & alia, quæcunque sit, objecti distantia nd intelligatur ea semper minor esse quam $\frac{r}{2}$. Tum erunt $2nddr - ndrr$, & $2nddr - drr$, quantitates negativæ; sive $ndrr - 2nddr$, & $drr - 2nddr$ quantitates positivæ. Et quidem si n numero integro æquetur, erit $ndrr - 2nddr > drr - 2nddr$, sive $F > f$; si vero n fractio sit, tum erit $ndrr - 2nddr < drr - 2nddr$, sive $F < f$. Hoc est, si in Speculo Concavo objecti distantia minor sit speculi Diametri quarta parte, tum recedente objecto a speculo, recedet & Imago; vel accedente objecto versus speculum, Imago etiam accedet.

Et hæc omnia (quæ calculi vestigia premendo deduximus) Scholio unico conclusit, & in sua Catoptrica tradidit D. *Gregorius* apud Oxonienses Astronomiæ Professor.

Coroll. IV. In Æquatione $f = \frac{dr}{2d-r}$, si ponatur d infinita, erit $f = \frac{r}{2}$; quæ regula est pro Radiis parallelis, sive pro objecto radiante ad distantiam infinitam remoto. Idem sequetur, posito b infinito in æquatione $f = \frac{rr+rb}{r+2b}$.

Coroll. V. In Æquatione $\frac{dr}{2d-r}$ mutato quantitatis r signo negativo in positivum, erit $f = \frac{dr}{2d+r}$; vel in æquatione $f = \frac{rr+br}{r+2b}$, mutato signo positivo in negativum, erit tunc $f =$

rb--rr

$\frac{rb - rr}{2b - r}$, quæ regulam exhibet pro ſpeculo verſus objectum radians *convexo*. Patet hæc mutatio ſigni; nam ſicut in ſpeculo concavo $d = r + b$, ſic in convexo $d = b - r$.

Coroll. VI. In Speculo Convexo (ſtantibus quæ ad Cor. III. annotavimus de Concavo) patebit, quod (ſi n ſit numerus integer) $2rndd + ndrr > 2rndd + drr$; & (n fractione exiſtente) quod $2rndd + ndrr < 2rndd + drr$. Hoc eſt, quod recedente objecto a ſpeculo, vel verſus idem accedente, Imago ſimiliter recedet vel accedet.

Patet etiam in Speculo Convexo, objecto ad immenſam usque diſtantiam retrocedente, Imaginem tamen illius non ultra Diametri partem quartam abire a vertice, ſed ibi, in puncto, centrum inter & verticem medio, ſe ſiſtere. Poſito enim d vel b infinito, erit $f = \frac{dr}{2d}$ vel $\frac{br}{2b}$, id eſt (utrovis modo) $= \frac{r}{2}$

Hiſce adjungi poteſt & Problematis Catoptrici ſolutio, *Radiantis poſitionem reſpectu ſpeculi dati talem invenire, ut radians ad ipſius imaginem a ſpeculo factum, datam habeat rationem.* Sit Ratio data $r : q$. & ſymbolo O deſignetur Objectum, I Imago, d diſtantia objecti, & f imaginis a ſpeculo. Jam (quod demonſtravit D. *Gregorius*) erit $O : I :: d : f$, (hoc eſt Objectum & Imago ſunt diſtantiis ſuis a ſpeculi vertice directe proportionales) & quoniam requiritur, ut ſit $O : I :: r : q$, debet etiam eſſe $d : f :: r : q$, vel (ipſius f expreſſionem ſcribendo) $d : \frac{dr}{2d - r} :: r : q$, unde $2ddq - rdq = rdr$, & $2dq = rr + qr$, & $d = \frac{rr + rq}{2q}$. Unde quoniam $dr = \frac{rrr + rrq}{2q}$, & $2d - r = \frac{rr}{q}$, erit etiam f ſive $\frac{dr}{2d - r} = \frac{rrr + rrq}{2q} : \frac{rr}{q} = \frac{qrrr + qqrr}{2qrr} = \frac{r + q}{2}$, quæ eſt ipſius f, ſive imaginis a ſpeculo diſtantia, huic objecti diſtantiæ congrua. Ergo ſi ſtatuatur objectum ad diſtantiam $\frac{rr \times rq}{2q}$, ipſius Imago facta ad

diſtan-

distantiam $\frac{r+q}{2}$ ei comparata, eandem habebit rationem, quam q : r, sive erit O : I : : r : q. Nam O : I : : d : f : : $\frac{rr+rq}{2q}$: $\frac{r+q}{2}$: : r : q. Q. E. I.

Objectum Radians & Imaginem hic tanquam Lineas consideravimus. Si enim Superficies sunt, tum erit O : I : : d^2 : f^2, & d^2 : f^2 : : r : q, sic ut ultimo deveniatur ad Æquationem $4dd - 4qdr = r^3 - qrr$, e qua radicis d valor Methodis vulgaribus facillime inveniri potest.

Christian Weisens Oratorische Fragen, stat einer wohlgemeinten Nachlese, &c.

h. e.

CHRISTIANI WEISII QUÆSTIONES ORATORIÆ, IN modum Spicilegii adornatæ.

Lipsiæ, sumtibus Jo. Frider. Gleditschii, A. 1706. 8. Alph. 2. pl. 3.

EDitis tot tamque variis ingenii monumentis, in quibus eloquentiæ præcepta laudabili opera tradidit egregieque illustravit celeberrimi nominis Vir, *Christianus Weisius*, operæ pretium se facturum existimavit, si post messem, quod ajunt, Spicilegium institueret, ac *Quæstiones* hasce *Oratorias* luci publicæ exponeret. Ad duo autem præsertim capita omnia, quæ in toto libro traduntur, apte revocari posse videntur. *Primum* enim de *conceptibus* ritte *formandis* agitur, adeoque doctrina de Chria facili ac ordinaria, nec non inversa, & artificiosissima, de Periodis, de Amplificatione varia, ac denique de Oratione integra undecim capitibus fuse exponitur. *Deinde*, quæ ad exquisitissimorum verborum studium spectant, Autor persequitur, atque de *elocutione*, Phrasibus, Connexionibus & Stylo ita disserit, ut capite ultimo de Orationibus practicis agat, quas in *communes*, *scholasticas*, *sacras* atque *politicas* dispescit. In fine libri Appendix adnectitur duobus constans capitibus, in quorum primo illorum sententia refellitur, qui Autorem supervacaneum laborem praestitisse ajunt, dum sermones atque loquendi formulas, quibus in vita communi colloquiisque familiaribus civilitatis causa utimur, certis regulis ac partibus adstringere tentaverit; in altero vero dubiis eorum itur obviam, qui ex præceptis *VVeisianis* brevioris styli rationem addisci hanc posse existimant, atque adeo quadruplex contrahendi modus ostenditur, qui nimirum per *contractionem connexionum*, *conceptuum*, *phrasium* ac per *variationem* possit institui. Accessit duplex Index, qualem multi hactenus in Scriptis Cl. Autoris desiderarunt.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Aprilis Anni M D C C VII.

VITÆ QUORUNDAM ERUDITISSIMORUM & illustrium Virorum, Scriptore THOMA SMITHO, *S. Theol. D. & Ecclesiæ Anglicanæ Presbytero.*

Londini, apud Davidem Mortier, 1707. in 4.
Alphab. 2. plag. 16.

D. Joannes Fellus, Episcopus Oxoniensis, Virorum apud Anglos maxime celebrium, qui duobus proxime elapsis Seculis floruerunt, vitas tribus forte Voluminibus comprehendendas, in lucem edere publicam secum constituerat. Verum ex quo huic ejus instituto mors, quæ ipsum A. 1686. mense Julio humanis rebus exemit, obicem posuisse deprehensa est, repertus fuit, qui vestigiis illius insistendum sibi venire duxit Clariss. *Smithus*, nobis jam tum in Actis anni 1696 p. 441 & alibi memoratus, & horas subsecivas non posse aut decentius aut utilius, quam in contexendis magnorum Virorum Vitis collocari existimans, bene hac in parte mereri voluit de defunctis, bene de universo Orbe Erudito, utpote quem non parum delectari constat Historicis narrationibus, in quibus Virorum Clarorum prosapia, educatio, mores, excelsæ animi dotes, studiorum & totius vitæ ratio, erga sanctissimum Numen pietas, in Ecclesiam & Rempublicam literariam merita, dignitates, & memorabilia, quæ ad illos propius spectant, brevi compendio, tanquam in tabula, coram omnium oculis repræsentantur. Laboris vero sui in hanc eruditionis partem excolendam ornandamque impensi

pensi aliquot in hoc Volumine exempla repræsentat, vitas puta *Octo* Virorum summorum, quos Angliæ decora jure nuncupaveris.

Eos inter primo loco tanquam πρόσωπον τηλαυγὲς comparet *Jacobus Usserius*, Archi-Episcopus Armachanus, & totius Hiberniæ Primas. Hujus equidem vitam a Reverendo Viro, Richardo Parro, qui Usserio a sacris fuerit domesticis, suæque fidei & curæ collectanea vastæ molis ingentemque schedarum struem a moriente Patrono concreditam acceperit, ampla commentatione Epistolis Usserianis A. 1686 Londini publicatis præfixa delineatam jamtum fuisse fatetur, sed multo tamen plura ex iisdem collectaneis, & præsertim ex epistolis, quas, antequam in lucem producerentur, accurate perlegerit, ex schedis item aliis Autoris manu descriptis & in Bibliotheca Bodlejana repositis, ac denique ex istorum temporum historiis se huc contulisse Noster perhibet.

Secundus est *Joannes Cosinus*, Episcopus Dunelmensis, cujus de *statu & constitutione Ecclesiæ Anglicanæ* libellum ἀνέκδοτον ex autographo cum exscripsisset Smithus, in publicam eundem lucem edere sibi proposuit, & ut eo meliori ille apparatu instructus prodiret, quædam de Autoris natalibus, educatione, studiis, muneribus, tum in Academia Cantabrigiensi, tum in Ecclesia administratis, de perpessionibus sub Parlamentariæ rebellionis temporibus, de exilio in Gallia, de invicta adversus tum Romanenses, tum Puritanos, fortitudine & veritatis contra utrosque tuendæ zelo, deque universæ vitæ ejus ratione præmittere instituit, quarum in rerum notitiam non appendix modo ad funebrem Concionem a D. Isaaco Basirio, Archi-Diacono Northumbriæ, A. 1672 habitam eundem introduxit, sed & operosior aliis in monumentis facta indagatio haud pauca minimeque vulgaria superaddidit. Quanquam huic longæ & laboriosæ investigationi parcendum fuisse fatetur, si integer extitisset libellus ab ipso D. Cosino compositus, sub titulo: *Vita meæ ab initio, id est, ab Anno 1595 usque ad A. 1665 brevis enarratio*, cujus fragmentum vere aureum Anglice exaratum, de Marci Antonii de Dominis, Archi-Episcopi Spalatensis, primo in Angliam adven-

ventu, illiusque cum D. Overallo, Episcopo Norwicensi, collatione, cui jussu Patroni interfuerat, de statu Ecclesiæ Anglicanæ, deque fidei & doctrinæ articulis in illa juxta antiquam fidem & religionem Ecclesiæ Catholicæ agnitis assertisque in palatio Lambethano habita, in museo Reverendi Viri, D. Joannis Tong, Branspethæ prope Dunelmum Rectoris, hodie reperiatur.

D. Joannis Gravii, Astronomiæ in Academia Oxoniensi Professoris Saviliani, vitam, quorundam Virorum doctissimorum e Societate Regia Londinensi rogatu, ducentis tantum exemplaribus e prelo exclusis, inter Amicos distribuendis, sumtibus propriis Lond. 1699 edendam Noster curaverat. Ab illo tempore schedas quasdam Viri, ob scientiarum Mathematicarum, Linguarum Orientalium, politiorisque literaturæ studia celeberrimi (quo elogio Gravium mactat,) ab Amicis nactus, easdem sub Opusculorum Joannis Gravii titulo edere decreverat, una cum D. Briggii & Bainbridgii lucubrationibus posthumis, quibus & utriusque vita præfigenda fuerat. At Bibliopolarum causatus avaritiam & μικροψυχίαν, propositum hoc sufflaminatum esse dolet. Vitas vero has a naufragio quasi liberatas heic exhibet, unde tertio loco *Henrici Briggii*, Geometriæ in Academia Oxoniensi Professoris Saviliani, quarto *Joannis Bainbridgii*, Astronomiæ in eadem Academia Professoris, & quinto *Joannis Gravii*, quæ sola, ut dictum, seorsim jam antea prodiit, (vide Acta nostra anni 1700 p. 514) vitæ exhibetur transactio.

Quæ sexto septimoque loco comparet, *Petri Junii*, Patris, & *Patricii*, Filii, istius, Jacobi I. Præceptoris & magni Scotiæ Eleemosynarii, hujus, Jacobo I & Carolo I. Regibus a Bibliothecis, vita e Patricii Junii Epistolis ad Frontonem Ducæum, Lucam Holstenium, Claudium Salmasium, aliosque magnos Viros scriptis, & una cum schedis aliis liberaliter a Guil. Atwoodo, JCto, ejusdem Patricii Junii ex filia nepote, secum communicatis primam sumsit originem. Agmen vero claudit octavus *Joannes Dee*, quem *Devum* Latiniori vocabulo appellat, Mathematicus Anglus.

Ex singulis his vitarum delineationibus quamplurima excerpere liceret, quæ Lectorem juvare possent & delectare, si

impræsentiarum prolixioribus nobis esse vacaret. Ex prima proinde solum ultimaque, *Usserii* videlicet *Devique*, vita duo adhuc annotabimus.

Usserium Bibliothecam possedisse refert e decem millibus libris tam impressis quam manu exaratis conflatam, quam Collegio Dubliniensi, in quo educatus fuerat, in perpetuum observantiæ & grati animi testimonium post mortem dono dare ille constituit. Verum de filia ejusque numerosa prole solicitus, paterna ex cura atque pietate huic potius thesaurum istum postea destinavit. Justo hunc pretio redimendum sibique asserendum duxerunt tum Serenissimus Daniæ Rex, tum Cardinalis Mazarinus, sed intercessit Cromwellus, cavitque, ne is extra Angliam exportaretur. Interim accidit, ut Ductores copiarum, quæ duce Cromwello Hiberniam expugnaverant, pecuniis ad bis mille & ducentas libras sterlingicas excrescentibus, tum ex suis, tum ex gregariorum in exercitu militum stipendiis simul collectis, ut in Bibliotheca Dubliniensi primum condenda factum fuerat, de libris Usserianis, ut nobilis eidem Bibliothecæ fieret accessio, redimendis convenerint. Sed postquam in Hiberniam advecti fuissent, rejecto isthoc proposito, ne tali admixtione quippiam exinde gloriæ, quam captabant, decederet, de novis conclavibus alibi exstruendis, in quibus ad majorem munificentiæ ostentationem seorsim reconderentur, deliberarunt. Nondum constituta ista re, in quasdam arcis Dubliniensis cameras, quibus propemodum incustoditis nimium facilis patebat aditus, detruduntur, malorum hominum, qui multos tum excusos, tum manuscriptos optimæ notæ codices clam surripuerunt, fraudibus obnoxii, donec tandem A. 1661. Rex Carolus II, Proregе & ordinibus Regni petentibus, communi Bibliothecæ, quotquot supererant, inferri jussit.

Quod ex vita Joannis Devi seligimus, hoc est. Posteaquam in illius amicitiam A. 1555 se insinuaverat Edwardus Kellæus, artis chrysopoeticæ studiosus, pacti cum dæmone initi suspectus, crebras expertus Devus est malorum apparitiones Spirituum, quos ille tamen bonos esse Dei angelos, ad mentem clarioribus divinæ sapientiæ radiis & futurorum eventuum cognitio-

gnitione illuminandam cœlitus missos credidit. Hi per annos haud unos frequentes cum ipso instituerunt collationes, quas & in libris plurimis sedulo descripsit Devus, quos tamen omnes aliquando in ardentem fornacem conjicere a spiritibus jussus est. Non sine horrore legas, quam fraudulenter homini superstitioso imposuerint maligni spiritus. Equidem aliquos narrationes istas singulas ad maleferiatorum quorundam hominum fabulas referre; alios ad fictam Kellæi imposturam respicere; imo Robertum Hookium, Geometriæ in Greshamensi Collegio Professorem, in Operibus Posthumis mox memorandis, affirmare ait Smithus, historicam Devi narrationem juxta literalem sensum intelligi non oportere, sed omnes istas apparitiones cum spirituum nominibus, Dialogos item & qualescunque voces, aliaque ad cryptographiam referenda esse, & sub hisce involucris Devum longe aliud innuisse, quippe qui a Regina Elisabetha illiusque Consiliariis in Poloniam & Bohemiam, ut arcana Principum, quos adibat, consilia vafre exploraret, missus fuerit. Vicissim vero Noster pro earum fide atque veritate modis omnibus depugnat. Unum addimus, Mericum Casaubonum pleraque Devi hujus scripta cum docta & prolixa Præfatione sub titulo: *A true and faithful Relation of what passed for many Years between Dr. John Dee and some Spirits* e Cottoniana Bibliotheca Londini 1659. f. edidisse, hodie in ipsa Anglia parum obvia.

THE POSTHUMOUS WORKS OF ROBERT HOOKE publish'd by RICHARD WALLER.

h. e.

OPERA POSTHUMA ROBERTI HOOKE, publicata a RICHARDO WALLERO.

Londini, apud Sam. Smith & Benj. Walford. 1705. fol.

Constat 6 Alph. & 16 Tabb. æn.

Dudum scriptis suis perquam eruditis maximam inter Mathematicos famam meruit *Robertus Hooke*, ita ut nulli dubitemus, quin singulare pretium cunctis statuant eruditi, quæ ipsius meditationibus debentur. Certe sola ejus *Micrographia* luculentum eruditionis & ad materias Mathematico-Physicas tractandas aptitudinis testimonium perhibet, quem librum ex Anglico, quo scriptus est, idiomate Latine redditum preloque paratum inter eruditissimas schedas alias D. Christophorum Pinckerum, Collegam quondam nostrum maxime industrium, reliquisse novimus. Occasione enim observationum Microscopicarum præcipua Scientiæ Naturalis capita explicat & variarum machinarum ad Scientiam Naturalem promovendam apprime utilium constructionem edocet, multaque præclara experimenta recenset. Utut vero Scripta ejus ante Acta nostra prodierint (*Micrographia* enim A. 1665 in fol. *Lectiones Cutlerianæ*, de materiis Physicis, Mechanicis, Geographicis & Astronomicis tractantes, 1679; *Lampas, Microscopium* & *Lectiones de Elatere*, 1677; *Descriptio Helioscopiorum*, 1676; *Animadversiones in Tomum I Machinæ Hevelii*, 1674 in 4. Londini lucem adspexere;) non tamen ejus in Actis nostris nomen prorsus ignotum, cum duo egregia inventa *Hookiana* Tom. I Supplementorum p. 246 seqq. & 447 seqq. repræsentaverimus. Gratam igitur publico operam præstitit *Richardus Wallerus*, Societatis Regiæ Anglicanæ Secretarius, quod, quæ inter schedas Autoris MSC. sparsa jacebant, in ordinem redigere & in unum volumen compingere non dedignatus fuerit: nec minorem referet gratiam, siquidem reliqua fragmenta, inventa & experimenta *Hookiana*, quorum editionem promittit, quantocius publicaverit, inprimis si opuscula ab ipso Autore, cum in vivis adhuc esset, edita, nunc vero admodum rara, simul recudantur. In præsente autem opere Lectiones *Cutlerianæ* aliique discursus coram Societate Regia Londinensi recitati comparent: in quibus ordinandis non ad tempus, quo conscripti sunt, sed ad materiarum affinitatem respexit *Wallerus*. Ad quinque omnes revocat capita generalia. In primis nempe discursibus de præsente Philosophiæ Naturalis statu agitur, defectus notantur, &, quomodo per experimenta

rite

rice instituta & observationes debita cum cura collectas iis medeatur, edocetur: præterea quoque monstratur, qua ratione Historia Naturalis compilari debeat, ut ipsi tanquam solidæ basi omnis Scientiæ Naturalis veritas tuto superstruatur. Classis altera discursus de Lumine continet, naturam, proprietates & effectus luminis explicantes. Tertia naturæ Cometarum & gravitatis luminisque nonnullis proprietatibus enodandis impenditur. Quarta Terræ motibus & subterraneis eruptionibus variisque inde pendentibus effectibus ac Telluris mutationibus expendendis dicatur. Quintam denique Lectiones occupant ad Navigationem & Astronomiam perficiendam tendentes. Enimvero dum has materias accurate pertractat Autor, multa simul de aliis materiis agnatis diffuse differit, ut multarum rerum cognitio ex his operibus hauriri possit. Ita e. gr. dum methodo Scientiam Naturalem promovendi explanandæ incumbit, peculiare quoddam instrumentum describit, quo corporum delabentium velocitas accurate examinari valet. Dum de Lumine tractat, in substantiam Solis solerter inquirit, quem in omnibus fere, solo lumine excepto, cum Tellure convenire statuit, immo esse ipsum corpus solidum & opacum pronunciat. Soliditatem per constantiam rotationis, fixitatem axis, attractionem partium ad centrum suum probat: opacitatem ex macularum in margine disparitione evincere conatur, in parte nimirum aversa videndarum, si Sol esset fluidum transparens instar flammæ alicujus candelæ. Ex maculis, quas prolixissime describit, atmosphæræ Solaris existentiam concludit, easque pro nubibus Solaribus, h. e. exhalationibus Solis in atmosphæra ipsius concretis habet. Lumen ait ab igne actuali produci, seu continua partium superficialium dissolutione, cujus menstruum sit atmosphæra. Ex motu macularum motum vertiginis Solis 25 dierum adstruit: Solem esse corpus addit omnibus hactenus notis majus, & ejus partem, a qua radii ad Tellurem defluunt, esse ad superficiem Telluris ut $3784\frac{1}{2}$ ad 1. Agit item de stellis fixis, quas similiter corpora perpetuo ardentia esse judicat. Stellas vero nunc apparentes, nunc disparentes, qualem *Tychonis* tempore in Cassiopææ sidere observarunt,

runt, corpora esse existimat, quarum superficies nunc in flammam majorem, nunc in minorem conjiciatur. Multa etiam de Cometis in medium affert, disputans contra *Hevelium* de cauda Cometarum; contra *Anshelmum*, Monachum Carthusianum Gallum, & alios, qui Cometæ caudam pro mera apparentia per refractionem in capite transparente factam productam venditant; contra *Aristotelicos* Cometas in atmosphæra Telluris locantes, quorum sententiam ex parallaxi anno 1472 primus oppugnavit *Johannes Regiomontanus*, & postmodum fortius *Tycho de Brahe, Rothmannus, Mæstlinus, Cornelius Gemma*, & *Matthæus Hegetius* ex observationibus Cometarum A. 1577, 1580, 1585, 1590 & 1593 illis ultra Lunam locum primi assignantes. Planetas nonnisi lumen Solis reflectere probat. Recenset etiam corpora terrestria combustibilia; corpora lucentia calida, sed non combustibilia; corpora sine calore lucentia; corpora per impressionem lucis lucentia, v. gr. si exponantur Soli; corpora denique per modum lucentia. Explicat ulterius fabricam oculi quam accuratissime una cum modo visionis, machinam insimul construere docens omnibus phœnomenis, quæ in oculo contingunt, repræsentandis aptam. Et hæc visionis theoria ad actiones mentis mechanice explicandas ipsum deducit. Statuit vero esse aliquam mentis in cerebro sedem, ad quam omnes sensuum impressiones deferantur. Hoc idearum repositorium variam continere materiam in usum animæ, cui Elementorum idearum tribuit nomen, eamque quintuplicem præcipue reperiri ait pro varietate sensuum. Certam esse capacitatis sphæram circa sedem mentis, quod centrum vocat, intra quam ideæ formentur, recipiantur & retineantur. Ideas esse corporeas & quamlibet determinatam habere figuram, determinatum motus gradum; consequenter duas non posse esse una in eodem spatio. Animam singulis momentis aliquam harum idearum partim virtute immediata, partim ope sensuum producere & repositorio inserere, quod omnibus capiendis sufficere ingenioso calculo evincit. Has ideas formari in centro & novis formatis antiquas pelli a centro versus peripheriam: actionem animæ eas formantis esse id quod attentionem vocamus.

camus. Cæterum ſemel formatas formam & motum ſucceſſu temporis amittere poſſe, ſicque alterari, immo prorſus deleri. Ut autem percipiantur, id debere animæ Solis inſtar continue radiantis radiationi, dum ſcilicet in ſpiritus illas circumfluos agat: percipi nempe ab anima tanquam reſiſtentiam & reactionem ſuæ radiationis. Equidem ob continuam mentis in repoſitorium irradiationem omnes ſemper percipi ideas, ſed ob earum multitudinem nonniſi confuſe: eam vero in ſpecie diſtincte ſentiri, in quam juxta voluntatis ſuæ determinationem in ſpecie virtutem ſuam radiantem exerit. Aſſerit quoque ideas motu quodam proprio radiare & hac radiatione in animam agentes ipſam ad attentionem excitare. Radiationem animæ magis particularem ad hanc vel illam repoſitorii partem eſſe id, quod cogitationem appellamus: ratiocinationem vero abſolvi, dum anima novas formet ideas per comparationem reactionum a diverſis ideis in diverſis repoſitorii partibus locatis, & harmoniæ ac disconvenientiæ illarum perceptionem. In ſpecie notat, notionem temporis eſſe apprehenſionem diſtantiæ idearum a centro, adeoque memoriæ deberi, quæ ſit idearum per ſenſus acceptarum, vel etiam virtute mentis formatarum repoſitorium. Hinc tempus tanto ſenſibilius eſſe, quanto major idearum numerus a centro verſus peripheriam poſitarum. Dum de Cometis diſſerit, experimentum circa efficaciam luminis Lunaris inſtitutum refert, quam nullam eſſe deprehendit, licet radios Lunares ope ſpeculi cauſtici ad ſpatium 500 vicibus minus, quam quod ante collectionem occupaverant, redactos in globum thermometri aere plenum conjiceret. Cauſam vero, cur nullus radiis Lunaribus gradus caloris inſit ſenſibilis, in Lectionibus de Lumine hanc reddit, quod per reflexionem nimis rareſiant: demonſtrat enim, lumen Lunæ plenæ nonniſi 104368 partem caloris radiorum Solarium continere, ex ſuppoſito nempe hoc principio, gradum caloris eſſe proportionatum gradui luminis. Prolixi de Terræ motu Tractatus maxima pars cochleis ſeu conchis aliisque rebus ex terra effosſis & petrefactis impenditur. Notat talia reperiri in multis Terræ regionibus & quidem talibus, ubi difficulter imaginari licet, quo-

V modo

modo illuc devenerint, cum aliquot 100 milliaribus a mari distent: immo reperiri in ipsis summis montibus. Quædam referre figuras piscium, quædam animalium, quædam figuras plantarum, hæcque omnes arborum partes constitutivas habere, corticem nempe, medullam, poros, radices, ramos, gummi &c. utut intra terram situm obtineant ab eo longe diversum, qui plantis similibus, dum crescunt, competit. Corpora ejusdem figuræ ex diversa sæpius constare substantia, immo partes etiam diversas esse corporis unius. In quibusdam conchas inclusas reperit, quarum convexitati exacte respondit concavitas corporis ambientis. Unde infert, corpora ista figurata aut esse petrefacta, aut saltem repræsentare impressiones aliunde factas, quemadmodum formam sigilli recipit cera. Quoniam vero experimenta reperire non licuit, quibus eundem effectum ad libitum producere datur; causam petrefactionis extraordinariam esse debere affirmat. Esse nimirum vel speciem aliquam aquæ petrificantis, aut mixturam salinam vel sulphuream cum concursu caloris ab ignibus subterraneis vel terræ motu suppeditati conjunctam; aut diuturnam illorum corporum in magno gradu caloris, compressionis & quietis commorationem: id quod per varia experimenta credibile reddere conatur. Inprimis urget, quod aquæ sponte abire potuerint in lapidosam substantiam, per aliquam artem nunc cognitam in aquam vix reducibilem, quia non solum in fundo omnium fluminum & aquarum fluentium ingens reperitur arenæ quantitas, cujus figura & transparentia per microscopia examinata originem ex aqua monstret; sed etiam aqua marina, si evaporetur, arenam relinquit, utut ab ea prorsus libera extiterit, & aqua quælibet per crebras destillationes in calcem album insipidum, in aquam non rursus resolubilem, convertitur. Provocat ulterius ad *Kircherum*, qui in Mundo Subterraneo herbas intra aquam crescentes commemorat, quæ extirpatæ in lapidem abeunt, utut similes ex arida in vicinia efflorescentes non eandem experiantur sortem. Ut vero explicet, quomodo corpora ista in Telluris viscera delata fuerint, faciem Telluris a prima creatione multum immutatam esse asserit, ita ut nunc sint montes, ubi fue-

fuerint valles; ſit terra continens, ubi fuerit aqua, & contra. Cauſas mutationis ponit terræ motus, motum aquæ per declivia ruentis aut per ventos agitatæ cum æſtu maris, inundationes, motus aeris violentos, corporum graviorum ſubſidentiam & leviorum emerſionem gradualem. In ſpecie quod nunc ſint maria, ubi ante fuerunt montes & contra, cauſam conjicit in mutationem centri gravitatis Telluris a terræ motu vehementiori factam. Hinc & probabile ipſi videtur mutari Polum rotationis (unde fiat, quod non ſemper idem cœli punctum reſpiciat;) adeoque olim rotationes Telluris citius fortaſſis abſolutas, conſequenter Patriarchas antediluvianos non fuiſſe nobis longæviores. Negat vero mutationem Telluris omnem a diluvio Noachi peti poſſe, quod tantum 200 circiter dies duraverit adeoque tot corporibus in lapidem convertendis non ſuffecerit. Differit præterea de figura Telluris & atmoſphæræ ipſam ambientis ſphæroidica: exponit methodum lineam Meridianam exacte citra errorem unius ſecundi determinandi, & ex ejus alteratione alterationem axis rotationis ſtabilit: affert nonnulla de aſcenſu Mercurii in Barometro: libros Metamorphoſeos *Ovidii* pro ſyſtemate hiſtoriæ naturalis, multas mutationes & cataſtrophes, quæ Telluri acciderunt, continente venditat, & fabulas ejus in ſenſu Phyſico explicat, calculum tamen non adjiciente *Wallero*. Denique in Lectionibus Navigationi & Aſtronomiæ promovendæ deſtinatis multa de menſura fixa conſtituenda diſputat. Oſtendit nævos ejus methodi, qua eligitur pendulum vibrationes ſingulis ſecundis abſolvens, temporis quidem æqualis per reditum ſtellæ ejusdem ad eundem Meridianum menſurati. Tale nimirum pendulum longius verſus Polum, quam verſus Æquatorem deprehenditur, quia ibi vis gravitans major, quam hic. Addit, nec eodem in loco conſtantem eſſe penduli longitudinem, ob vim gravitantem eodem in loco variantem, diverſis præſertim anni tempeſtatibus, prout Tellus vel in Aphelio, vel in Perihelio fuerit. Præterea ſi pendulum ex metallo paretur, æſtate longius fore, quam hieme; ſi paretur ex filo, tempeſtate humida longius fore, quam ſicca. Contra methodum alteram, qua pro menſura fixa


ra fixa assumitur distantia duorum locorum sub eodem Meridiano sitorum & quorum latitudines uno præcise gradu differunt, urget difficultatem talia loca determinandi, irregularitatem graduum a sphæroidica Telluris figura petendam, difficultatem observationes necessarias instituendi, materiæ, ex qua mensura paratur, immo forte & Telluris ipsius, intumescentiam vel detumescentiam. Fallacibus itaque methodis novam substituit minus fallacem. Assumit scilicet tanquam per experientiam cognitum, corpus fluidum in alio fluido heterogeneo induere formam globosam, certam vero quantitatem fluidi formam globosam seu sphæricam in sphæroidicam mutare, ita ut diameter longior Horizontalis sit ad breviorem verticalem ut 2 ad 1. Obtineri adeo mensuram fixam, immo pondus quoque fixum, si Mercurii perfecte depurati certa quantitas in aquam destillatam immittatur, quæ figuram prædictam exacte assumit. Ad examinandam vero figuram Mercurii & rationem diametrorum methodum commendat figuræ corporis cujusvis exacte delineandæ aptam. Per exiguum scilicet foramen in cameram obscuram intromittit radios Solares, plano polito & candido excipiendos, & objectum delineandum medio inter foramen & planum ponit loco. Quodsi foramen lente convexa muniatur, planum a foco aliquantisper removendum, quo scilicet radios excipiat divergentes. Alios vero usus complures luminis Solaris in cameram obscuram intromissi monstrat: inter quos non postremus, quod, si candela vel lampas ardens intra conum luminosum ponatur, materiam dissolutam & cum aere commixtam instar ingentis fluminis aquæ supra aggerem elatum ruentis ascendere videamus: quam apparentiam ad apparentias caudæ Cometarum illustrandas mire conducere arbitratur. Enumerat præterea difficultates lineam rectam, præsertim longiorem, & arcus circuli majoris ducendi: tradit methodum ea in praxi præstandi: exponit rationem lineam exacte in partes quotcunque æquales & in omnes partes aliquotas dividendi: pertexit historiam thermometrorum & methodum ea construendi explicat: lineæ logarithmicæ naturæ ac proprietatibus enumerandis intentus: & *Antonii Mariæ Schyrlæi de*

Rheita in Oculo Enochi & Eliæ proposita ænigmata Dioptrica solvit. Nempe quod p. 344 proponitur, hunc habet sensum: *Chartam patina lenissimo pulmento ingeniose agglutina, tripoli vitrum polito in ea.* Alterius p. 356 extantis hic est sensus: *Convexa quatuor melius dicta objecta erigunt multumque amplificant. Rite vero tertium colloca in punctum confusionis. Sunt vero vitra tria ocularia convexa, objectivum quartum.* Cæterum in discursibus primis de methodo Scientiam Naturalem perficiendi Algebram Philosophicam tradere animus erat, in duas partes abeuntem, quarum prima mentem ad veritates physicas investigandas præpararet, & ad data quærenda promptam redderet; altera vero regulas operandi seu supellectile collecta utendi subministraret. Maxime autem dolendum, quod pars altera deficiat. Interim nec prima prorsus destituitur regulis omnibus intellectum in veritatum Physicarum investigatione adjuvantibus. Neque enim solum præjudiciorum originem & medelas sensuumque in cognoscendis corporum naturalium effectibus ac proprietatibus ministerium per artem mire perficiendum distincte declarat; sed methodum etiam experimentandi, methodum ad quæsita respondendi, methodos gradus proprietatum corporum naturalium determinandi, methodos varias secretum naturæ agendi modum investigandi, denique 28 methodos modos naturæ in operando obvios detegendi suppeditat. Lumen esse ait peculiarem motum partium corporis luminosi, qui corpus quoddam perfecte fluidum & perfecte densum afficiat, ita, ut partibus corpori luminoso proximis motis, moveatur & totum expansum fluidum majoris condensationis nescium. Esse adeo lumen in medio motus propagationem, & plures radios diversos per idem medium citra confusionem propagari posse, quemadmodum circuli plures a pluribus guttis in eandem aquam una delapsis citra confusionem excitentur, ita ut una guttula aquæ pluribus motibus simul propagandis inserviat. Defendit, lumen per spatium immensum infinita celeritate propagari, & *Ræmeri* experimentum demonstrandæ luminis propagationi successivæ insufficiens esse sibi persuadet, quia perfectam motuum Satellitum Jovis theo-

riam supponit, quam nos habere nondum demonstratum sit, fortassis enim eorum Anomaliam magis differentibus motibus, quam Lunæ complicari, cum hæc saltem a Sole & Tellure, Satelles Jovis vero interior forte & a 3 Satellitibus exterioribus afficiatur: quod dubium ex Astronomia Physica recentiore de corporum mundanorum in se mutuo gravitationibus desumtum. Credit enim *Hooke*, lumen esse eam virtutem corporum cœlestium, qua in se mutuo agant & se mutuo attrahant, qua Planetæ primarii circa Solem moti in velocitate, distantiis & linea motus dirigantur; secundarii circa primarios periodos suos absolvant. Ex facie Solis per exiguum foramen in Cameram vere obscuram transmissi didicit, penumbrosum aliquem circulum isti undiquaque connexum fere dupla diametro foraminis spissiorem esse: quod cum fieri non posse, Geometrice demonstret, si radii per lineas rectas propagari ponantur, eos a lineis rectis deflectere statuit. In speciali discursu tractus luminosi circa æquinoctium vernum in signo Tauri a *Childreyo*, *Cassino* aliisque observati & quotannis observandi causam reddit. Eam scilicet effluviis aeris ultra atmosphæram elatis tribuit. Sole in Perigæo existente atmosphæram per majus spatium rarefactione extendi credit, quam alias unquam, motuque Telluris annuo incitato multam aeris partem in quandam ætheris speciem conversam intra ætherem relinqui; vapores aereos calore privatos in substantiam aeri rarefacto, ex quo generati, similem condensari; hanc condensationem diversum transparentiæ gradum a reliquo æthere ipsis conciliare, ut radios Solares reflectentes & refringentes luminis prædictum tractum exhibeant, donec rursus dispergantur. Cur vero hæc apparentia a Terricolis ad Tauri asterismum referatur, ex motu Telluris annuo circa Solem per schematismos declarat. Cometarum figuras ab *Hevelio* in Cometographia etiamex propriis observationibus descriptas pro genuinis non agnoscit; quales ipse viderit, monstrant Figuræ 1. 2. 3. 4. 5 & 6 quodque notatu maxime dignum, flammas ex capite subinde erumpere & stellas per caudam ope telescopii conspicuas conspectui eripere, maxima cum circumspectione observavit. Cometas itaque pro cor-

TAB. III. Fig. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

TAB. III. ad A. 17



corporibus actu ardentibus habet, caudas vero flammæ candelæ respondere credit. Gravitatis hanc comminiscitur theoriam: supponit in globo Telluris peculiarem quendam motum, quo omnes ejus partes versus centrum Terræ vibrantur & a centro Terræ retroaguntur. Motum hunc vibratorium esse brevem admodum putat & celerem, ut in omnibus corporibus duris & compactis: eundem communicari cum certa ætheris parte particulis solidis vibratoriis interspersi: hoc facto particulas quoque fluidas in orbem vibrari versus centrum & a centro in lineis ex centro radiantibus. Per hanc fluidi vibrationem non omnes modo Telluris partes versus centrum ejus trudi, sed ipsum etiam aerem & fluida reliqua omnia ob ætherem iis interspersum. Cum adeo motus hic vibratorius tanto lentior esse debeat, quanto major redditur activitatis sphæra; vim gravitantem pro ratione distantiæ a centro Telluris, nempe in distantiarum ratione subduplicata, decrescere debere. Notat præterea, ab omnibus tanquam certo assumi, gravia tendere versus centrum Terræ; sed a nemine hactenus probatum, nec etiam per experientiam facile comprobari posse. Similiter nondum probatum esse, gravitatem omni tempore manere eandem: viam unicam probandi esse comparationem descensus corporum gravium cum tempore, in quo descendunt, quamvis hic quoque exceptio de diversa medii densitate locum inveniat. Materiam terræ motuum pulveri pyrio non absimilem judicat, & ob defectum materiæ inflammabilis terræ motus nunc non esse adeo frequentes ac sub initium mundi pronunciat: ex hoc autem defectu mundum consenescere concludit. In Tractatu de Navigatione & Astronomia tractat de methodis inveniendi diametrum Telluris veram earumque fallaciis: de ratione inveniendi locum navis in mari: de figura Telluris: de primo Meridiano: de acu magnetica & ejus declinatione: de latitudine & longitudine locorum successu temporis juxta *Petitum* variata: de linea Meridiana, longitudine & latitudine locorum invenienda: de Diametro apparente omnium Planetarum observanda: de orbita Lunæ, vera theoria Solis & obliquitate Eclipticæ accurata determinanda: de usu observationum circa fixas habitarum

bitarum in conſtituendo motu Planetarum: de difficultatibus obſervandi Eclipſes Lunares propter penumbram Telluris: de Eclipſibus Satellitum Jovis in definienda locorum longitudine Eclipſibus Lunæ præferendis: de Jovis Eclipſibus: de imperfectione inſtrumentorum nauticorum: de inæqualitate motus Telluris diurni & methodis eam examinandi: de ratione determinandi velocitatem venti per peculiare inſtrumentum, cujus deſcriptio deeſt. Docetur etiam inſtrumentorum nonnullorum fabrica, e. gr. Quadrantis exigui, alteri artificio vulgari ex diametro centuplo majore conſtructo perfectione non ſecundi, barometri marini, novi Quadrantis marini. Vitam *Hookii* operibus præmiſit *Wallerus*. Natus is eſt d. 18 Julii A. 1635 in peninſula, quam *Freshwater* dicunt. Corpore fuit infirmo, & inſigni a primis ſtatim annis ad Mechanicam propenſione præditus. In curſu ſtudiorum ſcholaſticorum præter linguam Latinam & Græcam Matheſin quoque didicit, jactis ex Euclide fundamentis ad cæteras Matheſeos partes progrediens & veritates cognitas ad Mechanicam applicans. A. 1653 in Academiam Oxonienſem profectus famulum alicujus ſtudioſi egit, ibidemque A. 1655 multis viris præclaris innotuit & ob Mechanicas operationes gratus extitit. *Boylio* antliam pneumaticam paravit, & in gratiam *Wardi* A. 1656 uſum penduli ad obſervationes Aſtronomicas tranſtulit. Excogitaſſe etiam ſibi fertur methodum machinas inveniendi. A. 1662 vel 1663 Magiſter Artium creatus eſt, cumque A. 1656, inſtigante *Wardo*, Aſtronomiæ Profeſſore Saviliano, cui pereruditam Aſtronomiam Geometricam Ellipticam & Circularem debemus, ſtudio Aſtronomico haud ſegniter incubuiſſet, A. 1658 vel 1659 varia inſtrumenta Aſtronomicis obſervationibus idonea paravit. Ipſi etiam inventionem horologii oſcillatorii, Illuſtri *Hugenio* hactenus unanimi Mathematicorum conſenſu adſcriptam, vindicat *Wallerus*: atque inde A. 1663 pendulum circulare ad motum penduli reliqui continuandum idoneum excogitavit. Cum anno 1661 in peculiari Tractatu cauſam explicaſſet, cur aqua in tubis minoribus ultra libellam aſcendat; anno 1662 in Societatem Regiam receptus eſt. Anno 1664 *Johannes Cutlerus* ipſi ſtipendium annuum

annuum præbere cœpit, ut lectionibus Mechanicis operam daret: quo optime ipsum usum esse, tum Lectiones Cutlerianæ superius laudatæ, tum Opera Posthuma, de quibus hactenus dictum est, abunde testantur. Annua infirmitate extinctus d. 3 Mart. 1703, anno ætatis 67 mense 7 d. 3. Externa ei corporis figura valde abjecta, (gibbosus enim erat,) ingenium vere magnum fuit.

AN ESSAY TOWARDS A VINDICATION of the Mosaic History of the Creation of the World, in several Letters, by JO. WITTY.

h. e.

VINDICATIO EXPOSITIONIS VULGARIS Historiæ Mosaicæ de Creatione Mundi, in variis Litteris tentata a JOHANNE WITTY.

Londini, typis Johannis Wyat descripta, venditur apud Thomam Baxterum, 1705. 8.

Constat plag. 13½.

Recensuimus A. 1697 Mense Decembri *Whistoni* Theoriam novam Telluris: in quo libro multa habentur paradoxa. Inprimis in dissertatione de Historia creationis Mosaica operi præmissa vulgarem ejus expositionem multis modis impugnat, quemadmodum ex recensione nostra satis constare potest. Hunc vero ausum periculosum judicat noster: veretur enim, ne hostes veritatis Religionis Christianæ ansam inde arripiant male de divina Scripturæ Sacræ autoritate sentiendi. Putat nimirum, facile ipsos abusuros hoc argumento: si historiam creationis non secundum litteram interpretari licet, nec historia lapsus litteraliter accipienda, consequenter nec redemtio; utut nullam vim demonstrativam illi inesse agnoscat. Quod vero contra *Whistonum* calamum stringat, librum perlegenti haud obscurum esse potest. Attamen non minus modeste, quam erudite scri-

bit, testimonio profectuum haud vulgarium non minus in praxi Philosophiæ Moralis, quam theoria Philosophiæ Naturalis & Matheseos satis luculento perhibito. Totum opusculum pereruditum undecim Epistolis absolvitur: quæ vero in eodem pertractantur, ad tria capita revocantur. Defendit nimirum, expositionem litteralem Historiæ creationis Mosaicæ retineri debere, quod 1. omnes exceptiones contra vulgarem interpretationem afferri solitæ sint Philosophicæ, consequenter precariæ, cum assumatur, quod nondum evictum, in formatione Mundi a Mose descripta leges naturæ viguisse: 2. posito, juxta leges motus facta fuisse omnia, in Philosophia tamen naturali nondum vel eam evidentiam materiæ sint perductæ, ut cum ratione lapis Lydius Scripturæ Sacræ constitui queant: 3. juxta vulgarem expositionem nihil in ea historia reperiatur, quod Philosophiæ optimæ contrarium existat. De primo argumento disserit in epistola prima, in qua Deum immediata virtute in creatione egisse contendit, & ad *Whistoni* exceptiones respondet. Alterius argumenti deductioni secunda impenditur epistola: ostensurus itaque veritatibus in Scriptura revelatis majorem competere evidentiæ gradum, quam materiis Philosophicis, consequenter & legibus naturæ, quatenus nobis cognitæ, evincit dari Deum, eum nos creasse ad nostram felicitatem, nos ea excidisse, Deum obligari ad nostram restitutionem, & modum hujus revelasse in Scripturis. Existentiam entis necessario existentis ex entium aliorum existentia colligit. Ens illud æternum non esse mundum probat, quod in eo sit perpetua mutationum successio, cum æternitate conciliari nescia. Deum nos creasse ad certum finem, ex sapientia ipsius deducit. Hunc finem esse nostram felicitatem, ex bonitate divina infert. Eadem nos in mundo non perfrui, consequenter ea excidisse, per experientiam confirmat. Obligationem Dei ad nostri restitutionem ex divinæ bonitatis infinitudine derivat. Modum restitutionis in Scripturis a Deo revelari affirmat, quod nullum scriptum, pro revelatione divina venditari solitum, Deo dignius existat, quam Scriptura Sacra. Unde tandem concludit, veritates in Scriptura revelatas summum minimum habere probabili-

bilitatis gradum, utut nonnisi Philosophice considerentur. Contra cognitionem Philosophicam esse non nisi conjecturalem, inde stabilire nititur, quod sua habeat applausus intervalla, quod essentias rerum ignoremus specificas, utpote sensui imperVestigabiles, quarum tamen cognitio ad conclusiones certas eruendas, teste Geometria, requiratur. Cum adeo sit major Scripturæ, quam Philosophiæ evidentia, concludendum ait, si Scriptura huic contradicit, hujus assertionem, utut possibilem visam, esse falsam. Tertium denique argumentum in epistolis reliquis, excepta ultima, fuse persequitur. Examinat dubia, ex Philosophia contra litteralem Historiæ creationis interpretationem a *Whistono* inprimis allata, & ex eadem illa solvit. Contra opus primæ diei cum urgetur, quod Deus causam lucis quarto demum die produxerit, adeoque effectus ante causam extiterit; nos nondum certo scire ait, quid sit lumen, consequenter decidere non posse, num Solem antecedere potuerit. Affert itaque exceptiones tum contra eos, qui lumen habent pro qualitate inhærente; tum contra illos, qui effectum corporis alicujus in animam esse statuunt. Certe theoriam *Cartesianam* a verticibus pendere, quos chimeras esse demonstraverit *Newtonus.* Repugnare eidem successivam luminis propagationem, a *Ræmero* detectam, & *Newtono* approbatam. Hoc tamen non obstante, monstrat, quomodo juxta ipsam *Cartesianorum* notionem lumen ante Solem esse potuerit. Addit, a Mose per lumen intelligi posse medium, per quod lumen propagatur. Qua occasione simul monet, *Newtonum* in sua theoria non stabilivisse (quod multi sibi persuadent) qualitates inhærentes, cum radios diversum coloris sensum producentes nonnisi specie motus differre statuat. Dubium contra opus secundi diei ab aquis supracœlestibus petitum ita solvit. Per firmamentum intelligit spatia inter corpora cujuslibet systematis interjecta. In quolibet systemate esse aquam. Ergo in quolibet systemate constitutum habere aquas supra & infra firmamentum. Nec eam interpretationem Scripturæ pariter ac Philosophiæ irreconciliabilem existere monstrat, quæ aquas supracœlestes pro nubibus venditat. Circa opus tertii diei scrupu-

lum *Whistono* eximere allaborat, quod intra tam breve tempus nec aquæ in canales Oceani defluere, nec plantæ procrescere potuerint. Possibilem utique fuisse aquarum intra Oceanum collectionem, si ipsis talis motus impressus intelligatur, qualis inest sono, quem intra minutum 12 milliaria peragrare experimentis comprobatum, aut prorsus istiusmodi, qualis lumini competit, quod juxta *Ræmerum* intra horam per 405000000 milliaria Anglica propagatur, ingenioso calculo comprobat. Ubi incidenter resolvit problema de nubium distantia ex viso fulgure ac tonitru audito investiganda. Cum nimirum tanta celeritate propagetur lumen, ut, si vel maxime nubium distantia 5, 6 vel 10 milliarium Anglicorum supponatur, (quanta tamen nunquam deprehenditur,) propagatio fulguris pro instantanea haberi queat; nubis distantiam haberi, si tempus inter visum fulgur & subauditum tonitru elapsum in horologio oscillatorio singula secunda accurate monstrante cum cura notetur, & pro singulis quinis secundis milliare unum computetur. Etenim maxima exactitudine experti sunt *Florentini*, sonum æquali tempore æqualia spatia peragrare, &, si ad distantiam unius milliaris explodatur tormentum, a viso lumine elapsis quinque minutis secundis audiri. Quod attinet plantarum vegetationem, in ea tria attendenda esse monet, nempe 1. succum nutritium, 2. animam fermentativam, 3. calorem seu motum. Celeritatem vegetationis ex rerum enumeratarum gradibus æstimandam esse asserit. Neque vero sine ratione supponi, eum tunc obtinuisse gradum, qui postmodum nunquam deprehensus. Et licet Sol ad ultimum perfectionis suæ fastigium illo tempore nondum pervenerit, sine dubio tamen jam extitisse & Telluri influxum suum præbuisse. Immo in Tellure istiusmodi viguisse motum intestinum, qualis posthac nunquam in eadem observatus. Contra vulgarem operis quarti diei expositionem tempus creationis singulorum corporum tam extreme disproportionatum ad ipsa opera objicienti *Whistono* regerit, perperam intellectum finitum sapientiam infinitam suo modulo metiri. Addit, nondum constare, an Planetæ habitentur. Quodsi incolis rationalibus destituantur, rationem fuisse Deo, cur plus tem-

temporis Telluri, Soli, quam astris reliquis impenderit, ut nimirum ostenderet, se omnem creationem visibilem in nostrum dirigere commodum ac usum, seque non ex defectu potentiæ, sed quo suam erga nos testaretur bonitatem, tanta cum cura habitaculum nostrum præparasse. Negat cum ratione *Whistonum* ridere asserentes, quod Deus hoc universum solius hominis gratia condiderit. Quibus hæc non placent, eos cogitare jubet, quod corpora quidem stellarum ante creari potuerint, sed hoc demum die ad omnem suam perfectionem pervenerint, cœperintque nobis fieri stellæ. Contra opus quinti & sexti diei exceptiones consideratu dignæ vix occurrunt. Breviter itaque de utroque differit. Contendit autem in animalium & hominum productione ad immediatam Dei potentiam recurrendum esse. Notionem generationis æquivocæ merito precariam haberi, eique nec experientiam, nec rationem favere prolixe adstruit. Inter difficultates circa opus sexti diei obvias palmaria videtur, quomodo Adamus tam cito linguam addiscere & nomina omnibus animantibus imponere potuerit. Ei vero tollendæ non multum immoratur, quia linguam pro dono Dei immediato habet. Hisce absolutis geminam textus Mosaici paraphrasin exhibet, alteram juxta vulgarem interpretationem, alteram juxta Philosophiam conceptam. Coronidem toti pertractationi imponit epistola decima, in qua varia supplementa conspiciuntur, ad superiora dilucidanda facientia. Multus inprimis est, ut adstruat, motum Telluris diurnum & annuum esse demonstratum. Ad motum annuum stabiliendum non modo commendat argumentum, quod *Whistonus* cor. 6 lem. 23 exhibuit; sed etiam provocat ad parallaxin Orbis Magni a *Flamstedio* detectam, dum distantiam stellæ Polaris a Polo Mundi 40″ vel 50″ in solstitio æstivo majorem deprehendat, quam in brumali, observationibus per 7 continuos annos iteratis, non obstantibus exceptionibus, quas ad infirmandam vim hujus argumenti protulit *David Gregorius* Astron. lib. 3. p. 276. Motum Telluris diurnum per variatam corporum pro diversa locorum latitudine gravitationem roborat. Quoniam vero argumentum evidentius nondum habetur, hoc ipsum tamen in

vulgus minime notum existit, paulo uberius id deducere haud piget. Scilicet nemini rerum Mathematicarum & Naturalium perito ignotum est, ex varianda longitudine penduli, singulas vibrationes singulis minutis secundis horariis absolventis, pro diversa locorum latitudine, seu distantia ab Æquatore, per necessariam consequentiam deductum esse, quod gravitatio corporum cum crescente locorum latitudine crescat, ita ut tanto major evadat, quanto longiori intervallo ab Æquatore versus Polum alterutrum progredimur. Jam cum a *Newtono* demonstratum fuerit, *Princ. Phil. Nat. Mathem. lib. 3 prop. 6 & corol. 1 & 2*, gravitatem in corporibus singulis esse quantitati materiæ proportionalem, invariata materia gravitatem variari non posse concludit, consequenter in omnibus Telluris locis eadem foret ejusdem corporis gravitatio, nisi adesset aliqua causa, quæ partem aliquam vis gravitantis elideret, eamque in uno loco majorem, quam in altero. Probat vero causam hanc non posse conjici in diversam aeris densitatem: cum enim ob calorem vehementiorem aer rarior sit intra Æquatorem, quam versus Polos, per principia Hydrostatica major esse debebat gravitatio in medio rariore intra Æquatorem, quam densiore versus Polos, contrarium tamen suadente experientia. Monstrat ergo, conjiciendam esse illam in motum Telluris diurnum. Cum enim corpora circulariter mota adhibeant vim recedendi a centro, sintque vires centrifugæ corporum in ratione peripheriarum, in quibus moventur, quemadmodum demonstravit *Hugenius* in *Tract. de vi centrifuga prop. 1 p. 408 Opusc. posth.* admisso motu Telluris diurno, vis centrifuga tanto minor evadit, quanto minor a Polo distantia, consequenter, quoniam minor vis centrifuga minorem partem vis gravitantis seu centripetæ elidit, in minore a Polo distantia major esse debet gravitatio, quam in majore. Legibus igitur gravitationis a motu Telluris diurno pendentibus, illis admissis, hunc quoque admittendum esse concludit.

CHRISTIANI WOLFII, MATHEMAT. Prof. in Acad. Frider. Methodus demonstrandi veritatem Religionis Christianæ.

Cum

CUm Viri Clarissimi, *Johannis Witty*, vindicationem expositionis vulgaris Historiæ Mosäicæ de creatione Mundi perlegerem, placuit methodus, qua in demonstranda Scripturæ Sacræ, consequenter Religionis Christianæ, utitur. Utut vero eadem in generalibus cum mea methodo convenire videatur, viris judicio præditis, cum quibus eam communicavi, non improbata, in plurimis tamen ab ea quoque dissidet.

Mea enim methodus rigorem demonstrandi Geometricam constanter observat, & ab iis, quæ mihi hactenus innotuere, prorsus diversa existit. Quamobrem quia nostro inprimis ævo methodus demonstrativa evincendi veritatem Religionis Christianæ multam habitura utilitatem non temere præsumitur; veritatis tanti momenti certo cognoscendæ ardore flagrantibus non ingratum fore arbitror, si generalia meditationum mearum circa illam capita cum publico communicavero. Tota autem methodus huc redit. 1. Evinco, existere Ens, cui competunt omnes realitates in gradu absolute summo. 2. Demonstro, hoc ens esse a mundo seu machina hujus universi diversum. 3. Inquiro in finem, propter quem machinam hanc stupendam cum creaturis intelligentibus produxerit Deus. 4. Ab hoc fine ex perfectionibus divinis antea erutis deducto leges, juxta quas creaturæ rationales actiones suas ex intentione divina dirigere debent, derivo. 5. Legum harum cum perfectionibus divinis collatio conditionem prodit, in qua a Deo produci debuit homo. 6. Conditio hæc cum præsente, in qua vivit, comparata utriusque disparitatem manifestat. 7. Ex natura igitur Dei ulterius deduco, præsentis conditionis autorem non esse Deum, sed ipsum potius eandem aversari, Nec 8. vanum esse de miseria majore minimum menti a morte corporis subeunda metum evidenter ostendo. 9. Hucubi perveni, concludo, aut Deum nos velle liberare ex præsente miseria, aut non velle. Quodsi velit, necessariam esse aliquam revelationem immediatam, stabilio. 10. Immediatæ hujus revelationis criteria cum antecedentibus necessarium nexum habentia eaque prorsus infallibilia suppedito. Tandem 11. eadem scriptis Prophetarum & Apostolorum competere, indubie evinco

Enim-

Enimvero ut appareat, quam evidentiam in demonſtrationibus meis conſervem & quomodo conſervem, quædam ſpecialius ſunt edifferenda. Scilicet ne multa mihi de natura veritatis ac evidentiæ diſputanda ſint, omnia ad eum evidentiæ gradum revoco, quo nititur exiſtentiæ Mentis propriæ cognitio. Normam gradui huic æſtimando conducentem ita reperio. Cum intime percipiam, me eſſe mei conſcium, nihil autem dicam, cui nulla competit realitas; me non eſſe nihilum, ſed aliquid eo ipſo momento, quo me mei conſcium percipio, actu præſens infero. Ecce tibi duas in mente mea de ipſa cogitationes: alteram, quod ſit ſui conſcia; alteram, quod ſit aliquid eo momento, quo ſui conſcia eſt, actu præſens. Has duas cogitationes tam neceſſario nexu cohærere deprehendo, ut mens ad eas divellendas omnibus viribus nitens inanem operam ſumat. Admiſſa enim priore, mentem eſſe hoc momento ſui conſciam, alterius contradictoriam, eſſe nempe eam eo ipſo momento nihil, locum habere non poſſe reperio. Inde concludo, in propoſitione evidente duo eidem rei tribui & unum quidem propter alterum, ita ut, ſi unum ei inexiſtere cogitem, alterum non inexiſtere cogitare non liceat. Primum, quod rei inexiſtere cogito, *Hypotheſin;* alterum, quod propter prius eidem tribuo, *Theſin* appellare ſoleo. Quoniam adeo theſeos certitudo in certitudinem hypotheſeos tota reſolvitur; unde hujus evidentia pendeat, quæri poteſt. In allato antea exemplo ab intima mentis perceptione pendebat, quam dum habeo, quin eam habeam, dubitare nequeo. Ad noſtrum igitur evidentiæ gradum demonſtrationem ſuam revocaturus, hypotheſin ſuam in intimam mentis perceptionem tandem reſolvere tenetur. Similiter ex eodem exemplo patet, nexum neceſſarium mearum cogitationum mihi innoteſcere, ſi diſtincte expendo, quid unaquæque involvat, &. quæ involuta intueor, inter ſe confero. Conſtat jam, quomodo evidentiam conſervem. Neque vero excipere licet, evidentiam hanc conſervari non poſſe, ubi monſtrandum criteria immediatæ revelationis infallibilia (quæ eſſe demonſtro deſcriptionem medii liberationis miſeriæ noſtræ tollendæ ſufficientis ac perfectionibus

divinis

divinis digni, harmoniam eorum, quæ Scriptura de Deo affirmat, cum iis, quæ de ipso ex principiis rationis juxta nostrum evidentiæ gradum demonstrantur & rationem dirigendi actiones liberas legibus naturæ ex perfectionibus divinis erutis prorsus consonam) scriptis Prophetarum & Apostolorum convenire. Datur enim aliqua demonstrativa interpretandi methodus, & hæc ipsa in potestate est. Scripturam nempe nostrum in finem interpretaturus demonstret necesse est, quasnam cum vocibus singulis notiones conjungant librorum sacrorum Autores: ut adeo tota in methodum eruendi notiones vocum in Scriptura obviarum ex ipsa Scriptura resolvatur, qualem possibilem esse non dubitabit, qui ex perfectionibus divinis opera divina æstimare didicit. Ex his datis integram demonstrationem in volumen abituram construet, cui mentis aciem per Geometriam & Analysin intendere contigit. Intelligentibus enim hæc scribuntur, non iis, quibus vires intellectus cognoscere nondum datum est.

ORIGINES ANGLICANÆ: OR, A HISTORY of the English Church, &c.

i. e.

HISTORIA ECCLESIÆ ANGLICANÆ, quæ cœpta, ubi Episcopus STILLINGFLEET Historiam suam Anglicanæ Ecclesiæ finiverat, relationem negotiorum ejus a prima inter Anglo-Saxones Ecclesiæ Christianæ plantatione ad Normannorum usque tempora gestorum exhibet. Auctore JO. INETT, Regiæ Maj. Sacellano Ordinario.

Londini, apud M. Wotton, 1704. fol.

Constat Alphab. 4. plag. 15.

IN Originibus Britannicis, quas antehac A. 1685 in publicum emisit Eduardus Stillingfleet, quarumque epitomen in Actis nostris A. 1688 p. 24 Lectori dedimus, promiserat Auctor Cl.

 fore,

fore, ut Historiam Ecclesiæ Anglo-Saxonicæ itidem aliquando evulgaret. Interrupto vero per præmatura summi hujus Viri fata optimo hoc instituto, *Joannes Inett* suarum inprimis duxit esse partium, ut in Historiam Ecclesiarum Anglo Saxonicarum uberius inquireret, viresque suas in arduo hoc multisque difficultatibus implicito negotio periclitaretur. Hoc dum patrio idiomate perficere instituit, tantum abest, ut antiquiorum pariter ac recentiorum cœco impetu, quod commune scribentium ferme vitium est, legat vestigia, ut nautæ potius peritissimi instar Syrtes inter atque scopulos caute incedens nihil temere, nisi quod tuto asseri posse existimavit, in medium producat. De multorum ignorantia & superstitione perverso item nonnullorum, summorum alias Virorum, studio, qui augustæ Historiæ Anglicanæ faciei tot maculas inusserunt, in præfatione Auctor multum conqueritur, variarumque adeo digressionum, quas & ipsum, ut vera a falsis, nugas & fabulas a legitima historia discriminaret, instituere oportuerit, necessitatem indigitat. Auctoritatibus Polydori Virgilii, Harpsfeldii, Parsonii, Baronii, Cresseji, Alsfordi, aliorumque, quos curiæ Romanæ nimium litasse constat, parum tribuit, Parkerum potius, tot Anglicanarum Antiquitatum restauratorem felicissimum, Henricum Savilium, Robertum Cotton, Rogerium, Twisdenum, Cambdenum, Seldenum, Wheelock, Gale, Whartonium, Foxium, Usserium, Fullerum & Stillingfleetum, lumina Angliæ clarissima, ubi opus erat, in subsidium vocans. Scrupulosas de Regum & Episcoporum successionibus disputationes, miracula Sanctis & istorum reliquiis adscripta, fundationes & dotationes religiosarum domuum, inusitata cœli phænomena, insolentes anni tempestates, & istiusmodi alia non pauca, in quibus describendis plurimi occupati fuerunt, sponte neglexit, & in istud, de quo merito suo gloriatur, diligenter incubuit, ut boni Historici nomen tutaretur, & mortuæ ac insipidæ historiæ vitam & saporem quasi conciliaret. Petita errorum & hallucinationum, si quas ipse admiserit, venia, ipsum Opus ita instruit Auctor, ut omne Sacræ Anglicanæ Historiæ negotium ab A. 401 ad A. 1066 viginti & duobus Capitibus,

quæ

quæ certis ſuis Sectionibus rurſus interdiſtinguuntur, includat.

In primo Capite Saxonum per Britones in Angliam facta evocatio & converſio, quam Ethelberti Cantii Regis connubium cum Chriſtiana quadam Principe celebratum multum promovebat, deſcribitur. Secundum acta Auguſtini, qui, obtenta demum palla, Eccleſiarum Saxo-Anglicanarum Primas conſtituitur, depingit. Rejecta vero per Britones, quo de Cap. III nos informat, ſumma iſta, quam Auguſtinus inſolenter ſibi arrogaverat, poteſtate, Laurentius, in demortui ſuccedens locum, anteceſſoris veſtigia, eodem licet, hoc eſt, vano ſucceſſu, arctiſſime premebat. Infauſtos aliorum quoque Romanenſium Miſſionariorum conatus in Cap. IV Auctor perſequitur, ubi & Sect. V de Antiquitate Academiarum Cantabrigienſis atque Oxonienſis in medium quædam producit. Poſt C. V, ubi de tempore Feſtum Paſchatos celebrandi, de tonſura item Eccleſiaſtica lites potiſſimum feruntur; in C. VI de introductione Auricularis Confeſſionis, Anglis per Scotos & Britones converſis hactenus ignotæ, quædam commemorantur. Radices dehinc Monothelitarum hæreſi, quæ infelix quidam Eutychianiſmi ramus extitit, agente, juxta C. VII, A. 680 die 15 Sept. auſpiciis Theodori Archi-Epiſcopi Cantuarienſis, qui antea Ecgfrido, Ethelredo, Adulpho & Lothario Regibus inſtitutum ſignificaverat, Concilium in *Campo alto* (Hatfield) celebrari cœptum eſt, in quo hæreſis iſta non tantum damnata, ſed & conſtans quædam doctrinæ pariter & diſciplinæ Eccleſiæ Anglicanæ norma ſtabilita fuit. De luxu, quo Monaſtici ſe inquinaverunt, C. VIII; de perverſis vero Wilfridi Epiſcopi Leiceſtrienſis conſiliis, quibus ſupremam in Eccleſias Anglicanas auctoritatem Pontifici Romano vindicare anniſus eſt, C. IX ita nos informat, ut voti ſui ægre Epiſcopum hunc compotem factum fuiſſe, inſimul demonſtret. Præter imaginum cultum, quem viſionibus ſuis C. X. Edgwinus Epiſcopus Vigornienſis fruſtra licet Anglis obtrudere conabatur, peregrinationes ſacræ, Romam verſus ad ſepulcra S. Petri & S. Pauli aliorumque Apoſtolorum frequentanda inſtitutæ, ſummopere invaleſcebant. De palla,

quæ Gregorii M. ævo honorarium tantum insigne erat, ab Innocentio III vero pro nota & indicio plenitudinis potestatis Apostolicæ, quæ Archiepiscopis tantum competere debuit, reputabatur, in C. XI fuse disquiritur. Quas turbas imaginum cultus in Italia excitaverit, & quomodo a Pipino, Gallorum Rege, spreta Imperatorum auctoritate, præstantissimarum Italiæ urbium claves ad altare S. Petri & S. Pauli depositæ fuerint, per C. XII Auctor declarat, ubi & ad Gallorum gloriationem, qui, quod Stephanus pro primo Romanæ libertatis & Imperii Pontificii conditore haberi debeat, sibi multum attribuunt, insimul digreditur. In C. XIII, præmissa Concilii Francofurtensis, quod contra Imaginum cultum pronunciaverat, mentione, de Sanctorum reliquiis, quas hoc ævum devote respiciebat, nonnulla adnotantur, quibus ista, quæ de Sanctorum invocatione, de purgatorio, & de statu animæ separatæ in C. XIV enarrantur, merito suo adsociamus. Nomina Archi-Episcoporum, rarius vero etiam Episcoporum, qui Assessorum Archi-Episcopi nomine vulgo veniebant, in principio decretorum in Conciliis factorum deprehendi, nec iis subscribi, verum loco nominum crucis signum apponi olim consuevisse, e Cap. XV discimus. Cap. XVI sereniora Egberti Occidentalium Saxonum Regis, qui, devicto Beornwulfo Merciorum Rege, primus Angliæ Monarcha factus est, fata describuntur. Quanta circa A. 894 ab Alfredo Rege in literas & literatos, Academiam maxime Oxoniensem, cujus si non fundator primus, Collegii minimum, quod Universitatis vocant, autor extitit, collata sint beneficia, C. XVII recenset, quocum Caput XVIII vel eam ob causam apte componi poterit, quod de Æthelstano Alfredi ex Eduardo nepote paria inculcet. In variis Dunstani fatis depingendis Cap. XIX totum propemodum occupatur, siquidem is non Edgari tantum ope, cui contra Edwi fratrem adstiterat, Archi-Episcopus Cantuariensis tandem factus est, sed & Rege hoc & variis Episcopis, quos inter Æthelwulfus Episcopus Wincestriensis & Oswaldus Episcopus Vigorniensis inprimis referendi sunt, in partes suas pertractis, Clerum secularem, cui ex sedibus expulso Monachos surrogabat, mi-

sere

fere afflixit. Post mortem Edgari, fasces imperii Eduardo per obstetricias Dunstani manus itidem tenente, Archi-Episcopus hic super duo Concilia, Wincestriense alterum, alterum Calnense, quæ ultimum ei minitari videbantur exitium, teste C.XX istiusque Sect. 3 & 4 non sine miraculo, si fides Autoribus habenda est, triumphavit. Missis insuper, quas Dunstani cineres Cantuarienses inter atque Glastonienses, Sect. 7 dicti Capitis docente, excitaverunt, controversiis, stupendos Danorum, quos in Anglia improviso fecerunt, progressus C. XXI nobis delineat. Ethelredo enim per Suenonem primum, dein per Canutum A. 1016 suppresso, universa propemodum Anglia Danis cedebat, qui in maximum Christianæ rei detrimentum Paganismum cum Christianismo turpiter commiscuerunt. Recuperant tandem Angli imperium juxta C. XXII idemque ultimum, Danis vel trucidatis vel ex Regno fugatis, per Eduardum cognomine Confessorem, unicum ex Ethelredo superstitem filium, qui ut aulæ Romanæ nimium favit, ita morti vicinus, cui A. 1066 d. 5. Jan. succubuit, in honorem & memoriam S. Petri in Westmonasterio basilicam extruere cœpit superbissimam.

DIVERS ECRITS TOUCHANT LA SIGNATURE du Formulaire, &c.

h. e.

SCRIPTA VARIA, AD SUBSCRIPTIONEM Formulæ a Clemente XI. Papa imperatam pertinentia.

1706. 12.
plag. 21.

CONstat in vulgus, Clementem undecimum, qui nunc Ecclesiæ Romanæ præest, solenniter imperasse, ut omnes sacri ordinis homines condemnationem Corn. Jansenii subscriptione nominum & jurejurando confirmarent, ac profiterentur, *se judicare interius, quod doctrina hæretica in Jansenii libro contineatur*, quæ Bullæ Romanæ recens promulgatæ verba sunt. Ex eo multi, qui Jansenio hactenus publice privatimque faverant,

rant, mutare animum, atque imperio huic obsecundare, alios etiam ad paria obsequia permovere. Quos inter Leodiensis quidam Theologus, auctor Epistolæ Latinæ in fronte hujus Collectionis positæ, & fama nominis & successu consiliorum non ultimum locum sortitur. Ille sequentem in modum est argumentatus: Eos, ait, qui subscriptionem istam detrectent, vel ignorare universum negotium, aut saltem interiora ejus momenta, vel eadem satis perspexisse. Prioribus, ait, nihil fore consultius, quam ut in ignorantia illa permanentes, morem Pontifici gerant; ignorantiam iisdem excusationis loco futuram, obedientiam vero, quam Pastori tanto præstent, fore laudatissimam. Posterioribus suadet, ut judicium proprium Ecclesiæ, Pontificis atque Episcoporum judicio submittant, non secus ac discipulus præceptoris, miles Principis arbitrio & conscientiæ omnia permittit. Iterum illis iterumque Pontificis atque tot Episcoporum auctoritatem dignitatemque opponit, nec non exemplum Gregorii M. quem ait in condemnando Theodoro Mopsvesteno, Iba & Theodoreto, adeoque in *re facti*, Ecclesiæ decreto sincero ac lubenter cessisse, similemque illi, quæ nunc circumfertur, subscriptionis formulam procurasse.

Huic Epistolæ, quæ multos permoverat, pars adversa unum alterumque scriptum opposuit, quæ Fasciculo hoc collecta exhibentur. Ejus duæ sunt partes, quarum utraque bigam scriptorum, recentium nempe & paulo antiquiorum, complectitur. Parte priori primo videmus loco Anonymi recentem Tractatum, *Reflexions sur une Lettre de Liege*, quo Epistola Leodiensis Theologi hactenus recensita examinatur. Auctor principio multis modis exaggerat, quam indignum facinus sit, innocentem ac bene meritum Episcopum suo calculo condemnare, & sub sacramenti religione in hæreticorum ponere numero: jusjurandum rem esse divinam, non nisi in veritate & judicio, h. e. rei veritate judicio exactissimo deprehensa, suscipiendam, veteresque & recentiores rerum moralium doctores sufficientem notitiam & convictionem ad jurandum uno ore postulare: ignorantiam talem non excusare a peccato tali & tam facile evitabili, etsi Jesuitarum laxior doctrina ita spondeat, quos ob

Cate-

Catechiſmum nuper in Belgio editum, in quo doceatur, non peccare eos, qui non ſufficienter ſciant, qua in parte peccent, propterque Theſin Aquis Sextiis defenſam, quod conſcientia circa illicitum intrepida excuſet a peccato, graviter reprehendit. Eccleſiæ vero, Pontificis & Epiſcoporum auctoritatem falli neſciam ad nova negotia facti ſe extendere negat, & ſolius Dei imperio talia reſervari ait: poteſtati Eccleſiaſticæ, etiam ſummæ, non ſubjectionem animi, nondum cetera convicti, ſed externam ſolum venerationem oris, calami & aliorum ſignorum ſilentium deberi. Quo loco in Bullam nuperam non ſegniter invehitur, extortam & ſubreptionibus adverſariorum obtentam, imo præcipitatam eſſe, & injuſta poſtulare clamat, citatoque Gelaſii Papæ exemplo, qui Arianis tum late dominantibus faverat, concludit, non ſemper credendum eſſe multitudini, etiam ubi Pontificis auctoritate ac nomine ſuperbit. De Gregorii M. exemplo, in Epiſtola Leodienſi objecto, multis agit, fateturque, eum ſe Concilio univerſali quinto qua condemnationem trium Capitulorum ſubjeciſſe, ſed volentem, ac de æquitate judicii Eccleſiaſtici perſuaſum, aliam vero & contrariam viam iniiſſe Pelagium I Papam. Formulam, quam Epiſcopi Longobardici ætate Gregorii M. ſubſcriptione ſua firmaverant, *(Cautio* & *Indiculum* dicebatur) ſchiſmatis tollendi cauſa ab illis acceptam, nemini obtortam, & a Gregorio, tum Urbis Prætore, ſuſceptam eſſe, ſine ulla perſonarum condemnatione: ejus enim exempla ex Diurno Pontificum Rom. approbante Garnerio, affert. Circa trium Capitulorum cauſam, in qua multus eſt, obſervat p. 127, duo fuiſſe eorum genera, qui Capitula iſthæc defendebant, alios Neſtorianum dogma in illis agnoviſſe & propugnaſſe, alios ea pro infectis Neſtoriana hæreſi minime habuiſſe, eoque nomine pro illis interceſſiſſe, non hos, ſed illos Conciliorum Decretis fuiſſe condemnatos, niſi, quando ſchiſma defenſionis illius cauſa ſimul facerent; nam Eccleſias Gallicas Hiſpanicasque, etſi Capitula tria damnare nollent, nunquam anathemate notatas eſſe, quippe quod a ſchiſmate ſibi caverent, Longobardicos vero & Iſtrienſes Epiſcopos, qui cum illis, quorum ſententiis Capitula erant

conde-

condemnata, communicare recusabant, pœnam Canonicam subiisse.

Sequitur Nicolii, celebris inter eos, qui Jansenio favent, Doctoris, Dissertatio contra Masii, Sorbonici Theologi, The- sin, qui A. C. 1668 propugnaverat, Ecclesiam in rebus facti, saltem, quando de libri alicujus hæretico sensu agitur, falli non posse, illique fidem, etsi non plane divinam, Ecclesiasticam ta- men, sine exceptione habendam esse. Nicolius in contrari- am adducit sententiam Bellarminum, Baronium, Pallavicinum Cardinales, Canum, Stapletonum aliosque Theologos; eam- que ob causam ad negotium trium Capitulorum digreditur, in quo anceps maxime circa sensum scriptorum Ibæ ac Theo- doreti Ecclesiæ decisio fuit, adeo, ut inter Sorbonicos The- ologos hactenus ea super re non levis dissensio sit, Fero- nio, Chevillerio aliisque publicis Thesibus, quod Ecclesia er- raverit, contendentibus. Post hæc ad Jansenianam causam ista applicat, nulloque modo per Ecclesiæ auctoritatem ad dicendum Jansenio anathema commoveri quempiam posse, disputat.

In posteriori Parte primum occupat locum Auctoris Ano- nymi recentioris scriptum, cui titulus est, *Lettre sur la Signature*, in quo ad Leodiensem illam Epistolam ita respondetur, ut sin- guli ejus paragraphi, maxima minima, ipsæque phrases sigilla- tim examinentur, nervo respondendi ceteroquin cum iis, quæ ex priori refutatione excerpsimus, conveniente. Non raro rhetoricis etiam digressionibus atque schematismis Lectoris as- sensus quæritur, neque flosculis parcitur aut ingenio. Proli- xus etiam Anonymus est in edisserenda trium Capitulorum hodie recrudescente causa. Res omnis eo redit, neque Ecclesi- am, neque Gregorium Papam ad subscriptiones quempiam ade- gisse, sed libertatem ea de re sentiendi omnibus concessisse, in eos vero, qui schismatis inde occasionem captabant, graviter animadvertisse. Monuerat Auctor Leodiensis Epistolæ, A. Ar- naldum principio Malebranchii librum de inquirenda veritate magnopere dilaudasse, planeque approbasse, dum amicitia in- ter

ter illos adhuc vigebat, postmodum, suborta altercatione, eundem, tanquam periculosis hypothesibus refertum condemnasse; unde concludit, idem evenire illis posse, qui ob amorem erga Jansenium, quo præventi sint, ejusdem libros innocentes esse autument. Noster Arnaldum studiose excusat, respondens, eum de Malebranchii libro, obiter inspecto, primum bene censuisse, quod solidiorem Philosophiam ordinemque elegantiorem eum sequi cerneret; deinceps, examinata ejus de ideis doctrina, ut secus judicaret, adactum esse, nihil præjudiciis, nihil affectibus dedisse. Ex Gregorii M. Epistolis multa ad negotium subscriptionis facientia affert, ejusque placidum hac in causa ingenium, ab indole eorum, qui nunc dominantur, valde alienum, describit. Tandem Cameracensem Archi-Episcopum, qui subscriptionem sine animo prorsus de sensu Jansenii hæretico persuaso fieri posse inficias it, cum Auctore Epistolæ, qui scrupulos & dissensum internum retineri posse non negaverat, omnino committit.

Superest alter Nicolii libellus, cui nomen est *Examen*. Examinat enim Auctor Dirœsii, Theologi Sorbonici, Tractatum de subjectione, quæ debetur Ecclesiæ de libris judicanti. Dirœsius docuerat, licere Ecclesiæ, ut innocentes etiam libros, si scandalo sint plerisque, si periculum illis inesse potior pars credat, ipsa condemnet: Nicolius id prorsus negat, atque præter prohibitionem lectionis in tali casu Ecclesiæ nihil concedit. Dixerat Dirœsius, negotium libros condemnandi ad disciplinam Ecclesiasticam pertinere, cui simpliciter credendum sit, sine omni discrimine juris & facti; qui secus statuat agatve, hunc schismatis rebellionisve reum fieri. Hic Nicolius in adversarium graviter invehitur, monetque, disciplinam ad interiora animi sensa non penetrare, sæpe falsum aliquod dogma in Ecclesia aliquantisper dominari, ejusque patronos cœcum obsequium postulare, neque tum, nisi factum a jure distinguatur, conscientiam servari illibatam posse: multis præterea petitis ex Historia Ecclesiastica exemplis probat, istam facti a jure & dogmate separationem pernecessariam esse. Inter alia p. 82. sq. non infeliciter anquirit, qua in re Eutyches erraverit, atque ex

Z variis

variis veterum monumentis, præſertim ex Flaviani Epiſtola, oſtendit, duos ejus fuiſſe errores capitales, unum, quod caro Chriſti alterius naturæ ſit, quam noſtra, alterum, quod una ſolum in Chriſto natura ſit; illum pleroſque Eutychianos poſtea abjeciſſe, in hoc autem omnes ad unum conſtanter perſtitiſſe.

SYNOPSIS PALMARIORUM MATHESEOS, OR a nevv Introduction to the Mathematics, &c.

h. e.

NOVA INTRODUCTIO AD MATHESIN, continens principia Arithmeticæ & Geometriæ, brevi atque facili methodo demonſtrata, & ad partes illius utiliſſimas applicata. Autore W. JONES.

Londini, apud Galfridum Wale, 1706, 8

Conſtat plag. 20.

AD Matheſeos ſublimioris, Analyſeos præſertim tam finitorum, quam infinitorum cognitionem adſpirantibus, perſpicuitate, facilitate, brevitate & rerum ſcitu digniſſimarum, imo apprime neceſſariarum ubertate mire ſe commendat libellus in hoc genere optimus. Arithmetica tam numeroſa, quam ſpecioſa ad tam facilem intelligentiam nullibi proponitur, ad faciliorem proponi prorſus nequit. Proprietates proportionum Arithmeticarum, Geometricarum, Harmonicarum & Contraharmonicarum per calculum litteralem demonſtrantur, problemata ad ſublimiora fores pandentia ſolvuntur & ex natura exponentium oſtenditur, quod ſit $a^{-n} = \frac{1}{a^n}$ & $\sqrt[r]{a^n} = a^{\frac{n}{r}}$ itemque $a^n : \sqrt[r]{a^m} = a^{\frac{nr-m}{r}}$. Doctrinæ de proportione

Algo-

Algorithmus fractorum ſubjungitur demonſtrationibus neceſſariis inſtructus, in quo ſimul agitur de fractionibus vulgaribus in decimales convertendis & operationibus Arithmeticis in iisdem exercendis. Sequitur Arithmetica incommenſurabilium, in qua regulæ exemplis radicum indeterminatarum illuſtrantur, ultra quantitates tamen irrationales ſimplices non aſcenditur. Excipit eam methodus problemata Mathematica reſolvendi, ubi de Denominatione, Æquatione & Reductione generaliter diſſeritur, mox ſpecialius reductio per tranſpoſitionem, multiplicationem, diviſionem, involutionem & evolutionem deſcribitur, Æquationum natura & proprietates exponuntur, uſitata de mutatione radicum problemata declarantur, quæſtiones novem (quas inter duæ indeterminatæ) ſolvuntur, regula Trium ſimplex & compoſita, directa & inverſa, cum regulis Societatis, Reductionis, Alligationis, Falſi explicatur & exemplis univerſalibus illuſtratur, æquationum quadraticarum affectarum reductio docetur, & ad tres quæſtiones ſolvendas applicatur, tandemque regulæ *Cardani* pro extrahenda radice ex Æquationibus Cubicis affectis inveſtigatio exhibetur. Hiſce abſolutis, proprietates progreſſionum Arithmeticarum per mera ſigna edocentur, nec minus proprietates numerorum figuratorum, ex quibus Theorema *Newtonianum* de evehendo binomio ad dignitatem indeterminatam inveſtigatur, unde Theorema *Moivraeanum* pro infinitinomio per modum corollarii deducitur. In hoc etiam capite methodus *Hallejana* inveniendi Logarithmos perſpicue enodatur. Theorema *Moivraeanum* pro extrahenda radice ex infinita Æquatione inveſtigatur, & methodus generalis extrahendi radices ex æquationibus quibuscunque repræſentatur, unde theoremata peculiaria, qualia dedit *Joſephus Raphſon* in Analyſi Æquationum, facile derivantur. Progreſſionis Geometricæ proprietates denuo per meros characteres expediuntur. De computandis uſuris theoremata generalia eruuntur. Combinationis, Electionis, Permutationis & Compoſitionis quantitatum leges exhibentur. Hæc in parte prima maximam libelli partem abſolvente continentur. In parte altera Geometriæ principia traduntur & varie applicantur.

 Præmis-

Præmissis definitionibus geneticis, palmaria Geometriæ communis theoremata breviter demonstrantur. Dum vero magnitudinum genesis per motum continuum punctorum, linearum, superficierum exponitur, calculi differentialis & exponentialis atque integralis principia legesque exponuntur. In demonstrationibus theorematum creberrimus est calculi litteralis usus. Theoria Sinuum cum cura explicatur & series pro sinubus eorumque Logarithmis inveniendis ex eo deducuntur. Palmariæ Sectionum Conicarum proprietates per calculum Analyticum maximam partem demonstrantur. Divisio Curvarum in Algebraicas, Transcendentes & Exponentiales, itemque in sua genera explanatur, & exempli loco ex Transcendentibus Cyclois, ex Exponentialibus Logarithmica consideratur. Agitur etiam de Curvarum Evolutis, Tangentibus, Subtangentibus, Perpendicularibus, Subperpendicularibus, Longitudine & Areis, nec non soliditate solidorum ex illarum rotatione genitorum determinandis. Tractantur principia Perspectivæ seu Projectionis Orthographicæ & Stereographicæ. Succincte explicantur Trigonometriæ Planæ ac Sphæricæ leges, facta quoque ad hanc Matheseos partem calculi Analytici applicatione. Principia Mechanicæ dum declarantur, leges motus ac virium moventium demonstrantur, effectus machinarum simplicium inde derivantur, leges motus pendulorum, descensus corporum per plana inclinata & cycloidem, virium centrifugarum & centripetarum, atque motus corporum in lineis curvis simplicissime enucleantur: ita ut intra paucas paginas plura contineantur, quam in integris de Mechanica tractatibus. Exponuntur ulterius leges motus projectionis, & ex Opticis leges reflexionis & refractionis luminis: coronidem imponit resolutio problematis *Hallejana* de focis vitrorum sphæricorum quorumcunque determinandis. Tot ac tanta in tam exiguo libello solide ac perspicue pertractata esse, jure mireris. Ne autem brevis per signa expressio in Analysi parum versatos turbet in partis alterius perlectione, non solum cum cura legendus est ab initio libellus, etiam ab iis, qui jam rerum ab initio pertractatarum satis sunt gnari, sed & in rerum significatarum pro signis & horum pro

pro istis substitutione frequens sit exercitium, moris syllabizantium æmulum.

PHARMACOPOEA BATEANA, OR Bate's Dispensatory.

i. e.

DISPENSATORIUM BATEI ANGLICE REDDITUM, studio Guilielmi Salmonis, Professoris Medicinæ.

Londini, apud Sam. Smith & Benj. Walford, 1706, in 8.
Constat plag. 49.

QUem scopum præfixum habuerit Clarissimus Salmon, cum Pharmacopœam hanc Bateanam ex Latino in Anglicum traductam idioma prima vice ederet, abunde a nobis in Actis anno 1694. mense Octobri pag. 379. est inculcatum. Nova hæc editio etiamsi, plagularum numerum si spectes, priori minor esse videatur, tantum tamen abest, ut quicquam desideretur in hac, quod in prima reperitur, ut præter innumeras notas & observationes, ab Autore Clarissimo hinc inde interspersas, plura hic legantur medicamenta, capitum calcibus annexa, omniaque minoribus literis impressa. Describuntur enim spi- p. 110.
ritus salis ammoniaci dulcis, spiritus de hydromelite, & rosarum; oleum Mercurii per deliquium, terebinthinæ, oleum de- p. 131.
stillatum tartari, carbonis & gagatis; Tinctura Martis Phiora- p. 264.
vanti, Philosophica, & optima, Tinctura amara stomachica, antiphthisica, myrrhæ composita, Laudanum liquidum Sydenhami, Tinctura de sulphure Metallorum; Mercurius præcipi- p. 456.
tatus Principis, & viridis blandus, pulvis stypticus simplex & compositus, pulvis antimonii rubens Paracelsi, Præcipitatum optimum ad Luem Veneream; Sal mirabile Glauberi, sal vo- p. 541.
latile oleosum, sal stypticum Rabelli, sal Vitrioli Catharcticum, sal volatile corvi; Infusio amara chalybeata; Syrupus vo- p. 579. 609.
latilis; pulvis ad calculum; Pilulæ ad Luem Veneream, Pilu- p. 642. 661.

p. 676. læ laudatæ; inter externa remedia aqua murifragii, & aqua vulneraria optima. De cætero monendus est L. B. Pulveris & Sulphuris Ryſſeliani vulgo dicti, inter Arcana a nobis loc. cit.
p. 456. commemorati genuinum Authorem, non Ryſſelium, ſed cui a ſervitiis & laboribus hic fuit, Richardum Barker, pronuntiare Clariſſimum Salmonem, in cujus Manuſcriptis ſequens ejus eſt annotata præparatio: *Rec. Antimonii Hungarici electi, groſſo modo pulveriſati unc. XVI. Nitri, Tartari ana unc. XIV. Miſta cochleatim in crucibulum ingeſta funde forti ignis gradu, effunde in vas aqua plenum; ſic pulvis Antimonii coloris rubicundi fundum petet, ſub nomine ſpecierum majorum, ſeu ſpecierum Vitæ, ſulphur autem ejus coloris aurantii ſuprema petet & lateribus affigetur ſub nomine ſpecierum minorum.*

A TREATISE OF THE SAVE, INTERNAL USE of Cantharides; by Dr. John Greenfield.

h. e.

TRACTATUS DE TUTO CANTHARIDUM in Medicina uſu interno a D. JOHANNE GROENEVELT, Latine, ſcriptus & a Johanne Marten, Chirurgo, in Anglicum idioma translatus.

Londini, apud Galfridum Wale & Joh. Iſted, 1706, in 8.

Conſtat Alphab. 1. plag. 3.

NOvem præterlapſi ſunt anni, cum Clariſſimus Grœnevelt Tractatum ſuum de tuto Cantharidum in Medicina uſu interno, dimidium Alphabeti vix excedentem, typis exprimi curaſſet, in quo Cantharidum non minus quam Camphoræ, cum qua earum venenoſitas corrigi commode poteſt & debet, naturam & virtutes tam propria quam aliorum Medicorum experientia explicuit, illarumque efficaciam in ulceribus renum & veſicæ, calculo, ſtranguria, & hydrope patefecit. Quo fato vero factum fuerit, ut libellus hic oculos noſtros hactenus ſubterfu-

terfugerit, nos latet, alias ejus contenta, cum B. L. communicare nulli dubitassemus. Interim vestigiis Clarissimi hujus Viri insistens Johannes Marten, Chirurgus, & plus ultra progrediens, Cantharidum usum internum in quibusdam luis Venereæ symptomatibus maxime proficuum observavit. Quapropter facile veniam impetravit ab Autore Clarissimo, ut Latinum ejus Tractatum in Anglicam transferret linguam, eique suas pariter ac illius interea temporis factas observationes interspergeret. Addidit præterea Clariss. Grœnevelt, quam in priori editione promiserat, Anatomicam & Chymicam Cantharidum relationem. Sed nec minor in podagra profliganda, quam in reliquis allegatis affectibus eradicandis ex earum usu interno observatus fuit successus; hinc tractatus, anno 1691. a D. Grœnevelt latine exaratus & postea a D. Richardo Brown in Anglicum idioma traductus, schedis hisce est adjectus. Nec dubitant tam D. Grœnevelt, quam Marten, non minori imposterum Cantharides utilitate se commendaturas esse, quam qualis hactenus a Mercurialibus vel Antimonialibus medicamentis fuit expectata.

A DISCOURSE, CONCERNING THE certainty of a future and immortal State in some Moral, Physiological and Religious Considerations; by a Doctor of Physick.

h. e.

DISCURSUS CONCERNENS CERTITUDINEM STAtus futuri & immortalis, constans quibusdam considerationibus moralibus, Physiologicis & religiosis. Autore quodam Medicinæ Doctore.

Londini, apud W. Freeman, 1706, 8.

Constat plag. 14.

DOlet Autor, quod nunc non pauci in Anglia reperiantur, qui perversas de anima fovent sententias ejusque immortalitatem

nem impugnant, pessimorum inter Gentiles autorum, *Lucretii, Apollonii, Luciani* & *Sexti Empirici* impias doctrinas recoquentes. Hujus igitur farinæ hominibus scriptum suum opponit, in quo animæ immortalitatem adstruere conatur. Magis vero studet oratorio dicendi generi, quam solidis demonstrationibus, si excipias, quæ ex Scripturis Sacris in medium afferuntur, nonnisi apud eos valitura, qui divinam illarum autoritatem venerantur, nequaquam autem illas convictura, qui absurdas de anima humana notiones sibi fingentes vel Scripturæ contradicunt, vel ejus verba suis notionibus accommodant. Etenim evidentiam naturalem status futuri a morte corporis monstraturus provocat 1 ad multitudinem & splendorem stellarum, quas in materiam inertem & tenebris involutam convertendas esse, nemo sapiens statuere queat: 2 ad Terram, cum multis modis deterior sit stellis, hominesque alat pravos, utique perdendam, nisi animæ in ea degerent immortales: 3 ad magnitudinem stellarum, quæ creatorem Deum loquatur: 4 ad positum Telluris, corporis admodum gravis, in fluido aere, & continuam partium corruptionem, tota incorrupta: 5 ad motum Telluris diurnum, nihil in ea suo loco excutientem: 6 ad curiosas productiones naturæ per microscopia inprimis detegendas, & nativam excellentiam infinitamque varietatem colorum: 7 ad admirandam animalium fabricam & inprimis circulum sanguinis: 8 ad animalcula nudis oculis inconspicua, sed per microscopia conspicienda: 9 ad arenam maris, quæ per microscopia deprehendatur ingens thesaurus ex rubinis, achatibus aliisque gemmis transparentibus compositus: 10 ad iridem, quam non prorsus fortuitam esse affirmat, quod radii Solares reflexi & refracti non alia sub forma tales exhibeant colores: 11 ad vastitatem Oceani & magnitudinem balænarum: 12 ad fluxum & refluxum maris, aliaque naturæ phœnomena admirationem excitantia. Hæc scilicet omnia hominem eo deducere, ut firmiter credat, dari Deum, consequenter statum etiam futurum & immortalem. Ex Scriptura Sacra evidentem esse ait nostram immortalitatem per Salvatoris nostri resurrectionem. Illi autem non denegari posse fidem, quam scriptis Paga-

Paganorum tribuimus. Probat quoque ejusdem divinitatem per admirandam Christianismi fundationem ab homine, quoad speciem externam abjecto, ope quorundam hominum illiteratorum, inter medias persecutiones, successu tamen intento omnes una carentes, factam: per Judæorum in Judaismo perseverantiam: per divinam providentiam, quæ inter frequentes Judæorum idololatrias & medias Christianorum persecutiones illam incorruptam conservavit. Qua occasione monet, essentialia Christianismi esse, quæ in Scripturis distincte revelantur, reliqua accidentalia, optandumque fore, ut erga hæc minor esset zelus, quam vulgo fovetur: ita enim majorem obtentam iri concordiam. Commendat multam Scripturæ lectionem & conciones eam arguentes præfert aliis multa eloquentia & eruditione refertis. Laudat Anglos suos, quod *Tillotsonii* vestigia legentes a schematibus oratoriis, narratiunculis, citationibus Autorum, omnique alia vana eruditionis ostentatione abstineant. Probat ulterius animæ immortalitatem per translationem Enochi atque Eliæ in cœlum; per fidem *Abrahami*, *Noachi*, *Jobi*, *Davidis*; per loca Dan. XII, 2 & Exod. III, 6; per resurrectionem corporum a *Paulo* 1 Cor. V defensam. Cum miraculorum injicitur mentio, monet, ea nunc non prorsus cessare, sed hodienum extraordinarios divinæ providentiæ actus contingere. Refert inter alia, A. 1700 paucis post obitum ultimi Hispaniarum Regis mensibus, in Vigiliis Nativitatis Christi, infantem 6 menses natum, filiolum *Edgecombi* Regiæ cohortis pedestris Tribuni, cessantibus convulsionibus, oculos & manus cœlum versus elevasse, multisque lachrymis effusis, præsentibus parentibus, nutrice, ancilla & fœmina vicina, per integram fere horæ quadrantem subinde distincte lingua Anglica exclamasse, *o Deus!* subinde, *o Jesu!* die *Stephani* vero mortem obiisse. Exemplis similiter confirmat, dari adhuc somnia divina; dari omina, inter quæ Cometas refert. Sub finem tandem ostendit, pauca admodum esse, quæ de futuro statu novimus.

D. JOH. CONR. DANNHAWERI, THEOLOGI & Professoris quondam Argentoratensis Senioris & Primarii, Conventus Ecclesiastici Præsidis atque Capituli Thomani Decani, Disputationes Theologicæ in Volumen Unum magna cum cura collectæ, opera & studio M. CHRISTIANI MISLERI.

Lipsiæ, apud Viduam Justi Reinholdi, 1707. Alphab. 12. plag. 8. in forma 4ta majori.

HAud exiguam sibi gratiam apud Eruditos hactenus promeruit doctissimus M. Mislerus, quod elegantiores Disputationes, quarum legendarum copia ob raritatem multis concessa non fuit, iterum recudi fecerit; sed multo majorem jam sibi conciliavit favorem, quod selectissimas incomparabilis Theologi, B. Dannhaweri, Dissertationes, quarum aliquot plane comparari haud potuere, e magnorum Theologorum scriniis indefessa cura colligere ac orbi erudito legendas exponere voluerit. Non solum autem insignem in colligendis hisce Dissertationibus impendit operam, sed Herculeum prorsus laborem in tollendis, quibus allegata multoties scatebant, erratis. Sæpissime enim vel trecentas Scriptorum citatorum plagulas perlegere necessum habuit, antequam locum a B. Dannhawero intentum inveniret, ac pro vitiose allegato genuinum substituere posset. Ut taceamus jam alia, quibus Disputationum harum lectionem magis commendabilem reddidit laudatus Editor, addimus adhuc, quod ipsas in duas partes distribuerit, quarum prior exegeticas, posterior historico-polemico-didacticas exhibet. In priori novendecim comparent: quarum I. de opere Dei Hexaemero ad *Gen. I.* II. de Melchisedeco, ejusque persona, officio, factis, *Gen. XIV.* III. Sceptro Jehudæ *Gen. XLIX, 10.* IV. Voto Jephthæo *Judic. XI, 30. seq.* V. Custodia Angelica *Matth. XIIX, 10.* VI. Voluntate Christi congregare volentis non volentes congregari *Matth. XXIII, 37.* VII. Septem verbis novissimis in Cruce Domini ac Servatoris nostri Jesu Christi ex *Luc. XXIII, 34. Joh. XIX, 26. 27. Luc. XXIII, 43.* *Marc.*

Marc XV, 34. & *Matth. XXVII, 46. Joh. XIX, 28. & 30. Luc. XXIII, 46.* IIX. Concilio Hierosolymitano *Actor XV.* IX. Gallionismo *Act. XIIX, 12 – 16.* X. Genuina B. Lutheri versione voculæ Solum *Rom. III, 28.* XI. Gemitu Creaturarum *Rom. IIX, 19—23.* XII. Apocalypsi Mysterii Apostolici *Rom. XI, 25.* XIII. Profunditate divitiarum & sapientiæ & cognitionis Dei *Rom. XI, 33—36.* XIV. Domino Gloriæ crucifixo *1. Cor. II, 8.* XV. Hypopiasmo Paulino *1. Corinth. IX, 27.* XVI. Signaculo electorum *2. Tim. II, 19.* XVII. Probatione Spirituum *1. Joh. IV, 1.* XVIII. Διαλέξει Angelica inter Michaelem Archangelum & Antagonistam Diabolum *Jud. vers. 9.* XIX. Muhammedismo, in Angelis Euphratæis S. Johanni *Apoc. XIX, 13-21.* præmonstrato. In parte posteriori viginti & octo sistuntur. Inter quas I. de quibusdam quæstionibus Theologicis controversis. II. Prodromus Anti-Hagecianus præmissus Examini Examinis Collationis Augustanæ Confessionis & Concilii Tridentini cum verbo Dei. III. De Induratione Pharaonis. IV. Creatione. V. Passione & morte Θεανθρώπυ. VI. Pace Religiosa. VI.* Consequentiarum in argumentationibus theologicis necessitate, conditione, affectu, certitudine. VII. Satisfactione Jesu Christi, Servatoris Mundi. IIX. Mortuorum resurrectione. IX. Miraculis veris falsisque. X. ad collationem Carthaginensem inter Catholicos & Donatistas habitam. XI. de Gratia justifica. XII. Satisfactione Jesu Christi. XIII. Persona Christi. XIV. Voluntate Dei circa salutem hominum. XV. Elenchus speciminis Tigurini pro Salve, Reformatis antehac religiose oblato, rabiose repulso. XVI. De quæstione, an in vita æterna futuri sint gloriæ gradus? XVII. Idea clavis ligantis. XIIX. Memoria Thavmasiandri Lutheri renovata. XIX. Hyæna Friburgica ab ovili Christi depulsa &c. XX. Festo Corporis Christi, vulgo Fronleichnams-Tag. XXI. Sorte & Sortitione. XXII. Fato flagelli Turcici fatique luce. XXIII. Errore Apostolorum & Discipulorum Christi circa Regnum Messiæ mundanum. XXIV. Θεῖος Thearchiæ, sive divinæ providentiæ extra ordinem miris &c. XXV. Gamaliele Hebræo-Teutone. XXVI. Colluvie Quakerorum, secundum ortum, progressum, & dog-

mata monstrosa. XXVII. Jconothete Christiano, Adiaphoro &c. XXIIX. Σύγκρισις Concilii I. Oecumenici atque Tridentini ultimi. His duabus jam recensitis partibus, singularem quandam, in qua diversæ Ecclesiæ describuntur, subjecit. In ea depingitur I. Ecclesia Waldensium. II. Religio Moscovitarum. III. Muhammedismus. IV. Ecclesia Græcanica hodierna adversus Leonem Allatium: cui subjuncta est Leonis Allatii refutatio hujus disputationis, nec non D. Eliæ Vejelii responsio & defensio dictæ Disputationis. V. Ecclesia Judaica. VI. Ecclesia Æthiopica. E qua recensione satis elucescit, hanc editionem Disputationum Dannhawerianarum multo auctiorem & longe præstantiorem esse ea, quæ ante aliquot annos lucem publicam in hac etiam urbe adspexit. Commendat quoque hanc editionem, quod præter Disputationum indicem luculentum dictorum S. Scripturæ, vel solida explicatione illustratorum, vel ab adversariorum corruptelis vindicatorum, vel cum aliis apparenter contrariantibus locis conciliatorum, nec non vocum Hebræarum atque Græcarum enucleatarum, ut & rerum notabiliorum Indicem subjunxerit.

THE LIFE OF THE LEARNED SIR JOHN CHEKE, Kt: &c.

id est:

VITA VIRI DOCTISSIMI, JOHANNIS CHECI, Equitis, primum Præceptoris, post Secretarii Status Regis Eduardi VI; accessit ejusdem Tractatus de Superstitione. Auctore JOHANNE STRYPE, M. A.

Londini, apud Joh. Wyat, 1705, 8.

Plag. 18½.

QUanquam Cl. Auctor, cui non minus Thomæ Cranmeri, quam Thomæ Smithi vitas, quarum hanc ἀνωνύμως edidit, debemus, a nobis anno 1694 mense Septembri p. 315 & 1699 mense Octobri p. 462 sq. memoratas, nec primus, nec solus sit, qui vitam hujus doctissimi & in Græca inprimis literatura versatissimi Viri scripserit, sed diu ante *Gerardus Langbain, David Lloyd* & *Henricus Holland*

Holland in hoc campo desudaverint, dignum tamen judicavit hoc argumentum, in quo ingenii sui vires ob varios, quibus scripta ante edita scatent, defectus pariter ac errores denuo periclitaretur, novumque in fine libri Tractatum *de Superstitione*, qui ultra centum & quinquaginta annos in Bibliotheca Oxoniensi inter MSC. latuit, hac occasione in publicam ederet lucem. Incipit autem Biographus noster, more aliorum, historiam suam *Checi* (Cheke) ab ipsa statim nativitate & non nisi in ejus morte tandem definit; sed nos in illa recensenda erimus brevissimi, nihil nisi quod commemoratu dignum est, adducturi. Nimirum natus erat nobilis & (prout communiter a suis, ob eloquentiæ donum, appellari solebat) facundus *Checus* Cantabrigiæ, ibidemque in variis scientiarum generibus, maxime vero in lingua Græca, cui totum se mancipabat, innutritus; & quanquam tum temporis studium Græcæ linguæ valde frigesceret, adeo ut hæc locutio secundum ipsum Auctoris stylum p. 18. in commune abierit proverbium: *Græcum est, non potest legi;* tantum tamen abest, ut hæc temporum infelicitas animum ejus ab hoc impetu & instituto detinere potuerit, ut potius indies majores in eo fecerit profectus, tandemque anno 1540 Regius Græcæ Linguæ Professor in Academia patria denominatus fuerit. Vix autem munere hoc aliquandiu functus, mutationem circa sonum & pronunciationem Linguæ Græcæ, imprimis in vocalibus & diphthongis, introducere annitebatur, quod ex ejus etiam libello *de recta linguæ Græcæ pronuntiatione* postea Basileæ edito patet. Sed alii huic lectioni, tanquam ex studio novitatis susceptæ, se opponebant mascule, ac Universitatis Cancellarius, ad quem hæc res deferebatur, peculiari edicto anno 1542 Cal. Jun. novam hanc pronunciationem sub pœna exclusionis, remotionis & castigationis hisce prohibebat verbis: *In sonis omnino ne philosophator, sed utitor præsentibus.* Elapso quadriennio a Rege *Henrico* VIII non sine summo Academiæ præjudicio in aulam evocabatur, ut *Eduardo*, Regis Filio, a studiis esset, quem adeo in tenerrima adhuc ætate summa dexteritate in rerum gestarum scientia, virtutum moralium cognitione, & aliis, quibus summos Principes instructos esse oportet,

regnandi artibus felici instruxit successu, usus ad id inprimis *Aristotelis* Ethica, & quidem (quod mireris) in lingua Græca. Cæterum quod privata ejus studia, singularemque qua pollebat eruditionem attinet, adeo excelluit, ut nonnemo teste Auctore nostro p. 194, ita de eo judicaverit: *Checus ætate non multis, doctrina antecellit omnibus, & Princeps nostrorum hominum in omni genere putatur.* Johannis Chrysostomi Opera in lingua vernacula, quia Græcarum literarum amantissimus, magno in pretio habuit, eaque non tantum quotidie, quoties ipsi per temporis angustiam aliaque publica negotia licuit, legit, sed & *sex Orationes*, quas pientissimus Pater de *Fato* conscripsit, ex idiomate Græco in Latinum tam feliciter transtulit, ut Poeta Anglus, quem Auctor noster p. 39 *Haddon* nominat, sequentes in ejus laudem composuerit versus:

Divus *Joannes Chrysostomus* aurea Græca
Fundere quod posset, nomen suscepit ab auro.
Noster *Joannes* sit nomine *Checus* eodem,
Aurea qui Græcis verbis dat verba Latina.

Sed hæ de *Fato* conscriptæ Orationes nos monent, ut etiam nonnihil de fatis *Checi* nostri dicamus. Scilicet habuit fata communia cum aliis Aulicis & Viris Politicis. Non enim tantum a Rege impense amatus, sed etiam ad id honoris culmen evectus est, ut Eques declaratus, ipsique Regi a secretis & intimis fuerit consiliis. Ast mortuo Rege subito omnia ipsi adversa fuerunt, multosque adversarios, religioni Pontificiæ addictos, & inter eos inprimis Cardinalem *Polum*, qui tum temporis Legatus Papæ in Regno Angliæ erat, *Feckenbamum*, quid? ipsam Reginam Mariam iratam habuit. Quorum consilio res tandem eo cecidit, ut *Checus*, qui Protestantium religioni antea deditus corporalem in cœna Christi præsentiam defendebat, transsubstantiationem vero Pontificiorum pernegabat, Regemque *Eduardum* paulo ante mortem a superstitione Pontificia abducebat, ob crimen hæreseos una cum aliis reformatam religionem amplexis in exilium missus, postea Argentorati, ubi Anno 1555 publicam in se suscepit linguæ Græcæ lectionem, captus & in Angliam reductus in Turrim Londinensem conje-

conjectus fuerit. Hic in judicium sæpe adductus examinatusque est, & cum se religionis solum causa detentum esse sentiret, gloriæ primum id sibi duxit, ratus, se velle prius mori, quam a semel agnita veritate recedere; verum non diu stetit in hac sententia, sed mox igne aliisque pœnarum generibus territus, mentem suam misere mutavit, variisque illecebris seductus, ope potissimum ac auxilio *Feckenhami*, Decani olim Ecclesiæ Paulinæ, & mandato Reginæ sensum suum ac intellectum doctrinæ Romanæ submisit, ac in solenni consessu, tum coram facie Reginæ Mariæ, tum Cardinalis Poli publice palinodiam cecinit; quo facto magnum suæ inflixit conscientiæ vulnus & intra annum post apostasiam ex mœrore animi diem obiit supremum. Inter fragmenta reliquit elegantissimum & in fine hujus libri adjectum Tractatum *de Superstitione*, lingua Latina primum exaratum, quem Regi Henrico VIII inscripsit, & in quo potissimum ritus ac doctrinas Pontificiorum eum in finem retulit, ut eo feliciori successu Regis animum a superstitione Romana abduceret, cœptumque tum temporis in Anglia opus Reformationis pro virili promoveret. Ceterum de Strypio, vitæ hujus auctore, conferri poterunt, quæ diximus anno 1705, mense Aprili p. 157.

CAROLI ARNDII, FILII, PROF. ROSTOCH. PUBL. Bibliotheca Aulico-Politica, eaque selecta.

Rostochii & Lipsiæ, sumtibus Joh. Henr. Ruswormii, A. 1706. in 8.
Constat plag. 16.

Quemadmodum omnis scientiæ ac eruditionis pars maxima in cognitione & selectu bonorum Auctorum consistit, ita dubitandum non est, quin illi de Republica literaria insigniter mereantur, famamq; sibi concilient haud exiguam, qui in colligendis Scriptoribus curam paulo accuratiorem adhibent. Præstitit id ipsum Vir Cl. *Carolus Arndius*, tum in Bibliotheca Politico-Heraldica selecta, cujus recensum superiori anno mense Aprili p. 189 sq. dedimus, tum in hoc ipso, quem nunc exhibemus, selectissimo de Ministris Aulicis & Vita Aulica Scriptorum apparatu, e quorum numero tantum XX Autores præ cæteris, ob rariorem ipsorum dignita-

gnitatem recenset, & speciatim Hieronymum Osorium, Æneam Sylvium, Ulricum Huttenum, Balthasarem Castilionæum, Eberhardum a Weihe aliosque nominat. Præmittit huic opusculo non ineleganti Discursum præliminarem de formando rite recteque studiorum politicorum cursu, ejusdemque selecto ac debito adminiculo, ut sic genuini genuinæ Politicæ cultores primo statim intuitu intelligant, quomodo in cultura Juridico-Politica incedendum sit, & quibus subsidiis (ne Metaphysica quidem exclusa) ædificium suum Politicum solida ratione exstruere debeant. Postmodum subjunxit Cl. Auctor Bibliothecæ huic Aulico-Politicæ ob affinitatem materiæ B. Parentis, *Josuæ Arndii, Joabum Davidicum*, h.e. Ministrum aulæ probatum & improbatum, exemplo Joabi Davidici propositum. Epistolæ in modum ad Serenissimum quondam Megalopolitanum Ducem, *Gustavum Adolphum*, concinnatus est hic Tractatus Aulico-Politicus, delituitque MStus apud Principem, dum viveret, in ejus conclavis interioris scrinio; sed post obitum ejus inde remotus, paucis abhinc annis a Serenissima Vidua Auctori nostro donatus & nunc ab eo publici juris factus est. Continet Discursus *sex* philologico-politicos, & sub finem *Parentalia Joabi*, non quidem in ejus gratiam, sed in exemplum aliorum adjecta sunt, tandemque *Tumulus Joabi* sequenti exornatus est inscriptione:

QUISQUIS. MAGNUS. ES. ASTA.
AC. LEGE.
JOAB. ZERUJAE. HIC. JACEO.
DUX. PRINCEPS. POTENS. TRIUMPHATOR.
SED. MEI. IMPOS. NULLI. CEDENS.
NISI. VITIIS.
PAREM. NON. FERENS. NISI. SUPERIOREM. VITIIS.
OCCISOR. PRODITOR. CONTEMPTOR. NIHIL. AESTIMANS.
PRAETER UMBRAM
HANC. AETERNAM. VIDEO.
CAVE. TIBI.
VITA. ME. DECEPIT. FORTUNA. FOVIT.
EGO. ME. DESERUI. REX. ODIT.
DEUS. SUSTULIT. CAVE. QUI. IMITARIS.
HIC. NEMO. VIVIT. ABI.

ANNO. M.DC.LIII. M. VIIbr.

* * *

ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Maji, Anno M DCC VII.

HISTOIRE DE L' ABBAYE ROYALE DE S. Denys en France &c.

i. e.

HISTORIA ABBATIÆ REGALIS S. DIONYSII IN Gallia, complectens vitas Abbatum, qui ab annis MC eidem præfuerunt, viros illustres, quos Ecclesiæ & Regno commodavit, privilegia item a summis Pontificibus atque Episcopis illi concessa, tum Regum, Principum, aliorumque benefactorum dona; cum descriptione Ecclesiæ omniumque notabiliorum, quæ ibi continentur. Per Domnum MICHAELEM FELIBIEN, Monachum Bened. e Congreg. S. Mauri.

Parisiis, apud Fridericum Leonardum, Typogr. ordinar. Regis 1706, in fol.

Const. Alphab. 9. plag. 2. Fig. æneis 14.

Complures easque gravissimas rationes Rever. *Felibieno* suppetiisse, quamobrem celeberrimæ Abbatiæ San-Dionysianæ historiam tam prolixo apparatu conderet, e prima statim pagina videre licet. Inter illas præcipua est summa hujus Ecclesiæ antiquitas, præliminari ideo dissertatione contra Launojum ac Tillemontium, detrectatores inveteratæ famæ, mascule defensa. Ad duo autem momenta, alterum de loco martyrii & sepulturæ S. Dionysii, alterum de funda-

fundationis Abbatiæ hujus tempore ibi res redit. Circa illud ita versatur, ut receptæ traditioni, quæ virum sanctissimum in monte Martis (*Montmartre*) sanguinem effudisse credit, autoritate Vitæ S. Genofevæ calculum pariter adjiciat, eumque in finem Martyrologii non modo Usuardini verba, *apud Parisium*, non de ipsa Parisiorum urbe, sed de agro circumjecto e parallelis aliquot exemplis interpretetur, verum etiam *vicum Catholiacensem* de via & suburbio, quod Lutetia Catulliacum, oppidum S. Dionysii hodiernum, ducit, argute explicet. Accuratiorem hujus rei notitiam propter monimentorum defectum suppeditari vix posse, ast evidentiorem longe adesse contendit circa sepulturæ locum. Ita namque in veteribus S. Dionysii Actis sextum ab urbe lapidem signari, adeoque frustra esse Launojum, sepulchrum istud Lutetiæ in Ecclesia S. Dionysii *a passu* cognominata quærentem, seductum scilicet Gregorii Turonensis testimonio, qui Chilperici Regis filium *Parisius ad basilicam S. Dionysii* inhumatum refert, tum Audoeni quoque in vita S. Eligii narrantis, ipsum super sepulchro beati Martyris *Parisius civitate* splendidum mausoleum exstruxisse. Ejusmodi enim locutiones neutiquam de urbis saltem ambitu, sed de suburbiis, integroque Parisiorum territorio, quin & omni illo agro, qui *le Parisis* vocatur, accipienda fore, istius tum sequioris adhuc ævi Scriptorum, Annalistæ puta Metensis, Monachi Floriacensis, Aimoniique concentu solidissime evincit. Nec minus Tillemontii conjecturas, de antiqua S. Dionysii Ecclesia urbi paulo propius quam duabus leucis ad minimum locanda, in fumum abire cogit, eundemque veritatis amore compulsum ante tradita in historia sua Ecclesiastica, ubi de S. Dionysio agit, ad eum modum, quo in secunda editione jam leguntur, ante mortem suam emendasse affirmat. In examine autem quæstionis, quando Abbatia S. Dionysii originem ceperit, negat ac pernegat, Ecclesiam beatissimi confessoris sepulcro inædificatam in eo oppidi angulo, ubi fanum S. Dionysii a Strata nuncupatum (*de l'Estrée*) hodie cernitur, figi debere, quin potius probabile reddit, hodiernum sepulchri locum eundem cum

vetere

vetere illo judicandum esse, quandoquidem nec vetusta monimenta ullam hac in parte mutationem contigisse testentur, nec antiquissimæ disciplinæ satis conspiret, corpora SS. Martyrum tumbis suis turbata aliorsum transferre. Anonymum vitæ Dagobertinæ scriptorem primum censeri, qui fictæ istiusmodi translationis meminerit, ac præ nimio in heroëm suum studio Ecclesiam S. Dionysii ut vilem ædiculam, & Martyrum ibi conditorum corpora vix ambientem descripserit, refragante licet Gregorio Turonense & Fredegario, qui Ecclesiam illam magnificam & sumtuosam, amplam præterea & singularis fuisse dignationis perhibent. Quam sublestam igitur illius fidem habere cordatiores oporteat, ex aliis porro figmentis, illustrandæ Dagoberti fundationi ab ipso præparatis, Noster apricum facit. Destituere illum assensu plane suo Fredegarium atque Audoenum, autores sane non ultimi commatis, qui decoris quidem atque ornatus Ecclesiæ a Dagoberto superadditi, minime vero ullius translationi similis actus recordentur. Ut adeo pudendum merito errorem dixeris, quando festum illud die 22 Aprilis in diœcesi Parisiensi inventionis, non vero translationis titulo celebrari solitum, ad Dagoberti ævum referatur, cum tamen ad prima Christianæ religionis incunabula potius respici atque ex actis S. Dionysii disci conveniat, beatorum Martyrum conditorium, memoria fortuito amissum, a S. virgine Genofeva deinde iterum repertum, inque ejus rei gratiam solemnia illa instituta fuisse. Ab eo autem, quod in antiquo sepulturæ Dionysianæ loco præsentem Abbatiam ædificatam arguit, religiosorum quoque cœtum inibi jam ante Dagoberti tempora floruisse colligit, illudque probat instrumento donationis Clotarii II R. ævo factæ, ubi verba: *Dodoni Abbati una cum fratribus suis basilicæ S. Dionysii deservientibus;* tum fide sæpe laudati Gregorii Turonensis, qui regnante Chilperico I propter Ecclesiam sanguine pollutam divinum ibi cultum interrumpi debuisse docet. Nam quod monachis unice domicilium præbuerit, vel ex eo patere, quod in clericorum locum regulares substituisse prisci Reges nullibi deprehendantur; tum etiam quod postea sub Ludovi-

co Pio Episcopi Senonensis ac Rhemensis provinciæ isthic congregati cœnobitas, qui cucullum diu abjecerant, non absque seria causæ cognitione ad pristinam regulam habitumque recipiendum condemnarint. Nec quicquam officere, quod in vita S. Eligii vigiliam in choro canentis cleri mentio fiat, siquidem vocabulo cleri tam monachi, quam canonici apud veteres promiscue veniant. Fredegarii vero assertum de psalmodia perpetua ad instar Agaunensium a Dagoberto hic ordinata nihil aliud sibi velle, quam ritum novum ad imitationem cœnobii S. Mauricii Agaunensis, perenni psalmodia a Sigismundo Burgundionum Rege nobilitati, monachis antea hic degentibus similiter commendari cœpisse. Cæteroqui licet consortii hujus religiosi natales certo definiri nequeant, dubio procul tamen illud jam sub Clotario II ibi substitisse, adeoque Amphilochum Abbatem, Episcopi Parisiensis ablegatum ad Concilium Aurelianense A. 541, a Mabillonio monasterii hujus Antistitem non inepte existimari. Tametetsi ergo Dagobertum prima cœnobii fundamenta posuisse inficietur Noster, nihilominus quia Ecclesiam auro & gemmis exornaverit, tum in circuitu ampliorem reddiderit, plurimis quoque villis & possessionibus ditaverit, psallentium præterea ordine ad instar Agaunensium auxerit, quin & ibi sepeliri voluerit, ideo fundatoris elogium ipsi minime abjudicandum putat. Ultimo Launojum refellit, qui in Caroli Martelli & Pipini R. ætatem Abbatiæ ortum promoverat, atque eam Canonicis initio paruisse, temere nimis venditaverat.

Stabilita jam Ecclesiæ & Monasterii S. Dionysii antiquitate, ipsa ejus historia octo libris distincta succedit, in qua omnia ibidem gesta juxta annorum Abbatumque septuaginta trium seriem e probatæ fidei scriptoribus atque instrumentis perspicua ac tersa satis oratione traduntur. Primus quidem liber cum Merovingicis, alter cum Carolovingicis Regibus desinit. Tertius cum Hugone Capeto autore tertiæ prosapiæ regalis incipit, inque fatis Abelardi enarrandis finit. Quartus Sugeri Abbatis facta potissimum celebrat. Quintus Ludovici San-

cti ejus-

cti ejusque Successorum usque ad Carolum V tempora persequitur. Sextus Caroli VI regnum, malaque innumera monachis fervente tum bello intestino inflicta, ut & alia, quæ usque ad Francisci I ætatem acciderunt, continet. Septimus Abbates Commendatarios primos, perniciosissimos Ligæ tumultus & quæ exinde in cœnobium atque urbem S. Dionysii redundarunt, calamitates exponit. Octavus denique Monasterii reformationem ad normam Congregationis S. Mauri sub Ludovici Justi auspiciis institutam, quæque sub ultimis Abbatibus Commendatariis contigere, donec tandem mensæ Abbatialis reditus Domui Regiæ San-Cyranæ adsignati fuerint, copiose recenset. In singulis ita se gerit accuratissimus Autor, ut Monasterii sui incrementa, donationes, jura, privilegia, immunitates, prærogativas, lites, jacturas, infortunia bellica, cæterasque mutationes; processiones item religiosas, miracula, Regum coronationes ac receptiones, oriflammæ levationes, pompas funebres aliaque solemnia frequenter sane ibi peracta, omnia demum, quæ ad dignitatem & venerationem loci, Abbatum porro ac monachorum laudes, quin imo ubi res exigit, ad vituperia eorum ullo modo pertinent, graphice ac fideliter describat. Isthæc autem tædiose ut percurramus, limitum nostrorum ipse memor B. L. a nobis minime postulabit, ideoque pauca quædam in scenam proferre fas sit. Fama inolevit, p. 19. 20.
Dagobertum, San-Dionysianæ Ecclesiæ locupletandæ ergo, Pictaviensem S. Hilarii, Ambianensem S. Firmini, Tolosatem vero S. Saturnini corporibus spoliasse. Nostro e contra tot singulares plane eventus, quorum occasione reliquias hasce illuc commigravisse vulgo crepant, seculi istius historiæ haud satis congruere videntur, præsertim cum Dagobertinæ vitæ scriptor anonymus, magni alioqui hoc in negotio ponderis futurus, non nisi SS. Dionysii, Rustici atque Eleutherii Martyrum ibi meminerit; Aimoinus etiam, primus qui Dagoberto spolii crimen aperte objiciat, valvas saltem ex ære fusili fabrefactas e templo S. Hilarii Pictaviensi jussu ejus ablatas ipsi exprobret.
Historicos gentis suæ, eo quod Meroveades a Thiderico I Re- 34.
 ges per-

ges perpetuæ quasi socordiæ accusarunt, Majorumque Domus
merita in cœlum efferre conati sunt, amori erga Carolum Mar-
tellum ejusque posteros nimium indulsisse arbitratur, siquidem
Dagobertus III admodum juvenis exercitum eduxisse, & Da-
niel Chilpericus Thiderico IV adhuc infanti, ad quem succe-
dendi jus alias devolvebatur, prælatus fuisse legatur, quod po-
sterius vix contigisset, si Franci Regem nomine tenus talem ac
p. 92 seqq. sine ullo Regis exercitio habere susque deque curassent. Me-
morabile est, quod monasterium San-Dionysianum inter Abba-
tes suos numeret Carolum Calvum R. post obitum Ludovici
Abbatis, Caroli M. Imp. ex filia Rotrude nepotis, a monachis, ne
in laicorum potestatem inciderent, metuentibus electum; tum
intervallo aliquo Eudonem, ac Robertum Comitem Parisiorum
itidem Reges; mox Hugonem cognomento Capetum pariter
Regem, qui Hugoni Magno parenti in dignitate quidem Abba-
tiali successerat, sed pietate motus regulares ad pristinam disci-
plinam redire ultro permisit. Haud reticendum quoque in-
gens illud dissidium A. 1050 Germanos inter & Gallos
120 seq. ob reliquias S. Dionysii subortum, illis videlicet Arnulphi
Imperatoris ævo e Gallia furtim abductas atque in monasterio
S. Emmerani, quod Ratisbonæ est, repositas autoritate bullæ
Leonis IX Pontificis contendentibus, his ex adverso in solen-
ni procerum Regni conventu sarcophagum B. Martyris illæsum
ossaque ejus inibi requiescentia spectare præbentibus. Nihil-
ominus tamen errorem istum in Germania perseverasse, velin
vitis omnibus historicis contemporaneis, qui nihil tale uspiam
203. annotaverint, Nostrum mirari subit. Sub Guilielmo II Abba-
te, arte Medico & translatione quorundam Opusculorum e
Græco in Latinum, quibus Colbertina bibliotheca gloriatur,
nomen indepto, id gratiæ Papalis obtentum fuit, ut mitra, annu-
lo & sandaliis instar Episcoporum Abbatibus, S. Dionysii uti
217. liceret. In epistola Heinrici Troonii Abbatis, ubi Petri Justiti-
arii mentionem cum encomio *Monachi ad succurrendum* fieri
docuit, simul ostendit, hoc titulo in necrologiis passim venire
homines minus idoneos ad succurrendum aliis, sed potius alie-
næ opis,

næ opis, precum ſcilicet ac bonorum operum indigos. Illa quoque tempeſtate, nimirum A. 1216 Innocentium III Papam S. Dionyſii cujusdam corpus, quod Petrus Cardinalis Capuanus Conſtantinopoli Romam attulerat, cœnobio huic donaviſſe ait, ea mente (ut loquuntur apices pontificii,) ut dum duorum Dionyſiorum corpora poſſideret, eo minus remaneret dubii, illud veri Dionyſii reliquiis ſuperbire debere. Paulo poſt, A. 1233, clavum paſſionis Dominicæ, præcipuum religioſæ gazæ cimelium a Carolo Calvo profectum, caſu perditum multis jejuniis ac precibus anſam dediſſe, ſed tandem inopinato recuperatum fuiſſe narrat. Jam ad recentiora notabilia properare poſſemus, at ne hiatum committamus, aliqua adhuc de celebrioribus Abbatibus S. Dionyſii, iisque regulam profeſſis dicere oportet. Inter illos autem clariſſima nomina habentur Fulradi, Hilduini, Sugeri & Matthæi Vindocinenſis. Nam quod Fulradum attinet, non confundendum cum alio Fulrado, Abbate S. Quintini, qui patrem habuit Hieronymum Caroli Martelli filium naturalem, atque in aula Caroli Magni iisdem fere temporibus eminuit, plurimum ille momenti ad coronationem Pipini attuliſſe creditur, quemadmodum & apud eum deinde multum gratia valuit, ac legati axiomate ad Aiſtulphum Longobardorum R. honoratus, reſtituendi Exarchatus Ravennatenſis negotium feliciſſime promovit. Mox ad Deſiderium Hetruriæ Ducem ivit, dignitate apocriſiarii ſeu nuncii apoſtolici inſignitus, rebusque ex ſententia confectis, non ſine laudibus ac præmiis Galliam repetiit. Mortuo Pipino exiſtimationem ſuam nequaquam imminutam ſenſit ſub Carolo & Carlomanno ejus filiis, apud quos Archi-capellani munus ſuſtinuit, novaque Eccleſiæ ſuæ fabrica rite dedicata, monaſteriis quoque compluribus paſſim conditis, A. 784 die 16 Julii placide obdormivit. Succeſſorem in utroque titulo tam Abbatis quam Archi-capellani ſi non proxime, haud longe tamen inſequentem nactus fuit Hilduinum, magnæ prudentiæ virum & Lotharii, cum juſſu parentis Ludovici Pii A. 824 Romam tenderet, comitem, cujus etiam partes ſexennio poſt quod nimio ſtudio amplexus

p. 219.

228 ſeqq.

amplexus esset, Imperatoris offensam in se derivavit, atque exul Corbiam Saxonum secedere debuit. Inde Hincmari discipuli sui opera in pristinum locum restitutus ad monasticam disciplinam fœde collapsam denuo restaurandam animum adpulit, atque Areopagitica sua, seu de vita & passione S. Dionysii Areopagitæ libros ex mandato Imperatorio conscripsit, de quibus Autor, ut historicum decet, nihil certi definit, sed opinionem saltem Hilduini de missione S. Dionysii in Gallias tanquam communiorem ubivis prævaluisse putat. Vitæ finem ipsius A. 841 ad diem 22 Nov. ab aliis vero A. 842 figi innuit. Verum ad Sugerum deflectamus, quem, licet obscuris natalibus oriundum, rara ingenii felicitas, judicandi vis plane singularis, doctrinæ item præstantia cum summa morum dulcedine conjuncta ad illud gloriæ fastigium evexerunt, ut omnes alios sui ordinis longo intervallo post se reliquerit. Postquam enim rebus tractandis quam maxime habilis mature deprehenderetur, a legationibus tum superiorum tum Regis nomine obeundis non vacavit, unde peramplam laudis materiam sibi collegit. Sane cum apud Calixtum II Pontificem in Apulia hæreret, tanta fuit domi virtutis ejus opinio, ut inscio plane nec tale quicquam cogitanti honor Abbatialis deferretur. Qua in re utut Regem propter neglectum ipsius consensum adversarium initio haberet, dissipatis tamen brevi indignationis nebulis, propitium adprobatorem statim expertus est, consiliisque ejus sæpe interfuit. Intimioris adhuc admissionis fuit sub Ludovicis VI & VII Regibus omniumque arcanorum arbiter. Non dissimulat hic Noster, Sugerum ad aulæ vanitates incautius prolapsum magna cum pompa frequentique satellitio stipatum in publicum prodire suevisse, admonitum autem a S. Bernardo usque adeo ad humilitatem & modestiam se composuisse, ut fratribus antiquæ regularis observantiæ recipiendæ instigator fieret. Nolumus jam immorari ejus de ecclesia monasterii sui meritis decantandis, quomodo illam spatiosiorem reddiderit, variisque pretiosis exornaverit; id quod inprimis famam ipsi conciliat, silere haud possumus. Cum Rex Ludovicus VII expeditionem

peditionem in terram ſanctam A. 1147 ſuſciperet, digniſſimum e tam multis æſtimarunt Regni Proceres atque Epiſcopi Sugerum noſtrum, qui regiminis habenas una cum Comite Nivernenſi moderaretur, quas etiam tanta cum juſtitiæ, integritatis ac fortitudinis laude tenuit, ut omnium expectationem ſuperaret, atque a Principe pulcherrimum Patris patriæ elogium præmii loco capeſſeret. Animam autem efflavit vir immortataliter meritus die 13 Januarii A. 1151 annum ſeptuageſimum agens. Supereſt Matthæus, a patria Vindocinenſis dictus, non quod illuſtri Vindocinenſium Comitum ſtirpe ſatus eſſet, ceu hiſtoricorum nonnulli balbutiunt. Hunc A. 1258 Præſulem monachorum factum, A. 1270 vero a Ludovico S. Rege, ad Cruciatam profecto, Regni gubernaculis admotum, inque hoc dignitatis gradu a ſucceſſore Philippo III R. donec reverſus eſſet, confirmatum, quin & poſthac ſummo in pretio habitum fuiſſe, Noſter contendit. Plures e tot Abbatum regularium numero ſiſtere inſtitutum noſtrum haud patitur, ſed Commendatarios etiam e longinquo ſalutare jubet. Sub Franciſco I quippe Rege, cum pragmatica Caroli VII ſanctione abolita, omnibus Capitulis ſeu Collegiis Canonicorum Eccleſiarum cathedralium, Abbatiis item & Prioratibus electivis jus legendi ſibi paſtores, vigore Concordati inter Leonem X Papam & Regem initi, ademtum eſſet, ad alium quoque ſtatum monaſterii hujus res devenere. Licet enim Eccleſiis ſpeciali Pontificum privilegio munitis eligendi facultas integra maneret, iisdem tamen A. 1533 plane fuit abrogata. Interea A. 1529, quo Abbatiam S. Dionyſii morte Aimari Gouffierii vacare contigit, novum quidem Antiſtitem ſibi adſciſcendi poteſtatem monachis faciebat Princeps, ſed ita, ut Ludovicum Bourbonium enixe ipſis ſimul commendaret. Cujus Regiæ voluntatis cum rationem non haberent, atque in Johannem Oliverium Abbatem S. Medardi Sueſſionenſem ſuffragia potius conſpirarent, prohibitione ſua Rex obſtitit, eumque Bourbonio locum cedere coegit. Hic ergo primus Commendatarius Abbas audivit, quem deinde exceperunt Carolus Lotharingicus Cardinalis, tum Ludovicus Guiſius Cardinalis Bleſis A. 1588 miſere trucidatus, hinc Carolus, Cardinalis Vindocinenſis, mox Bourbonius dictus, porro Ludo-

vicus, Cardinalis Guisius appellatus, dehinc vero Heinricus Lotharingicus. Post eum veniunt Armandus Bourbonius Princeps de Conty, Julius Mazarinus, Cardinalis, tandemque Johannes Franciscus Paulus de Gondy, Cardinalis Radesianus cognominatus. Ultimus hic fuit Abbatum, atque post ejus decessum A. 1679 Pelissonius a Rege œconomus saltem constitutus, imo A. 1686 mensa Abbatialis in alium usum destinata, ad sustentandam nempe congregationem virginum S. Cyri a Domina Maintenonia institutam. Cui rei ut Pontificis adprobatio accederet, monachos ipsos intervenire oportuit; illa autem A. 1691 ab Innocentio XII demum emanavit, promulgata scilicet bulla, qua titulus Abbatialis S. Dionysii penitus supprimeretur, mensæ vero ejusdem reditus bonaque omnia Domui S. Cyranæ addicendi Regi copia fieret, salvis tamen mensæ conventualis, tum Prioris & Monachorum emolumentis, juribus, honoribus ac privilegiis. Præterea Abbatiæ connexa beneficia simplicia Regis denominationi permissa, quæ vero cum animarum cura conjuncta, Communitati San-Dionysianæ relicta fuere. Perplexiorem multo dicam illi deinde intentavit Archi-Episcopus Parisiensis jurisdictionis spiritualis causa, non nisi certa eaque monasterio perincommoda transactione A. 1692 sopitam, cujus tenorem Autor fusius proponit. Tam dura atque acerba fata subire oportuit locum adeo venerabilem & Pontificum, Regum, Principum &c. beneficiis certatim quondam cumulatum, ut sane non injuria huc quadret illud: *Fuimus Troes: fuit Ilium & ingens gloria Teucrorum.* Verum priusquam filum abrumpamus, paucula quædam de reformatione Ordinis S. Benedicti, quæ superiori seculo in Gallia accidit, suggerente Nostro, commemoremus. Cum enim temporis decursu & humana fragilitate invalescente a summo existimationis culmine ad incitas fere & laicorum opprobria ille redactus esset, ita ut repudiata sancta fundatoris regula, precationibus, vigiliis, silentio, solitudini, jejuniis & lectionibus sacris passim successissent ludi, venationes, luxuria in vestibus ac cibis, libertas faciendi, quæ velis, aliæque voluptates indecoræ, de emendandis hisce malis diu serio cogitarunt recti tenaciores, sed irrito conatu.


Nisi

Nisi quod sub initium seculi decimi sexti congregatio Chesalio-Benedictina e paucis monasteriis conflata antiquam normam reducere tentavit, & Heinrici IV ætate duæ iterum societates, altera San-Dionysiana, altera Exemtorum dicta, emerserunt, quæ leviorem reformationis speciem præ se ferebant, revera sane nihil aliud agentes, quam ut a molestis Episcoporum visitationibus eo pacto immunes essent. Prædominante itaque semper inveterato cacoethe, de curatione ejus tantum non omnes desperare, ipseque etiam Cardinalis Valdemontius, ad monasteria Metensis, Tullensis ac Virodunensis Diœcesis reformanda Legati titulo a Clemente VIII Pontifice missus, animum despondere, satius esse ratus, ordinem S. Benedicti penitus supprimere, quam in redintegrando eo operam ludere, id quod tamen consilii Papa haud admisit. Sub hæc autem tempora quidam Desiderius de la Cour, homo antiquæ probitatis atque indolis, in cœnobio San-Vannensi, quod Viroduni est, educatus, apud Ericum Lotharingiæ Principem locique istius Episcopum eo gratiæ pervenit, ut A. 1600 monasterium illud ad avitam regulam componendi partes ipsi plane demandaret. Nec fefellit is expectationem de se conceptam, sed novitiatum ibi, nequicquam moratus refractarios nonnullos, introduxit, brevique institutum suum aliis insuper conventibus religiosis serio commendari, quin & integram sodalitatem, San-Vannensem nuncupatam, atque a Pontifice A. 1604 confirmatam, feliciter inde progerminare vidit. Re semel adprobata multo plures per universam Galliam reformationem hanc ultro amplectebantur, inque novam congregationem, a S. Mauro discipulo S. Benedicti appellatam, (ad evitandam nempe invidiam, quæ suscepta ab aliquo peculiari cœnobio denominatione suboriri facile potuisset) adsensu Regis A. 1618 impetrato, blande conspirabant. Utcunque tamen res aleæ plenissima videbatur ad amussim istam exigere San-Dionysianos monachos, majori quippe licentiæ adsuetos, & quod maximum, aulæ ac Parlamenti favore subnixos, ita, ut Cardinalis Rupifocaldus, cui id negotium cordi inprimis erat, omnem constantiam suam in subsidium vocare necesse haberet, priusquam homines seculo penitus addici quam cen-

ſuram ſubire paratiores in ordinem cogeret. Verum enim vero & hoc quoque A. 1633 menſe Auguſto ex voto contigit, tametſi in eo incaſſum laborarit, quod omnia Benedictinorum in Galliis monaſteria ſub unica congregatione S. Mauri coadunare præſumſerat. Siquidem Cluniacenſium cœtus, quorum Generalis fuit, eo vivente tantum fœderi adhæſit, poſtea iterum abſceſſit; San-Vannenſis vero confraternitas nunquam incorporari voluit; ſola Cheſalio-Benedictina numerum auxit, ut adeo centum atque octoginta Abbatiæ & Prioratus ſub illa S. Mauri congregatione hodie comprehendantur. Quanto autem cum fructu Chriſtiani orbis nobiliſſimum hoc conſortium coaluerit, præter alia pietatis atque eruditionis documenta teſtari queunt tot Patrum Eccleſiæ ut & Hiſtoricorum opera, ab ejusdem alumnis immortali cum literatorum adplauſu hactenus detecta atque luci expoſita.

Supplementi in modum doctiſſimus Autor annectit copioſiſſimam deſcriptionem Eccleſiæ S. Dionyſii, in qua baſilicæ hujus ſtructuram tam antiquam, quam modernam, gazam item prædivitem certe atque incredibili donariorum aliarumque rerum pretioſarum varietate ad ſtuporem usque ſplendentem, nec minus Regum & Principum ibi conditorum ſepulcra ac mauſolea, tabulis æneis nitidiſſime inciſa, juſtoque commentario illuſtrata repræſentat. Novus hic nobis isque fertiliſſimus campus ad complura notabilia inde eruenda pateret, ſi præſcriptos terminos violare non nefas putaremus. Non poſſumus tamen, quin e tot cimeliis inſigne vas achatinum, quod Carcheſium Græcis vocatur, ac Feſtum ſeu Sacrificium Bacchi faberrime exſculptum juſta magnitudine delineat, ſed in Sacris Regum calicis ablutorii uſum præbuit, in gratiam antiquariorum hic Fig. 1 & 2 depictum producamus, myſteriorum vero ſenſum noſcituros ad Triſtanum in Comment. Hiſtoricis T. 2 p. 603 ſeqq. egregie hæc explicantem ablegemus. De exquiſita inſuper Chartarum, Diplomatum, Actorumque veterum, bonam partem ineditorum, collectione, quam hiſtoriæ ſuæ corroborandæ inſervituram Noſter adhuc ſubjunxit, id verbulo ſaltem indigitaſſe ſufficiat, in illa etiam contineri Necrologium S. Dionyſii,

TAB. IV. Fig. 1. & 2.


Fig. 2.

nisii, 400 circiter annorum, cujus ope plurimorum Virorum celebrium emortuales epochas multo evidentius stabilire detur.

D. ÆGIDII HUNNII THESAURUS EVANGELICUS, complectens Commentarios in quatuor Evangelistas, & Actus Apostolorum, nunc primum hac forma editus a JO. HENRICO FEUSTKINGIO, Theologo Anhaltino.

Wittebergæ & Servestæ, apud Jo. Wilh. Meyerum & Godofredum Zimmermannum, 1706. fol.

Constat 14 Alph. & 14 plagulis.

IMmortale Ægidii Hunnii nomen est, qui, quoad Tubingæ apud Wurtenbergicos, Marpurgi apud Hassos, & Witebergæ apud Saxones vixit, bene meruit, editisque ingenii monumentis puriorem Dei cœtum sacrarum rerum accessione egregie locupletavit. Sive enim dogmatica scripta componeret, sive intemerata fidei capita contra Arturum, Bellarminum, Tannerum, Paræum, Pierium, Pezelium, Salmuthum, Grabium, Crenzhemium, Huberum defenderet, sive Pontificios in Colloquio Ratisbonensi, & Philippistas in Saxonia Ascaniensi debellaret, aut sacras literas interpretaretur, certe ad consummatissimorum Theologorum gloriam atque ἀκμὴν accessit. Præclare ergo de Ecclesia orthodoxa non minus ac beatis Hunnii manibus meritus est Vir summe venerandus D. Johannes Henricus Feustkingius, *Sereniss. Principum Anhaltinorum a concionibus aulicis primariis, consiliis ecclesiasticis, & confessionibus privatis, nec non sacrorum in Principatu Servestano Antistes*, quod præter exegeticos in epistolas novi Testamenti labores, in actis nostris anno 1705 p. 241 commemoratos, exasciatas quoque ejusdem Theologi in Evangelistas commentationes publici fecit juris. Methodum, qua ille usus est, commodam ac facilem experientur exegeseos cupidi. Præmissis namque tum in universos, tum in singulos historiæ Evangelicæ conditores prolegomenis, exponit ante omnia argumentum, & cujusvis capitis

partitionem. Post hæc ex textus συναφεία, locis parallelis, fideique analogia, geminum sibique constantem sensum eruit & demonstrat. Subjungit tandem locos morales & doctrinas, ubi, quicquid ex textu sacro ad didascaliam, ad elenchum, ad epanorthosin aut pædiam applicari potest, rotundis thesibus exhibetur. Et hoc quidem filo commentarios libros in Marcum quoque, Lucam & Actus Apostolorum Hunnius pertexuisset, nisi hanc laborum telam cum vitæ staminibus immatura fata abripuissent. Cum igitur Marci & Lucæ Evangelium hujusque Apostolorum Actus Hunnium interpretem non haberent, visum fuit summe reverendo Editori, D. Johannis Winckelmanni & D. Danielis Arcularii perspicuos ac plane Hunnianna, hoc est, paraphrastica methodo concinnatos commentarios in isthæc diviniora scripta succenturiare Hunnianis. Erant quippe Duumviri isti Hunnii in Academia Hassorum Marpurgensi Collegæ etiam & Sympalæstritæ. Ad integri vero operis intellectum & præparationem librum velut introductorium præmisit Editor *de Majestate, autoritate, fide & certitudine sacrarum literarum*, ab eodem Hunnio conscriptum, cui enarrando immorari superfluum arbitramur, *cum ipsius Eduardi Stillingfleti*, Episcopi in Anglia Vigorniensis judicio, *Autor pro suo ingenio, quod eximium & capitale habuit, totam in eo impiorum arcem ita arietaverit, ut unde fulciri queat integra Atheorum, Epicureorum & Deistarum colluvies, non facile apparatum inventura sit idoneum.* Quis autem insuper & qualis Hunnius præsertim fuerit, subjuncta ejus vita, a *Leonhardo Huttero*, Theologo Witebergensium nominatissimo, conscripta, patelam reddit, in qua multa, ad archæologiam sacram & eruditionem ecclesiasticam pertinentia, reperiet studiosus Lector. Ad calcem operis Index rerum & verborum locupletissimus adjectus est.

AN EPISTOLARY DISCOURSE, PROVING from the Scriptures and the first Fathers, that the Soul is a principle naturaly mortal &c.

h. e.

h. e.

DISCURSUS EPISTOLARIS, PROBANS EX Scripturis & Patribus primitivæ Ecclesiæ, quod Anima sit principium naturaliter mortale, sed immortale reddendum vel per merum Dei arbitrium, ut puniatur; vel per illius cum divino Spiritu baptismali unionem, ut præmium accipiat. Ubi simul ostenditur, neminem post Apostolos habere potestatem dandi Spiritum divinum immortalizantem, nisi Episcopos. Autore HENRICO DODWELLO, A. M.

Londini, apud R. Smith, 1706, in 8.
Constat plag. 25.

INsolitam *Dodwellus* proponit doctrinam, hactenus inter Christianos receptæ prorsus contrariam, quam tamen in Scriptura Sacra & scriptis Patrum ævi Apostolici & Apostolico proximorum optime fundatam, nec malum in actiones humanas habere influxum arbitratur. Ecce tibi eam in compendio huc redeuntem. Animam hominis ex sua natura mortalem affirmat; nec tamen esse materialem, quin potius a corpore distingui, nec ita pendere ab ulla re creata, ut, remoto ejus influxu, esse desinat, quin potius dissoluto corpore in auram reverti, nequaquam vero cum eo perire. Immortalitatem esse privilegium specialis pacti inter Deum ac homines quosdam ex pura gratia facti, adeoque non concedi, nisi quibus pactum illud innotescit. Eorum nempe animam, qui Evangelio Christi obediunt, per Spiritum illi supperadditum immortalem reddi: contra animas illorum, qui Evangelio non obediunt, per Dei voluntatem immortales evadere. Obedientium esse vitam æternam, in præmium cum felicitate sempiterna a conflagratione mundi dandam: inobedientes vero pœnas manere æternas & miseriam nunquam desituram. Cruciatus infernales primario destinari angelis lapsis seu Diabolis, ita, ut nullus foret

foret infernus, nisi angeli lapsi fuissent. Homines quosdam damnari, non quatenus peccant, sed quatenus cum Diabolo adversus Deum rebelle faciunt. Spiritum, qui immortalitatem confert, per baptismum aquæ exhiberi, nec nisi ab Episcopis accipi posse. Quotquot igitur aliunde Spiritum divinum se accepisse prætendunt, illos eum non habere, sed malum: nec aliter quam rebelles ac socios Diaboli considerandos esse, qui Episcopalem communionem deserunt. Quamobrem quo homo salvetur, ex mente *Dodwelli* requiritur, ut ipsi innotescat Evangelium a Christo & Apostolis annunciatum, ut is eidem obediat, ut baptizetur, ut sub Episcopo vivat & ab eodem Spiritum divinum atque remissionem peccatorum (quam etiam vere pœnitentibus citra Episcopi absolutionem obtingere non posse contendit) accipiat: quo damnetur, juxta ejusdem mentem opus est, ut Evangelium Christi cognoscat, sed eidem non obediat. Hanc dispensationem salutis Novo unice Testamento propriam esse: ignotam fuisse in Vetere immortalitatem animæ, ignotam fuisse beatitudinem æternam, ignotum fuisse infernum, quoniam hæc omnia ad homines ante Evangelii manifestationem viventes nullo modo pertinuerint. Hinc in Novo demum Testamento lapsum angelorum & infernum ipsis paratum revelari, Diabolum tanquam rebellem & hostem animarum proclamari, bellumque ipsi indici: horum vero ne minimum quidem in Vetere auditum fuisse, sed in eo Diabolum temporali modo hominum felicitati obfuisse, quod testentur exempla protoplastorum ex Paradiso expulsorum, Jobi multis calamitatibus obruti, Israelitarum ob Davidis ambitionem stragem ingentem perpessorum. Quoniam tamen Ninivitæ & Regina Arabiæ in extremo judicio surrecturi dicuntur a Salvatore nostro adversus concionum ipsius contemtores; probabiliter supponi ait, animas eorum, qui Evangelium non audiverunt, usque ad judicium extremum superfore, illo peracto in conflagratione mundi vi ignis consumendas. Et quia in sacris salus æterna etiam nonnullis ante Christum viventibus attribuitur, qui in terris nec Evangelium audiverunt, nec baptizati fuerunt, animabus illorum separatis ἐν τῷ ᾅδῃ Evangelium annun-

annunciatum esse & eas aqua baptizatas fuisse affirmat. Christum nempe Evangelium prædicasse Judæis defunctis, cum ad inferos descenderet; Apostolos vero denatos & Episcopos denatis Gentilibus. Novum hoc Theologiæ systema ex Scriptura dum adstruit, ψυχὴν τῷ πνεύματι ab Apostolo contradistingui, & ψυχὴν tanquam principium mortalitatis ab Adamo in nos derivatum, πνεῦμα vero tanquam principium vitæ ac immortalitatis a Christo unice profectum repræsentari notat. Diserte enim Apostolum ψυχικὸν σῶμα vocare corruptibile & mortale in oppositione ad πνευματικὸν, quod est incorruptibile atque immortale, ac omnem immortalitatem a resurrectione Christi derivare, quæ adeo nonnisi eos concernat, qui Christi participes facti. Provocat etiam ad formam processus in judicio extremo observandi, tales unice supponentem, qui Evangelium Christi audiverunt. Præmium enim decernetur iis, qui in membra corporis Christi mystici beneficia contulerunt; pœna dictabitur eis, qui beneficiorum collationem neglexerunt. Illam itaque processus formam in hos minime quadrare, qui Evangelio non audito ignorarunt, dari aliquem Christum & ejus cultoribus beneficia exhibentes præmiis, damna vero inferentes pœnis affectum iri. Incredulis decerni pœnas infernales, Marc. XVI, 16, consequenter supponi, ipsos Evangelium audivisse, Rom. X, 14. Adducit ulterius loca Joh. III, 18. 36. 2. Thess. II, 12, Luc. XII, 46. & ea vindicat, quæ hypothesibus ipsius contraria videri poterant. Ita notat, Joh. V, 28. 29. per omnes in sepulchris dormientes & ad judicium resurrecturos intelligi non totum humanum genus, sed eos omnes, quos judicium concernit: nam quod in Scriptura universalitas expressionis non excludat limitationes intentas, ex 2. Sam. XXI, 4. 6. 9. 1. Reg. XVIII, 10 & 1. Cor. I, 14. 16. probat. Doctrinam de naturali mortalitate animæ & immortalitate ejus præternaturali a Spiritu Divino derivanda cum notionibus a Judæis in ævo Apostolico receptis ex asse convenire monstrat. Jam vero hunc recte supponi Scripturæ Sacræ sensum, qui tunc ex ejus lectione facillime hauriri poterat. Loci

denique 1. Corinth. XV, 22 hanc veram esse interpretationem, quod, quemadmodum omnes, qui in Adamo sunt, moriantur, ita etiam omnes, qui in Christo sunt, vivi reddantur. Non autem hinc consequi, quod, qui sunt in Adamo, sint etiam in Christo, consequenter vivificentur: quin ipsos Apostolos significare, quod omnes ab Adamo ad Mosen usque viventes, qui Spiritum non habuere, in actuali immortalitate permanserint, Rom. V, 15. 19, quodque pereant, nequaquam vero in judicium veniant, quibus lex divina non innotuit, Rom. II, 12. Cæterum medium obtinendi Spiritum esse baptismum aquæ, ex Joh. III, 5 evincit, & ideo ad salvationem una cum fide ipsum requiri ex Marc. XVI, 16 & 1. Petr. III, 21 comprobat. Quod potestas conferendi Spiritum sit penes Episcopos solos, inde corroborat, quod sint, quemadmodum Apostoli Christi, ita Episcopi Apostolorum in actibus eminentibus autoritatis ipsorum ordinariæ successores, Christum tanquam caput corporis mystici repræsentantes, ut adversus eos rebellans adversus Christum rebellare, eos despiciens Christum despicere dicatur. Hac de causa Apostolos ab aliquo loco discedentes Episcopum quendam in eodem reliquisse. Patrum cum hactenus dictis consensum multis declarat, adducens testimonia *Justini Martyris*, *Tatiani*, *Irenæi*, *Athenagoræ*, *Theophili Antiocheni*, *Tertulliani*, *Clementis Alexandrini*, *Cypriani*, *Arnobii*, *Lactantii*, *Athanasii*, & sub finem demum seculi quarti doctrinam de naturali immortalitate animæ cum pendentibus inde doctrinis aliis invaluisse pronunciat. Citat autem *Justinum* in Dialogo cum Tryphone p. 222. 223 & 224, *Tatianum* in Orat. ad Græcos §. 20. 21. 22. 24. 34. edit. Oxon. *Irenæum* lib. II. c. 62, *Theophilum* lib. 2 ad Autolyc. p. 101, *Tertullianum* de Anima c. 20. 21. 25. 27. 36. 37, *Cyprianum* in epist. ad Pompejum & in epist. ad Fidum, *Lactantium* Instit. lib. 7. c. 4. 5. 6. 10. 12. lib. 2. c. 11 & 12, lib. 3 c. 12. lib. 11. c. 12, *Athanasium* in Orat. contra Gent. p. 35. 56. 57. 59. 60. 62. 67. 72. Nostri equidem instituti ratio non permittit, ut loca ipsa adducantur; quo tamen lectori appareat, qua fide citentur, unum alterumque apponere libet. Ex verbis itaque *Athenagoræ*, ὁ δὲ καὶ

ἡμῖν

νοῦν καὶ λόγον δεξάμενος ἐστιν ἄνθρωπος, ὁ ψυχὴ καθ' ἑαυτὴν, ἄνθρωπον ἄρα δεῖ τὸν ἐξ ἀμφοτέρων ὄντα διαμένειν εἰς ἀεὶ, monſtrat, credidiſſe ipſum, ad hominem perfectum ſemper duraturum tres requiri partes, corpus, animam & mentem ſeu rationem, per quam Spiritus immortalizans intelligatur. Quod Spiritus ex mente Patrum immortalem reddat animam, probat verbis *Tatiani*, ψυχὴ γὰρ οὐκ αὐτὴ τὸ πνεῦμα ἔσωσεν. ἐσώθη δὲ ὑπ' αὐτοῦ. Eſſe vero animam ſua natura immortalem, ex ejusdem *Tatiani* verbis, οὐκ ἔστιν ἀθάνατος ἡ ψυχὴ καθ' ἑαυτὴν, θνητὴ δέ. Ἀλλὰ δύναται ἡ αὐτὴ καὶ μὴ ἀποθνήσκειν, infert. Eſſe Spiritum aliquid animæ ſuperadditum, ex *Arnobio* patere arbitratur, dum *Chriſti eſt*, inquit, *dare animis ſalutem & Spiritum perpetuitatis apponere.* A baptiſmo & baptiſmali Spiritu immortalitatem derivare *Lactantium* ita ſcribentem: *Quæ ratio docet, mortalem naſci hominem, poſtea vero immortalem fieri, cum cœperit ex Deo vivere, id eſt, juſtitiam ſequi. &c. Quod tum fit, cum homo cœleſti lavacro purificatus exponit infantiam cum omni labe vitæ prioris, & incremento divini Vigoris accepto fit homo perfectus ac plenus.* Verba *Clementis Alexandrini*, quibus Chriſtus Judæorum, Apoſtoli & alii Doctores primarii Gentilium animabus ſeparatis ἐν τῷ ᾅδῃ Evangelium prædicaſſe dicuntur, prolixiora ſunt, quam ut eadem huc tranſcribere liceat. Evincit quoque *Dodwellus*, doctrinam ſuam de naturali animæ mortalitate & præternaturali immortalitate per Spiritum baptiſmalem conferenda non malum habere in actiones humanas influxum, ſed eundem prorſus, quem habet doctrina hactenus recepta. Quemadmodum' enim ſtante doctrina communi metus pœnarum infernalium a libidinoſis actionibus revocat ſecuritatemque impedit, & ſpes beatitudinis cœleſtis bene operandi alacritatem ſuperaddit, ita eadem quoque obtinent, ſi quis partes *Dodwelli* tueatur. Etenim qui Evangelium non audit, nec naturalem animæ mortalitatem novit: qui vero audit, eidem quoque obedire tenetur, niſi cum Diabolis miſerias ſempiternas perpeti voluerit.

A LETTER TO MR DODWELL, &c.

h. e.

EPISTOLA AD DODWELLUM PERSCRIPTA A SAMUELE CLARKE, M. A. Joannis Episcopi Norvicensis Diacono.

Londini, apud W. Botham, 1706, in 8.

Constat plag. 6.

AUtor hujus epistolæ jam variis scriptis aliis idiomate patrio editis suos in Philosophia pariter atque Theologia profectus Orbi litterato abunde comprobavit. Æstimant eruditi ejus Demonstrationem existentiæ & attributorum divinorum, Hobbesio, Spinozæ & eorum sectatoribus oppositam, in qua simul notionem libertatis explicat & ejus possibilitatem ac certitudinem in oppositione ad necessitatem & fatum commonstrat: nec minoris faciunt ejus Discursum de immutabili obligatione religionis naturalis & de veritate ac certitudine revelationis Christianæ. Utrumque argumentum materiam præbuit Sermonibus sedecim, juxta fundationem *Roberti Boyle* in Ecclesia Cathedrali S. Pauli annis 1704 & 1705 contra Atheos & Deistas recitatis. Alias quoque edidit Paraphrasin in quatuor Evangelistas notis criticis in loca difficiliora instructam, itemque Officium Christiani in baptismo, confirmatione & pœnitentia, nec non quasdam Animadversiones in librum quendam, cui titulus *Amyntor*, seu Defensio Vitæ Miltoni. Idem nuper admodum *Jacobi Rohaulti* Physicam Latine vertit, recensuit & uberioribus annotationibus ex *Isaaci Newtoni* Philosophia maximam partem haustis amplificavit & novis aliquot Tabulis æri incisis ornavit, quia versio anterior sensum Autoris in plerisque male exprimit. Omisit tamen Mechanicam, tum quia ad Physicam non spectat, tum quia inter Rohaulti Opuscula posthuma extat. Epistolam denique ad *Dodwellum* exaravit, de qua nobis hoc loco sermo est. In ea ad argumenta singula a *Dodwello* contra immortalitatem animæ naturalem

prolata

prolata respondet, & Patrum de hoc argumento judicia vere repræsentat. Quæ vero de autoritate Episcopali dicta sunt, silentii sipario tota involvit, utpote Episcopo a sacris domesticis. Distinctionem inter Spiritum Dei immortalizantem credentes & voluntatem Dei immortalitatem incredulis superaddentem precariam vocat. Asserere, quod nullus foret infernus, nisi Diabolus lapsus esset, idem esse ait, ac Deum tanquam tyrannum arbitrarium repræsentare. *Dodwellum*, dum concedit, animam non ita pendere ab ulla re creata alia, ut, influxu ejus remoto, esse desinat, idem revera loqui, quod affirmant dicentes, animam ex sua natura esse immortalem. Quod ante prædicationem Evangelii Diabolus non fuerit pro hoste publico declaratus, nec homines ulli ejus fuerint consortes, adeo manifeste falsum esse, ut refutatione non indigeat. Contrarium namque patere ex historia lapsus Adami, Jobi, & Israelitarum 1. Chron. XXI, 1. Fuisse Diabolum in Vetere etiam Testamento hostem hominum in rebus ad vitam æternam spectantibus; habuisse enim Patriarchas expectationem melioris civitatis post dissolutum præsens tabernaculum. Idololatriam fuisse & apud Judæos & Gentiles peccatum & peccata quævis in se Deo esse exosa atque pœnis digna, non quatenus consortium cum Diabolo arguunt. Sine lege perire Rom. II, 12 non esse idem ac annihilari, sed synonymon ipsius judicari, ut ex aliis Scripturæ locis pateat. Obscuras tradi a *Dodwello* Animæ & Spiritus notiones, ut differentia non satis manifesta sit. Quodsi per Spiritum intelligat operationem Spiritus S. in animam, non esse differentiam inter immortalizationem per Spiritum & immortalizationem per voluntatem Dei, quæ duo tamen distinguit: sin per Spiritum intelligat adscititium principium substantiale, mirum videri, cur in immortalizatione credentium ipso opus sit, cum immortalizatio inobedientium sine tali principio peragatur. Locum Pauli de corpore animali corruptibili & spirituali incorruptibili ita esse accipiendum, quod corpus in se corruptibile post resurrectionem per Dei potentiam fieri debeat incorruptibile. Horrendum dictu esse, quod Evangelium sine ulla proportione mise-

riam peccatorum augeat, cum tanquam maximum tenerrimæ misericordiæ Dei erga homines exemplum in sacris repræsentetur. Illationem ex forma judicii extremi esse prorsus insolitam: utut enim actus charitatis & misericordiæ erga fideles a Salvatore Matth. XXV tantum commemorentur, non tamen ideo excludi alias virtutes & vitia alia, cum ex aliis locis Scripturæ constet, omnes omnino actiones examinatum iri. Universales Scripturæ assertiones in sensu limitato nequaquam accipiendas, ubi nec communis acceptio vocis significatum ejus evidenter limitet, ut Joh. XII, 19, nec alia Scripturæ loca limitationem expresse addant. Patribus, æque ac Scripturæ Sacræ, falsum affingi sensum, ab ipsorum mente alienissimum, de naturali mortalitate accipiendo, quod de negata animæ existentia necessaria, soli Deo propria, dixerint. Verba ejus, quibus asseritur, animam esse distinctam & a spiritu, & a materia ac motu, hoc est, formam materialem, principium activum substantiale a materia distinctum, attamen ab ea in esse, fieri & operari dependens, & consequenter cum materia dissolvendum, tam manifestam involvere contradictionem, ut refutatione non indigeant. Interpretationem loci 1. Cor. XV, 22 esse minus naturalem, & ipsius *Dodwelli* hypothesibus repugnare, cum inde sequatur, non nisi eos, qui in Christo sunt, resurrecturos esse, consequenter nullum incredulum. Repugnare ulterius naturali mortalitati, quod omnes animæ a dissolutione corporis superesse, & quæ Evangelium non audiverunt, in conflagratione universali post peractum judicium ab igne consumi debeant. Quæ tandem de animabus separatis dicuntur, nulla certitudine niti, ac ideo tantum ab Autore affirmari, ne Scriptura hypothesi ipsius contraria deprehendatur. Hæc ad argumenta *Dodwelli* dum respondet doctissimus Autor, non inelegantem de immaterialitate animæ affert demonstrationem, quam lectori non ingratam fore putamus. Desumitur tota a conscientia individuali, quam quod anima habeat, experientia singulis momentis confirmat, & hunc in modum concinnatur. Aut materia per naturam suam est sui conscia, aut non. Si est, cum sit divisibilis, quælibet particula erit sui conscia, adeoque systema

ſtema ex multis particulis compoſitum unam individualem conſcientiam habere nequit, quod experientiæ per modo dicta repugnat. Non igitur materia per naturam ſuam eſt ſui conſcia. Ponamus ergo, quod Deus particulis unitis conſcientiam ſui ſuperaddat. Cum particulæ illæ ſint entia ſemper realiter & neceſſario diſtincta, ſubjectum eſſe nequeunt, cui individualis conſcientia inhæret. Hæc igitur ſuperaddenda per rei alicujus additionem, quæ individualis conſcientiæ capax. Anima adeo, cujus vis cogitandi eſt conſcientia individualis, materialis eſſe nequit, nempe nec ſubſtantia materialis, nec modificatio materiæ. Cæterum malos quoque doctrinæ *Dodwellianæ* in actiones humanas enumerat influxus, quod nempe diſceptationes novas excitet, mentes infirmas ac inconſtantes dubiis & ſcrupulis repleat, & hominibus profanis nova argumenta topica, quibus doctrinas fundamentales omnium religionum traducant, ſuppeditet.

BIBLIA HEBRAICA, SECUNDUM ULTIMAM EDItionem Jos. Athiæ, a Johanne Leusden recognitam, aliosque Codices optimos recenſita, variisque Notis illuſtrata ab EVERARDO van der HOOGHT, V. D. M.

Amſtel. & Ultraj. ediderunt Boom, Waesberge, Goethals, Borſtius, Wolters, Halma, van de Water, & Broedelet, 1705, in 8. maj.

Conſtat Alph. 4.

CUm omni ævo Viri & pii & eruditi non defuerint, qui, ut ſanctis Veteris Inſtrumenti tabulis illibata ſua conſtaret integritas, nulli vel labori vel ſumtibus pepercerunt, rem adprime gratam, Φιλεβραίοις maxime, ſe facturum eſſe exiſtimavit Cl. *van der Hooght*, ſi, quod induſtrii Amſtelædamenſis & Ultrajectinæ Societatis Bibliopolæ, quorum nomina hic deſignantur, enixe ab eodem expetiverunt, nova hæc Bibliorum Ebraicorum editio ſub ipſis novi hujus Seculi incunabulis, ſua potiſſimum manu obſtetricante, in publicum prodiret,

ret. Ut vero, quid in elegantissima hac Editione, quæ Athianis, quoad paginas, ob majorum licet characterum & chartæ formam augustiorem paulo ampliores, lineas item, notas Ebraicas, Parschijoth, Haphtaroth, librorum ordinem, paginarum titulos, capitum & omnium versiculorum assignationes exacte respondet, præstiterit Cl. Editor, Lectori quodammodo constet, operæ erit pretium, ut optimi instituti rationes ipsius Editoris ductu breviter hoc loco exponamus. Quod itaque ad lemmata sive capitum argumenta attinet, lubens fatetur quod ob collationem inprimis & censuram correctiorum Codicum, prelo jam sudante, nova ipsemet conscribere non potuerit, sed in Pentateucho unbivis Athiana, in reliquis vero Scripturæ libris Leusdeniana, argumento tantum Cap. XXIX Proverb. immutato, retinuerit. Ne vero cæteroquin temere quid neglexisse aut arduis istis semel in se susceptis partibus ullibi defuisse videretur, omnium foliorum, postquam a Judæo Correctore ad exemplar, quod tertiæ & novæ editioni Leusdenius concinnaverat, vice triplici singula revisa fuissent, scrutinium instituit accuratissimum, hac equidem, quam ipse salubri consilio sibi præscripsit, methodo, ut pridem, quam ipse salubri consilio sibi præscripsit, methodo, ut primum cum Bibliis Stephani Parisiis annis 1539, 1540 &c. excusis, dehinc cum Veneta majori, quæ Bombergi est & Felicis Pratensis exemplaria ad MStorum probatissimorum fidem exarata presse sequitur, ac cum ipsis denique Athianis A. 1667 editis, quo nec Typographus nec Corrector Judæus ipsum fallere posset, cura & studio indefesso sollicite omnia conferret. His vero curis immerso cum plurimi errores atque menda, quæ & Stephani & Athianas Editiones, sive voces integras, sive literas, sive puncta Vocalium & Accentuum spectemus, multum inquinaverant, sponte se objicerent, omnes discrepantias in Godicibus Jos. Athiæ, Bombergi & Stephani obvias scriptis consignavit, Masorethisque, Lexicis, Grammaticis & duodecim maximi nominis editionibus, quas §. 17 & 23 Præf. exhibet, in consilium rite adhibitis, ita ad examen revocavit, ut cunctis difficultatibus demum sublatis, variantes alicujus momenti Lectiones partim margini adscripserit, partim etiam calci totius Codicis

dicis subjunxerit. In Psalmorum libro (quod in reliquis quoque cum Bombergo Drusius præstitit) specimen dissensionum, quæ Ben Ascher & Ben Naphtali horumque asseclas, Judæos item Occidentales, sive Palæstinos, & Orientales, sive Babylonios intercedebant, nude, nulla vel censura vel judicio, cum provincia hæc nimis negotiosa sit, interposito, harum rerum cupidis Cl. Editor propinat. Post cujuslibet libri extremum, si quatuor priores Pentateuchi libros, qui in Præf. §. 30 seqq. enodantur, semoveamus, versuum summa, medius libri versus, Masoretharum capita, una cum eorundem symbolis & horum textibus, quos nemo hactenus ubique designavit, idiomate & Rabbinico & Latino proponuntur, ac quoties pagellæ spatium permisit, plenius explicantur. Ad manifestissima Accentuum vitia, quæ in Athianis maxime turmatim deprehendisse se affirmat, medicam extendens manum, rationem Accentuum ex optimis cujusvis gentis morem eruditis §. 17 sequ. succincte tradit, & de *Paschta*, *Makkaph* atque *Metheg*, quod ultimum pro diversis Athianæ editionis de a. 1667 exemplaribus variis & diversis quoque fatis, quæ ipsum *Hooghtum*, cum Genesin adornaret, quod §. 18 non dissimulat, seduxerunt, circumactum est, lectu jucunda æque ac necessaria inculcat. Alia novæ hujus Bibliorum Hebraicorum editionis commendationi inservientia argumenta non pauca in medium proponi poterant, nisi in eruditissimo præfamine operi præmisso Editor Cl. otium nobis fecisset.

NOTITIA MAJORUM, PLURIMAS LUBECENSIUM aliorumque clarorum Virorum Vitas comprehendens, quam Filiis impertit JACOBUS a MELLE, Templi primarii Lubecensis Pastor.

Lipsiæ, apud Jacobum Fritsch, 1707. 4. Plag. 19.

JUcundam esse atque utilem, imo & interdum necessariam, majorum, quibus quisque prognatus fuit, notitiam, probe secum perpendens Celeberrimus Mellenius, Filiorum suorum trigam felicissime adolescentem ignorare amplius gentis suæ historiam paulo accuratiorem & diffusiorem noluit, atq; adeo in eruditissimum hoc Schediasma collegit industria haud mediocri, quicquid ex dispersis hinc inde monumentis ad familiæ suæ memoriam con-

ſervandam indagare potuit. Qua opera ut iſti decus ingens conciliavit, ſic rem quoque una amplificavit & ornavit literariam, dum, præter vitæ propriæ recenſum, aliquorum inſuper eruditorum clarorumque Virorum vitam resque geſtas ab interitu ſolerter vindicavit, cum ex materna maxime ſtirpe eorum haud unos in medium producere ipſi licuerit. Patris quidem majores ſingulos ex abſtruſa antiquitate eruere ſe haud potuiſſe fatetur, familiæ tamen ſuæ cognomen a ſolo patrio, cui primam illa debet originem, adſcitum fuiſſe nullus dubitat, ab oppido videlicet *Melle*, quod in Epiſcopatu Oſnabrugenſi ad Elſam flumen haud procul ipſa metropoli Oſnabruga ſitum eſt. Ut vero, quinam heic redivivi veluti ſiſtantur, Lectoribus conſtet, ex Eruditorum numero allegamus ſequentes, ordine, quem Clariſſimo Autori ſectari placuit, retento: *Jacobum Stolterfohtum*, Eccleſiæ Lubecenſis in primario B. Virginis Mariæ Templo Paſtorem; *Johannem Kirchmannum*, ex Profeſſore Roſtochienſi Scholæ Lubecenſis Rectorem; *Johannem Stolterfohtum*, Eccleſiæ Marianæ Paſtorem Lubecenſem; *Lucam Bacmeiſterum*, Theologiæ Profeſſorem, Paſtorem & Superintendentem Roſtochienſem; *Jacobum Bordingum*, Profeſſorem Medicum Roſtochienſem & Hafnienſem, Regisque Daniæ Archiatrum; &, quos occaſione ſuaviſſimæ ſuæ conjugis, Dorotheæ Pomariæ, adjungit, *Samuelem Pomarium*, Superintendentem Lubecenſem, atque *Jeremiam Reusnerum*, JCtum Wittebergenſem. Horum vitam, liberos, ſcripta, fata, & quodcunque modo ad eos ſpectare viſum eſt, cum cura recenſuit. Sed & præterea familiarum Lubecæ ſpectatiſſimarum: *Luneburgianæ, Warendorpianæ, Criſpinorum, Mornewechianæ, Schepenſtedtianæ, Morkerkianæ, Bremſianæ, Weſtfahlianæ, Attendornianæ*, meminit, & notatu de iisdem digniora varia inde ab aliquot ſeculis repetita & documentis authenticis illuſtrata exhibuit.

ASTRONOMIÆ COMETICÆ SYNOPSIS, AUTORE EDMUNDO HALLEJO apud Oxonienſes Geometriæ Profeſſore Saviliano & Reg. Soc. S. ex Tranſ. Anglic. A. 1705 Num. 297 p. 1882 & ſeqq. huc in compendio translata, retentis fere ubique ipſius Autoris verbis.

METhodum Newtonianam Orbitas Cometarum Geometrice conſtruendi, *in Princip. Philoſ. Nat.* propoſitam & a *Gregorio* in

in *Elem. Astr.* clarius explicatam calculo Arithmetico accommodavit *Halleyus* ita, ut ope solius Tabulæ generalis insequentis, quam immensi pene calculi fructum prædicat, omnia de motu Cometarum hactenus observata accuratissime repræsentare liceat. Ad illius constructionem sequenti modo pervenit. Assumit, Cometas in Orbibus Parabolicis Solem in Foco situm ea lege ambire, ut areæ æquales æqualibus temporibus describantur. Quoniam vero Parabolæ omnes inter se similes sunt, si determinata aliqua pars Areæ datæ Parabolæ dividatur in partes quotlibet; in omnibus Parabolis fiet similis divisio sub iisdem angulis, atque distantiæ erunt proportionales. Unde unam Tabulam pro Cometis omnibus sufficere concludit. Sit jam (Fig. 3) S Sol, POC orbita Cometæ, P Perihelion; O locus, ubi Cometa Quadrante distat a Perihelio, C locus quivis alius. Junge CP, CS: ac fiant ST, SR æquales ipsi CS, ac ductis rectis CR, CT (quarum hæc Curvæ Tangens est, illa perpendicularis) in axem PSR demitte normalem CQ. Jam data quavis Area COPS, oportet angulum CSP & distantiam CS inquirere. Quoniam ob naturam Parabolæ recta RQ ubique æqualis est semilateri recto, ponatur latus rectum $=2$, adeoque $RQ=1$; ac sit recta $CQ=Z$: erit itaque $PQ=\frac{1}{2}Z^2$, Segmentum Parabolicum $COP=\frac{1}{12}Z^3$, Triangulum $CSP=\frac{1}{4}Z$, adeoque area mixtilinea COPS $\frac{1}{12}Z^3+\frac{1}{4}Z=a$, ac $Z^3+3Z=12a$: ex qua æquatione valor ipsius Z innotescit. Sit jam area OPS in partes centenas dividenda: hæc area duodecima pars est quadrati lateris recti, adeoque $12a$ æquantur quadrato illi $=4$: si itaque successive extrahantur radices æquationum $Z^3+3Z=0,04:0,08:0,12:0,16$ &c. habebuntur totidem Z seu ordinatæ CQ respective ac divisa erit SOP in partes centenas. Eodem modo ultra locum O continuandus est calculus. Radix autem hujus æquationis, cum RQ sit $=1$, Tangens est Tabularis anguli CRQ sive dimidii anguli CSP, adeoque angulus CSP datur. Ejusdemque anguli CRQ secans RC media proportionalis est inter RQ sive 1 & RT duplam ipsius SC. Quodsi SP ponatur 1, adeoque latus rectum 4, ut in Tabula, ipsa RT erit distantia quæsita, duplum scilicet ipsius SC in priore Parabola.

TAB. IV. Fig. 3.

 Modum

Modum supputandi ex Tabula sic constructa locum Cometæ visum exhibiturus, ex *Newtoni Princip. Phil. Nat.* supponit, Cometæ in Parabola moventis velocitatem ubique esse ad velocitatem Planetæ gyrantis in circulo circa Solem ad eandem a Sole distantiam ut $\sqrt{2}$ ad 1. Si itaque Cometa in Perihelio ad distantiam æqualem distantiæ Terræ a Sole supponatur, erit area diurna a Cometa descripta ad aream Terræ ut $\sqrt{2}$ ad 1, ac proinde tempus annuum ad tempus, quo Cometa describeret quadrantem orbitæ suæ a Perihelio ut 3.14159 &c. (h. e. area circuli) ad $\sqrt{\frac{8}{9}}$. Cometa igitur describeret quadrantem illum diebus 109. 14 h. 46, adeoque area illa Parabolica areæ POS analoga in centum particulas distributa, singulis diebus competunt 0,912280: cujus Logarithmus 9,960128 in perpetuum usum servandus. Tempora autem, quibus Cometa in distantia majore vel minore Quadrantes similes describeret, esse supponit, ut revolutiones in circulis, h. e. in sesquiplicata ratione distantiarum, adeoque areas diurnas in partibus centesimis Quadrantis æstimatas (quas medii motus mensuras instar graduum ponit) esse in singulis in subsesquialtera ratione distantiæ Periheliæ a Sole.

Locum itaque Cometæ visum ad datum tempus supputaturus quærat 1. locum ☉ ab æquinoctio & Logarithmum distantiæ ejus a Terra: 2. capiat intervallum inter tempus Perihelii & tempus datum in diebus & partibus diei decimalibus, & ejus Logarithmo addat Logarithmum constantem 9,960128 cum complemento Arithmetico sesquialterius Logarithmi distantiæ Periheliæ a Sole; summa erit Logarithmus motus medii: 3. cum quo ex Tabula excerpat angulum a Perihelio & Logarithmum distantiæ a Sole, ac illum in Cometis *directis* addat, in *retrogradis* subtrahat loco Perihelii, si tempus fuerit post Perihelium, vel contra, si fuerit ante Perihelium, ut habeatur locus Cometæ in orbita; hunc vero addat Logarithmo distantiæ Periheliæ, ut prodeat Logarithmus distantiæ veræ Cometæ a Sole. 4. Cum loco Cometæ in orbita, dato loco Nodi capiat distantiam Cometæ a Nodo, ac data inclinatione plani per Trigonometriam eliciat locum ad Eclipticam reductum cum Inclinatione s. latitudine Heliocentrica, ac distantiæ curtatæ Loga-

Logarithmum. 5. Ex quibus datis eodem modo eruat locum visum cum latitudine visa, quo Planetarum loca ex dato loco & distantia Solis computantur.

Exemplum.

Locus Cometæ A. 1683 d. 23 Jul. 13h. 35' vel 13h. 40' T. æquat. hoc est 21 d. 10 h. 56 post Perihelium ad Merid. Londin. computatus.

Log. dist. Perib.	9.748343	*Peribel.* ♊	25.29.30	*Log. pro dist.*		0.111336
Log. sesquialt.	9.622514	*Ang. corresp.*	56.47.20	*Log. Perib.*		9.748343
Compl. Arithm.	0.377486	*Comet. in Orb.* ♈	28.42.10	*Co. Sin. Incl.*		9.913187
	9.960128	♉ ♓	23.23.00	*Log. dist. Curt.*		9.772866
Log. Temp.	1.310723	*Comet. a* ♉	35.19.10	*Log. dist.* ☉		0.006104
Log. Med. Mol.	1.648337	*Red. ad Eclip.*	4.48.30	☉ *Locus*	♌	10.41.25
Medius Motus.	44.498	*Comet. Helioc.* ♓	28.11.30	*Com. Visus*	♋	5.11.50
		Incl. Bor.	35.2.00	*Lat. Bor.*		28.52.00

Locus observatus erat ♋ 5°. 11'. 30", Latitudo observata Borealis 28° 52'.

Cæterum monet, Cometam anni 1680, qui Solem pene attigit, Tabula generali haud coerceri potuisse ob immanem motus medii velocitatem cum latus rectum admodum exiguum sit. Suadet itaque ex invento motu medio ope æquationis $Z^3+3Z=\frac{4}{100}$ *Mol. med.* Tangentem dimidii anguli a Perihelio elicere una cum Logarithmo distantiæ a Sole.

Quamvis vero Cometarum orbes ut perfecte Parabolicos consideraverit; credibile tamen ipsi videtur, eos potius in Orbibus valde Eccentricis circa Solem revolvi & post longissimas periodos reverti. Latus autem rectum Ellipsis esse ad latus rectum Parabolæ eandem Periheliam distantiam habentis ut distantiam Apheliam in Ellipsi ad axem totum Ellipsis: velocitates autem esse in dimidiata ratione eorundem, adeoque in Orbibus valde Eccentricis rationem hanc proxime ad rationem æqualitatis accedere. Tantillam autem differentiam, quæ ratione majoris in Parabola velocitatis intercedat, facillime in situ Orbis determinando compensari. Tabulam igitur hanc construxit, ut, si quando novus emerserit Cometa, collatis elementis dignoscere possimus, an sit aliquis ex antiquis, ac proinde periodum orbitæque axem determinare reditumque prædicere. Ita Cometam anni 1682 eundem esse judicat cum Cometa anno 1531 ab *Appiano* & 1607 a *Keplero* & *Longomontano* observato, & anno 1758 rediturum.

 Tabu-

Tabula Generalis pro supputando Motu Cometarum in Orbe Parabolico.

Medius motus.	*Angulus a perihelio.*	*Logarithmus pro distantia a Sole.*	*Medius motus.*	*Angelus a perihelio.*	*Logarithmus pro distantia a Sole.*
o	gr. ′ ″		o	gr. ′ ″	
1	1. 31. 40	o. 000077	31	42. 55. 07	o. 062400
2	3. 3. 15	o. 000309	32	44. 3. 16	o. 065835
3	4. 34. 43	o. 000694	33	45. 10. 26	o. 069316
4	6. 6. 0	o. 001231	34	46. 16. 35	o. 072839
5	7. 37. 1	o. 001921	35	47. 21. 36	o. 076396
6	9. 7. 44	o. 002759	36	48. 25. 33	o. 079984
7	10. 38. 2	o. 003745	37	49. 28. 29	o. 083004
8	12. 7. 53	o. 004876	38	50. 30. 23	o. 087249
9	13. 37. 17	o. 006151	39	51. 31. 11	o. 090912
10	15. 6. 6	o. 007564	40	52. 30. 54	o. 094594
11	16. 34. 20	o. 009115	41	53. 29. 42	o. 098298
12	18. 1. 54	o. 010798	42	54. 27. 32	o. 102019
13	19. 28. 47	o. 012609	43	55. 24. 22	o. 105752
14	20. 54. 53	o. 014550	44	56. 20. 11	o. 109490
15	22. 20. 14	o. 016607	45	57. 15. 5	c. 113240
16	23. 44. 43	o. 018783	46	58. 9. 2	o. 116995
17	25. 8. 22	o. 021072	47	59. 2. 5	o. 120756
18	26. 31. 7	o. 023470	48	59 54. 13	o. 124518
19	27. 52. 55	o. 025969	49	60. 45. 26	o. 128278
20	29. 13. 52	o. 028551	50	61. 35. 45	o. 132035
21	30. 33. 39	o. 031263	51	62. 25. 14	o. 135792
22	31. 52. 31	o. 034045	52	63. 13. 50	o. 139541
23	33. 10. 23	o. 036916	53	64. 1. 38	o. 143288
24	34. 27. 12	o. 039864	54	64. 48. 38	o. 147029
25	35. 42. 59	o. 042892	55	65. 34. 50	o. 150762
26	36. 57. 41	o. 045989	56	66. 20. 14	o. 154482
27	38. 11. 20	o. 049154	57	67. 04. 51	o. 158192
28	39. 23. 56	o. 052383	58	67. 48. 22	o. 161890
29	40. 35. 26	o. 055668	59	68. 31. 51	o. 165578
30	41. 45. 50	o. 059010	60	69. 14. 16	o. 169254

Tabula Generalis pro supputando Motu Cometarum in Orbe Parabolico.

Medius motus. o	*Angelus a peribelio.* gr. ′ ″	*Logarithmus pro distantia a Sole.*	*Medius motus.* o	*Angelus a peribelio.* gr. ′ ″	*Logarithmus pro distantia a Sole.*
61	69. 55. 58	0. 172914	91	86. 20. 34	0. 274176
62	70. 36. 56	0. 176557	92	86. 46. 20	0. 277239
63	71. 17. 16	0. 180188	93	87. 11. 43	0. 280284
64	71. 56. 56	0. 183803	94	87. 36. 45	0. 283305
65	72. 35. 57	0. 187404	95	88. 01. 27	0. 286308
66	73. 14. 15	0. 190978	96	88. 25. 49	0. 289293
67	73. 51. 59	0. 194540	97	88. 49. 48	0. 292252
68	74. 29. 6	0. 198085	98	89. 13. 32	0. 295201
69	75. 05. 38	0. 201614	99	89. 36. 54	0. 298122
70	75. 41. 35	0. 205122	100	90. 00 00	0. 301030
71	76. 16. 56	0. 208612	102	90. 45. 14	0. 306782
72	76. 51. 43	0. 212080	104	91. 29. 18	0. 312469
73	77. 25. 57	0. 215529	106	92. 12. 14	0. 318060
74	77. 59. 41	0. 218963	108	92. 54. 4	0. 323587
75	78. 32. 54	0. 222378	110	93. 34. 52	0. 329042
76	79. 5. 35	0. 225769	112	94. 14. 40	0. 334424
77	79. 37. 45	0. 229142	114	94. 53. 30	0. 339736
78	80. 9. 23	0. 232488	116	95. 31. 22	0. 344979
79	80. 40. 34	0. 235809	118	96. 8. 22	0. 350153
80	81. 11. 16	0 239127	120	96. 44. 30	0. 355262
81	81. 41. 31	0. 242416	122	97. 19. 48	0. 360306
82	82. 11. 19	0. 245684	124	97. 54. 17	0. 365284
83	82. 40. 40	0. 248933	126	98. 28. 00	0. 370200
84	83. 9. 34	0. 252159	128	99. 00. 57	0. 3 5052
85	83. 38. 4	0. 255366	130	99. 33. 11	0. 379842
86	84. 6. 8	0. 258552	132	100. 4. 43	0. 384576
87	84. 33. 49	0. 261720	134	100. 35. 45	0. 389252
88	85. 1. 5	0. 264865	136	101 5. 48	0. 393868
89	85. 27. 58	0. 267989	138	101. 35. 22	0. 398428
90	85. 54. 27	0. 271092	140	102. 4. 19	0. 402930

Tabula Generalis pro supputando Motu Cometarum in Orbe Parabolico.

Medius motus.	*Angelus a perihelio.*	*Logarithmus pro distantia a Sole.*	*Medius motus.*	*Angelus a perihelio.*	*Logarithmus pro distantia a Sole.*
o	gr. ′ ″		o	gr. ′ ″	
142	102. 32.41	o. 407380	204	113. 37.25	o. 523406
144	103. 00.31	o. 411784	208	114. 9.52	o. 529705
146	103. 27.47	o. 416132	212	114. 41.23	o. 535880
148	103. 54.31	o. 420430	216	115. 12.02	o. 541953
150	104. 20.43	o. 424676	220	115. 41.51	o. 547922
152	104. 46.22	o. 428866	224	116. 10.52	o. 553782
154	105. 11.33	o. 433012	228	116. 39. 7	o. 559538
156	105. 36.16	o. 437110	232	117. 6.38	o. 565199
158	106. 00.32	o. 441164	236	117. 33.27	o. 570752
160	106. 24.23	o. 445178	240	117. 59.35	o. 576233
162	106. 47.47	o. 449144	244	118. 25. 5	o. 581616
164	107. 10.44	o. 453060	248	118. 49.57	o. 586912
166	107. 33.17	o. 456936	252	119. 14.14	o. 592122
168	107. 55.27	o. 460772	256	119. 37.56	o. 597252
170	108. 17.14	o. 464208	260	120. 1. 6	o 602301
172	108. 38.37	o. 468318	264	120. 23.44	o. 607274
174	108. 59.39	o. 472030	268	120. 45.52	o. 612174
176	109. 20.20	o. 475705	272	121. 7.30	o. 615998
178	109. 40.40	o. 479340	276	121. 28.39	o. 621754
180	110. 00.40	o. 482937	280	121. 49.22	o 626438
182	110. 20.20	o. 486498	284	122. 9.38	o. 631056
184	110. 39.41	o. 490022	288	122. 29.28	o. 635608
186	110. 58.44	o. 493512	292	122. 48.54	o. 640098
188	111. 17.28	o. 496965	296	123. 7.57	o. 644525
190	111. 35.55	o. 500384	300	123. 26.36	o. 648893
192	111. 54.05	o. 503769	310	124. 11.40	o. 659559
194	112. 11.58	o. 507121	320	124. 54.36	o. 669880
196	112. 29.34	o. 510441	330	125. 35.34	o. 6798[illegible]6
198	112. 46.55	o. 513729	340	126. 14.44	o. 689568
200	113. 4.00	o. 516984	350	126. 52.12	o. 698970

Tabula

Tabula Generalis pro supputando Motu Cometarum in Orbe Parabolico.

Medius motus.	*Angulus a perihelio.*	*Logarithmus pro distantia a Sole.*	*Medius motus.*	*Angulus a perihelio.*	*Logarithmus pro distantia a Sole.*
O	gr. ′ ″		O	gr. ′ ″	
360	127. 28. 6	0. 708104	820	141. 49.24	0. 970836
370	128 2.33	0. 716976	840	142. 10.00	0. 978397
380	128. 35.38	0. 725606	860	142. 29.56	0. 985771
390	129. 7.27	0. 734006	880	142. 49.10	0. 992970
400	129. 38. 4	0. 742186	900	143. 7.48	1. 000000
410	130. 7. 34	0. 750160	920	143 25.51	1. 006871
420	1303. 6. 2	0. 757930	940	143. 43.21	1. 013586
430	131. 3. 39	0. 765516	960	144. 00.18	1. 020155
440	131. 30. 2	0. 772918	980	144. 16.46	1. 026583
450	131. 55. 41	0. 780148	1000	144. 32.46	1. 032876
460	132. 20. 30	0. 787216	1500	149. 26. 8	1. 158188
470	132. 44.32	0. 794122	2000	152. 26.15	1. 246058
480	133. 7.50	0. 800882	2500	154. 32.20	1. 313703
490	133. 30.25	0. 807494	3000	156. 7.27	1. 368678
500	133. 52.20	0. 813969	3500	157. 22.49	1. 414974
520	134. 34.18	0. 826522	4000	158. 24.36	1. 454950
540	135. 14. 0	0. 838600	4500	159. 16.36	1. 490125
560	135. 51.28	0. 850187	5000	160. 1.12	1. 521521
580	136. 27. 6	0. 861369	5500	160. 40. 5	1. 549874
600	137. 00.57	0. 872155	6000	161. 14.24	1. 575718
620	137. 33.13	0. 882575	6500	161. 45.00	1. 599460
640	138. 3.58	0. 892649	7000	162. 12.34	1. 621417
660	138. 33.21	0. 902401	7500	162. 37.34	1. 641838
680	139. 1.29	0. 911866	8000	163. 00.23	1. 660922
700	139. 28.25	0. 921012	8500	163. 21.20	1. 678834
720	139. 54.16	0. 929907	9000	163. 40.42	1. 695708
740	140. 19. 5	0. 938549	9500	163. 58.38	1. 711662
760	140. 42.56	0. 946951	10000	164. 15.20	1. 726784
780	141. 05.55	0. 955124	50000	170. 52. 0	2. 197960
800	141. 28. 3	0. 963082	100000	172. 45.44	2. 399556

Cometarum omnium, hactenus rite observatorum, Motuum in Orbe Parabolico Elementa Astronomica.

Cometæ Anni.	*Nodus Ascend.*	*Inclin. Orbitæ.*	*Perihelion in Orbe.*	*Perihelion in Ecliptica.*	*Latitudo Perihelii.*	*Distantia Perihelia a Sole.*	*Log. dist. Periheliæ a Sole.*	*Temp. æquat. Perihelii Londini.*
	gr. ′ ″	gr. ′ ″	gr. ′ ″	gr. ′ ″	gr. ′ ″			die h. ′ ″
1337	♊ 24. 21. 0	32. 11. 0	♉ 7. 59. 0	♉ 12. 45. 15	22. 40. 30 B	40666	9. 609236	Junii 2. 6. 2
1472	♑ 11. 46. 20	5. 20. 0	♉ 15. 33. 30	♉ 15. 40. 20	4. 25. 50 A	54273	9. 734584	Feb. 28 22. 23
1531	♉ 19. 25. 0	17. 56. 0	♒ 1. 39. 0	♒ 0. 48. 15	17. 3. 05 B	56700	9. 753583	Aug. 24. 21. 18½
1532	♊ 20 27. 0	32. 36. 0	♋ 21. 7. 0	♋ 16. 59. 40	15. 57. 00 B	50910	9. 706803	Oct. 19. 22. 12
1556	♍ 25. 42. 0	32. 6. 30	♑ 8. 50. 0	♑ 11. 0. 00	31. 10. 20 B	46390	9. 666424	Apr. 21. 20. 3
1577	♈ 25. 52. 0	74. 32. 45	♌ 9. 22. 0	♍ 7. 53. 00	69. 35. 20 A	18342	9. 263447	Oct. 26. 18. 45
1580	♈ 18. 57. 20	64. 40. 0	♋ 19. 5. 50	♋ 19. 17. 10	64. 40. 0 B	59028	9. 775450	Nov. 28. 15. 00
1585	♉ 7. 42. 30	6. 4. 0	♈ 8. 51. 0	♈ 8. 59. 10	2. 55. 25 A	109358	0. 038850	Sept 27. 19 20
1590	♍ 15. 30. 40	29. 40. 40	♏ 6. 54. 30	♏ 2. 55. 50	22. 45. 50 A	57661	9. 760882	Jan. 29. 3. 45
1596	♒ 12. 12. 30	55. 12. 0	♏ 18. 16. 0	♏ 22. 44. 35	54. 44. 30. B	51293	9. 710058	Julii 31. 19. 55
1607	♉ 20. 21. 0	17. 2. 0	♒ 2. 16. 0	♒ 1. 29. 40	16. 10. 5 B	58680	9. 768490	Oct. 16. 3. 50
1618	♊ 16. 1. 0	37. 34. 0	♈ 2. 14. 0	♈ 6. 10. 00	35. 50. 0 A	37975	9. 579498	Oct. 29. 12. 23
1652	♊ 28. 10. 0	79. 28. 0	♈ 28. 18. 40	♊ 10. 41. 35	58. 14. 0 A	84750	9. 928140	Nov. 2. 15. 40
1661	♊ 22. 30. 30	32. 35. 50	♋ 25. 58. 40	♋ 21. 37. 30	17. 17. 0 B	44851	9. 651772	Jan. 16. 23. 41
1664	♊ 21. 14. 0	21. 18. 30	♌ 10. 41. 25	♌ 8. 40. 35	16. 1. 50 A	102575 ½	0. 011044	Nov. 24. 11. 52
1665	♏ 18. 02. 0	76. 05. 0	♊ 11. 54. 30	♉ 24. 6. 35	23. 8. 0 B	10649	9. 027309	Apr. 14. 5. 15½
1672	♑ 27. 30. 30	83. 22. 10	♉ 16. 59. 30	♋ 9. 26. 00	69. 27. 0 B	69739	9. 843476	Feb. 20. 8. 37
1677	♏ 26. 49. 10	79. 03. 15	♌ 17. 37. 5	♋ 16. 21. 05	75. 44. 10. B	28059	9. 448072	Apr. 26. 00. 37½
1680	♑ 2. 2 0	60. 56. 0	♐ 22. 39. 30	♐ 27. 26. 50	8. 11. 10 A	00612½	7. 787106	Dec. 8. 00. 6
1682	♉ 21. 16. 30	17. 56. 0	♒ 2. 52. 45	♒ 2. 0. 30	16. 59. 20 B	58328	9. 765877	Sept. 4. 07. 39
1683	♍ 23. 23. 0	83. 11. 0	♊ 25. 29. 30	♋ 10. 36. 55	82. 52. 00 B	56020	9. 748343	Julii 3. 2. 50
1684	♐ 28. 15. 0	65. 48. 40	♏ 28. 52. 0	♐ 15. 15. 25	26. 35. 20 A	96015	9. 982339	Maji 29. 10. 16
1686	♓ 20. 34. 40	31. 21. 40	♊ 17. 00. 30	♊ 16. 24. 00	31. 17. 35 B	32500	9. 511883	Sept. 6. 14. 33
1698	♐ 27. 44. 15	11. 46. 0	♑ 00. 51. 15	♑ 0. 47. 20	0. 38. 10 A	69129	9. 839660	Oct. 8. 16. 57

EZECHIE-

EZECHIELIS SPANHEMII, LIBERI BARONIS ET Legati Regii, Dissertationes de Præstantia & usu Numismatum. Tomus I.

Lond. impensis Rich. Smith. 1706. f.

RElíquis tribus Dissertationibus, quibus primum Volumen operis divini, cujus recensendi mense Februario initium fecimus, absolvitur, ea continentur, quæ nummorum in Historia veteri commendant utilitatem. Earum priore, quæ septima est totius operis, quid Macedonicæ & Seleucidarum historiæ illi emolumenti afferant, ostenditur. Cumque de Macedonicis Regibus vix pauca in priori operis editione fuissent disputata, accuratior hic de successione eorundem disceptatio instituitur. Ubi ante omnia veterum scriptorum de ea dissensus, Thucydide præeunte, ita componitur, ut Macedonia in superiorem ac inferiorem olim divisa dicatur fuisse. In quorum ista fratres Temenidæ, seu Heraclidæ, Regnum primi occupaverint, a quibus Alexander, Perdiccæ pater, & reliqui ejus majores pariter ac successores sint orti: in illa vero alii Reges regnare potuerint iisdem temporibus, qui a scriptoribus sequiorum temporum cum inferioris Macedoniæ Regibus paulatim fuerint confusi, atque non unam Regum Macedonicorum seriem pepererint. Qua conjectura eruditis ex Thucydide observationibus firmata, Regum ante Philippum Alexandri parentem certam nullius, nisi Amyntæ prioris, qui sextus sit in illa serie, juxta Herodotum ac Justinum, & alterius Amyntæ, qui sit in illa serie decimus, in antiquo ære nobis superesse memoriam, contra Harduinum defenditur. Priorem Amyntæ nummum a Cl. Begero Vol. I. Thes. Brandeb. p. 63 jam editum aversa parte cancrum præ se ferre, Macedoniæ inferioris, h. e. maritimæ, symbolum. Ad hujus vero Amyntæ successorem Alexandrum, vulgo divitem, referri quidem ab Harduino Chronol. V. T. p. 148 nummum a Golzio adductum, altera parte laureatum Jovis caput, altera equum Thessalicum in quadro, cum legendis, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ exhibentem: sed cum ratione destitui, & ab ipso Golzio ad

Alexandrum, Philippi fratrem, patruum Alexandri M. eum referri. Similiter quem ad Perdiccam, prioris illius Alexandri successorem, nonum in ſerie Macedonica, referat Harduinus, eum Golzium Perdiccæ Philippi, Patris Alexandri M. majori natu tribuere. Archelai, Perdiccæ illius prioris filii, nummos tres eidem commemorari Harduino: in quorum averſis notatus equus, cum Begero ad inſtructam ab hoc Rege primum omni bellico apparatu Macedoniam non poſſe referri dicitur, nisi nummos, quos ad antiquiores quosdam Reges pertinere Harduinus ait, figura in iis notata eadem Regum Archelao posteriorum eſſe, concedatur demonſtrare. De nummis porro Amyntæ nomine notatis, cum diverſæ in iis compareant facies, nec temporis nota ulla, certo, ad quem pertineant, non poſſe ſtatui. Falſam vero Harduini legem eſſe, qua rejicit eos, atque ex illo cenſu tanquam ſpurios proſcribit, in quibus pro AMYNTA, legatur AMYNTOY. Inde ad Philippi Macedonis & Alexandri M. nummos proceditur, in quibus ſplendidiſſimus ΒΑΣΙΛΕΩΣ titulus, quem Harduinus ante Alexandri exceſſum in nummis haut obtinuiſſe putaverat, obſervatur; imo eum jam in antiquiſſimo Amyntæ prioris nummo littera B notari, monetur: juxta & certaminum in Alexandri honorem poſt fata ejus celebratorum memoria ex vetere ære renovatur. Inde Macedoniæ Regum poſt Alexandrum, Antigoni Gonatæ, Philippi ac Perſei nummi exhibentur. De quorum Regum inſignibus, cornu maxime, ſequitur, quæ in priore quoque editione legitur, prolixior diſceptatio, non illiberaliter paſſim locupletata. De Regum vero Seleucidarum ſerie quæ afferuntur, nova ſunt maximam partem, in qua conſtituenda felicius rem ſucceſſuram fuiſſe Petavio atque aliis, ſi nummorum ſubſidio uti voluiſſent, demonſtratur, ut qui omnes Seleucidas excepto Seleuco eo nomine quinto, ordine, addita temporum notatione, exhibeant: ut ex iis inprimis interpretari, ſupplere & emendare veterum ſcriptorum monimenta fas eſſe videatur. Quem laborem licet occupaſſe præſtantiſſimo opere Cl. Vaillantius videatur, multa tamen ſunt, quæ illuſtriſſimo Autori poſt illam meſſem ſatis amplum ſpicilegium præbuere. Talia ſunt, quod

figuram

figuram ſtantem, barbatam, tunicatam, capite modio ac tutulo ornatam dextra tridentem tenentem in nummo Alexandri Zabinæ, de qua hæſitaverat Vaillantius, Oper. cit. p. 332, Serapidem omnino eſſe erudite oſtendat: quod Joſephi locum Antiquit. L. XIII. Cap. XXI Antiochi Cyziceni filium Antiochum, cum Antonino Pio jungentis, id quod crucem Petavio fixerat, ſublata voce ΑΝΤΩΝΙΝΟΥ ſanet, qua eliminata Αντιόχος ἐυσεβὴς ſupereſt, quod verum extitit ejus Regis cognomen; aliaque ejus commatis. Qualia adſperguntur quoque nonnulla, quæ iſta excipit, tractioni, de cognominibus Seleucidarum, quibus in priore editione fuſe deducta ſubinde exornantur. Hinc Diſſertatione octava de Parthorum Regum ſeu Arſacidarum nummis diſſeritur, atque aliquot eorum antea inediti ex gazis Pembrocianis, Mediceis, & Regis Galliarum producuntur, in quibus cum obſcura videri poſſint legenda unius, qui ab altera parte caput Arſacidæ exhibet in Fig. 4 cum tiara & littera B, in altera Regem ſedentem, cum figura ſtante & cingulum ei præbente, cumque litteris ΑΣΙΑ ΑΑ ΕΠΙΦ. quæ explicare Vir ſummus non eſt dignatus, legenda eſſe putemus Βασιλέως (nempe B ex parte anteriore jungendum) Αρσάκȣ, (id enim, compendio ſcribendi facto, notatur litteris AA,) ἐπιφανȣ̃ς. Inter inſignia Parthorum, (de ceteris enim in priore editione actum etiam fuerat,) ſingularis eſt obſervatio de ſtella in Fig. 5. quam eo trahit Vir illuſtriſſimus, quod fundator hujus imperii Arſaces in numerum Deorum fuerit relatus, unde ſubſecuti Arſacidæ *participes ſiderum, fratres Solis & Lunæ* appellari voluerint, quod conſtet ex Ammiano XVII, 5 & XXIII, 6. De titulis eorum agens, antea dictis, de ἐυεργέτȣ καὶ ἐπιφανȣ̃ς, καὶ δικαίȣ cognominibus, in nummis tribui eis ſolitis, nonnulla addidit. De Tigranis inde Armeniorum Regis, Seleucidarum & Arſacidarum rebus immixti, nummis peculiari opera agit; ut & de nummis Cappadociæ Regum Ariarathæ, Ariobarzanis & Archelai, quorum omnium pauca in priſtino opere attigerat: illi vero tractationi de Φιλορωμαίȣ appellatione, quam ii ſibi Reges vendicaverant, olim

TAB. IV. Fig. 4.

Fig. 5.

olim disputatā inserit. Hinc de Ponti & Bithyniæ Regibus
a Specim. p. 234 ex nummis agit, cumque de eorum æra Morelli, a) Vaillan-
tii, b) Harduini c) adtulisset sententias, atque explosisset, rem in
b not. ad Seguin. p. 396 medio relinquere videtur. Inde ad Bospori Reges delatus, de
nova serie eorum, ex nummis maxime concinnanda, prout in
c Chronol. V. T. p. 222. 224. Academia Antiquitatum Parisiensi a J. Vaillantio proposita, &
a Bernardo in Nova Reip. litterariæ relata fuit, nonnulla dis-
serit. Atque ante omnia quidem a Vaillantio expectare se ait
M. Junio 1703. causam, cur eosdem Cotyos, Jninthymevi, & Rhescuporidis, &
quidem ut totidem Bospori Regum nummos ad Trajanum ac
Hadrianum, signatamque in iis æram ad æram Bospori Regum
nunc referat; quos tamen nummos velut totidem Thraciæ
Regum; æram autem ad æram Thracum antiquissimam, in e-
ditis ad Seguinum notis retulerit, idque eo magis, quod hæc
æra maxime dissideat a signata in priorum Ponti & Bospori Re-
gum nummis æra. Neque vero se nosse etiam ait, an alibi Rhes-
cyporidis, qui Hadriani ævo: vel alterius sub Antonino Pio,
aut tertii eodem sub Severo nomine, totidem Bospori, ut Va-
illantius velit, Regum, facta occurrat mentio: cum alias sub
Hadriano & Severo *Sauromata* in Bosporo Rex commemo-
retur. Sequitur de Thraciæ Regibus diligentior disquisitio,
ubi rursus de Vaillantii systemate, Reges quosdam Thraciæ in
Bosporum relegantis, agitur. Pergameni proximi sunt, eaque
occasione fuse de Eurypyli facie signato nummo & Pergami ur-
bis conditore agitur: inde de Cariæ Dynastarum nummis cum
Jove Labradensi seu militari: post de Judæorum Regibus Eth-
narchis & Tetrarchis ex iisdem. Hic in Herodis M. Ethnar-
chæ nummo, quod lilium phaseliticum interpretatus fuerat
de Numm. Herod. p. 4-7. Harduinus, id galea esse ostenditur cum cauda equina, addu-
cto alio consimili, in quo clarius galea dignoscitur. Alius He-
rodis nummus cum ara accensa, Harduino indictus, in cujus
TAB. IV. Fig. 6. aversa galea sit, non apex sacerdotalis, ut visum quibusdam, cujus
sit Herodis, non liquere satis, verosimile tamen esse, quod sit nepo-
tis ex Aristobulo filio magni Herodis, de quo apud Josephum
Fig. 7. Antiqu. XX, 1, qui Claudio imperante vixerit. In Agrippæ
Junioris nummis spicis ab una, tabernaculo ab altera parte Ta-
bernacu-

bernaculorum & Pentecostes festum notari, non Imperatoris munus, ut Harduinus voluerat, quale ei delatum esse nullis idoneis monimentis probari queat. De Abgaris proximo loco Edessenorum Regibus nonnulla sequuntur, eorumque prænominibus, Romanis inprimis, eos in clientela Antoninorum fuisse testantibus. Mox de Numidiæ & Mauritaniæ, & inde de Siciliæ Regibus, agmen denique claudentibus Gotthorum, Vandalorum aliarumque in partibus Europæ septentrionalibus gentium Principibus.

Quæ in priore opere nonnisi paucissimis tractata fuerant, de illustrandis ex vetere ære urbium antiquitatibus, ea jam copiose atque luculenter tota Dissertatione nona tractantur. Hic primum de antiquis & oblivione plane sepultis urbium nominibus ex eo eruendis, quale *Patrarum* urbis, primæ quondam Achaicarum, cujus antiquius nomen *Aroes*, in solis nummis superstes. Succedunt conditores urbium & consecrati in iis Heroes. Inde de insignibus coloniarum agitur, quæ cum matribus urbibus ipsis communia, eas prodere soleant, ut Apolloniatarum nummi, cum iisdem prorsus typis, qui in Corcyræorum nummis occurrunt, affatim loquantur, Corcyram ab iis pro antiqua patria habitam fuisse. Hinc servata a Colonis in nummis Sacrorum atque Deorum, quos conditores ipsorum colerent, memoria ob oculos ponitur. Mox de Metropolibus agitur & coloniarum ab iis propagatarum in nummis monimentis, qua occasione nummus Heracleotarum, in quo urbs illa ΜΑΤΡΟΣ ΑΠΟΙΚΩΝ ΠΟΛΙΩΝ titulo honoratur, ab aliis quidem editus, prolixe illustratur, & de juribus ac privilegiis Metropoleon ratione coloniarum disseritur. Porro de Metropolibus provinciarum nonnulla adduntur, & primo quidem de Metropolibus Imperio Romano nondum subjectis, quales Antiochia & Tyrus, quibus frequens est in nummis illius tituli honos, antequam Romani potestate in eas potirentur; tum secundo de Metropolibus in orbe Romano constitutis: quales plures in una eademque provincia, temporis decursu, tum veteri urbium contentione, tum peculiari Imperatorum indulgentia constitutas esse observatur, idque exemplis Metropoleon Phœniciæ, Palæstinæ, Ciliciæ, Cappadociæ, Bithyniæ,

Ponti,

Ponti, Mesopotamiæ, probatur. Et in Cicilia quidem præter Tarsum metropoleos jura Anazarbum consecutam fuisse, jam observatum esse Viris doctis, nec tamen Elagabali primum favore, ut visum Norisio, id quod probatur, producto ex cimeliis Vrenianis Caracallæ nummo, quem ut Elagabali non esse, sed Caracallæ constet, ejus typum in Fig. 8 exhibuimus.

TAB. IV. Fig. 8.

At nescimus, an capitis legenda eum nummum ad Caracallam referri patiantur: sic enim illa AYT.K.M.AYCEOYH... quæ manifeste suadent, non ad *Caracallam*, sed qui post Elagabalum imperavit, *Severum Alexandrum* hunc nummum referendum esse, atque adeo extritas litteras esse non quæ *Antonini*, sed quæ Alexandri nomen conficiant. Peculiaris autem de Proconsularis Asiæ Metropolibus, & Imperat. Caracallæ ad eas rescripto apud Ulpian. Leg. IV. §. 5. D. de offic. Procons. tractatio instituitur. Illa μητροπόλεως dignitas titulo πρώτης in nummis passim signatur, cujus rei exempla in nummis Nicomediæ & Niceæ in Bithynia, Ephesi, Smyrnæ & Pergami in Proconsulari Asia, quæ πρῶται Ἀσίας passim dicuntur; porro in nummis Tripolitarum in Phœnicia, Mitylenes & Sami in Asia proconsulari, eaque occasione de peculiari Smyrnæ primatu speciatim agitur, qui in maximo Caracallæ nummo hac inscriptione celebratur: CΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. ACIAC. Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΤΩΝ. CΕΒΑCΤΩΝ. ΚΑΛΛΕΙ. ΚΑΙ. ΜΕΓΕΘΕΙ. Alium vero sensum titulum πρώτης in Macedonicis quibusdam nummis habere monetur: divisa enim in IV Provinciis a Paulo Æmilio, victo Perseo, inde obtinuit, ut in Nummis ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΠΡΩΤΗΣ non tantum, sed & ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΔΕΥΤΕΡΑC legeretur. In nummo vero Magnetum tanquam singulare annotatur, quod honori ea urbs sibi duxerit, vel septimo loco in urbibus Asiæ censeri, cujus rei indicium in duobus Gordiani nummis ex thesauris Galliarum Regis in Fig. 9 & 10 exhibetur. Excipit illa de urbibus ἱεραῖς & ἀσύλοις, quarum in nummis mentio, διάσκεψις. Inde ἐλευθέρας & αὐτονόμου tituli urbibus tributi explicantur. Ναυαρχίδες porro urbes in nummis non ex esse

Fig. 9 & 10.

contra

contra Vaillantium probantur, quæ primæ ſint inter maritimas, ut idem ſit urbs ναυαρχὶς in littoralibus, quod μητρόπολις in mediterraneis. Nam multas ex maritimis & μητροπόλεις & ναυαρχίδας dici: ſed eas, in quibus naves ad tutelam provinciæ in ſtatione eſſent, in quas imperium etiam talibus urbibus eſſet conceſſum. De magiſtratibus porro urbium, quorum in nummis eſt mentio, nonnulla annotantur. Et primo quidem de magiſtratu ἀρχόντων, eorumque collegio, quod συναρχία in iis dicatur paſſim: inde de ϛρατηγοῖς ſive urbanis prætoribus; proximo loco de Prytanibus & γραμματεῦσι; poſtremo denique de Sophiſtis quibusdam ſermo inſtituitur, a quibus geſtorum magiſtratuum peculiaris exiſtat in vetere ære mentio. Tales nummi producuntur a Polemone Smyrnæorum ϛρατηγῷ cuſi, item alii, in quibus Attali, Procli, Ruffini, Vari ϛρατηγίαι, h. e. præturæ ſignantur. Poſtremo quid ἐπιμεληταὶ & ἐπιϛάται ſibi in veteribus nummis velint, exponitur, nempe ἐπιμελητὰς ſignificare, quibus extraordinaria aliqua loci cujusvis vel oppidi cura ſit demandata ſtatuitur: ἐπιϛάτας, quibus quæcunque cujusvis rei inſpectio, eſſet concredita, unde addatur haut raro, cujus rei ſint ἐπιϛάται, quibus hic titulus tribuitur; ex. c. ἐπιϛάτης τεμένȣς &c.

Atque hic quidem ſubſiſtit Opus multivaria doctrina refertiſſimum, lectu jucundiſſimum, uſu maximum, hoc magis ſtupendum, quod ea ætate, eo vitæ genere, in medio aulæ ſtrepitu, inter publicorum negotiorum ampliſſimos cumulos, a Viro incomparabili huc usque deduci potuerit. Quod finem facientes optamus, hoc eſt, ne ad finem haut perductum opus, qua parte deficit, majus eruditis deſiderium, quam qua ſpectatur, admirationem omnibus Apelleæ Veneris exemplo injiciat.

RATIOCINIORUM MECHANICORUM IN MEDICINA Usus vindicatus, per CHRISTIANUM *STRÖM.*

Lugduni Batavor. apud Andream Dyckhuysen, 1707, in 8. Plag. 4.

RAtiociniorum Mechanicorum in Medicina usum *Autor* vindicaturus, ante omnia eos ignorantiæ arguit, qui Mechanicorum nomen fabris solummodo lignariis competere scribunt, quasi rerum Mathematicarum periti alios tali indigitarent titulo, quam qui præter pondus, mensuram & numerum, quibus Numen Divinum cuncta constituit, cum in rebus corporeis, tum in corpore speciatim humano, nequaquam concipere valeant. Nec illorum æquiorem censet causam, qui ex antiquitatis amore ratiocinia Mechanica unice aversantur, quod veterum Medicorum princeps, *Hippocrates* Thessalo filio in epistola quadam multum Geometriæ & numerorum scientiæ studium luculentissime commendaverit, veterumque Græcorum præcipua medendi ratio Mechanica extiterit. Recentiorum tamen scientiam Geometricam propter multa seculo elapso detecta nova perfectiorem expendens, quam Hippocratis, a Democrito haustam, ad Chemicos quosdam delabitur, qui scientiæ suæ autoritatem in theoria Medica adversus Mechanicos, in specie *Archibaldum Pitcarnium & Hermannum Boerhave*, omnibus tueri modis allaborant. Hos siquidem considerare jubet, quid ratiocinium Chemicum a Mechanico habeat diversi, dum Chemica non nisi ars sit, corporum naturalium compagem & texturam explicandi, explicatamque componendi. Chemiam quippe a Mechanicis neutiquam ex Medicina proscribi, sed ab his tantummodo exigi, ut ne Chemici sua ratiocinia, quamvis vere Mechanica, cum illis confundant, quæ machinæ nostræ organis sunt propria, eademque temere ad theoriam Medicam applicent instar eorum, qui cordis motum ab effervescentiis, musculorum contractiones ab acidi & alcali conflictu, ciborum in ventriculo dissolutionem a liquore acri, aut fermentatione vera,

humorum

humorum diverſorum in glandulis diverſis ſecretiones a fermentis olim derivarunt. *Robertum Boyle* itaque extollit, quod, licet ipſe Chemicus præſtantiſſimus, omnia tamen ad normam, non principiorum Chemicorum, ſed legum Mechanicarum examinans exemplum reliquerit, in motuum machinæ noſtræ explicatione unice ad principia Mechanica confugiendi, in caſu vero, quo medicamentorum deſideratur confectio, Chemicam conſulendi. Et quamvis Mechanicorum nonnulli fortaſſe in ægrotis reſtituendis infeliciores fuerint, veriorem nihilominus eorum cognitionem tanquam effectus hujus cauſam jure culpari, eo magis negat, quo plura ſæpius obſtacula intervenire poſſint, & quo minus ipſi ſoli excidere ſoleant ſcopo. Quin imo ad morbos oculorum, aurium, aliarumque partium provocat, Mechanicorum induſtria promtius, quam aliorum levatos, poſtquam varii generis lentes polire, tubos ſurdorum auribus aptare, atque adſcititiis membris munia obire læſa docuerunt. Quodſi vero majora ab iis, qui naturæ ſe leges exactius ſcire glorientur, quam ab aliis, poſtulentur, regerit Noſter, quoad ſucceſſum in agendo inter naturæ legum gnaros & ignaros vix multum haberi diſcriminis, ceu quod ex voluptate magis, quam utrique ex opere ſuo percipiunt, atque in agendo fiducia debeat æſtimari. Tandem in eos, qui Mechanicorum ratiocinia atque inconſtantia proclamant, ac objecta eorundem mutabilia, multum invehitur, cum ratiocinia ideo vera eſſe non deſinant, etiamſi a prudenti Mechanico pro neceſſitate immutentur. Si quæ vero inter artis peritos diverſitas reperiatur, eam cum aliis ſectis communem non vitio ſcientiæ, verum temporum & ſubſidiorum adſcribit defectui, quo multæ machinæ noſtræ proprietates latuerint, usque recentiſſimorum demum labore fuerint detectæ. Neque ullus dubitat, quin Medici poſthac eadem induſtria in corporis noſtri inquiſitione pergentes, multa in nobis reprehenſione digna ſint deprehenſuri. Cauſam interim eorum haud agit, qui ſcientiæ Mechanices prorſus ignari tam pulchro nomine velint ſuperbire, hypotheſes aut rectius hypotheſium ſimulacra fingentes, quibus intricatiſſima quævis expedire ſe poſſe ignorantibus perſuadent,

Cometarum omnium, hactenus rite observatorum, Motuum in Orbe Parabolico Elementa Astronomica.

Cometæ Anni.	Nodus Ascend.	Inclin. Orbitæ.	Perihelion in Orbe.	Perihelion in Ecliptica.	Latitudo Perihelii.	Distantia Perihelia a Sole.	Log. dist. Periheliæ a Sole.	Temp. æquat. Perihelii Londini.
	gr. ′ ″	gr. ′ ″	gr. ′ ″	gr. ′ ″	gr. ′ ″			die h. ′ ″
1337	♊ 24. 21. 0	32. 11. 0	♉ 7. 59. 0	♉ 12. 45. 15	22. 40. 30 B	40666	9. 609236	Junii 2. 6. 2
1472	♑ 11. 46. 20	5. 20. 0	♉ 15. 33. 30	♉ 15. 40. 20	4. 25. 50 A	54273	9. 734584	Feb. 28 22. 23
1531	♉ 19. 25. 0	17. 56. 0	♒ 1. 39. 0	♒ 0. 48. 15	17. 3. 05 B	56700	9. 753583	Aug. 24. 21. 18½
1532	♊ 20. 27. 0	32. 36. 0	♋ 21. 7. 0	♋ 16. 59. 40	15. 57. 00 B	50910	9. 706803	Oct. 19. 22. 12
1556	♍ 25. 42. 0	32. 6. 30	♑ 8. 50. 0	♑ 11. 6. 00	31. 10. 20 B	46390	9. 666424	Apr. 21. 20. 3
1577	♈ 25. 52. 0	74. 32. 45	♌ 9. 22. 0	♍ 7. 53. 00	69. 35. 20 A	18342	9. 263447	Oct. 26. 18. 45
1580	♈ 18. 57. 20	64. 40. 0	♋ 19. 5. 50	♋ 19. 17. 10	64. 40. 0 B	59028	9. 775450	Nov. 28. 15. 00
1585	♉ 7. 42. 30	6. 4. 0	♈ 8. 51. 0	♈ 8. 59. 10	2. 55. 25 A	109358	0. 038850	Sept. 27. 19. 20
1590	♍ 15. 30. 40	29. 40. 40	♏ 6. 54. 30	♏ 2. 55. 50	22. 45. 50 A	57661	9. 760882	Jan. 29. 3. 45
1596	♒ 12. 12. 30	55. 12. 0	♏ 18. 16. 0	♏ 22. 44. 35	54. 44. 30. B	51293	9. 710058	Julii 31. 19. 55
1607	♉ 20. 21. 0	17. 2. 0	♒ 2. 16. 0	♒ 1. 29. 40	16. 10. 5 B	58680	9. 768490	Oct. 16. 3. 50
1618	♊ 16. 1. 0	37. 34. 0	♈ 2. 14. 0	♈ 6. 10. 00	35. 50. 0 A	37975	9. 579498	Oct. 29. 12. 23
1652	♊ 28. 10. 0	79. 28. 0	♈ 28. 18. 40	♊ 10. 41. 35	58. 14. 0 A	84750	9. 928140	Nov. 2. 15. 40
1661	♊ 22. 30. 30	32. 35. 50	♋ 25. 58. 40	♋ 21. 37. 30	17. 17. 0 B	44851	9. 651772	Jan. 16. 23. 41
1664	♊ 21. 14. 0	21. 18. 30	♌ 10. 41. 25	♌ 8. 40. 35	16. 1. 50 A	102575½	0. 011044	Nov. 24. 11. 52
1665	♏ 18. 02. 0	76. 05. 0	♊ 11. 54. 30	♉ 24. 6. 35	23. 8. 0 B	10649	9. 027309	Apr. 14. 5. 15½
1672	♑ 27. 30. 30	83. 22. 10	♉ 16. 59. 30	♋ 9. 26. 00	69. 27. 40 B	69739	9. 843476	Feb. 20. 8. 37
1677	♏ 26. 49. 10	79. 03. 15	♌ 17. 37. 5	♋ 16. 21. 05	75. 44. 10 B	28059	9. 448072	Apr. 26. 00. 37½
1680	♑ 2. 2 0	60. 56. 0	♐ 22. 39. 30	♐ 27. 26. 50	8. 11. 10 A	00612½	7. 787106	Dec. 8. 00. 6
1682	♉ 21. 16. 30	17. 56. 0	♒ 2. 52. 45	♒ 2. 0. 30	16. 59. 20 B	58328	9. 765877	Sept. 4. 07. 39
1683	♍ 23. 23. 0	83. 11. 0	♊ 25. 29. 30	♋ 10. 36. 55	82. 52. 00 B	56020	9. 748343	Julii 3. 2. 50
1684	♐ 28. 15. 0	65. 48. 40	♏ 28. 52. 0	♐ 15. 15. 25	26. 35. 20 A	96015	9. 982339	Maji 29. 10. 16
1686	♓ 20. 34. 40	31. 21. 40	♊ 17. 00. 30	♊ 16. 24. 00	31. 17. 35 B	32500	9. 511883	Sept. 6. 14. 33
1698	♐ 27. 44. 15	11. 46. 0	♑ 00. 51. 15	♑ 0. 47. 20	0. 38. 10 A	69129	9. 839660	Oct. 8. 16. 57

EZECHIELIS SPANHEMII, LIBERI BARONIS ET Legati Regii, Dissertationes de Præstantia & usu Numismatum. Tomus I.

Lond. impensis Rich. Smith. 1706. f.

RELiquis tribus Dissertationibus, quibus primum Volumen operis divini, cujus recensendi mense Februario initium fecimus, absolvitur, ea continentur, quæ nummorum in Historia veteri commendant utilitatem. Earum priore, quæ septima est totius operis, quid Macedonicæ & Seleucidarum historiæ illi emolumenti afferant, ostenditur. Cumque de Macedonicis Regibus vix pauca in priori operis editione fuissent disputata, accuratior hic de successione eorundem disceptatio instituitur. Ubi ante omnia veterum scriptorum de ea dissensus, Thucydide præeunte, ita componitur, ut Macedonia in superiorem ac inferiorem olim divisa dicatur fuisse. In quorum ista fratres Temenidæ, seu Heraclidæ, Regnum primi occupaverint, a quibus Alexander, Perdiccæ pater, & reliqui ejus majores pariter ac successores sint orti: in illa vero alii Reges regnare potuerint iisdem temporibus, qui a scriptoribus sequiorum temporum cum inferioris Macedoniæ Regibus paulatim fuerint confusi, atque non unam Regum Macedonicorum seriem pepererint. Qua conjectura eruditis ex Thucydide observationibus firmata, Regum ante Philippum Alexandri parentem certam nullius, nisi Amyntæ prioris, qui sextus sit in illa serie, juxta Herodotum ac Justinum, & alterius Amyntæ, qui sit in illa serie decimus, in antiquo ære nobis superesse memoriam, contra Harduinum defenditur. Priorem Amyntæ nummum a Cl. Begero Vol. I. Thes. Brandeb. p. 63 jam editum aversa parte cancrum præ se ferre, Macedoniæ inferioris, h. e. maritimæ, symbolum. Ad hujus vero Amyntæ successorem Alexandrum, vulgo divitem, referri quidem ab Harduino Chronol. V. T. p. 148 nummum a Golzio adductum, altera parte laureatum Jovis caput, altera equum Thessalicum in quadro, cum legendis, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ exhibentem: sed eum ratione destitui, & ab ipso Golzio ad

Alexandrum, Philippi fratrem, patruum Alexandri M. eum referri. Similiter quem ad Perdiccam, prioris illius Alexandri successorem, nonum in serie Macedonica, referat Harduinus, eum Golzium Perdiccæ Philippi, Patris Alexandri M. majori natu tribuere. Archelai, Perdiccæ illius prioris filii, nummos tres eidem commemorari Harduino: in quorum aversis notatus equus, cum Begero ad instructam ab hoc Rege primum omni bellico apparatu Macedoniam non posse referri dicitur, nisi nummos, quos ad antiquiores quosdam Reges pertinere Harduinus ait, figura in iis notata eadem Regum Archelao posteriorum esse, concedatur demonstrare. De nummis porro Amyntæ nomine notatis, cum diversæ in iis compareant facies, nec temporis nota ulla, certo, ad quem pertineant, non posse statui. Falsam vero Harduini legem esse, qua rejicit eos, atque ex illo censu tanquam spurios proscribit, in quibus pro AMYNTA, legatur AMYNTOY. Inde ad Philippi Macedonis & Alexandri M. nummos proceditur, in quibus splendidissimus ΒΑΣΙΛΕΩΣ titulus, quem Harduinus ante Alexandri excessum in nummis haut obtinuisse putaverat, observatur; imo eum jam in antiquissimo Amyntæ prioris nummo littera B notari, monetur: juxta & certaminum in Alexandri honorem post fata ejus celebratorum memoria ex vetere ære renovatur. Inde Macedoniæ Regum post Alexandrum, Antigoni Gonatæ, Philippi ac Persei nummi exhibentur. De quorum Regum insignibus, cornu maxime, sequitur, quæ in priore quoque editione legitur, prolixior disceptatio, non illiberaliter passim locupletata. De Regum vero Seleucidarum serie quæ afferuntur, nova sunt maximam partem, in qua constituenda felicius rem successuram fuisse Petavio atque aliis, si nummorum subsidio uti voluissent, demonstratur, ut qui omnes Seleucidas excepto Seleuco eo nomine quinto, ordine, addita temporum notatione, exhibeant: ut ex iis inprimis interpretari, supplere & emendare veterum scriptorum monimenta fas esse videatur. Quem laborem licet occupasse præstantissimo opere Cl. Vaillantius videatur, multa tamen sunt, quæ illustrissimo Autori post illam messem satis amplum spicilegium præbuere. Talia sunt, quod

figuram

figuram ſtantem, barbatam, tunicatam, capite modio ac tutulo ornatam dextra tridentem tenentem in nummo Alexandri Zabinæ, de qua hæſitaverat Vaillantius, Oper. cit. p. 332, Serapidem omnino eſſe erudite oſtendat: quod Joſephi locum Antiquit. L. XIII. Cap. XXI Antiochi Cyziceni filium Antiochum, cum Antonino Pio jungentis, id quod crucem Petavio fixerat, ſublata voce ΑΝΤΩΝΙΝΟΥ ſanet, qua eliminata Αντίοχος ἐυσεβὴς ſupereſt, quod verum extitit ejus Regis cognomen; aliaque ejus commatis. Qualia adſperguntur quoque nonnulla, quæ iſta excipit, tractioni, de cognominibus Seleucidarum, quibus in priore editione fuſe deducta ſubinde exornantur. Hinc Diſſertatione octava de Parthorum Regum ſeu Arſacidarum nummis diſſeritur, atque aliquot eorum antea inediti ex gazis Pembrocianis, Mediceis, & Regis Galliarum producuntur, in quibus cum obſcura videri poſſint legenda unius, qui ab altera parte caput Arſacidæ exhibet in Fig. 4 cum tiara & littera B, in altera Regem ſedentem, cum figura ſtante & cingulum ei præbente, cumque litteris ΑΣΙΑ ΑΑ ΕΠΙΦ. quæ explicare Vir ſummus non eſt dignatus, legenda eſſe putemus Βασιλέως (nempe B ex parte anteriore jungendum) Αρσάκȣ, (id enim, compendio ſcribendi facto, notatur litteris AA,) ἐπιφανȣ̃ς. Inter inſignia Parthorum, (de ceteris enim in priore editione actum etiam fuerat,) ſingularis eſt obſervatio de ſtella in Fig. 5. quam eo trahit Vir illuſtriſſimus, quod fundator hujus imperii Arſaces in numerum Deorum fuerit relatus, unde ſubſecuti Arſacidæ *participes ſiderum, fratres Solis & Lunæ* appellari voluerint, quod conſtet ex Ammiano XVII, 5 & XXIII, 6. De titulis eorum agens, antea dictis, de ἐυεργέτȣ καὶ ἐπιφανȣ̃ς, καὶ δικαίȣ cognominibus, in nummis tribui eis ſolitis, nonnulla addidit. De Tigranis inde Armeniorum Regis, Seleucidarum & Arſacidarum rebus immixti, nummis peculiari opera agit; ut & de nummis Cappadociæ Regum Ariarathæ, Ariobarzanis & Archelai, quorum omnium pauca in priſtino opere attigerat: illi vero tractationi de Φιλορωμαίȣ appellatione, quam ii ſibi Reges vendicaverant,

TAB. IV. Fig. 4.

Fig. 5.

 olim

olim disputatã inserit. Hinc de Ponti & Bithyniæ Regibus ex nummis agit, cumque de eorum æra Morelli, a) Vaillantii, b) Harduini c) adtulisset sententias, atque explosisset, rem in medio relinquere videtur. Inde ad Bospori Reges delatus, de nova serie eorum, ex nummis maxime concinnanda, prout in Academia Antiquitatum Parisiensi a J. Vaillantio proposita, & a Bernardo in Nova Reip. litterariæ relata fuit, nonnulla disserit. Atque ante omnia quidem a Vaillantio expectare se ait causam, cur eosdem Cotyos, Jninthymevi, & Rhescuporidis, & quidem ut totidem Bospori Regum nummos ad Trajanum ac Hadrianum, signatamque in iis æram ad æram Bospori Regum nunc referat; quos tamen nummos velut totidem Thraciæ Regum; æram autem ad æram Thracum antiquissimam, in editis ad Seguinum notis retulerit, idque eo magis, quod hæc æra maxime dissideat a signatâ in priorum Ponti & Bospori Regum nummis æra. Neque vero se nosse etiam ait, an alibi Rhescyporidis, qui Hadriani ævo: vel alterius sub Antonino Pio, aut tertii eodem sub Severo nomine, totidem Bospori, ut Vaillantius velit, Regum, facta occurrat mentio: cum alias sub Hadriano & Severo *Sauromata* in Bosporo Rex commemoretur. Sequitur de Thraciæ Regibus diligentior disquisitio, ubi rursus de Vaillantii systemate, Reges quosdam Thraciæ in Bosporum relegantis, agitur. Pergameni proximi sunt, eaque occasione fuse de Eurypyli facie signato nummo & Pergami urbis conditore agitur: inde de Cariæ Dynastarum nummis cum Jove Labradensi seu militari: post de Judæorum Regibus Ethnarchis & Tetrarchis ex iisdem. Hic in Herodis M. Ethnarchæ nummo, quod lilium phaseliticum interpretatus fuerat Harduinus, id galea esse ostenditur cum cauda equina, adducto alio consimili, in quo clarius galea dignoscitur. Alius Herodis nummus cum ara accensa, Harduino indictus, in cujus aversa galea sit, non apex sacerdotalis, ut visum quibusdam, cujus sit Herodis, non liquere satis, verosimile tamen esse, quod sit nepotis ex Aristobulo filio magni Herodis, de quo apud Josephum Antiqu. XX, 1, qui Claudio imperante vixerit. In Agrippæ Junioris nummis spicis ab una, tabernaculo ab altera parte Ta-

bernacu-

a Specim. p. 234

b not. ad Seguin. p. 396

c Chronol. V.T. p. 222. 224. M. Junio 1703.

de Numm. Herod. p. 4. 7.

TAB. IV. Fig. 6.

Fig. 7.

bernaculorum & Pentecostes festum notari, non Imperatoris munus, ut Harduinus voluerat, quale ei delatum esse nullis idoneis monimentis probari queat. De Abgaris proximo loco Edessenorum Regibus nonnulla sequuntur, eorumque prænominibus, Romanis inprimis, eos in clientela Antoninorum fuisse testantibus. Mox de Numidiæ & Mauritaniæ, & inde de Siciliæ Regibus, agmen denique claudentibus Gotthorum, Vandalorum aliarumque in partibus Europæ septentrionalibus gentium Principibus.

Quæ in priore opere non nisi paucissimis tractata fuerant, de illustrandis ex vetere ære urbium antiquitatibus, ea jam copiose atque luculenter tota Dissertatione nona tractantur. Hic primum de antiquis & oblivione plane sepultis urbium nominibus ex eo eruendis, quale *Patrarum* urbis, primæ quondam Achaicarum, cujus antiquius nomen *Aroes*, in solis nummis superstes. Succedunt conditores urbium & consecrati in iis Heroes. Inde de insignibus coloniarum agitur, quæ cum matribus urbibus ipsis communia, eas prodere soleant, ut Apolloniatarum nummi, cum iisdem prorsus typis, qui in Corcyræorum nummis occurrunt, affatim loquantur, Corcyram ab iis pro antiqua patria habitam fuisse. Hinc servata a Colonis in nummis Sacrorum atque Deorum, quos conditores ipsorum colerent, memoria ob oculos ponitur. Mox de Metropolibus agitur & coloniarum ab iis propagatarum in nummis monimentis, qua occasione nummus Heracleotarum, in quo urbs illa ΜΑΤΡΟΣ ΑΠΟΙΚΩΝ ΠΟΛΙΩΝ titulo honoratur, ab aliis quidem editus, prolixe illustratur, & de juribus ac privilegiis Metropoleon ratione coloniarum disseritur. Porro de Metropolibus provinciarum nonnulla adduntur, & primo quidem de Metropolibus Imperio Romano nondum subjectis, quales Antiochia & Tyrus, quibus frequens est in nummis illius tituli honos, antequam Romani potestate in eas potirentur; tum secundo de Metropolibus in orbe Romano constitutis: quales plures in una eademque provincia, temporis decursu, tum veteri urbium contentione, tum peculiari Imperatorum indulgentia constitutas esse observatur, idque exemplis Metropoleon Phœniciæ, Palæstinæ, Ciliciæ, Cappadociæ, Bithyniæ,

Ponti,

Ponti, Mesopotamiæ, probatur. Et in Cicilia quidem præter Tarsum metropoleos jura Anazarbum consecutam fuisse, jam observatum esse Viris doctis, nec tamen Elagabali primum favore, ut visum Norisio, id quod probatur, producto ex cimeliis Vrenianis Caracallæ nummo, quem ut Elagabali non esse, sed Caracallæ constet, ejus typum in Fig. 8 exhibuimus. At nescimus, an capitis legenda eum nummum ad Caracallam referri patiantur: sic enim illa AYT. K. M. AYCEOYH... quæ manifeste suadent, non ad *Caracallam*, sed qui post Elagabalum imperavit, *Severum Alexandrum* hunc nummum referendum esse, atque adeo extritas litteras esse non quæ *Antonini*, sed quæ Alexandri nomen conficiant. Peculiaris autem de Proconsularis Asiæ Metropolibus, & Imperat. Caracallæ ad eas rescripto apud Ulpian. Leg. IV. §. 5. D. de offic. Proconf. tractatio instituitur. Illa μητροπόλεως dignitas titulo πρώτης in nummis passim signatur, cujus rei exempla in nummis Nicomediæ & Niceæ in Bithynia, Ephesi, Smyrnæ & Pergami in Proconsulari Asia, quæ πρῶται Ἀσίας passim dicuntur; porro in nummis Tripolitarum in Phœnicia, Mitylenes & Sami in Asia proconsulari, eaque occasione de peculiari Smyrnæ primatu speciatim agitur, qui in maximo Caracallæ nummo hac inscriptione celebratur: CMYPNAIΩN. ΠΡΩΤΩΝ. ACIAC. Γ. NEΩKOPΩN. TΩN. CEBACTΩN. KAΛΛEI. KAI. MEΓEΘEI. Alium vero sensum titulum πρώτης in Macedonicis quibusdam nummis habere monetur: ea enim in IV Provinciis a Paulo Æmilio, victo Perseo, divisa, inde obtinuit, ut in Nummis MAKEΔONΩN ΠΡΩΤΗΣ non tantum, sed & MAKEΔONΩN ΔEYTEPAC legeretur. In nummo vero Magnetum tanquam singulare annotatur, quod honori ea urbs sibi duxerit, vel septimo loco in urbibus Asiæ censeri, cujus rei indicium in duobus Gordiani nummis ex thesauris Galliarum Regis in Fig. 9 & 10 exhibetur. Excipit illa de urbibus ἱεραῖς & ἀσύλοις, quarum in nummis mentio, διάσκεψις. Inde ἐλευθέρας & αὐτονόμου tituli urbibus tributi explicantur. Ναυαρχίδες porro urbes in nummis non ex esse contra

TAB. IV. Fig. 8.

Fig. 9 & 10.

contra Vaillantium probantur, quæ primæ ſint inter maritimas, ut idem ſit urbs ναυαρχὶς in littoralibus, quod μητρόπολις in mediterraneis. Nam multas ex maritimis & μητροπόλεις & ναυαρχίδας dici: ſed eas, in quibus naves ad tutelam provinciæ in ſtatione eſſent, in quas imperium etiam talibus urbibus eſſet conceſſum. De magiſtratibus porro urbium, quorum in nummis eſt mentio, nonnulla annotantur. Et primo quidem de magiſtratu ἀρχόντων, eorumque collegio, quod συναρχία in iis dicatur paſſim: inde de ϛρατηγοῖς ſive urbanis prætoribus; proximo loco de Prytanibus & γραμματεῦσι; poſtremo denique de Sophiſtis quibusdam ſermo inſtituitur, a quibus geſtorum magiſtratuum peculiaris exiſtat in vetere ære mentio. Tales nummi producuntur a Polemone Smyrnæorum ϛρατηγῷ cuſi, item alii, in quibus Attali, Procli, Ruffini, Vari ϛρατηγίαι, h. e. præturæ ſignantur. Poſtremo quid ἐπιμεληταὶ & ἐπιϛάται ſibi in veteribus nummis velint, exponitur, nempe ἐπιμελητὰς ſignificare, quibus extraordinaria aliqua loci cujusvis vel oppidi cura ſit demandata ſtatuitur: ἐπιϛάτας, quibus quæcunque cujusvis rei inſpectio, eſſet concredita, unde addatur haut raro, cujus rei ſint ἐπιϛάται, quibus hic titulus tribuitur; ex. c. ἐπιϛάτης τεμένȣς &c.

Atque hic quidem ſubſiſtit Opus multivaria doctrina refertiſſimum, lectu jucundiſſimum, uſu maximum, hoc magis ſtupendum, quod ea ætate, eo vitæ genere, in medio aulæ ſtrepitu, inter publicorum negotiorum ampliſſimos cumulos, a Viro incomparabili huc usque deduci potuerit. Quod finem facientes optamus, hoc eſt, ne ad finem haut perductum opus, qua parte deficit, majus eruditis deſiderium, quam qua ſpectatur, admirationem omnibus Apelleæ Veneris exemplo injiciat.

RATIOCINIORUM MECHANICORUM IN MEDIcina Usus vindicatus, per CHRISTIANUM STRÖM.

Lugduni Batavor. apud Andream Dyckhuysen, 1707, in 8. Plag. 4.

RAtiociniorum Mechanicorum in Medicina usum *Autor* vindicaturus, ante omnia eos ignorantiæ arguit, qui Mechanicorum nomen fabris solummodo lignariis competere scribunt, quasi rerum Mathematicarum periti alios tali indigitarent titulo, quam qui præter pondus, mensuram & numerum, quibus Numen Divinum cuncta constituit, cum in rebus corporeis, tum in corpore speciatim humano, nequaquam concipere valeant. Nec illorum æquiorem censet causam, qui ex antiquitatis amore ratiocinia Mechanica unice aversantur, quod veterum Medicorum princeps, *Hippocrates* Thessalo filio in epistola quadam multum Geometriæ & numerorum scientiæ studium luculentissime commendaverit, veterumque Græcorum præcipua medendi ratio Mechanica extiterit. Recentiorum tamen scientiam Geometricam propter multa seculo elapso detecta nova perfectiorem expendens, quam Hippocratis, a Democrito haustam, ad Chemicos quosdam delabitur, qui scientiæ suæ autoritatem in theoria Medica adversus Mechanicos, in specie *Archibaldum Pitcarnium* & *Hermannum Boerhave*, omnibus tueri modis allaborant. Hos siquidem considerare jubet, quid ratiocinium Chemicum a Mechanico habeat diversi, dum Chemica non nisi ars sit, corporum naturalium compagem & texturam explicandi, explicatamque componendi. Chemiam quippe a Mechanicis neutiquam ex Medicina proscribi, sed ab his tantummodo exigi, ut ne Chemici sua ratiocinia, quamvis vere Mechanica, cum illis confundant, quæ machinæ nostræ organis sunt propria, eademque temere ad theoriam Medicam applicent instar eorum, qui cordis motum ab effervescentiis, musculorum contractiones ab acidi & alcali conflictu, ciborum in ventriculo dissolutionem a liquore acri, aut fermentatione vera, humorum

humorum diversorum in glandulis diversis secretiones a fermentis olim derivarunt. *Robertum Boyle* itaque extollit, quod, licet ipse Chemicus præstantissimus, omnia tamen ad normam, non principiorum Chemicorum, sed legum Mechanicarum examinans exemplum reliquerit, in motuum machinæ nostræ explicatione unice ad principia Mechanica confugiendi, in casu vero, quo medicamentorum desideratur confectio, Chemicam consulendi. Et quamvis Mechanicorum nonnulli fortasse in ægrotis restituendis infeliciores fuerint, veriorem nihilominus eorum cognitionem tanquam effectus hujus causam jure culpari, eo magis negat, quo plura sæpius obstacula intervenire possint, & quo minus ipsi soli excidere soleant scopo. Quin imo ad morbos oculorum, aurium, aliarumque partium provocat, Mechanicorum industria promtius, quam aliorum levatos, postquam varii generis lentes polire, tubos surdorum auribus aptare, atque adscititiis membris munia obire læsa docuerunt. Quodsi vero majora ab iis, qui naturæ se leges exactius scire gloriantur, quam ab aliis, postulentur, regerit Noster, quoad successum in agendo inter naturæ legum gnaros & ignaros vix multum haberi discriminis, ceu quod ex voluptate magis, quam utrique ex opere suo percipiunt, atque in agendo fiducia debeat æstimari. Tandem in eos, qui Mechanicorum ratiocinia æque inconstantia proclamant, ac objecta eorundem mutabilia, multum invehitur, cum ratiocinia ideo vera esse non desinant, etiamsi a prudenti Mechanico pro necessitate immutentur. Si quæ vero inter artis peritos diversitas reperiatur, eam cum aliis sectis communem non vitio scientiæ, verum temporum & subsidiorum adscribit defectui, quo multæ machinæ nostræ proprietates latuerint, usque recentissimorum demum labore fuerint detectæ. Neque ullus dubitat, quin Medici posthac eadem industria in corporis nostri inquisitione pergentes, multa in nobis reprehensione digna sint deprehensuri. Causam interim eorum haud agit, qui scientiæ Mechanices prorsus ignari tam pulchro nomine velint superbire, hypotheses aut rectius hypothesium simulacra fingentes, quibus intricatissima quævis expedire se posse ignorantibus persuadent,

 cum

cum ſimpliciſſimorum nihilominus phænomenorum cauſas per mille deducant ambages. Ut character tamen innoteſcat, quo Mechanici ab hiſce diſtinguendi veniant, Mechanicis adjudicat, cauſas rerum, non pro arbitrio, ſed inſuperabili quadam neceſſitate adſumere, easque non creare, ſed creatas invenire, in extenſo figuram, molem & motus velocitatem conſiderando, legesque itidem immutabiles experimento multiplici habere perſpectas; in rebus autem magis arduis, ubi ſibi ipſis non ſufficiant, judicium non minus ſuſpendere, donec de certioribus conſtet, ac dubia pro certis nunquam venditare.

ANALECTA GÜSTROVIENSIA,

h. e.

DE INCLYTA MECLENBURGENSIUM CIvitate GüSTROVIA Monumenta edita a FRIDERICO THOMAS, Gymnaſ. Güſtrov. h. t. Sub-Rectore.

Güſtroviæ & Lipſiæ, ſumptibus Joh. Henr. Ruswormii, 1706, 8.

Conſt. alph. 1. plag. 2½.

IN antiquitatibus verſatiſſimus hujus libri Autor magno ſtudio e variis editorum pariter ac ineditorum documentorum latebris conquiſivit, quæ ad notitiam antiquariam & literariam Güſtroviæ urbis faciunt, omniaque continuo rerum ac annorum nexu ita hic diſpoſuit, ut paralleliſmus quidam Hiſtoriæ Meclenburgicæ inde appareat. Et ne quis forte de fide atque auctoritate dictorum dubitet, Clarisſimus Vir neque autores, quos in arduo hoc argumento tum ex domeſticis, tum ex peregrinis conſuluit, ſuo loco tacet, neque privata ſchediaſmata aliaque ex Archivo ſibi communicata inſtrumenta & fragmenta diplomatum priſcorum, quibus uſus eſt, & quæ fidem rebus narratis abunde faciunt, diſſimulat. Tribus autem periodis abſolvit omnia, quæ ad notitiam rerum Güſtrovienſium faciunt; qua-

quarum prima agit de Güstroviæ primordiis & de conditoribus, qui prima urbis hujus fundamenta jecerunt. Ubi equidem in primi qualiscunque fundatoris personam frustra inquiri arbitratur, ex ipsa tamen nominis impositione patere asserit, Güstroviam originem suam primam Slavis antiquis ac Venedis debere, cum ipsa appellatio Güstroviæ aliarumque in illis terris urbium Slavismum redoleat. Quemadmodum enim in ipsa Sarmatia posteaquam a Slavis cœpit inhabitari, frequens ea oppidorum remansit denominatio, quæ in *owa*, *owe*, *ow*, Slavico more terminatur, ut *Gracow*, *Warschow*, *Jaworow*, *Ostrow*, *Rostow*, *Zarnow*, *Grabow*, &c. ita nec apud nos (inquit Auctor p. 2) ejusmodi denominationis desunt vestigia, e. g. *Cracow*, *Tetrow*, *Malchow*, (olim *Malokowe*) *Buckow*, *Bützow*, *Grabow*, *Ilow*, *Güstrow*, &c. Imo ex Polonico seu Wendico idiomate, & ex vetere scribendi consuetudine, quam tabulæ & diplomata antiqua referunt, *Güzstrow* s. *Güzstraw* forsitan conflatum esse putat e composito *Guz-trawa*; *Guz* autem s. *Gus* gibbum, tuber seu tumulum, & *Trawa* gramen Polonico sermone denotat, quasi primis conditoribus hic locus ob gramineos colles arrisisset, indeque appellandi ansam dedisset. Verum quemadmodum ejusmodi conjecturæ valde fallaces sunt, ita nec inde de antiquitate certa ac memoria urbis plura verisimiliter colligere licet, sed ex omnibus Annalium conditoribus patet, vix ulla de Güstrovia ante seculum XII aut nominis, aut memoriæ occurrere vestigia. Conversio autem Güstroviensium ad Christianismum plene ac proprie, eliminato paganismo, anno 1128 cœpit, & ab Oriente pariter ac Occidente illuxit, quam non quidem ipse Episcopus & Pomeranorum Apostolus, Otto, suscepit, sed per suos in societatem itineris & operis Apostolici adscitos administros, qui bini fuerunt sacerdotes, ad prædicandum baptizandumque ordinati, Siffridus alter (Siegfried, Sievert) alter Albinus nuncupati, peregit.

In secunda periodo rerum Güstroviensium Clarissimus Auctor agit de Güstroviæ incrementis, ostenditque, excidium Slavorum Wendorumque exeunte seculo XII nova plerisque Civitatibus Meclenburgicis in Republica ac Politia dedisse incrementa, no-

ta, novis ubique introductis statutis, juribus & privilegiis; insignem autem ac primariam Güstroviæ instaurationem atque amplificationem anno 1219 sub Henrico Burevino II (qui speciatim tribus hanc urbem modis, nempe aula Principali, jure Civitatis Teutonicæ & basilica sacra ornavit) ac postea sub Principe Nicoloto I anno 1228 factam fuisse narrat, inter causas istius incrementi potissimum referens rem cerevisiariam & potum generosiorem, qui Güstroviæ coquitur & vulgo *Knisenak* (quod Slavico idiomate Domini potum ein Herren-Bier significat) appellatur.

Tertia periodus hujus historiæ complectitur Güstroviæ ornamenta, quæ si non omnia, tamen vel maximam partem civitas Meclenburgensibus Ducibus debet, ex quo illi Principatu veteris Vandaliæ tandem potiti sunt. Inter cæteros autem Duces merito nominandus est Henricus Pacificus, quippe qui tota mente omnique studio in id incubuit, ut abolitis Pontificiorum dogmatibus Sacra in ecclesiis Meclenburgicis redderentur puriora & ad divinæ veritatis amussim exactiora. Hinc etiam accidit, ut Güstroviæ sub ejus auspiciis anno 1533 negotium Reformationis Ecclesiasticæ non tantum feliciter cœperit, sed & postea, quicquid adhuc renati Evangelii cursum ex malitia cacodæmonis & Canonicorum Güstroviensium renitentia sufflaminaret, sublatum fuerit. Non minus etiam inter ornamenta Güstroviæ refertur ab Auctore emendatio judiciorum rerumque forensium, in quibus constituendis ac restaurandis Duces Meclenburgici maxime usi sunt opera Joh. Lucani, JCti & Cancellarii, dum vivebat, longe celeberrimi. Inprimis vero Auctor ea ornamenta ac æterna in Rempubl. & Ecclesiam merita, quæ civitati huic & olim a Duce Ulrico, Nestore illo Germaniæ, concessa, & post eum a Gustavo Adolpho profecta sunt, verbis suis exprimere satisque laudare nequit; unde sub finem hujus periodi Joachimi Ottonis, Rectoris in Gymnasio Güstroviensi fidelissimi, Orationem Panegyricam de Fatis Güstroviæ, anno 1701 habitam, subnectit, quæ superius dicta confirmat.

Coronidis loco adjectus est duplex Catalogus; alter Genealogicus est, & Sereniss. Ducum Meclenburgensium, ex re-

ex Regia Obetritarum prosapia descendentium seriem Genealogicam a Bilungo Rege, qui seculo X inclaruit, ad nostra usque tempora velut in tabula repræsentat; alter autem est catalogus biographicus personarum, de Ecclesia & Politia Güstroviensi a tempore auspicatæ Reformationis ad nostram usque ætatem præclare meritarum, qui in classem *Theologicam* ac *Politicam* ab Autore distribuitur.

GERHARDI NOODT, JCTI ET ANTECESSORIS, Observationum Libri duo, in quibus complura Juris Civilis aliorumque Veterum Scriptorum Loca aut illustrantur, aut emendantur.

Lugd. Batav. apud Fred. Haaring, 1706, 4.
Alph. 1. plag. 3.

Quantum Jurisprudentia civilis & literæ elegantiores sibi invicem lucis atque emendationis subinde afferant, legum & litterarum periti quotidie deprehendunt. Celeberrimus Antecessor Lugdunensis, *Gerhardus Noodt*, postquam Probabilium juris libros IV hujus rei testes jam A. 1691 edidit, superiore anno novis eam speciminibus comprobavit. Nos ut quatuor illos libros in Actis dicti anni, mense Junio, justo studio exhibuimus, ita ex duobus quoque his si nonnulla decerpamus, operæ facturi sumus pretium. Modestini locus in leg. penult. D. ad Legem Cornel. de Sicariis & Venef. non immerito in mendo cubare potest judicari, quod deportari solere dicantur, qui cædem sponte dolove malo admiserunt in honore aliquo positi, capite vero puniantur, qui secundo gradu sunt. Nam in secundo quoque qui sunt gradu, quidni in honore aliquo & ipsi positi dicantur? Emendat textum exigua mutatione, dum pro honore aliquo honore alto reponit: quemadmodum Marcianus l. 3. §. 5. D. ad L. Cornel. de Sicariis expresse testatur, *altiores deportari in insulam.* Notum est, quantas difficultates pepererit Criticis communis lectio legis 9. D. de Leg. Rhodia de jactu, secundum quam Eudæmon queritur, se in Italia naufragium passum in Cycladibus insulis a publicanis,

nis, vel ut alii vertunt, a servis publicis spoliatum esse, cum inter Italiam & dictas insulas immane intercedat intervallum. Quas non infeliciter superasse videtur Vir celeberrimus, quando Libro I. c. 13 ex Livio & Plinio conjicit, pro Italia substituendam esse *Æthaliam*, probabilius sane, quam ante eum jam alii loco Italiæ Icariam legendam existimaverant. Ita l. 45. §. 5 feliciter emendat Libro II. c. 6 ac legendum monet; *vereor ne non possit*, ubi vulgares editiones habent *vereor ne possit*, plane contra sensum & mentem Ulpiani. Erudite etiam eodem Libro cap. 9 & 10 refutat Salmasium, qui circa ἀντίχρησιν JCtos ignorantiæ accusaverat, eorumque definitionem, qua mutuum pignoris usum hac voce exprimi contendunt, ex ipsis, quibus Salmasius eam impugnaverat, legibus tuetur egregie. Quomodo aliis locis juris civilis medelam aut lucem attulerit, prolixum nimis foret commemorare; singula fere capita specimina nova exhibent, quæ iis, qui amœnitates Jurisprudentiæ ex æquo æstimant, non poterunt non abunde satisfacere, eosque ad lectionem operis elegantissimi allicere.

LIBRI NOVI.

De veteribus Regum Francorum Diplomatibus & arte secernendi antiqua diplomata vera a falsis Disceptatio II, ad R. P. D. Joannem Mabillonum, Mon. Ben. Auctore P. Barthol. Germon. S. J. Presb. Paris. apud Claud. Rigaud, 1706, 12.

Vindiciæ MS. Codicum a R. P. Barthol. Germon impugnatorum cum appendice, in quo S. Hilarii quidam loci ab Anonymo obscurati & depravati illustrantur, & explicantur. Auctore P. Petro Coustant, Presb. & Monach. Ord. S. Bened. e Congr. S. Mauri. Par. apud Viduam Franc. Muguet, 1706, 8.

L'Histoire & la Religion des Juifs depuis Jesus Christ jusqu'à present, pour servir de suplement & de continuation a l'Histoire de Joseph. Par Ms. Basnage. Tomes V. A Rotterdam, chez Reinier Leers, 1707, 12.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Junii, Anno M DCC VII.

LA SAINTE BIBLE, &c.

h. e.

BIBLIA SACRA, VETUS ET NOVUM TESTAmentum complexa, illustrata notis Theologicis & Criticis, ad Versionem Ecclesiarum Reformatarum communem: comparata cum textu originali, dictione etiam passim emendata. Accedunt præfationes in singulos libros: & duæ præfationes generales in Vetus & Novum Testamentum. Studio DAVIDIS MARTINI, Ecclesiæ Wallonicæ, quæ Trajecti ad Rhenum est, Pastoris. Tomi II.

Amstelæd. apud Henric. Desbordes & Socios, 1707, fol. Alphab. 18, pl. 18, & Fig. æn. 6. ch. aug.

VErsio Gallica Bibliorum Genevensis, a Roberto Olivetano primum adornata & Neocomi anno 1535 edita, varia fata subiit, ut magis magisque pura & ædificationi Reformatarum Ecclesiarum accommodata evaderet. Joannes Calvinus, qui præfatione præmissa eam commendaverat, paulo post, die diem docente, varios ejus emendare errores conatus fuit, & linguæ quoque barbariem emollire, ut expedite magis legeretur ab omnibus, quod factum nova editione, A. 1553 Roberti Stephani typis evulgata, & identidem repetita. Auctæ variæ illæ editiones notis fuerunt, quas paucas initio & versioni tantum illustrandæ inservientes alleverant Olivetanus & Calvinus, plu-

res inde, qui sequentibus editionibus præfuere, ex Scriptis Calvini adjecere, ea libertate, ut nulla editio alteri similis hac parte existeret, optimo tamen habito notarum delectu, si fides Richardo Simonio, in editione Henr. Stephani anni 1565. Hinc porro Cornelius Bertramus denuo reformandam hanc versionem putavit, socias manus ei commodantibus Theod. Beza, Rotano, Jaquemoto, & Goulartio, quem tamen plus quam par est Judæorum Grammaticorum præjudiciis deditum esse fuit observatum, cujus inde temporibus, nihil magnopere in versione Genevensi immutatum fuit, nisi quod voces exoletæ, quarum quotidie excrescere messis solet in illa linguæ Gallicæ inconstantia, identidem eliminarentur. Sane Samuelis Maresii, Theologi Groningensis, luculenta, imo splendida editio, ab Elzeviriis adornata Amstelædami A. 1669, in versione ipsa nihil mutavit, notas tamen amplissimas ex Diodati aliorumque Versionibus Genevensibus & recentioribus Theologis excerptas, non litterales tantum & Criticas, sed majorem partem Theologicas exhibet, in quibus ἀκρίβειαν passim desiderabant doctiores. Ut mirum non sit doctissimum Martinum autoritate Synodi Ecclesiarum Walonicarum in Belgio de novo hoc campo decurrendum sibi duxisse. Ille, quantum ad versionem attinet, non tantum ut tersa magis ea existeret, passim effecit, verum etiam ubi phrasis Ebræa Græcave alium sensum suaderet, eum exhibuit. Notæ haut paulo magis Maresianis sunt castigatæ, ut ipsæ tamen etiam non semper inter istos limites se contineant, ut, phrasi scripturæ sufficienter explicata, sensum judicio lectoris, sine præjudicio eruendum, relinquant, quin potius Theologicis dogmatibus, nonnunquam ex præjudiciis Ecclesiarum illarum stabiliendis, passim impendantur. Ut pauca speciminis loco attingamus, ad verba illa: Spiritus Dei movebatur super aquas, observat, *Ventum Dei*, h. e. magnum intelligi non posse, quoniam ventus sit aer agitatus, aer autem die secunda demum sit conditus. Ideoque relinqui, ut vel potentia Dei, vel tertia Trinitatis persona intelligatur. Eodem loco vocem *balleines* retinuit, qua Ebræam תנינם ab Olivetano redditam ægre tulerat Simonius, subjecta tamen nota observavit, omne

Genes. I, 2.
Genes. I, 21.

omne genus monstrorum marinorum ea voce comprehendi. Genes. cap. II. commate 6 cum Maresio negativam particulam in verbis *neque adscendit vapor* retinet, (quam tamen neque Ebræi codices neque versiones antiquæ agnoscunt, neque adeo Olivetanus expresserat,) per ellipsin deesse eam particulam contendens, ut Psal. XXXV, 19. Proverb. XX, 3. Phrasin, ridicula quæ visa fuerat in editione Maresiana Simonio, de Noæ arca: *Tu la calfutreras de goudron*, retinere non dubitavit, repudiata meliore Olivetani & Calvini: *Tu la poisseras de poix.* Gen. VI, 14.
Phrasin, qua dicitur *Deus indurare* Pharaonem, explicat de non concessa gratia ad cognoscendum Deum, & miraculis, Exod. IV, 21.
magis furorem Pharaonis exacerbantibus. Non absimilis nota est ad Actus Apostolicos, qua explicat verba, quibus credi- Act. XIII, 48
disse dicuntur ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι, ubi retinuit versionem antiquam: *tous ceux qui etoient ordonnéz à la vie eternelle*, quod commodius forte verti notat: *enrolléz pour la vie eternelle*, hisque verbis decretum electionis innui docet, quod directe vitam æternam spectare inde sit manifestum, atque adeo electos vita æterna excidere, atque perire haut posse. Sed & voces passim hypothesibus suis præter usum accommodat, quemadmodum in epistola ad Romanos vocem προγινώσκειν non de *præscientia* explicari patitur, sed de *prædilectione*, quæ fundamentum VIII, 28.
sit electionis. Taceo alia ejus generis infinita. Ceterum quandoque Codicum diversitates observare non veretur. Neque enim omissam in haut paucis adulteræ historiam Joannis VIII, dissimulat, neque testimonium trium testium in cœlis 1 Joh. V, 8. In illustranda tamen novis observationibus vi & proprietate phrasium sacrarum rarior est, & non nisi ubi summa urgere necessitas videretur, & fere invitus, a versione priore discedere audet, licet haut paulo plus luminis exigua mutatione quandoque sensibus sacris affundi potuisset.

RELATION DE CE QUI S' EST PASSÉ DANS l' Affaire de la Paix de l' Eglise sous le Pape Clement IX.

i. e.

NARRATIO EORUM, QUÆ AD PACEM Ecclesiæ sancitam sub Clemente IX spectant; una cum epistolis, actis publicis & monumentis aliis huc pertinentibus. Tomi II.

Anno 1706, in 12.
Alph. 2. plag. 5.

QUam in Actis A. 1701 p. 289 recensuimus, Historia Jansenismi generalis non minori accuratione & studio continuata præsenti libro cernitur, quo pax inter Jansenii defensores & Romanam Curiam A. 1669 constituta describitur; ad hanc enim Janseniani, quoties recentioribus Pontificum Decretis urgentur, iterum iterumque provocant, adversariis eorum, atque inter alia D. du Mas, auctore Historiæ V Propositionum, & Archiepiscopo Cameracensi acriter contranitentibus. Atque contra hos quidem Præfatio prolixa potissimum pugnat, multisque argumentis probat, Episcopos Gallos Jansenio faventes, qui ea tempestate concordiam cum Pontifice inierunt, non malis artibus usos esse, aut sententiam suam dissimulasse, vel Pontifici vagis locutionibus palpum obtrusisse, huic etiam de tota re satis superque constitisse, neque præcipitanter vel imprudenter Episcopos Gallicanos ab eo in amicitiam receptos esse, id quod plurimis hinc inde petitis argumentationibus semel iterumque inculcatur, & Cameracensi præsertim Præsuli, quod Episcopos vitæ sanctimonia clarissimos fraudis arguere veritus non sit, exprobratur.

Tomus prior, cui etiam *Relationis primæ* titulus datur, repetit in primordio, quod post imperatam ab Alexandro VII Pontifice subscriptionem formulæ, qua Jansenii Augustinus condemnatur, Episcopi quatuor, Aletensis, Apamiensis, Bello-vacensis

vacensis & Andegavensis, omnes fama probitatis excellentes (quorum primus etiam Sancti elogio inter vivos exornatus,) Mandata Diœcesana publicaverint, quibus factum a jure discernentes, non aliud quid quam reverentiam facto a Pontifice definito deberi, fidem vero in tali casu imperari non posse docuerant. Pontifex, impellentibus Jesuitis, ad condemnandos hos Episcopos alios quosdam judices constituerat, idque Decretum post Alexandri VII obitum confirmaverat Clemens IX, adeoque res jamjam in nervum erumpere videbatur. At Episcopi quidam extra litem positi, qui idem sentiebant, sed modestius in condemnationis negotio se gesserant, cumprimis Senonensis, Meldensis & Cabillonensis, causam auctoritatis Episcopalis agi credentes, Epistolam gravem admodum ad Regem & Pontificem conscribebant, qua litem quatuor istis intentatam aboleri petebant. Hanc Epistolam XIX Episcopi fama & meritis florentes subscriptione nominum roboraverant; at Jesuitarum artibus factum est, ut a Rege non rejicerentur solum literæ, sed Parlamenti etiam censura impeterentur, qui tamen ardor paulo post, Senonensi Præsule & Cabillonensi prudenter resistentibus, deferbuit.

Dum hæc ita evenirent, Bargellinus, Nuntius Papæ, Parisios appellebat, vir moderatus, & ad componendam litem istam ut proclivis animo, ita ab Administris Curiæ Romanæ instructus; hujus ope ad pacem procurandam usus est Senonensis Præsul, amicitiæ fœdere cum eodem prius sancito. Missæ erant ad eundem Legatum Bullæ Romanæ, quibus Ritualis liber Episcopi Aletensis & Novi Testamenti Translatio, Montibus Hannoniæ typis exscripta, condemnabantur; at ille persuaderi se passus est, ut utramque in scriniis asservaret, a promulgatione sibi temperaret. Hæc summa primæ Relationis, in quam Auctor non exiguam copiam Epistolarum aliorumque scriptorum notatu dignissimorum contulit, e quibus nervus controversiæ quam accuratissime cognosci possit, v. gr. XIX Episcoporum querulas ad Papam literas, p. 40, sequ. IV Episcoporum ad eundem querelam, p. 57, sequ. A. Arnaldi scitissimam Epistolam ad Regem contra criminationem Præsulis Eburodu-

 nensis,

nensis, p. 255, quam ingeniis aulicis apprime placuisse, atque inter edecumata specimina eloquentiæ prudentioris relatam esse legimus. Additur Tomo huic fasciculus similium schedarum, maximam partem contra potestatem Pontificis nimiam scriptarum, inter quas ultimo loco legitur Episcopi Pontiopolitani Epistola ad Cameracensem Archiepiscopum, excusans XIX Episcopos, ex quorum numero solus ille superest, & Cameracensem serio reprehendens, quod novum Ecclesiæ jugum recentioribus libris suis obtrudat, dum Pontificis circa facta nova, quæ ad doctrinam reduci possunt, decreta fide divina accipienda atque colenda esse, propugnat.

Sunt alia notatu non indigna, quæ in priori hac Parte sparsa leguntur, quorum nonnulla enotabimus. Quid litis Episcopo Apamensi cum Jesuitis de absolutione peccatorum, scelerum licentia abutentium, fuerit, enarratur p. 207 seq. Cumprimis vero historia Translationis Novi Testamenti, quæ a loco editionis Montensis dicitur, p. 226 seqq. copiose per quam exposita legitur; quantum laboris ac curæ iteratis in eam operis sit impensum ab Arnaldo, Sacio aliisque; quo pacto Amelotius suam Translationem, quam a Clero Gallicano imperatam sibi ferebat, editurus, (cum plagio literario multa, ut hic quidem pronuntiatur, e Montensi Translatione surripuisset) & privilegii Regii impetrationem & editionem ejus Parisiensem impedierit; qua ratione Sacius carceri addictus fuerit, Præsulesque Parisiensis & Eburodunensis Translationem Montensem editis stylitevticis literis proscripserint. Nervum Epistolæ Pastoralis, qua Aletensis Episcopus respondere ad condemnationem Libri sui Ritualis machinabatur, p. 302 seq. formulis non adeo Pontifici Romano æquis expositum legimus: cujus generis formulæ de immensa Jesuitarum in Pontificem ipsum potentia etiam p. 313 leguntur.

Altera Pars Historiæ pacis Jansenianæ sequentia enarrat. Qui curam ineundæ pacis susceperant, Præsules tandem iniere consilium, ut quatuor Episcopi Romæ exosi, sepositis Mandatis Diœcesanis, iterum subscriptionem formulæ a Pontifice imperatæ in Diœcesibus suis procurarent, præmissa privata consignatio-

gnatione eorum, quæ in Mandatis iſtis publice dixerant. Id primum Aletenſi Epiſcopo parum probabatur, metuenti cumprimis, ne ad alia & majora adigerentur; tandem, poſitis aliquot conditionibus, conſenſit, atque una cum illo tres ſocii, quippe qui illi tantum non omnia deferebant. Eundem Præſulem, ut Lutetiam veniret, monebat Arnaldus, maximam in ejus præſentia ſpem ponens; at ille multis de cauſis iter hoc recuſavit. Interea Jeſuitæ omnem movebant lapidem, ut conſtituti judices cauſam IV Epiſcoporum diſceptarent, quorum plerique ea de cauſa Lutetiæ jam hærebant. Rei vero Circularem Epiſtolam notatu digniſſimam edebant, judicium illud prorſus detrectantes, quam Jeſuitæ, opitulante Tellerio, Cancellario, condemnandam auctoritate Regia curabant. Interea Præſules pacis pararii, Nuntio Pontificis conſentiente, literas ab A. Arnaldo conſcribi curabant, quas IV Epiſcopi reconciliationis cauſa ad Pontificem mitterent. Hæ cum Nuntio & Miniſtris Regiis placerent, miſſæ ſunt ad Aletenſem, qui mutari quædam in illis acriter poſcebat, neque ſe permoveri, ut ſubſignato nomine ſuo eas confirmaret, paſſus eſt; donec epiſtolis patheticis ultro citroque miſſis eo perduceretur. Nuntius acceptis literis Regi nuntiabat, ſancitam eſſe Eccleſiæ pacem, Epiſcopos in gratiam Papæ receptos. Ea res multis gaudium, Jeſuitis non leves cruciatus excitabat, maxime quod ipſis plane inſciis tanta res eſſet confecta. Igitur omnibus machinis adorti ſunt Nuntium Pontificis, eumque tandem permoverunt, ut facta infecta, & Epiſtolam IV Epiſcoporum Senonenſi Præſuli reddere conaretur, illoque renitente ſculpello eam diſcinderet. Tandem rediit tabellarius Romam miſſus, & Pontificis Decretum, quo pax firmabatur, attulit, qua re factum eſt, ut Nuntius, imo Rex ipſe, Arnaldum, hactenus in Pathmo ſua deliteſcentem, parario Senonenſi Præſule, ad amicum colloquium admitterent, ipſeque Sacius carcere liberaretur.

Quæ ſequuntur alio Auctore ſcripta aſſutaque prioribus ſunt. Narratur hic cataſtrophe negotii. Pontifex, malevolorum artibus excitatus, male ſuſpicari de quatuor Epiſcopis cœperat,

perat, sed comperta re omni tandem literas conciliationis indices ad eosdem exaravit. Monialium Portus Regii causa, etsi magno cum earum detrimento, postremum tamen ad finem perducta est, & sacrorum usus ab Archiepiscopo Parisiensi, quem pertinacissimum hostem habuerunt, ipsis restitutus. Stetit pax ista aliquot annis, cum inter alios Andegavensis Episcopus inter varios assultus eam defenderet, donec postrema Clementis XI contra Jansenianos Bulla, contra quam multa nostri scriptoris querela est, penitus dissolveretur.

Continentur secunda hac Relatione multæ etiam Epistolæ lectu dignissimæ, cum monumentis aliis ad istam Historiam facientibus, præsertim illæ, quæ a Senonensi aliisque Præsulibus ad Aletensem missæ sunt. Plura vero hujus farinæ proponuntur in manipulo ad finem ejus annexo, interque alia Episcoporum Andegavensis & Bellovacensis formulæ, quibus subscriptionem denuo procurarunt Pontificis ad Regem & Episcopum Cabillonensem super isto negotio literæ.

Sunt & in hac altera Parte memorabilia multa. De Arnaldi libro de perpetuitate fidei contra Claudium singularia quædam leguntur p. 313 seq. interque alia, Turennium, notissimum heroem, ejus libri, antequam ederetur, perlectione ad mutanda sacra amplectendumque Romanæ Ecclesiæ obsequium permotum fuisse. De vita, moribus & gestis Sacii, defensoris Jansenii, multa p. 334 seqq. leguntur. Enotabimus præ ceteris, quæ p. 425 de nummo in pacem Jansenianam cuso enarrantur. Nummus, auspiciis Colberti signatus, antica parte repræsentat Regem Ludovicum XIV, postica aram, cui imposita sunt S. Biblia cum sceptro & clavibus Pontificiis, columba radiis circumdata cœlitus descendente, cum lemmate: RESTITUTA ECCLESIÆ GALLICANÆ CONCORDIA. 1669. Masius, qui Historiam V Propositionum contra Jansenianos edidit, affirmaverat publice, invito Rege monetam hanc conflatam, urgenteque Pontificis Legato abolitam fuisse. Huic Auctor noster ita respondet, ut & auctoritatem nunusmatis rationibus validissimis muniat, & Masianam narrationem qua circumstantias omnes convellat.

BIBLIO-

BIBLIOTHECA CRITICÆ SACRÆ CIRCA OMNES fere ſacrorum librorum difficultates. Opus plurimorum annorum ex veterum Patrum traditione, probatiorum interpretum curis, clariorum Criticorum judiciis collectum a quodam Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum Religioſo.

Volum. I. Lovanii, apud Guil. Strykwant 1704, in fol. Alphab. 4, plag. 16.

II. ibidem, apud eundem, 1704, in fol. Alphab. 4, plag. 13.

III. Bruxellis, apud Jo. de Smedt, 1705, in fol. Alphab. 4, plag. 15.

IV. ibidem, apud eundem, 1706, in fol. Alphab. 4, plag. 21.

Libri, quem hic exhibemus, Autor eſt R. P. *Cherubinus a S. Joſepho*, Carmelitarum Diſcalceatorum Provinciæ Aquitaniæ Ex-Provincialis, qui etſi modeſtiæ ſtudio nomen ſuum titulo haut præfixit, Dedicationi tamen, quæ imaginem & nomen CLEMENTIS XI. Pont. Max. præ ſe fert, illud ſubſcribere non dubitavit. Molitur ille, ut eorum commodo, qui divinarum litterarum ſtudio ſe conſecrarunt, egregie inſerviret, opus ſplendidum, magnum, ac duodecim Voluminibus, imo pluribus forte, abſolvendum, quorum priora quatuor cum nuper modo ad nos fuerint perlata, non poſſumus, quin jam de iis certiores reddamus Lectores noſtros, ut nec cauſarum, quæ Autorem ad ſcribendum impulerunt, nec rerum, quas pertractandas ſibi ſumſit, nec methodi, quam ſequitur, penitus eſſent ignari. Cauſas, quibus adductus fuit, ut tantum opus aggrederetur, *Cherubinus* noſter habuit varias, inter quas tamen illa eminet, quam in ipſa Præfatione expoſuit prolixius. Nimirum

mirum inter ceteras ordinis, cui Autor adscriptus est, leges illa quoque locum invenit, quæ præcipit, ut *Fratribus, studiorum cursum confecturis, tres anni Philosophiæ, tres Theologiæ, unus saltim doctrinæ moralis & Sacræ Scripturæ gustandæ concedatur;* cujus decreti observationem ut promoveret capitulum, quod vocant, generale, Romæ aliquot abhinc annis celebratum, modum illum præscripsit, ut in qualibet Provincia quædam semper esset domus, in qua ad id electi Professores Theologiæ morali & Sacræ Scripturæ omnem impenderent operam, constituta pœna singulari, cui nusquam in aliis sanctionibus similem haberi Noster fatetur, quod, qui Scripturæ ac moralis doctrinæ studium non perfecissent, neque ad Lectoris, neque ad Concionatoris aut Confessarii officium, multo vero minus ad Prælaturas in ordine admitterentur. Cum vero hujus decreti executionem difficillimam esse adverterent Superiores, nisi de communi aliquo opere tum Scripturæ studiosis necessario, tum ipsis eorum magistris commodo providerent, in quo ea omnia, quæ ad Scripturæ & Theologiæ studium inchoandum, prosequendum ac consummandum sufficerent, fuse ex probatioribus Autoribus quibuscunque colligerentur, sub gravissimi peccati obligatione tantum onus *Cherubino* imposuerunt, præsertim cum ab annis tringinta quinque Scripturæ studium ab ipso nunquam dimissum non ignorarent, ac collectiones ad hanc rem utiles ab eodem jam paratas esse conjicerent. Hic itaque superiorum mandato repugnare hariolandi crimine majus existimans, operi se accinxit eo alacrius, quod amicis quibusdam Parisiis commorantibus ideam illius, quam ipsis ceu æquissimis censoribus obtulerat, adprobari omnino cerneret. Equidem bene noverat, non carere Ecclesiam innumeris fere summaque laude dignissimis Scripturæ, sive integræ, sive nonnullorum librorum interpretibus, nec deesse, qui scholastica fere methodo egregias ejus difficultates expenderent. Sed secum reputans, a nemine totius Theologiæ cursum fuisse expletum, aliis alia subinde observationibus suis accuratius exponentibus; opera, in quibus pulchriora circa Scripturam expenduntur dubia, ab autoribus non raro hæreticis scripta ac vix nota, aut linguis peregri-

regrinis consignata, aut sententiis Hebraicis Græcisve referta, ideoque ferme inutilia esse; nonnisi insigniorum Bibliothecarum esse privilegium, ut rarioribus ejusmodi abundent divitiis; non leve denique Scripturæ studiosis videri commodum, si, quæ in variis eruditorum commentariis sæpe ejusdem rei occurrant repetitiones, evitentur, &, quæ alibi sparsim traduntur, apte colligantur digeranturque, tantum abest, ut a suscepto semel labore se abduci passus fuerit, ut potius opus perficere ejusmodi sedulo allaboraverit, quod jure meritoque *Bibliotheca Critica Sacra* adpellari posset, ac omnes circa Scripturæ quæstiones in aliis sparsas commentariis difficultates apte complecteretur. Cuncta vero, quæ hanc in rem colligere potuit, tribus comprehendere Tomis constituit, quorum tamen singuli plura Volumina continebunt. Ita *primo Tomo* brevis ac facilis ad Scripturæ peritiam traditur præparatio & introductio, unde ipsi *Adparatus Biblici* nomen, quod erudito P. Lami etiam olim non displicuisse Autor noverat, imponere placuit. *Secundus* Tomus generalia & communia, quæ omnibus sacris & canonicis conveniunt Scripturæ libris, attinget, nec non generatim singularum editionum conditiones exponet. *Tertius* vero *Tomus* singulorum librorum proprias ac speciales rationes considerabit, eosque sigillatim percurret, & ad omnes aut præcipuas locorum singulorum difficultates se extendet.

Cum vero quatuor ista Volumina, quæ jam nobis ob oculos versantur, ad primum saltim spectent Tomum, ut illiustantum hac vice rationem habeamus, congruum esse credimus, nec ingratum Lectori fore speramus, si ea, quæ istis Voluminibus continentur, qua fieri potest brevitate, recenseamus, de reliquis plura dicturi, quam primum ad manus nostras pervenerint. Licet itaque Synopsin Operi præfixam videamus, in qua ea, quæ in Tomo primo pertractanda veniunt, tribus iterum Libris ac viginti Dissertationibus dicuntur esse comprehendenda, ordinem tamen & numerum istarum Dissertationum in ipsa tractatione paulisper immutatum advertimus, quapropter nobis rerum, quæ exponuntur, summam persequentibus ad synopses speciales cuivis Dissertationi atque Volumini additas ipsumque adeo opus erit potius respiciendum.

Primum itaque Volumen quinque Dissertationes complectitur, quarum *prima* proœmialis parænetica dicitur, quandoquidem ad sacrarum litterarum studium ipsis fere Patrum clariorumque virorum non modo sententiis sed etiam verbis adhortatur, & ita quidem, ut ea, quæ sedulam Scripturæ lectionem videntur prohibere, removeantur, ea vero, quæ ad illam alliciunt, maxime urgeantur. Illud ergo ut obtineat Autor, Scripturæ sublimitati & obscuritati illius perspicuitatem opponit, ac difficultatem tum pulchritudinis, tum suavitatis, qua gaudet, contemplatione lenire satagit. Hoc vero ut consequatur, Scripturæ dignitatem, collectis variis, quibus insigniri solet, nominibus propriis pariter atque symbolicis, extollit; utilitatem quam mirabiles innumerique ejus manifestant effectus, comprobat; necessitatem studii Biblici commonstrat; exempla eorum, qui lectioni Scripturæ diligenter dederunt operam, proponit, & dum ita non tantum sanctorum ac illustrium virorum, Regum ac Principum, mulierum puerorumque pietate insignium, sed etiam Judæorum meminit, digressionem de ritu Scripturam legendi in Synagogis eorum satis prolixam instituit; ac denique ad Patrum autoritatem provocat, qui ad Scripturæ studium alios ut adducerent, omnem moverunt lapidem; ubi iterum, digressionis in modum, partim iis respondet, qui Scripturam a Catholicis negligi, eamque ab illis ignorari autument, partim de Catechumenis in primitiva Ecclesia eleganter disserit, eosque ad sacrorum librorum lectionem admissos fuisse multis argumentis ostendit. Annectitur primæ huic Dissertationi Disputatio unica, appendicis quasi loco, quæ docet, qua animi præparatione ad Scripturæ lectionem accedendum sit, ea scilicet, quæ fide, ac Ecclesiæ in omnibus proprii judicii submissione, humilitate cordis, puritate, & rerum terrenarum contemptu perficitur. Ubi præterea de honore ac reverentia a Catholicis ei exhibita, de sanctis Evangeliis, de ritu legendi Scripturam in Ecclesia, aliisque circa Evangelii usum & abusum plura traduntur; Hæreticorum, quos vocat, in Scripturam S. injuriæ attinguntur, ac ultimo loco de fine lectionis seu studii

Scripturæ

Scripturæ agitur. *Secunda* Dissertatio *prodroma* appellatur, quod his, quæ in sequentibus quampluribus voluminibus complecti Autor decrevit, veluti præcurrit, & generalem Scripturæ notitiam tradens ad speciales ac difficiliores quæstiones animum præparat, omniaque fere, quæ ad studii ejus initium ac progressum maxime necessaria videntur, certis quibusdam indicibus complectitur, ut tyronem ad illud accendat, simulque memoriam juvet. Continet autem partes quatuor, in quarum prima quid Scripturæ S. studium expetat, indicibus numerò viginti sex designatur, adeoque de librorum sacrorum variis nominibus, divisionibus, versionibus, nec non ordine, lingua, qua scripti primum sunt, aliisque, quæ huc spectant, agitur. Secunda pars circa ea, quæ ad Scripturæ peritiam comparandam sunt utilia aut necessaria, versatur, ubi de præceptoris in hoc studio necessitate, de scholarum utilitate, de Patrum commentariis, de auxilio ab interpretibus, sive modernis, sive antiquis, quærendo, de Rabbinorum usu atque lectione, de Hæreticorum non negligendis Scripturæ expositionibus, de litterarum scientiarumque profanarum doctrina præmittenda, ac de linguæ Hebraicæ ac Græcæ notitia comparanda denique disseritur. Tertia pars circa illa occupatur, quæ ad S. Scripturæ studium videri possent inutilia, nec tamen omnino contemnenda sunt, ubi plura de Mischna, Talmude, Masoretharum quibusdam observationibus, & de Cabalæ origine, nomine ac variis generibus traduntur. Quarta pars methodum in Scripturæ studio tenendam docet, inque duas Disputationes ita dispescitur, ut prior varias methodos ad studium istud utiles adducat, posterior vero monita quædam eo spectantia tradat, non omissis plurimis regulis criticæ, quæ Scripturæ studiosum admodum possunt juvare. *Tertia* Dissertatio ad illa progreditur, quæ Judæorum res concernunt, & primo quidem, præmissis quibusdam circa eorum statum observationibus, mox ad tabernaculi constructionem pergit, ejusque partes, Sanctum nimirum ac Sanctum Sanctorum, nec non ea, quæ in iis continebantur, expendit; qua occasione curiosa inter eruditos controversia de loco Altaris Thymiamatis discutitur, & alia circa

 colu-

columnam nubis, circa aulæa opere plumario præparata, ac circa dona pro tabernaculi constructione oblata in medium profert. *Quarta* brevem continet digressionem de Excelsis & Idolis, quorum in sacris literis fit mentio, expositisque horum nominibus, quæ juxta ordinem alphabeticum recensentur, plura de Teraphim vitulisque Aaronis & Jereboami colliguntur, tandemque idololatriæ origo solicite inquiritur. *Quinta* Dissertatio, prolixior multo, quam quæ præcessit, ad Judæorum res redit & quatuor Disputationibus partem eorum exponit, quæ ad splendidissime extructum Salomonis templum pertinent. Primum scilicet de ipso templo illiusque extructione, fundamentis, situ, ornamentis, partibus variis, mirandis ac satis multa commemorantur, non paucis observationibus circa Templum secundum, & quod ab Herode Josephus constructum scribit, nec non circa Ezechielis, Samaritanorum ac Ægyptiorum templa additis. Hinc de templi ministris inquiritur, seduloque iis congestis, quæ de Sacerdotum nomine, institutione, ætate, variis ordinibus, moribus, nuptiis, officiis, stipendiis, vestibus ac gradibus Autores commentantur, summus Pontifex fuse describitur, & de Levitarum ordine, officiis & ætate, de janitoribus & cantoribus reliquisque templi ministris nonnulla observantur. Porro ipsum templi ministerium exponitur ita, ut simul cultus divini instrumenta, tubarum usum, benedictionem Sacerdotum, pluraque alia descripta videas. Et ultimo demum loco dubia quædam circa templum illiusque vasa attinguntur, ubi de atrio gentium, de porticu Salomonis, de porta speciosa templi, de qua Actor. 3. v. 2. legitur, de atrio interiori, de conclavibus ac ædificiis atriorum, de atrio mulierum, virginum domo, & Gazophylaciis, de meatu panum propositionis, candelabro, mari æneo ac ceteris lavacris & de arca fœderis pulcherrimæ quæstiones enucleantur.

Secundum Volumen, quod Doctrinam de Judæorum cultu ulterius persequitur, quinque iterum Dissertationibus absolvitur. Et prima quidem, quæ ordine *Sexta* est, tribus Disputationibus Sacrificia Judæorum exponit ita, ut prior generatim diversas eorum divisiones ac circumstantias consideret; altera singulorum sacrificiorum

rum, tum quoad ritus, tum quoad alia, ſpecialiorem notitiam tradat; tertia vero diverſas occaſiones ac tempora reſpiciat, quibus offerri ſacrificia conſueverunt. *Septima* Diſſertatio in tres partes diviſa Judaicorum Feſtorum conſuetudinem, nomina, numerum, occaſionem, ceremonias ſigillatim fuſe ac diligenter contemplatur, eademque occaſione de Judæorum jejuniis ea, quæ ad tempus, cauſam & ritus ſpectant, tradit, ac tandem ritus, quos in Synagogis obſervatos fuiſſe legimus, tum quantum ad preces, quæ in illis fieri ſolebant, tum quantum ad alia ſcitu non indigna, enarrat. *Octava* quamplurimas easque elegantes, quæ circa Urim & Thummim fieri poſſunt, quæſtiones tribus Diſputationibus expedit, & nomen, naturam, originem, locum, durationem & uſum Urim & Thummim examinat, ubi ſæpius Spenceri placita refelluntur, & de Teraphim & Cherubim non injucunda adduntur; Et ita Adparatus Biblici librum primum Autor concludit, ad ſecundum hinc progreſſus, qui Judæorum Doctrinam & Politiam perluſtrat. *Nona* igitur Diſſertatio tribus itidem partibus conſtans de ſcholis Judæorum earumque magiſtris, nec non eorum ſectis ac libris præcipuis differit. Et primo quidem ſcholarum diviſionem, nomina & antiquitatem Autor expendit, ubi imprimis circa Abrahami, Melchiſedechi ac Heberi ſcholas verſatur, ac in Babyloniam translatas ſequitur, maxime vero Scammai & Hillelis ſcholis immoratur. Inde ad magiſtros tranſit, quorum dignitatem ac titulos exhibet, & tum inaugurationis antiquæ pariter & modernæ ritus, tum alios explicat, ac denique ea enarrans, quæ ad diſcipulorum conſuetudines pertinent, finem primæ parti imponit. Hinc in ſecunda parte quædam de Phariſæorum, Eſſenorum & Sadducæorum ſectis profert, eorum nomina, initium & autorem deſcribens. De Caraitis quoque loquitur, & ubi de Eſſenis agit, curioſa ſatis circa Rechabitas ac Philonis Eſſenos adducit, tandemque Phariſæorum conſuetudinem *fimbrias amplificandi*, quam ipſis Chriſtus exprobrat, exponit. Tandem tres circa Judæorum libros diſputationes ſibi vendicat tertia hujus Diſſertationis pars. Prima & Secunda, quicquid ad Talmudis & Miſchnæ notitiam requiritur, explicat, tertia vero de nonnullis

lis celebratissimis Judæorum commentariis verba facit, ac singulorum autores, materiam & antiquitatem contemplatur. *Decima* hujusque Voluminis ultima Dissertatio Disputatione duplici Theologiam Judæorum ex Talmude aliisque ipsorum libris sistit, ac non modo plurima, quæ Rabbini circa Deum, angelos, dæmones, animas hominum & similia docere solent, ex eorum verbis colligit, sed etiam Scripturæ interpretandi modum ab iis in præcipuis ejusdem historiis traditum recitat.

Tertium Volumen, cujus editio præter Autoris spem ob temporum necessitatem & Typographi varias ob causas mutationem ultra tempus constitutum paulisper fuit protracta, tres tantum Dissertationes continet. *Undecima* ergo, quæ primo loco occurrit, (placet enim hunc numerandi ordinem retinere) circa Cabalæ notitiam, ejusque in Scripturæ S. expositione usum versatur, qua de re licet jam in Dissertatione secunda Autor quædam attigerit, potiora tamen ac præcipua ad hanc remittere ipsi visum fuit. Cuncta vero, quæ in illa traduntur, in tres partes abeunt, quarum prima Cabalæ nomen, originem, antiquitatem variasque Cabalistarum methodos expendit; altera de divinis nominibus, imprimis nomine יהוה multa enarrat; tertia Autoris judicium circa Theologiam Judaicam aut Talmudicam continet, & quid commodi ex Rabbinorum commentariis ad Novi Testamenti loca quædam eo felicius declaranda expectari queat, exemplis comprobat, ut taceamus, quæ hic de Josephi libris, erroribus, illiusque a Sacris litteris frequenti dissensu, de Cabalistarum circa angelorum nomina arcanis aliisque curiosis rebus, quæ ad Cabalam magicam pertinent, annectuntur. *Duodecima* Dissertatio libro Adparatus Biblici secundo finem imponit & ad duo capita reduci potest. Primum enim de Synagogæ ritibus, nec non Synedrio ejusque jure & potestate agitur, & dum circa Synedrii ministros examen instituitur, plura de primatibus, majoribus, proceribus, patribus Synagogarum, Hiereis, presbyteris, didascalis, de Azanim, Parnasim, Archiperesitis, collectoribus eleemosynarum, diaconis, septem bonis viris & septem lectoribus traduntur. Deinde vero de Synedrii autoritate circa capitalia supplicia disputa-

disputatur, & an Christi tempore, & quonam modo, ei competierit, disquiritur, subjunctis præterea variis, quæ circa nuptiarum ritus, tempus, convivium, de jure item uxoris ac dote, de leviratu & divortii libello præcipui nominis autores commentantur. *Decima tertia* librum Adparatus Biblici tertium ac ultimum inchoat, & quamvis Autor eandem variis Bibliorum editionibus primum destinasset, mutavit tamen consilium, ex quo de Opere, quod *Jac. Lelong*, Orat. Presb. paratum habet, edoctus fuit, quippe qui *Bibliothecam Sacram*, omnes tam typis vulgatas, quam exaratas manu S. Bibliorum editiones complectentem, proxime edere constituit. Dum ergo Noster illius editionem præstolatur, alibi suum hoc opus inde exornaturus, ad alia jam se confert, & circa præcipuas librorum Scripturæ versiones dicere incipit. Uti vero duas hæc Dissertatio iterum partes complectitur, quarum altera versiones Latinas attingit, altera versiones vernaculas explicandi curam suscipit, ita ex Latinis Cajetani, Vatabli, Malvendæ, Münsteri, Castalionis, Leonis Judæ, nec non Junii & Tremellii versiones imprimis productas variisque observationibus stipatas hic videas, ex vernaculis vero tum antiquioribus tum recentioribus, versiones, Gothica Ulphilæ, Armenæ, Dalmatica, Copticæ, Gallicæ, Oresmi & Guarini, & quæ anno 1530 Antverpiæ prodiit, Lovaniensis, Olivetani, Genevenses, Renati Benedicti, Bessei & Frisonis, Corbini, P. Veronis, Michaelis de Marolles, P. Ameloti & illa, quæ Montibus prodiit, sub examen revocantur, ita tamen, ut circa eam, quam ultimo loco nominavimus, plurimum studii operæque Autor insumat.

Restat, ut de quarto Volumine quædam adjiciamus, in quo quatuor Dissertationes comparent, quamvis titulus tres tantum promittat. Primum ergo se hic offert *decima quarta*, quæ octo Disputationibus constans versionum Gallicarum aliarumque vernacularum historiam ulterius enarrat. In ea nimirum postquam Autor versionem Montensem a Quesnellio editam, eamque, quæ Leodii anno 1702 prodiit, nec non Belgicam Embricensem, & quæ Domino de Sacy editionem debet, considerasset, prioresque inter se contulisset, maxime circa

Simonii translationem subsistit, illiusque historiam fuse exponit, ac postea de D. Godelli, P. Bohursii, Castalionis, Jo. Diodati, & denique Jo. Clerici versionibus Gallicis quædam addit. Mox ad Italicas delatus earum mentionem facit, quæ ab Abbate Malhermio, Jacobo de Voragine, Antonio Brucciolo & Joanne Diodato luci publicæ expositæ fuerunt. Nec Hispanas, Germanicas, Saxonicas, Belgicas, Anglicas, Britannicas, Scoticas & Hybernicas, Polonicas, Slavonicas, Russicas, Bohemicas, Hungaricas, Suecicas, Danicam, Finnicam, Islandicam omittit, tandemque iterum de Coptica ac Armena observationes quasdam addit. *Decima quinta* Dissertatione, quæ sex partibus includitur, Autor ea, quæ circa versionum vernacularum lectionem, omnibus indifferenter permissam, nostris maxime temporibus agitari cœperunt, expendere aggreditur. Et primo quidem diligenter omnia conquirit, quæ circa hanc celeberrimam agitari solent quæstionem: an fieri possint, imo debeant, vernaculæ versiones? Ubi recensitis Hæreticorum opinionibus, quas refellere studet, quorundam Catholicorum placita expendit, suaque interdum utilitate translationes minime carere demonstrat. Congerit præterea plura tum Pontificum, tum Præsulum, tum Principum, imo conciliorum quorundam exempla, ex quibus versiones vernaculas merito ac prudenter interdum prohiberi, aut etiam interdum sapienter comparari aliisque permitti concludit. Hinc ad aliam quæstionem transit, an scilicet legitimas ejusmodi versiones nemini subtrahere, sed omni hominum ætati, sexui, ac conditioni promiscue concedere aut tradere Pastores debeant? quæ negative deciditur. Eaque occasione exortas inter Romanæ Ecclesiæ non incelebres Doctores Arnaldum aliosque circa quartam indicis Concilii Tridentini regulam Disputationes recenset, nec pro illius obligatione utilitate ac necessitate certare dubitat, quam in ipsa Gallia ac Belgio usu receptam facile demonstrat. Ea etiam, quæ Arnaldo Simonius opponit, & quæ ille reponit, suo interposito judicio, non dissimulat, nec potest, quin quæstionem aliam inter Abbatem Trapensem & P. Mabillonium satis agitatam attingat, an scilicet monachis Scripturæ lectio maxime

maxime conveniens ac propria existimari debeat? uti quoque circa illam quæstionem: an liceat missale ac similes ad usum Ecclesiæ libros in linguam vernaculam convertere, eaque in sacris publice uti? varia affert, quæ a recepta Romanæ Ecclesiæ sententia non abeunt. *Decima Sexta* Dissertatio Disputatione unica historiam editionis Polyglottorum Bibliorum tradit, & proposito primum eorum catalogo, circa eas deinde editiones, quæ majoris videntur momenti, observationes quasdam, ad pleniorem earum usum ac notitiam spectantes, exhibet, unde de editionibus, Complutensi, Antverpiensi Philippi II, Parisiensi D. le Jay, & Anglicana Walthonis non contemrenda legere hic licebit. Cum vero notum sit, quod Simonius in Critica sua novam Bibliorum Polyglottorum editionem commendet, edendique modum doceat, illius consilium perpenditur accuratius, variisque incommodis ac difficultatibus conjunctum esse ostenditur. Quam ob rem suam Autor proponit methodum, duplicemque Polyglottorum compendii rationem, ac utriusque specimen circa primum Geneseos caput tradit, imo integrum Psalterium, juxta methodum suam dispositum, in fine Dissertationis subnectit. Tandem ad parandam majorem Bibliorum Polyglottorum notitiam de versionibus, Arabica, Æthiopica & Persica, quæ illis inseruntur, quædam addit, septuagintaviralem vero, perinde uti Chaldaicam & Syriacam, propriis iisque fusissimis Dissertationibus in sequenti Tomo exponere constituit. *Decima Septima* Dissertatio librorum, Patribus aliisque Scriptoribus a primis seculis suppositorum, indicem refert ex Criticorum modernorum, Cavei scilicet, Ottii, Bellarmini, Riveti, Spanhemii, Dupinii, Arndii, Alexandri ac Tillemontii scriptis maxime collectum, qui tamen nonnisi ad annum circiter 1180. producitur, quia nec tantæ famæ videntur posteriorum seculorum Autores, nec adeo attente eorum opera Criticos expendisse, satisque incerta eorum esse judicia, Noster intelligit.

Et hæc generatim dicta sufficere, ni fallimur, iis possunt, qui, quid de tanto opere promittere sibi possint, cognoscere cupiunt. Specialiora enim quo minus jam tradamus,

Voluminum moles rerumque copia videtur prohibere, ex quibus alias plura nec inutilia nec lectori ingrata excerpere difficile nobis haut fuisset. Quodsi vero de methodo ac scribendi, quam Autor sequitur, ratione aliquid præterea dicendum sit, tenendum est, quod ipse fateatur, scholastica fere methodo ac stylo perspicuo potius, quam eleganti aut terso, in pertractandis rebus gravissimis se fuisse usum. Ne etiam plagiarii nomen & crimen sibi attrahat, non modo ad scriptorum, ex quibus sua collegit, nomina semper provocat, sed etiam eorum verba exscribere non dubitat, tum, ut lector absque damno ipso Autoris libro carere possit, tum, ut si propriæ minus arrideant conjecturæ, alias, quas amplectatur, sententias non desideret. Ubi sane illud omittere non possumus, quod Autor, secus ac alii Romanæ Ecclesiæ addicti scriptores facere plerumque solent, non tantum suæ Ecclesiæ Auctoribus utatur, sed alios sæpissime consulat, quos Hæreticorum nomine dignos esse existimat. Unde ex nostris etiam Scriptoribus celeberrimos secutus ad Chemnitii, Gerhardi, Waltheri, Arndii, Sauberti, Carpzovii, Pfeifferi aliorumque scripta frequenter provocat, quamvis partium studio ductus iis aliquando vehementius insultet. Neque tamen aliorum tantum Autorum sententias colligit, sed ut certum aliquid tradat, suas quoque observationes subinde inspergit. Ceterum cum totum opus admodum diffusum sit, ut ea, quæ cohærere debebant, hinc inde crebro dispergantur, id tum demum optimum præbere usum poterit, si indices accurati accesserint, quos etiam ultimo Volumini addere Autor promisit, cui, ut destinata feliciter perficere queat, senectutem vegetam faustosque successus precemur.

ALLE DE VOORTREFFELIIKE GODSGELEERde en Natuurkundige Werken van JOHANNES de MEY, &c.

seu

JOHANNIS DE MEY OPERA OMNIA PRÆSTANTISSIMA, tum Theologica, tum Physica, aliaque, aliquam partem jam ex Latina lingua in Belgicam translata. Tomi II.

Lugd.

Lugd. Bat. apud C. Boutestein & Js. Severinum, &c. 1706, in fol. Alph. 15. & fig. æn. 2.

OPerum horum dudum tum separatim tum conjunctim impressorum præstantiam vel ipsa *altera* hæc editio multum correctior satis indicat. Dispescuerunt ea, qui editionem procurarunt, in duas partes, quarum *prior* 1 *Manuale Proverbiorum Salomonis,* seu expositionem plurimorum & præcipuorum libri Salomonis Proverbiorum succinctam & doctam; dein, 2 *difficiliorum quorundam N. T. locorum* explicationem; 3 *Annotationes exegeticas in Epistolæ ad Hebræos capita & loca selectiora;* 4 *Exercitationes* quasdam *sacras de conscientiæ casibus quibusdam, modestiæque limitibus;* & 5 *Physicam* inprimis *sacram,* seu explanationem locorum N. & V. Testamenti, in quibus scriptor sacer res naturales vel tangit vel tractat, complectitur.

Posterior Operum horum apud Belgas celebratissimorum *pars* continet 1 *Descriptionem naturæ & effectuum conscientiæ,* nec non *attributorum* & *operationum Dei;* 2 *Hallelujah,* seu laudem Dei, in naturæ theatro decantatam; 3 *Alterum Hallelujah,* seu laudem Dei, in gratiæ theatro celebratam, una cum explanatione rerum quarundam naturalium specialiori; 4 *Responsa* & *Judicia* Theologorum Ecclesiæ Reformatæ celebratissimorum *de unione Reformatorum cum Lutheranis,* quæ Auctor ob peculiarem quandam cum suismet Fratribus de eadem re controversiam perquam diligenter undique congessit; 5 *Continuationem theatri naturæ,* seu Observationes Physicas de natura, proprietatibus & operationibus cœli; 6 *Evzooiam,* seu resolutionem quæstionis pernecessariæ: *Qua in re humanæ vitæ felicitas consistat?* 7 *Continuationem Evzooias,* seu cogitata de Reipublicæ bene institutæ & felicissimæ constitutione; 8 *Evarchiam,* seu continuationem alteram Evzooias, in qua de Republica bene feliciterque constituenda consilia quædam Auctor suppeditat; 9 *Continuationem tertiam Evzooias,* seu de *Vitis Patriarcharum* quædam; 10 *Monita salutaria B. V. Mariæ* ad cultores suos indiscretos Gandavi A. 1673 impressa; 11 *Væ Petri*

tri Appeldornii ab ipso de se ipso pronunciatum in scripto suo blasphemo *Cras credo, hodie nihil*; 12 *Orationem Votivam* ad *Wilhelmum Henricum*, Principem Arausionensem; & 13 *Additamenta* quædam ad *Joh. Gædaart* Observationes naturales.

Habent in his *Joannis* de *Mey*, Medioburgensium doctoris, Ministri ecclesiæ & Medici celebratissimi, operibus, qui vel difficiliorum & selectiorum Scripturæ Sacræ locorum, maxime vero eorum, quæ ad Physicam sacram spectant, explanationem, vel de bene constituenda Republica & conscientia bona servanda consilia, vel de unione Protestantium judicia quædam ipsorum Reformatorum quærunt, quæ eorum desiderio non poterunt non satisfacere.

סֵפֶר שֵׁמוֹת

sive

ONOMASTICUM SACRUM, IN DUAS partes distinctum. Autore MATTHÆO HILLERO, S. S. Theol. Græcæque & Orient. Lingu. Prof. Publ. in Academia Tubingensi.

Tubingæ, impensis Theophili Georgi, Bibliop. Lipsf. 1706, 4. Alph. 5, plag. 10.

QUid propria Dei atque idolorum, hominum item ac locorum Nomina in sacris literis occurrentia in recessu habeant, multi, quantum ad difficiliora inprimis eademque maximi momenti attinet vocabula, vano fere conatu hactenus enodare adgressi sunt. Exemplo hic nobis esse possunt Origenes, & qui ducem hunc paulo fidentius sequutus est, Hieronymus, Josephus item, Philo, aut siquis alius libri de Ebraicis Nominibus autor est, Talmudistæ, Targumistæ vulgaresque omnium religionum & Theologi & Philologi, qui nomina istiusmodi, quod posterior ætas dudum observavit, sat jejune & inaniter subinde exposuerunt. Quare cum bene multa Sacrarum Scripturarum loca inexplicata hoc modo relinquerentur, & errores adeo crassi in Historiam æque ac Geographiam

am irreperent, ut ex urbe homo ex homine contra urbs non raro fabricaretur, Autor Cl. intentatum aliis iter ingredi, maculasque, Sanctiorum Oraculorum interpretationi hoc modo affusas, in Onomastico hoc Sacro si prorsus tollere non potuit, maxima tamen ex parte corrigere pro virili annisus est. Ut vero, quod hunc in finem adornaverat Opus, justo suo eodemque concinno non careret ordine, in priori parte Nominum propriorum originem, analogiam & sensum declarat; in posteriori vero juxta ordinem literarum digesta istiusmodi Nomina explicat, & hinc quibus rebus personisve fuerint imposita, manifestat. Operi universo Index geminus, alter rerum & apud exteros fere Scriptores memoratorum nominum, alter locorum Sacræ Scripturæ, quibus facem prætulit Autor, subjungitur. Instituti ratio non permittit, ut in dogmata hic tradita fusius nunc inquiramus, cum selectiora quædam speciminis loco in medium proposuisse sufficiat. Sic ubi viam coagmentationis literarum aperit, literarum genera, confuse a Grammaticis hactenus proposita, subtilius hunc in modum distingui p. 22
docet, ut, Lingualium nomine, eo quod omnia vocum elementa linguæ subsidio indigeant, prorsus summoto, Dentales in sibilantes, quo literas זכצשש, & non sibilantes, quo דטת refert, a Liquidis לנר quodammodo distinguendas, dividantur. Sub novam porro Sectione XVII literas censuram revo- 690
cat, quando contra Priscianum disputans, Literam non per minimam vocis compositæ partem, sed per individuum oris humani spiritum, ut a Syllaba, quæ duorum pluriumve spirituum comprehensio est, commode discriminari queat, definit. Quod ad ipsum idioma Ebræum attinet, istud, ubi de formis simplicibus agit, potissimum urget Autor, consuetudini parum, peregrinitati vero nihil prorsus se tribuere, adeo ut aliarum gentium vocabulis locupletatum, contra similitudinem nil quicquam tamen ullibi admiserit. Hoc ut uberius probet, ubi de Nominibus barbaris agit, segetem vocabulorum Chaldaicorum, 34
Syriacorum, Persicorum, Ægyptiacorum & aliorum non alium in finem in apricum producit fœcundissimam, quam ut omnibus statim innotescat, quomodo per legitimas artis regu-

regulas ex Ebraiſmo dictiones iſtiusmodi deducere interpreti in proclivi ſit. Hybridas vero voces ex Ebraico ſcilicet &
p. 363 barbaro ſermone mixtas in Scripturis non reperiri, contra Flavium Joſephum, Eupolemum & Lyſimachum Alexandrinum, qui Hieroſolymorum nomen ex ſermone partim Græco, partim etiam Ebræo declarant, Bocharto potiſſimum in partes ſuas evocato, ſtatuminat. Pariter Tremellium, Bethphage vocem
364 per Locum Fontis exponentem, eo quod Græci fontem πηγὴ, Syri item, Chaldæi ac Talmudiſtæ פיגי vel פאגא, unde nomen בית פאגא conflatum ſit, nuncupent, refutat, cum a Græco πηγὴ, vox Βηθφαγὴ duobus elementis, φ ſcilicet & η, diſcrepet, & Matthæus XXI. 1. ubi in Notis ad Verſionem Syriacam Tremellius χρίσιν hanc ſuam inſtituit, non in caſu quarto εἰς Βηθφαγὴν, ſed nulla flexionis aut caſus ratione habita, εἰς Βηθφαγὴ ſcribat, unde בֵּית פַּגֵּי Domum ſive locum Paghi, quaſi בַּלְטִי viri nomen denotet, interpretatur. Cum de punctatione agit Noſter, eandem & propriis & appellativis Nominibus punctandi rationem inesse, hoc potiſſimum argumento adſtruit, quod in nominibus propriis, ſyllabarum numero creſcentibus, puncta, ut in appellativis fieri conſuevit, itidem decreſcant, creſcant vero, quando Regios Accentus appellativorum inſtar propria quoque Nomina ſibi applicent. Prius p. 464 per נְאַר i. e. נָתַן אֵל *dedit Deus*, ubi kametz in ſcheva tranſit; poſterius vero p. 468 per זָהָם quod ſine Accentu Diſtinctivo, qui pathach in kametz commutat, זַהַם eſſet, (eſt vero Saham viri nomen 2. Chron. XI, 19) ut alia innumera, quæ juxta vocalium ordinem magna diligentia hic congeſſit Autor, prætermittamus exempla, confirmatur.

Cæterum hac occaſione notamus, nuperrime hoc ipſo anno Onomaſticon Urbium & Locorum Sacræ Scripturæ, ſeu Librum de Locis Hebraicis, Græce primum ab Euſebio, deinde Latine ſcriptum ab Hieronymo, & opera Jacobi Bonfrerii antea editum, cum novis Joannis Clerici animadverſionibus, Amſtelodami in fol. prodiiſſe, cujus libri, cum primum ad nos perferetur, uberiorem in Actis noſtris mentionem faciemus.

הוכלת

הלכות שבועות

i. e.

CONSTITUTIONES DE JUREJURANDO, ex R. MOSIS MAIMONIDIS Opere, היד החזקה *dicto, Latine reddita variisque Notis illustratæ a JUSTO CHRISTOPHORO DITHMARO, Hasso.*

Lugd. Bat. apud Cornelium Boutesteyn, 1707, 4.

Alph. 1 pl. 8.

IN his ad Maimonidis de Jurejurando Constitutiones Adnotationibus de Jurejurando ad C. I. ita statim differit Autor, ut in vocabuli Ebræi שבועה originem, varias jurandi & species & conditiones, flagellationis item, quæ pœna pejerantibus statuta, modum, & similia alia, quæ huc spectant, fusius inquirat. Succinctæ Cuthæorum & Samaritanorum, quam ductu C. II adornat, descriptioni doctrinam de voce אמן, quæ plenam jurandi formulam sistat, subjungit, & pro perfecto jurejurando omne istud, quod per nomen Dei sive ipsum Deum fit, habendum esse, variis Gentium consuetudinibus hunc in finem allegatis, pronunciat. Josuam interim, ducem Israelis clarissimum, eo quod Gibeonitis dolo eum circumvenientibus fidem omni ex parte non præstiterit, neutiquam peccasse, ad C. III inde potissimum evincit, quod ad omne jusjurandum, si validum esse debeat, consensus, sive, ut is, qui jurat, & is, cui juratur, idem intelligant ac velint, requiratur; inde & ad istiusmodi juramenta, quæ latronibus & publicanis præstari solent, dilabitur. De oliva, communi ciborum prohibitorum mensura, cadaveribus discerptis, liquidorum mensuris, adipe, bovis imprimis, agni & capræ, sanguine item in numero ciborum prohibitorum juxta Lev. VII, 26 habito, erudite disputans, fustigationem a flagellatione, de qua p. 7 jam tum egerat, ratione & loci, & admonitionis, & culpæ, ut

p. 3. seqq. 51. sq. 54. 72. 73. 85 sq. 105 sq.

ut & modi, multum diversam esse, affirmat. Missa historio-
la, quam fabulam verius dixeris, quasi Zedekias, quod Nebu-
cadnezarem de lepore vivo comedentem viderit, idque con-
tra præstitum juramentum Synedrio M. postmodum evulgave-
p. 126. rit, ab Assyrio hoc Rege excœcatus fuerit, ad veras divortii
127. causas a falsis, quales & ipsi Karræi absurdas prorsus ex dicti-
one ערוה eliciunt, dignoscendas pedem promovet. In
interpretationem vocis פרוטה *Pruta*, cujus mentionem
Maimonides C. VII §. 11 injicit, porro intentus, de aliorum
138, sq. quoque monetæ generum valore, ad varia, quæ in N. T. in-
primis memorantur, numismata illustranda, succincte disserit.
Ad C. VIII circa rei ablatæ & pruta ad minimum dignæ restitu-
148. tionem, per duplum, quadruplum, vel etiam quintuplum, in E-
bræorum Republica olim perficiendam, quædam annotat. Ad
C. IX vero dum de מנה *Mina* agit, observat, eandem
170. סלעים *Siclorum* rationem esse, qui ut vel Tyrii, vel
Provinciales erant, ita & Minam in צורי *Tyriacam* & של
מדינה *Provincialem* olim fuisse distinctam. Per חלוצה,
quæ dictio C. X §. 3 extat, & a חלץ *exuit* suam trahit ori-
178. ginem, uxorem mariti absque liberis decedentis, postquam
frater defuncti eam ducere recusaverat, indigitari, evincit,
insimulque ritus hujus solennia, siquidem juxta Deut. XXVIII,
195. 5. 6. istiusmodi uxor leviro calcem exuere debebat, levi quasi
penicillo adumbrat. Sententia tandem super quæstione: u-
trum ei, qui verum Deum colit, per Idola jurare, aut jusju-
randum a Gentili exigere, vel accipere saltem liceat? ad
C. XI in medium proposita, circa C. XII, seu ultimum, contra
218. Baronium, Lipsium, Sigonium aliosque probare inprimis sata-
git, quod crucifixio, quæ inter supplicia apud Ebræos usitata,
qualia lapidatio, combustio, capitis amputatio, & strangulatio
erant, nullibi recensetur, non nisi temporibus sequioribus in
Rempublicam Judaicam introducta fuerit. Ceterum præter
Autoris ad Lectorem Præfationem, ubi suscepti negotii causæ
versionisque ac institutæ commentationis rationes breviter
explanantur, *Jacobi Perizonii* Epistola opusculo insuper præfi-
xa est, in qua, quam inviolate sancteque apud Gentes etiam
veri

veri Dei cognitione alienas juramentum semper habitum servatumque fuerit, quæve genuina ritus istius, quo Orientales inter jurandum alter alterius femur tangendo utebantur, origo extiterit, aliaque non pauca lectu & utilia & jucunda enodantur. Inter istos sane, quibus multum se debere hinc & inde in Commentariolo suo Dithmarus noster gratus & palam fatetur, choragum facile agit *Perizonius*, cui *Triglandum*, cujus potissimum suasu literis his in Academia Lugduno-Batava CAROLI I, Hassiæ Landgrafii, cui & librum hunc sacrum esse voluit, incumbit, *Witsium* item & *Meierum* adjungit.

ZACHARIÆ HUBER, ULR. FIL. JURISCONSULTI & Antecessoris, Dissertationes Juridicæ & Philologicæ, quibus explicantur ac Observationibus humanioribus illustrantur selecta Controversiarum atque Legum capita. Pars altera.

Franequeræ, apud Bernardum Wibrande, 1706, in 4to.
Alph. 2. plag. 6.

AD nominis paterni celebritatem adspiraturus doctissimus Autor, amœnioris Jurisprudentiæ opera solerter continuat. Primam Dissertationum harum partem in Actis nostris mense Octobri 1702 p. 417 recensu prolixiori exhibuimus, cumque exinde genium ac indolem harum lucubrationum abunde Lectores intellexisse speremus, ideo in recensenda hac altera parte nobis licebit esse brevioribus. Decem Dissertationibus præsens opus absolvitur: in Prima de Lege Julia, in Secunda de Lege Cornelia differitur: Tertia disquirit, quomodo Principes aliique imperantes summa potestate præditi, ut & Magistratus ac privati homines possint jurisjurandi gratiam facere: Quarta usum ac licentiam veterum divortiorum apud Romanos exponit: Quinta de matrimonio Claudii & Agrippinæ, deque Neronis adoptione agit. Singulæ harum Dissertationum sunt Juridico-Philologicæ, ac ad illustranda notabiliora quædam Suetonii loca pertinent. Ceteræ Disser-

tationes Juridicæ sunt, ac in Sexta exponitur & illustratur Græcum Rescriptum Adriani Imper. in *l. 48 de judic.* Septima institutionem & exhæredationem filiifamilias ac postumi, sub conditione factam, illustrandæ *l. 11 ff. de condit. institut.* exhibet. In Dissertatione Octava duplex eaque gravissima discutitur antinomia in capite Pandectarum de legatis & fidei commissis. Nona in exponendis & illustrandis duobus locis Juliani difficilioribus occupatur, quibus ultima disquisitionem: an & quatenus usucapio perimat jura in re? subjicit. Quo unum alterumve magis intelligatur, de nonnullis specialius nonnihil dicemus. Dissertatio Octava duplicis antinomiæ evolutioni præcipue destinata est. Postquam igitur Clarissimus Autor de officio interpretis, quoad componendas antinomias, in genere disseruerat, primum textuum sibi contradicentium par in scenam producit. Nimirum Julianus in *l. 22 de condit. & demonstr.* pronuntiat: *Quoties sub conditione mulieri legatur*, si non nupserit, *& ejusdem fidei commissum sit, ut Titio restituat*, si nubat: *commode statuitur, etsi nupserit, legatum eam petere posse, & non esse cogendam fidei commissum præstare*, cujus decisionis sententiam & rationem, tam ex jure Romano, quam scriptoribus aliis, Noster prolixe & eleganter exponit: sed, ut videtur, sine suffragio Gaji, qui in *l. 14 de Legat. 3* aliam plane sententiam amplectitur, quando ait: *Non dubium est, quin, si uxori legatum sit*, si non nupserit, *idque alii restituere rogata sit, cogenda est, si nupserit, restituere.* Sentit enim hic Gajus, valere conditionem, *si non nupserit mulier*, atque effectum restitutionis tribui fideicommisso, nisi paruerit conditioni, quod negat Julianus. Tam aperta contradictio sat argumenti fortassis præbebit quibusdam Criticis, quo intrudant salutarem particulam *non*, legantque *cogenda non est*. Alii, ne ulla iis hac in re difficultas sit a Gajo, notant, particulam *quin* significare *quod non*, quasi JCtus oratione sua exprimeret sententiam Juliani, doceretque, initum esse fideicommissum; sed neutra illa medendi ratio Nostro sese adprobat. Gotofredus speciosam commentus est distinctionem, viduam inter & virginem, putavitque, de virgine, honorata

rata legato & fideicommisso gravata, loqui Julianum, sed de vidua, marito orbata, cui lex de non nubendo ab eodem dicta sit, Gajum. Licet vero huic sententiæ verba textuum non minus, quam ratio differentiæ personarum, faveant, ac odium secundarum nuptiarum, ex dictis Veterum copiose hac occasione a Nostro illustratum, ei succurrere videatur, attamen temporibus Juliani & Gaji eam non convenire, adeoque opera & ingenio suo abuti, qui primi & secundi matrimonii distinctione istarum legum quærunt conciliationem, Clarissimus Autor existimat. Ipse igitur certiorem conciliandi rationem traditurus, docet, Julianum loqui de fideicommisso pœnali, ad nuptias contra Legem Juliam impediendas spectante, sed Gajum agere de fideicommisso puro, sine nuptiarum impediendarum consideratione imposito: illud ergo invalidum esse, hoc autem valere, sine ulla pugna, aut decisionis apud autores nostros varietate, cum sane multum intersit, an fideicommissum suspendatur per modum pœnæ incivilis & acerbæ, qualis sit matrimonii prohibitoria conditio, &, an pure simpliciterque fideicommissi onus alicui sit impositum. His expeditis, ad alteram antinomiam progreditur Noster: ex sententia scilicet Pauli in *l. 88 pr. §. 1 de legat. 3 lana legata, vestis, quæ ex ea facta est, non debetur, & materia legata, navis armariumve ex ea factum, non vindicatur*, quæ assertio, uti alias patitur difficultates, a Nostro tamen solerter remotas, ita graviter ei contradicit Ulpianus in *l. 44 §. 2 de legat. 1.* dum pronunciat: *siquis pocula legavit, & massa facta est, vel contra, item si lana legetur, & vestimentum ex ea fiat: Julianus libro trigesimo secundo Digestorum scripsit, legatum in omnibus supra scriptis consistere, & deberi, quod extat, quam sententiam puto veram, si modo non mutaverit testator voluntatem.* Hic ingenue fatetur Consultissimus Autor, quod discrepat inter utrumque JCtum, vix esse, ut bona gratia componi possit, hinc, rejectis quibusdam conciliationibus, concludit, æmulos hosce autores de industria dissensisse, ac adeo hoc casu vestigium superesse antiquæ dissensionis Proculejanæ & Sabinianæ, quam nulla medicina artificiali aut critica tollere, sed ut-

ἀντινομίαν ἀνίατον in medio linquere oporteat. Dum in capite, de adimendis legatis, versatur Clarissimus Autor, aliam perdifficilem & perplexam Pauli pericopam, quæ in *l. 1 de adim. legat.* extat, enucleandam sibi sumit, eoque labore Dissertationem hanc absolvit. In Dissertatione ultima disquiritur: an & quatenus usucapio perimat jura in re? Præmissis igitur generalibus, ad usucapionis indolem & æquitatem pertinentibus, jus in re ex effectu intelligendum esse, Noster censet, ea ratione, ut jus in re sit, unde nascatur actio in rem; secundum quod principium quatuor ejus species, nempe dominium, hæreditatem, servitutem & pignus, etiam asserendas esse, amplius existimat. Hoc præstructo, dominium usucapione mutari, totumque tolli posse, modo illa sit legitima, Nostro certum videtur, de ejus requisitis hac occasione plenius differenti. Jus autem hæreditarium ex ejusdem doctrina usucapione non tollitur, sed hæreditatis petitio non nisi longissimi temporis sive triginta annorum lapsu excluditur; si quis tamen titulo speciali emtionis similive rem certam & singularem ex hæreditate comparaverit, ei usucapio plenissimam securitatem præstare videtur. In servitutibus proprie & ipso jure propter defectum possessionis usucapio locum non habet, docente Nostro: si quis vero rusticum vel urbanum prædium, quod alii servitutem debet, usucapiat, consequentia proprietatis acquisitæ trahit ad se libertatem prædii, & jus servitutis extinguit. Præterea si quis diuturno usu & longa quasi possessione, non vi, non clam neque precario, servitutem nactus sit, is utilem habet actionem, ope præscriptionis, quæ merito heic fuit probata, ne lites de servitutibus fierent perpetuæ; de cetero ad eam titulus vel domini scientia haut requiruntur. Servitutes personales ac in specie ususfructus usucapione non tolluntur, cum sint res incorporales, Veterum autoritate hoc etiam satis comprobante: si tamen constitutio ususfructus, inciderit in idem tempus, quo possessio usucapientis inchoata fuit, tum jure novo Codicis utraque, & præscriptio juris, & usucapio rei, pari passu ambulat, eodemque modo sic impletur, ut altera absorbeat alteram. Eadem fere ratio pignoris

gnoris & hypothecæ, quæ usucapione non perimuntur, quod tamen an & quousque jure novo mutatum sit, non satis liquet, hinc novam ea res Nostro disceptandi præbet materiam. De possessione hic non operosa est disquisitio, cum ex numero jurium in re eam omnino esse expungendam, doctissimus Autor censeat.

JOHANNIS VAN HORNE, ANAT. ET CHIR. apud Batavos quondam Professoris, Opuscula Anatomico-Chirurgica, Annotationibus Recentiorum in Anatomicis pariter ac Chirurgicis industriam patefacientibus adaucta studio & opera D. JOHANNIS GUILIELMI PAULI, Anat. & Chirurg. Prof. Publ.

Lipsiæ, apud Thomam Fritschium, 1707, in 8.
Constat Alphab. 1 & pl. 20.

NUllo non tempore Johannis van Horne Opuscula Anatomico-Chirurgica vel maximum merita sunt applausum; quo factum, ut aliquoties eadem non solum fuerint recusa, verum etiam a variis Professoribus in Academiis digna habita, quæ pro fundamento Anatomiæ & Chirurgiæ docendæ ponerentur. Quemadmodum olim D. Joh. Mauritius Hoffmannus in Prælectionibus Anatomicis in Academia Norica declarandum selegit Hornii Microcosmum, suasque in eundem Notas in Dissertationibus publicis Anatomico-Physiologicis viginti duobus abhinc annis publici juris fecit. Hujus enim judicio est Hornii Microcosmus (idque etiam de Microtechne ejus existimandum) liber parvus, si oculis magis quam animo legatur, si rerum contentarum amplitudo attendatur, magnus. Id quod permovit Clariss. D. Joh. Guilielmum Pauli, inde a viginti tribus annis Collegam nostrum solertissimum & Anatomicum, si quis alius, accuratissimum, ut Microcosmi & Microtechnes editionem Lipsiensem cum Lugdunensi conferre, mendose allegata corrigere, reliqua Autoris addenda conquirere, atque paragra-

paragraphis tantum non singulis Annotationes aliquas apponere sustinuerit. Tredecim equidem jam præterlapsi sunt anni, cum laborem istum perfecit, quoniam vero Bibliopolæ aliorum librorum impressionibus occupatissimo minus commodum hactenus eum typis mandare visum fuit, amplissimam nactus est Noster occasionem, omnem moram uberioribus observatis, tam propriis, quam alienis compensandi. Et ne opera hæc manca videretur, siquidem ultimis quinque annis, quibus Manuscriptum sub manu ejus esse desiit, multa in re Anatomica cum orbe erudito hinc inde communicata, imo ab ipso in cadaveris fœminei anatomia publica sub finem anni elapsi observata fuerunt, singula hæc in Præfatione uberiore addere non fuit gravatus. Speciminis loco ex hac, quæ Clariss. Pauli sunt observata, sistemus, sicque de reliquis Annotationibus facile erit penes L. B. judicium.

Quam tunicam in œsophago inter carneam & nerveam vasculosam mediam Verhayen notavit, eam in ventriculo non solum suillo & canino, sed humano quoque atque jejuni humani portione vidit. Aquam in arteriam splenicam infusam ventriculum cum liene adhuc cohærentem, non tamen ceram pariter replevisse, observavit. Ductus thoracicus in cadavere fœmineo cera rubra repletus thoracem intra sub aorta primum insigne vas recipiebat lymphaticum, ut duplex videretur, hinc notabilem efformabat insulam, demum sub œsophago ductu satis tortuoso & serpentino ferebatur, usque per thymum variis ramis dispersis in venam subclaviam sinistram e regione venæ jugularis internæ osculo terminaretur. Venas cum arteriis continuari, nec poros utrumque vasorum genus intercedere, præter alios plures Pitcarnius, Cowerus, Vieussens atque Georg. Frider. Francus de Franckenau propugnant, primus quidem, quod sanguis, in poros effusus, ac venarum parietes, consequenter oscula comprimens, sibi ipsi aditum ad venas præcluderet, reliqui autem, quod microscopiorum usu talis continuitas extra dubium omne esset reddita. Verum quia microscopiis adhibitis non tam ipsa vascula, ceu pellucida, quam globuli potius sanguinis se invicem propellentes cernan-
tur,

tur, haud immerito ambigit Noster, annon sic arteriolarum & venularum continuitas cum sanguineorum globorum contiguitate confundatur, quæ tamen poris majoribus etiam sibi invicem respondentibus adhuc videri potest, quamdiu globuli ejusmodi sensibiles in minores insensibiles nondum redacti fuerint. Ad poros autem depositus sanguis nullum omnino ejus judicio in venarum oscula inveniret ingressum, nisi fibrillis intercedentibus venarum parietes æque ac arteriarum suffulcirentur; quemadmodum in liene vitulino & pene humano, in quibus sanguis ab arteriis extravasatus per patula venarum foramina remeat, ad oculum patescit. Tametsi ad respirationem parvam vel duo diaphragmatis musculi possint sufficere, in magna tamen, ubi costæ cum sterno elevandæ ac deprimendæ, centum eorum, tum proprii, tum communes, videntur concurrere. Præter 2 namque diaphragmatis, costæ utrinque a 27 propriis, nempe subclavio, 11 intercostalibus externis, 11 levatoribus costarum, Serrato antico minori, Serrato antico majori, Serrato postico superiori ac Cervicali descendente Diemerbrockii & tribus communibus, Pectorali, Scaleno, & Levatore scapulæ attolluntur; cum costæ e diverso utrinque a 14 propriis, videlicet 11 Intercostalibus internis, Triangulari, Sacrolumbo & Serrato postico inferiori & 5 communibus, musculis scilicet abdominis soleant deprimi. Per orificium, quod in duodeno cum choledocho pancreaticus ductus habet commune, flatus in hunc immissus aliud simul minus osculum canalis minoris detegebat, priori fere oppositum, nisi quod paulo esset superius. Non absimilem quondam ductus pancreatici in equo videre licuit Clariss. Pauli conformationem, in quo alter duodenum orificio cum choledocho communi, alter autem proprio & quidem e regione fere priori opposito pertundebat. Mercurius in meatum auditorium infusus in hoc subsistebat, adeoque cavitatem tympani haud illabendo nullum membranæ tympani detegebat hiatum, etiamsi aqua pro eadem ficciori humectanda multis ante horis fuisset indita, caputque multum una concuteretur. Quamvis Epiglottidi humanæ 4 a Jacobo

Sylvio adſcripti muſculi tantum non ab omnibus in dubium hactenus fuerint vocati, nihilominus non ſolum duos attollentes, ſatis longos, ab oſſis hyodis baſi ad poſticam epiglottidis radicem protenſos, ſed & duos deprimentes minores ab arytænoidearum cartilaginum apicibus oblique & anterius ad epiglottidis latera delatos atque vel cum Bauhino hyo-& arytæno-glotteos, vel cum aliis rectis hyo-& arytæno-epiglotteos dicendos vidit.

De cetero monendus eſt L.B. præter Microcoſmum & Microtechnen Hornii Notis illuſtratos, adjectam eſſe in hiſce opuſculis Thomæ Bartholini Hiſtoriam Anatomicam Aneuriſmatis diſſecti, Hornii ejusdem argumenti Epiſtolam, & Indicem rerum locupletiſſimum.

MEDICINA GYMNASTICA: OR, A Treatiſe concerning the Povver of Exerciſe &c.

i. e.

TRACTATUS DECLARANS EXERCITATIONUM potentiam, reſpectu Oeconomiæ animalis, magnamque earundem in morbis diverſis curandis neceſſitatem. Autore FRANCISCO FULLER, M.A. Editio ſecunda cum Additionibus.

Londini, apud Robertum Knaplock, 1705, in 8.

Plag. 20.

Quo Exercitationum uſus in talibus ſæpe morbis curandis, in quibus alia vix quicquam valent, eluceſcat certiſſimus, *Autor* in Medicina gymnaſtica præſenti, tam Exercitationum in corpus noſtrum efficaciam in genere, quam morborum, in quibus conferant, & motuum, qui proſint, nonnullos in ſpecie explanat, omniaque tum Praxi Veterum, tum Appendice ſingulari confirmat. Exercitationis videlicet nomine omnem intelligit

intelligit motionem ſive agitationem corporis humani, cujuscunque illa ſit generis, ſeu voluntaria, ſeu involuntaria, & quocunque fiat modo, quæ absque remediis internis poſſit (vel, ſine qua remedia interna ſola non ſemper poſſint) naturæ roborandæ ad expellendum inimicum, a quo opprimitur, ſufficere. Modos vero, quibus natura in oppreſſionis periculum veniens ſibi ipſi opituletur, ut & naturæ conatus, qui vel externorum applicationem, vel internorum, nec ſanguini, nec ſpiritibus aſſimilandorum, aſſumptionem inſequantur, prius percurrit, quam rationem oſtendat, qua natura, exercitio moderato eoque continuato adjuta, ſe a morbis quibusdam liberare poſſit. Eum namque in finem in corpore noſtro, nunc ſternutationem, oſcitationem, pandiculationem, ſingultum, riſumve fieri, nunc ſtimulo, aut externo, aut interno, v. g. emetico fortiori, ſpiritus animales excitari, ut aliquid naturæ adverſi eliminetur. Tametſi autem producta humanæ artis perfectiſſima motu atterantur & conſumantur, corpus nihilominus humanum, ceu mechaniſmi divini exemplar, motu frequenti ad diutius perſeverandum diſponi, in quantum hic in partes corporis, & fluidas, & ſolidas, agens æquilibrium utrasque inter reſtauret optime. Ne de motus tamen potentia, quam in fluidas & ſolidas corporis noſtri partes exerit, ullum relinquatur dubium, ad ſtructuram arteriarum conicam, ſanguinis circuli promovendi gratia motum muſculorum exigentem, ad exactiorem particularum ſanguinis homogenearum mixtionem, occaſione majoris caloris digeſtorii per motionem excitati contingentem, ad uberiorem particularum e maſſa ſanguinea, cum excrementitiarum, tum laudabilium denuo admiſcendarum, ſecretionem, a velociori poſt motum corporis circulatione obtinendam, ad hypercatharſin, a motu poſt hauſtum purgans illatam, ad majorem denique partium ſolidarum tenſionem, & ad nervoſarum ſenſationem gratam, motione inducendas, pluribus provocat. Ad morbos vero motu abigendos motionis præcipue moderatæ induſtriam continuationem non minus poſtulat, ac medicamenta alias quævis alterantia ſedulo continuari præcipiuntur; neque moleſtiam, quam primæ creant exercitatio-

nes, adeo ægro metuendam esse, ut easdem propterea omittat, cum natura iis pariter atque aliis, quorum exempla adducuntur, soleat adsuescere, ægrotusque frequenti moderatorum exercitiorum usu tantum acquirere queat robur, quanto alter, simili morbo affectus, ob motionem omnem neglectam penitus destituitur, prout sani quoque robustiores deprehendantur aliis, quo violentioribus motibus corpus consueverint subigere. Exercitationem itaque excellens haberi remedium, partim ratione medicaminum, v.g. decoctorum lignorum, Martialium & balsamicorum, quorum vires exaltet, partim intuitu morborum, quos pellat, ubi evidenter collegit, ad morbos speciatim motu curandos atque exercitationes huic scopo satisfacientes progreditur, ibique phthisin, hydropem & malum hypochondriacum, hic autem equitationem, frictionem & balnea frigida, non solum nominat, sed & declarat. Phthisi siquidem a motione, inprimis ab equitatione, eo certius pollicetur auxilium, quo laxius particulæ morbificæ in massa sanguinea cum reliquis cohæreant, & quo æqualius moleculæ acres per emunctoria ubique secerni debeant, diligentem simul usum balsamicorum non aliorum, quam temperatorum, acrimoniam obtundentium & nutrientium, e. g. tussilaginis, liquiritiæ, cynoglossi &c. admittens. Hydropis titulo, cui exercitatio medeatur, talem præcise innuit Anasarcam, in qua vel ægroti cathartícorum usu intempestivo ita debilitati fuerunt, ut diuretica & corroborantia nequicquam ferre possint auxilii, vel qua homines adultioris ætatis, fœminæ hystericæ, aut subjecta asthmatica, afficiuntur: in quali non tam purgantia fortiora, veluti sanguinis crasin & ventriculi tonum destruentia, quam diuretica, in majori saltem dosi & cum motu, suadet usurpanda. In affectione hypochondriaca & hysterica, spiritus & nervos potissimum occupante, remedia haud violentiora, v. g. cathartica diuretica, sanguinis missionem &c. sed leniora & cordialia, atque præsertim exercitationes, primum equitationem vel vectionem, tum balnea frigida vel frictionem ideo commendat, quod spiritus ac nervi primario hisce corroborentur, nec pauperes laborem sustinentes morbis istis unquam

unquam corripiantur. Sed ea præteriens, quæ de Rheumatiſmo ſcorbutico, Atrophia nervoſa, & Debilitate ex mœrore, motu pariter curandis, potuiſſet addere, equitationi primum inter exercitationes concedit locum, quia hæc infinitis ſuccusſionibus non meſenterii tantum & inteſtinorum glandulas obſtructas aperiat tonumque reſtituat, ac morbificas a glandulis inteſtinorum ſecretas particulas immutet, ſed & præter alias ſecretiones tranſpirationem æqualiorem vultumque vividiorem efficiat, atque animum majoribus voluptatibus perfundat, quam exercitationes aliæ; quantum vero commodum ab equitatione in phthiſicos, hypochondriacos & cachecticos redundet, obſervationibus, cum Sydenhamii & Baynardi, tum propriis, demonſtrat. Hinc frictionem, multum a Veteribus adhibitam, intuitu inſenſibilis transſpirationis, quam egregie promovet, & quam reliquis evacuationibus cunctis notabiliter præpollere Recentiorum experientia teſtatur, ſubjungit, nullusque dubitat, quin frictio asſidue repetita, glandularum cutanearum obſtructiones reſerando, mucum gelutinoſum in muſculorum interſtitiis attenuando, & ſpiritus excitando, in Rachitide recenti, Rheumatiſmo ſcorbutico, certa Atrophia, & hypochondriacis ac hyſtericis obeſioribus, magnum edere valeat effectum, cum vel ganglia ipſa ſub cute demum ſoleat diſſolvere. Balnea denique frigida propter actionem, qua ſpiritus repellunt impelluntque, ut unitis viribus materiam morbificam aggrediantur, exercitationibus a *Noſtro* cum Veteribus annumerantur; de efficacia vero eorundem *Floyeri Inquiſitio in uſum & abuſum balneorum* laudatur, *in Actis A. 1698 p. 524.* a nobis recenſita. Atque hanc morbis exercitatione ſubveniendi rationem Veteribus quondam maxime ſolennem fuiſſe, ex Hippocrate, Galeno, Celſo, aliisque non minus luculenter, quam ſummum equitationis in nervorum affectibus emolumentum exemplo Autoris proprio, quod in Appendice fuſius enarratur, comprobatur.

BERICHT EN OPMERKING WEGENS DE Staat van een Buitengevvoone, zo genaamde Slaap-Ziekte de Stolvviik voorgevallen.

i. e.

RELATIO DE AFFECTU SOPOROSO EXTRAORdinario, Stolvici observato.

Roterod. apud Eliam Yvans & Petrum van der Veer, 1707, 4. Plag. $3\frac{1}{2}$

Multa hactenus in Relationibus publicis de rustico per multos menses dormiente fuerunt significata; quoniam autem plenariam fidem illis semper habendam non esse, in comperto est, rarus autem hic casus omnino meretur, qui cum orbe literato communicetur, brevem ejus historiam ex scripto hoc, in quo quatuor Doctores Roterodamenses, scilicet Paulus Walwiik, Cornelius van der Zee, Henricus Snellen, & Abraham Salomon van der Voort, eum visitantes, quæ vel ipsi viderunt, vel ab adstantibus audiverunt, consignarunt, delineabimus.

Dirk Klaasz Bakker Stolvici prope urbem Goudam degens, annorum 32, vir probæ vitæ, & in tectis arundine contegendis strenuam navans operam, postquam sub initio anni 1706 post patris mortem deteriorem hæreditatis conditionem, quam speraverat, invenerat, melancholiæ se dedit, ita ut quotidie magis magisque solitudinem amaret, & ab omnium hominum frequentia remotissima quæreret-loca, tempusque in libro, quem semper secum gestabat, legendo tereret, sæpius etiam de die lectum petens utplurimum dormiret, subindeque evigilaret. Cogitationibus interim suis admodum inhærebat, nec ad quæsita nisi magno temporis intervallo interjecto respondebat, instar eorum, qui ex profundo somno sunt excitati. Cujus rei causam manifestare detrectabat; sicque tres consumserat menses, i. e. ad finem usque Martii, ubi ingravescentibus sympto-

ſymptomatibus iſtis, plerumque temporis in lecto traducebat, ſubinde tamen laboribus etiam vacabat. Sudorifera interim dantur, ſanguis aliquoties ex vena educitur, qui bonæ conditionis obſervatur, clyſmata injiciuntur, ſed omnia absque ſucceſſu. Die 24 Junii ſomno profundo ſepeliebatur; hinc veſicatoria nuchæ appoſita magnam quidem ſeri copiam elicuerunt, ſed absque euphoria. Die 29 Junii emeticum infundebatur, inde non ſolum magnam pituitæ copiam evomuit ille, ſed & exſuſcitatus & cum adſtantibus locutus fuit. Pauca vero poſt minuta iterum obdormivit, ſomnumque ad 13 Julii continuavit, quo ſubito exclamando aquam popoſcit, qua avide, clauſis licet oculis, epota, eundem ſoporem repetiit, & ad 11 usque Januarii diem anni currentis ſub eodem gradu & absque ullo ſtertore protraxit. A die 29 Junii usque ad medium Auguſti præter dictam aquam nihil alimenti aſſumſit, ſi vini Hiſpanici circiter uncias tres vel quatuor excipias. Ab illo tempore ſoror ejus ſingulis ſex diebus unicum bolum panis & carnis ori ingeſſit; tandem ſingulis diebus fere bis vel ter oblatum cibum ſub eadem quantitate clauſis tamen ſemper oculis deglutivit ille, ita ut tam paucum alimentum infanti recens nato pro vita ſuſtentanda vix ſufficeret. Uno tempore facilius deglutiebat eadem, quam alio, de potu præter dicta nihil aſſumebat. Inſenſibilis tranſpiratio exilis admodum ex arido habitu judicabatur, ſudor nullus, feces alvinæ paucæ, donec die 27 Julii ſequentibusque 14 diebus poſt Elyxir Proprietatis infuſum quotidie egereret dormiens, ſed absque morbi levamine. Cum vero cibus ei præberetur, ut dictum, quotidie vel ſingulis binis diebus lectum urina & fecibus commaculavit. Quæ ſordes ut evitarentur, ſellæ fuit impoſitus, foramine pro illis transmittendis inſtructæ; hæque ſemper viſcidæ, fuſcæ, duræ, ſubinde liquidæ excernebantur. Pulſus erat æqualis, ſed parvus & tardus, niſi quod poſt Spirituum naribus admotorum uſum ille accelerarctur. Utplurimum absque motu jacuit dormiens, rarius ab uno latere in alterum volvebatur, palpebras quandoque movebat, oculos tamen non aperiebat; collum etiam extendebat, tuſſiebat. Poſtquam igitur ultra 6 men-

menses dicto modo dormiverat, die 11 Januarii hor. 10. matutina post tussim somno plenarie excusso, oculos aperiebat, de nullo conquerens dolore, sed solum lumen oculis molestum esse, pronuntians. Lassitudinem vero membrorum & capitis gravitatem accusabat, corporisque marcorem mirabatur, vixque, se tamdiu dormivisse, ut crederet, a se impetrare poterat. Famelicus cibum poscebat, potum hauriebat, & prudenter loquebatur. Cepit posthæc quidem aliquoties iterum somnum, sed interruptum, & cum stertore. Die 12 Januarii hora 8 matutina arcte & graviter & pristino modo dormitare denuo cœpit, & die 22 Februarii, quo supra nominati Doctores scriptum hoc subsignarunt, adhuc dormivit.

DESIDERII ERASMI OPERUM OMNIUM TOMUS III, VIII, IX & X.

Lugduni Bat. apud Petrum van der Aa, 1703, 1706.

Tomus	III	constat	Alph. 12. pl. 19 & Fig. æn. pl. 10.
	VIII		Alph. 3. plag. 15.
	IX		Alph. 6. plag. 20.
	X		Alph. 4. plag. 17.

SPlendidissimæ hujus Operum Erasmi editionis mentionem jam antea fecimus, tum anno 1704 mense Augusto p. 351 sq. cum tomum primum, secundum & quartum, tum anno 1705 mense Novembre p. 481 sq. cum quintum, sextum & septimum recenseremus, quin & in ejusdem anni Novis Litterariis p. 239 causam indicavimus, quare tertii tomi editio differenda fuerit. Nimirum cum undique ab eruditis Epistolæ quamplurimæ ad Bibliopolam transmitterentur, quæ lucem antea vel sparsim, vel nondum plane adspexerant, necessitatem sibi impositam vidit tomum tertium in duas partes dividendi, ex quo factum ut inter postremos fere hic tomus prodierit, quanquam subscriptum annum editionis 1703 habeat. Ut vero & illis satisfiat, qui auctas tantopere Epistolas seorsim comparare velint, novum quoque titulum exemplaribus nonnullis præmisit, qui annum 1706 subscriptum habet. Ceterum

quantum

quantum ad hanc editionem, & eo præcipue nomine commendanda videtur, quod Epiſtolæ, quæ in prioribus editionibus, vivo etiam Eraſmo procuratis, nulla temporis ratione habita, diſponebantur, hic ordine temporum collocantur, iis tamen, quibus addita temporum nota non fuit, ſeorſim in Appendicem rejectis. Exhibentur hic Eraſmi Epiſtolæ non tantum impreſſæ omnes, exceptis quidem Dedicationibus, quæ ſuis locis inſertæ comparent, verum & plus quam quadringentæ viginti quinque, quæ lucem publicam antehac nondum adſpexerant, a Craſſerio quippe, Kortholto, Hottono aliisque liberaliter communicatæ, in quibus diligenter cum codicibus MSptis conferendis, ut in ornanda tota hac collectione, laudatur inprimis induſtria Joannis de la Faye. Præterea vero & Longolii, Bembi, Sadoleti, Mori, Melanchthonis, Camerarii, Pirckheimeri aliorumque ad Eraſmum Epiſtolæ, ex horum collectionibus epiſtolicis excerptæ, congruo loco inſeruntur. Accedunt denique Indices rerum & verborum longe copioſiſſimi, & effigies quorundam eruditorum, quorum modo Epiſtolas hic exhiberi diximus, ut nihil plane ad ornatum & decus editionis deeſſe videatur. Sed pergamus ad reliquos tomos, quibus præſtantiſſima hæc editio abſolvitur. Volumine VIII ea continentur, quæ Eraſmus e Chryſoſtomo, Athanaſio, Origene & Baſilio Latinitate donavit, quæ vel eo digna, quæ conſervarentur, credidit Editor, quod in editionibus SS. Patrum, quæ indies novæ prodeunt, aliæ, aut interpolatæ inveniantur translationes, quibus hæ ipſæ minime cedunt, quippe ab Eraſmo, non juvene, ſed ſene factæ. Hæc dum imprimeret Bibliopola, commodum in Petri Opmeri codicem MS. quorundam Eraſmi opuſculorum incidit Bibliopola, in quo cum ineditas Orationes duas, alteram de Pace & diſcordia contra factioſos, alteram funebrem in Bertam de Heyen Goudanam viduam, deprehendiſſet, eas merito huic volumini, quod reliqua mole non æquabat, ſubjunxit, una cum carminibus ineditis, in quodam Petri Scriverii codice repertis. Sequuntur in eodem volumine Franciſci Robortelli Annotationes in Apophthegmata ab Eraſmo verſa e Laertio, ubi Diogenis Cynici vitam deſcribit, qui libellus olim Venetiis 1543 prodierat. His ultimo loco accedit

cedit Joannis Herold Declamatio apologetica contra Dialogum famosum in Erasmi funus editum. Quæ nono eoque ultimo editionis Frobenianæ volumine continebantur, in duos tomos IX & X hic fuere distribuenda, cum ob accessionem novam, tum inprimis ob Indicem generalem, quem satis copiosum ultimo volumini subjungere visum est. Habentur ergo in utroque volumine præter complures Apologias Erasmi pro se ipso, aliaque ejus opera eristica, in quibus aliquando paulo commotior factus, acriter cum adversariis decertat, Apologia Martini Lydii pro Erasmo eorum calumniis opposita, qui eum Arrianismi accusabant, Index item Expurgatorius in opera Erasmi, Guilielmi Insulani Oratio funebris in ejus obitum, & Index demum, quem diximus, generalis in omnia Erasmi Opera, excepto Epistolarum volumine, cui peculiares sui indices sunt adjecti. Habemus ergo editionem luculentissimam Operum Erasmi, quibus, Cl. Editoris judicio, nulla paulo locupletior Bibliotheca, nemo paulo elegantioris ingenii vir potest carere.

JO. ANTONII CAMPANI, EPISCOPI APRUTINI, Epistolæ & Poemata, una cum vita Auctoris. Recensuit JO. BURCHARDUS MENCKENIUS.

Lipsiæ, apud Jo. Fridericum Gleditsch, 1707, in 8.
Alphab. 2 pl. 5.

BEne mereri de Campano voluit Collega noster, quo scriptore ita se delectari scribit, ut alio nullo. Neque enim fingi quidquam aut scribi festivius pulcriusque, sive in prosa, sive vorsa oratione posse videtur, his elegantissimi Campani operibus, quæ joco & sale refertissima eaque styli elegantia conscripta sunt, ut cum quibusvis Veterum monumentis possint comparari. Præmissa est his ejus Epistolis & Poematibus ad Virum illustrem & celeberrimum, ANTONIUM MAGLIABECHIUM, Fautorem nostrum æstumatissimum, Epistola, in qua dolet primum Editor, serius ad se perlata fuisse, quæ Vir summus de Petro Alcyonio (cujus in Actis hujus anni p. 43 mentionem fecimus) in tribus epistolis ad se scriptis observaverat. In his enim & fal-

& falso a nonnullis tradi evincit, eum corrigendis typorum erroribus operam navasse, cum & Medicus fuerit, & Florentiæ primum, deinde Romæ bonas litteras publice docuerit, & inprimis, quæ de plagio traduntur, tum Cælii Calcagnini, Jo. Francisci Pici, Principis Mirandulani, & Petri Victorii, Alcyonio æqualium, testimoniis, tum ex eo oppugnat, quod post vulgatum *de Exilio* librum non minus elegantia monumenta alia ediderit, & præterea vix sperare potuerit, hoc unicum Ciceronis in orbe universo exemplar superesse, ex quo detegi fraus ipsius potuisset. Observat præterea, Franciscum Berni nequissimam satyram in Alcyonium conscripsisse, in posterioribus quidem ejus Poematum ludicrorum editionibus mutilatam, in qua inter alia Alcyonium fustibus castigatum his verbis testatur:

- - - *L'Alcionio*
Fu bastonato come Sant' Antonio,
Jo gli son testimonio.

Verum & hæc conficta esse nullus dubitat, cum Alcyonium inter & Satyricum hunc gravissimæ olim intercesserint inimicitiæ; quæ adeo, cum hic oblata sit occasio, eruditos ignorare noluimus. Sed ut ad Campanum nunc redeamus, exstabat quidem Operum ejus omnium, in quibus & Historica, & Oratoria, atque Philosophica multa continentur, editio Venetiis 1502 in folio, quod ajunt, a Michaele Ferno, qui Vitam etiam Campani prolixissimam præmisit & præfationes passim non inutiles inseruit, procurata, verum & adeo rara, ut vel ipsis eruditorum primiceriis ignoraretur, & adeo sphalmatibus inquinata, ut Oedipum lectorem requireret. Atque hæc fere causa fuit, quare inter tot litterarum instauratores solus Campanus, qui toties suis scriptis pollicitus immortalitatem est, hactenus pulvere ac sordibus obrutus latuerit, quandoquidem & Cl. Daumius, qui, cum Ravisianas ederet epistolas, adjecit Campani quasdam, sed breviores, fatetur, *se quo minus longiores iisque meliores adderet, σφαλμάτων infinitate deterritum*, in Epist. Reines. Ep. XL. Dignus tamen visus fuit hic scriptor & Daumio & Reinesio, qui se in vicem de perversa ejus lectione consulerent, quemadmodum ex Epistolis Reinesianis XL, XLI, XLIII & XLV patet. Ededit

dedit quidem in hac editione operam diligentem *Menckenius*, ut obſcuritas, quantum fieri poteſt, tolleretur omnis, & Epiſtolæ (non minus quam Carmina) integræ prodirent; quamobrem & novem libris Epiſtolarum Appendicem adjecit earum epiſtolarum, quas Fernus ſub titulo Cenſurarum ſeorſim in Operibus Campani diſpoſuerat, quippe cenſuras in Quintilianum, Suetonium, Plutarchum, Livium, Ciceronem longe elegantiſſimas & lectu præ ceteris digniſſimas continentes. Præmiſſa eſt huic editioni Vita Campani, e Ferno excerpta, & notis ab Editore illuſtrata, in quibus inter alia refutat Jul. Cæſarem Capaccium, qui L. II Hiſt. Neap. Sueſſam Campano patriam adſcripſit, cum Cavellis, ignobili Campaniæ pago, natus fuerit; tum & Volaterranum, qui Anthropol. L. XXI, p. 776 Campanum Græcorum expertem vocat & fere quadragenarium deceſſiſſe teſtatur, cum pateat, viginti tres annos natum Græca, Demetrio Chalcondila præceptore, didiciſſe, & ad quinquageſimum ætatis annum perveniſſe; nec non Ughellum, qui in Ital. S. T. I p. 412 a Paulo II Tudertinis præfectum ſcribit, quod factum demum a Sixto IV; præterea & plura alia e Mabillonii Itin. Ital. T. I p. 196, Benedicti Curtii Symphoriani Comm. ad Areſta Amorum p. 738, Varillaſii Anecd. Flor. L. IV p. 173 & ipſis inprimis Campani Epiſtolis & Poematibus obſervat. Quæ vero de ingenti Campani erga Germanos odio diligenti ejus lectione collegerat, ea ſigillatim in Oratione, quam ante ſexennium publice Lipſiæ recitatam Epiſtolis in hac editione ſubjecit, ediſſeruit. Ceterum ut una Lectori pateat, qua ſermonis elegantia ſcripſerit, quamque fuerit characteris epiſtolici ſcientiſſimus Campanus, non verebimur integram ejus Epiſtolam XXV Libri V, quæ Venturæ Pontano inſcripta eſt, hoc loco inſerere: *Quæris, quod genus Epiſtolarum maxime probem: ſua cuique ratio, ſuum judicium eſt. Mihi illæ placent potiſſimum, quæ ſunt familiariſſimæ, quæ mordent, quæ blandiuntur, quæ narrant tanquam in aurem aliquid. Theatrum & plauſum non poſtulant, &, ut dicam apertius, eam ego cenſeo Epiſtolam elegantiſſimam, quæ præter gratiam ſermonis nihil habeat, cur elegans videatur; ut ſit ad manum, quicquid ſcribas, & excidat, non emittatur; denique ut lo-*

ut loqui ad angulum cum amico, non insonare ad forum videaris. At cur non, inquis, interdum & ad forum, cum ad Senatum aut Populum scribo? Rarum id quidem, sed evenit, & ratio exigit, ut, quocum tibi res sit, videas. Sed nescio, an Epistolam velis dici, quæ in Historiam exeat. Vale. Sic temperare nobis haud possumus, quin nonnulla exscribamus ex Epistola proxime præcedente, ubi Eclogæ & Satyræ discrimen ostendit. *Vult Ecloga,* inquit, *veluti modos quosdam, ad quos cantet, suaves, expeditos, simplicitatis tamen, sed studii plenos; Satyra præcipites, abruptos, amaros, nequitia felleque confectos, saltantes non ad cantum, sed impetum, ut quicquid dicat, evomat, quicquid attingat, mordeat, tum implicata, suspecta, nodosa omnia, nihil apertum, nisi quod turpissimum, sententias tamen e media ductas Philosophia, multam historiam præteritarum rerum, multam notitiam præsentium, licentiam quoque summam, ut ea objiciat maxime, quæ sunt molestissima, tum salis multum, & facetiarum, & urbanitatis, &, ut uno dicam verbo, Satyrorum is dicit optime, qui pessime.* Verum institutum nostrum non patitur, ut plura afferamus specimina; quantam enim Epistolæ doctrinam complectantur, vel Index ab Editore additus docebit. Optamus vero, ut & reliqua Campani opera, inprimis elegantissima ejus Historia Bracchii, pari ornatu propediem prodeant.

FRANCISCI PHILELPHI, TOLENTINATIS, EPIstolæ breviores elegantioresque; accedunt Angeli Politiani Epistolæ quædam.

Romæ, typis Antonii de Rubeis, 1705, in 12.
Constant pl. 14.

NOn immerito Campano jungimus Philelphum, qui & ipse humaniorum litterarum per Italiam instaurator, illius ætatem proxime attigit. Hujus Philelphi varia scripta prostant, in quibus refert Menagius (Suite de Menagiana p. 95) *de Contemptu mundi* librum, & de eo, quod hac occasione obiter notamus, eadem, forte per errorem, narrat, quæ alii de Alcyonii libris *de Exilio* tradidere. Epistolas quidem scripsit

ſatis elegantes, ita tamen, ut ad Campani Veneres neutiquam accederent; earum duplex, quantum nobis conſtat, habetur editio, altera in ſedecim libros digeſta Brixiæ anno 1485, altera, quæ multo locupletior, quippe triginta ſeptem libris diviſa (teſte Mallinckrot de Orig. Typogr. p. 18) Venetiis 1502 edita. Accedit his nunc tertia editio, quam Iſidorus Nardus, uſus, ut loquitur, originario exemplari, nuper procuravit. Verum non eadem Philelpho, quæ Campano, felicitas obtigit, cum non omnes, ſed breviores atque adeo minus doctrina refertæ hic exhibeantur; nec hactenus ineditas hic exſpectes, quippe omnes in Brixienſi, nedum in Veneta editione, occurrunt. Laudem tamen meretur hæc editio, quod Philelphi Epiſtolis a Nardo, ut Campani a Menckenio, præmiſſa ſunt argumenta. Subjunctæ ſunt longe breviſſimæ quædam Politiani Epiſtolæ, qualis illa: *Doles, quod non reſcribam. Dolere deſine, jam reſcribo, Vale.* Item illa: *Dolui vehementer, lætatus ſum vehementer; quod ægrotaſti, quod & convaluiſti. Vale.*

TRIAS DECADUM, MEMORIAM THEOLOGORUM NOSTRÆ ætatis clariſſimorum renovatam exhibens, curante M. HEINRICO PIPPING.

Lipſiæ, apud Thomam Fritſch, 1707, in 8.
Alph. 1 pl. 13.

SAcrum *Decadum Septenarium*, de quo abunde dictum eſt in Actis anni 1705 p. 230 ſq. continuaturus Reverendus *Pippingius*, Vir ut in colligendis Actis noſtris, ita in ornanda univerſa re litteraria indefeſſus, tres Decades nunc ceteris adjungit, eoque Theologorum Centuriam complet. His pariter præmiſſa legitur erudita Præfatio, in qua eos recenſet, qui intra hoc biennium, ex quo ſcilicet *Septenarius* ejus prodiit, Vitas Eruditorum deſcripſere. Itaque hic de Franciſci Ariſii Cremona Literatæ Tomo I & Thomæ Smithi Vitis eruditiſſimorum & illuſtrium Virorum, nec non de Jo. Henrici Cunradi Sileſia Togata, Caſparis Theophili Schindleri cura nuper edita, agit, ſimulque nuntiat, Danielem Guilielmum Mollerum, Prof. Altorfi-

torfinum, in *Lamprandrologia*, quam molitur, *Norimbergensi* eruditos Norimbergæ natos in lucem protracturum. Sic & producit Christophorum Jacobum Bluhmium, qui, exemplo Ephraimi Prætorii, Dantiscanorum Doctorum memoriam refricantis, Brunsuicensium Concionatorum Indicem composuerit, & jam similem Hildesianorum promittat, eodemque refert Jacobi a Melle Majorum suorum Notitiam a nobis superiori Mense p. 217, sq. memoratam. Denique, ut alios mittamus, commendat Christiani Feustelii *de Eruditorum Germanorum vitis, contra iniquas Gallorum nonnullorum censuras, speciatim de* Βιογράφοις *Germanorum, contra Rolandi Maresii judicium* schediasma nuperrime editum, cujus in Actis nostris mentionem propediem faciemus. Hinc ad suum delatus institutum Cl. *Pippingius*, non diffitetur, promptissimos se expertum fuisse in communicandis his monumentis eruditos, & in his maxime laudatum modo Bluhmium & Jo. Georgium Layrizium, Aulæ Vinariensis Theologum primarium, quorum ope novas mox Decades se editurum sperat. Interim huic *Decadum Triadi* diutius inhærere institutum nostrum non patitur, quare ut in Septenarii quoque recensu fecimus, solum eorum, quorum hic vitæ enarrantur, nomina addemus. Exhibentur nimirum in Decade octava *Georgius Crauserus, Balthasar Raithius, Samuel Skunkius, Gregorius Michaelis, Johannes Gebhardi, Casparus a Lilien, Petrus Holmius, Christianus Nifanius, Joh. Reinhardus, Joh. Eberhardus Busmannus:* in nona *Justus Siberus, Petrus Bangius, Severinus Waltherus Sluterus, Jo. Gottlieb Mollerus, Ehregott Daniel Colbergius, Jo. Weissenbornius, Olaus Svebilius, Christianus Bremerus, Jacobus Wæchtlerus, Laurentius Norrmannus:* in tertia denique *Fridericus Fabricius, Thomas Honstedt, Paulus Hofmannus, Conradus Feuerlinus, Andreas Carolus, Andreas Daniel Habichhorstius, Jacobus Henningius, Andreas Acoluthus, Jo. Wincklerus & Phil. Ludovicus Hannekenius.* His in Appendice addidit Noster Theologorum Ulmensium, *Eliæ Veieli & Jo. Heinrici Weihenmaieri*, vitas.

Kurtze

Kurtze Fragen von den menschl. Neigungen, ꝛc.

i. e.

JOHANNIS WOLFGANGI TRIERI QUÆSTIONES *succinctæ de Affectibus humanis.*

Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditsch, 1707, 12. Pl. 14.

Utitur Autor, ut e titulo patet, methodo erotematica, quam doctrinæ de Affectibus inprimis convenire dicit, quoniam hæc re vera sit propensionum nostrarum examen. Opusculum ipsum divisum est in libros duos, in quibus ubique physicam de temperamentis doctrinam cum doctrina de moribus conjungit. Initio libri I, ubi de natura hominis in genere agit, de facultatibus animæ, voluntate & intellectu, ita sentit, ut neutram imperare alteri, utramque autem imperio temperamenti plerumque subesse, multis verbis demonstret. Quatuor autem constituit vitia cardinalia, superbiam, avaritiam, libidinem, gulam, respondentia quatuor temperamentis, cholerico, melancholico, sanguineo, phlegmatico. Exstructa deinde quadam vitiorum genealogia, cui tanquam hypothesi reliqua magna ex parte innituntur, statuit, in cholericis semper cum superbia conjuncta esse tria vitia reliqua, avaritiam, invidiam, iram: in melancholicis autem avaritiam tantum reperiri & invidiam, superbiam & iram ob frigiditatem ejus temperamenti ab illis abesse. Hinc de singulis temperamentis agit, naturam eorum exponit, connexionem doctrinæ physicæ cum morali monstrat, & ex physiognomiæ regulis nonnulla inspergit: addit etiam, quæ sit brutorum pro ratione temperamenti indoles, quam miseram homines, si temperamento obsequantur, vitam agant, qua ratione vitia e temperamento orta emendari queant, qua diæta, quo vitæ instituto uti oporteat. Libro secundo mixturam temperamentorum perpendit, & primum generatim de mixtura differens temperamenta, primas item qualitates, quas vocant, singulari quadam ratione inter se comparat. Sigillatim deinde agit de cholerico-melancholicis, quorum mixtionem pessimam esse judicat, cholerico-sanguineis, quæ temperatura a nonnullis optima est habita, cholerico-phlegmaticis, melancholico-sanguineis, qui ab aliquibus pessimi mortalium dicuntur, melancholico-phlegmaticis, & sanguineo-phlegmaticis, quos omnium minime malos agnoscit. Demum varia monita ad hanc doctrinam pertinentia addit, ut non inutiliter in hoc opusculo versatus videatur Autor. Promittit vero, se mox Observationes miscellaneas paulo prolixiores de temperamentis & propensionibus editurum.

* * * * *

N. VII.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Julii, Anno M DCC VII.

JO. COCCEJI, SS. THEOL. D. AC PROFESSORIS in Academia Lugdunensi Batava, Opera ἀνέκδοτα Theologica & Philologica.

Amstelodami, apud Jansonio-Waesbergios, Boom, & Goethals, 1706 in fol.

Alphab. 16, plag. 14.

JAm inde ab anno Seculi superioris quinto supra septuagesimum manibus Eruditorum trita sunt Celeberrimi Viri, Joannis Cocceji, scripta tam edita, quam posthuma, in unum corpus redacta a Filio, paternarum uti facultatum & possessionum, sic virtutum etiam hærede dignissimo, Johanne Henrico. Non credebat ille tunc, futurum, ut & ea, quæ jam exhibentur, ederet, ratus, posteriores cogitationes, quas ibi declaravit Parens, prioribus heic insinuatis dubio procul meliores ac præstantiores censeri debere. Ast cum non una vice ad hæc accederet, consulturus, an quid haberent, quo magis, quam editis, erudiretur, non raro invenit, has priores curas posterioribus lucem haud pœnitendam afferre, meditantibusque plurimam materiam suppeditare posse. Ac licet nonnunquam eadem in his reperiantur, quæ in editis, plerumque tamen stylo adeo diverso tamque familiari concepta omnia testatur, ut sperandum sit, eos, qui quandoque de obscuritate editorum sint conquesti, in hisce inventuros esse, quæ editis dent lucem. Et si fortassis hinc inde reperiantur in his scriptis, quæ cum editis, tanquam posterioribus, haud satis concinant,

nant, promtum hinc futurum innuit Lectori de Autoris profe-
ctu judicium.

Ut itaque singula, quæ inedita servata fuerunt, cum ce- *ἀνεκδότων*
tera typis describerentur, (qua de causa eadem & titulum indepta sunt, quo distinguerentur a prius editis & post-
humis, quæ pristinæ operum collectioni inserta fuerant,) ab
interitu vindicarentur, peculiarem hunc Operum Coccejano-
rum tomum adornavit Noster, in quo racemationem post vin-
demiam instituit, atque in fragmentis hisce recensendis & ad
prelum parandis per octennium, & ultra, nobiles impendit
horas, istum tenens ordinem, juxta quem, quæ libros respiciunt
Biblicos, aut integros, aut eorum aliquot majores minoresve
particulas, annotationes, justa ante omnia serie Noster exhibet,
& tum Exercitationes quasdam miscellaneas, Orationes item,
curas porro Philologicas, ac Epistolarum denique ab ipsomet
Coccejo, aut ad ipsum, exaratarum apparatum haud conte-
mnendum subministrat.

Primo loco dantur *Curæ* Cocceji *priores in Genesin*, quas
inter primas ejus lucubrationes reponendas venire, ex characte-
re Noster colligit. Mox adjiciuntur *notæ* in eundem librum,
ejusque Capita ab *undecimo* usque ad *quadragesimum quartum*,
quas *continuationem* vocat *curarum secundarum in Genesin*.
Notæ hinc sequuntur *analyticæ* in *Numerum* & in *Deuteronomium*,
quo ultimo in libro usque ad Caput XXIX progressio facta est.
Breves sunt notæ, quæ in *Josuam*, & aliæ, quæ in librum *Judi-
cum* contextæ sunt. Post *summam rerum ad Jobum dicenda-
rum* (quam antecedit *προθεωρία* de *ratione interpretandi*, qua
se ad explicationem Jobi Bremæ paravit,) *Analysis Psalmorum*
legitur, meditationes denique primæ in Prophetiam *Jesaiæ* &
Prophetia *Hoseæ* analytice illustrata, nec minus *Hoseæ & Apoca-
lypseos collatio*, cui jungitur *Habacuci* Analysis paraphrastica &
cum Cantico comparatio, scripta post *theatrum regni Christi in
Cantico Canticorum*. A notis in *quinque Capita priora Matthæi*,
quas tentavit Coccejus in gratiam Elsevirii, Novum Testamen-
tum cum brevibus notis edere parantis, auspicium fit lucubra-
tionum ejus in Novum Testamentum hactenus ineditarum, post

quas

quas spectes *Colloquium Christi cum Nicodemo*, Joh. III, 1—21, *Sermonem Johannis Baptistæ* περὶ καθαρισμȣ̃, Joh. III, 23—36, Commentarium in *Epistolam ad Romanos*, plane diversum ab edito A. 1665, Epistolam ad *Galatas* harmonica dispositione & brevi verborum ac rerum expositione illustratam, διαγράμματα, summam rerum in Epistolam ad *Colossenses* & ad *Hebræos* dicendarum delineantia; ac brevem tandem *Epistolæ Petri prioris* dispositionem atque expositionem.

Generali τῶν συμμίκτων nomine ab Editore Clarissimo insignita sunt, quæ jam commemoramus: Exercitatio, puta, de *Ecclesiæ indefectibilitate* ad Matth. XVI, 18. Annotationes in *posteriorem partem Capitis primi Evangelii Johannis*, inque *Caput secundum & sequentia ad sextum usque*; Meditatio in Joh. XIV, 2; Refutatio *cavilli Sociniani* ad Joh. XVII, 3; Consideratio *Capitis V Epistolæ ad Romanos*, cum examine *Parhermeniarum Socini*; Explicatio analytica *Capitis IX Epistolæ ad Romanos*; Consideratio locorum Apoc. XI, 2. 3. 7. 8. 9. 11. 15. XII, 6. 14. XIII, 5. Dan. VII, 25. XII, 6. 7; de *Capite XX Apocalypseos* cogitatio; de *peccati natura*; de *divortii justa causa*; Judicium de *scripto Wolzogenii de Scripturæ Interprete*; Consilium de *agendis ad incitationem studiorum Theologicorum ex usu Academiæ & Ecclesiæ Frisicæ*; Responsio ad quæstionem: *an Theologiæ Studioso prius Philosophia discenda, an vero Lingua sancta?* Exercitatio de *Linguæ Hebrææ analogia, utilitate, necessitate, & discendi methodo*; *Hebraismi* aliquot & *Hellenisticæ locutiones ex Novo Testamento*; theses de *Synedrio & Judiciis, exterminio, anathemate & separatione a Synagoga sive Ecclesia.*

Inter Orationes (præter inauguralem de *Philologia Sacra* supra notis in librum Judicum subnexam,) prima est Græca, quam ad Martinii, ipsum exercere cupientis, jussum de *Turcarum religione* composuit, quamque Celeberrimus Joannes van der Wayen Genero suo, Creightono, Latinitate donandam porrexit, cujus proinde versio Græco textui apponitur. Secunda agit de *dono linguarum effuso in Apostolos*. Tertia *linguarum studium* commendat. Quarta, *omni regimini, quod a Deo est*,

 obe-

obediendum esse, probat. Quinta, *quis liber sit & liberalis?* dispicit.

Plura circumspicientibus se offerunt observationes de *distinctiori significatione selectarum vocum linguæ Hebraicæ ex usu Scripturarum*, secundum ordinem Alphabeti, sed eæ ad finem haud perductæ. Mirari quempiam posse dicit Editor, quare illas Autor non inseruerit *Lexico*, quod postmodum in usum Serenissimæ Principis, Mariæ Eleonoræ Palatinæ Viduæ conscripsit. Sed quum id operis inchoaret, animum ei fuisse dicit brevitatis studiosum, cum contra in his observationibus paulo fuerit prolixior.

Agmen claudunt Epistolæ CCCCXCVII, quarum non paucas ad alios Coccejus ipse perscripsit, sed plures longe ad se datas recepit a Viris omnino doctissimis & celeberrimis, quos inter sunt Jacobus Altingius, Nicolaus Arnoldus, Abrahamus & Franciscus Burmanni, Johannes Buxtorfius, Ludovicus Capellus, Ludovicus Crocius, Johannes a Dalen, Constantinus l'Empereur, Jo. Frischmuthus, Johannes Fredericus Gronovius, Franc. Gomarus, Jo. Hornbeckius, Jo. Henr. Hottingerus, Antonius Hulsius, Samuel Maresius, Guil. Momma, Stephanus le Moyne, Antonius Perizonius, Christianus Revius, Andreas Rivetus, Frid. Spanhemius, Jacobus Triglandius, Jo. Valckenier, Christophorus Wittichius, aliique. Addidit eas Filius de manibus paternis quam optime meritus, tum ut plurimæ intelligerentur Parentis responsoriæ, tum ut patefierent argumenta, super quibus Viri Clarissimi eum sæpius consulere voluerunt, tum ut constet, quomodo olim a maximis tam in patria, quam extra eam Theologis ejusdem studia probata fuerint.

BRABANTIA ILLUSTRATA, CONTINENS ACCURATISSIMAM omnium Castellorum & Prætoriorum nobilium Brabantiæ &c. descriptionem, ex museo JACOBI LE ROY, P. R. J. Baronis, nec non Toparchæ S. Lamberti.

Lugdu-

Lugduni, apud Daniel. van den Daelen, Amstelodami, apud Andream van Damme, Hagæ Comitum, apud Engelbrechtum Boucquet, 1705 in fol. chart. regal.

Alphab. 5, plag. 7 & multis fig. æneis.

Quod diu minatus erat splendidum sane opus Perillustris ac plurimis in rempublicam litterariam meritis inclytus Autor, quodque in Actis Suppl. T. II Sect. VI, cum Topographiam ejus Historicam Gallo Brabantiæ recenseremus, publico sperare fecimus, illud Amstelodami A. 1696 sub titulo: *Brabantia Sacra & Profana scenographice illustrata*, primum in lucem prodire passus est. Primarias ibi Ducatus istius urbes, prætoria insuper & castella nobilium ut & celebriora cœnobia mirifica arte exsculpta præbuit, sed absque ulla fere, quæ historiæ studiosos allicere possit, locorum descriptione, ad alios potius autores in confecto duarum plagularum indice curiosum Lectorem remittens. Ecce vero alteram libri editionem, in qua licet titulus paululum sit mutatus, non tamen mutata apparent elegantissima schemata, quin concinniore adhuc ordine, in quatuor puta agros, Lovaniensem, Bruxellensem, Antwerpiensem & Sylvæ Ducensem dispertita, ac triplici idiomate, Latino nimirum, Gallico & Belgico copiose satis descripta, nec non chartis quatuor districtuum istorum topographicis aucta in conspectum veniunt. Neque intra hosce cancellos tantum substitit incomparabilis Viri diligentia, sed quoniam arcibus prædictis atque terris variarum dignitatum, Baronatus, Comitatus, Marchionatus, imo & Principatus titulos imposuisset Principum erga illarum possessores favor, diplomata, quibus istud gratiæ emanavit, ab A. 1518 usque ad A. 1694 longa serie adjunxit. Quo ipso quantum historiæ atque genealogicæ rei lucis accenderit, quilibet visus non plane hebetis deprehendet. Docet prætérea, antiquos Brabantiæ Duces, si Carolum Audacem exceperis, nullos Comites aut Marchiones, multo minus Principes creasse, sed tantum viginti & tres Baronatus, de quorum tamen origine nihil certi e Tabulariis publicis constet, ibi extitisse, præeunte

Divæo, obſervat. Ab illo ævo increbuiſſe nimis honores, ita ut tandem, ne multitudine ſua vileſcerent, Caroli II Hiſp. Regis ſanctione opus fuerit, quæ vetat quenquam in Collegium nobilium recipi, niſi a quatuor generationibus nobilitatem ſuam probaſſet, & ſi Baronis locum ambiret, quatuor millia florenorum, ſi Comitis aut Marchionis, decem millia, ſi denique excellentius adhuc faſtigium prenſaret, viginti millia e terris aliisque reditibus dominicis annuatim ſe percipere demonſtraviſſet.

DE VETERIBUS REGUM FRANCORUM DIPLOmatibus &c. Diſceptatio II ad R. P. D. JOANNEM MABILLONIUM, Monachum Benedict. Auctore P. BARTHOLOMÆO GERMON, Societ. Jeſu Presbytero.

Pariſiis, apud Claudium Rigaud, 1706 in 12.
Conſtat plag. dimidiat. 36.

LOngius produci videmus bellum hoc diplomaticum, majoreque animi contentione adgreſſorem pugnam renovare, quam ſub initium forte ſuſpicari licuiſſet. Poſtquam nempe artis diplomaticæ conditor Cl. Mabillonius Supplemento ſuo, menſe Auguſto ſuperioris anni a nobis prolato, Doctiſſ. Germonium cum Diſceptatione ſua, quam itidem paulo ante recenſuimus, repellere ac tantum non conficere præſumſiſſet, grave hic ſibi duxit victas manus oſtendere, aut prælio ſaltem dubio elabi, quin potius cauſæ ſuæ fiducia acrius jam inſtat, Fontanino quoque, Mabillonii promacho, certos brevi ictus minitans. Neque tamen modeſtiæ erudito ſeni debitæ immemor hac vice videtur, ſed offenſionem ejus aſperioraque verba in Supplemento contra ſe, proprio licet nomine ne ſemel quidem appellatum, paſſim diſperſa non effugere ſe potuiſſe dolet, & quandoquidem argumentis ſuis nondum ſatisfactum putat, etiam atque etiam ab ipſo contendit, ut ne moleſte ferat, ſe denuo conſuli. Præſens autem hæc diſceptatio in quatuor diviſa eſt partes. Prima generales illas rationes, quibus

quibus edita olim a Mabillonio vetustiorum diplomatum specimina suspecta reddere conatus erat Noster, pluribus defendit. Ideo namque eorundem veritatem probari oportuisse ingeminat, quia singulare hoc privilegium iis tribui observet, ut ceterorum norma sint & regula; neque amplius provocari posse credit ad legis auxilium, quod instrumenta proferens non teneatur argumenta conquirere, quibus illorum αὐθεντίαν certam faciat, & ab eo potius sit exigendum, qui instrumentum reprobat, ut idoneam afferat rationem, cur id debeat reprobari. Illud enim habiturum fore locum, quoties diplomata aliorum documentorum sortem probandi retinerent, non vero quando ad ea, tanquam ad trutinam, reliquorum veritas expenderetur, sed tum indubitatis plane & perspectis ad demonstrandam illorum certitudinem rationibus opus esse. Cum ergo artem diplomaticam instituerit Mabillonius, certas tradens vera a falsis instrumentis secernendi regulas, suspectis tamen chartis unice innixas, fundamentum hoc prius omni falsitatis specie liberandum venire, quam fides illis adjiciatur, tantum abesse, ut seu juris aliqua præsumtio, qua vera censentur diplomata, quæcunque non probantur falsa, seu Mabillonii autoritas & judicium, seu conjecturæ denique prudentissimæ rem expediant. Nam quod vetustissima jactentur illa diplomata, illud ipsum suspicionis ansam firmare, cum creditu haud ita facile sit, tam caduca corpora, qualia sunt membranæ & chartæ Ægyptiacæ, per annos nongentos, mille aut etiam plures integra durasse, præsertim si ad remotiorum istorum temporum incuriam respiciatur. Quæstionem igitur facti: num adhuc hodie extent in Ecclesiarum Monasteriorumque Archivis chartæ barbaro quodam & obsoleto scripturæ genere exaratæ, priscorum Francorum Regum & antiquitatis notam præ se ferentes? neutiquam attendi debere, sed illam potius, quæ juris est, an scilicet chartas illas, quæ apparent antiquæ, re ipsa antiquas, iisdemque temporibus, quorum signa ostendunt, scriptas esse constet, neque ex earum censu, quas falsarii ad verarum similitudinem confinxerint? Enimvero impostorum hujus farinæ audaciam valde nimis invaluisse, i-

stoque

stoque crimine se maculasse clericos, monachos, notarios, scribas, pædotribas, seculares, imo & fœminas; quin & collegia prope nulla, paucissimas certe Ecclesias, aut familias, a falsarum tabularum labe esse immunes, ipse Mabillonius disertis verbis affirmaverat, cur itaque neget jam ac perneget, tam multa occurrere Ecclesiarum seu Monasteriorum interpolata instrumenta, merito mirandum esse, siquidem hæc duo asserta egregie sibi contradicant. Priore autem admisso non vanum profecto subesse timorem, ne autographorum illa specimina, quorum veritas in apricum nondum est perducta, ex illorum fortasse sint numero, quæ falsatores corruperunt aut fabricati sunt. Sive enim scripturam, sive orthographiam, sive stylum denique eorum examines, nihil sane testimonii inde eviceris, quod de illorum veritate docere queat. Non e scriptura, quia diplomata illa, maxime Merovingica, specialem quendam litterarum ductum teneant, neque in istius ævi numismatibus, nec inscriptionibus lapidariis, nec codicibus manuscriptis, nec privatorum epistolis obvium, præterea quoque Mabillonius nullibi inficias eat, falsatoribus usitatam fuisse eandem scripturam Merovingicam. Non ex orthographia, quippe cum in chartis illa Meroveadum nullis plane legibus deprehendatur adstricta. Neque etiam ex stylo, quandoquidem nullus istorum temporum scriptor in Latini sermonis regulas tam frequenter, tam aperte impingat. Nam quod Marculfianas atque Andecavienses formulas attinet, incertum adhuc esse, utrum Autorum, an librariorum vitio menda illa irrepserint. Eo itaque tanquam centrum versus abeunt hactenus dicta Germonii, posse aliquam de diplomatibus judicandi scientiam usu & experientia adquiri, sed non adeo certam, ut Mabillonius opinetur, qui in Supplem. C. IV pronunciaverat, nullum instrumentum tanta arte effingi vel refingi posse, cujus falsitas vel interpolatio a perito antiquario detegi nequeat. Vix enim licere tam evidenter ejus αὐθεντίαν cognoscere, ac metallorum, auri puta atque argenti sinceritatem, quoniam hæc ars naturam omnibus numeris implere, sicque fraudem satis callide obvelare haud valeat, ibi vero istud saltem oporteat effingi, quod olim Notarius

tarius effinxit; difficultas certe aliqua, non tamen insuperabilis. Atque ut fortius stringat adversarium, quærit ex ipso, an non acciderit, cum peritissimus harum rerum æstimator & arbiter habeatur, ut litigantes, priusquam judicem adirent, ipsius de instrumentis suis judicium efflagitaverint, ipseque nonnunquam legitima dixerit instrumenta, quæ postea judex oculatissimus spuria compererit? Unde sane constet, eruditum antiquarium usu, vigiliis & experientia sua nihil aliud consequi, nisi ut prudens hisce de rebus arbitrium ferre possit, atque tum si fallatur, erroris veniam ipsum facile inventurum, quam non haberet, si Mabillonii sententiæ foret locus. Cæteroqui minime dubitat, quin recentioris ætatis diplomata vera & falsa certa arte judicari possint, siquidem in Tabulariis publicis subministrentur plurima autographa semper ibi asservata, adeoque per sese fidem facientia, & pro idonea veritatis norma habenda, ad quam alia examinare fas sit. Anteriora vero retro secula cum tali subsidio careant, productaque in medium specimina autographorum Merovingica in privatorum scriniis unice delitescant, nullo autoritatis publicæ suffragio munita, hinc nihil quoque certi iis, utpote suspectis, superstrui posse. Frustra insuper hic provocari ad quendam veritatis gustum, quem longo talium diplomatum usu ac lectione adipisci detur, cum falsorum instrumentorum, vel de quibus ambigitur, veranę sint an falsa, inspectio non nisi similem dapibus appositis gustum excitare queat.

Succedit jam altera pars disceptationis, quam totam impendit confutandæ Tabularii San-Dionysiani fidei, quatenus primorum temporum instrumenta continet. In tertia vero parte sigillatim ac perquam erudite examinat Diplomatum specimina a Mabillonio adducta, quorum fide ars ejus potissimum nitatur, illaque vacillante & hanc ruere necesse sit. Verum utramque citra prolixitatis tædia delibare integrum amplius non est, quin potius Lectoris sciendi cupidi, quantum distent lupinis æra, attentæ perlustrationi commendamus. Quarta superest, in qua criminationes nonnullas a Mabillonio, ut dicit, falso sibi impactas Noster amolitur. Quales sunt, quod de Re

Diplomatica libros post viginti annorum laborem & vigilias ab eo editos ad trutinam vocare ausus esset obscurus ipse ac nullius nominis scriptor; quod impugnando vetusta illa autographa jus publicum pariter ac privatum violasset; quod universis veteribus instrumentis bellum indixisset; quod veterum Scriptorum fidem iisdem argumentis convellere liceret, quibus Artem Diplomaticam evertere tentasset. Ad eas autem ita ordine respondet: sibi neutiquam persuaderi, propter pertinacem tot annorum laborem & industriam omnes Mabillonii autoritati se subjicere debere, aut ab eo solummodo feliciter impugnari posse illius de Re Diplomatica libros, qui totidem annos in eodem argumento trivisset, sed Historicos modo coætaneos diligenter evolvi oportere, tumque eorum testimonio instrumentorum nævos atque vitia sat clare demonstratum iri. Porro permagni Reipublicæ interesse, spuriorum Diplomatum maculas in lucem protrahi, quippe cui non minorem inferat perniciem, qui dubia pro certis, falsa pro veris obtrudat, quam qui ob levissimas ratiunculas veterum instrumentorum fidem elevare contendat; utrumque enim noxium esse ac vituperandum, sive fides temere detrahatur vero, sive imprudenter falso adjiciatur. Se vero nunquam induxisse in animum, ut quibuslibet veteribus autographis dicam scriberet, sed illis duntaxat, quæ primæ & secundæ Dynastiæ nomen præ se ferrent, ac totius artis Mabillonianæ fulcra essent sola atque unica. Neque enim suspicione aliqua se onerasse veteres chartas, quæ vel in Tabulario Romanæ Ecclesiæ, vel in Parisiensi Computationum Camera, vel in Regio Chartarum Thesauro aliisque Grammatophylaciis publicis habentur, vel alia denique, quæ in privatorum pluteis reperta cum istis consentiant, siquidem illa inprimis in his locis ab omni memoria extiterint sancte religioseque custodita, ideoque humanæ societatis & prudentiæ legibus consonum fore, ut quæ fere semper vera sint, nec nisi rarissime falsa, ea tantisper vera ac legitima reputentur, donec contrarium fuerit ostensum. Quodsi igitur Mabillonius, vel quis alius, excussis sedulo ejusmodi instrumentis publica autoritate repositis, regulas

las ſtatuiſſet, quibus cetera aut ejusdem aut ſaltem non multo ſuperioris ætatis monumenta vera a falſis ſecernantur, ſtatim ſe calculum adjecturum fuiſſe innuit Autor. Veruntamen Mabillonium iſtud minime præſtitiſſe, imo potius ea conquiſiviſſe Diplomata, quibus nulla ſuffragentur Archiva publica, figendo pedem in tertia Regum Dynaſtia, unde penſum fortaſſe ordiri habuiſſet. Utcunque vero ars diplomatica Mabillonii convulſa foret & disjecta, quod quidem a ſe factum nullatenus jactitat, nihilominus haud licere veteres chartas omnes in claſſem ſuſpectarum relegare, ſed eandem illis remanſuram conditionem, quæ fuerat ante editos ejus de Re Diplomatica libros; falſis nimirum & dubiis, quæ tunc erat, inveteratam labem, certis e contra & perſpectis autoritatem ſuam & fidem. Denique dicta de vetuſtioribus inſtrumentis ad alia veterum ſcripta & libros attemperari nullo modo poſſe, quoniam hæc propter exemplarium multitudinem & conſenſum omnem ſatis ſuſpicionem eludant, nec probabile fiat, homines patria, ingenio, moribus ac ſtudiis diverſiſſimos in id conſpiraſſe, ut poſteritati tot ſuppoſititiis ejusmodi ſcriptis fucum facerent. Huic tandem Apologiæ ſuæ Appendicem annectit de quibusdam codicibus S. Auguſtini, quibus etiam nimis detractum fuiſſe Mabillonius non ſine ſtomacho conqueſtus erat. Ubi poſtquam multa de utilitate & pretio exemplarium manuſcriptorum præ libris impreſſis, de præſtantia item horum præ illis, nec non de cautione ſumma atque examine, quo præeunte manu exaratos codices recipere fas ſit, erudite diſſeruiſſet Noſter, illos qui Auguſtini editionem noviſſimam curarunt, codicibus, quos Hincmarus, utpote a Gotſcalci fautoribus adulteratos, falſi quondam convicerat, imprudenter adhæſiſſe taxat. Parem quoque oſcitantiam commiſiſſe editores Operum B. Hilarii velut in tranſitu monet, qui lectionem Felicis Orgelitani, Neſtorianæ hæreſis patroni, quam is in verbis: *carnis humilitas adoptatur*, pro *adoratur*, aſtute olim ſubſtituerat, retinere non ſint veriti. Atque hæc ſunto, quæ ex Cl. Germonii libello eriſtico, verbis fere interdum ejus ipſiſſimis, ne mentem illius ulla ratione inverteremus, proponere viſum eſt.

PATENÆ ARGENTEÆ MYSTICÆ, QUÆ Foro-Cornelii in Cathedrali Ecclesia S. Cassiani colitur, Descriptio & Explicatio. Autore JOANNE PASTRITIO, Dalmata Spalatensi, Philosophiæ ac Theologiæ Doctore, atque in Romano de propaganda fide Collegio Theologiæ Polemicæ Lectore.

Romæ, apud Antonium de Rubeis, 1706, in 4.
Alphab. 1.

PEtrus, cognomento Chrysologus, Archi-Episcopus Ravennas, paulo ante mortem suam, cum ad solum patrium, (ubi & supremum obiisse diem perhibetur,) Forum nempe Cornelii, diverteret, Templo Cathedrali Divi Cassiani Martyris præter alia dona & patenam obtulisse dicitur argenteam, identidem deauratam, magnitudinis palmum Romanum paulo excedentis, unciarum quatuordecim, quam, cum figuris & characteribus non unis insignita sit, mysticam appellat, multoque studio, quid sibi velit quodlibet insculptum, declarare nititur Clarissimus *Pastritius*. Et patena quidem, quam æri incisam in tabula V exhibemus, in medio, ubi collocanda hostia, agnum sistit, tanquam occisum, super mensam, velo aut pallio coopertam, collocatum, sed capite tamen & dorso elevato vitulum una referentem. Supra dorsum agni eminet magna & lata crux aurea argenteis bracteis terminata, ut idem agnus & cruci adhærens & mensæ appositus compareat. Velum, quo mensa tegitur, literas L & C aliquoties repetitas, & modo in situ recto, modo in transverso positas, duo item foramina seu puncta, & characterem cifræ 2 assimilatum repræsentat. Sed & rosa octo foliorum, figuræ, quam in medio eminere diximus, substrata cernitur, & ex hisce foliis quatuor literata sunt, literasque peregrini prorsus ductus & obscuri continent. In extremo autem fere circulo aut labro patenæ duo leguntur versus Latini, hujus tenoris: *Quem plebs tunc cara crucis agnus fixit in ara, Hostia fit gentis primi pro labe Parentis.* Genuinam hanc esse Petri Chrysologi patenam constans est Foro-Corneliensium tra-

TAB. V.

TAB. V.
ad A. 1707. M. Jul.
pag. 300.

IPSISSIMVM ECTYPON

PATENÆ MYSTICÆ

LEBS TVNC

LABR

traditio, quam & firmare Noſter pro virili nititur. Equidem plurimos ſibi ipſe movet ſcrupulos, quos tamen & eximere ſibi æque ac Lectoribus ſuis allaborat. Ipſos hoſce verſus, quos modo allegavimus, Leoninos eſſe, ac propterea antiquitatem temporum Chryſologi haud ſapere, obtendit. Sed rhythmici Carminis aliam eſſe rationem dicit atque Leonini: poſterius enim hoc per plures verſiculos continuari, prius autem paucis lineis terminari, Leoninumque proin recentius, rhythmicum vero & antiquis familiare fuiſſe autumat. Literas inſuper verſiculorum videri poſſe recentiores Chryſologo, objicit, & Gothicis prope ſimiles. At, ſi vel maxime ita ſe res habeat, Gothicas certe literas Chryſologi ævo Ravennatibus non ignotas fuiſſe cenſet, quanquam Latinas potius has pronunciare velit, quas tamen de induſtria Chryſologus nonnihil immutari fecerit. Sicut autem, quod ad figuram agni attinet, conjicere cuivis facile eſt, quomodo eam Noſter interpretetur; ita caput & dorſum elevatum, quo vituli ſaginati inducatur figura, hoc notare vult, quod Pater cœleſtis Filium ſuum credentibus in epulum lætitiæ præparaverit. Sed nodos multo difficiliores nectere Autorem videmus circa literas & characteres, in quibus exponendis Religioſum aliquem, cujus nomen conſulto reticet, jam A. 1643 occupatum fuiſſe narrat. Ejus mentem huc rediiſſe innuit: Notas in velo menſæ expreſſas Anni 448 referre numerum, ita, ut C. C. Ↄ. L. L. 2. I. perinde ſit, ac ſi ſcriberes: CC CC II L, totidemque annos Chriſti effluxiſſe usque ad tempus, quo patenam iſtam elaborari juſſerit Chryſologus. Literas vero in foliis roſæ expreſſas Græcas eſſe, & initiales quidem abbreviatasve vocabulorum, quæ is formavit, ſequentium: *Μαρία μῆτερ τῶν χριςὸν σωτῆρον*, quæ ſignificare ipſi creduntur: *Maria Mater Chriſti Salvatoris.* At enimvero, quam infelici cum ſucceſſu Oedipi vices Interpres hic ſuſtinuerit, nemo, niſi plane *ἀναλφάβητος*, non intelligit. Videamus autem, quam Noſtro viciſſim calcare viam allibuerit. Literas in velo a menſa, cui impoſitus eſt agnus, pendente conſpicuas pro more forte antiquo ſe oculis offerre

censet, juxta quem in vestibus pretiosis & sacris, honoris & reverentiæ causa, literæ repræsentari sueverint, unde opus haud sit, ut in earum significationem ulterius curiose adeo inquiratur. Ast nihilosecius præstare Noster autumat, & heic mysteria quærere, indeque per literam C aliquoties repetitam & diversimode collocatam divinitatem & humanitatem Christi, perque duo foramina seu puncta duas in Christo operationes, humanam & divinam, designari contendit. Duo porro, quæ heic conspiciuntur, L in positu recto, & unum L conversum significare posse arbitratur duas naturas sub una persona verbi. Imo & characteres istos habet pro dictionum initiis, ita, ut tria C inferant hæc: *Christus Confixus Cruci*, ubi C semel conversum vel affectum ostendat, quandoquidem Christus non raptus fuerit vi, sed quia voluerit, (conversionem etenim amorem significare vult) vel actionem indicet adversariorum in crucifixione valde hostilem. De tribus L sic censet, quod primum significet Leonem, & conversum itidem, sed prius istud Leonem de tribu Juda, posterius Leonem Diabolum, unde ex tribus istis literis emergat sententia: *Leo Læsit Leonem*. Sed quid de characteribus rosæ, ad quam supra provocavimus, ex mente Nostri fiet? Græcas partim literas, partim, & plurimas quidem Hebraicas esse totus sibi persuadet. In primo folio rosæ duas, quas pro Græcis agnoscit, literas ST haberi vult, quæ σταυρὸν seu crucem denotent. His statim jungi Hebraicam, nempe א, quæ litera nominis Adam prima sit. Hinc duas comparere itidem Hebraicas in secundo, duasque in tertio, & unicam in quarto folio, quod ultimum & Græcas illas ST repetitas monstret. E quinque istis tres dicit esse literas constituentes nomen Hevæ חוה, quibus præmittatur ו copulativum, medium vero ו in nomine חוה ait duplicari, ita, ut alterum rectum sit, & alterum adversum, indeque sensum hunc emergere: *Crux. Adam. Et Heva. Crux.* At enimvero litera fere nulla, ceu ocularis quemque docet inspectio, cum exacte referat eam, quam referre ex mente Nostri debet, ideo is in ipsa forma a consueto more pingendi literas istas Hebraicas manifesto admodum discrepante mysteria quærit singularia: v. g. figura,

quam

quam pro litera ח venditat, quoniam tectum duobus hastilibus recta descendentibus junctum æquali linea non habet, sed ejus loco ductus repræsentat quasi saltus quosdam edentes, hique ipsi modo elevantur, modo deprimuntur, modo iterum elevantur, innui hac variatione judicat sublimem primo statum innocentiæ, in quo Heva fuerit condita, lapsum deinde ejus, ac tandem reparationem per Christum factam. Loco unici cum duplex Vav adhiberi in nomine חוה statuat, alterumque adverse positum sit, mulierem idcirco primam & secundam, seu Hevam & Mariam, sibimet invicem opponi affirmat. Vav insuper cum in figura sua uncum referat, literaque ista hoc loco solito exhibeatur major, ostendi putat, quod Heva uncus velut in ruinam ingentem posteros trahens evaserit. In charactere, quem pro litera א venditat, cum superius cornu deesse palam deprehendat, factum id esse censet ideo, quod gratiam, quam a Deo habuerit Adam, ipse, & cum ipso genus humanum, perdiderit. Tam profunde doctum se Hebraica in literatura paucis his in elementis probavit Chrysologus, si fides nostro habenda est Pastritio, qui quidem si in hisce conjecturis applausum haud obtinuerit, placebit tamen plerisque, ubi vitam Petri Chrysologi paulo recenset accuratius, suoque tractatui gratiam haud levem conciliat.

HISTOIRE DE L'ACADEMIE ROYALE des Sciences. Année MDCCV.

h. e.

HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM Anni 1705, cum commentariis Mathematicis & Physicis.

Parisiis, apud Johannem Boudot, 1706, in 4.

Conft. 3 Alph. 1. plag. cum multis figuris & 8 Tabb. æneis.

UT hujus quoque Voluminis, quo antea consuevimus, more excerpta demus absque ambagibus, non ignorant rerum natu-

TAB. VI. Fig. 1.


naturalium ſcrutatores, ſi globo vitreo DE cum tubo ſimiliter vitreo & in C recurvo continuo includatur aer & tubus ab E usque ad aliquam ejus partem brachii AB liquore quodam repleatur, ſitque orificium tubi A apertum, aeris incluſi volumen non ſolum mutato calore, ſed & pondere aeris externi mutari. Quoniam itaque aer externus in hanc machinam ſolo pondere agit, eam loco barometri marini adhiberi poſſe animadvertit *Amontons*, cum effectus non impediatur, utut perpetua navis agitatio ſitum ejus verticalem immutet. At aer pariter atque liquor incluſus nunc condenſatur, nunc rareſcit pro diverſo aeris externi ſtatu. Turbantur igitur obſervationes circa pondus aeris externi variatum ope hujus inſtrumenti inſtituendæ. Ad has turbas minuendas, ſuadet *Amontons*, ut eligatur tubus, cujus exigua admodum ſit diameter, ut exiguam liquoris quantitatem capiat, utque infundatur liquor rarefactioni non admodum obnoxius, qualis eſt oleum tartari. Ad eas vero prorſus tollendas duplicem adhibet, ut Cl. *Hookius* in ſuo Barometro marino, (de quo dictum eſt menſe Aprili A. 1702) graduationem, quarum altera fixa inſtrumento reſpondet, quatenus eſt thermometrum, altera mobilis, quatenus barometrum. Quantitatem totius graduationis barometricæ invenit, gravitate ſpecifica liquoris cum duobus pollicibus Mercurii, integram in barometro communi graduationem abſolventibus, comparata, eandemque in 24 partes æquales diviſit. Graduationem thermometricam ope alicujus ſuorum thermometrorum inveſtigavit, eamque tali tempore inſcripſit, quo teſte alio barometro pondus aeris non variabat. In obſervatione ex thermometro, unde graduatio thermometrica deſumta, addiſcendus eſt gradus caloris & ad hunc dimidium graduationis barometricæ reducendum; ita enim liquor indicabit gradum ponderis atmoſphæricæ in graduatione mobili. Deprehendit *Amontons* per obſervationes complures, barometrum hoc marinum barometro ipſius rectificato (de quo dictum eſt menſe Octobri A. 1706) ἀκρίβειαν tantum non dubiam reddere.

De la Hire filius per obſervationes didicit complures, acus magneticas, ſi perfecte ſimiles fuerint, utut virtutem magneticam

eam a diversis magnetibus contraxerint, in eodem tamen loco declinationem non variare; a differente autem figura earundem aliquam declinationis varietatem proficisci: quod ultimum jam ante annos bene multos a R. Dn. *Neumanno* (cujus jam alibi in Actis nostris facta est mentio, nempe A. 1696 p. 399 & A. 1697 p. 313) sedulo rerum naturalium scrutatore, observatum esse meminimus. Multæ etiam observationes circa hanc declinationem passim habitæ afferuntur & inter se comparantur, ex quibus bonitas systematis *Hallejani* A. 1684 mense Augusto a nobis descripti manifesta evadit. Plurimum hoc anno desudarunt Mathematici Parisienses in vera condensationis & dilatationis aeris lege exploranda, quam *Mariottus* in Tract. de Motu aquarum p. 140 & seqq. variis experientiis inductus hanc fecerat, quod condensatio sit constanter ponderi superincumbenti proportionalis. Experientiæ ab illis factæ legi huic primum contradicere videbantur; ast quam accuratissime reiteratæ cum ea pulcherrime conspirabant, si exiguas quasdam irregularitates excipias, a diversa diametri magnitudine in diversis ejusdem tubi partibus petendas. Hoc tamen non obstante tandem deprehensum est, aerem liberum ab eo, qui tubis includitur, prorsus diversum existere, nec legem *Mariotti* ullatenus attendere, minus quippe dilatationi obnoxium & in diversis altitudinibus inæqualiter dilatari solitum ob heterogenea admixta. Observatum ulterius, quod duo barometra similia, eodem Mercurio repleta & in eodem loco posita, nunquam exacte conspirent. Unum inprimis 18 plerumque vel 19 lineis a reliquis perpetuo deficiebat, quamvis tubum inclinatum Mercurius exacte adimpleret, & alius aliusque infunderetur, pristino remoto. Causa tandem hæc deprehensa fuit, quod non multo ante ad maculam quandam abstergendam interiores tubi parietes spiritu vini abluerat *Hombergius*: quam veram esse, iterata ista ablutione didicit *Amontons*. Enimvero cum etiam in illotis 6 vel 7 linearum differentia sæpissime notata fuerit; poros vitri materiam quandam subtilem in Mercurium gravitantem admittere, *Amontons* sibi persuasit. Materiæ, quæ speculis causticis exponuntur, in carbonibus excavatis col-

locantur. Monet vero *Hombergius*, quod carbones ex ligno viridi hunc in usum parari debeant, non sicco. Idem observavit, quod ferventissima æstate minor longe sit speculorum causticorum effectus, quodque imminuatur, si inter speculum & focum vas carbonibus candentibus repletum ponatur, ita ut radii reflexi exhalationes carbonum trajicere teneantur. Nec etiam in calore mediocri majorem unquam speculorum causticorum effectum reperit, quam cum post ingentem ac diuturnam pluviam ex nubibus Sol primum emergit. Infertur hinc, tempus observationibus per specula caustica instituendis maxime accommodum esse æstivum ab hora nona matutina usque ad tertiam pomeridianam, Sole nulla nubecula tecto, calore existente mediocri, nec siccitate per plures jam dies continuata: unde ulterius concluditur, vix octo subinde per annum occurrere dies, in quibus conditiones istæ necessariæ concurrant. Inprimis vero hic commemorandum est Manometrum, hoc est, nova machina a *Varignonio* ad determinandam rarefactionum aeris in uno loco diverso tempore rationem, vel etiam in differentibus locis eodem vel diverso tempore, inventa. Ecce tibi ejus constructionem. CGHE est tubus, cui ab utraque extremitate adhærent vasa BC & DE. Vas BC cylindricum esse debet, ut facilior sit in partes tubi partibus æquales divisio, siquidem ea opus fuerit, & capacitatis vasis ad tubum habeatur ratio. Vasis DE figura arbitraria. Ab initio machina utrinque in B & A adaperta & propter calculi commoditatem axis BC sit verticalis, horizontalis GF per dimidiam tubi longitudinem & dimidium vas DE transeat. Infuso liquore colorato, donec in GF subsistat, foraminulum B hermetice sigillatur, altero in A aperto. Capacitas globi DE capacitati tubi CE & vasis BC simul sumtæ æquatur, ne forte liquor in H usque descendat, & tubulus flexuosus AD ad impediendam evaporationem additur. Similiter dispiciendum, ne forte vas BC cum tubo CG tot aeris capiat, qui dilatatus extremitatem tubi CE attingat. Ut itaque capacitas tubi atque vasis utriusque accurate determinetur, thermometrum Florentinum glacie circumdari moxque aquæ calidæ immergi jubet, quo habean-

TAB. VI. Fig. 2.


Fig. 1.
A
Fig. 3.
G
F

beantur termini compressionis ac dilatationis aeris. Quoniam jam spatium BCG tali aere repletur, qualis locum istum tum occupabat, in quo liquor infundebatur; evidens est, quod ex liquoris ascensu ultra vel descensu infra GH ratio densitatis aeris dato quocunque tempore quocunque in loco ad densitatem aeris primitivi determinari queat. Ex. gr. si ponamus ad datum aliquod tempus liquorem ad L usque pertingere, ad datum tempus aliud usque ad K, erit densitas aeris isto tempore ad densitatem aeris hoc tempore ut BCL ad BCK. Variatus calor observationes turbare nequit, quia eadem ratione in aerem conclusum atque externum agit. Equidem si liquor ultra G assurgat, evidens est, columnam aeris inclusi BCG non totum atmosphæræ pondus sustinere; si ultra F, aerem inclusum esse magis compressum externo: quoniam tamen ascensus liquoris nunquam per integram BH fieri, hæc vero minima assumi potest, cum ejus magnitudo arbitraria existat, nec inde error aliquis sensibilis proficiscitur. Egregie ostendit *Amontons* ope calculi Analytici, quomodo densitates aeris in diversis locis Manometris diversis observatæ inter se comparentur, quamque inter se habent, ratio determinetur. Sint scilicet massæ aeris inclusi m, μ; volumina primitiva earundem V, υ; densitates primitivæ D, Δ; volumina reducta u, v; densitates reductæ d, δ. Erit $V \times D . \upsilon \times \Delta :: m . \mu : ud . v\delta$. Quare $\frac{V \times D}{ud} = \frac{\upsilon \times \Delta}{v\delta}$ seu $d . \delta :: \frac{V \times D}{u} . \frac{\upsilon \times \Delta}{v}$. Multa monet circa regulæ hujus applicationem, quæ ob evitandam prolixitatem a nobis prætermittenda. Docet insuper, quomodo experientiæ antliæ pnevmaticæ per novum hoc Manometrum verificentur.

In Anatomicis Dn. *Littre*, præterquam quod insignem cerebri subsidentiam a commotione violentiori, eaque sola lethali, notabili exemplo demonstret, inprimis structuram renum & duplicem matricem curiosius exhibet. Fœtus quippe novimestris majores producit renes, racemis uvarum simillimos, ex vesiculis exilissimis, strictissime se invicem contingentibus atque ramis arteriarum, venarum & nervorum adhærentibus,

tibus, subsidio microscopii ita contextos visos, ut qualibet vesicula, duabus membranis prædita & fibris carneis reticularibus circumdata, plures quidem canaliculos a sacculis rubicundis, qui sanguine turgidi fibrarum reticularium intervalla occupant, recipiat, sed unicum tantum majorem emittat, qui cum multis aliis concurrens communem demum formet ductum, in pelvim desinentem, urinamque in parvis sacculis secretam & vesiculis infusam exonerantem. E puella vero bimestri vaginam uterinam sistit, in longitudinis circiter medio per septum veluti in duas cavitates æquales, ad duas distinctas matrices per totidem orificia tendentes, diremtam, licet cuilibet utero non nisi una tuba, unum ovarium, unum ligamentum rotundum, unumque ligamentum sit latum. Dn. *Poupart* sub utrorumque obliquorum & transversalium musculorum abdominis annulis immediate duo teretia ligamenta abdominis suspensoria notat, a spina ossis pubis excurrentia & ossium ad instar indigitatos tres magnos musculos sustinentia. Quas novas Dn. *du Verney* de Auribus Societati communicasse dicitur Observationes, haud dubie suo de Auditus organo Tractatui curabit inseri, aliquando locupletiori non minus edendo, quam quæ ab eodem accuratior genitalium descriptio ejusmodi insectorum, quæ duplici gaudent sexu, promittitur.

Gratiola quanto solennius drasticis, humores per superius & inferius guttur evacuantibus, annumeratur, tanto diligentius a Dn. *Bolduc* ad examen vocatur, quo diversi ejus innotescant effectus, si vel cum lacte infusa, vel radix ipsius, vel præparata varia propinentur. A gratiola namque lacti infusa, cum asciticorum aquas, tum lumbricos, sine omni violentia eliminari; radicis pulverisatæ drachmam dimidiam in dysenteria æque, ac radicem Ipecacuanha, conferre; a succo expresso, depurato & inspissato, saporis acidi amarcantis & adstringentis, urinam magis, quam sedes, moveri; Extracti autem e magmate residuo cum aqua parati amarioris majorem & quantitatem & in purgando efficaciam haberi; Extracti tamen foliorum aqua facti vim catharticam, quamvis uperiorem simili Extracto radicis, multum excedi ab Extracto

ſpiritu vini elicito. Quia vero aqua majorem particularum copiam, quam ſpiritus vini, e. gratiola exſiccata extrahat, merito hæc de ſale eſſentiali plus, quam de reſina participare colligitur: ejusque radix recens adeo humida juxtim innuitur, ut exſiccandum inter vel tres quartas amittat. Dn. *Godofredus* a Chymicis ſcire avet, num cineres reperiantur omnis ferri expertes? ne ſucceſſu ulteriori in ferro ex ſulphure, ſale vitriolico & terra arte producendo fruſtretur, verum certior potius reddatur, an non inter lignorum combuſtionem ipſo trium iſtorum principiorum coalitu ferrum generetur; cum ipſe nondum ullos cineres talibus particulis, quæ magneti non adhæreſcant, penitus deſtitutos valuerit deprehendere. Dn. *Homberg* certisſimus nulla analyſi chymica ſulphur ſimplex, ſeu quod principii titulum mereatur, poſſe acquiri, ex compoſitione demum nonnullorum mixtorum artificialium ſtatuit, principium chymicorum ſulphureum, ſolum in mixtis activum, non niſi ipſam luminis eſſe materiam. Cujus aſſerti facilem ab omnibus conſenſum ſibi pollicetur, ubi expendant: 1 materiam luminis eſſe perquam activam, veluti ratione exilisſimarum ſuarum particularum cunctorum corporum poros promte penetrantem & flammam una cum oleoſis conſtituentem; 2 luminis materiam aliis ſe inſinuare poſſe principiis, horumque figuram, pondus & molem immutare, ac ipſa diverſimode pro mixtis ſenſibilibus producendis inter ſe combinare, exemplo Mercurii per ſe fixati & Reguli Antimonii radiis ſolaribus calcinati, a ſolius materiæ luminis acceſſu, præter qualitates alias, augmentum ponderis obtinentium.

Dn. *Tournefort* in Botanophilorum gratiam nunc characteres, quibus Morſus Ranæ, Meniſpermum, Chryſanthemoides, Chamæbuxus, Camphorata & Ficoides, tanquam nova plantarum genera, diſtingui debeant, nunc deſcriptionem Caryophylli Sinenſis Supini, Leucoji folio, flore vario, nunc ſuas de plantarum morbis Obſervationes, communicat.

In Arithmeticis Dn. *De la Hire* doctrinam de Quadratis Magicis (de quibus nonnulla leguntur in Actis noſtris A. 1668 p. 392) magis promovit, quam ante ipſum fecerunt *Moſchopu-*

bus, Græcus, qui primus ex veteribus de eorum constructioni-
bus quidpiam posteritati reliquit in MSC. Parisiis in Bibliothe-
ca Regia asservato, *Cornelius Agrippa*, *Freniole* in Tractatu pe-
culiari, quem anno 1693 post mortem ipsius edidit *De la Hire*,
& *Poignard* in libello 1703 de iisdem publicato, in quo omnes
antecessores longe prætergressus.

In Algebraicis novam methodum generalem ex æquatione cujuscunque gradus extrahendi radicem proposuit *de Logny*. Expendit scilicet differentias differentiarum quadratorum esse constanter 2, differentias tertias cuborum esse constanter 6, differentias quartas quadrato quadratorum esse constanter 24 &c. Hanc speculationem ad resolvendas æquationes transtulit. Quoniam tamen regula ab ipso proposita, si radix fuerit irrationalis, non nisi terminos radicis, hoc est duos numeros unitate differentes, intra quos ea cadit, exhibet, & methodi jam aliæ magis expeditæ radices rationales extrahendi & ad valorem irrationalium oppropinquandi habentur; illam hic exponere nil attinet.

Repræsentamus potius ejusdem *de Logny* elegantissima theoremata generalia de Tangentibus & Secantibus angulorum multiplorum inveniendis, ad Trigonometriam perficiendam tendentia. Sit BAC angulus quicunque, cujus quintuplus est minor recto. Sit DAB ejus duplus, EAB triplus &c. erit BC Tangens AC Secans anguli simpli; BD Tangens, AD Secans anguli dupli; BE Tangens, AE Secans anguli tripli &c. Sit $AB = a$, $BC = b$, $AC = c$, $BD = x$, erit $CD = x - b$, $\overline{CD}^2 = xx - 2bx + bb$, $\overline{AD}^2 = aa + xx$. Jam AB. AD :: DC. CD, consequenter $\overline{AB}^2 . \overline{AD}^2 :: \overline{BC}^2 . \overline{CD}^2$, hoc est, $aa . aa + xx :: bb . xx - 2bx + bb$. Facta reductione invenitur $x = \frac{2aab}{aa - bb} = BD$. Ergo $CD = x - b = \frac{aab + b^3}{aa - bb}$. Ut porro habeatur Secans AD, fiat BC. CD :: AB. AD. Reperietur $AD = \frac{a^3 + abb}{aa - bb} = \frac{ac^2}{aa - bb}$, si $AC = c$.

TAB. VI. Fig. 3.

Similiter

Similiter invenitur anguli tripli Tangens $BE = \frac{3aab - b^3}{aa - 3bb}$, Secans $AE = \frac{c^3}{aa - 3bb}$; anguli quadrupli Tangens $BF = \frac{4a^3b - 4aab^3}{a^4 - 6aabb + b^4}$; Secans $AF = \frac{ac^4}{a^4 - 6aabb + b^4}$. Inde elicuit resolutiones duorum problematum generales.

Problema 1. Sit radius a, Tangens anguli $x = b$, inveniri debet Tangens anguli cx. *Resolutio.* 1. Elevetur binomium $a + b$ ad potentiam c. 2. Sumantur ex hac potentia termini impares, nempe primus, tertius, quintus &c. pro Denominatore; pares vero, nempe secundus, quartus, sextus &c. per a multiplicati pro Numeratore fractionis. 3. Termini Numeratoris pariter ac Denominatoris alternatim signis + & — notentur, prodibit Tangens anguli cx.

Problema 2. Sit radius a, Tangens anguli $x = b$, Secans $= c$, quæratur Secans anguli dx. *Resolutio.* Fiat fractio, cujus Denominator idem, qui in fractione pro Tangente; Numerator c^d, si d numerus impar; ac^d, si par.

Præterea Geometriæ perfectionem promoverunt *Varignon* atque *Carré*: quorum iste theoriam suam de motu Planetarum in quacunque orbita A. 1700 propositam insigniter perfecit, habita scilicet ratione motus Apogæi, quem illo tempore non attenderat; hic vero Curvam per motum Diametri circuli in concavitate semiperipheriæ circularis genitam examinat. Commendatur quoque in Historia liber, quem sub titulo Applicationis Algebræ ad Geometriam 1705 edidit Guisnée, constructionem problematum & locorum inprimis illustrans, & promittitur liber posthumus Marchionis Hospitalii de Constructione Æquationum.

In Astronomicis *Cassinus* filius novam proponit methodum locorum longitudines per occultationes fixarum a Luna determinandi, similem ei, quam ante aliquot annos Parens tradiderat in Eclipsibus Solaribus fundatam.

In

In Mechanicis *Bernoulli* veram hypothesin de resistentia solidorum explicat, addita demonstratione Curvaturæ corporum elasticorum. Rejecta hypothesi *Gallilei*, itemque *Leibnitiana*, quod in hac male supponatur, tensiones fibrarum esse viribus tendentibus proportionales, cum vires in infinitum augeri queant, compressio autem terminos finitos admittat; per calculum Analyticum eandem regulam reperit, quam in Tractatu de motu aquarum part. 5 disc. 2 experientia comprobavit *Mariotte* vim rumpentem trabem in situ horizontali esse ad vim rumpentem in verticali ut $\frac{1}{3}$ altitudinis ejus ad longitudinem ipsius. Lineam elasticam Mechanicam quandam esse demonstrat eamque constructionis difficilis; nequaquam vero Parabolam, quemadmodum suspicabatur *Gallilæus*. Dedit præterea *Carré* solutionem sequentis problematis hydrostatici: Data diametro alicujus tubi, invenire diametrum alius, qui eandem cum isto habeat altitudinem, sed eodem tempore multiplum aquæ desideratum effundat. Sit diameter data a, quæsita x: imminutio aquæ in tubo dato $\frac{aa}{n}$. Cum resistentiæ tuborum sint in ratione superficierum, erit $a . x :: \frac{aa}{n}$. $\frac{ax}{n}$, quæ est imminutio aquæ in tubo quæsito. Quare quoniam quantitates aquarum effluentium, neglecta tuborum resistentia, sunt in ratione duplicata diametrorum, repetietur $xx - \frac{ax}{n} = maa - \frac{maa}{n}$, consequenter $x = \frac{a}{2} + \frac{a\sqrt{4mnn - 4mn + 1}}{2n}$.

Denique sub finem Historiæ extat elogium *Jacobi Bernoulli*, cui in Academia Scientiarum Regia successor datus Illustrissimus *Blanchinus*, in Actis nostris non ignotum nomen: nec non *Guilielmi Amontons*. Natus hic est A. 1663 die ultima Augusti patre Jurispractico in Normandia. Cum a morbo quodam surditatem aliquam contraxisset, totum se meditationibus tradens de machinis cogitare cœpit, artemque pictoriam, Geome-

Geometriam practicam & Architecturam tam felici successu excoluit, ut in multis operibus publicis adhiberetur. Studuit quoque constructionibus barometrorum, thermometrorum & hygrometrorum perficiendis, & jam A. 1687 annos 24 natus novum hygrometrum Academiæ Scientiarum obtulit. A. 1695 librum evulgavit sub titulo Observationum & Experientiarum Physicarum de constructione novæ cujusdam clepsydræ, de barometris, thermometris & hygrometris. A. 1699 in Academiam receptus, ubi statim theoriam affrictus ad Mechanicam perficiendam exhibuit, quam exceperunt novum thermometrum, rectificatio barometri, barometrum marinum. *Mariottus* in ipso revivixisse dicitur. Mortuus est A. 1705 d. 11 Octob. ætat. anno 42 mens. 2, relicto filiolo duos menses nato.

C. WOLFII, P.P. SCHEDIASMA DE IN-veniendo Sinu anguli multipli ex dato Sinu simpli.

DOcuit nuper Geometra clarissimus *de Lagny* in Commentariis Academiæ Regiæ Scientiarum Anni 1705, quomodo ex data Tangente anguli cujuscunque inveniatur Tangens anguli multipli, e. gr. dupli, tripli, quadrupli &c. Tentare igitur libuit, an simili via Sinus quoque angulorum multiplorum ex dato Sinu anguli simpli investigare liceret: id quod felicissime succedere expertus sum, nisi quod calculo opus sit operosiore, quemadmodum nunc ostensurus.

Sit enim Radius seu Sinus Totus AC = AG = a, Anguli simpli CAD Sinus CD = b, erit Sinus complementi AD = $\sqrt{aa - bb}$, pro quo brevitatis causa ponamus c. Sit porro EC = x, erit ED = b + x, &, si angulus EAC ponatur ipsi CAD æqualis, ita ut GI sit Sinus anguli dupli, TAB. VI. Fig. 4.

$$DC.\ AD :: EC.\ AE.$$
$$b \quad c \quad x \quad \frac{cx}{b}$$

Quamobrem $\overline{AE}^2 = \frac{ccxx}{bb}$, quod idem cum æquetur $\overline{AD}^2 + \overline{DE}^2$

Rr

$+ \overline{DE}^2$, reperitur $= cc + bb + 2bx + xx$. Unde habetur $\frac{ccxx}{bb} = cc + bb + 2bx + xx$, & reductione facta ipsiusque valore cc $(= aa - bb)$ substituto, $x = \frac{aab}{aa - 2bb}$. Ergo DE $= b + x = b + \frac{aab}{aa - 2bb} = \frac{2aab - 2b^3}{aa - 2bb}$, AE $= \frac{\alpha}{b} = \frac{aac}{aa - 2bb}$. Denique propter similitudinem Triangulorum AED & AGI erit

$$AE.\ \frac{aac}{aa - 2bb} \cdot ED\ \frac{2aab - 2b^3}{aa - 2bb} :: AG.\ a \cdot GI\ \frac{2aab - 2b^3}{ac}.$$

Est igitur Sinus anguli dupli $\frac{\overline{aa - bb} \times 2b}{ac} =$ (substituto va- lore ipsius $aa - bb$) $\frac{2bcc}{ac} = \frac{2bc}{a}$, consequenter Sinus anguli a simpli ad Sinum dupli ut b ad $\frac{2bc}{a}$, hoc est, ut a ad $2c$. Hinc Sinus in Tabulis rite positus intelligitur, si, resectis a duplo fi- cto ex Sinu anguli propositi in Sinum complementi ejusdem, tot versus dexteram notis, quot Sinus Totus cyphras habet, Si- nus anguli dupli prodeat, modo angulus, de cujus Sinu disqui- ritur, 45 non excedat. Patet praeterea, esse $\frac{bc}{a}$ dimidium Si- num anguli dupli, adeoque ut Sinum Totum ad Sinum arcus, ita Sinum complementi ad semisinum anguli dupli: quod est theorema a Trigonometriae Scriptoribus dudum demonstra- tum. Quodsi ulterius fiat

$$AC.\ \frac{aac}{aa - 2bb} \cdot AD\ c :: AG.\ a \cdot AI\ \frac{aa - 2bb}{a}$$

reperie-

reperietur Sinus complementi anguli dupli $\frac{aa-2bb}{a}$, consequenter Sinus complementi anguli simpli ad Sinum complementi anguli dupli ut ac ad aa—2bb.

Si jam ulterius desideretur Sinus anguli tripli HK, fiat AC=HA=a, DC=b, AD=c, EC=e= $\frac{aab}{aa-2bb}$, EF=x, erit ED e+b (pro quo ad calculum facilitandum ponatur d) & FD= d+x. Quia angulus FAE æqualis angulo EAC, erit

EC.	AC	::	EF.	AF.
e	a		x	$\frac{ax}{e}$

Ergo $\overline{AF}^2 = \frac{aaxx}{ee}$, quod idem, cum ipsis $\overline{AD}^2 + \overline{DF}^2$ æquale existat, reperitur $= cc + dd + 2dx + xx$. Habemus itaque $\frac{aaxx}{ee} = cc + dd + 2dx + xx$. Unde reductione ac substitutione valorum d & e rite facta elicitur $x = \frac{eaa+eeb+eed}{aa-ee} = \frac{eaa+2eeb+e^3}{aa-ee}$. Quare $FD = d + x = \frac{eaa+eeb+eed}{aa-ee} + d = \frac{eaa+eeb+aad}{aa-ee}$, & $AF = \frac{ax}{e} = \frac{a^3+eab+ead}{aa-ee}$. Denique propter Triangulorum FAD & HAK similutudinem, erit

FA.	FD	::	AH.	HK.
$\frac{a^3+eab+ead}{aa-ee}$	$\frac{eaa+eeb+aad}{aa-ee}$		a	$\frac{eaa+eeb+aad}{aa+eb+ed}$

Est igitur Sinus anguli tripli $\frac{eaa+eeb+aad}{aa+eb+ed}$ = (Substitutis valoribus d & e) $\frac{3a^4b-7aab^3+4b^5}{a^4-aabb}$ = (dividendo per aa—bb)

$\frac{3aab - 4b^3}{aa} = \frac{3aa - 4bb}{aa} \times b$, consequenter Sinus anguli simpli ad Sinum tripli ut b ad $\frac{3aab - 4b^3}{aa}$, hoc est, ut aa ad $3aa - 4bb$, & Sinus anguli dupli ad Sinum tripli ut $\frac{2bc}{a}$ ad $\frac{3aab - 4b^3}{aa}$, hoc est, ut 2ac ad $3aa - 4bb$. Eadem prorsus ratione ulterius progredi licet, quousque libuerit; nec ullum superest dubium fore, ut in progressu lex quædam patefiat, juxta quam Sinus angulorum multiplorum crescunt, regulam generalem manifestatura.

CONJECTURES PHYSIQUES, PAR NICOLAS Hartsœcker.

h. e.

CONJECTURÆ PHYSICÆ, AUTORE NICOLAO Hartsœckero.

Amstelodami, apud Henricum Desbordes, 1706, in 4.

Constat 2 Alph. plag. 4 cum multis figuris & tabula æri incisa.

Rerum naturalium Scientiæ, quam editis *Principiis Physicis* atque *Dioptrica* Orbi litterario comprobavit Cl. *Hartsœckerus*, pretium non modo statuunt eruditi, sed ipse Elector Palatinus. Cum enim Princeps Serenissimus tanto erga Scientias Mathematicas & Naturales fervore feratur, ut avidus quamcunque amplectatur occasionem, qua illarum incrementa promovere datur; Viro ad Scientias naturales tractandas nato characterem Mathematici ac Physici Electoralis clementissime indulsit, addito stipendio annuo splendido, ne desint sumtus experimentis instituendis impendendi. Ipsius igitur gratia Conjecturas hasce Physicas edidit, notabiliora Scientiæ naturalis capita enucleantes, in posterum continuandas. Conjecturarum nomen speculationibus suis tribuit, quod plerasque admodum incertas & spissis adhuc tenebris involutas reputet ob experien-

experientiarum necessariarum defectum. Integrum opus ex meris Discursibus constat, quos cum Electore de rebus naturalibus instituit Autor. Discursus illi totidem plerumque verbis exhibent, quod in *Principiis Physicis* atque *Dioptrica* de rebus naturalibus edisseritur; quædam tamen hinc inde adduntur: ita ut, Autore non refragante, Conjecturas ipsius Physicas pro nova operum editione correctiore & auctiore habere possis. Quoniam itaque *Dioptricam* Mens. Oct. Anni 1695 p. 482 & seqq. *Principia* vero *Physica* Mense Januario A. 1697 p. 1 & seqq. recensuerimus; nostrum in præsente erit indicare, quænam ex *Dioptrica*, quænam ex *Principiis Physicis* transscribantur. quænam antea jam publicatis supperaddantur. Integrum opus in 4 libros distribuitur. Primus de Systemate Mundi; secundus de Terra & ejus proprietatibus; tertius de Principiis Physicæ; quartus de Meteoris inscribitur. Primus quinque comprehendit Discursus, ex quibus primus de natura Solis & Fixarum tractat, quam, omissis iis, quæ de formatione Solis & Fixarum *cap. 6 Princ.* tradiderat, tanquam levibus quibusdam conjecturis innixis, igneam esse probat, quia radiorum Solarium iidem sunt effectus, qui ignis culinaris, cum Solaribus autem conveniunt radii Fixarum. Unde porro concludit, Solem pabulo indigere & atmosphæra cingi, in qua fumi ascendentes concrescant & propria gravitate in Solem relapsi materiam novi pabuli præbeant. Discursus secundus in distantiam Lunæ, Solis ac Fixarum a Terra & eorundem corporum magnitudinem inquirit, ubi simul ex debilitate Luminis Fixarum & Planetarum concludit, nec bonum, nec malum siderum istorum in Tellurem esse influxum. Discursus tertius motum Telluris, Planetarum & Satellitum eorundem radiis Solaribus attribuit, ubi multa *ex cap. 7 Princ.* non tamen retentis iisdem verbis, repetuntur. Hypothesin suam similitudine illustrat, a navicula desumta, quam palo intra medias aquas defixo alligatam motus fluminis per arcum circuli ab uno littore ad alterum pellit iterumque repellit. In ea navicula Planetæ; funis, quo alligatur, gravitationi ipsius in Solem; flumen radiis Solaribus respondet. Ad motum vertiginis Telluris multum etiam contribuere judicat Lunam: unde non mirandum, quod ♃ actionibus radiorum

diorum Solarium minus expositus majorem tamen habeat motum vertiginis, quam Tellus Soli multo vicinior, cum hæc nonnisi una, iste quatuor Lunis seu Satellitibus stipetur. Hac occasione quantitatem revolutionum Satellitum ♃ & ♄ definit, prout habentur in *Hugenii* Cosmotheoro ex observationibus *Cassini*. Quoniam vero Planetæ a gravitate sua in Solem non detruduntur, credibile esse ait, quod intus sint cavi atque hinc ♃ Tellure multo levior existat: id quod per materiæ in atmosphæra Solari, ubi hærent, specificam gravitatem ulterius corroborat. Notat etiam, Satellites ♃ minores apparere umbris in ipsum projectis & ultimum Saturni, postquam in parte superiore Orbitæ conjunctionem prætergressus versus inferiorem descendit & ad Tellurem appropinquat, prorsus eclipsari & in qualibet revolutione ultra mensem non videri. Probabile judicat Jovis ac Saturni Satellites instar Lunæ maculis conspersos esse, cumque omnium Lunarum apparentiæ in iisdem Orbitarum partibus contingant, inde infert, ipsos instar Lunæ nostræ eandem semper Planetis, circa quos feruntur, faciem obvertere. Discursus quartus causam motus Elliptici Planetarum explicat, in *Principiis* non extantem. Tribuit scilicet eam mutationibus Planetarum per Terræ motum factis. Sit Sol in S, Terra in A. Moveatur Tellus æquabiliter in circulo ABCB, cujus centrum est Sol. Ponamus in eadem ingentem contingere terræ motum. Cum in *Princ. Phys.* cap. 3. p. 70 & seqq. evicerit, multas dari cavitates subterraneas; futurum inde concludit, ut 1 aer cavitatibus inclusus & per ignem subterraneum nimis dilatatus maxima cum violentia erumpat, & aquas maris expellat, Terras vicinas inundaturas: 2 aqua et continente intra alvum maris mox recurrens in cavitatem præcipitetur & aridam mari antea coopertam relinquat: 3 lapsu hoc aquarum contingente, circa axem alium gyretur Terra: & 4 ejusdem gravitate specifica aucta versus Solem delabatur. Quodsi hoc accidat Telluri in A hærenti, mox ipsam versus Solem descensuram, dum suas circa ipsum revolutiones continuat, & quidem, quod in omnibus gravitatum descensu observetur, celeritate juxta numeros impares crescente, donec ad punctum æquilibri E deferatur, ubi radii Solis eandem vim habent

TAB. V. fig. 5.

Tellurem

Tellurem a Sole removendi, quantam gravitas naturalis habet ipsam ad Solem promovendi. A puncto E Tellurem constanter descensuram, celeritate secundum numeros impares, sed, inverso ordine, imminuta, donec alterum æquilibrii punctum P prætergressa fuerit, a quo eadem ratione ascensuram asserit usque ad A, qua ab A usque ad P descenderat. Tellurem igitur hac ratione ellipsin AEPEA circa Solem descripturam, continuo magis magisque ad circulum accedentem, ac tandem in circulum DEFED rursus degenerantem, donec novus terræ motus contingat. Quoniam adeo manifestum arbitratur, motum Telluris ellipticum mutationibus ejus per terræ motus factis deberi, & ex observationibus Astronomicis constat, Planetas reliquos ellipses similiter circa Solem describere; in iisdem quoque per tremorem insignes mutationes contigisse infert. Repetit præterea formationem annuli circa Saturnum sub finem *cap. 3 Princ. Phys.* traditam & descriptionem mutationis Telluris in eodem capite p. 75 exhibitam, nec non quæ de Prostaphæresibus Planetarum *cap. 7 Princ. p. 131* dicta sunt. Et quia Planetæ Telluri similes, eos quoque a creaturis ratione præditis habitari statuit. Finit tandem Discursum præsentem elogio ferri, quod, si utilitatem spectes, omni auro longe præstet, in ipsa etiam Medicina, in qua aurum non valeat nisi ad evacuandam ægri crumenam. Discursum subsequentem quintum maculis Solis, Cometis aliisque phænomenis cœlestibus impendit. Maculas Solares, quarum phænomena prolixe recenset, pro congerie particularum incombustibilium cum combustibilibus simul in atmosphæram Solis elevatarum venditat. Lumen, quod a 23 circiter annis sub ortum & post occasum Solis in Zodiaco observari cœpit, pro fumis levioribus ex corpore Solari usque ad Planetarum regionem ascendentibus & per radios Solares illuminatis habet. Ab iisdem portenta derivat, aliquando in cœlo conspecta, e. gr. cruces, enses, exercitus &c. Huc refert lumen d. 10 Mart. 1668 instar caudæ alicujus cometæ visum. Cometarum ex Sole originem prolixius, quam in *Princip. Phys.* ex *Dioptrica* repetit. Liber secundus x Discursibus absolvitur, quorum primus de æstu maris cum *cap. 8 Princ. Phys.* coincidit. Secundus similiter tradit de ventis,

quæ

quæ *cap. 9 Princ.* exposita sunt: varia tamen ex *Halleji* discursu, *A. 1687 Mens. Sept.* a nobis exhibito superadduntur & ipsius mappa Geographica illustrantur. In tertio non solum reperias, quæ sub finem *cap. 9 Princ.* extant; sed aliqua etiam ibi non dicta. Explicat nempe fascias Jovis obscuras per maria; maculas claras in istis fasciis per insulas & maculas obscuras in fasciis claris per lacus ingentes, aut sylvas, aut terras cultas, siquidem fuerint constantes. Cum motus vertiginis in ♃ sit celerior, quam in Tellure; aquarum etiam motum & ventos impetuosiores esse in isto, quam in hac concludit. Addit, quænam ex motu Telluris inhibito consequantur. Discursus quartus de gravitate eadem tractat, quæ *cap. 4 Princ. Phys.* Quintus vero proprietates corporum duorum & liquidorum *ex cap. 5 Princ.* repræsentat. Natura tamen elateris paulo aliter declaratur. Comparat scilicet particulas elasticas cum cylindro, qui versus unam partem inclinatus versus alteram resilit. Quæ sub finem *cap. 5 Princ.* comparent, Discursui sexto reservantur: particularum tamen aeris constructio clarius edocetur. Quia enim aer admodum compressibilis & idem facile rarefit, elatere etiam præditus, machinulæ aereæ ex multis particulis in formam circuli dispositis, quales sunt ABCDEF, compositæ perhibentur, quæ in statu violentæ compressionis formam ovalem ABCD nanciscantur. Additur experimentum *Mariotti*, quo aerem cum aqua facile misceri probatur. Annotatur etiam, quod ab aere expulso minus evadat corporum fusorum volumen, quam quod ante fusionem obtinuerant, multaque phœnomena curiosa solvuntur. Quæ Discursus septimus de natura & proprietatibus salium, sulphuris ac oleorum, spirituum vel Mercurii, phlegmatis & capitis mortui docet; in *Principiis* non attinguntur. Memoratur divisio Salis in acidum & alcali, ac utriusque in fixum & volatile, quibus additur essentiale. Sal acidum constare dicitur ex particulis oblongis & instar acuum acuminatis, earumque figura constans perhibetur. Alcali ex cylindris cavis, in quibus salia acida AD locari possunt, constare fertur. Sal commune esse, ait Autor, sal quoddam acidum. Salsedinem aquarum marinarum a rupibus salinis in fundo maris petit. Non aerem sed humidi-

TAB. VI. Fig. 6 & 7.

Fig. 8.

humiditatem salia solvere affirmat. Aqua salsa ad Solem evaporata, salia simul elevari probat, quia adhærent ligno in altitudine 2 vel 3 pollicum collocato. Sal petræ ipsi est compositio ex sale acido & corporibus istud continentibus: sal tartari species salis petræ. Tandem de uvis, musto, vino, spiritu vini, aceto, cerevisia, spiritu vitrioli & aluminis, oleis, coagulatione liquorum, capite mortuo disserit. Quæ in Discursu octavo de metallis tradit, eadem fere sunt, quæ *cap. 5 Princ.* leguntur. Memoratu dignum est experimentum, quo ad incautos decipiendos uti Alchymistas affirmat. Crucibulo immittitur argentum granulatum, cum cinnabari contrita, idemque igne urgetur, donec massa liquefiat, qua a liquefactione refrigerata, granula ejusdem cum iis magnitudinis apparent, quæ crucibulo fuerant injecta, & cinnabaris in argentum conversa deprehenditur. Accuratius vero eam examinanti patet, granula infusione fuisse excavata & pelliculärum instar materiam cinnabaris obduxisse. Explicat præterea Autor dissolutionem auri in aqua forti & ejus præcipitationem, una cum solutionibus & præcipitationibus aliis, calcinatione ac vitrificatione. Discursus nonus naturam & proprietates antimonii expendit, in *Princip. Phys.* nondum consideratas. Dicitur antimonium esse materia metallica multo sulphuri permixta. Similiter undecimus de vitro & lachrymis vitreis affert in *Princip.* non contenta: ast decimus de Magnete cum *cap. 9 Princ.* coincidit. Liber tertius 5 Discursibus componitur, quemadmodum primus. Discursuum illorum primus principia corporum naturalium exponit, non tamen eadem prorsus ratione, qua id *cap. 1 Princ. Phys.* factum est: secundus de motu prorsus coincidit cum *cap. 2 Princ.* pauculis nonnisi hinc inde additis: tertius de natura & proprietatibus ignis plura tradit, quam in *Principiis* reperiuntur: quartus doctrinam reflexionis & refractionis ex *Dioptrica cap. 4* sistit, mutatis subinde verbis & additis nonnullis: quintus denique de coloribus pleraque ex *cap. 4 Dioptr.* repetit. Liber quartus idemque ultimus tres nonnisi Discursus comprehendit, quorum primus de Meteoris cum *cap. 12*; tertius de origine fontium cum *cap. ult. Princ.* coincidit, nisi

 quod

quod in utroque nonnulla legantur, quæ in istis non comparent: medius vero Iridem contemplatur.

HET SEVENDE ANATOMISCH CABINET van FREDERIC RUYSCH.

i. e.

FRIDERICI RUYSCHII, ANATOMIÆ & Botanices Professoris, nec non Academiæ Cæsareæ Curiosorum Collegæ, Thesaurus Anatomicus Septimus.

Amstelodami, apud Joannem Wolters, 1707, 4.

Constat 6 plagul. cum figurarum æneárum tabulis 4.

SEptimum nunc sistimus curioso lectori Thesaurum Anatomicum Friderici Ruyschii, ex quo pauca pro more nostro excerpemus. Pag. 10 & tab. IV diverticulum intestini ilei p.n. cujus extremitas caput canis repræsentat, exhibetur; atque talia diverticula frequentius in cadaverum sectionibus vidit Clar. Ruyschius, putatque, cum ileum, cui utplurimum, si non semper, talia adhærent, hypogastrium maximam partem occupet, in bubonocele tale diverticulum contineri sub tumore hernioso, nullis sequentibus symptomatibus, quæ alias herniam inguinalem comitari solent. Pag. 17 & tab. I fig. 3 hominis dura mater in liquore conservata sistitur, in cujus sinu longitudinali aperto in conspectum veniunt corpuscula rotunda & subrotunda, miliiformia, a Bacchiono detecta, & a nobis in Actis superioris anni pag. 217 & Tab. V fig. 1 exhibita, quæ magnitudinem aciculæ vulgaris caput haud superant, nisi per microscopium examinentur, aut ex duobus corpusculis combinentur. Alius insimul hominis duram matrem allegat, in cujus sinu longitudinali aperto vix ac ne vix quidem ullum ex dictis corpusculis videri poterat; extra hunc tamen a duræ matris facie interiore portio membranacea ejusmodi corpusculis scatens dependebat; ex iis vero ne minimum quidem vasculum lymphati-

lymphaticum prodiens obſervari potuit. Pag. 19 & tab. III fig. 5 ramulus commemoratur fruticis Capenſis portulacæ folio, cujus pars inferior pſeudo-membranula ex ſanguine confecta contegitur; ſcilicet ſanguinem proprium ex vena ſecta emiſſum dicto ramulo conquaſſavit Noſter, donec ille frigus contraxerit, quo facto aquæ puræ ramulum indidit, qua ſæpe renovata, ramuloque digitis aliquoties compreſſo, cruor huic adhærens albedinem induit, repræſentans membranam veram, foliis firmiter affixam, & pſeudo-fibris membranoſis pertextam. Pag. 21 & tab. II fig. 5 occaſione tunicæ papillo-nervoſæ buccarum annotat Clariſſ. Ruyſchius, ſe tunicam villoſam prolabiorum, buccarum, gulæ, ſtomachi & inteſtinorum unius ejusdemque eſſe texturæ, id eſt, corpus ex papillis nervoſis, vaſculis ſanguineis, tomenti aut goſſypii inſtar tenuibus, & epithelia ab illis producta papillis compoſitum obſervaſſe. Pag. 29 & tab. III fig. 1 infantis pes ſiſtitur, ita præparatus, ut ligamenta, præſertim teres, in conſpectum veniant, quod, niſi patella a muſculorum tendinibus fuerit præciſa, fieri non poteſt. Denique pag. 33 & tab. III fig. 3 aſperæ arteriæ portio, ceracea materia rubra ad ultimas usque ejus extremitates repleta, & in liquore aſſervata exhibetur, ex qua quilibet judicare poteſt, figuras ab aliis depictas neutiquam cum hoc ramo, neque cum naturali conſtitutione convenire. Quæ bina poſteriora, ut in gratiam B. L. in Tab. VI æri incidantur, digna æſtimavimus.

EXPLICATIO FIGURARUM.

TAB. VI. Fig. 9.

Fig. 9. Siſtitur Epiphyſis inferior oſſis femoris cum annexa patella & tereti ligamento.

A. Epiphyſis oſſis femoris inferior.

B. Arteriolæ per latera cartilaginis diſtributæ.

C. Ligamentum teres, cujus ope inter cætera patella quoque connectitur inferiori epiphyſi oſſis femoris.

D. Vaſa & præſertim arteriolæ per ſubſtantiam cartilagineam patellæ diſperſæ.

E. Reliquiæ tendinum musculorum tibiam extendentium, quibus firmiter connascitur patella.

F. Patella propendens.

TAB. VI. Fig. 10. Ramum asperæ arteriæ denotat, ad extremum usque ceracea materia rubra repletum.

Fig. 10.

A. Ramus asperiæ arteriæ major.

B. C. Extremitates ejus minimæ.

TRAITÉ DES FOUGERES DE l' Amerique.

seu

TRACTATUS DE FILICIBUS AMERICANIS, Autore R. P. Carolo Plumier, Ordinis Minimorum in Provincia Franciæ & apud Insulas Americanas Botanico Regio.

Lutetiæ Parisiorum, e typographia Regia, 1705, in fol. Alph. 2 plag. 2 & 172 Tabul. æn. ch. aug.

QUamvis Botanophili reliquas Americæ plantas avide adhuc expectent, quas *Clariss. Autor* in *Descriptione Plantarum Americæ*, A. 1693 evulgata & *in Actis A. 1694 p. 491 a* nobis commemorata, paratas so habere indigitavit, placuit tamen ipsi præsentem potius de Filicibus tractatum, & Gallice & Latine exaratum, Regiis itidem sumptibus in lucem emittere, quod talibus præ cæteris aliis cujuscunque generis, apud insulas Americanas lustratis, magis fuerit delectatus, novamque hujusce classis speciem adinventam pro sufficienti præmio jucundaque mercede laboris & fatigationis in plantis conquirendis semper habuerit. Filicum autem titulo omnes, quas *Turnefortius* Institut. Botanicarum Classe decima sexta consideravit, quasque ipse trium suarum peregrinationum ad dictas insulas decursu observavit plantas, floribus non solum destitutas semineque donatas, sed & veram Filicis faciem præ se ferentes, ita exhibuit, ut singulas etiam ad propius & convenientius genus revocare, atque multas novis & congruis nominibus appellare

pellare haud neglexerit. Veniam hinc, quod plantas quam plurimas, in Deſcriptione priori datas, novis hic noviter adinventis conjunxerit, eo faciliorem ſibi pollicetur, quo ſtudioſius aptiora nunc ſubſtituerit nomina, dum antiquorum Botanicorum errores ſecutus *Filicem* antea ſalutaverit, quæ vere ex natura debuiſſet dici *Lingua cervina*, & *Adiantum*, quæ vere Filix fuiſſet nuncupanda. Neque veretur flores, Filici arboreſcenti, pinnulis dentatis, quondam a ſe adjudicatos, florum jam numero rurſus expungere, cum ultima peregrinatione tubercula illa omnia gemina ſerie dorſo pinnularum adpoſita microſcopii ſubſidio detexerit nihil aliud eſſe, quam totidem globulos hemiſphæricos, duobus caliculis conſtantes hemiſphæricis, quorum ſuperior, quia tenuiſſimus, veſicularum e fundo inferioris eruptione penitus evaneſcat, inferior vero, quia ſolidior, dorſo pinnularum adhæreſcens ibidem permaneat ſuperſtes. Votis tamen expetit, flores in nonnullis Filicinis plantis, a *Fabio Columna* & *Rajo* annotatos, a ſe autem fruſtra indagatos, accuratius fuiſſe deſcriptos, quo conſtaret, annon illas membranulas, quæ, priusquam veſiculæ appareant, ſuper pronam quamplurimarum illius generis plantarum ſuperficiem conſpiciuntur, pro floribus habuerint, aut ſaltem habere omnino potuerint, ceu veros florum uſus circa veſiculas ſeminales præſtantes. Squammulas namque aureas, quæ pronam Aſplenii vulgaris partem obducentes glomerulos quosdam e granulis virentibus & globularibus compactos microſcopio ſiſtere atque ad *Rivini* noſtri floſculos granulatos accedere videantur, nullatenus veros exiſtere flores, ſed juniores potius veſiculas, e propriis locis eruptas taliterque conglomeratas. Interim multo irrito in floribus Filicum perquirendis labore haud delaſſatus, veros tandem flores in ea Lichenis vidit ſpecie, quam Lichenis Anapodocarpi nomine inſignivit, qualem microſcopium demonſtravit, in Tab. 142 repræſentatam & a nobis in Tab. VI fig. 11 transſcriptam, ipſis Auctoris verbis mox declarandam, ubi vel duo verba de Filicum fructibus & viribus ex Præfatione adjecerimus. Fructus nempe ſingularum plantarum Filicinarum hic deſcriptarum & depictarum non alios a Noſtro

potuisse adverti, quam quales *Turnefortius* tradiderit, vesiculas scilicet, ferme ovales, annulo elastico munitas, cujus contractione illæ rumpantur ac semina fundant minutissima, & omnia reniformia aut lenticularia, tantæque exiguitatis, ut nec oculus etiam perspicacissimus nisi adjuvante microcospio ipsa percipere valeat. Plantas vero tales Americanas, nostris congeneres, eisdem quoque viribus atque virtutibus pollere: licet in universum vix asserere audeat, omnes plantas congeneres viribus etiam esse conformes, cum rosa v. g. rubra adstringat, moschata vero seu Damascena purget; Arum utplurimum saporis sit acerrimi, in America vero Ari species proveniat, instar raparum esculenta. Sed ad Lichenis delineatam speciem revertamur: Lichen Anapodocarpos plantula est tota ex meris membranulis per humentia & irrigua saxa, aut super terrenos & humidos cespites sese effundentibus, & veluti agglutinatis constans: quæ quidem membranulæ successive una ex alia, ut in Opuntiis vulgaribus videre est, singulæ progenerantur, singulæque sinuosæ, lætissime virentis, omninoque punctulis eminulis Zegrinatæ figuram præ se ferunt. Ex plurimarum summitatibus petiolus sese erigit tenuis, altitudinis pollicaris capitulumque deferens fungiforme, uno latere orbiculare, alio vero quatuor crenulis subrotundis in ambitu discriminatum; quibus crenulis veluti in quatuor digitos se extendentibus pedis Anserini inversi formam optime repræsentat illud capitellum: digiti demum illi tempestive dein dehiscentes intra ruinas suas flores ostentant, sed tantæ exiguitatis, ut, nisi ope microscopii perspecti, se ipsos oculo vix possent demonstrare, per microscopium tandem observati tubulati apparent, candidi, quatuor laciniis posterius convolutis, ad oras divisi, & embryonem postica sui parte recipientes, qui dein abit in fructum exiguum membranaceum, ovatum, seminibusque farinulæ instar minutissimis fœtum. Tota planta pinguicula est, potissimum per saxa Montis *de la Calebasse* humentia apud Insulam Martinicam a *Nostro* observata.

TAB. VI. Fig. II.

GEOR-

GEORGII PASCHII, S. THEOL. ARTIS Rationis ac Phil. Primæ in Academia Kiloniensi Prof. Publ. de Variis Modis Moralia tradendi liber. Accedit Introductio in Rem Literariam Moralem Veterum Sapientiæ Antistitum. Ad extremum additi sunt Indices, I Auctorum in hoc opere passim citatorum, II Rerum maxime memorabilium.

Kiloni, apud J. S. Riechelium, 1707, in 4to.
Constat Alphab. 4 plag. 5.

NOn immemor promissi, facti in publicato suo hic Lipsiæ Anno 1700 doctissimo *de Inventis Nov-Antiquis* opere, cujus (nescimus quo fato) in Actis nostris nullam factam fuisse mentionem merito dolemus, liberare voluit in præsens Celeberrimus *Paschius* edito hoc ipso libro interpositam suam fidem. Quemadmodum vero in priori *de Inventis* opere non veritus est profiteri, se, *quod usque adhuc inter DESIDERATA fuit*, proponere Facultatum & Disciplinarum tantum non omnium inventa, quæ suam antiquitati originem debent, docereque & demonstrare evidenter, adductis in majorem veritatis fidem ipsis priscorum Auctorum verbis, non esse nova illa omnia, quæ specie novitatis blandiuntur; sic in præsentis scripti præfatione non erubescit idem Clarissimus Auctor disertis verbis scribere: Hæc ipsa (de qua agit) Methodi Moralis multiplex ac jucundissima varietas, quæ animos reficit ac reparat, *cum a nemine adhuc, quantum scio, in ordinem adducta & ex instituto repræsentata fuerit*, jussit nos, qui Morali Professioni in hac ipsa Academia XVI annos vacavimus, via & arte procedere, huncque *de variis modis Moralia tradendi* librum emittere & in publico proponere. Ordo & series capitum præsentis Tractatus sequens est. Caput I agit de ratione tractandi moralia per Dialogos, quo etiam Dramata pertinent. Cap. II de ratione tractandi per Apologos, ubi ob commentandi affinitatem & fabulæ Romanenses, & fictæ Respublicæ simul examinantur. Cap. III de ratione tractandi per

Satyras,

Satyras, quarum historiam, a nonnullis promissam quidem, nemo adhuc per omnes status & ordines concinnavit. Cap. IV de ratione tractandi per Characteres sive notationes, Παραίνεσιν, Præcepta, Aphorismos ac Gnomas. Huc referuntur quoque Adagia, Apophthegmata, Symbola, Emblemata, Hieroglyphica, Ænigmata atque Inscriptiones. Cap. V de ratione tractandi per Paradigmata seu exempla. Cap. VI de ratione tractandi per Apodixin & demonstrationem, quam methodum systematicam vocant. Hæc sunt memorati *de variis modis Moralia tradendi* libri, quem Polymathiam moralem non injuria dixeris, summa capita. Ordo denique ac series subjunctæ *Introductionis* totidem capitibus absolvitur. Caput I differit de Socrate, Platone & Academicis. Cap. II de Aristotele & Peripateticis. Cap. III de Zenone & Stoicis, itemque Cynicis & Cyrenaicis. Cap. IV de Pythagora, ejusdemque Asseclis. Cap. V de Epicuro, ejusque Sectatoribus. Cap. VI de Pyrrhone & Scepticis. Facile esset speciminis loco, præsertim ex primo curioso *de variis modis Moralia tradendi* tractatu quædam hic excerpere; verum cum liber iste nihil fere aliud, quam egregia & selecta argumenta complectatur, præstat Lectorem benevolum eo ablegare.

HISTORIA SPINOZISMI LEENHOFIANI, publica in Belgio auctoritate novissime damnati, ex authenticis documentis collecta a GOTTLOB FRIDERICO JENICHEN.

Lipsiæ, apud Jo. Hereb. Klosium, A. 1707, 8.

Constat pl. 16.

Vix tres & quod excurrit anni sunt, quod *Fridericus van Leenhof*, Minister Ecclesiæ Reformatæ Suollensis, librum Belgicum de vera hominis cujusvis lætitia, *Cœlum & in terra* inscriptum, Amstelodami prodire fecit, in quo cum Spinozæ doctrinam, publice dudum in Belgio damnatam, novo integumini involvere unis alterisve visus fuerit, tantos in Ecclesia Reformato-

formatorum Belgica motus excitavit, ut Cœlum istud Leenhofii terrestre non solum variis Theologorum scriptis illico impugnatum, sed quoque anno elapso Synodorum Ecclesiasticarum decretis & ipsorum Statuum Belgii summorum auctoritate fuerit damnatum. Ansam dedit ea res Auctori, Collegæ nostro perindustrio, ut ex iis, quæ ipsi nuperrime, quum ex Anglia in Belgium redux factus esset, forte in manus venerunt, scriptis contra Leenhofium & decretis in causa ejusdem novissimis Synopsin aliquam sententiæ Leenhofianæ totiusque cum eo agitatæ controversiæ conscriberet, in cujus *Parte prima* de ipsius *Spinozæ vita, doctrina* & *scriptis* tum olim tum recenter ipsi *oppositis* generatim quædam præmittit, in *altera* vero *ortum* & *progressum controversiæ Leenhofianæ* ex documentis quibusdam authenticis omni, quæ Historicum decet, fide, charitate ac modestia, methodoque perquam succincta enarrat.

Quod ad ipsam Spinozismi historiam *Parte prima* pertractatam attinet, inter *vitæ Benedicti* de *Spinoza*, famosi istius Ex-Judæi, quem Amstelodami d. 24 Nov. 1632 natum & Hagæ-Comitum d. 21 Febr. 1677 denatum inter reliqua momenta non ubivis obvia memorat, *scriptores* maxime *Joannis Coleri*, Ministri Ecclesiæ Lutheranæ Hagiensis, *vitam Spinozæ* A. 1706 Belgice primum Amstelodami, at paulo post quoque Gallice Hagæ Comitum per T. Johnson in 8 editam, cum *Cl. Baylii*, d. 28 Dec. 1706 ingenti Reipublicæ literariæ detrimento fato functi, *vita Spinozæ* commendat. Deinde ubi post scriptorum ab ipso Spinoza editorum recensionem monuit, quod Spinoza Tractatum suum Theologico-Politicum maximam partem ex *Apostasiæ suæ a Judaismo Apologia*, lingua Hispanica conscripta, consarcinaverit, religionis Spinozæ erroneæ capita præcipua enumerat. Atque demum scholium de *scriptis Anti-Spinozianis*, tum in Belgio, tum in Gallia, Anglia & Germania Spinozæ a Bredenburgio, Blyenbergio, Mansveldio, Veldhuysio, van Til, Wittichio, Jaqueloto, Jensio, H. Moro, de la Mothe, Musæo, Rappolto, Huetio, le Vassor, Lami, Yron, Poireto, Bælio, aliisque olim recenterve oppositis subjungit; perinde ac alio quodam scholio monet, quod Filia Francisci van den Ende,

qui Spinozæ in litteris humanioribus præceptor fuit, non tam forma, quam ingenio excellens & linguam Latinam æque ac Musicam scitissime edocta, Spinozæ haud raro aliorumque condiscipulorum, patre absente aut alio vocato, magistra extiterit; quam tamen institutionem Spinozæ & condiscipuli ejus Kerkeringii erga magistram amores æmuli essent consecuti.

Parte altera Spinozismi speciatim Leenhofiani historiam, una cum scriptorum Leenhofio gregatim oppositorum enarratione ex *Actis* Ecclesiarum Belgicarum *Synodicis* tradit. Quum enim Leenhofius Cœlo suo terrestri, seu libro Belgico de *vera Christianorum hominumque omnium lætitia*, Spinozismi partem maximam recoxisse multis visus fuerit, quod in ea veram hominis lætitiam eadem cum Spinoza voce per transitum a minori perfectione ad majorem definiret, & veram animi lætitiam in *æterni* maxime, quem Deus in rerum natura servaret, *ordinis* cognitione sobria resultare ubivis inculcaret, aliaque doceret a Spinozæ sententia non aliena: hinc contra Leenhofii Cœlum terrestre prodierunt tum Florentini Bomble & Taci Hajivan den Honert, Ministrorum Ecclesiæ Amstelodamensium, ad Leenhofium Epistola; tum Creyghtonii Cœlum in terra, Leenhofii Cœlo in terra oppositum, ac Eusebii Philometoris ad Leenhofium Epistola una cum Anonymi falso confictо Cœlo Leenhofii & aliis quibusdam. Quibus scriptis quum adeo impugnatum videret Leenhofius Cœlum suum, e re sua esse censuit, scriptum apologeticum, ipsi *Ophelдering van den Hemel op Aarden* dictum, edere, quo cœlum suum collustrare, nebulasque per præjudicia & sensum malignum in eo coortas dispellere allaboravit. At quum hæc Denubilatio nullo modo Leenhofii antagonistis satisfaceret, opposita ei fuit Epistola F. Bomble & Honerti ad Leenhofium altera, ac Jo. Creyghtonii in Leenhofii Cœlum denubilatum Animadversiones. His vulgatis tertium scriptum Leenhofii prodiit, quod est *breve* ejus ad Epistolam Honerti *Responsum*, quo Animadversiones cujusdam Anonymi rationales falso sibi per Honertum imputari respondet. Impugnatum est hoc Leenhofii scriptum ut & alia ejusdem per Epistolam Honerti tertiam, quartam & quintam; exceperunt idem

idem Joannis Ovtreinii, Professoris Dordraceni, Monita ad Leenhofium necessaria; item Johannis Sluiteri Consensus Leenhofii cum Spinoza & Philopatre, nec non Francisci Burmanni, Jo. Henr. Cocceji & Anonymi cujusdam scripta Anti-Leenhofiana. Post scriptorum horum recensum Auctor noster ad πρῶτον ψεῦδος se confert & *capita doctrinæ Leenhofianæ Spinozisticæ præcipua* enumerat, ubi tamen se non omnia Leenhofii παραλογίσματα indicare præmonet, partim quod Leenhofius crambem Spinozismi jam satis cogniti recoxerit, partim vero quod Leenhofii errorem magis ex proprio ipsius ore & ad Articulos in judiciis Ecclesiasticis sibi propositos responsionibus, Synopsi insertis, cognosci maluerit, quam sententiam minus recte forte intellectam, pro seculi nostri cacoethe, suis ipsi verbis affingere.

Ast quum Leenhofii sententia, tribus scriptis ejus nuperis, *Cœlo* videlicet *in terra*, hujus *Denubilatione* & *brevi Responso* disseminata, tum omnem religionem, omnem magistratum, omnes leges, tum fœdera omnia societatisque humanæ vincula dissolvere his & illis visa esset, eapropter *Ecclesia Belgarum Reformata*, de scandalo per Leenhofium suum suscitato sollicita, rem omnem ad Classium suarum examen & Synodorum judicia nec non ad Magistratus sui tribunal summum deferre statuit. Enarrat inde Auctor tum Synodi Alcmariensis de A. 1704 contra Leenhofium declarationes, cum literis Synodi Hollandiæ septentrionalis & meridionalis duabus commonitoriis ad Transisalanos, tum requisitionem aliquam Deputatorum Synodi ad Ordines Hollandiæ Præpotentes directam horumque apostolium. Post hæc *Articulos* quosdam *satisfactorios* recenset, qui a Consistorio Suollensi Leenhofio in causa sua præscripti fuerunt, ut iis ad scandalum datum tollendum subscriberet, & quos post Leenhofii subscriptionem tum Classis Suollensis tum Synodus Transisalana adprobarunt. Antecesserant hos Articulos satisfactorios *Articuli* quidam *inquisitorii*, ad quos Classis Suollensis Leenhofii responsa postulaverat; ex quibus itidem Auctor quosdam cum Leenhofii responsis adjecit. Ast quum Leenhofii ad articulos Classis Suollensis inquisitorios

quisitorios responsio non satis sibi ubique constans, nec Articulorum satisfactoriorum per Consistorium Suollense facta promulgatio sufficiens fratribus Reformatis visa fuerit, quod Leenhofius vocem Jacobi & manum Esavi habuisse multis crederetur, Classis inde Amstelodamensis d. 4 Maj. A. 1705 *Quæritur* quoddam, ut vocant, ad singulas Hollandiæ septentrionalis Classes misit. Acceptis responsis ceterarum Classium ad *Quæritur*, Deputati Synodorum alteram quandam requisitionem Statibus Hollandiæ Præpotentibus obtulerunt; quam Auctor una cum apostolio Statuum integram exhibet. Gestis his rebus A. 1705 in utraque Hollandia, mense Majo A. 1706 Campos Transisalanorum Synodus fuit convocata, in qua decreto *Commissariorum Status Politicorum* causa Leenhofiana, propter Articulorum satisfactoriorum promulgationem, pro jam decisa & dijudicata declarata, Status Transisalanæ ulteriore ejusdem causæ inquisitione vel in Classe vel in Synodo suis interdixerunt. Excepit hanc Transisalanorum Synodum posterius Classis Amstelodamensis *Quæritur*, ad quod in Synodo Amstelodamensi M. Aug. 1706 consensu Classium decretum fuit atque conclusum, ut inter cetera tum Acta Synodorum Hollandiæ in causa Leenhofii per Deputatos Ecclesiasticos, *Geelkerkium* & *Honertum*, in testimonium publicæ detestationis ederentur, tum *Protestatio Synodi Hollandiæ septentrionalis communis contra Leenhofium & Acta Transisalanorum* publicarentur; quam pariter Auctor una cum *Protestatione Synodi Hollandiæ meridionalis solemni*, nec non *Ordinum West-Frisiæ Edicto* contra Leenhofium gravissimo integram exhibet. Accessit eidem aliud Statuum Hollandiæ West-Frisiæque *Edictum* de mense Dec. 1706 contra quod tamen *Status Transisalana* alio *Edicto* de die 11 Jan. hujus anni, Hagæ-Comitum in Senatu Statuum exhibito, fuere protestati. Atque hucusque historia Auctoris nostri procedit.

Ceterum dum fertile admodum est ævum nostrum scriptorum spinosissimorum & sententiarum paradoxarum, Auctor simul in Præfatione meminit sententiæ novissimæ *Henrici Dodwelli*, viri alioquin doctissimi, *de anima, in se mortalis, immortali-*

mortalitate, sola legitimorum Episcoporum benedictione baptismali impetranda, quam hypothesin Dodwellus in libro Anglico A. 1706 Londini, dum Auctor noster ibi esset, edito & a nobis mense Junio hujus anni recensito, audacter adstruere, summis in Anglia viris & eruditione celeberrimis indignantibus, est annisus. Suspicatur vero Auctor, quod forte Dodwellus *necessitatem Hierarchiæ Episcopalis*, tum singulari quondam de *Successione Pontificum Romanorum primæva* dissertatione, operibus posthumis *Jo. Pearsonii*, Londini A. 1688 a *Dodwello* editis, annexa, tum nupera sua *ad Exteros de schismate Anglicano Paranesi* A. 1704 Londini vulgata, assertam novo argumento voluerit corroborare. Quam quidem hypothesin Dodwellianam *Jo. Franc. Buddeus*, in Academia Jenensi Professor Theologiæ percelebris & Collega noster æstumatissimus, A. 1705 peculiari quadam *de origine & potestate Episcoporum exercitatione* discussisse constet; perinde ac altera illa Dodwelli de *animæ mortalitate naturali* sententia paradoxa illico post partum suum quatuor Anglorum clarorum, *Sam. Clarkii, J. Turneri, Th. Millii* & *E. Chisbullii* scriptis doctissimis jam impugnata fuerit & confutata.

HISTOIRE DE LA VIRGINIE.

i. e.

HISTORIA VIRGINIÆ ETC. AUCTORE natione & civitate Virginiano.

Amstelodami, apud Thomam Lombrail, 1707, 12.

Constat 20 plag. & nonnullis fig. æn.

ANglico primum sermone hanc Virginiæ historiam prodiisse ipsa nos libri docet inscriptio, annum vero primæ editionis Gallicus noster Interpres reticet, quem, si conjecturæ locus est, referre ad millesimum septingentesimum quintum possumus: eo enim anno in Historia Operum Eruditorum *(History of the Works of the Learned)* quæ Londini colligitur, ejus nobis recensus datus est mense Majo, non addito, quo prælum subiit, anno. Solo autem candore se commendare publico

ſtudet Auctor operis, unde nec ſtyli vult rationem haberi, nec elegantis habitus, quo placere cupiunt alii, quando eo longe diſſitarum orbis partium deſcriptiones ornant, ubi tamen non merentur, quam ſperant gratiam, quandoquidem pro vero fabulas, & pro genuina hiſtoria ſui ingenii luſus venditant, cujus facinoris reos facit Gallos Noſter, quod ingenio polleant ad inveniendum apto & placendi cupido, & dolet hactenus nullam, ne inter mediocres quidem habendam, orbi oblatam eſſe Virginiæ, celeberrimæ Novi Orbis partis, delineationem; unde defectui huic ſerio mederi volens, eo arctius ſibi obſtrinxit harum rerum ſtudioſos, quo majori rerum patriarum (Virginiæ enim vitalem auram debet) notitia inſtructus fuiſſe videtur. In quatuor Libros integrum opus diviſum eſt, e quibus aliqua delibare in uſum Lectoris inſtituti noſtri jubet ratio, cujus interim non transgreſſuri limites, ex primo id ſolum obſervamus, arduum fuiſſe admodum primas in nova regione ſedes figere, de quo anno 1583 ſub auſpiciis Eliſabethæ Reginæ Angliæ agi cœpit, quippe tam infelici aliquoties ſucceſſu res ſuſcepta eſt, ut integræ colonorum cohortes ante adventum aliorum ex Anglia, qui prioribus ferrent ſuppetias, vel fame vel barbarorum crudelitate perierint, vel etiam ita diſparuerint, ut quæſitorum nulla reperta ſint veſtigia: imo poſtquam jam domicilia perpetua ſtatuerunt, ac cum feris hominibus pepegerunt amicitiæ fœdera, ab his animo vindictæ avido incitatis perfidioſe una plus vice ad internecionem fere deleti ſunt, quæ tamen ab hoſtibus illata calamitas multum aucta fuit inteſtinis litibus, ex avaritia & ambitione novorum incolarum plerumque trahentibus originem, ut Auctor noſter fatetur ingenue, adeo ut raro ipſis Præfectis pariant, quorum incuſat vel negligentiam, vel rerum gerendarum imperitiam, vel ambitionem, vel avaritiam, tanta libertate, ut vix aliquem ſine cenſoria dimittat virgula. Plenior eſt narratio in ſecundo Libro, ubi primo capite fines Virginiæ conſtituuntur & oræ proximæ, ſecundo de fluviis agitur, quorum pars navigia majora ſuſtinet, tertio de varietate agri & ingenio ſoli, quartum fructus ſua ſponte naſcentes, quorum ubertate nulli terræ cedit, exponit, ſitque mentio hic arboris melliferæ, in cujus turgidis ſiliquis ipſum mel continetur, &

tur, & alterius, quæ vulnerata ſuccum ſtillet, cujus octo libræ in unam conſpicentur ſacchari, & myrti arboris, cujus baccæ aqua affuſa coctæ in ceram, ut Noſter loqui amat, abeant viridem alia duriorem, quæque in candelas coacta tantam odoris ſuavitatem ſpiret, ut aſſidentibus ſint in deliciis, nec minus uſum præſtent chirurgicum nuper ſatis detectum; magnitudine baccæ piperis grana æquant, & cedride, quæ eadem pollere virtute dicitur, majores ſunt. Planta Urbis Jacobi *(la plante de James-Town)* pomo ſpinoſo Peruviano valde ſimilis, ut ſpeciem ejus eſſe Noſter conjiciat, vi turbandæ mentis gaudere aſſeritur, quod Angli aliquot experti milites, qui ſaporis inducti gratia liberius eam deguſtarunt, & undecim dies mimicis geſticulationibus miram herbæ efficaciam ſuo malo comprobarunt, priſtinæ tamen ſanitati exacto tanto temporis ſpatio redditi. Florem quendam, Tulipæ in multis ſimilem, genitalia humana utriusque ſexus conjuncta accurate exprimere, in eodem capite diſcimus. Verum plura ſunt numero vegetabilia, quæ novitate ſua ſe commendant, quam ut huc poſſimus transſcribere; medicarum quoque plantarum præſtantiſſimi uſus non exiguus proventus eſt, ut febrifugarum, contra inveterata ulcera, & aliarum, quarum pleniorem deſcriptionem propter penitioris ſcientiæ naturalis defectum Noſter in ſe non ſuſcipit, unde merito mortem Baniſtrii præproperam deflet, qui pro ſingularibus dotibus inchoatam hanc telam Hiſtoriæ naturalis Virginiæ digne pertexere potuiſſe credendus eſt. Caput quintum piſces fluviatiles & marinos enumerat, atque certis æſtatis diebus tam largam ferre fluvios halecum copiam aſſerit, ut equo per eos vehi vix ſit liberum, quin conterantur ungulis. Capite ſexto, quod de volucribus & feris conſcriptum eſt, nihil a beſtiis ſævisſimis metuere incolæ dicuntur, quod illæ hominum conſpectum pavidæ fugiant. Hic animalis, quod Poſſum Indi vocant, ſingularis ſequitur deſcriptio. Hujus ventro membrana obducta eſt, quæ ita primo partu expanditur, ut poſtea manus ſine moleſtia animalis immitti posſit, eo deſtinata, ut recondantur in illa & ex ea emittantur pulli quovis oportuno tempore, ut quando uberibus, quæ in capſula latent, admovendi, vel alio a matre deportandi, vel

di, vel somnus capiendus; atque hoc uti domicilio liberum est pullis, donec sibi de victu ipsi valeant prospicere. Sed, quod magis notandum est, hic secundus quoque venter conceptioni & gestationi dicatur, atque vidisse se fidem interponit Auctor noster, foetus musca non majores adhærentes uberibus, a quibus deinde justum robur nacti, & pilis obsiti, oculisque apertis, in subjectam membranam decidant. Non apud unos peregrinorum diligentes observatores hujus mentionem animalis injici certum est, nec succurrit, qui idem se vidisse fateatur, id tamen novimus, Rupefortium in Historia naturali & morali Antillarum Insularum idem describere & effigiem exhibere sub nomine Opassum, sed masculum quoque sacculo hoc a natura donatum addit, in eum finem, ut matrem circumferendis pullis sublevet. Plura dicere materiæ suaderet jucunditas, nisi brevitatis leges imperarent aliud, unde etiam ex tertio libro, qui in consuetudinum Indorum in Virginia enarrationem insumitur, multa huc vocare non est liberum. Simplex vivendi genus nec minus felix laudatum hic reperias, & legisse non poenitebit, quæ capite 7 de bellis & pacis sanciendæ modo & cap. 8 de cultu Deorum adferuntur in medium. Nam neque ad illos accedit Auctor, qui distinctam de Deo notitiam Indis vindicant, nec his, qui omnem Divinitatis notionem derogant, sed media incedens via, nec nimium, nec justo minus tribuit. Quoniam autem religiose Sacra abscondere in more illis positum est, paucis forte ea sunt satis cognita, quæ Auctori licuit singulari fato detegere; quippe quæ ipse viderit, se propalare, non dubitat asserere. Frugalitas in victu uti sanitatis conservatrix est, ita nec amplo medicamentorum apparatui hic locus est, sed balnea & sudores pene rem conficiunt; quanquam nec Medicorum exigua sit auctoritas, quod Cap. 9 testatur. Plura alia notatu non indigna proferuntur in sequentibus, ad quæ ipsam Lectoris industriam remittimus, sicuti quoque ad ea, quæ in Libro quarto de administrandæ civitatis ratione, ab Anglis introducta, occurrunt.

ERRATA.

In Actis hujus Anni p. 80 lin. 12 lege *Epicacuanna*: p. 206 lin. 2 pro *geminum* l. *genuinum*: p. 264 lin. 16 lege פַּלְמֹי & ib. lin. 23 lege נְתַנְאֵל: p. 310 lin. 8 & 19 lege *de Lagny*.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti, Anno MDCCVII.

RECUEIL DES VOYAGES &c.

h. e.

SYLLOGE ITINERUM, QUÆ MERCATORUM FOEderati Belgii ad Indos Orientales navigantium Societati fundamenta atque emolumenta præbuerunt.

Tomus I, Amstel. apud Steph. Roger, 1702, 12
II 1703.
III & IV 1705.
V 1706.

Constant Alph. 6 pl. 12
& Fig. æn. plurimis.

Præmissa est hujus operis Tomo I Dedicatio ad Illustrissimum Chamillartum, Regis Galliæ Ministrum primarium, cui Collector Itinerum nomen *de Constantin* subscripsit, tum & Præfatio, in qua id agit idem, ut quibus modis Belgarum ad Indos Orientales navigantium Societas toto orbe celebratissima a tenuibus initiis ad annum usque 1631 (nam ultra non progreditur Noster) creverit, appareat. Nimirum cum diu Belgæ a Carolo V & Philippo II fuissent ab Indorum commercio exclusi, tandem de via cogitabant, qua in Indiam, vitatis Hispanis & Lusitanis, penetrarent. Tametsi vero parum fructuosa fuisset profectio, quam A. 1594 Wilhelmus Barenz & Jacobus Heemskerk sumptibus mercatorum quorundam Zelandicorum susceperant,

perant, nihilominus sequenti anno Amstelodamenses nonnulli, *Societatis regionum dissitarum* nomen sumentes, Cornelium Houtman cum quatuor navibus in Indiam destinabant, quippe quem in Lusitania de itinere ad Indos paulo curiosius perquirentem, eoque carceri mancipatum suo ære liberarunt. Eo post duos annos quatuorque menses, quanquam haud magno cum fœnore reverso, & aucto interea mercatorum lucrum sperantium numero, denuo A. 1598 Amstelodamenses octo naves in Indiam dimittunt, quibus præfectum imponunt Jacobum van Neck, earumque nondum expectato reditu, anno sequenti tres aliæ, præfecto Stephano van der Hagen, solvunt. Dum tanto ardore res apud Amstelodamenses agitatur, in Zelandia quoque, ut & Roterodami, parvæ excitantur classes, neque minus nova Amstelodami Societas inter mercatores maximam partem e Brabantia oriundos coalescit, eaque quatuor naves onerarias, totidem aliis e veteri Societate junctis, sub finem anni 1599 in Indiam mittit, quæ post biennium multis cum divitiis rediere. Quo rerum successu plures invitati passim, in Hollandia & Zelandia A. 1600 & 1601 classes instruebant. Contra Hispani navali conflictu fatigabant naves Belgicas, & Lusitani per Legatum quendam suum, Ordinis Sancti Francisci monachum, effecerant apud Regem de Achem, ut Belgis hostem se præberet, quod utrumque frustra fuit, Hispanorum impetu eluso, & Indorum Rege paulo post reconciliato. At cum nihilominus Hispani clam palamve insidias struerent Belgis, tum demum Mauritius Præfectus & Status Fœderati Belgii, publica his, qui iter in Indiam instituant, mandata dant, iisdemque adoriendi Hispanos atque Lusitanos licentiam faciunt. Quin & auctis nimium ejusmodi Societatibus, cum minor esset e profectione proventus, Status Generales Hagam invitant omnes Societatum Directores, iisque persuadent, ut in unum velut corpus coirent A. 1602 die vigesima Martii, privilegio in annos viginti & unum concesso. Itaque mox paulo majores classes emittuntur, quarum successu excitatus Philippus III, Rex Hispaniæ, A. 1605 Belgis commercio non minus cum Indis Orientalibus & Occidentalibus, quam cum Hispanis interdicit, capitis supplicium minatus. Verum Belgæ nequa-

nequaquam his minis deterriti non modo onerarias, ſed & bellicas naves exſtruunt & militem imponunt, exactisque paulatim e Moluccis inſulis Hiſpanis, inducias tandem cum Hiſpanis & Luſitanis in annos duodecim paciscuntur A. 1607, quas neutra tamen pars exacte ſervaſſe videtur. Quantum ſequentibus annis creverit Societas, vel ex eo intelligitur, quod A. 1623 aliquot mercatores, quicquid piperis paratum habebant, quod novendecim millibus ſarcinis *(bales)* convolvebatur, ingenti pecuniæ ſumma *(pour quatre millions-cinq-cents mille livres)* emiſſe dicuntur. Cæterum Status Belgii Generales, renovatis identidem Societatis privilegiis, diligenter cavebant, ne quid jurgii excitaretur inter ſocios, idque prudentia efficiebant, ne quid vel Angli vel Galli piratæ detrimenti huic commercio afferre poſſent. Quot vero quotannis naves poſtea vel profectæ in Indiam, vel ex ea reverſæ ſint, pluribus e Collectore noſtro recenſere ſupervacaneum ducimus. Quin potius ipſa etiam Diaria itinerum horum, ſingulis tomis contenta, quibus Collector hoc majorem adſtruit auctoritatem, quod ideo ſcripta non eſſent, ut in publicum ederentur, eoque ipſa ſimplicitate ſua veritatis argumentum præbeant, paucis enumerabimus.

Tomus I Iter Hollandorum & Zelandorum primum Septentrionale, pro inveniendo tranſitu in Regna Cathai & Chinam per mare juxta ripas Norvegiæ, Moſcoviæ & Tartariæ, primo loco exhibet, cui ſuccedit p. 15 Iter ſecundum eandem plagam verſus, & p. 29 tertium indultu Senatus Amſtelodamenſis 1596 inſtitutum, cui ſubjuncta tabula eſt, locorum, per quæ iter factum eſt, diſtantiam deſignans p. 141, tum Itinerum continuatio p. 146, & Deſcriptio Siberiæ, Samojedæ & Tingoeſæ ex Moſcorum ſcriptis hauſta p. 151, quibus adjecta Io. Iſ. Pontani diſſertatio, qua difficultates ſolvit, quas alii in expediendo per has oras itinere objiciebant, quarum ſuperandarum media ſuggerit p. 188. Infeliciter tamen itineribus his ſuccedentibus, alia via in Indiam tentari cœpta eſt: itaque itineris denuo ad Indos Orientales ſuſcepti hiſtoria p. 197 exhibetur, quam Collector excerptam monet ex eorum diariis, qui una profecti ſunt, variis obſervationibus ab ipſo illuſtratam; in hac de regionis &

incolarum indole plenius agitur. Secundum iter, p. 507, ingressa classis est octo navium duce Jacobo Cornelio van Neck A. 1598, quod partim ex hujus diario, partim ex aliorum de eo scriptis compilatum est. Denique p. 609 Relatio extat itineris quinque navium Roterodamensium ad Fretum Magellanicum A. 1598 duce capitaneo Sebaldo de Weert suscepti & A. 1600 finiti.

Tomus II Iter primo loco exhibet Hollandorum circa Orbem terraqueum per Fretum Magellanicum ductu Oliverii de Noort anno 1598, & p. 130 Iter Pauli van Caerden in Indiam Orientalem anno 1599 susceptum. Hinc vela dedit Jacobus van Neck, cujus itineris Descriptionem p. 179 legas, ut & p. 250 diversorum Commentarios de Indis Orientalibus, deque commercio diversis in locis constituto, cum regionum aliquot historia. Tum vero p. 295 sequitur Iter Stephani van der Hagen tribus navibus anno 1599 & sequentibus confectum: p. 356 Iter quinque navium Hollandarum ad Indos Orientales navigantium ductore Wolpharto Harmansen A. 1601, cum alia itineris Epitome Cornelii de Veen; & p. 421 Iter primum Georgii Spilbergii, ad Indos cum tribus navigiis eodem anno susceptum, cui p. 552 subnectitur Jabadii insulæ seu Magnæ Javæ descriptio, auctore Jacobo Pontano: denique ultimum locum hic occupat Iter quinque navium, quas Societas certis jam legibus confirmata in Indiam misit.

Tomo III præmittitur Præfatio, qua respondetur illis, qui publice profiteri non dubitant, de Indiæ rebus nihil certi in medium posse adferri, quoniam illa pars historiæ nondum satis culta sit. Remittit hos Noster ad hanc Itinerum variorum Syllogen, qua res a testibus oculatis sine partium studio exponantur, ut facile hinc satisfieri possit satyræ, quæ sub tit. *La Conduite des Hollandois en Asie* prodiit. Addit præterea, cuncta hic fideliter e Belgico sermone translata esse, ita tamen, ut supervacanea quædam fuerint omissa. Reperias autem in hoc tomo primum secundi itineris a Stephano van der Hagen, qui classem ducebat duodecim navium, nec non itineris navis cujusdam Bantamum & Coromandalam versus directi Descriptionem,

tum

tum p. 205 itineris Cornelii Matelief junioris in Indiam Orientalem & p. 606 itineris secundi Pauli van Caerden ad eandem plagam Descriptionem, cui subjuncta est p. 700 Historia Indiæ propriæ, quam Indostan Persæ & Arabes appellare solent.

Tomus IV exhibet primo loco Iter Petri Willemsz Verhœven in Japoniam aliasque Indiæ Orientalis provincias anno 1607 susceptum, cum narratione eorum, quæ gesta sunt in Bornei insula & descriptionibus insularum Amboinæ & Moluccarum, quales fuerint anno 1627 a diversis adornatæ, quibus varia adnexa sunt, ut societatum & fœderum cum exteris Principibus & populis initorum capita, & plura alia. Sequuntur p. 306 Iter Petri van den Broeck ad Caput viride, Angolam Indiamque Orientalem, in quo apparet ratio erectæ casæ Hollandorum in Jacatra, quæ mox surrexit in arcem dictam Bataviam, a qua nomen sortita inde est urbs amplissima: p. 474 Iter Georgii Spilbergii ad Moluccas insulas per Fretum Magellanicum: p. 567 Navigatio australis Jacobi le Maire & Wilhelmi Cornelii Schouten, annis 1615, 1616 & 1617 peracta, qua detectus est transitus per Fretum Magellanicum, qui protenditur ad Mare Australe: p. 663 Iter classis Nassovicæ ad Indiam Orientalem per Fretum Magellanicum, anno 1623 sub auspiciis Jacobi l'Hermite cœptum, finitum 1626, cui addita p. 749 delineatio Peruæ, ab Hispano captivo Petro de Madriga, Limæ nato, facta.

Tomus V complectitur p. 1 Iter Seygeri van Rechteren in Indiam Orientalem: tum Descriptionem Insulæ Formosæ, auctore Georgio Candidio p. 74, & urbis Macai, auctore Marco d' Avalo p. 129: Iter Henrici Hagenaar, cœptum 1631 & absolutum 1639, in gratiam Societatis Indiæ Orientalis p. 156, cum historia Imperii Japonici Francisci Caron ab eodem Hagenaario aucta p. 301, in qua comparet quoque diræ persecutionis illic contra Christianos, Ecclesiæ Romanæ addictos, anno 1622 & sequentibus institutæ descriptio, auctore Reyero Gisbertsz p. 395, cum aliquot diversi argumenti tractatibus minoribus. Tandem p. 459 sub titulo *Formosa neglecta* pluribus ostenditur, quomodo hæc Insula cum ei in tempore Societas Belgarum Indica suppetias, toties a

provinciarum Rectoribus flagitatas, non ferret, a Coxinga tyranno, Belgis penitus anno 1660 ejectis, fuerit sub Chinensium imperium redacta.

HISTOIRE DE LA CONQUESTE DES Moluques.

h. e.

HISTORIA EXPUGNATIONIS INSULARUM Moluccarum, per Hispanos, Lusitanos & Batavos factæ, Autore ARGENSOLA.

Tomi III.

Amstelædami, apud Jacobum Desbordes, 1706, 12.

Constant Alph. 2. pl. 8. & multis Fig. æn.

MOluccæ Orientalis Oceani insulæ gravissimorum motuum extiterunt causæ, quibus Hispani nimirum & Lusitani diu commissi sunt, cum Ferdinandus Magellanus Seculi XVI initio, superato freto, quod ab ipso nomen traxit, easdem adiisset, & utraque gens eas sibi vendicaret, atque æmulorum Ternatæ atque Tidoris Regum dissidiis in commodum suum versis, unum Hispani tuendum suscepissent, alteri subvenirent Lusitani. Enimvero cum frugum variarum, & nucis moschatæ cumprimis, atque caryophillorum læto proventu floreant, & quæstum longe uberrimum in iisdem mercatores facere viderentur, qui ex Europa nostra eo commeantes aromata isthæc importaverant, utrique inhiare ipsis cœperunt & in longas dimicationes cruentaque certamina conjecti sunt, donec Batavorum tandem prævaluerunt vires, qui fœdere barbaris Regibus juncti munitiones hinc inde fecerunt atque fructuosam illam mercaturam ad se traxerunt. Quæ fata ergo fuerint Insularum, dum gravissimis conflictationibus Europæ gentes inter se experiuntur, utra alteri anteferatur, post Gomaram, Lætum & alios Indicarum rerum scriptores *Argensola* quoque exponendum suscepit, cujus Historiam Hispanico idiomate antehac contextam & nuper admodum in Gallicam linguam translatam atque Amstelodamensium typis excusam nunc tenemus. In hac cum, præter ipsam rerum in Moluccis gestarum seriem, alia interdum valde jucunda adspergantur, nos specimi-

ſpeciminis loco ſequentia enotabimus. Reges Ternatenſes atque Tidorenſes divina ſua origine ſemet præ aliis efferre tomo I p. 4. ſeq. memorantur. Nimirum cum quidam eorum *Bicocigara* navi veheretur aliquando, & vidiſſet inter rupes enatas cannas quasdam rectas & ſolidas, easdem juſſit reſecari. Id vero cum facerent, qui juſſi erant, ſanguinem fluere ex abſciſſis ita cannis, & ad radices deinde ipſarum quatuor animadverterunt ova, qualia colubrorum eſſe ſolent; quod prodigium cum attoniti ſpectarent, vocem etiam audiiſſe ſibi viſi ſunt monentem, ut probe ſervarent hæc ova, ex quibus quatuor Principes inſignes prodituri ſint. Atque comprobata eſt, ut fingunt, eventu Oraculi veritas; ſiquidem ex incluſis diligenter ovis, non ſecus ac ex Ledæ illis in fabulis, tres mares & fœmella una rupto putamine erepſerunt, quorum primus inſulæ *Bacham*, ſecundus inſulæ *Butam*, tertius illis, quæ *Papouës* dicuntur, imperavit, fœmella Principi *Loloda* nupſit, qui in regione *Batochina* floruit. Exinde incolæ provinciæ hodienum illum *Bicocigara*, velut Heroem maximum, venerantur, quin & ova quatuor adorant & rupes, in quibus inventa fuerant, ſingulari cultu proſequuntur. Tomo I p. 151 mentio fit inſulæ cujusdam non longe ita ab iſta, quæ *Banda* nuncupatur, diſtantis, cujus incolæ ſtatura ſua non niſi quatuor ſpithamas adæquare dicantur, utque narrationem de Pygmæis cum gruibus certantibus minus in dubium vocemus, faciant. Tomo II p. 95 ritus exponitur, quo in inſula *Banda* mortuos ſepeliunt, ubi inter alia de obſcuris quibusdam demurmurationibus traditur a vivis ad defunctos vita factis, de quibus a Batavis interrogati reſponderunt, rogare ſe, ne corporis vinculis ſoluti in vitam velint redire, ſubindicantes, quam miſera ſit hominum vita & quibus calamitatibus implicata, & iniquum judicantes adeo, ſi quis nimio ejus deſiderio teneatur. Leguntur in hoc libro variarum etiam inſularum deſcriptiones, & qua ratione caryophyila creſcant & legantur, Tomo I. p. 107, ut myriſticæ nuces proveniant, Tomo II. p. 87 explicatur, ſed hæc aliorum induſtria, qui Itinerariis ſcribendis manus admoverunt, cognita jam nobis atque perſpecta ſunt.

THE

THE LIFE OF LEOPOLD LATE Emperor, &c.

i. e.

VITA LEOPOLDI IMPERATORIS, RES EJUS NON minus cum Turcis, quam Christianis annis fere sexaginta gestas complexa, una cum documentis authenticis, epistolis, tractatibus, characteribus &c.

Londini, apud T. Newborough, 1706, 8.
Alph. 1 pl. 3.

Leben und Thaten Sr. Majestät, des Römischen Käysers LEOPOLD, des Ersten 2c.

i. e.

VITA ET RES GESTÆ IMPERATORIS ROMANI LEOPOLDI I; collegit D. JO. BURCHARDUS MENCKENIUS, Hist. P. P. & Societatis Regiæ Angl. Socius.

Lipsiæ, apud Jo. Fridericum Gleditsch, 1707, 8.
Alph. 2 pl. 13.

Ut compendium recensionis faciamus, Vitas has, quanquam diverso idiomate scriptas, conjungendas duximus. Quæ Anglico prodiit, dissimulato Auctoris nomine, & ordine & stylo satis concinno conscripta est, & continet nonnulla, quæ Auctori a viris in Aula Cæsarea versantibus communicata videntur, cæterum Scriptores, quorum fide usus est, allegat nullos, & nomina Germanica, tum locorum, tum personarum, ut solent exteri, passim mire pervertit. Imprimis tamen laudandum, quod epistolæ subinde inseruntur, a Leopoldo ad Iacobum II, Wilhelmum III ipsamque Annam scriptæ, quas inter lectu dignissima est pag. 188, qua Jacobi exilium moleste se ferre significat, ita tamen ut de injuriis Gallorum, quibus plus nimium obsecutus ille sit, Imperio illatis

illatis simul gravissime conqueratur. Hoc opere diligenter se-usum fuisse in Germanica, quæ hic una exhibetur, Cæsaris hujus Vita, quam per compendium, maturato in gratiam Bibliopolæ labore, concinnandam sibi sumpsit, *Menckenius* noster non diffitetur, ita tamen ut ad veritatis amussim omnia examinaverit, erroresque nominum magna cura correxerit, nec his contentus, quæ Anglus suæ maxime gentis studiosus attulisset, longe plurima passim ex probatissimis Scriptoribus, qui in margine allegantur, adjecerit, unde factum, ut hæc ipsa Leopoldi Vita non solum alia penitus ab illa, verum & multo copiosior, ut vel ipsa libri moles docet, evaserit. Et plura hic inprimis deprehendas, ad mores Cæsaris vitamque secretiorem & mortem denique ipsam spectantia, quæ in Anglica editione frustra quæsiveris, quæque partim e Jo. Comatii Vita Leopoldi, Ephemeridibus Leopoldinis, quas Jo. Baptista Adolph compilavit, D. Jo. Adami Schenkhelii Diario Leopoldi, tum & Dan. Omeisii, Ant. Stieffii, Pauli Hansiz, ipsiusque Comatii & aliorum Panegyricis in obitum Leopoldi dictis, Commentariis item historicis sparsim editis atque amicorum epistolis hausta sunt. Meminit vero Auctor in Præfatione, præter Gualdi & Comatii Vitas Leopoldi prodiisse etiam Vitam hujus Cæsaris, Hispanico idiomate consignatam, & ad annum 1686 deductam, Mediolani A. 1696 tribus Voluminibus in folio, cui Auctor, cujus nomen paucis notum, præposuerit literas D. M. G. P. Ceterum ex ipso libro, quem in manibus habemus, non est, ut specimina afferamus, quin potius ad ejus lectionem historiarum cupidos amandamus.

CHRISTIAN WEISENS ORATO-risches Systema, etc.

i. e.

CHRISTIANI WEISII SYSTEMA ORATORIÆ, IN quo disciplina hæc ex justis principiis ordine evidenti deducitur, novisque exemplis illustratur; accessit de Politicis Orationibus caput curiosum.

Lipsiæ, apud Jo. Fridericum Gleditsch, 1707, 8.
Alph. 1 pl. 21.

Nondum bene mereri de studiosa juventute destitit Celeberrimus *Weisius*, cujus novum hic Oratoriæ Systema exhibemus, in quo, quæ vario usu comprobavit atque in aliis libris suis Rhetoricis sparsim indicavit, in unum velut succincte collecta exhibentur. Cumque methodo erotematica, quam nostri hoc tempore tantopere amant, utatur, probe a se invicem distinxit graviores & leviores quæstiones, ut & præceptori & discipulis bene consuleret. Etsi vero hic nucleum velut scriptorum omnium dederit Auctor doctissimus, tantum abest tamen, ut illa ideo negligi, ut potius in huius libri illustrationem diligenter adhiberi velit. Ne tamen seducantur lectores, cum plures libri *Weisio* hactenus adscripti fuerint, quos ipse nequaquam pro suis agnoscit, ideo catalogum exhibet librorum circiter septuaginta, sive Germanico sive Latino idiomate conscriptorum. Nos, cum Germanici sint longe plures, Latinos saltem hic recensere non gravabimur. Sunt vero hi: *Sebastiani Cæsaris de Menesis summa Politica, cui adjecta Idea Statistica*, 1676: *de Lectione Novellarum*, 1676: *de Poesi hodiernorum Politicorum, seu de argutis Inscriptionibus Libri duo*, 1678: *Doctrina Logica*, 1681: *Institutiones Oratoriæ*, 1687: *Subsidium juvenile de artificio & usu Chriarum*, 1689: *Nucleus Politicæ*, item *Logicæ* 1691: *Tabula Chronologica a nato Christo usque ad nostrum tempus*, 1691: *Nucleus Ethicæ*, 1694: *Systema Theologicum*, 1705; Dissertationes porro *de Principibus eorumque juribus, de fortuna politica, de Carolo Magno, de moralitate complimentorum, de existimatione Imperantium, de eo, quod honestum est, de elegantiis realibus, de Logica Nobilium & Politicorum, de Latina lingua, quantum Reipubl. intersit, eam doceri? quid Barclaji Argenis conducat legentibus?* Orationes denique *de Felicitate emeritorum, de conscientia Præceptorum, de ortu & progressu Scholarum per Lusatiam superiorem*, & similes. Quod ad ordinem Systematis hujus attinet, dividitur illud in partem theoreticam & practicam; illa classes instrumentorum secundum tres operationes, dispositionem, inventionem & elocutionem exhibet,

hibet, tractatque adeo de chria ordinata & inversa, de periodo & chria composita, de argumentis dialecticis atque oratoriis (ubi speciatim de moribus) de affectibus, deque argumentis eruditis seu consectariis & paraphrasi seu argumentorum alienorum analysi, de phrasibus deinde Grammaticis & figuris Rhetoricis, de artificiis Oratoriis phrasium, quoad inventionem, dispositionem & expressionem, ut & de lectione Auctorum & collectaneis; hæc instrumentorum horum applicationem ostendit, ubi Auctor, insuper habita veterum divisione in genus deliberativum, demonstrativum & jurediciale, orationes omnes ad genus scholasticum, homileticum & politicum reducit, atque hinc separatim de orationibus, quibus thema simplex edisseritur, de historicis porro seu panegyricis, de epistolis & carminibus, de orationibus item hermenevticis & politicis agit.

DAVIDIS GERTMANNI EXERCITATIO ANTI-Tilliana.

Francof. & Lipsiæ, apud Phil. Godofr. Saurman, 1707, in 4.
Constat plag. 15.

Duabus partibus doctissima hæc dissertatio absolvitur. In priori Cl. Autor innocentiam Lutheranorum ab imputato ipsis a Celeb. Salomone van Til in Theologiæ Compendio crimine, quod revelationes rationi contradictorias statuant, accurate vindicat, ita quidem, ut in ejusdem partis Sectione I neget, ab ullo Lutheranorum γνησίως talium absolute asseri, revelationem contradicere rationi, cum diserte doceant, rationi rectæ neque cum propositionibus, quæ unice ex revelatione dependent, neque cum propositionibus, quæ ex revelatione & ratione simul cognoscuntur, veram pugnam intercedere, sed corruptæ saltim rationi propositiones istas repugnare; aut certe propositiones theologicas, si rectæ rationi vere contradicunt, ex turbidis rationis corruptæ lacunis derivatas esse. Quibus præmissis ad πρῶτον ψεῦδος Lutheranis a Tillio tributum sese confert Autor. Juxta Tillium enim Lutherani ideo asserunt revelationes rationi contradicere, ut vim argumentorum ex ratione desumtorum effugiant, quæ adversus consub-

ſtantiationem & alia dogmata objiciuntur. Sed doctiſſimus Gertmannus monet, argumenta quidem plurima a Reformatis contra Lutheranos divinitus revelata dogmata propugnantes in medium afferri, ſed ne unicum quidem ex his, cujus vim effugere moliantur Lutherani, a Tillio monſtrari poſſe, cum tela e corruptæ rationis pharetra depromta jamdudum a Lutheranis fracta atque attrita fuerint. Præterea addit ſibi pergratum fuiſſe, a Tillio non tantum illa reliqua præter conſubſtantiationem dogmata, propter quæ revelationes rationi contradictorias ſtatuunt Lutherani, ſed & argumenta illis oppoſita percipere, ut una cum iſtis vim illam, quam ipſis ineſſe vult, exactius rimandi concederetur copia. Nec immerito obſervat, ſi ex Conſubſtantiatione dijudicanda cum ſuis argumentis ſint cætera dogmata, ne ſpeciem quidem veri illis ineſſe, ſiquidem illa Lutheranorum conſubſtantiatio nihil ſit, niſi monſtrum quoddam, quod ſui exiſtentiam nonniſi Tillii & ſociorum, quos ille ſequi affectet, debeat cerebro. In Sectione II argumenta ipſa, quæ Tillius *in Theol. Revel. c.24 pag.180* contra fictam a ſe Lutheranorum conſubſtantiationem ex revelatione pariter ac ratione in medium attulit, ordine diſcutiuntur, ut diſtinctius pateat, nullam plane vim argumentis adductis ineſſe, atque hinc evidentius cognoſci poſſit, neque vel rationem vel revelationem Lutheranis, neque Lutheranos illis adverſari. Pars ſecunda exercitationis in eo occupatur, ut oſtendat, ipſum Tillium labe, quam Lutheranis temere adſperſit, ſeſe commaculaſſe, ac revelationis cum ratione pugnam toties commiſiſſe, quoties præcipua Theologiæ ſuæ capita pro revelatis venditavit, quæ tamen non ſolum divina revelatio, ſed &, vel ea plane ſepoſita, recta ratio ex naturalibus ſuis principiis falſa eſſe demonſtrat. Tribus autem Sectionibus hæc Pars abſolvitur. In I evincit, principium Theologiæ revelatæ, quod recta ratio infallibile, ſufficiens & perſpicuum eſſe pronunciat, fallax, inſufficiens & obſcurum eſſe juxta Tillii Theologiam. *Fallax* quidem, dum ipſe ſtatuit: (1) voces in Scriptura aliter accipi, quam inter homines, quibus ad ſalutem informandis illa a Deo data eſt, convenit; (2) Diſcordiam eſ-

ſe inter

se inter universum processum, quem Deum in salvandis hominibus in tempore servare Scriptura tradit, & inter Decretum ab æterno formatum de illo in tempore instituendo. Quorum *prius* probatur (α) ex allata a Tillio distinctione inter voluntatem Dei occultam, seu beneplaciti, & revelatam, seu signi; (β) ex distinctione inter vocationem externam & internam; (γ) ex asserta particularitate gratiæ Dei & meriti Christi, in illis Scripturæ locis, in quibus omnibus individuis humanis gratiam reconciliationis cum Deo offerri, & a Christo λύτρον pro omnibus illis Deo solutum declarari, voce sine ullo restrictionis indicio universalitatem hanc significante adhibita, quilibet ex naturalis judicii vi intelligat; (δ) ex effectu Regenerationis, quem Scriptura Baptismo verbis in significatu proprio acceptis tribuit, ei denegato, & in nudam significationem Regenerationis mutato; (ε) ex verbis institutionis S. Cœnæ tropice intellectis sine ullo adjecto tropi indicio, sine quo tamen, juxta regulas bonæ interpretationis hominibus cognitas, aliter, quam in proprio significatu, ab iisdem accipi illa non possunt. *Posterius* autem inde corroboratur, quod, cum scriptura expresse doceat, Deum in tempore homines, quotquot salvat, aut damnat, non citra respectum ullius causæ impulsivæ, nostro concipiendi modo, extra seipsum, salvare aut damnare, Tillius inficietur verum Deum, ex ulla causa extra se impulsum, ab æterno decrevisse, vel salvare, quos in tempore salvat, vel damnare, quos in tempore damnat. *Insufficiens* principium Theologiæ Tillii esse ostendit, quoniam ipse dogmata quædam sua facit, quæ exinde deducere non potest, deducere tamen ea conatur. Quod tandem principium Theologiæ revelatæ Tillii non sit *perspicuum*, ex jam dictis facile colligi posse monet Autor, cum scriptura, ex doctrina Tillii, vocibus aliter utatur ac communis usus jubet, aliud verbis proferat, aliud mente occultet. In II Sectione confirmat, Tillium circa Theologiæ finem objectivum, Deum puta, dogmata rectæ rationi adversa fovere: etenim ipsum infinitam Omniscientiam Deo detrahere, cum neget, Deum scire illa, quæ futura essent conditione certa aliqua impleta, quæ tamen, quia conditio illa non impletur,

actu futura non sunt: infinitæ Sapientiæ, quam recta ratio suspicit, adversari, cum docet, præscientiam divini intellectus decreto voluntatis ejus esse posteriorem, Deoque electionem tribuit, negata omni in illo, qui eligitur, ratione, qua impulsus Deus eum ex pluribus eligat: infinitam Potentiam, quam infinitæ essentiæ enti competere ex insitis humanæ menti principiis evidens est, ipsum destruere, quando negat, aliquid a Deo fieri posse, de quo, quod contradictionem involvat, ostendere ipse non potest: Veritatem ac Fidelitatem, quam recta ratio necessario in Deo concipit, illum labefactare, quia Deus scripti histrionice & proterve prorsus fallentis juxta ejus placita Autor est: Sanctitati, sine qua Deus non est Deus, repugnare, cum Deum peccati causam facit: Justitiæ divinæ refragari, quod juxta D. Tillium (1) Deus reprobos citra respectum ullius causæ in illis destinat æterno supplicio, (2) Deus reprobos gravissimo supplicio afficit, propterea quod voluntati ejus conformiter fecerint, (3) Deus reprobos obligat ad salutem, sub conditione fidei ipsis absolute impossibili, & propter eam non præstitam æternum damnat, (4) Deus reprobos ad damnationem simul & causas damnationis determinat: Misericordiam divinam tollere, quod, docente Tillio, Deus objecti miserabilis non misereatur: cum fine Creationis divina stare non posse, quod D. Tillius asserat, Deum omnes omnino homines, adeoque etiam reprobos, ad imaginem quidem suam creasse, non tamen ad vitam æternam: Deum neque Summum Bonum esse, neque fruitione ejus homines beari posse, si Deus tot tantisque imperfectionibus ac pessimis vitiis juxta Tillii Theologiam laboret. In Sectione II demonstrat, Tillium circa reconciliationis & restaurationis modum rectæ rationi contradicere, siquidem juxta hanc in una persona non possint esse plures personalitates, sed tot sint personæ, quot sunt personalitates: Tillium vero de unico Mediatore ea tradere, quæ jubeant, ut plures in eo agnoscantur personalitates; aut, si plures esse posse personalitates negetur, nisi simul adsint plures personæ, e quibus sequatur, quod duo sint Mediatores, non unus: Tillium satisfactionem Christi evertere,

vertere, dum talia illi adscribit, quæ non permittunt eandem esse causam salutis æternæ meritoriam: Tillium, quando verbo divino efficaciam solummodo moralem tribuit, paulo post autem asserit, regenerationis causam instrumentalem esse verbum Dei, quod concipitur ut semen regenerationis, impingere in rectam rationem, e qua manifesto constet, non posse illud physice effectum producere, cujus vis agendi tantum moralis est: rectam rationem evidenter nosse, quod divinæ scientiæ & bonitati repugnet, revelari quicquam, quod ad gratiam & salutem consequendam facere debeat, ad hoc vero, ut certam quis inde spem de gratia & salute consequenda concipiat, per se aptum non sit; huic tamen rectæ rationis effato contradicere Tillium, quia juxta ipsum quis in mediatore, quem non nisi pro nudo habere potest homine, suam fiduciam ponere debet; & de gratia Dei ac salute consequenda citra formidinem oppositi certus quis reddi nequit; negare Tillium contra rectam rationem, quod ad hoc, ut impietati quis inhæreat, per se aptum est, id per se non esse aptum ad impium ab impietate vocandum; dum (1) statuit absolutum electionis & reprobationis decretum, (2) docet, fidem in hominibus produci irresistibiliter, (3) autumat, fidem & sanctitatem amitti a regenito non posse. Quibus omnibus erudite deductis, concludit Autor noster, si in summam colligantur contradictiones, quibus D. Tillii Theologiam scatere recta aperuerit ratio, cerni principium illius contradicere sibi ipsi & conclusionibus suis, conclusiones pariter sibi invicem contradicere ac suo principio.

THE JUST SCRUTINY: OR, A SERIOUS ENquiry into the modern Notions of the Soul &c.

hoc est

SCRUTINIUM EXACTUM, SEU INQUISITIO seria in modernas Animæ notiones, quatenus consideratur 1 instar halitus vitalis seu potentiæ (non immaterialis Substantiæ) corpori unitæ juxta Scripturæ Sacræ

Sacra tenorem: 2 instar principii naturaliter mortalis, sed per unionem cum spiritu baptismali immortalitate donati, juxta Platonismum nuper in Christiana Ecclesia resuscitatum. Autore W. C. M. D.

Londini, apud J. Chantry, 1706, in 8.
Constat plag. 14.

EDidit hoc opusculum *Cowardus*, Medicus Londinensis, et tribus Epistolis compositum; quarum prima ad *W—m C—ck* perscripta *Covvardianam* de anima humana sententiam contra adversarios defendit; altera ad *Samuelem Clarck* data *Dodwellianas* hypotheses *Mense Majo p. 207 & seqq.* propositas & *Clarkianam* earundem confutationem eodem mense *p. 212 & seqq.* repræsentatam perstringit; tertia denique statum animæ post mortem & consequentias ex hypothesibus *Dodwellianis* & *Cowardianis* fluentes examinat. Antequam vero de his epistolarum argumentis quædam specialiora dicamus, *Cowardi* principia Metaphysica de substantiis immaterialibus ex duobus scriptis aliis jam antea evulgatis repetenda sunt. *Cowardus* scilicet publici juris fecit *Cogitationes posteriores de Anima*, Londini 1704 in 8 recusas, in quibus omnem movet lapidem, ut evincat, doctrinam de Anima inter omnes Christianos hodie receptam, quod sit substantia immaterialis corpori unita, a Paganis fuisse confictam, nec principiis Philosophiæ, Rationis, Religionis consonam, atque stabiliat, juxta tenorem totius Scripturæ animam esse vitam hominis, hoc est, unam eandemque esse virtutem, qua homo movetur, vivit, sentit, ratiocinatur, quæque in corpore reperiatur, quamdiu vivit, prorsus cesset, quamprimum illud interit, sed rursus extitura sit, quamprimum in resurrectione universali corpus mortuum reviviscet. Adversarium mox nactus est *Johannem Broughton*, qui ipsum in *Psychologia* seu *Tractatu de natura animæ rationalis*, Londini 1703 in 8 edito, inter Atheos & Empectas referre nullus dubitavit: unde ansam arripuit *Cowardus* principia sua Metaphysica plenius exponendi in *Arduo* (quod vocat) *Tentamine*, Londini

Londini 1704 in 8 publicato, i.e. in *Vindicatione Rationis & Religionis contra imposturas Philosophiæ*, in quo probare conatur, quod, stantibus ideis & conceptibus, quos de rebus sibi formare valet intellectus humanus, 1 existentia substantiæ alicujus immaterialis sit impostura Philosophica & conceptu impossibilis: 2 omnis materia principium motus internum habeat sibi concreatum: 3 materiam & motum unicum esse cogitationum in hominibus & brutis fundamentum; & sub finem Epistolam ad *R. D. Broughton*, Ducis *de Malrborough* Diaconum annectit, in qua ad argumenta ab ipso contra suas de Anima Cogitationes prolata respondet.

Substantiæ immaterialis impossibilitatem ostensurus, contradictorias esse affirmat substantiæ ac immaterialitatis notiones. Contradictionem probaturus proprietates substantiæ materialis recenset, extensionem scilicet, divisibilitatem, patibilitatem, impenetrabilitatem (sub qua simul negationem unionis unius cum altero citra ejus incrementum comprehendit) successionem temporis ac loci in motu, insensationem & sensibilitatem seu esse objectum sensuum, atque inde proprietates substantiæ immaterialis colligit non extensionem, indivisibilitatem, impatibilitatem, penetrabilitatem, nullam temporis ac loci in motu successionem, sensationem & insensibilitatem. His præmissis negat, substantiam posse concipi sine extensione, quia nulla sine limitata & circumscripta existentia concipitur, circumscriptio autem per terminos fit. Provocat ad omnium conscientiam, quod substantiam concepturis ea primo occurrat tanquam massa independentis existentiæ. Hinc ulterius infert, substantiam non posse concipi indivisibilem, quoniam, ubi dantur partes extra partes, ibi locum habet divisio. Nec posse concipi, ait, quomodo substantia immaterialis materialem citra contactum moveat. Quare cum non constet, substantiam immaterialem existere, nec hunc agendi modum admitti posse, quemadmodum contra admittatur partium minimarum in corporibus unio, licet modum unionis non concipiamus, quia illarum partium existentiam clare percipimus. Porro defendit, substantiam nullam concipi posse impatibilem, & gratis affirmari asserit, substantiam immaterialem corporum penetrare dimensiones, quod penetratio

istiusmodi sine materiæ alicujus subtilis ex ipsorum poris expul-
sione concipi nequeat. Motum spiritus necessario temporis ac
loci successionem admittere, cum locorum, e quorum uno in
alterum venit, necessario concipiatur distantia aliqua, quæ ipsa
loci ac temporis successionem inferat. Non posse animam me-
diante corpore sentire, quia motus citra contactum cum non ex-
tensa, discontinua, indivisibili & indiscerptibili substantia incon-
ceptibilis. Nec denique spiritus esse insensibiles, quia corpo-
ra tangunt, contra sensuum autem evidentiam ad corpora assum-
ta perperam provocari. Negata igitur substantiæ immaterialis
possibilitate, Deum substantiam non esse pronunciat, quia infi-
nitus, hoc est, nullos essentiæ habet limites, substantia autem ex
ipsius mente sine certis limitibus non concipitur, & quia omni-
præsens quoad essentiam, qualis omnipræsentia in substantia in-
conceptibilis. Addit, quod Deus Judæos idololatriæ insimula-
verit, cum ipsum tanquam substantiam repræsentarent, *Jes. II*
18 Act. XVII, 29 Deut. IV, 12. Esse vero statuit æternam,
omnipotentem, omnipræsentem virtutem: cujus assertionis veri-
tatem tum per Scripturæ testimonia, tum per rationes stabilire
nititur. Deus *Joh. IV, 24* spiritus dicitur. Per spiritum ibi vir-
tutem seu potentiam intelligi arguit inde, quod ibidem homo
Deum spiritu adorare debere dicitur, h. e. zelo, fervore, pu-
ritate, pietate, quæ sint virtutes ex vita profluentes. Quod si
objicias, hinc consequi, Deum esse accidens, reponit, subsi-
stentiam Dei non ex Aristotelis definitione probandam, qui tan-
quam Gentilis veram Dei ideam in Scripturis revelatam non ha-
buerit, divisionem insuper rerum in substantias & accidentia res
saltem concernere creatas, nec pro his eam esse adæquatam. Cæte-
rum inter rationes probantes potissima hæc est, quod notioni vir-
tutis seu potentiæ omnia attributa negativa & positiva, absolu-
ta & relativa, quæ in Scripturis Deo tribuuntur, conveniant,
quodque omnibus rebus visibilibus insit aliqua virtus, virtutis
illius divinæ existentiam arguens. Spiritus creatus ipsi est vir-
tus supereminens materiæ implantata, quæ ad eandem sub cer-
tis limitationibus actuandam per supremam omnium virtutem
apta. Unde omnem spiritum creatum materialem facit & sen-
tentiam

tentiam nonnullorum Patrum primitivæ Ecclesiæ revocat, qui angelis corpora tenuia attribuerunt, hac maxime ratione commotus, quod Scriptura testetur, omnes angelos corporaliter apparuisse & per proprietates corporeas innotuisse. Jam vero quando religio revelata rei cujusdam naturæ & existentiæ certam probationem afferat, missas fieri debere optimas conjecturas Philosophicas, tantoque magis, si nulla de existentia & natura istarum rerum certitudo, nisi ex Scriptura haberi possit. Nec obstare, quod angeli in Scriptura dicantur spirituales: spiritualitatem enim etiam corpori sive materiæ convenire, *1 Cor. XV, 44,* cui tamen non convenit immaterialitas. Facile vero hinc colligimus, quod ex ipsius mente angeli quoque mali sint materiales, quorum materialitatem ulterius inde confirmat, quia ipsis tribuitur motus localis, *2 Petr. II, 4, Job. II.* Atque eam ob causam Diabolum non corporaliter, sed per virtutem spiritualem homines obsidere statuit, quam sententiam ex Scripturis corroborare nititur, quia infirmitates seu morbi dicuntur mali spiritus, *Matth. IX, 18, Luc. IX, 39, Marc. IX, 20,* & Deus Diabolis potentiam malefaciendi permittit, *1 Reg. XXII, 21, Chron. XVIII, 21,* communicando potentiam diabolicam hominibus, *2 Thess. II, 9.* De anima humana dum agit, subjectum cogitationis in homine necessario esse materiam hinc adstruit, quod cogitatio proprietates materiæ essentiales habeat, successionem nempe loci ac temporis, cum uno actu plura simul cogitare non liceat, quæ, si a substantia immateriali esset, non pertransito medio ab uno extremo ad alterum essentialiter pertingente, successionem istiusmodi non admitteret. Est igitur ipsi cogitatio continua idearum in cerebro circulatio seu rotatio: cui sententiæ cogitationum celeritatem minime repugnare ait, quia celeritas, qua lux juxta *Ræmeri* observationes movetur, celeritati cogitationum non cedit. Ex hac cogitationum definitione causam reddit, cur a sensibus ultimo pendeant omnes cogitationes, nec homo ullam rei sensibus nunquam perceptæ ideam sibi formare valeat, nisi rerum perceptarum compositione utatur; cur cogitationes pro lubitu formare nequeamus, utpote inviti, ex. gr. dolorem percipi-

entes; cur morbi vel vulnera cerebrum afficientia, vel causæ aliæ in spiritus animales agentes, ibi generari solitos, ex. gr. ebrietas, cogitationes immutent. Modum, quo materia cogitet, ignorari asserit, idque per Dei potentiam fieri affirmat, neque enim absurdum esse in explicandis naturæ phænomenis ad Dei potentiam subinde recurrere. Materiam reliquam habere principium motus in se, non aliter probat, quam quod omnes mutationes, quæ ipsi accidunt, mediante motu contingunt. Provocat tamen simul ad experimenta, quibus confirmatur, duo corpora quiescentia, ex. gr. pulverem coralliorum & oleum vitrioli, invicem permixta motum excitare. Quodsi objicias, materiam non posse movere se ipsam, cum mobile a movente distinctum esse debeat; regerit, Immaterialistas idem premere dubium, dum asserunt, animam movere se ipsam. Doctrinas istas contra censuras adversariorum in Epistola prima defensurus in eo est, ut monstret 1 se veritatem Scripturæ Sacræ contra innovationes Philosophicas & hominum traditiones; 2 justitiam & honorem Dei per præmiorum ac pœnarum proportionatam distributionem stabilitam; & 3 articulum fidei haud ultimum de generali judicio extremo contra necessarias doctrinæ Platonicæ consequentias malas vindicasse.

In Epistola secunda a *Dodwello* & *Clarkio* poscit, ut ante dicant, qualem sibi animæ humanæ notionem forment, quam disputent, utrum sit mortalis, an immortalis. Quodsi enim Deus materiam cogitationum capacem reddiderit, quæ ipsius hypothesis est, omnia illorum ratiocinia nulla esse, cum per ordinariam Dei potentiam supereminens virtus materiæ implantata, per quam actus rationis & sensationis se exerunt, nonnisi in judicio universali in corpus resuscitatum sit revocanda. Tria autem sibi probanda sumit, nimirum 1 hominem nequaquam per arbitrium Dei immortalem reddi, ut puniatur; 2 unionem divini spiritus baptismalem non esse illam virtutem, quæ homines immortales reddit, sed tantum gratiam conditionalem, quæ ad hoc requiritur, ut immortalitate beatitudinem consequamur; 3 Episcopos non solos esse, qui gratiam istam conditionalem conferre queunt. Primam propositionem quod attinet, ex

ex Scripturis probat, immortalitatem ad puniendum a justitia divina & delictis admissis petendam esse, ita ut Deus non ex mero arbitrio, sed jure delicti punire dicendus sit, pœnaque affectum iri etiam eos, qui Evangelium non audiverunt, utut eorum pœna tolerabilior futura sit, quam illorum, qui auditum spreverunt. Universalitatem resurrectionis & judicii ex *Joh. V, 28. 29* probat. Circa propositionem secundam monet, per spiritum baptismalem non posse intelligi tertiam divinitatis personam, cum alias quilibet verus Christianus foret θεάνθρωπος, sed donum a Spiritu S. in baptismo collatum. Hoc vero donum non novam homini conciliare naturam, sed pro gratia conditionali in ordine ad salvationem æternam procurandam accipiendum esse, ex *Act. II, 38. 45. 47* evincit. Conditionem istam, sub qua nobis salus offertur, perperam vocari Spiritum baptismalem, perperam pro causa immortalitatis haberi, cum alias quoque pœnitentia ac fides spiritus & causa salutis dici deberent. Præterea ex Scriptura deducit, legem divinam esse universalem, ac eos etiam stringere, qui Evangelium non audiverunt, unde pateat, cur judicium extremum sit universale, consequenter & resurrectio mortuorum universalis. Ad tertiam denique propositionem urget, voces *Sacerdos*, *Presbyter*, *Episcopus* in Scripturis sæpe synonymas esse, quæque ex ordinatione jure Divino derivetur, potentiam ab Episcopis quatenus Clericis, non quatenus Episcopis petendam esse, cum tempore Apostolorum per impositionem manuum ordinationem administraverint etiam Presbyteri. Ordinationem itaque non illegitimam censendam, si constitutio civilis ordinandi facultatem omnibus Presbyteris permittat. Nec jure Divino Episcopum eminentioris esse ordinis, quam Presbyterum, sed solo jure Civili, consequenter ad auditorum salutem non requiri, ut Clericus ab Episcopo ordinationem accipiat. Immo vero cum hic cesset jus Divinum, Civile ad lubitum constituere posse, quid fieri debeat, num scilicet a Presbytero, num ab Episcopo, num a Clerico quocunque ordinatio sit instituenda.

In Epistola denique tertia figmenta & aniles fabulas Gentilium de statu hominis post mortem recenset, atque phrases,

quas Scriptura de morte usurpat, expendit: in his vero nihil præsidii pro defendenda communiter recepta de immortalitate animæ doctrina inveniri arbitratur, calculum adjiciens iis, quæ de hoc argumento in Epistola secunda ad *Serenam* docet *Tolandus*, origine notionis animæ vulgo receptæ ac immortalitatis ejus ab Ægyptiis derivata. Quodsi ad Mosen atque Eliam Christo in monte Thabor apparentes provoces; non Mosis animam, sed personam ante judicium generale resuscitatam & glorificatam apparuisse respondet, alias enim Moses fuisset invisibilis, id quod contextui repugnet. Ad confirmandam propriam sententiam de anima a morte cessante & in judicio extremo cum corpore resuscitato demum iterum extitura inter alia urget Scripturæ loca, in quibus mortui Dei non recordari, Deum non posse laudare dicuntur: urget quoque, quod Scriptura præmiorum & pœnarum collationem cum judicio extremo constanter connectat. Tandem operam dat, ut ostendat, ex *Dodwellianis* hypothesibus praxi Christianismi adversas fluere consequentias, ex propria vero nihil talium deduci posse.

A DISCOURSE OF THE NECESSITY and usefulness of the Christian Revelation, &c.

i. e.

DISCURSUS DE NECESSITATE AC USU REVELATIONIS Christianæ ob corruptiones principiorum Religionis naturalis inter Judæos & Gentiles. Autore DANIELE WHITBY, Theol. D. & Cantore Ecclesiæ Cathedralis Salisburiensis.

Londini, apud J. Churchil, 1705, in 8.
Constat plag. 21.

DEmonstrandi methodum ad res Metaphysicas tractandas applicantibus non ignotum, ex Dei hominisque natura deduci posse, quicquid actionum naturæ humanæ convenientem ac intentioni

tentioni divinæ respondentem directionem concernit. Nec eos fugit, quod solius rationis ductu virium ad istam directionem requisitarum insufficientiam propria culpa contractam in nobis deprehendere valeamus, ast decretum reparationis per Christum ab æterno factum rationi non æque obvium existat. Emergit inde revelationis divinæ immediate in utroque Fœdere factæ necessitas. Et cum quidem ante Salvatoris adventum non opus esset, ut ejus persona individualibus characteribus distingueretur, opus vero esset per sapientiam Dei alia longe salutis dispensandæ forma, quam post adventum illius, ut revelationi antiquæ nova in Fœdere novo accederet, prorsus necessarium existebat. Enimvero vel solus titulus monstrat, Autorem Discursus, de quo jam nobis quædam dicenda sunt, ad hæc non attendere, magisque utilitatem, quam necessitatem revelationis Christianæ sibi commonstrandam sumere. Quamobrem omnis ejus tractatio huc redit, quod probare conetur, dari leges naturæ seu principia religionis naturalis, eaque tam a Judæis partim per vanas traditiones, partim per falsas de Deo notiones, partim per obligationum ad omnia secundæ tabulæ præcepta enervationem, quam a Gentilibus partim per erroneas de Deo & actionum moralitate animæque immortalitate opiniones, partim per impunem scelerum ac flagitiorum perpetrationem corrupta fuisse, adeoque, ne amplius veritas sub iniquitatibus detineretur, revelationem Christianam, malis istis omnibus medentem, accedere debuisse. Existentiam legum naturalium probat, tum per testimonia Scripturæ, Act. X, 34 Hebr. XI, 6 Rom. I, & II; tum per rationes a conscientia, ab existentia item quorundam principiorum religionis naturalis, quæ falsis ideis per educationem contractis adscribi nequeant, (qualia sint, quod Deus non negligat eum, qui ad ipsius similitudinem se componi desiderat; quod Deus laudet virtutes, vitia odio proseq uatur &c.) & a principii interni nos in appetendo & aversando dirigentis absentia, cum negatione actionum moraliter bonarum vel malarum connexa, petitas. Corruptionem principiorum religionis naturalis a Judæis & Gentilibus factam quomodo stabiliat, ex antea dictis sine difficultate quivis facile hariolabitur.

AN

AN ESSAY AT THE MECHANISM OF THE Macrocosm.

h. e.

TENTAMEN DE MECHANISMO MACROCOSMI, seu dependentia effectuum a suis causis per novam Hypothesin explicata, Philosophiæ modernæ ac experimentali accommodatam, in qua solvuntur phænomena varia, quorum ratio hactenus dari non potuit, ex. gr. causa assignatur gravitationis, motus, reflexionis, refractionis &c.

Londini, apud J. Wale, 1705, 8.

Const. plag. 22.

Egregius libelli titulus Scientiæ naturalis cultores ad ejus lectionem statim allicit, cumque illius Autor *Conyers Purshal* ardua admodum moliatur, dum particulas elementares ad definitum numerum revocare, antiquam hypothesin Ptolemaicam ab inferis denuo revocare, omnia motus Planetarum phænomena ex eadem salvare, theorias magni *Newtoni* Physicas pro erroneis declarare, quantitates incommensurabiles prorsus pernegare & Mathematicorum in demonstrando fidem labefactare intendit, libello evoluto, non potest non augeri legendi ardor. Quo itaque appareat, quinam votis responderit eventus, præcipua novæ hypotheseos momenta in compendio proponere libet. Orditur omnem tractationem a stabilienda Numinis existentia, propter frequentem hoc nostro ævo Atheorum inter conterraneos suos numerum. Ab existentia entium ad existentiam entis æterni concludit. Ens illud esse rationale infert, quod dentur entia rationalia, quæ producere non potuisset, si esset irrationale. Mundum non esse ab æterno, probat, quia eandem perfectionem ab æterno in æternum non possidet, utpote defectibus accidentalibus obnoxius, qualis est insignis illa per diluvium universale facta alteratio, non modo ex sacris, sed profanis etiam Scriptoribus, *Beroso Chaldæo*, *Hieromo Ægyptio*, &c. manifesta. Urget etiam ad illius existentiam evincendam Cl. *Woodwardi* argu-

argumentum a piscibus atque conchis petrefactis & in ipsis montium summitatibus repertis desumtum, simulque exponit, quomodo diluvium contigerit. Cum scilicet per 40 dies & 40 noctes plueret, continuum imbris descensum ex nubibus requisivisse continuum ascensum vaporum ex Oceano. Ex continuo imbre aquam aeri, dumque terræ superficiem lambebat, particulis terreis, salinis, unctuosis & mineralibus permixtam fuisse: unde fermentatio in aqua producta sit, ut in ingens spatium dilataretur. Rarefactam vero per particulas salinas & minerales graviorem redditam, ut arcam vehere posset. Salia hæc ex terra extracta post diluvium eandem sterilem reddidisse, & ab hac sterilitate noxiisque vaporibus ex heterogeneis particularum salinarum ac mineralium mixturis deducit, quod antediluviani longæviores fuerint. Multus est in enarrandis attributis divinis, ostendit inprimis, quod iisdem repugnet necessitatio Adami ad lapsum. Probat, Deum mereri fidem etiam in iis, quæ sunt supra rationem, vel contra eam esse videntur, & Scripturam Sacram ipsius esse verbum. His præmissis, ad ipsam hypothesin explicandam progreditur. Statuit, ex rudi & indigesta mole mundum esse productum, eundemque ex minimis & simplicibus particulis compositum, quæ ex nihilo creatæ, tribus dimensionibus præditæ, impenetrabiles, generationi & corruptioni non obnoxiæ sint, in diversas tamen species abeant. Talia autem principia nonnisi octo in machina mundi admittit, ætherem, nitrum, aerem, spiritum, oleum, aquam, terram & sal. Prima duo activa, duo postrema passiva pronunciat: aeri naturam intermediam tribuit: reliqua tria pro vinculo unionis reliquarum habet. Per *ætherem* eam intelligit materiam, quæ radiis Solaribus generandis inservit. Esse ætherem materiam evincit, quia radii Solares reflectuntur, refringuntur, antimonio calcinato (id quod *Dickenson* & *Digby* experti sunt) pondus addunt. Ulterius stabilire nititur, quod æther sit texturæ elasticæ, figuræ globularis, quodque violenta rotatione abripiatur. *Nitrum* ipsi est principium materiale, subtilissimum, quod texturam habeat contractioni aptam, & in alia corpora per condensationem ac refrigerationem agat. Ubi evertere nititur illorum sententiam, qui

frigus pro mera privatione caloris venditant, propterea quod gradus condensationis & frigoris gradibus privationis constanter proportionales non existant, cum ipsa experientia quotannis loquatur, ab æquinoctio autumnali usque ad solstitium brumale aeris frigus graduatim minime decrescere, nec hieme, particulis æthereis per nubes & nebulam interceptis, major sit frigoris gradus. Frigus igitur ipse a particulis frigorificis repetit, provocans ad sal vel nitrum, quod nivi vel glaciei permixtum aquam contiguam in glaciem transmutat. Nitri particulas esse texturæ elasticæ condensativæ confirmat, quia ipsis oppositæ calorificæ sunt elasticæ dilatativæ. *Aerem* definit, quod sit materia structuram elasticam expansivam habens, sed quæ magis æthere densa & in statu violentæ compressionis. Definitioni fidem facit per experimenta illustris *Boylii*, quæ inter notatu dignum, quod vis elateris vesicam agninam extendentis aeris intra biennium non fuerit imminuta. Per *spiritum* particulas inflammabiles istiusmodi indigitat, quales in spiritu vini deprehenduntur. Spiritum illum facile misceri cum aqua, sed difficulter cum nitro vel sale. Esse principium corporum, quod ex particulis homogeneis per universum dispersis consistat, utpote ex omnibus corporibus fermentationis capacibus extrahi solitum. Dispergi potissimum per elementum aquæ, cum quo maximam habeat affinitatem, quod *Boylius* in bullis intra glaciem aliquid ab aere diversum repererit, utpote intra vacuum non expandendum. *Oleum* vocat principium expansivi elateris incapax, facile tamen inflammabile, cum aqua immiscibile, affinitatem cum spiritu, æthere & terra, reluctantiam cum nitrosis particulis & sale habens. Ad experimentum *Boylii*, quo deprehendit oleum per destillationem tanquam compositum in alia simpliciora resolvi posse, respondet, ignem non modo habere vim composita dissolvendi, sed & principia componendi, quod vel ex sola vitri formatione pateat. Unde olea non satis pura per destillationem haberi ait. Negat tamen, igni competere vim principia transmutandi, alias enim tam facile massam totam, quam partem ejus aliquam in massam uniformem aliam transmutatum iri. *Aquam* dicit principium densum, vi contractiva præditum, ut solidum æmulari videatur,

tur, inactivum, nec inflammabile, nec cum oleo & sulphure facile miscibile. Principium esse contendit, eo quod transmutari nequeat. *Terram* denique & *Sal*, cum omni vi elastica destituantur, a reliquis principiis nonnisi figura, situ & pondere differre ait. Explicationi principiorum subjungit, quomodo ex iisdem in massa uniformi commixtis textui Mosaico convenienter mundus prodire potuerit. Per firmamentum, quod Moses secundo die creationis a Deo productum pronuntiat, intelligi debere affirmat orbem solidum, in cujus concavitate protuberantiæ referant stellas ejusdem cum orbe substantiæ. Stellas scilicet esse arbitratur corpora solida, imperspicua & speculorum metallicorum instar polita, quæ particulas æthereas reflectant. Systema assumit Ptolemaicum, nisi quod quinque saltem numeret Planetas, cum ♀ & ☿ pro Satellitibus ☉ habeat & Telluri motum vertiginis concedat. Fluidum æthereum, in quo natant Planetæ, continuo rarius ac levius fieri ponit, atque hinc Planetas intra aerem in diversa a centro Telluris distantia locari infert, quia non omnium eadem gravitas specifica. Quoniam adeo fluidum istud, in quo locantur Planetæ, est gravitati uniuscujusque adæquatum, eos nec posse perpendiculariter descendere ob minorem corporis gravitatem, quam orbis; nec ascendere, ob orbem superiorem leviorem. Premere itaque orbem deorsum, qui, cum componatur ex particulis elasticis, contraria pressura sursum resistat, & hanc resistentiam cum aptitudine figuræ Planetarum efficere motum, qui, cum nec sursum, nec deorsum fieri queat, necessario circularis evadat. Inde porro explicat, quomodo totum fluidum æthereum per particulas minores in motum concitatum fuerit, & causam motus vertiginis & declinationis ab Æquatore deducit. Quod motus vertiginis in Planetis reliquis sit major, quam in Sole, majoribus, quæ in ipsorum superficiebus deprehendantur, irregularitatibus adscribendum esse: ab illarum irregularitatum diverso in diversis Planetis positu motus diversitatem pendere: ab irregularitatibus iisdem & motu vertiginis celeriori majorem Planetarum quam Solis declinationem proficisci. Quibus stabilitis, reliqua motus Planetarii phænomena ad causas suas revocare studet. Negat,

gat, ♄ & ♃ a ☉ illuminari, quod per telescopia semper toti illuminati appareant; Satellites illuminent, quippe prorsus obscurati, si pars ♄ vel ♃ opposita a nobis avertatur, utut Soli obvertatur altera, & phases atque diversam magnitudinem apparentem habentes; interna annuli Saturni superficies semper illuminetur, cum externa Soli nostro opposita tenebris involuta. Suorum itaque Satellitum Soles esse ♄ & ♃ concludit, quemadmodum Sol noster sit Sol suorum Satellitum ♀ & ☿. Influxum siderum adscribit compressioni ætheris ab iisdem factæ & humores in corporibus nostris agitanti. Retrogradationes & stationes Planetarum enodaturus supponit, perinde esse, sive ponamus Solem moveri circa Tellurem, sive Tellurem moveri circa Solem, & vi hujus suppositi easdem cum Copernicanis stationis & retrogradationis causas assignat. Legem denique *Kepleri*, quod in motu Planetarum quadrata temporum periodicorum sint ut cubi distantiarum mediarum, inde stabilit, quod, quo medium rarius, eo motus sit velocior, & quo distantia a movente, Orbe nempe solido fixarum, rarior, eo motus itidem sit celerior. Esse vero pondera Planetarum in ratione distantiarum a centro Terræ. A corporibus cœlestibus ad terrestria contemplanda pede promoto, in causam motus Telluris diurni inquirit, eamque in dilatationem aeris per particulas æthereas a ☉ & ☽ impulsas factam conjicit: quemadmodum & fluxum ac refluxum maris a pressura atmosphæræ per præsentiam ☉ & ☽ rarefactæ derivat. Unde erroris arguit *Celeb. Newtonum*, qui aquas terrestres a Luna attrahi affirmat. Impugnat etiam ejusdem *Newtoni* hypothesin de gravitate Planetarum in se invicem, eamque precariam vocat. Disquirit de ascensu Mercurii in Barometro, quem majorem esse pronuntiat tempore sereno, quod tum particulæ ætheræ superficiem Telluris magis premant, quam si a nubibus intercipiuntur. Ventos similiter oriri posse affirmat a simplici aeris pressione & ab ejus rarefactione. Immo a virtute rarefaciendi & dilatandi particularum Solarium vegetationem & odorem deducit: ubi multa a *Woodwardo* mutuata, cujus meditationes in Actis nostris mense Febr. A. 1700 relatæ. Lumen a particulis elasticis a Sole per lineas rectas

rectas impulſis; colorem a modificatione radiorum reflexorum derivat, diſputans contra theoriam luminis *Newtonianam*. De refractione dum agit, in multis ſequitur *Molyneuxium*, cujus *Dioptricam* menſe Januario A. 1693 recenſuimus. Phænomena magnetis a particulis nitroſis pendere ait, quatenus a Solaribus iis contrariis impelluntur: a quibus etiam phænomena condenſationis, frigoris, nivis, glaciei deducit. Sonum particulis aereis, quatenus elatere gaudent, attribuit: eaſdem motionibus corporum animatorum & inanimatorum continuandis deſtinari aſſerit, quatenus in ſtatu violentæ compreſſionis exiſtunt. Accelerationem motus corporum deſcendentium expanſioni aeris ſuperioris adſcribit. Illud vero mirabile eſt, quod dari incommenſurabilia neget ac omnes quantitates commenſurabiles eſſe pronuntiet, modo inveniatur ea pars, quæ utramque metiatur. Sic ex. gr. certum eſt, poſito latere Quadrati 1, Diagonalem fore $\sqrt{2}$, conſequenter ſuppoſita hac unitate, latus Quadrati Diagonali incommenſurabile exiſtit. Noſter vero arbitratur, incommenſurabilitatem tantummodo ab incommoda unitate aſſumta pendere. Dari enim omnino partem aliquam, quæ & latus Quadrati & Diagonalem metiatur: qua pro unitate aſſumta, latus Diogonali commenſurabile exiſtet. Equidem negari non poteſt, ſi quis cum *Sturmio* (cujus in *Matheſi Enucleata* demonſtrationes ſæpiſſime inſufficientes exiſtunt) exinde incommenſurabilitatem inferat, quod, aſſumto latere pro unitate, Diagonalis ſit $\sqrt{2}$, incommenſurabilitatem nondum ſufficienter comprobatam eſſe: habet tamen Euclides, habent Geometræ alii demonſtrationes alias, in quibus nihil deſideres. Immo ſi *Sturmius* eviciſſet, quantitates, quæ ſunt ut 1 ad $\sqrt{2}$, eſſe incommenſurabiles, ipſius demonſtratio dubium Noſtro omnium optime eximere poterat. Etenim ſi datur aliqua pars, quæ ſit menſura communis lateris & Diagonalis, neceſſe eſt, ut detur aliquis numerus, per quem multiplicata $\sqrt{2}$ rationalis evadit. Ex Arithmetica vero irrationalium patet, numeri hujus hanc eſſe debere conditionem, ut duplum quadrati ipſius ſit quoque numerus quadratus. Talem numerum impoſſibi-

lem vulgaris Arithmetica demonstrat. Ex ea enim constat, omnes numeros quadratos ter[illegible] in 1, 4, 9, 6, 5, 00. Horum vero numerorum dupli 2, 8, 8, [illegible] non sunt terminationes numerorum quadratorum. Et licet duplus ipsius 5 sit 10, impossibile tamen est, ut nota subsequens similiter cyphra evadat, quia nullius numeri duplus est 9. Nec porro excipere datur, quod mensura communis numerus aliquis ex articulis esse possit, ut adeo ejus quadratum in 00 cyphras desinat, in quas etiam terminari debet ejus duplum: quia cyphris resectis ex numero quadrato, qui relinquuntur, numeri quadratum similiter efficiunt. Illud denique monendum, quod Auctor integrum opus nondum absolverit; sed plura adhuc ad complendum Physicæ systema integrum ab eo expectentur.

HISTORIÆ CONTROVERSIARUM DE DIVINÆ Gratiæ Auxiliis sub summis Pontificibus Sixto V, Clemente VIII & Paulo V libri sex, quibus demonstrantur ac retelluntur errores & imposturæ innumeræ, quæ in Historia Congregationum de Auxiliis, edita sub nomine Augustini le Blanc, notata sunt, & refutantur Acta omnia earundem Congregationum, quæ sub nomine F. Thomæ de Lemos prodierunt. Autore THEODORO ELEUTHERIO, Theologo.

Antverpiæ, typis Petri Jacobs, 1705, in fol. Alphab. 10.

Octavus nunc agitur annus, ex quo *Historia congregationum de auxiliis divinæ gratiæ sub summis Pontificibus Clemente VIII & Paulo V*, libris quatuor comprehensa, auctore *Augustino le Blanc*, quo nomine virum celeberrimum *Serri*, ordini Dominicanorum adscriptum, tegi constat, publicam adspexit lucem. Cujus libri summam cum more nostro, ab omni partium studio prorsus alieni referremus mense Decembri A. 1700 pag. 537, animus facile augurabatur, novis eum acerrimisque contentionibus suppeditaturum occasionem. Immedicabile namque vulnus

vulnus causæ ordinis Jesuitarum, quam contra Dominicanos jampridem acriter tuentur, infligere vid[illegible]ur, illisque, ni sibi deesse plane vellent, respondendi ne[illegible] imponere. Insigni enim eruditionis adparatu mag[illegible]similitudinis specie scripta hæc Historia Lectorem facile ad partes Dominicanorum trahebat, simulque Jesuitici ordinis existimationem in magnum adducebat periculum. Nec vanam istam nostram aliorumque fuisse hac de re opinionem, eventus docuit. Primo quidem levioribus quibusdam velitationibus res acta, cum tempus requireretur ad colligendas copias integramque instruendam aciem, qua robur hostium prosterneretur. Namque mox comparuit liber, titulum gerens: *Questions importantes*, Historiæ huic congregationum de auxiliis gratiæ oppositus, cujus impetum frangendum in se suscepit Auctor libri: *Histoire des congregations de auxiliis justifiée contre l'Auteur des Questions importantes*, Lovanii, anno M DCCII. Alium mox expertus adversarium, auctorem libri: *Errata de l'Histoire des congregations de auxiliis, composée par l'Abbé le Blanc, & condamnée par l'Inquisition generale d'Espagne*, quippe cui etiam refutationem responsi ad librum, *Questions importantes* dictum, subjunxit Leodii, eodem anno M DCC II. Sed jam antea querelam contra Historiam hancce congregationum moverat Carolus Caspar Mentzerius, Academiæ Trevirensis Syndicus. Namque non satis honorifice in Historia congregationum de Academia & Moguntina & Trevirensi sensisse videbatur Augustinus le Blanc. Utriusque enim Academiæ judicio cum Jesuitæ causam suam tuerentur, auctoritatem earum ut elevaret Auctor, *obscuri nominis Academias* vocavit, *in quibus non triduo, ut de causarum patronis ajebat Tullius, sed uno mane Doctores Theologi fabricantur.* Hinc querela Mentzerii; cui *Auctoris Historiæ congregationum de auxiliis defensio*, acris satis, opposita, Lovanii anno M DCC I prodiit. His aliisque levioris momenti scriptis, quorum forte paucissima ad nos pervenere, cum causa ista hactenus agitata esset, tandem majores copias in aciem produxit, immo integrum velut instruxit exercitum operis hujus, cujus exemplar Cl. Viro, Conrado Janningio debemus, Auctor doctissimus, qui sub nomine *Theodori Eleutherii* latitare voluit. Nos instituti

nostri

nostri memores, præcipua quædam attingemus momenta, ne igno-
ret Lector, quæ demum i[illegible]ta viros doctos arment prælia causæ.
Non autem est, ut qu[illegible] nos odio quidquam aut amori
daturos, cum ad nos n[illegible]pectent certamina: eruditionis
autem atque ingenii præstantissimi laudem *Eleutherio*, nec ipsis
ejus, ut putamus, invitis adversariis, tribuemus. Namque hoc
res ipsa docet, & dicendi quoque genus elegans, comptum, ve-
getum, argumento, quod tractat, accommodatum satis su-
perque comprobat.

Occasionem necessitatemque scribendi primo edisserit
Eleutherius. Primam, qua ad respondendum Historiæ Augu-
stini le Blanc impulsus fuerit, rationem producit, rerum ab i-
pso narratarum falsitatem, audaciamque Auctoris, qua quosli-
bet ad confutationem operis sui non provocaverit solum, verum
etiam irritaverit. Alterum, permultorum ad Historiam Augu-
stini le Blanc allaborantium studium, jam ab annis pluribus
inchoatum, ut hoc opus non unius hominis partus sit, sed mul-
torum fœtus, communi, ut loquitur, factionis Jansenisticæ con-
spiratione conceptus & natus. Atque hoc est, quod pluribus
Auctor in Præfatione sibi probandum sumit, non unum Historiæ
congregationum esse Auctorem, sed præter Augustinum le
Blanc, seu Serrium, Paschasium Quesnellium ad eam pluri-
mum contulisse, Serrium præterea a partibus Jansenianis non
esse alienum. Quod licet ad invidiam Serrio conflandam
comparatum esse videtur, argumenta tamen, quibus suam ad-
struat sententiam, haud contemnenda profert, multaque lectu
non indigna admiscet, & quæ historiam arcanam controversia-
rum Jansenisticarum recentiorum illustrent. Etenim cum Pa-
schasius Quesnel & Gabriel Gerberon (quæ præcipua factionis
Jansenianæ capita vocat) Bruxellis Regio jussu comprehende-
rentur, ex scriptis eorum, ingenti mole ea occasione interceptis,
ex quibus Baianismi & Jansenismi convicti, & publica judicis
sententia condemnati sint, etiam hoc constitisse, perficiendo
poliendoque operi Augustini le Blanc a variis in Italia, Gallia,
Belgio diu multumque laboratum. Speciatim ex literis illis in
Quesnelli scriniis repertis constare, Augustinum le Blanc
anno

anno M DC XCVIII historiam suam prælo jam maturam ad virum sui ordinis religiosum R. P. Norbertum del Becque Roma in Belgium misisse, quod non placerent typi Romani: Norbertum procudendi operis curam Paschasio Quesnello demandasse, quem virum Iprensis Augustini discipuli post mortem Arnaldi priorem ordinis sui dignissimum agnoscant & venerentur. Motus varios ac graves hoc factum excitasse observat, hinc gaudii, hinc timoris. Gavisos magnopere Jansenistas, qui inde ingens causæ suæ pollicebantur præsidium. Suspensum contra sollicitumque hæc res reddebat Augustinum le Blanc, incertum, quantum fidei Quesnelli, cui se inscio librum Norbertus commiserat, tribuendum esset. Hæc dum Auctor edisserit, *clavis Jansenisticæ* injicit mentionem, ex qua ficta nomina intelliguntur illorum, qui causam Jansenisticam pro viribus promovere in se susceperunt. In ea Quesnellum nomine *de Fresne*, alios aliis insigniri observat. Tandem Serrium, de fide Quesnelli certiorem redditum, lubenter passum esse, ut in laboris societatem veniret, immo ipsius arbitrio relicta pleraque, qui & Approbatorum judicia pro lubitu partim mutarit, partim poliverit. Hinc cum binos historiæ hujus Scriptores comperisset Auctor; dubium se habuisse profitetur, an fabulæ, imposturæ, calumniæ, stilusque virulentus Quesnelli calamo adscribenda sint, an Augustini le Blanc? Priori cum ingens odium erga societatem Jesuiticam objecisset, & posteriori consensum cum factione Jansenistica, concludit: *Utri ergo vestrum tot mendaciorum, tot calumniarum gloria competat, non est facile assequi. Mihi de hac re divinare non lubet. Unusquisque vestrum vindicet sibi, quod suum est, & spolia ampla dividite inter vos.* Sed ne sine causa initi cum Jansenistis fœderis reum agere Augustinum le Blanc videatur, hoc ex ipsis ejus litteris, in scriniis Quesnelli repertis, comprobat. Notissima omnibus est controversia de *quæstione facti*, ad quam nostra ætate ceu ad centrum quoddam tota controversia Jansenistica rediit. Notus quoque omnibus est *casus* iste *conscientiæ* celeberrimus, ad causæ Jansenianæ præsidium aliquod conciliandum Facultati Theologicæ Parisiensi oblatus, & a nonnullis infelici eventu approbatus, sed acri & severa censura idem no-

tatus damnatusque. De ista damnatione producit *Eleuthe-rius* Serrii ad Quesnellum litteras, in quibus eum condocet, condemnationem Romanam Resolutionis casus conscientiæ non pertinere ad factum Jansenii, latam autem esse, quia continuo resuscitarentur lites, quas alto Roma optaret consopiri silentio, & quod Censura Traductionis Montensis, & Rituale Alettense negligerentur, ponerenturque in minimis. Nec solum ex Dominicanis Serrium blandiri Jansenistis, illisque caput demulcere; esse & alios ejusdem criminis reos. Hos inter nominat celebrem admodum Virum, Natalem Alexandrum, cujus ad Arnaldum Josephum de Brigode, quem nuper post ejuratum Bajanismum & Jansenismum liberum e captivitate dimissum memorat, profert litteras, in quibus Jansenistas non tantum veros S. Augustini discipulos, & doctrinæ sanæ defensores vocat, sed operam quoque suam, quantum potest, illis devovet. Idem quoque comprobat exemplo Norberti del Becque; cujus jam antea a nobis injecta mentio. Hunc Romæ scriptum aliquod refutandum suscepisse, quo Jansenii asseclæ graviter pungebantur. Immo Wallono, factionis Jansenianæ in Urbe curatori, illud discutiendum obtulisse, & ad ejus mentem sententiamque se accommodasse, adeo ut deleri permitteret, quod scripserat: Christum etiam pro reprobis mortuum esse. Hoc ex litteris Walloni ad Quesnellum luculenter probat. Cum vero nonnulli causam Jansenisticam aperte nimis proderent, quos inter, teste Auctore, Ægidius de Witte & Gabriel Gerberon præcipui fuere, Norbertum male res ista habuit, qui variis litteris, quantopere inconsulta istorum hominum libertas causæ communi noceret, quantamque ideo animo concepisset indignationem, testatus est. Ideoque & a suis refutari hæc scripta voluit, ne iratam omnes sibi haberent aulam Romanam. Atque ex hisce aliisque ejusdem generis documentis constare, quam propenso Dominicani in Jansenistas sint animo. Ut autem amicitia collatis mutuo beneficiis alitur, ita & Jansenistas non unum benevolentiæ suæ erga Dominicanos extare voluisse monumentum. Exemplo esse libellum istum Gallicum, titulo *Historiæ de auxiliis synopsis*, ab Arnaldo celebri illo Jansenistarum defensore,

immo

immo sectæ suæ capite, uti ferunt, scriptum. Hunc etsi totum ex fabulis consutum, magno tamen cum plausu ab æmulis Jesuitarum exceptum. Crescente per immunitatem audacia insudatum fuisse communibus studiis in historiam ampliorem, quæ tandem sub nomine Augustini le Blanc prodierit. Historia hacce quaquaversum vulgata & variis Jansenistarum libellis mirifice commendata, mox in lucem producta fuisse *Acta Lemosii*, Reverendissimo Patri Generali totique ordini Dominicano dicata, præmissa Præfatione magnifica, quam Lectoris judicio relinquit Auctor. *Actorum* horum *Lemosii*, ex quibus maximum causæ suæ præsidium contra Jesuitas petant Dominicani, editorem fuisse Theodoricum de Viaixnes, Benedictinum Gallum, congregationis S. Valtoni, virum Jansenio devotissimum, ac jubente Rege Galliæ eam ob causam in custodiam detrusum. Quæ operis hujus fuerint fata, hac occasione Noster prolixius edisserit, & productis ipsius Theodorici ad Brigodium litteris, confirmat. Et hinc demum concludit, constare aperte, quantopere Jansenistæ, correctis & editis Dominicanorum seu Thomistarum libris, illorum gratiam captent. Hisce vero accedere adhuc aliud volumen, jampridem quidem impressum, sed hactenus occultatum, cujus auctorem Reginaldum dicant, quod manuscriptum a patre Dominicano submissum fuerit Arnaldo, a cujus abitu cesserit Quesnello, jamque initio anni M DCC II typothetas operi huic insudasse. Denique in famosa ista causa Sinensi cum Dominicanis conspirasse in Jesuitas Jansenistas; id quod ex litteris Walloni ad Quesnellum comprobat, in quibus profitetur, se denuo scripta composuisse pro *D. Barlon*, quo nomine in clavi Jansenistica veniat D. Charmot, machinator in causa Sinensi præcipuus. Quantumvis autem magna Jansenistarum in Dominicanos videatur propensio, omnem tamen eam amicitiam simulatam esse, Noster contendit. Quos enim palam laudent, clam inter se ridere atque contemnere. Hoc iterum litterarum a Jansenistis aut illorum fautoribus scriptarum comprobat documentis. Inter reliquos Wallonus ad Quesnellum scripserat: *Baccalaurei* (quo nomine in clave Jansenistica Dominicani veniunt) *sunt miseri homines*, (*sont de pau-*

vres gens.) Hoc nimirum Jansenistas amicitiæ suæ pretium exi-
gere, ut nihil palam proloquantur confœderati ipsorum, nihil scri-
bant, quod doctrinæ Jansenicæ ejusdemque consectariis vel tan-
tillum adversetur. Id si fiat, bilem etiam in Thomistas eos non
continere, ut adeo cyclopica sit hæc amicitia, quam Ulysses apud
Homerum a Polyphemo sit expertus. In Jansenistas hic acriter
iterum insurgit Noster, quos in mentiendo tam audaces esse pro-
nuntiat, ut imposturas suas (Auctoris verba referimus) gravissimo-
rum virorum commentitia auctoritate munire non dubitent. Id
quod recentiori quodam exemplo comprobat. Auctor libri:
Histoire generale de Jansenisme, (quem Gabrielem Gerberonem
antea jam nobis memoratum esse, ex verbis Auctoris colligas)
narrat, Episcopum Antverpiensem, Reginaldum Cools in collo-
quio aliquando dixisse: *doctrinam Jesuitarum sua sententia Ec-
clesiæ esse perniciosam, Jesuitas autem ipsos esse præcursores An-
christi.* At ex testimonio veritatis, quod Reginaldus anno
M DCC I promulgaverat, quodqve integrum hic subjicit, pate-
re, per meram calumniam istud effatum Episcopo huic esse af-
fictum. Hinc aliis subjectis Jansenistarum litteris demonstratur, id
unice in votis habere Jansenistas, ut Thomistica non minus, quam
Jesuitica doctrina proscribatur. Simul ut ostendat Auctor, quam
indecorum sit Dominicanis, tam arctam cum Jansenistis alere ami-
citiam, decretum affert Humberti Guilielmi Archi-Episcopi Mech-
liniensis, quo Paschasii Quesnelli doctrinam, qua Baii & Jansenii
errores renovasse dicitur, condemnavit. Malam quoque Ques-
nelli ex instituto accusat fidem, quod multa, quæ falsissima esse
sciverit, Historiæ tamen de auxiliis inseruerit. Quibus ita proli-
xe explicatis, vanos prætextus explodit, quibus Augustinus le
Blanc provocatum se fingat, ad scribendum stylo mordaciori Hi-
storiam de auxiliis. Cumque inter alia asserat, se provocatum
diuque lacessitum æmulorum procacitate, figmentis, fabulis, qui-
bus in ista auxiliorum Historia victoriam sibi pro clade adscripse-
rint, adeoque jure a se usurpatum existimet, quod *Job. XI, 3.*
legitur: *tibi soli tacebunt homines? & cum ceteros irriseris, a ne-
mine confutaberis?* incaute Zopharis Naamathitæ eum hoc ipso
assumsisse personam observat *Eleutherius*, qui ista verba impru-
denter

denter contra Jobum, ſanctiſſimum virum fuerit elocutus, quemque Jobus *cap. XIII* inter *fabricatores mendacii* numeret addatque: *atque utinam taceretis, ut putaremini ſapientes!* Ad rem ipſam quod attinet, Societatis Jeſu Theologos nihil aliud egiſſe contendit, quam quod juſtæ defenſionis ratio poſtulat, cum Dominicani non deſierint illis objectare cladem in hoc certamine acceptam, bullamque circumtulerint, emendicato Pauli V nomine inſcriptam, quam Paulo V Pontifici tribuendam merito negaverint Jeſuitæ. De parergis & digresſionibus, Hiſtoriæ ab Auguſtino le Blanc inſertis, dum agit Noſter, inter alia refellit, quæ ille de Roberto Bellarmino Cardinale retulerat; in congregatione ſcilicet Rituum, cum quæreretur, an in beatorum numerum referendus eſſet, unam conſultorum omnium, excepto uno, eoque Dominicani ordinis Profeſſore, fuiſſe ſententiam *de heroicis Bellarmini virtutibus non conſtare.* Namque ex Regiſtris congregationis Rituum docet, ſexdecim ex conſultoribus cenſuiſſe, conſtare de virtutibus, & tres duntaxat, non conſtare: ex Cardinalibus decem dixiſſe, non conſtare, & unum cenſuiſſe, expectandum. Vocata hinc codicum manuſcriptorum, quibus hiſtoria Blanciana nititur, in dubium fide & auctoritate, exploſisque argumentis, quibus le Blanc fidem promereri contendit *Acta Lemoſii, Pegnæ, &c.* ordinem a ſe in hac Hiſtoria ſervatum Auctor exponit, & de inſtrumentis, ex quibus rerum narratarum fides adſtruitur, verba facit; & hæc omnia prolixa iſta & erudita, quam operi præmiſit, Præfatione complectitur. Jam ut ad opus ipſum accedamus, in primo ejus Libro controverſiarum origo detegitur, & qua occaſione turbæ Belgicæ ortæ, quave auctoritate compoſitæ fuerint, exponitur. Originem vero earum ab infauſta quorundam ordinis Dominicani erga Societatem Jeſu recens enatam æmulatione arceſſit. Nec omnes tamen Dominicanos, aut totum ordinem hujus criminis reum agit, ex quo nonnulli inſigni amore Societatem Jeſu proſecuti fuerint. Inter primos & Principes, qui novam Jeſuitarum Societatem ægre tulerint, nominat Melchiorem Canum, apud Salmanticenſes Theologiæ Profeſſorem longe celeberrimum. Hunc, cum anno MDXLVIII miſſus ab Ignatio Michael Turrianus cum tribus ſociis Salmanticam veniſſet, in

eos totamque Societatem magna acerbitate debacchatum, admonuisse populum, cavere sibi ab Anti-Christo, cujus emissarii jam Salmanticæ versarentur. Cani exemplum cum & alii ex eodem ordine sequerentur, Franciscum Romæum, ordinis Dominicani Magistrum generalem, edito atque transmisso ad suos mandato gravissimo, ferociam illorum repressisse. Quo non obstante, perrexisse Melchiorem Canum in suo instituto, immo acrius in Jesuitarum insurrexisse Societatem, quod Dominicus quoque Soto fecerit, & ex Cani discipulis Jacobus Peredus, Abulæ Theologiæ Professor, aliique. Vanam itaque eam esse controversiæ de auxiliis gratiæ originem, quam Augustinus le Blanc tradit, hinc colligit Noster, quod scilicet, mortuo Ignatio, Societatis Jesu Theologi, legum a Magistro Societatisque suæ conditore sibi latarum parum memores, a doctrina Thomæ Aquinatis discesserint. Quam sententiam prolixe refellit, idque ea ratione, ut primo exponat, quibus conditionibus Ignatius Lojola Thomam Theologis Societatis prælegendum decreverit, quasque de hac re leges ipse tulerit, tum ut documentis firmis demonstret, latas a fundatore leges nec Societatem deinde unquam nec Præpositos generales ullo in apice infregisse, sed ex Ignatii spiritu doctrinam hausisse omnem. Anno M DLXXXVII enata est in Belgio celebris illa controversia inter Facultatem Theologiæ Lovaniensem & Leonhardum Lessium, Societati Jesu addictum, qua ad certamina de auxiliis gratiæ velut signum aliquod sublatum. Hanc in compendio ita enarrat Noster, ut culpam omnem in Michaelem Baium conjiciat. Hujus enim cum multæ propositiones, ut hæreticæ, erroneæ, suspectæ &c. a Pio V & Gregorio XIII Pontificibus damnatæ essent, Academiam, instigante Bajo, cui plurimi favebant, scripta Jesuitarum diligenter excussisse, si quid rursus & in iis erronei invenirent. Ex Lessii itaque & Hamelii, qui erant præcipui inter Societatis Jesu Theologos, scriptis triginta propositiones censura notatas, ex quibus una fuerit de gratia sufficiente. Hanc censuram mox excepisse alteram Academiæ Duacensis, quæ Lovaniensis filia est: utramque autem sollicitasse Facultatem Parisiensem, ut idem faceret, sed frustra. Immo multos eosque gravissimos in

Belgio

Belgio Theologos censuram istam Lovaniensem, ut iniquam rejecisse. Lessium etiam propositiones istas atro notatas lapillo judicio Pontificis Sixti V submisisse, qui convocato Cardinalium cœtu post accuratam discussionem omnes istas propositiones, ceu articulos sanam doctrinam continentes, approbaverit. Hæc primum in compendio hac de re ex Isaaci Haberti Episcopi Vabrensis & Doctoris Sorbonnici *Defensione fidei* Eleutherius, quæ ipsius Lessii testimoniis, quæ ne suspecta sint, aliorum de ejus integritate elogia præmittit, pluribus confirmat, totam controversiæ hujus historiam ex Lessii Diario fuse exponens. Ingentes sane in Belgio motus Lovaniensis illa controversia dedit, quorum hic tandem finis fuit, ut utrique parti silentium imponeretur. Ipsum Nuntii Apostolici edictum, quo sub pœna excommunicationis vetuit, ne quis alteram partem erroris damnaret, exhibet Autor ex Diario Lessii, ex quo & subjicit, per istud edictum duplici ratione censuram Lovaniensem tacite damnari: primo, dum Lessii propositiones iterum *sanæ doctrinæ articulos* vocat, deinde, quia excommunicationis pœnam denuntiat illis, qui propositiones istas essent damnaturi, & Jesuitis libertatem eas docendi relinquit. Cumque non Lovaniensium sed Jesuitarum propositiones censura notatæ essent, palam inde fieri, in Jesuitarum favorem hocce edictum conditum, etsi ceteroquin utriusque partis sententia in eo adprobetur.

Ceterum motuum horum Lovaniensium cum auctorem præcipuum Michaelem Baium, ut jam antea diximus, pronuntiasset Noster, gesta ejus ante editam censuram Lovaniensem exponere operæ pretium duxit. Nimirum doctrinam in censura Lovaniensi comprehensam & doctrinæ Jesuitarum adversam a Joanne Hesselio, a Lovanio dicto, excogitatam primum, a Michaele Bajo acriter strenueque fuisse propugnatam. Mox in errore de gratia & libero arbitrio deprehensum Bajum censuram Sorbonnæ incurrisse, a qua sententiis ejus erroris & hæreseos nota inusta anno MDLX. Nihil hac re permotum Bajum in suo perrexisse instituto, donec Pius tandem V Pontifex constitutione edita anno MDLXVII varias Baji propositiones proscriberet, injuncta Granvellano Cardinali cura, ut Bajum ad obsequium manda-

mandato Pontificis præstandum induceret. Sed turbato per motus civiles eo tempore Belgii statu, non licuisse Granvellano componendis scholæ jurgiis vacare. Eundem tamen scriptis Roma anno M D LXVII litteris prolixis ad Maximilianum Morillonium, Præpositum Ariensem, suumque in Archiepiscopatu Mechliniensi vicarium, rem omnem exposuisse, de pertinacia Baji graviter conquestum esse, simulque ei demandasse provinciam, ut omni humanitate & prudentia induceret Bajum ad acquiescendum Pii V censuræ Pontificiæ. At Morillonium quoque parum profecisse, Bajo tam pertinaciter sua defendente, ut, scripta Apologia ad Pontificem, eum dispicere juberet, utrum bullam ut legitimam & sufficienter discussam habere vellet, an tanquam subreptitiam rescindere? Quibus compertis cum Gregorius XIII anno M D LXXIX novam constitutionem ederet, a Pio editam revocaturus, simulque Franciscum Toletum, e Soc. Jesu Theologum, ad Bajum mitteret, hunc tandem victas dedisse manus, temereque orsa retexendo morem gessisse Pontifici. Interim non dubitasse Bajanos, numero jam & auctoritate florentes, cum viderent Toletum a Pontifice missum, quin Jesuitarum opera & consilio Gregorius Pontifex telum istud in ipsos strinxisset. Hinc illorum in Jesuitas machinationes, quæ hisce certaminibus originem præbuerint. Quibus expositis, ea, quæ Augustinus le Blanc hac de re dixerat, sub examen revocat, refellens præcipue illud, quod asseruit: illatam Bajo fuisse calumniam, dum aliquot ejus propositiones a Pio V Pontifice damnatæ fuerunt.

Compositis Pontificis auctoritate Lovanii rebus, spes pacis firmæ inter Dominicanos & Jesuitas affulgebat. Sed mox ea evanuit, novis in Academia Duacensi ortis turbis. Harum auctores Societatis Jesu Professores fert Augustinus le Blanc, negat Eleutherius, originemque mali iterum ab invidia illorum, qui incrementa Societatis Jesu & auditorum ad ejus scholas concursum ægre ferebant, repetit. Nec tamen diffitetur in doctrina de gratia & prædestinatione eos dissensisse a Doctoribus quibusdam Duacensibus, easque discipulis tradidisse sententias, quas illi necdum obliti, ut putat, censuræ suæ pertinaciter fastidiverint. Qua in re neutiquam peccaverint Jesu-

Jesuitæ, cum per decretum Pontificis in causa Lovaniensi hoc illis facere non fuerit nefas. Atque ita porro controversiam istam Duacensem prolixe enarrando Jesuitarum innocentiam tuetur, & plurimas Augustini le Blanc aberrationes & hallucinationes, quas vocat, refellit. Immo non tantum nihil veri, sed ne verosimile quidem in tota hac Historia eum scripsisse, diserte pronuntiat. Sic, ut unicum exemplum addamus, Atrebatensem & Tornacensem Episcopos, indicto Jesuitis silentio, Academiæ censura standum judicasse, donec controversa dogmata dijudicasset Romanus Pontifex, refert le Blanc. Falsum hoc esse, & Episcopis injuriosum, pronuntiat *Eleutherius*. Nullo enim instrumento ostendi posse, Atrebatensem & Tornacensem Præsules hoc fecisse: immo nec facere potuisse, nisi decreto Pontificio in causa Lovaniensi reluctari voluissent. Multo autem minus concedit Auctor, censuras Belgicas Romæ sub Innocentio XI & XII fuisse adprobatas: immo hoc est, quod per aliquot capita diligenter sibi refutandum sumpsit. Male quoque audiverant Augustino le Blanc, qui censuræ Belgicæ approbationem in dubium vocaverant, quorum famam cum vindicasset, tandem disquirit, quo jure le Blanc Societatis Jesu Patres *veteres Academiarum osores* dixerit? ubi & respondet ad judicium illud de Academiis Germanicis, speciatim *Moguntina* & *Trevirensi*, exemplisque probat, has Academias, si quandoque a partibus Dominicanorum stare visæ fuerint, laudibus in cœlum ab illis fuisse sublatas. Et hæc quidem Libro primo edisseruntur; quæ secundo continentur, proximo Mense referemus.

HENNINGI HAMELII, BRUNSVICENSIS, JCTI Clarissimi, Repetitio ad solennem Titulum Institutionum Justinianearum de Actionibus.

Gvelferbyti, impensis Gothofredi Freytagii, 1707, in 4to.

Alph. 3 plag. 18.

OPeris hujus facienda est mentio, ob novam saltem editionem, nam alias dudum illud impressum est, ut in ejus contenta digredi institutum nostrum non permittat. Nova hæc Editio eo potissimum nomine commendatur, quod, rejectis

antiquis, novis ac usitatissimis libellandi & supplicandi formulis sit adornata, ac quamplurimis locis, præsertim ubi jura novissima & praxis moderna a veteri tam Civili quam Saxonico jure, discesserunt, aucta & correcta. Neque veretur Bibliopola, ne, existentibus neotericorum maximi nominis JCtorum, puta Excellentissimi Dn. Strykii, Magnifici Dn. Schwendendörfferi, Subtilissimi Dn. Bergeri & aliorum, qui Actiones forenses accuratiori stylo & ordine in lucem emiserunt, tersissimis scriptis, plerique laborem hunc frustraneum & sumtus male impensos esse dicant, cum, ut ipse censet, Magistris experientia & doctrina præstantibus discipuli non statim præferendi, ac in rebus forensibus non magis ex scriptis novissimis quis se erudire, quam ex antiquorum libris solidam haurire queat experientiam.

FUNDAMENTA JURIS CANONICI, IN NUCLEO exhibita, & juxta ordinem Decretalium adornata. Autore JUSTO CHRISTOPHORO WILLERDINGIO, J. U. L. & Practico.

Francofurti & Lipsiæ, sumtibus Ludolphi Henrici Hauensteinii, Bibliopolæ Hannoverani, 1707, in 8vo.

Plag. 21.

Magnum Commentariorum & Systematum juris Canonici esse quidem numerum, ast Compendiorum, quæ concinna quadam brevitate & facili methodo elementa hujus juris exhibeant, aliquam penuriam, contendit Clarissimus Autor, cum præter Corvinum Desseliumque, sæpe tam in methodo, quam re ipsa deficientes, neminem fere hujus generis Scriptorem habeamus. Cum tamen ob autoritatem, qua etiam inter Protestantes hodie pollet jus Canonicum, ejus cognitio sit necessaria, hinc non inutilem se præstiturum esse operam existimavit, si fundamenta illius in nucleo exhiberet. Concinnatum est hoc Opusculum juxta ordinem Decretalium, ita quidem, ut singulorum Titulorum argumento breviter exhibito, differentiæ juris Civilis & Canonici hinc inde subnecterentur. Hoc dum diximus, materia & ordo hujus Compendii summatim intelligitur, ut scriptio-

nis indoles nonnullis saltem exemplis breviter adhuc declaranda videatur. In *lib. I tit. 21* agitur de bigamis non ordinandis: ostendit igitur Clarissimus Autor, bigamiam esse vel simultaneam, vel successivam: illam vel veram, cum quis uno tempore duas ducit uxores, vel fictam, nempe si is, qui sacris initiatus ordinibus, conjugium cum Christo contraxit, nihilominus carnale conjugium de facto contrahat, quod sub pœna irregularitatis sit prohibitum. Successivam vero esse, quando quis non uno tempore, sed successive duas uxores ducit. His præsuppositis, amplius docet, bigamum sensu juris Canonici esse, qui secundas nuptias legitime contraxerit, aut qui repudiatam, aut viduam duxerit, atque ita irregularitatem sibi conciliaverit, nisi a Pontifice dispensatum fuerit. Qui autem multas habuit concubinas, irregularitatem non incurrit, si pœnitentiam egit, uti nec is, qui ab altero quidem ductam, sed non cognitam, duxit in uxorem. In *tit. 34* de Treuga & Pace disseritur: explicato itaque Treugæ nomine, monet Noster, olim in Germania & Gallia varii generis causas, etiam ecclesiasticas, singulari duello fuisse commissas, datis ab utraque parte Campionibus sive bellatoribus, ex quo Kampffliche Sachen, & ordinatio des Kampff-Gerichts innotuerint, præterea diffidationes privatas maxime in usu fuisse. Reprimendo pessimo huic mori, cum alii, tum etiam Episcopi, ex doctrina Nostri, incubuerunt, constitutis certis temporibus, quibus propter timorem Dei nemo vindictam ab inimico sumere poterat, hinc extitit *Treuga Domini*, cui *conventionalis*, & *legalis secularis* opponitur. Notat igitur Treuga inducias sive pacem temporariam, sicut Pax treugam perpetuam, inimicitiis fine penitus imposito. In *lib. II tit. 35* summariæ Pactorum expositioni has subjungit Noster differentias: Jure civili ex pacto nudo non datur actio, bene vero jure Canonico: illo pactum, quo hæreditati paternæ renuntiatur, est invalidum, hoc autem valet.

L' ART DE SUCCER LES PLAIES SANS SE servir de la bouche d' un homme, par le Sr. DOMINIQUE ANEL.

i. e.

DOMINICI ANELLI, CHIRURGI MAJORIS LEGIO-nis Loricatorum Comitis de Gronsfeld, hujusque ordinarii, Ars sugendi vulnera absque oris humani ope.

Amstelodami, apud Franciscum van der Plaats, 1707, in 8. const. 5½ plag. & figuris æneis.

ARs exsugendi sanguinem ex vulneribus apud quosdam tan-
ta pollet authoritate, ut in omnibus omnino vulneribus e-
am commendare non dubitent; aliis vicissim tanto est odio, ut
nullibi eam admittendam esse existiment. Medium tenet Au-
tor noster, qui nec in omnibus, nec in nullis vulneribus ei
locum concedit. Exsugi enim ex illis sanguinem vel pus posse
statuit, quæ suris, femoribus, lumbis, scapulis, brachiis sunt in-
flicta, & si instrumentum vulnerans vasa majora arteriarum, ve-
narum, vel nervorum non transierit, aut ubi pectus vulneratum,
vel thorax transfossus est. Exulare vero eandem jubet suctio-
nem in vulneribus antiquis, cum contusione, magna substantiæ
deperditione, ossis fractura, punctura nervorum vel tendinum,
arteriarum vel venarum majorum læsione conjunctis, & in vul-
neribus capitis duram matrem vel ipsum cerebrum penetranti-
bus, ad abdominis cavitatem adactis, & imprimis si intestina,
ventriculus, vesica, vel quodcunque aliud viscus insimul læsum
fuerit; id quod de sclopetorum vulneribus pariter est judican-
dum. Quoniam autem contingere potest, ut, qui ore sugit,
morbo aliquo contagioso e. g. lue Venerea vel scorbuto sit af-
fectus, adeoque verendum est, ne vel vulnerato eandem com-
municet, vel peregrinum fermentum vulneri, ejus coalitum im-
pediens, & prava symptomata, inducat; aut ut sugens a vul-
nerato dictis morbis laborante inficiatur: novum sugendi vul-
nera excogitavit modum Autor Clariss. mediante syringa ex
stanno vel argento vel plumbo vel ferro albo vel buxo parata
instituendum. Adornandi scilicet sunt tubuli diversæ magni-
tudinis & figuræ diversis vulneribus extremitate una, altera syrin-
gæ immittendi, atque dum extrahitur embolus ex hac, cutis circa
circumferentiam orificii externi vulneris probe est comprimen-
da

da, quo aeris ingressus inhibeatur, & humores educantur. Quo facto mediante syringa minori balsamus quidam vulnerarius, liquidus calefactus vel tepidus injiciendus venit. Hinc orificium externum vulneris linteo complicato aqua vulneraria madefacto est obtegendum; post singulas vero quartas horæ partes eadem exsuctio tribus vicibus est iteranda, & quidem prima vice, ut balsamus superfluus educatur, altera, ut humores post injectum balsamum effusi eliminentur, & ultima, ut parietes vulneris pro hujus consolidatione adducantur. Posthæc vulnus externum plumaceolis aqua styptica ebriis, emplastro styptico Crollii, linteo complicato & fascia conveniente est muniendum. Remedia, quibus in ejusmodi operatione uti solitus fuit, insuper fideliter describit Autor, qualia sunt aqua vulneraria, *l'eau d'Arquebusade* dicta, aqua styptica, balsamus Arcæi, balsamus viridis Metsii vel Dominæ Feuillet & emplastrum stypticum Crollii. Sub calce libri adjectus est discursus, in quo probatur, non esse impossibile, morbos Venereos per specificum aliquod præcavere, quia ipsa pestis per remedia præcaveri potest; & quoniam gonorrhœam aliaque symptomata Venerea maxime inveterata curari posse constat, faciliori negotio eadem in principio deleri posse judicatur; taleque Specificum se possidere, dicit Noster.

LE JARDINIER FLEURISTE ET HISTORIOGRAPHE.

i. e.

CULTURA UNIVERSALIS FLORUM, ARBORUM, fructuum & suffruticum, hortorum ornamento inserviens. Autore LUDOVICO LIGER, Antisiodorensi.

Amstelodami, apud Stephanum Roger, 1706, in 12.

Const. Alph. 1 & plag. 8 cum figuris æneis.

NOn desunt equidem, qui Florum Culturam scriptis mandarunt, tantum tamen abest, ut exactam hujus rei notitiam ex istis polliceri sibi quis possit, ut circumstantias potius atque media pro hortis colendis & ornandis necessaria utplurimum in iisdem omissa doleat Cl. Autor. Quamobrem operæ pretium se facturum confidit, si in præsenti tractatu omnium eorum, quæcunque circa hoc argmentum expectari poterant, claram suppeditet notitiam. In duo igitur Volumina dispescuit præsentem librum, quorum prius primam, posterius binas continet partes.

In prima parte postquam diversum soli situm & naturam, cui flores sunt implantandi, delineaverat, modumque areas describendi, buxoque cingendi, & solum pro floribus feliciter producendis præparandi tradiderat, hortulani requisita depingit, instrumenta determinat, atque regulas pro floribus non solum serendis, sed & conservandis scitu necessarias subministrat, rationemque insimul flores tam intra vasa quam in seminario colendi adjungit; nec animalium plantis noxas afferentium obliviscitur, atque auxilia ea arcendi docet. Post hæc veram omnes florum species multiplicandi artem, justumque tempus semina colligendi, & quæ circa bulbos notari merentur, fideliter injungit. Commemoratis tum mediis, quibus flores in alias regiones transmittendi ab omni injuria defendi debeant, tempus, quo quosvis flores serere vel plantare conveniat, determinat; & postquam de plantis vivacibus in specie egerat, florum, qui mense Septembri seruntur, descriptionem, semina, virtutes, & historiam suppeditat. Quæ vero circa illos flores, qui mense Octobri, Novembri, Decembri, Februario, & Martio serendi veniunt, notatu digna sunt in secunda Parte inculcat, insimulque illorum facit mentionem, qui pro pulvinorum hortensium marginibus constituendis sunt, apti; annique tempus, quo quævis planta floribus superbire solet, determinat. In tertia Parte seorsim de Malis aureis, Punicis, Jasmino, Genista, Myrtho, Lauro, Rosa, Syringa & Sumach; Rosmarino & Barba Jovis, Taxo, Picea & Cupresso, Carpino, Caprifolio, Philaria & Alaternis; Ulmo, Tilia, Colutea, & Aquifolio; Hippocastino & Acacia; Lilac, Pyracantha, Bryonia; atque Buxo peculiaribus in capitibus agit. Tandem postquam diversos ambulacra exornandi, arborumque ordines adornandi modos declaraverat, quo quævis arbor tempore suos producat flores, adjungit.

DE VIRI CELEB. ATQUE AMPL. CHRISTOPH. CELLARII, Antiquitatum & Eloquentiæ in Fridericiana Regia Halensi Professoris, Obitu Epistola ad Virum Consult. & Cl. BURCHARDUM GOTTHELF STRUVIUM, Historiarum in Academia Jenensi Prof. exarata a JACOBO BURCHARD.

Halæ, typis Christ. Andr. Zeidleri, 1707, in 4.
Const. plag. 3.

Dolet

DOlet Autor Cl. luctuosum Reip. litterariæ universæ obitum Viri de elegantiore litteratura & Actis quoq; nostris meritissimi, CHRISTOPHORI CELLARII, brevemque vitæ ipsius historiam pertexit. Quare non ingratum fore arbitramur, si quædam ex illa Epistola hoc loco inseramus. Lucem adspexit Cellarius Smalcaldiæ anno 1638 & vix tres annos natus parente orbatus est, qui Superintendentis munere in urbe ista fungebatur. Duodevicesimo ætatis anno in Academiam Jenensem commigravit, ubi præter elegantiora studia, quæ *Bosius* egregie docebat, ac Philosophiam reliquam, Mathesi quoque & linguis Orientalibus operam navavit non contemnendam, *Bechmanno*, *Weigelio* & *Frischmuthio* ducibus usus. Jena relicta, Gissensem petiit Academiam, *Haberkornii*, Theologi tunc temporis famigeratissimi, fama commotus, quo Præside anno 1659 *de infinito valore meriti Christi* publice disputavit. Enimvero cum ibi non esset, qui in Mathesi & linguis Orientalibus desiderio ejus satisfaceret, Jenam rediit, ibique præter ista studia, *Zapfio* doctore, Philosophiam magis magisque excoluit. Septennio in Academiis consumto, primum Gothæ, dein Halæ aliquandiu in occulto latuit, donec triginta fere annos nato in *Weisenfelsensi* Gymnasio munus Philosophiam Moralem & linguas Orientales docendi demandaretur. A. 1673 *Vinariense*, post trienniũ annis duodecim *Cizense* & per quinquennium *Merseburgense* Gymnasium rexit. Tandem cum Rex Borussiæ Academiam Fridericianam Halæ Saxonum conderet, ob nominis præclaritatem eidem Professionem Eloquentiæ ac Historiarum indulsit. Non opus est, ut prolixe commemoremus, quanto ardore puritatem linguæ Latinæ vindicare studuerit, cum scripta ipsius dudum edita id abunde loquantur. Pertinet huc liber de *Latinitate mediæ & infimæ ætatis*, sive *Antibarbarus*; pertinent huc *Curæ posteriores de Barbarismis & Idiotismis sermonis Latini*; imo huc pertinet *Fabri* Thesaurus, qui maximis ejus curis & incredibili prorsus studio quartum, & auctior quidem semper prodiit, licet anni singulis editionibus adscripti tres tantum editiones indicent, quintum proditurus, quamplurimis additionibus auctus, si vita suppetisset. Notandum hic, monere Autorem, spem novæ editionis non prorsus concidisse, cum optimus *Cellarius* omnia propemodum, quæ novæ editioni addita voluit,

luit, adnotaverit, iisque Bibliopola celeberrimi *Grævii* varias adnotationes addendas decreverit. Primos Latinæ linguæ canones ex libellis Latine confectis disci a tyronibus parum congruens arbitratus Grammaticæ artis præcepta concinna admodum brevitate Germanice conscripsit. Plurimos etiam bonos scriptores magna cura emendatos & magno judicio exquisitis notis instructos edidit, *Tullii Ciceronis* puta Epistolas ad Familiares, & Orationes quasdam selectas, *C. Julium Cæsarem*, *Cornelium Nepotem*, *C. Plinii Cæcilii Secundi* Epistolas atque Panegyricum Trajano dictum, *Q. Curtium*, *Eutropium*, *Sextum Rufum*, *Vellejum Paterculum*, XII Veteres Panegyricos, & Orationes ex Historicis nonnullis Latinis excerptas. Nec illustrandis Scriptoribus sacris operam denegavit: emisit enim *Lactantium*, *M. Minucii Felicis Octavium*, cui *Cæcilii Cypriani* de vanitate idolorum librum adjunxit. Ad Poetarum lectionem juventutem invitaturus *Cælium Sedulium*, *Prudentium* & *Silium Italicum* quam emendatissime evulgavit, *Baptistam Mantuanum* additurus, si bibliopola quidam impensas tulisset. Scilicet ex magno juventutis usu judicasse dicitur, veteres Scriptores cum recentioribus eorum vestigia secutis conferre, quo imitationis artificium patefieret: quæ causa fuerit, cur *Joh. Pici Mirandulæ Comitis* epistolas atque *Petri Cunæi* Orationes & reliqua Opuscula recudi fecerit. Quod recentiorum quibusdam libris, in quos nihil præterea operæ contulit, Præfationes præfixerit, doluisse posthac fertur. Ex Græcis Autoribus *Zosimum* edidit atque *Pæanium*, *Eutropii Paraphrastam*. De viri eloquentia non solum ex Dedicationibus ac Præfationibus, sed & ex Programmatibus ipsius conjunctim olim atque separatim inde publicatis, nec non ex orationibus Panegyricis seorsum excusis judicium fieri posse, Autor pronuntiat: reliquam vero eruditionem ex *Historia Universali*, quam tripartitam evulgavit, *Historiæ Samaritanæ collectaneis*, multis *Dissertationibus* ex historia sacra & profana depromptis, *Astronomiæ Elementis*, ad Poetas facilius intelligendos emissis, *Compendio Geographiæ Veteris & Novæ* ac inprimis ex *Antiqui Orbis Notitia* luculenter constare. *Geographiam medii ævi* magna ex parte jam confecit, sed colophonem non addidit. *Antiquitatum* quoque *Romanarum*, quarum exquisitam habuit notitiam, *Compendium* edidisset, si diutius vivere contigisset. Obiit vero Vir de bonis litteris egregie meritus, die quarta mensis Junii proxime prætérlapsi, anno ætatis octogesimo sexto.

* * *

ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Septembris, Anno M DCC VII.

RACCOLTA DI STATUE ANTICHE e Moderne &c.

i. e.*

COLLECTIO STATUARUM ANTIQUARUM ET modernarum, publicata ſub glorioſis auſpiciis Sanctitatis D. N. Papæ Clementis XI a DOMINICO de ROSSI; illuſtrata explicationibus ad quamlibet iconem a PAULO ALEXANDRO MAFFEO, Patritio Volaterrano ac Equite Ordinis S. Stephani ut & cohortis prætoriæ Pontificis.

Romæ, in typographia ad ſignum Pacis, 1704, fol. chart. reg. Conſtat Alph. 1 plag. 5 figuriſque 161.

UTiliſſimum certe dixeris hoc inſtitutum ac dignum tanta felicitate, qua Summi Pontificis ſui, bonarum artium reſtitutoris, providentia rerum quondam domina & caput in præſenti gloriatur. Quicquid enim ars ſtatuaria ſeu priſca ſeu recentior in marmore vel ære effinxit divini, atque Urbi inprimis peculii quaſi loco reliquit, illud laminis æreis elegantiſſime expreſſum modico ſumtu jam comparare licet. Ad plures autem cum officioſi hujus conſilii emolumentum redundet, habituros maxime arbitramur inſigne ſolatium, qui loca iſta nunquam acceſſerunt, jucundiſſimam vero memoriam, qui ſingularia hæc ſuperioris ævi monumenta coram quondam admirati ſunt, ſive utrique literati

fuerint, sive curiosi duntaxat spectatores, sive denique artis ipsius alumni. Ab antiquis igitur signis ut initium faciamus, gratissimus hic erit adspectus Laocoontis, Apollinis cum Pythone occiso, Antinoi, Veneris balneo exeuntis, Commodi Imp. in habitu Herculis, Nili, Tiberis, Cleopatræ, ac mutilati Trunci, quæ in hortis *Vaticanis* supersunt. Contueri juvabit præcipuum montis *Quirinalis* ornamentum, Alexandrum M. in habitu frænantis Bucephalum, quod Phidiæ & Praxitelis artem sapit. Obveniunt inde *Capitolii* decora. M. Aurelius Imp. equo insidens ex ære, opus adeo in pretio positum, ut ei publico nomine peculiaris hodie custos constituatur; Jul. Cæsar Dictator paludatus atque armatus, Octavianus simili amictu, Faustina, Julia Mammæa, Aventinus, Hercules ex ære, Cicero, Virgilius, Juvenis spinam sibi evellens, Camillus vel sacrificuli minister, Sibylla & Marforius. *Medicæas* opes tam Romæ in hortis & palatio, quam Florentiæ asservatas indicant Venus a Diomede Apollodoro formata, & adhuc alia velut e concha nata, lucta athletarum, Mars gradivus ex ære, Marsyas ab Apolline excoriatus, Niobe filios plangens, unus filiorum ejus, Bacchus cum exuviis tigridis, bacchans cum cymbalo & scabillis, Fauni tres diversæ species, Apollo nudus, Cupido cultellum acuens, Ajax occisus, Hercules Anteum sublimem rapiens. Nec numero vel arte cedunt *Farnesianæ* ædes, ubi oculos allicit Taurus cum Dirce, Zetho & Amphione, inimitabile illud Apollonii & Taurisci simulacrum, Hercules, Flora, Augustus equo vectus, Matrona Regia, quæ Cleopatra creditur, Caracalla Imp. Venus sese abstergens, captivus Dacus, Mercurius ex ære. Haud steriliores offenderis hortos *Ludovisianos*, quippe qui alio Mercurio, Pæti & Arriæ *αὐτοχειρία*, Papyrio, cui mater abblanditur, Pane, Apollinem Musicam docente, Gladiatore moribundo, Marte nudo ac dearmato superbiunt. In villa *Montaltia* olim obversabatur Germanicus Claudii Drusi filius, & Quintius Cincinnatus, ab aratro ad dictaturam evocatus, qui jam Versaliarum in Galliis deliciæ sunt. Horti *Borghesiani* monstrant Centaurum a Cupidine ligatum, famosum illum gladiatorem, Silenum cum

Baccho

Baccho alumno, Hermaphroditum, Cingaram, & Satyrum juvenem, Curtium denique in ſcrobem ſe præcipitantem, qui quidem anaglypho opere eſt exſculptus. *Juſtinianas* ædes Palladis, Salutis, Egeriæ nymphæ, Virginis Veſtalis, Marcelli Senioris, Domitiani, M. Aurelii Auguſtæque cujusdam ſigna commendant. In ædibus autem *Barberinis* proſtant Septimius Severus, Agrippina, Bacchus, Iſis, Atalanta & Hippomanes. *Ottobonianum* e contra muſeum Apollinem & Baccharum ſeu Mœnadum quandam habet. Multo ditiores ſunt horti *Matthæi*, qui Adrianum Imp. equo eminentem, Antonium Pium, Lucium Verum, Sabinam, Criſpinam & Amazonem oſtentant. Palatio *Altierio* Peſcennius Niger obtigit. *Odeſcalchio* vero Principi Apollo, tum integer Muſarum ordo, excepta Thalia, quæ in Capitolio reſidet, Faunus capreolum portans, atque Geniorum par, naturæ ſacrificantium. Apud *Altempſios* Abundantiam, Paridem in habitu Phrygio, Matronam Romanam & Paſtorem cernere licet; apud Cardinalem *Spadam* Pompeji M. effigiem coloſſeæ magnitudinis, ut & Senecæ ſedentis. Penes *Cæſium* Ducem eſt figura Amazonis; penes *Maximos* Pyrrhi, Scriniarii coronati, Æſculapiique cum Teleſphoro. In ædibus *Cavaleriis* Flora & Bacchus; in *Veroſpianis* vero Jupiter tonans, ac Hercules juvenis, dum hydram occidit, conſpiciuntur. Reſtant adhuc Bacchus, Muſa quædam, Satyrus ſylveſtris, Meleager ſeu Adonis, Iſis, Venus, Diana, Alexander M, Lucius Antonius, Deus Averruncus, Iſis, Sacerdos hujus Deæ, quin & Somni imago, quæ ſingula ſingularum ædium cimelia laudantur. Iſtud agmen non abſque voluptate diſtinguunt & claudunt ex parte proximioris ævi fœtus, Davidis puta, Victoriæ, Bacchi & Moſis ſigna ab artifice manu Bonarotæ profecta; Conſtantini M. item equeſtris ſtatua, Apollinis & Daphnes in laurum mutatæ, Davidis cum funda, raptus Proſerpinæ, Neptuni cum Tritone, ut & alterius Tritonis, Veritatis, Urbani VIII Pontificis, Danielis & Habacuc Prophetarum, Longini quoque & Bibianæ, Berniniani cæli immortalia monumenta. Ejus etiam delineationi debentur fluviorum Nili, Danubii, Gangis & Platæ effigies hic adductæ, quæ areæ, Navonæ

vulgo nuncupatæ, fontem exornant, sed ab aliis fuere elaboratæ. Ut taceamus Sabinarum raptum, Innocentium X Pontificem ex ære fusum, Jonam, Andream & Susannam, quibus Algardus, Quesnojus aliique ad summam famæ celebritatem pervenerunt. Omnia vero sua sponte loquentur, haud infeliciore cum successu rem statuariam nobilitasse modernos istos sculptores ac veteres illos, seu Græcos, seu Romanos. Cæterum ut amœnior esset & numeris omnibus absoluta hæc collectio, explicatiunculas suas optimorum autorum suffragio passim munitas ad singulas icones succedere voluit Illustris *Masfeus*, iisdemque errores nonnullos, ut circa res temporum antiquitate obsoletas facillime cespitant hominum judicia, corrigere, obscurius traditis uberiorem lucem commodare, quæ ipsa fusius jam persequi non vacat. Prædicandæ tamen sunt Viri doctissimi laudes, quod frontispicium libri, quin & alia paginarum ornamenta a priscis seculis mutuata discursibus suis eruditissimis in gratiam curiosorum explanavit. Ita Thermarum Titi aut quarumvis aliarum structuram, quam in ipsis
TAB. VII. thermis Titi depictam fuisse indeque in librum Commendatoris del Pozzo quondam transsumptam affirmat, clariorem reddit ex Plinio Lib. V Epist. 6, ac memoratas ibi thermarum antiquarum partes, balneum nempe, caldarium seu Laconicum aut sudatorium, tum tepidarium ac frigidarium, imo & elæothesium seu unctorium hic quoque ad oculum exhiberi contendit. Hypocaustum vero suppositum non concameratis saltem cellis prioribus, sed alienis etiam seu miliariis triplici ordine locatis, in quibus aqua copiose colligebatur, ex parte usum præbuisse simul docet, unde de re balnearia breviter at judiciose commentandi ansam accipit. Jucundum cum sit hocce spectaculum, nec alibi facile occurrat, in tabula VII ideo B. L. repræsentari fecimus.


HISTORIÆ CONTROVERSIARUM DE DIVINÆ Gratiæ Auxiliis libri sex. Autore THEODORO ELEUTHERIO, *Theologo.*

Antv. typis P. Jacobs, 1705, in fol.

Libro

B.VII. ad A.1

p.388.



Sohn. sc.



Libro secundo *Eleutherius* res gestas in Hispania ab anno MDLXXXI usque ad annum MDXCIV, quo controversia de auxiliis Romam evocata est, enarrat. Ubi, quæ de origine controversiæ in Hispania memorat, neutiquam prætermittenda censemus. Lutheri, inquit, & Calvini hæresi expugnandæ divinitus datus Ignatius (ita isti quidem putant) cum adverteret Pelagium omnia libero arbitrio, Lutherum omnia gratiæ tribuere, & istum emancipatos, hunc servos e filiis facere, vitatis extremis erroribus, pro gratiæ & liberi arbitrii concordia totis viribus decertandum suis indixit. Eo collimantes, ita pergit, Societatis Theologi, quæ in Scripturis Sanctis, conciliis, patribus, sparsim jacta observaverint fundamenta, in unius veluti formam ædificii colligendo, apteque suis singula partibus componendo, eam gratiæ cum libero arbitrio concordiæ speciem exhibuerunt, quæ antiqua & patritia cum esset secundum partes singulas, nova quoad ordinem & symmetriam apparuerit. Novam hanc concordiæ liberi arbitrii cum gratia speciem primum exacerbasse hæreticos, tum Bannesium & ejus asseclas impulisse, ad turbas ingentes excitandas in Hispania, Lusitania, ac tandem in ipsa urbe Roma. Anno nimirum MDLXXXI Prudentius de Montemajor Soc. Jes. Theologus in Academia Salmanticensi theses ventilandas proposuit, in quibus physicæ prædeterminationes actuum nostrorum rejiciebantur, & divina præscientia futurorum contingentium conditionatorum certa & infallibilis, nullo præsupposito absoluto divinæ voluntatis decreto, asserebatur. Has theses non tantum Bannesius in ipso disputationis certamine acriter impugnavit, sed ex illis sedecim propositiones partim hæreticas, partim erroneas, sed, ut Eleutherius auctor est, adulteratas, excerpsit, & suo ac amicorum nomine ad supremum tribunal Inquisitionis Hispanicæ misit. Re vero accuratius discussa, deprehensum, falso thesium auctori sedecim illas propositiones impositas, doctrinam vero a Prudentio defensam, a multis fuisse adprobatam. Hinc corrigit Augustinum le Blanc, asserentem, S. Theologiæ Salmaticenses Magistros omnes a Vallisaletano Iudice in unum convocatos, judicasse, prædictam doctrinam (Prudentii) temeritatis & erroris nota dignam esse. Eam scilicet

doctrinam, inquit Eleutherius, non quam defenderat Pruden-
tius de Monte-major, sed quam Bannesius sedecim propositio-
nibus expressam finxerat incidisse, & pro germana Prudentii do-
ctrinaS.Inquisitioni obtruserat. Cum autem nihilosecius Bannesius
omnia contra societatem moneret, rumor ad eum e Lusitania
perlatus est, Ludovicum Molinam librum parare de Concordia
liberi arbitrii cum auxiliis gratiæ. Quod ut impediret institutum,
(ex mente Eleutherii loquimur) tredecim propositiones, quas
ad mentem Societatis de gratia & libero arbitrio exprimendam
concinnaverat, (diversas a sedecim illis antea memoratis) & jam
ad Inquisitionis tribunal supremum detulerat, ab eo etiam pro-
hibitas, donec maturius examinarentur, itidem in Lusitaniam ad
Albertum Cardinalem Archiducem, generalem illic Inquisito-
rem misit, asseverans, illas in libro contineri, quem prælo ma-
turaret Ludovicus Molina, adjecta etiam Pelagianismi accusatio-
ne, in libro Molinæ resuscitati. Quod dum refert Eleutherius,
miratur Bannesii temeritatem, quod librum Molinæ nec dum in
lucem editum, nec dum a se visum, Pelagianismi accusare non
dubitaverit: cum tamen hoc ipso tempore, ordinis Dominicani
& sanctæ Inquisitionis deputatus Bartholomæus Ferreira, ut libro-
rum censor, honorifico admodum elogio, eum adprobaverit.
Cujus auctoritati cum varia opponat le Blanc, ea hac occasione
diluit Eleutherius. Cæterum cum tredecim istæ propositiones
ad Albertum Cardinalem venissent, antequam prodiret liber
Molinæ, nec tamen loca indicarentur in Molinæ libro, in qui-
bus istæ propositiones extarent, (quod sane fieri non potuit
libro isto a Bannesio nondum viso) missus tandem liber Con-
cordiæ, Bannesio quidem magnopere id expetente, Salmanti-
cam fuit, examinandus censendusque ab iis, qui jam illum, pri-
usquam vidissent, prædamnaverant; suspensa interim in Lusita-
nia libri venditione. Post trimestre examen observationes qua-
dam in Lusitaniam ad Molinæ librum mittuntur, loca, in quibus er-
roneæ propositiones contineantur, indicaturæ. Ad quas cum Mo-
lina respondisset, Albertus Cardinalis Theologis quibusdam, &
istis quidem ordinis Dominicani, Joanni de Las Cuevas, Confessa-
rio suo, & Bartholomæo Ferreiræ rem omnem commisit, qui
examine

examine maturo præmisso, omnibusque, quæ objecta fuerant, cum Molinæ responsionibus rite collatis, statuerunt, in toto ejus libro nihil justa dignum reprehensione occurrere, ut nulla excusatione probabili retineri diutius possit. Quare Inquisitionis generalis Lusitanicæ solenni ac contradictorio judicio, accedente Archiducis consensu, tandem permissum, ut Molinæ liber sub initium anni MDLXXXIX omnium victor difficultatum, in lucem prodiret, addita Appendice, qua ad objectiones sibi factas Molina responderat. Atque hæc Auctor literis ipsius Alberti Archiducis ad Clementem VIII scriptis confirmat. In iis, quæ in hoc libro sequuntur, prolixe Molina causam perorat: nihil eum scripsisse, quod sit in Augustinum totamque Ecclesiam injuriam: scientiam mediam re ipsa ab Augustino & Patribus traditam, fatentibus Societatis Jesu Scriptoribus; Molinæ librum de Concordia communi fere omnium religiosorum ordinum suffragio & approbatione receptum fuisse in Hispania, & quæ alia sunt ejusdem commatis. Speciatim de Bellarmino disputat, quem utraque pars a suis stare vellet partibus. Noster itaque de gratiæ efficacis natura cum Molina eum sensisse; gratiam prædeterminatam, etiam ante ortas de auxiliis controversias, rejecisse; electionem ad gloriam post prævisa merita supernaturalia nulli errori affinem, ipsiusque Augustini aliquando fuisse sententiam, declarasse. Quod autem ad querelam de adulteratis Bellarmini controversiarum libris attinet, eam non novam esse fatetur, vulgoque ad Fuligattum & Silvestrum Petram Sanctam in vita Bellarmini provocari. Sed ut contrarium potius ex utroque auctore appareat, Bellarminum scilicet, in his quæ ad prædestinationem & gratiam pertinent, constantem se & inflexibilem præbuisse, ita fabulam totam de adulteratis ejus libris ex *Recognitione operum suorum*, quam Bellarminus annis vitæ postremis ediderit, satis refelli posse. In hac namque, quæcunque in libris controversiarum contra physicas prædeterminationes pro gratia congrua & scientia media disputavit, eum renovasse iterum & confirmasse. Cui argumento nihil opponi posse, nisi forte quis ipsam illam Bellarmini recognitionem suppositam fingere velit.

Quod

Quod quam absurdum sit, ex eo probat, quod extra controversiam tredecim ante Bellarmini mortem annis hæc recognitio prodierit. Quo pacto denique Clemens VIII causam hanc, de qua magnis animorum motibus in Hispania concertabatur, Romam evocarit, circa finem libri secundi exponit, de silentio insuper utrique parti indicto, sed a Dominicanis primum male observato, hinc & recte a Jesuitis violato, disserens, ita transiturus ad ea, quæ hac in causa Romæ gesta sunt.

In tertio itaque Libro, quæ Romæ primum a Prædicatoribus & Consultoribus gesta, ac primis coram Cardinali Madrutio congressibus disputata utrinque sunt, exponit. Hic Consultorum in primo examine oscitantiam & miram in ferendis suffragiis præcipitantiam notat Eleutherius, adeo ut miratus Pontifex, tam cito de re gravissima sententiam a consultoribus latam, rem maturius expendi jusserit. Cumque Molinæ æmuli, in Hispania rumorem damnandæ propediem doctrinæ Societatis sparsissent, viros Principes eo excitatos, datis litteris Pontificem de rebus in Hispania Lusitaniaque gestis instruxisse, atque orasse, ut res tota componeretur, aut certe justitia utrinque æqualiter administraretur. Tum congressus coram Madrutio Cardinali continuatos, in quibus obsequio erga Pontificem, respondendi promptitudine, atque rationum soliditate, nunquam fere non Jesuitæ Dominicanis fuerint superiores, his certamen de prædeterminatione physica declinantibus, donec interveniente Madrutii morte, collationes istæ interrumperentur. Qua occasione simul *Noster* contendit, scripta Cardinali huic tribui cœpta verosimilius suppositia fuisse. Tum de Gregorii Coronelli, qui Congregationi fuit a secretis, censura in librum Molinæ, jussu Pontificis Jesuitis tandem tradita, & horum adversus eam censuram exceptionibus, aliisque eodem spectantibus momentis multa magna diligentia Auctor tradit, & ita ad quartum demum Librum progreditur.

In eo Propositiones viginti, a Molinæ adversariis partim infideliter (stylo auctoris utimur) ex libro *Concordiæ* collectas earumque censuras, & Patrum Prædicatorum oppugnationes, nec

nec non defensiones Patrum Societatis, summa fide, ut titulus libri habet, exponit. Singulas hic indicare propositiones, aut quid circa illas disputatum sit, enarrare, cum instituti nostri ratio non permittat, ea saltem notabimus, quæ Augustino le Blanc, de artibus Iesuitarum pro impedienda Pontificia definitione conquerenti, respondet. Scilicet cum jam in eo esset Pontifex Clemens VIII, ait Augustinus le Blanc, ut Molinæ causam damnaret, Iesuitæ Molinæ dogmata aperte propugnando & disseminando orituri schismatis metum Pontifici injiciebant. Pro calumnia istud habet Eleutherius. Nec enim aliud quidquam egisse Iesuitas, quam ut Salmanticæ Molinæ sententias publicis thesibus propugnarent, idque (ut ipse le Blanc ait) *ad dissipandos Romanæ censuræ rumores*, istos scilicet, quos Prædicatores falso per Hispaniam de damnato Molinæ libro & exusta ipsius statua sparserant. Alteram le Blanc Jesuitarum, ad sufflaminandam Pontificis decisionem, artem hanc prodiderat. Silvanectensem Episcopum a Iesuitis inductum Pontifici persuasisse, Molinismum in Academia Parisiensi regnare, foreque adeo, ut definitio Pontificis in ea Academia impediretur. At imprudenter Augustinum agere, Eleutherius ait, quod mendacem faciat Episcopum, cujus ceteroquin in rebus suis testimonio utantur Dominicani. Cum ne sic quidem res ex voto procederet Iesuitis, auctore Augustino le Blanc, per emissarios suos eos Concilii generalis injecisse mentionem, in quo de hisce controversiis sententia ferretur. At gravissimorum virorum hanc fuisse sententiam, affirmat Eleutherius, etiam aliorum in celeberrimis Academiis Theologorum in re tanti momenti expetendas esse sententias, interim & quæ de Bellarmino, ac si & ille Concilii celebrandi auctor fuisset, addiderat Augustinus le Blanc, hac occasione sub examen revocat Eleutherius. Sed pergit Augustinus: Molinæ doctrinam per epistolas stultasque revelationes commendari curant, ut Clementem VIII a ferendo judicio deterreant. Respondet Eleutherius: ad epistolas quod attinet, scriptas omnino fuisse ad Pontificem a magnæ autoritatis viris, tum ut eum edocerent, quid viri per Europam sapientissimi & de Molinæ & de Bannesii

doctrina sentirent, tum ut intempestivam Dominicanorum jactantiam, qua damnandam propediem Societatis doctrinam propalabant, retunderent. Quod ipsis subjectis epistolis comprobat. Ad revelationes autem quod attinet, quibus Iesuitæ Molinæ doctrinam commendari curaverint, primo quidem stultas & sacrilegas, ut vocat, revelationes longe rectius Dominicanis objici, ex historiarum monumentis comprobat: tum vero ad librum, qui Parisiis Anno MDCX sub titulo: *Tractatus de Prædestinatione, in Scripturum sacram & veram evangelicam lucem, divina mediante gratia, ab idiota Ferdinando de las Infantas, Presbytero Cordubensi, compositus, & extra omnem prætensionem ipsi veræ luci Christo Dei filio, a quo accepit omnia, dicatus*, prodiit, respondet, eum neutiquam Societatis instinctu prodiisse, neque Thomæ de Lemos ad hoc evincendum sufficere auctoritatem. Vltimum denique Iesuitarum κρησφύγετον fuisse le Blanc ait, quod palam hanc thesin propugnare ausi sint: de fide non esse, Clementem VIII summum Pontificem & Petri successorem esse. Ad quod Eleutherius respondet, nec omnes hanc thesin defendisse Iesuitas & ab aliis, ipsis etiam Dominicanis, jam pridem ante mota hæc certamina eam thesin defensam fuisse; ideoque per meram calumniam, ad invidiam Iesuitis faciendam, eo tempore hæc arrepta fuisse & a Dominicanis ad Pontificem aliosque ita delata, ac si Pontificis hac ratione eludere auctoritatem vellent Iesuitæ.

Disputationes coram ipso Pontifice Clemente VIII habitas prolixe refert Libro V, & quid in singulis Congregationibus gestum sit, condocet. Nos id saltem observamus, quod de Gregorio de Valentia refert. De hoc le Blanc narraverat, cum ausus esset, ipso præsente Pontifice, quædam Augustini verba depravare, ut ejus cum Molina consensum ostenderet, ejusque petulantia a Lemosio statim revicta & minaci vultu a Clemente VIII repressa esset, Gregorium tanto pudore fuisse suffusum, ut mentis vertigine captus in terram concideret. Inter commenta varia hæc refert Eleutherius, & Thomæ de Lemos, scriptoris Dominicanis faventis, qui & Valentiæ adversarius fuerat, testimonio probari posse negat, præsertim cum neca

nec a Coronello, nec ab Abbate Farfensi, congregationis Secretariis, nec a Pegna, furioso isto Iesuitarum, ut vocat, osore, quidquam hujusmodi memoriæ proditum sit. De Perronio quoque Cardinali prolixe hic disserit, planeque negat, eum politicis rationibus adductum, propensum in hac causa erga Iesuitas demonstrasse animum. Dictum quoque Perronii, ad Pontificem: *curaturum se, si, quod meditabatur,* (Pontifex) *definiret, ut huic Pontificio decreto universæ Europæ Sectarii subscriberent*, perperam ab Augustino le Blanc in favorem Dominicanorum exponi, ac si Perronius neutiquam hoc ipso Pontificem ab edenda definitione deterrere, sed hoc potius ostendere voluerit, Calvinianos & Lutheranos hoc ipso decreto facilius ad Romanæ Ecclesiæ gremium redituros, quippe qui, relictis majorum suorum vestigiis, non magnopere a sententia Ecclesiæ Romanæ hoc in capite dissentiant. Enimvero magnopere hac in re eum falli, contendit Eleutherius, cum nimium quantum adhuc Reformati pariter ac Lutherani a sententia Ecclesiæ Romanæ differant, & in iis debellandis Iesuitæ hactenus suis felicissime usi sint hypothesibus, quæ tamen, ut & alia, quæ hac occasione de sententia Lutheranorum dicit, ac si quidam recentiores ex Lutheranis negent, liberum arbitrium in negotio Justificationis mere passive se habere, aliis discutienda relinquimus.

Quæ denique sub Paulo V Pontifice in hac causa gesta sint, exponit Liber sextus isque ultimus. Magnus hic iterum & multus in plerisque hujus historiæ capitibus inter Iesuitas & Dominicanos dissensus: sed in eo præcipue, quod Dominicani & horum propugnator Augustinus le Blanc contendant, finitum tandem sub hoc Pontifice hocce negotium eousque fuisse, ut Pontifex bullam Consultoribus delineandam commiserit, quam hi etiam diligenti studio elaboratam tradiderint Pontifici: at intercedente Pontificem inter & Rempublicam Venetam lite, inque ea Iesuitis pro auctoritate Pontificis strenue depugnantibus, ut Venetiis excedere, quam Pontificis deserere partes mallent, promulgationem bullæ in aliud tempus fuisse dilatam, & ita controversiam istam hactenus indecisam

 mansisse,

mansisse, etsi victoria fuerit penes Dominicanos. At longe alia Eleutherius narrat: bullam Pauli V, tam speciose jactitatam, commentitiam esse pronuntiat, quæ nunquam exstiterit in rerum natura, scriptum equidem aliquod a Coronello congregationis Secretario esse compositum, cui tamen Pontifex non subscripserit, de quo etiam sciri nequeat, an unquam a Cardinalibus & Pontifice examinatum lectumque, multo minus adprobatum sit. Frustra jactari illud diploma sacris Vaticani tabulis reconditum, cum nec probari possit, unquam intra id sacrarium fuisse receptum, & alibi fateatur le Blanc, in Augustinianorum scriniis inter cetera Coronelli scripta repertum. Quo ipso cum secum pugnare ipse videatur, admonitum hac de re hocce excogitasse effugium, plura fuisse illius diplomatis exempla ipsius Coronelli manu scripta & Cardinalibus ad examen tradita. Quod frustra dici, Eleutherius contendit, & si concedatur, nondum tamen inde sequi, ad sacras Vaticani tabulas exemplum aliquod fuisse delatum. Ceterum cum imposito utrique parti silentio pax quodammodo sancita, & decreto Pontificis anno M DC XI impressio librorum de auxiliis prohibita esset, mox tamen denuo certamina mota sunt, Augustino quidem le Blanc violatæ pacis culpam in Iesuitas conferente, negante id strenue & contrarium evincente Eleutherio. Et hic etiam observat, edictum Pontificis de prohibenda ejusmodi librorum impressione promulgatum fuisse, statim ac Didaci Aluarezii opus de Auxiliis divinæ gratiæ, prodiisset: idque instinctu haud dubio Dominicanorum, ut hac ratione, quæ Iesuitæ Aluarezio opponere constituerant, impedirentur. Namque vix prodierat Aluarezii opus, cum Patres Societatis Iesu parata magna ex parte Leonhardi Lessii & Francisci Suarezii de Auxiliis divinæ gratiæ volumina prælo maturarent.

In Appendice hujus operis instrumenta & scripta quædam prolixiora ad historiam hanc spectantia exhibentur: scilicet *Dissertatio de genuinis Pelagii & Massiliensium erroribus*, eo comparata, ut Pelagianismi suspicionem a Iesuitis amoliatur, *Leonhardi Lessii Apologia adversus censuras Lovaniensem & Duacensem*,

censem, Scriptum Roberti Bellarmini in defensionem doctrinæ Leonhardi Lessii, Ludovici Molinæ Appendix ad librum de Concordia, & alia.

ANTIQUARIUS SACER, DE USU ANTIQUITATUM Judaicarum, Græcarum & Romanarum in explicandis obscurioribus S. Scripturæ dictis, ad Antiquitates Ecclesiasticas, Politicas & Oeconomicas Veterum alludentibus, delineatus a CONRADO MEL, SS. Theol. D. Ecclesiarum Principatus Hersfeldensis Inspectore & illustris Gymnasii Rectore.

Schleusingæ, excudit Georg. Wilh. Göbelius, 1707, 8

Pl. $8\frac{1}{2}$

AB extremis Germaniæ finibus, Regio Monte Borussorum, laribus patrioque cœlo restitutus Autor Clarissimus, ac præterea in Jubilæo Francofurtano nupero ex Regia liberalitate mitra donatus Doctorali, & postulatus adeo novo hoc charactere, ut si quid haberet, quod in hunc diem viveret, cum orbe literato communicaret, Antiquarium sacrum, fusioris Operis prodromum, prodire in lucem voluit. *Conor*, inquit ipse, *tenuis grandia, judicia, prælia, convivia, urnas, rudera collapsa loquor, & gentis antiquæ spolia ad Sanctuarium refero.* Sic enim, ut nonnulla delibemus, exponit verba Pauli Hebr. XIII, 10 *& nos*, fideles p. 20
N. T. *habemus altare*, antitypum altaris holocaustorum, Christum, ex quo habent jus edendi, qui Christi ejusque meritorum participes fiunt; sicut olim Judæi offerentes participes fiebant victimarum oblatarum. Excluduntur vero & non habent jus edendi, qui Tabernaculo serviunt, i. e. qui abrogatas V. T. ceremonias revocant denuo, in ignominiam Christi, tanquam corporis, ad cujus præsentiam cessant umbræ. Eundem Apostolum, 1. Cor, I, 20 *ubi sapiens, ubi scriba, ubi conquisitor seculi* 21
istius? ait collimare procul dubio ad triplex officium in Synagogis usitatum, Disquisitorum nimirum, Principum Synagogæ & Scribarum, qui præ se ferebant clavem scientiæ. Joannem Apoc. III, 5 illustrat ex Lev. XXI, 17 &c. Ubi si quis rigidissimum 24

 examen

examen ad Candidaturam Sacerdotii sustinuisset, & sine labe ac
defectibus, quorum 142 recenseant magistri Judæorum, repertus
fuisset, albis induebatur vestimentis, nomenque ejus insereba-
tur catalogo Sacerdotali, ac coram summo sacerdote, & cœtu
reliquorum sacerdotum pronunciabatur ille dignus, qui in nume-
rum ministrorum reciperetur. Eundem Ioannem Apoc. XVI,15
censet respicere ad vigilias & excubias Levitarum, ubi capitaneus
illorum de nocte circumiens una manu baculum, altera facem
ardentem tenebat. Et, si forte quem Levitarum dormientem
reperisset, non solum licebat ipsum verberare, verum etiam ve-
p. 28 stimenta ejus accendere. Paulum iterum 1. Cor. XV, 29 *quid fa-
cient, qui baptizantur pro mortuis?* dicit ad lotiones Judaicas ser-
monem dirigere: ubi moris erat, eos, qui mortuum tetigerant,
lavari, in signum mundationis spiritualis, si morte obruerentur,
in die resurrectionis. Hac igitur ceremonia legali confessionem
dedisse Judæos resurrectionis mortuorum. Et hinc inferre
Paulum: inanem fuisse hactenus illam ablutionem, si nulla da-
34 retur resurrectio. Ad ritus Judæorum spectat & hoc, quod eos
in pejus ruentes didicisse cultum idololatricum Molochi ait a
Moabitis, & liberos suos per ignem ducere solitos. Nimirum
adstantibus Sacerdotibus Molochi atratis, saltasse pueros per
ignem, & ex hoc ritu singularem sibi puritatem imaginatos ho-
mines miseros. Eundem autem cultum exhiberi contendit in
pictura quadam notatu digna, quæ extet in pronao Basilicæ Hers-
36 feldensis. Christum porro Marc. III,17 voce *Βοανεργὲς* alludere
censet ad duos Scribas, qui in synedrio sedere summo Sacerdoti so-
lebant ad sinistram & dextram, quorum hic colligebat suffragia
absolvendorum, ille damnandorum, atque adeo ritum synedrii
juridicum applicari regno Christi spirituali, ubi pii absolvantur
a maledictione legis, impiis vero pœnæ divinæ annuncientur. Re-
jectam igitur quidem fuisse petitionem matris, pensatam autem
egregio elogio: quasi diceret, Ecclesiam quoque indigere talibus
filiis tonitruum, quales in Synedriis sedent, non tamen, ut re-
42 gnent. Rursus Paulum 1.Cor.XI,10 exponit de velamine spon-
sæ coram delegatis a sponso, ad eam in domum ipsius ducen-
dam, qui dicti sint *angeli desponsationum*. Elicere hinc Paulum,
multo

multo magis velandas mulieres in cœtu publico, in signum mo-
destiæ & obedientiæ, quia & hic præsentes sint angeli, ministri
verbi divini, qui fideles sistant Christo ceu sponsam sine macula.
Jam & Davidem Ps. LX, 10 & CVIII, 10 *projiciam calceum meum
super Edom*, ex ritu locutum ait, quo patresfamilias iter facientes
calceos suos colligatis corrigiis super humeros servorum, ut eos
gestarent, projiciebant. Similiter subjugandos fore Edomitas,
ut more servorum populo Dei calceos suos portarent. Locum
1. Reg. X, 27 *dedit Salomo argentum ut lapides* perperam judi- p. 52
cat de lapidibus in plateis accipi, sed hunc habere sensum: na-
ves redeuntes ex Ophir tanta in copia apportasse lapides exascia-
tos & exsculptos ad usum templi ædificandi, quanta in copia
naves Tyriæ cedros. Verba etiam cœnæ, *hoc est corpus meum*,
contra Pontificiorum transsubstantiationem ex antiquitate Iudai-
ca explicanda esse, dicit se audacter profiteri. Ibi enim phra-
seologiam hanc, *hoc est corpus meum*, fuisse usitatissimam & no-
tissimam. Quando enim comedebatur Pascha, quærere solebant
filii Hebræorum, *quid illud est?* & tunc ait respondisse patrem-
familias, *hoc est corpus agni*, quem patres nostri comederunt in
Ægypto, i. e. qui nobis in memoriam revocat agnum paschalem
in Ægypto mactatum. Similiter locutum esse Christum, cum
loco paschalis institueret S. Cœnam. Tali enim modo panem
esse suum corpus, prout agnus paschalis Hierosolymis mactatus
erat corpus agni in Ægypto mactati, signum nimirum corporis
sui, jam jam propter peccata mundi offerendi. *Comedere* igitur
corpus Christi Mellio ex hypothesi nihil aliud est, quam in Chri-
stum credere. Errorem pictorum, qui pingant Israelitas stando
pascha comedentes, (de quo tamen nil sit in sacris literis, sed 59
tantum *festinantes* describi, non tamen stando sed accumbendo,)
postquam strinxisset, versionemque LXX viralem Hab. IV, 2 solli-
citasset anticipatam solennitatem Festi tabernaculorum sub ad-
ventum Christi Matth. XXI, 8 ultimo pœne loco commemorat.
Nimirum Judæos gaudia sua eo modo testatos, ut in via ex frondi-
bus palmarum hinc inde exstruxerint tabernacula, eaque ipsa te- 63
xerint vestimentis suis, more in Festo isto usitato. Prodromum er-
go hunc faustis sequatur auspiciis mox majus illud Opus Auctoris.

Sequatur

Sequatur etiam opus alterum *de complementis sacris Hebræorum*, ac præterea *Hassia literata*. Ita fiet, ut, quod ipsum habere in votis cernimus, sublimi feriat sidera vertice.

JO. GEORGII GRÆVII PRÆFATIONES ET EPIstolæ, editæ a JO. ALBERTO FABRICIO, D. & Eloqv. Prof.

Hamburgi, apud Christianum Liebezeit, 1707, in 8.

Alphab. 1 plag. 6.

JO. Georgio Grævio, Cl. Viro, tam singularem tamque exquisitam Amplissimus Fabricius tribuit eloquentiam, ut sermonem ejus a Musis ipsis Gratiisque elaboratum judicet, ac Latine qui scripserit vel tersius vel suavius, a longa jam memoria reperisse se testetur neminem. Sæpius inde optasse & pro Græviani nominis gloria expectasse etiam se ait, ut Epistolæ ejus, quas scripsit propemodum infinitas, ex privatis Virorum doctorum scriniis proferrentur in lucem, atque singulari cum fructu hominum studiosorum in publicum emitterentur. Dum autem cessatur, existimavit se operæ pretium facturum, si hanc interim earum paulo plus quam centuriam colligeret, atque promulsidis loco in unum redactam volumen edere aggrederetur, ut vel cæterarum, quibus carendum adhuc est, desiderium utcunque harum lectione levaret, vel eos, qui possunt, ad reliquarum evulgandarum curam suscipiendam impelleret accenderetque. Non est autem, ut proliziora excerpta inde haurienda Lectores nostri sibi heic polliceantur, quandoquidem non e manuscriptis primum eædem nunc vulgantur, sed singulæ jam antea typis publicis exscriptæ prostant. Et pleræque sane libris Grævii cura editis præfixæ sunt, ac Lectorem modo alloquuntur, modo eos, quibus suam ille diligentiam commodavit, Autores Viris summis, interque hos Regibus etiam ac Principibus, inscribunt atque dedicant. Sex ad Marqu. Gudium scriptas una cum Gudii & Sarravii epistolis A. 1697 Petrus Burmannus edidit, multoque plures ad Petrum Francium e posthumis Francii & illustrium Eruditorum ad eum epistolis, Amstelædami A. 1706 vulgatis, Noster repetiit, prout & gra-

& gratulatio Grævii ad Fridericum III Borussorum hodie Regem, de fundata Academia Halensi jam inde ab A. 1694, quo Berolini impressa, eruditis nota fuit. Denique vitam Grævii disertissima Oratione a successore ejus, Burmanno, descriptam heic ideo subjecit Fabricius, quod paucorum in manibus, nostris quidem in oris, eandem versari intellexit.

ΜΑΡΚΟΥ ΑΝΤΩΝΙΝΟΥ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΩΣ τῶν εἰς ἑαυτὸν βιβλία ιβ.

i. e.

MARCI ANTONINI IMP. EORUM, QUÆ AD SE ipsum, Libri XII recogniti & notis illustrati.

Oxoniæ e Th. Sheldon, impensis A. Peisley, 1704, 8. ch. aug. Constat pl. 17.

ILlustre admodum inter Stoicæ sectæ addictos nomen est *Marci Antonini* Imp. quippe quem incredibili *Zenonis* atque *Chrysippi* placitorum amore captum, in Stoica Philosophia excolenda omne, quod ab Imperii administratione ipsi superaret, tempus consumsisse, tum illi, qui res ab hoc Imperatore gestas litteris consignarunt, communi suffragio testantur, tum vero maxime elegantissimum hoc, quod de rebus suis scriptum reliquit, ingenii monimentum egregie prorsus confirmare videtur. Continet iste liber varias easdemque fortuitas sæpe Antonini, de iis, quæ ad bene beateque vivendum pertinent, meditationes, ac in multis cum sanctissimæ religionis nostræ decretis plane convenit, in quo adeo exponendo pariter atque illustrando operam posuerunt, qui a novæ hujus editionis Autore in Præfatione recensentur, doctissimi viri, *Guil. Xylander*, Annotator ille *Lugdunensis*, *Mericus Casaubonus*, *Collierius*, *Thomas Gatakerus* & Cl. *Dacierius*. Hos inter omnium optime *Gatakerus* de Antonino meritus est, eundemque & nova eademque pereleganti interpretatione, & commentariis varia ac recondita doctrina refertis illustravit. Sed enim vero cum hos ipsos *Gatakeri* commentarios nimia sui mole laborare, reliquos autem enarratores in difficillimis sæpe locis explicandis deficere

animadverteret Oxoniensis noster ἀνώνυμος; novam hanc Antonini editionem, Cl. inprimis *Hudsonii*, Bibliothecæ Bodlejanæ Præfecti, Amici nostri æstumatissimi, consilio adjutus adornare suscepit, qua textum quidem ac versionem fere integram ad exemplum Gatakerianæ editionis exhibuit, notas autem ex omnium commentariis præcipuas tantum, & ad auctoris sententiam illustrandam maxime facientes, ac suis quandoque observationibus permistas adjecit. In fine hujus editionis additæ sunt *Epistolæ*, *Antonini* nomen præferentes, quas quidem a Græcis recentioribus confictas esse, eruditorum plerique existimant.

INSTITUTIONUM CHRONOLOGICARUM LIB. II, una cum totidem Arithmetices Chronologicæ Libellis, per GUILIELMUM BEVEREGIUM, M. A. nunc Episcopum Asaphensem. Editio altera, priori emendatior.

Londini, typis Samuelis Roycroft, & prostant apud Gualterum Kettilby, 1705, in 4.

Constant Alphab. 1 plag. 11.

STudium Chronologicum utut utilissimum existat, ab eo tamen plerique abhorrent, quia difficile admodum & perplexum. Enimvero nihil tam difficile, quin facile reddatur, si in sua quasi elementa resolvatur, ut simplicissimorum considerationi seorsim vacare liceat: quæ rite intellecta facile combinantur. Tale quid circa Chronologiam præstitisse *Beveregium*, eruditis ex prima Institutionum ipsius editione jam satis notum putamus. Dividit enim Chronologiam in partem καιρικὴν & χαρακτηριστικήν, quarum illa temporis naturam ac partes distincte explicat, altera de notis, quibus tempora distinguuntur, agit. Explicata igitur in parte prima definitione temporis Aristotelica, scrupulum, horam, diem, hebdomadem, mensem & annum considerat, diversaque harum partium apud gentes diversas genera enumerat, describens inprimis annum

num Gregorianum & Julianum, Ægyptiacum, Æthiopicum, Persicum, Syriacum, Græcum, Astronomicum, civilem & Solarem Judæorum, atque Arabicum, solutis simul problematibus huc spectantibus. In parte secunda characteres dividit in naturales & institutos. Naturales recenset syzygias, eclipses & ingressum Solis in puncta cardinalia seu Æquinoctia & Solstitia: ubi in Æquinoctiis & Solstitiis anticipationem seu annuam versus mensium initia retroversionem in anno Iuliano expendit, eademque utitur ad calculum Æquinoctiorum & Solstitiorum sine tabulis Astronomicis absolvendum. Inter characteres institutos refert cyclum Solis, cyclum Lunæ, Indictionem & Epactam: quorum explicationi periodorum Metonicæ, Calippicæ, Dionysianæ, Iulianæ expositionem subjungit. Denique multus est in explicandis characteribus fixis, seu epochis, unde annorum numerandorum initia repetunt gentes. Recenset certe Æram Christianam, Diocletianam, Mundi, Judaicam, Trojæ captæ, Urbis conditæ, Antiochenam, Olympiadicam, agonum Capitolinorum, Julianam, Hispanicam, Actiacæ victoriæ, Nabonasaream, Philippeam, Alexandream, Yezdegirdicam & Muhammedicam.

In Arithmetica Chronologica partem characteristicam, a reliquis Arithmeticæ Scriptoribus vulgo neglectam, potissimum explicat, signa numerica apud diversas gentes diverso tempore usitata uberrime declarans. Reliqua vulgaria sunt.

REPONSES AUX QUESTIONS D' UN Provincial.

i. e.

RESPONSIONES AD QUÆSITA CUJUSDAM Provincialis. Tomus II.

Roterodami, apud Reinerium Leers, 1706, 12. Alphab. 1 plag. 5.

DE prima hujus operis Parte dictum est in Actis A. 1704 p. 433 sq. Altera hæc ad stromatum imitationem varia rursus variæ eruditionis monimenta nobis sistit. Initium fit a Jacobeæ Bojoa-

ricæ, Comitis Hollandiæ, gestis, cujus morum pudicitia examinatur, stylo in eorum sententiam, qui de illa secius sentiunt, propendente. Accedunt fata Mariæ Anglicæ Ludovici XII Regis Gallici viduæ, cujus alterum imparibus tædis contractum conjugium a sublesta Jac. Phil. Bergomensis narratione vindicatur, enumeratis notabilioribus illustrium fœminarum matrimoniis. Hinc de Mareschallo Mellerajo disquiritur, ostenditurque, illum Advocati nepotem & Reformatæ olim religioni addictum fuisse, quo loco & controversia inter ejus filium, Ducem Mazarinium hujusque conjugem orta atque ab Erardo & S. Evremonio acta explanatur. Afferuntur in medium notatu digna plura de Maria Mancinia & Ludovici XIV in illam amore, vero quidem, sed falsis passim & confictis circumstantiis descripto, & de pernicie ex libellorum eroticorum lectione oriente, quam in rem exemplum Franciscæ Malatestæ hac via ad incestum perductæ accurate enarratur. Magna vero pars libri consumitur in disputatione cum Derensi Episcopo, G. King, & examine scripti ejusdem de Origine mali, ubi Auctor, (quem P. Bælium esse, diffiteri nemo potest,) operam dat, ut probet, Kingium ad dubia rationis humanæ non optime respondisse, & per hypothesin Manichæorum de duobus principiis ea longe speciosius solvi: eundem hinc inde hallucinatum, maxime quando bonum & malum a mera Dei electione dependere statuit: neque malum physicum neque morale ab illo ad legitimos excusationum fontes perductum esse, semperque scrupulum istum esse residuum, potuisse Deum, quippe infinite bonum, sapientem & potentem, systema aliquod mundi & concipere & producere, quod malis istis omnino careat. His explicatis, historia Germanæ Foxiæ, quæ cum Ferdinandi Catholici fuisset conjux, nupta postmodum est exuli Calabriæ Duci, observationibus variis decorata exponitur. Post hæc Auctor V. C. Jac. Bernardum, Auctorem Novorum Literariorum Amstelodamensium aggreditur, vindicaturus dubia, quæ olim contra consensum gentium argumentumque pro Dei existentia inde petitum proposuerat, quod salvum hactenus perstitisse existimat; quo loco suo more notitiam, quam Pagani de Deo habent, prorsus corruptam, nec notitiæ nomine dignam

ne dignam, imo Deo non magis convenientem esse, quam arboris idea ad hominem quadrat, iterum iterumque propugnat. Scriptoribus Diarii Trevoltiensis eadem propemodum opponit. De Godofredo Varaglio, qui Capuccinorum monachorum auctor Hospiniano creditur, deinceps Bælius disquirit, ostenditque, nec hunc, nec Ochinum ordinis istius conditorem fuisse, etsi posterius istud Beza, Legerius & Petrus Aegidius statuerint. De Valdensium inde numero disquirit, evicturus, numerum eorundem præter rem hinc inde mirum quantum augeri, cum longe sit, ac creditum est, inferior: porro de Olivetani translatione Biblica Gallicana, auctorisque vita agit, deque falso credita prædictione restitutionis Valdensium, Episcopo cuidam Anglo-Britanno adscripta. Disquirit porro de P. Jurii Apocalypticis vaticiniis monetque, illum palinodiam velut cecinisse, cum A. 1699 scriberet, Galliam, quam propediem in Protestantium partes totam concessuram crediderat, magis quotidie in superstitiones Romanas præcipitem ferri. Multa post hæc ipsi est inquisitio de Nicolai Cusani Cardinalis vaticiniis, deque ejus methodo futura Ecclesiæ fata ex Jubilæis annis, applicatis ad annos & menses vitæ, mortis, resurrectionis & adscensionis Christi, derivandi. De Imperatoribus Austriacæ gentis, qui Protestantibus favisse dicuntur, in postremis fere differitur, atque ita quidem, ut Auctor pervulgatis narrationibus parum fidei habens, favorem istum verum fuisse vix largiri velit, indirecte autem nonulla ab iis in usus Protestantium facta, sed aliis omnino finibus, concedat, & præsertim de Caroli V obitu non præclare adeo, ac multi alii, sentiat. Tandem Jurii aliorumque narrationes de incredibili meretricum Patres Constantiensis Concilii secutarum copia, necnon de Maximiliano I Imperatore ad dignitatem Romani Pontificis adspirante examinantur.

PETRI MATTHÆI CONSENTINI ANIMADVERSIones Physico-Medicæ, in Decem Dialogos digestæ.

Neapoli, apud Dominicum Antonium Parrinum, 1704, in 4to.
Constant Alphab. 1 plag. 6.

CUm ad Medicinam addiscendam animum applicasset Claris-
simus Matthæus, ab ore Thomæ Cornelii Consentini pende-
re pro gloria duxit. Et quoniam eodem tempore præter alios
Franciscus Salernitanus & Josephus Lambertus Massanensis
ejusdem domum frequentabant, nostroque Autori, dum vive-
rent, existebant amicissimi, horum amicorum memoriam vivam
custodire & in Dialogis hisce eos differentes inducere ipsi placuit,
ut saltem hoc conatu felicibus eorum manibus parentaret.
Physiologiam igitur tradit, singulasque partium actiones rimatur,
objectiones movet, easque resolvit. Incipit a chylificatione,
p. 14 ubi Problema soluturus, cur fluida alimenta aliquando satis dif-
ficulter & cum suffocationis metu animalia deglutiant, solida
& dura nullo labore demittant? supponit, in omnium alimen-
torum deglutitione quicquid a lingua in pharyngem defertur,
statim ejus musculos movere, & per hos fibras œsophagi trans-
versales dilatari; quodsi autem hæ ob aliquam læsionem
constringantur, ita ut canalis hic non adeo facile aperiatur, li-
quida, quia in pharynge nullam vel levem motionem & pressu-
ram producunt, etiam ipsius musculos minime commovere, nec
fibras gulæ transversales dilatari, sed foras potulenta regurgita-
re: solidos vero cibos semper majori vi a lingua in pharyngem
impelli, hujusque musculos magis lacessere, hinc per dilatatas
œsophagi fibras transversales felicius descendere ad ventricu-
lum. Digestionem ciborum intra ventriculum perfici pu-
32 tat, dum ex mutua unione & miscela humoris dige-
stivi ita cibi agitantur, solvuntur & exaltantur, ut tertium quid
ab illis omnino dissimile proveniat, quod dum separata erant,
nec in cibis, nec in humore digestivo aderat, id est, per solam
extractionem digestionem non absolvi. Purgantium non tam
43 drasticorum, quam blandiorum & lenitivorum noxas experi-
mentis in variis animalibus, quibus folia Sennæ, Diagridium,
Conserva florum Persicorum, Pilulæ ex Aloe violata, Rhabar-
barum, Crocus metallorum communicata varias easque noxias
sanguini & intestinis qualitates induxerant, adornatis exaggerat.
Pergit tum ad motum chyli, ejusque depurationem, lactis ela-
57 borationem, sanguificationem, & motum animalem. Cordis
80.87 equidem

equidem motum non tantum a ſpiritibus per nervos cardiacos 88. 89
influentibus, ſed ab ipſo ſanguine in cor injecto fibrillasque ejus
vellicante & ſtimulante produci exiſtimat. Cordis palpitatio- 97
nem a ſanguine alterato & acri provenire, uberius docet. San- 98
guinis miſſionem poſt timorem nocivam pronunciat. Reſpira- 111
tionis neceſſitatem declaraturus, ſubſtantiam quandam volatilem ſtatuit, quæ in ſanguinem penetrat, ac intime cum eo miſcetur, unde illius fluxibilitas, attenuatio & motus provenit; illamque in ventriculum delatam ſuccum digeſtivum acuere, a quo excrementorum ſeparationes & perfecta chylificatio dependent. Omnem ſanguinis miſſionem inutilem judicat, quia 131
non ſanguis ſed humores vitio aliquo laborant, quod per venæ ſectionem non corrigitur; potius cruore magis elaborato, tenui, fluido & mobili educto, reliquus parte ſui ſpiritus ſpoliatus ægre in priſtinam & congruentem craſin reduci poteſt, atque virium diminutio, debilitas, & penuria naturalium functionum ſequitur; ſanguinis autem abundantiam, quæ pro venæ ſectionis indicante vulgo proclamatur, a copioſo & nondum ſubacto chylo vel a crudis viſcidisque particulis admiſtis, per diætam & ſpirituoſi ſanguinis motum circularem æque ac inteſtinum attenuandis, dependere ait. Poſt hæc circulationem ſanguinis de- 136
clarat, vaſorumque anaſtomoſes defendit. Explicato hinc lie- 154
nis, hepatis, renumque officio, capſulas atrabilarias portio- 169. 183
nes ſalſas & acidas, a quibus ſtimulum & vellicationem in veſi- 189
ca urinaria percipiunt nati, in fœtu tamdiu conſervare & retinere, donec tempus partus adveniat; at infante in lucem edito nullum amplius uſum habere, ſed paulatim diminui & extenuari exiſtimat. Mittimus ea, quæ de cerebro & glandulis 197. 211
differit.

GEORGI BAGLIVI, MEDIC. THEOR. IN ROMANO Archilyc. Prof. Societatis Regiæ Londinenſis, Academ. Imp. Leop. &c. Collegæ, Opera omnia Medico-Practica & Anatomica.

Lugduni, ſumptibus Aniſſon & Joannis Poſuel, 1704, in 4.
Alph. 4.

Quanto

Quanto applausu Clarissimi Autoris libri de Praxi Medica, & de Fibra motrice, cum annexis varii argumenti Dissertationibus, fuerunt excepti, tanto, si non majori, præsentia ejus sine dubio excipientur Opera, quod laudatos non solummodo libros, cum Dissertationibus consociatos & in Actis A. 1698. p. 33 & A. 1703 p. 338 a nobis commemoratos, auctiores, sed & Præfationem novam, novamque Dissertationem cum variis Epistolis contineant, strictim nunc recensendas. Tædiosum siquidem foret, omnes morbos, de quibus Aphorismi Capiti nono Libri primi de Medica Praxi accesserunt, omnesque Propositiones, quæ Capiti octavo, nono ac decimo Libri primi de Fibra motrice additæ occurrunt, huc velle transcribere: e re potius videtur sine uberiori enumeratione eorum, quæ hinc inde accreverunt, ad reliqua additamenta nova progredi. Præfatio namque, omnem operum, quæ hic sistuntur, dispositionem atque Bagliviani systematis præstantiam exponens & defendens, licet Autoris calamo haud debeatur, hujus tamen epistolam comprehendit, in qua partim falsitatis potissimum convincuntur omnes, qui Pacchioni inventa circa structuram meningis a Nostro subrepta fuisse malevole clamitarunt, partim novus liber, qui de multo ejus labore in scrutanda solidorum natura testetur, ad praxin utilissimus, de internis atque occultis viscerum varicibus, hydatidibus & aneurysmatibus, promittitur. In Dissertatione vero nova, quæ quinta est, varia de morborum & naturæ analogismo, de vegetatione lapidum, & de terræ motu Romano A. 1703 ad Jo. Franciscum Maurocenum, Venetorum apud Pontificem Oratorem, perscribuntur. E tractatu scilicet, qui de morborum analogismo edetur & in quo explicabitur, quomodo morbi, tam natura iidem, sed partibus læsis differentes, quam natura diversi, in exortu, symptomatibus, curatione ac prognosi invicem conveniant, speciminis loco pleuritidis cum aliarum partium inflammationibus analogia, quatenus in cunctis iisdem per anodyna & diluentia laxitas primum solidorum, deinde etiam fluidorum, per convenientes vias eliminandorum, sit procuranda, similitudo dolorum, ubique a crispatura solidorum dependentium atque demulcentia requirentium, quam-

vis

vis dolores gallici cum antigallicis, ſcorbutici cum antiſcorbuticis, & melancholici cum ſero lactis, ſuccis herbarum depuratis, v. g. ſonci, borraginis, cichorei &c. & his ſimilibus, leniendi veniant, atque convulſivorum morborum congruentia, depromuntur. Lapidum autem vegetatio quemadmodum talibus adſtruitur obſervationibus, quæ vel lapides in principio molles eſſe ac teneros, vel lapicidinas non exhauriri, ſed nonnullas earum denuo repleri, vel lapides etiam quosdam ex diverſis ſtratis compingi, demonſtrent; ita durities lapidum, ex terra tenaci & ſucco lapidifico ſive aqua ſaxeis ramentis turgida reſultantium, aut humori bituminoſo & conglutinanti, aut principio ſalino, quo ſpiritus quoque lapidificus abundet, attribuitur, fluminumque originis & lapidum vegetationis ac nutritionis cauſa communis mare aſſeritur. Ignes denique ſubterranei cum primaria terræ motuum cauſa reputentur, nonnulla prius de iisdem traduntur, quam hiſtoria terræ motus Romani, quo plures urbes adjacentes fuerunt everſæ, pandatur: hic inter alia ex ore civis Aquilani refertur, terræ motum Aquilæ adeo extitiſſe horrendum, ut illi, qui in campis arborem aliquam amplexati ſunt, ne caderent, ab hac fortiter vi terræ motus fuerint repulſi ac in humum proſtrati. Tandem Epiſtolarum quatuordecim, quas Viri Clariſſimi ad Noſtrum dederunt, non niſi tribus reſponſoriæ hujus adjunguntur, quarum tertia ad Gualterum Harris, Medicum Londinenſem, duæ priores autem ad Nicolaum Andry, Medicum Pariſienſem, exaratæ habentur. Aſt quia primæ harum de lumbricis latis eorumque generatione mentionem jam fecimus, cum Nicolai Andry tractatum de generatione vermium in corpore humano in Actis A. 1700 p. 519 exhiberemus, pauca unice ex ſecunda de purgatione in principio febrium ac de febribus meſentericis Romanorum addere liceat. In principio nempe earum febrium, in quibus primæ viæ humoribus pravis turgent vel infarctus etiam meſenterii adeſt, potio aliqua purgans laudatur, cum clyſtere, ſi evacuatio lentius procedat, atque calido fomento abdominis emolliente, nec non cum ſtomachico aliquo, vel ſingulis, vel alternis diebus usque ad ſeptimum uſurpanda.

 Econtra

Econtra si vel minima suspicio appareat morbi acuti & inflammatorii, in principio haud purgatio, verum venæ sectio, etiam repetita, cum clysmatibus emollientibus & temperantibus, commendatur. Singulare interim est, quod in febre quadam epidemica maligna, in qua vermes teretes affatim excernebantur, vinum maxime profuerit, ceu in quod vermes pariter vivi inditi statim perierint, cum in oleo, aqua saccharata, spiritu vini, aceto, succo limonum, per plures horas ac dies viverent.

GEORGII BAGLIVI, PHILOSOPHI ET MEDICI Opuscula duo.

Lugduni Batavorum, apud Fredericum Haaring, 1707, in 8. Constant plagul. 7 fig. 1.


EXperientissimi *Baglivi* Operibus, modo memoratis, merito duo ejus Opuscula, hoc anno apud Batavos recusa, subjungimus: quorum primum Canones de Medicina solidorum ad rectum Statices usum complectitur, occasione Sanctorii de Statica Medicina libri, Romæ prelo A. 1704 denuo commissi, sed hic omissi, ceu Lugduni Batavorum recentissime jamdum typis exscripti, potissimum conscriptos, Præfatione attestante, quæ Amplissimo Jo. Francisco Mauroceno inscribitur: alterum vero Dissertationem varii sistit argumenti, ad Petrum Hottonum, celeberrimum in Academia Leidensi Medicum atque Botanices Professorem A. 1705 datam. Canones quidem de solidorum Medicina numerum sexagenarium complent, de cunctis tamen Lector facile judicabit, ubi ex Canone 1. 8. 10. 20. 25. 38 & 40 cognoverit, æquilibrium inter mentem & corpus a Medico esse inveniendum, mentis per Staticen Philosophiæ moralis, corporis per Sanctorii Staticen; quod in tali æquilibrio sanitas consistat & vita. Notitiam solidorum varie oscillantium, & liquidorum vario motu currentium per corpus animatum, ad doctrinam Statices rite percipiendam maxime conferre. Staticen Sanctorii & circulationem sanguinis Harvejanam duos esse polos, quibus universa regatur veræ Medicinæ moles, hisce inventis restituta & confirmata. Mortem naturalem ob ariditatem exsiccationemque solidorum, & salsedinem atque vappiditatem liquidorum venire: solidis mederi balneum tepidæ, liquidis vero insen-

insensibilem transpirationem & cibum boni succi sobrie sumptum. Morbos chronicos & acutos per purgantia, diaphoretica, diuretica, similiaque frustra curari, nisi solidorum & liquidorum natura ad rectum ordinem reducatur. Coctionem humorum in laxitate debita solidorum & liquidorum consistere, cruditatem vero in contractione ac veluti confusione strangulationeque eorundem. In liquidis animati corporis manifeste observari Mechanicam chymicam digestionum, coctionum, fermentationum, despumationum, exaltationum, præcipitationum; in solidis autem Mechanicam cunei, vectis, elateris, funependuli, projectionum, resistentiæ & oscillationis; in utrisque autem simul junctis certo patere regulas æquilibrii, proportionis, centri gravitatis, resistentiarum, pressionum, projectionum. In Canone 45 de tabe viscerum peculiaris promittitur Dissertatio, cum libro de Medicina agonizantium, in quo ratio edocebitur, qua ægrotis in ultimo agone constitutis deceat subvenire, quam primum edenda. In Dissertatione autem de progressione Romani terræ motus ab A. 1703 ad A. 1705, de Systemate & usu motus solidorum in corpore animato, atque de vegetatione lapidum & analogismo circulationis maris ad circulationem sanguinis differitur. Scilicet dum progressus terræ motus Romani a Calendis Martii A. 1703 ad Calendas Martii A. 1705 primum recensetur, nunc historiola maximi terræ motus Neapolitani A. 1688 subnectitur, nunc historia cum morborum communium & epidemiæ constitutionis, quæ annis istis Romæ regnavit, tum morborum in specie, quibus Norisius & Sfondratus, Cardinales, A. 1704 & 1706 succubuere, attexitur: e quarum illa modus haud silendus videtur, quo variolæ, in puero septenni retrocedentes ac lethalem pene spirandi difficultatem inferentes, felicissime ad cutis ambitum revocatæ fuerunt. Statim namque Noster jusserat totum fere corpus lanceola scarificari & appositis cucurbitulis hinc inde sanguinem ad libras duas educi, hocque educto puerum linteis calidis involvi & ad dormiendum disponi: mane autem totam cutem oleo amygdalarum dulcium cum spiritu salis armoniaci commixto curaverat oliniri, quo

 vario-

variolosæ materiæ eruptio ab interioribus ad exteriora promo-
veretur; nec sine effectu, variolis siquidem copiose denuo e-
rumpentibus, spirandi difficultas sensim desiit, puerque optime
convaluit. Neque dubitatur, quin petechiæ aliæque papulæ cuta-
neæ, ad interiora recurrentes, eadem scarificationum & inunctio-
num methodo ad exteriora queant revocari. Dum Norisii ejus-
que de Epochis Syro-Macedonum libri fit mentio, egregium quo-
que & perrarum e museo suo nummum producit Autor, nobis
TAB. VIII in Tab. VIII Fig. 1 delineatum, qui a L. BIBULO M. F. PRÆF. in
Fig. 1. honorem M. Antonii & Cleopatræ cusus, subscriptas habet li-
teras Δ Σ, Epocham Ægyptiorum ac Syrorum denotantes. Co-
lumnam potius Antonini Pii, cujus Romæ A. 1703 pariter de-
tectæ mentio simul fit, figuraque ex *Vignolo* additur, eo magis
silentio præterire liceat, quod egregium hujus *Vignoli* de
eadem opus proxime a nobis sit accuratius commemorandum.
Hinc paucis nonnulla perpenduntur, quæ ad systema de soli-
dis videantur necessaria, postquam iis responsum fuit, qui vel
duræ matris motum in externa & convexa parte debiliorem
esse, quam ut omnes membranas subjectas ad oscillationem
systalticam continuo possit impellere, vel ligata jugulari mo-
tum duræ meningis in externa parte cessare, animal tamen ali-
quamdiu superesse, objiciunt. Motum quippe matris duræ
ab innato & systaltico fibrarum elatere dependentem & a *Re-
aldo Columbo lib. 14 de Anatomica* primum descriptum, in cen-
tro magis ejus circa falcem & septa vigere, quam in periphe-
ria, annotatur. Quemadmodum vero œconomia corporis a-
nimalis & æquilibrium solidorum cum liquidis in collisione
calculi cum pelvis renum lateribus ad sensum turbatur, ita ad-
miratione dignum est; quod clyster, ex jusculo carnis & oleo
amygdalarum dulcium injectus & per sex horas retentus, cru-
deles quidem ex calculo dolores in aliquo ægroto sedaverit,
non tamen per alvum, sed totus cum urina secesserit oleum-
que urinæ innataverit. Nec ad innatum fibrarum elaterem
& portentosam oscillationem confirmandam parum confert
piscis ille molis maximæ, qui, vulgo *Requen* dictus, in toto O-
ceano Barbarico reperitur, dum, animali enecto caudaque, ca-
pite

TAB. VIII. ad A. 1707.
M. Sept. p. 412.



pite, corde ac visceribus omnibus resectis, truncus cadaveris sine liquidis, sine spiritibus, sineque visceribus per multum tempus adeo fortiter agitatur & concutitur, ut tres vel robusti homines illi detinendo vix sufficiant. Tandem Observationibus in dissertatione de vegetatione lapidum pro horum mollitie in matricibus ipsorum comprobanda prolatis, aliæ hic adduntur, marisque circulatio, multum ad lapidum nutritionem faciens & a pondere, tum proprio, tum salis ingeniti, tum aeris superincumbentis dependens, cum circulatione sanguinis ita comparatur, ut in sanguine non minus, quam in mari, quadruplex motus, primus ab oriente in occidentem, alter a septentrione in meridiem, tertius fluxus & refluxus, ac ultimus filtrationis, observetur.

DISQUISITIONES BIBLICÆ IN UNIVERSUM PENtateuchum, Autore R. P. CLAUDIO FRASSEN, Peronensi, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctore &c.

Parisiis, apud Petrum Witte, 1705, in 4.

Alph. 4 pl. 4.

IN Biblicis his super Pentateuchum Quæstionibus non ea Autoris mens & sententia est, ut in singulos Scripturæ textus pressius inquirat, eximia pietatis semina ex iisdem eliciat, aut ad speculationes mysticas controversiasque ad ingenia sacri belli classica canentium excogitatas istos detorqueat, sed ut obscuriores tantum libri cujusque textus pro virili illustret, loca in speciem pugnantia conciliet, graviores & Chronologicis tricis involutas controversias componat, & præcipua tandem sub literæ cortice latentia mysteria in lucem protrahat. Postquam enim idem hic *Frassenius* Biblicarum suarum Disquisitionum Tomum primum A. 1682, quo ipso anno ejus in Actis nostris p. 384 seqq. recensum dedimus, Parisiis jam tum evulgaverat, suarum duxit esse partium, ut relicto, in quo hactenus hæserat, sacri tabernaculi vestibulo, intimum istius sacrarium propius tandem sibi sumeret perlustrandum. Id vero ut justo & legitimo fieret ordine, in Tomo hoc Disquisitionum secundo ita rem omnem digerit, ut digna notatu in sacro textu occurrentia sub distinctis & Titulis & Quæstionibus erudite discutiat. Nos prioribus & ultimis

mis Geneſeos Capitibus, ubi ſeges Quæſtionum ſic ſatis ampla &
fœcunda reperitur, miſſis,ex iſtis tantum, quæ de Titulo CXLVII
p. 407 rite inſtruendo, ultimisque Jacobi ad filios directis verbis Au-
tor adnotat, pauca hic excerpemus. Cum enim, præter Judam
& Joſephum, nulli amplius pater moribundus benedixerit, Rube-
ni vero, Simeoni & Levi maledixiſſe, reliquisque futura ſolum-
modo annunciaſſe videatur, convenientius eſſe exiſtimat, ut Ja-
cobi Vaticinium potius, quam Benedictio, maxime cum בָּרֵךְ
maledictionis quoque ſignificatu quandoque gaudeat, Caput
hoc inſcribatur. Accurate præterea cum potiſſimum in finem
ſingula hic expendit, ut myſteria in vaticiniorum verbis latentia
clare magis ac perſpicue evolvat. In medio ita paginæ Rubenis
nomine, quam methodum & circa reliqua obſervat, poſito, &
Lectore admonito, quod in ſua ad filios adlocutione generatio-
nis & nativitatis ordinem Patriarcha ubivis fere negligat, in ver-
ba vaticinii plene ibidem expreſſa uberius demum inquirit. Exo-
dum, ne plura ex Geneſi cumulemus, ſub examen dehinc revo-
cans, ante omnia monet, quod centum & quadraginta quinque
annorum res geſtas liber iſte in ſe contineat. Hi ſi cum annis
2369 in Geneſi comprehenſis rite componantur, in proclivi eſſe,
quod a mundi creatione ad erectum usque tabernaculum anni
2514 defluxerint. Plurima inſuper & hiſtorica & aperta cum in
ſecundo hoc Pentateuchi libro recitentur, in iſtis ſolummodo,
quæ vel ad Theologicam rem ſpectare, vel ita reconditum &
abſtruſum habere videantur ſenſum,ut absque interpretis ore
erui vix poſſit, exponendis p. 426 ſeq. occupatum ſe eſſe vel-
le indigitat. In tertia, quæ Leviticus vocatur, operis Moſai-
ci parte, cum, ex Sorbonici Doctoris mente, facilem & obvi-
um ibidem quoque cuncta fere ingerant ſenſum, titulis ſive
ſummis Capitum hic neglectis, ſequentes quinque partes prin-
cipaliores, ſacrorum puta Miniſtrorum, ſive Levitarum, electio-
nem & functionem; immunditiarum & ab iſtis purgationum
ordines diſtinctos; ciborum delectum & multiplices
tandem leges præceptaque varia, tam Moralia, quam
Judicialia, perpendit. Legibus decem, quas Decalogus depin-
git, & ad quas aliæ innumeræ, velut rivuli ad fontes, referendæ
p. 614 ſeqq. ſunt, ordine propoſitis & declaratis, de Cerimonialibus Judæo-
rum

rum Festis, Neomeniorum scilicet, Paschatos, Pentecostes, Tu-
barum, Tabernaculorum, Scenopegiæ aliisque, de Judæorum
item senatu Sanhedrin, ejusque præside, de judiciis & pœnis p. 658 seqq.
istorum capitalibus, quibus & judicia & pœnæ subjunguntur
Ecclesiasticæ, multa lectu haud injucunda commemorat. Ad
quartum, qui a numeris apud Græcos & Latinos nomen habet,
Librum delatus, ibidem quoque plana quævis esse & aperta,
paucis tantum, quæ sub rudi & simplici literæ cortice maxima 671
foveant mysteria, exceptis, censet. Tribus interim partibus
principalioribus, in quas istum dispescit, constitutis, Capitum
singulorum summas & contenta, dubiis, si quæ moveri po-
terant, summotis, in subsequentibus explicat. Ad quintum eun- 717
demque ultimum Librum, qui ab Ebræis אלה הדברים *Hæc
sunt verba*, a Græcis δεύτερος νόμος, *Secunda Lex* nuncupa-
tur, tandem adnotat Autor, quod cum leges non paucæ novæ
ibidem proponantur, fusius & distinctius nonnullæ explicentur,
variæ item rerum circumstantiæ in historia antea prætermissæ
in theatrum producantur, pro simplici & nuda prius dictorum
& actorum repetitione aut Synopsi liber ille haberi nequeat.
Ceterum si per senium Autori integrum fuerit, in reliquos Sa-
cræ Scripturæ Libros similes deinceps lucubrationes editurus est.

LETTRES DE G. DESNOUES &c.

i. e.

*G. DESNOUES, ANATOM. ET CHIRUR. PRO-
fess. in Academia Bononiensi, ac Dn. GUGLIELMI-
NI, Medicinæ & Mathemat. Profess. Pataviensis at-
que Societ. Reg. Scientiarum Parisiens. Membri,
aliorumque Eruditorum Epistolæ de variis
Inventis novis.*

Romæ, apud Antonium Rossi, 1706, in 8.
Plagul. 16 Figur. tab. 3.

Fasciculus

FAsciculus hic sistitur Epistolarum, quas Dn. *Desnoues*, ex *Blegny Zodiaco Gallico* non ignotus, vel ad Dn. *Guglielmini* scripsit, vel ab hoc aliisque recepit, cum in Galliam rediturus, celebriores Italiæ urbes inviseret, postquam apud Genuenses Anatomici & Chirurgi munere ab obitu Dn. Lescot per tredecim annos esset functus. Argumentum vero earum tum varia Inventa & præparata Anatomica, tum observata nonnulla circa luem Veneream, cum aliis curiosis, constituunt, ceu quorum communicationem Dn. *Guglielmini* per sex Literas responsorias, Dn. *Nanni* autem, Anatomiæ Professor Bononiensis, per Epistolam unicam, reliquis præmissam, & Autoris receptionem in Academiam Bononiensem simul indicentem, a Nostro solicitaverat. Missis tamen nunc canalibus, quos Antonius Marchettis vel ductus thoracici, vel lienis, tabulis agglutinatos Patavii demonstrare solet, ceu satis dubiis: misso itidem Magnete artificiali, quem Joblot Parisiensis ex longarum chalybis laminarum congerie parare dicitur, utpote ab hoc cum Observationibus suis Magneticis aliquando divulgando; Autoris inventa potius & præparata Anatomica propria recensere liceat, adeoque innuere, quomodo ille tam duo cadavera, fœminæ novem menses gravidæ alterum, alterum fœtus contenti & ad egressum proni, præparare & vasa sanguifera universa, etiam capillaria, cera replere, atque conservare, quam Anatomiam artificialem invenire, partes solidas omnes cera exacte imitando, Genuæ sustinuerit. In gravidæ scilicet abdomine ad lineæ albæ ductum inciso, primum singularem uteri deprehendit figuram, alia occasione accuratius describendam & figura exprimendam; præter miram quippe longitudinem ejus ac latitudinem, media pars crassissima anterius convexa, posterius autem concava erat testiculis ad pedem a fundo uteri distantibus, qui in latere dextro intestinum colon, hepar & diaphragma in tantum elevaverat, ut pulmonibus vix ibi in thorace concederetur locus. Hinc pro ventriculo & intestinis mundandis aquam per coli extremitatem, e regione vulvæ perforatam, ut & per anum, curavit infundi; quemadmodum pro sanguine eluendo aquam per aortam nunc sursum, nunc deorsum, instrumenti Bartholiano non absimilis adjumento

mento injecit, exitum aquæ per tubulum epiſtomio inſtructum & venæ cavæ prope cor adaptum concedens. Tum ad vaſa exſiccanda ramulosque forte læſos detegendos aere impulſo, eoque rurſus per Antliam pnevmaticam exantlato, arterias cunctas ſpiritu vini rectificatiſſimo, cinnabari ſubtiliſſima tincto, replevit, ut minimi etiam ramuli apparerent rubicundi, quaſi cera rubra diſtenderentur; quippe quam liquefactam demum, ubi ſpiritus vini exhalaſſet & cadaver aquæ calidæ immerſum eſſet, ope ſyringæ magnæ lati orificii, cum clave probe calefactæ, per aortæ tam ramos ſuperiores, quam truncum inferiorem immiſit. Pro venis autem viridi cera implendis, hanc propter valvulas ſeorſim in venas manuum & pedum, ſinum longitudinalem, venam portæ, pulmonalem & coronariam cordis injicere habuit neceſſe. Nec in fœtus, ex utero per vulnus inflictum, cum placenta extracti, vaſis præparandis alium adhibuit modum, niſi quod arteriis cera replendis una injectio ſufficeret. Quo utriusque vero cadaveris viſcera, præter cerebrum, conſervaret, ſpiritu vini, in quo aliquid mercurii ſublimati diſſolutum erat, eadem non modo abluit, ſed & ſpiritum dictum in ventriculum & inteſtina injecit, eorumque vaſa innumera ſanguifera, a pinguedine liberata, non minus quam nervos & muſculos præparavit, omniaque ſæpiſſime deterſa vernice ſuccini, cujus præparandi, colorandi & uſurpandi ratio additur, obduxit: licet propter muſculorum & viſcerum figuram naturalem & flexibilitatem ſervandam in uſum quoque alias modò ſolutionem nitri vel ſalis armoniaci, modo ſpiritum terebinthinæ & lavendulæ vel tincturas aromaticas, modo ſpiritum vini & mercurium ſublimatum, conſueverit vocare. Aſt præterquam quod Autor parvas glandulas canaliculis excretoriis præditas & in duplici ſerie circa penis coronam diſpoſitas, glandularum itidem thyroidearum ductus ſingulares adinvenerit, ſuo tempore cum aliis Obſervationibus Anatomicis communicandos, multum imprimis in Anatomia artificili perficienda, qua cunctæ partes ſolidæ, naturalibus per omnia ſimiles, e cera exacte repræſentarentur, deſudavit, opera ad id primum Abbatis cujusdam Siculi, Zumbo, deinde Franciſci de la Croix uſus, ceu qui Anato-

men mulieris gravidæ ab illo inceptam adeo feliciter perfecerit, aliasque inceperit, ut experientissimi etiam Anatomici partes ejusmodi, ceris pictas, pro veris & naturalibus habuerint, atque vel Ruyschii præparatis anteposuerint. Hac occasione Abbatem dictum, Anatomiæ prorsus rudem & Parisiis postea mortuum, multæ iniquitatis arguit, quod varias partes pro se elaboratas clam imitatus fuerit, ædesque suas relinquens inchoata haud absolverit, sed caput artefactum Societati Regiæ Parisiensi, tanquam Autor talis Anatomiæ artificialis, obtulerit, in Historia hujus Societatis A. 1701 a Dn. Fontenellio commemoratum. In luis Venereæ curatione duplicem sæpe committi errorem insignem annotat, alterum ab ægrotis, vel morbum gallicum, quo non laborant, suspicantibus ejusque remedia generosiora postulantibus, vel e diverso, etiamsi morbo isto toti corrupti fuerint, eundem tamen nihili facientibus & in remediis levioribus atque palliativis acquiescentibus; alterum ab iis, qui dictæ luis medelam suscipiant, nec eam, nec remedia ejus satis cognoscant, sed ægros tales omnes una eademque tractent ratione. Ex multis autem observatis, in diversis cadaveribus a morbo Venereo jugulatorum factis, & cum aliis de lue ejusmodi Observationibus aliquando edendis, non nisi fœminam quandam memorat, quæ alias formæ spectatissimæ de summa cephalalgia continua unice conquesta fuerit, mortua nihilominus internas ani partes gangræna fere erosas, orificium uteri internum, (in quo seminis olim receptacula parva detexit, a *Blegny Zodiac. Gall. A. 3 p. 21* annotata,) ulcere obsessum, cranium cariosum & ossis tibiæ alterius exostosin, reliquis partibus salvis existentibus, spectanda præbuerit. Empyricorum tum mentionem injiciens, arcana in lue Venerea aliisque morbis jactantium, lepidam historiam de Advocato quodam delirante, atque a similis furfuris homine primum tractato, recenset, eo magis mirandam, quod talis sanitati restitutus omnium, quæ delirii tempore locutus vel molitus fuit, exactam habuerit memoriam. Tandem quemadmodum Epistolæ octavæ Dn. *Bianchini* Relatio annectitur de igne, quem mons, *Pietra-mala* Italis vocatus, evomit, ita Epistola nona & ultima plura curiosa, v. g. de novis

tele-

telescopiis inventis, de acidis a calumniis Recentiorum vindicatis, *Mistichelli*, Medici Romani, Epistolam ad *Autorem* de foetu quodam monstroso, de mirandis nonnullis terræ motus Aquilæ & Nursiæ observati effectibus, de novis in Auditus organo inventis, de facili columnam magnam erigendi & demittendi modo, a *Iosepho Campani* invento, Excerpta denique literarum, quas *Iohannes Borghesi*, Medicus, de Patriarchæ Antiocheni itinere cum variis curiosis Physicis & Anatomicis ad Paulum Manfredi, primarium Papæ Medicum, e Pondiscerio exaravit, Romæ impressarum, complectitur. Ex his singularem Nervi acustici tractum, in modum filamenti auris internæ cochleam & labyrinthum percurrentis atque ad cerebrum revertentis, quem ex industrii *Simoncelli*, Anatomici & Chirurgi Collegii Universitatis Romanæ, libro de Auditus organo, quam primum in lucem emittendo, *Dominus Mastichelli*, Medicus, ad Nostrum perscripsit & depinxit, innuisse & figuram huc transtulisse suffecerit. Digna quoque consideratu est figura altera, quæ repræsentat machinam *Campanianam* ingentibus columnis aut ponderibus quibusvis aliis erigendis & demittendis aptam, in qua A denotat columnam elevandam, B C trabem transversam cum 21 trochleis, D 20 trochleas alias, E axem cum rota dentata & cochlea perpetua. Nec possumus non adhuc monere, *Iosephum Campani*, qui ob insignem lentes telescopicas exactissime elaborandi artem jam ab anno 1664 famam maximam consecutus, affirmare, se novum reperisse artificium a tubi optici molimine telescopia liberandi, ab *Hugeniano*, A. 1684 p. 363 & seqq. nobis commemorato, prorsus diversum, tamque facile ac simplex, ut una persona omnem apparatum huc requisitum de loco in locum commode transferre queat, quantacunque sit lentium longitudo. Immo asseverat, se hujus artificii ope per telescopium 30 pedum ex distantia 15 milliarium Italicorum indicem horologii; ex distantia fere 18 milliarium Italicorum armarium in hypocausto radiis solaribus illustrato per telescopium 100 pedum distinctissime vidisse. Ast insigne hoc inventum non publicaturus est, nisi soluta a Principe quodam certa pecuniæ summa. Simile artificium sibi innotuisse jam-

TAB. VIII Fig. 2.

Fig. 3.

se jamdudum professus est Illustris Dn. *de Tschirnhausen* in Actis nostris A. 1699 p. 447. Optandum vero, ut uterque suum cum publico communicet, ne re utilissima diutius careamus: quo facto apparebit, quantum inter utrumque inventum discriminis intercedat.

ARS NOVA AD AQUAM IGNIS ADMINICULO efficacissime elevandam, Autore DIONYSIO PAPIN, M.D. Matth. P. P. Marb. Consil. Hassiaco ac Regiæ Societ. Londin. Socio.

Francofurti ad Mœnum, 1707, in 8.
Const. plag. 6 & tab. æn. 1

EXhibuimus A. 1700 Mense Januario p. 29 & seq. machinam a *Thoma Savery* inventam, quæ aquam ope ignis attollit. Quare cum similem adinvenerit ingeniosissimus *Papinus*, quam *Saveriana* perfectiorem esse contendit, ut ejus quoque descriptionem Actis nostris inseramus, res ipsa postulare videtur. Eruemus eam ex libello de hac machina edito, simul indicaturi, quænam præterea ab Autore pertractentur. Ecce tibi integram machinæ fabricam. AA est vesica cuprea, quam *Retortam* vocat Autor. Diameter ipsius in medio 20 digitorum & paulo plus, altitudo 26 dig. Includitur ea fornaci lateritio, cujus superficies externæ 30 dig. a se invicem distant, lateribus ab utraque parte 3 dig. spatium replentibus, & Retorta AA in medio posita, 2 dig. undiquaque a fornacis parietibus distante. Per tubum CC Retortæ afferruminatum aqua infunditur, qui tantæ longitudinis, ut crassitiem fornacis pervadat & nonnihil supra emicet, foramine tamen fornacis ibi probe obdurato, ne ignis illac erumpere possit. Vapores ex Retorta ascendentes per tubum recurvum BB in antliam DD deferuntur, pistillum FF depressuri & aquam infra stagnantem expulsuri. Ita vero construi debet fornax, ut tubi AB maxima pars in igne contineatur, epistomio E, per quod vaporibus erupturis via aperitur, fornaci quam proximo collocato

cato, ut vapores ſatis calidi in antliam DD deriventur, idcirco in minima poſſibili a fornace diſtantia firmandam. Relinquenda etiam eſt inter lateres & tubum unius digiti diſtantia, igni tamen nullo exitu conceſſo, niſi per exiguum foramen, cujus margines ſatis ſunt alti, ut tubus AB ibi latens non impediat, quo minus dictum foramen operculo impoſito exacte obſcurari poſſit. Antliæ DD ex cupro paratæ diameter eſt 20 dig. & piſtillum FF, qui eſt cylindrus cavus ex metallo ubique exacte clauſo, 15 digitorum altitudinem percurrit. Tubi II ſuperius orificium L apertum eſt, inferius clauſum, quo ferrum candens intromitti poſſit, quod in ſuperiore antliæ parte ſuſpenſum vaporum in antliam irruentium calorem ac vim auget. Per axem cylindri is tranſit ipſiusque fundo & operculo exacte afferruminatur, ne aquam intret. Orificium ejus L, itemque tubus CC laminis metallicis accurate elaboratis exacte clauduntur, dum foraminibus impoſitæ vi ponderum appenſorum *a* ſtatim fortiter comprimantur. Tubus GG, per quem aqua in antliam defluit, tam amplus ſit, ut in anguſtiſſima parte ſit 7 digitorum. Orificium ejus G 6 dig. ultra epiſtomium *n* elevatur, ut per hoc vaſe, DD pleno, aqua effluat. Valvula in S poſita aquæ in antliam DD tranſitum concedit, ſed regreſſum impedit: ſicuti valvula in T aſcenſum aquæ in vas NN permittit, ſed regreſſum in antliam prohibet. Anguſtiori extremo tubi HH annectitur tubus MM, cujus maxima pars intra vas cylindricum NN continetur. Altitudo vaſis 3 pedum, diameter 23 digitorum. Aqua, per tubum MM in vas NN propulſa, aerem in eo contentum coarctat & per epiſtomium XX adapertum, cujus diameter eſt $2\frac{1}{4}$ dig. jugiter erumpit. Huic annectitur tubus, per quem aqua in locum commodum deducitur, unde quam efficaciſſime in rotam circumagendam impingere poſſit. In loco YY firmatur epiſtomium, quo aperto tota aqua inter valvulam T & epiſtomii orificium Y incluſa elabitur. Aere igitur in aquæ elabentis locum ſuccedente, clauſo rurſus epiſtomio YY, prima machinæ operatio, aquam ex DD per HH impellens, aerem iſtum

 neceſſario

ciproce semper proportionales sint viribus contranitentibus. Omnes porro in machina animali motus, ad vitam præcise spectantes, perennante eadem esse continuandos ac reciprocis itibus reditibusque perficiendos; cor autem unicum prædicto- rum motuum principium esse, nec aliud esse posse, in Propo- sitione secunda & tertia, tam ratione, quam experientia, osten- ditur. Et cum motus ventriculorum cordis motibus auricula- rum & arteriarum reciproci annotentur in Propositione quarta, Propositio quinta circa causam ostensorum in corde motuum, ex organica cordis & arteriarum structura inveniendam, tan- quam præcipuum, difficillimum licet, problema, occupatur. In reliquis denique Propositionibus quatuor, vel inspirationis & exspirationis in respiratione alternatio, seu, quod idem est, costarum elevatio & depressio a causarum elevantium & depri- mentium alternatim sublato & restituto æquilibrio, vel motus re- ciprocus diaphragmatis & musculorum abdominis ab æquilibrii alterna itidem destructione & restitutione, vel motus ventricu- li omniumque in abdomine contentorum viscerum oscillatorius a diaphragmatis & musculorum abdominis reciprocatione, vel sinuum venosorum alterna contractio & expansio, partim ab sinuum venosorum alterna contractio & expansio, partim ab alterna evacuatione scite rteriarum confinio, partim ab alterna evacuatione scite deducitur.

NOVA LITTERARIA.

BErnardum Montfaucon *Palæographiam Græcam, sive de ortu & progressu characterum Græcorum, & de variis omnium sæculorum scriptionis Græcæ generibus, additis figuris & schematibus,* Parisiis proxime prelo subjecturum, e litteris Amici accepimus. Nec ingratum forte Lectoribus futurum est, si brevem totius li- bri sciagraphiam hoc loco inseramus. Dividitur opus Libris sex, quorum primo, qui *de Instrumentis Græcorum ad scriptio- nem, de chartis, de libris, de amanuensibus & eorum notis* inscri- bitur, de atramento, & aliis liquoribus ad usum Græcorum, de picturis codicum ad rerum repræsentationem, de chrysogra- phia, (ubi & de instrumentis arandi & scholiaste Hesiodi MSpto) de philyra, tilia, papyro Ægyptiaca, charta plumbea, tabel- lis

lis ceratis, charta elephantina, coriacea, membranea & de bombycinæ usu ac vetustate, de pugillaribus & de libris linteis, porro & de stylo, calamo & penna (qua occasione schemata S. Lucæ & Halicarnassæi scribentium ex antiquis exemplaribus deprompta exhibentur) de nominibus & forma librorum, sive interius, sive exterius spectata, de operimentis, scilicet quaternionibus, de columnis, de distinctionibus, de interpunctione, ac ejus ortu, & carptim de prosodia, de contaciis & diptychis, de Scribis etiam & Amanuensibus, de Calligraphis nimirum & Notariis, de Chrysographis variisque Calligraphorum ritibus & notis agitur. Unde porrro in eodem Libro notæ ac nomina Calligraphorum a tertio sæculo ad decimum sextum adduntur, & de regionibus quoque ac locis, ubi Græca scriptio frequentata fuit, quædam adnotantur. Liber secundus, *de Origine literarum Græcarum & progressu earundem usque ad quintum a Christo nato sæculum* inscriptus, literarum Græcarum originem ex Phœnicibus derivat, & præter literarum priscam formam ac schemata marmorum Baudelotiani & Farnesiani, charactere Jonico veteri scriptorum, alphabetum ex marmore Grimano, alphabeta item ex nummis Antiochorum & Ptolemæorum, siglasque & monogrammata exhibet, ubi & de mutationibus, quæ primis Imperii Romani temporibus in Græcis literis factæ sunt, nec non de Abraxeis figuris & literis, de schematibus animalium Deitatumque Ægyptiarum, earumque commixtione cum Christianis mysteriis, quibus adduntur alphabeta Basilidianorum Græca, ut & inscriptiones Ancyranæ, quarum pars inedita, aliaque Græca ad Augustorum priora sæcula pertinentia. Libro tertio, *Exempla librorum antiquissimorum, unciali charactere quinto sextove sæculo scriptorum*, complexo, ubi de vetustissimis libris membraneis agit Auctor, in quibus characteres unciales alii quadri, alii rotundi sunt sine accentibus, specimina codicum, Colbertini, Regii, Cæsarei & Basiliani, producit, pariterque duorum codicum, Dioscoridis Cæsarei, qui sexto ineunte sæculo, curante Juliana Augusta, scriptus est cum figuris, & Neapolitani paris ætatis, nec non codicis Græci corticei Turonensis, sine accentibus & spiritibus scripti. Inde ad

de ad codices septimi sæculi pergens purpureum Neapolitanum cum accentibus, exemplum item codicis Colbertini, specimina exemplarium, Regii & Sangermanensis, & alphabetum Psalterii Murbacensis exhibet, ac denique noni quoque sæculi specimina Græca apud Latinos ex Psalterio Monasterii Sancti Michaelis in Lotharingia, quod Sedulii Scoti manu exaratum fuit, aliisque codicibus affert. *De Characteribus* porro *ligatis sive ductu calami conjunctis* Libro IV agens, formam scriptionis Græcæ noni ac decimi sæculi e codicibus, Florentino & Patavino, explicat, plurimaque decimi inprimis sæculi specimina a se invicem diversissima propinat, & de Cryptographia quoque Græcorum erudite disserit. Denique in eodem Libro sæculorum, undecimi, duodecimi, decimi tertii & decimi quarti specimina notatu dignissima producit, quibus Libro quinto *Tabulas* omnium formarum Græcæ scriptionis, abbrevationum item, nominum propriorum, aliarumque (qua occasione de sphalmatibus per abbreviationes in exemplaria edita invectis agit) & monogrammata, demumque Libro sexto *Diplomata* quædam *Græca*, quæ Regnum Neapolitanum concernunt, subjungit. Accedit ultimo loco Descriptio montis Atho a Joanne Comneno Græco vulgari idiomate edita, & nunc Latine versa cum gemino montis prospectu in schemate delineato. Hæc fere Operis anecdoti contenta sunt, quod ut ipsum doctissimus Benedictinorum Montfauconius brevi emittat, boni publici causa optamus Ejusdem Autoris *Novam Collectionem Græcorum Patrum*, quam superiori anno duobus Voluminibus in folio, quod ajunt, vulgavit, proxime in Actis nostris exhibebimus. Prodiit & nuper Parisiis nova Dictionarii Moretiani editio, quam Angelus (le P. Ange) Exprovincialis Ordinis Discalceatorum D. Augustini centum quinquaginta articulis auxit, qui & passim opus supplevit, quanquam nulla ejus mentione facta, huic quoque editioni Valterii (Vautier) nomen sit præpositum. Vir celeberrimus, Ludovicus Ellies du Pin, absoluta nuper Bibliotheca Ecclesiastica, eaque ad Sæculi XVII finem deducta, quam tamen partem ut typis vulgaret, impetrare hactenus non potuit, nunc in eo est, ut eodem modo edat Biblio-

bliothecam Profanam, in qua ſcriptores hiſtoriæ civilis producet. Novam etiam doctiſſimi Patres Benedictini Operum S. Irenæi editionem parant, in qua collatis non paucis Italicis Gallicisque MSptis, fragmenta plurima antea non viſa producent, Diſſertationes etiam de difficilioribus Irenæi locis & Notas ſubinde addituri. Ceterum aliquot viros eruditos Gallia luget, quos inter Paulus Pezron, Vir eruditisſimus, ſuperiori jam anno decesſit; hoc ipſo vero, die 11 Jan. Petrum Silvanum Regis, Philoſophum egregium, die 27 Febr. Adrianum Baillet, Polyhiſtorem ſummum, & die 19 Aprilis Abbatem Gallois, inſigne decus Academiæ Scientiarum, mors ſuſtulit. Quibus addunt Ludovicum Couſin, Curiæ monetariæ Præſidem, & Diarii Eruditorum per complures annos ſcriptorem, quem Bibliothecam octo millium voluminum una cum ingenti pecuniæ ſumma, cujus cenſus annui emendis libris impendentur, S. Victoris Bibliothecæ legaſſe, teſtatur Autor novi *Diarii Europæi Hiſtorico-Litterarii*, cujus hoc anno *Trimeſtre* I Latino idiomate prodiit *Luxemburgi, apud Andream Chevalier*, in 8. Unde & diſcimus, Autores Diarii Pariſienſis ſub finem Januarii hujus Anni Supplementum quoddam *(le Supplement du Journal des Scavans)* edere cœpiſſe, cum ipſo Diario menſtruatim deinceps continuandum.

Romæ prodiere nuper admodum *Commentarii Hiſtorico-Dogmatici in librum S. Auguſtini de Hareſibus ad Quodvultdeum, digeſti atque illuſtrati labore & ſtudio Laurentii Cozza a S. Laurentio, Ord. Min. Pars prima, continens hæreſes XXII a Simone Mago usque ad Marcionem, adjecta ad calcem cujuscunque hæreſis collatione cum Recentiorum Evangelicorum hæreſibus. Romæ, typis Georgii Plachi, 1707, in fol.* nec non *Tractatus de Poteſtate Jurisdictionis ſeu de Regimine Animarum, ac de Jurisdictione contentioſa, & quomodo Prælatis inferioribus ex privilegio & præſcriptione competere valeat, Autore Carolo Antonio de Manentibus. Romæ, apud Franciſcum Gonzagam, 1707, in 4to,* quo in libro inter alia auctor diſerte aſſerit, Romano Pontifici Principes & Reges omnes non tantum in ſpiritualibus, verum etiam in temporalibus ſubeſſe, eumque pro lubitu

 illis

illis bellum movere, eosdemque Regia dignitate privare posse. Meliora Medicorum Filii ex Italia proxime exspectant. Prodiere enim *Jo. Mariæ Lancisii, Intimi Cubicularii & Archiatri Pontificii, de Subitaneis Mortibus Libri duo. Romæ, typis Jo. Franc. Buagni, 1707, in 4:* item *Dominici Guilielmini, Philosophi & Medici Bononiensis, in Patavino Lyceo Medicæ Theoricæ Professoris Primarii, Exercitatio de Idearum vitiis, correctione, & usu ad statuendam & inquirendam Morborum naturam. Pat. apud Jos. Coronam, 1707, in 8.* Inprimis vero multa nobis promittuntur de *Jo. Baptista Morgagnio, Foroliviensi*, quem Amicus quidam noster spectatissimæ indolis acerrimique ingenii juvenem & magnum decus Academiæ Philosophicæ, quæ Bononiæ in ædibus Comitis Aloysii Marsilii instituta est, vocat. Ejus *Adversaria Anatomica Bononiæ, typis Ferdinandi Pisarri, 1706, in fol.* prodiere. Præterea nuntiavit nobis Illustris MAGLIABECHIUS, Romæ Franciscum de Ficoroni opus de Antiquitate Romæ per vetusta monimenta probata, ut & Observationes in Diarium Italicum Bernardi de Montfaucon proxime publicaturum. De nova C. Cornelii Taciti Operum editione, quam se parare, publica scheda significavit Natalis Feltrinus, Bibliopola Venetus, non attinet multa referre, cum editionem Parisiensem, a Gulielmo Pichon anno 1682 in usum Delphini quatuor tomis adornatam, unice sequi constituerit.

In Anglia publicam demum lucem adspexit Novum Testamentum, cui edendo per complures annos Johannes Millius S. T. P. insudavit. Titulus hic est: Η ΚΑΙΝΗ ΔΙΑΘΗΚΗ *Novum Testamentum cum lectionibus variantibus MSS. Exemplarium, Versionum, Editionum, SS. Patrum & Scriptorum Ecclesiasticorum, & in easdem Notis. Accedunt Loca Scripturæ parallela, aliaque* ἐξηγητικά, *& Appendix ad variantes lectiones. Præmittitur Dissertatio, in qua de Libris N. Testamenti & Canonis constitutione agitur, historia S. Textus Novi Fœderis ad nostra usque tempora deducitur, & quid in hac editione præstitum sit, explicatur.* Prodiit & Londini opus ingens, Scriptores historicos præcipuos, qui de rebus in Anglia usque ad tempora Wilhelmi III gestis scripserunt, complexum, tribus Voll. in folio, cui edendo

edendo plures bibliopolæ sumtus suppeditarunt. Celeberrimus Bibliothecæ Bodlejanæ Præfectus, Jo. Hudson, jam in eo est, ut & tertium Geographorum veterum Tomum colligat, & Josephum, in quo tot viri eruditi frustra hactenus operam insumpserunt, quam emendatissimum demum producat. Humfredus Hody, quem superiori anno e vita excessisse accepimus, librum post se reliquit de *Progressu linguæ Græcæ post captam Constantinopolin*, quem proxime proditurum, Amicorum litteris docemur.

Amstelædami Samuel Halma magnum illud Gruteri Inscriptionum opus multo auctius imprimit hoc titulo: *Inscriptiones antiquæ totius Orbis Romani, in absolutissimum corpus redactæ, olim auspiciis Josephi Scaligeri & Marci Velseri, industria autem & diligentia Jani Gruteri, nunc curis secundis ejusdem Gruteri, & Notis Marquardi Gudii emendatæ, & tabulis æneis a Boissardo confectis illustratæ: denuo cura Viri summi, Jo. Georgi Grævii, recensitæ. Accedit Adnotationum Appendix & Indices XXV emendati & locupletati, ut & Tironis Ciceronis Lib. & Senecæ Notæ.* Recuduntur ibidem Ossati Cardinalis Epistolæ, plurimis notis denuo ab Ameloto auctæ, cujus alteram partem traductionis Operum Taciti in manibus Casparis Fritschii, Bibliopolæ Amstelædamensis, esse, mox in Belgio prælo subjiciendam, hac occasione monemus. Prodiit tandem Antverpiæ doctissimorum Virorum, Henschenii, Papebrochii, Baertii & Janningi, cura Tomus quartus *de Actis Sanctorum Junii*, postquam dimidia sui parte & amplius impressus propter suborta bella latuit per quinquennium. Hic tomus (utimur verbis in Synopsi nuperrime publicata expressis) diem vigesimum Junii & quatuor sequentes complexus, continet Acta Sanctorum nominatorum CLXI; Anonymorum, certo numero definitorum, ultra quinque millia; ad alios Tomos, vel jam excusos, vel deinceps excudendos relatorum CCXV; & aliorum XC omnino prætermissorum, donec de publico & legitimo eorundem cultu constet. Inter reliqua eminent, quæ & seorsim impressa prodiere, *Acta B. Aloysii Gonzagæ*, de quibus suo tempore dicemus.

Hamburgi sub prælo est dudum desideratum Vincentii Placcii opus posthumum de Anonymis & Pseudonymis, octies millena amplius scripta continens, quod spissum satis Volumen in forma folii conficiet. Miserat illud Auctor moribundus Viro Cl. Gerhardo von Mastricht, Urbis Bremensis Syndico, qui ad opus hoc absolvendum Placcio auctor fuerat, &, ut alii plures, symbolas multas contulerat. Is cum inde a morte Placcii, quæ in annum 1697 incidit, in Belgio & Germania typographum frustra quæsivisset, demum testamenti Placciani executoribus MSptum remisit, ut ipse testatur in erudita ad Virum Cl. Burcardum Gotthelff Struvium Epistola, quam hic secundæ editioni Introductionis suæ ad Notitiam Rei Litterariæ integram inseruit, pag. 163. Ergo demum imprimendum suscepit Godofredus Liebernückel, nullis parsurus sumtibus, ut quam emendatissime omnia prodeant. Prolegomena, in quibus præter alia de Auctoris Vita & Scriptis aliis notatu digna tradentur, præmittet Vir summe Reverendus, Jo. Albertus Fabricius, qui idem nuper Tomum II seu Librum III Bibliothecæ Græcæ vulgavit & jam Tomum etiam III typographo tradere cœpit. Præterea Henricus Wilhelmus Meyerus, typographus Lemgoviensis, edita Epistola, eruditis nuntiavit, se proxime Lemgoviæ editurum B. Christiani Donati, Professoris quondam Philosophi Vitembergensis, Commentarium in Theologiam Positivam Jo. Friderici Kœnigii, sub tit. *Kœnigius illustratus*, quod opus non exiguæ molis futurum testatur, septem nimirum aut octo plus minus Alphabetis, quarti ordinis, constans. Dignissima quoque esset, quæ lucem adspiceret, *Iurisprudentia Gentium communis*, auctore celeberrimo quondam Viro, Davide Mevio, S. Regiæ Maj. Suec. a Secretis Consiliis & Vice-Præside summi Tribunalis Wismariensis, quem fœtum Eruditis nequaquam invidebunt hæredes, quod publice hoc loco a nobis indicari voluerunt. Quanti autem usus hic liber sit futurus, vel e *Prodromo Iurisprudentiæ communis Gentium*, jampridem ab Auctore vulgato, & deinde sub tit. *Nucleus Iuris Naturæ & Gentium* recuso, unusquisque facile intelliget. Quin & Auctor jam tum anno 1656 in eleganti Epistola, ad Comitem Oxenstiernium data, uberi-

uberius institutum hoc explicavit, quod esset nimirum præcepta traditurus omnibus gentibus communia, e quibus justi & injusti definitiones atque differentias haurire adeoque ex immoto tali fundamento, inter omnes Gentes per commune quoddam vinculum obfirmato, certum de jure, ex quo omnia certa fieri debent, judicium & disciplinam efficere constituerit. Qua in re tentasse aliquid fatetur Seldenum, Hobbesium, Gerardum de Roo & Hugonem Grotium, qui tamen juris fontes non omnibus, verum aliquibus tantum materiis applicaverint. Tribus vero partibus Opus divisit, quarum prima de jure eorum, quæ habentur, secunda de iis, quæ debentur, tertia de juris prosequendi & defendendi mediis tanta cura egit, ut nihil ex omni jure prætermissum videatur: singula vero Capita hic recensere nostri instituti ratio non patitur. His hactenus loca amplius mille e recentioribus Auctoribus inseruit Dn. de Engelbrechten, Mevii Gener, Consiliarius Status & Vice-Director Judiciorum Suecicorum in Bremensi & Verdensi ditione, quocum Stadæ de editione libri utilissimi conferre poterunt, qui ejus imprimendi curam in se suscipere velint. Ceterum vel publica fama innotuisse hactenus Eruditis putamus, quantam sub initium hujus anni jacturam passi simus, Viro celeberrimo, L. Ottone Menckenio, Moralium in Academia Lipsiensi Professore, die 29 Januarii paralysi e medio sublato, quippe qui in ordinandis publicandisque his Eruditorum Actis inde a primis initiis indefessam operam posuit, atque integros tomos triginta vidit absolutos. Uti vero alia forte occasione de ejus vita paulo uberius dicemus, ita certiores interim Lectores facimus, nos in instituto hoc, more nostro, quem hactenus erudito Orbi non displicuisse cognovimus, deinceps strenue perrecturos.

LIBRI NOVI.

Strabonis Rerum Geographicarum Libri XVII. Accedunt huic editioni, ad Casaubonianam III expressæ, Notæ integræ G. Xy-

G. Xylandri, If. Casauboni, F. Morellii, Jac. Palmerii, selectæ vero ex scriptis P. Merulæ, I. Meursii, Ph. Cluverii, L. Holstenii, Cl. Salmasii, S. Bocharti, If. Vossii, E. Spanhemii, Ch. Cellarii, aliorumque. Subjiciuntur Chrestomathiæ Græc. & Lat. Amstel. apud Jo. Wolters, 1707, fol.

Onomasticon Urbium & Locorum S. Scripturæ: seu, Liber de Locis Hebraicis, Græce primum ab Eusebio Cæsareensi, deinde Latine scriptus ab Hieronymo, opera Jacobi Bonfrerii. Recensuit & animadversionibus suis auxit Joannes Clericus. Accessit huic editioni Brocardi Monachi Descriptio Terræ Sanctæ. Amstel. apud Franc. Halma, 1707, fol.

Le Pitture Antiche delle Grotte di Roma, e del sepolcro de' Nasoni, disegnate da Pietro Santi Bartoli e Francesco Bartoli, descritte & illustrate da Gio. Pietro Bellori e Michelangelo Causei dela Chausse. In Roma, 1706, fol.

Della Eloquenza Italiana, Ragionamento di Giusto Fontanini, steso in una Lettera all Ill. Sig. Marchese Giangiuseppe Orsi, aggiuntovi un Catalogo delle opere piu eccellenti, che sono scritte in Lingua Italiana. In Roma, per Fr. Gonzaga, 1706, 4.

Lettere de diversi Autori in proposito delle Considerazioni del Marchese Giovan Gioseffo Orsi sopra il famoso Libro Franzese intitolato: *La Maniere de bien penser*. In Bologna, per Constantino Pisarri, 1707, 8.

Eere van de Nationale Synode van Dordregt. Tweede Deel. Door Jacobus Leydekker. t' Amsterdam by Isaak Stokmans. 1707, 4.

Guilielmi Rabi, Jurisconsulti, Carminum Liber primus. Roter. apud Jo. Hofhout, 1707, 8.

Fables nouvelles, par L. S. de Ruisseau. A la Haye, chez la Veuve d' Abr. Troyel, 1707, 8.

Odes de Mr. de la Motte avec un Discours sur la Poesie en general, & sur l' Ode en particulier. A Amst. chez L. Renard. 1707, 12.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Octobris, Anno MDCCVII.

STRABONIS RERUM GEOGRAPHICARUM Libri XVII, cum notis integris & selectis virorum doctorum, cura THEODORI JANSSONII ab ALMELOVEEN.

Amstelædami, apud Joann. Wolters, 1707, fol. Alph. 16.

STrabonis editiones omnes, Aldinam A. 1516, Marci Hopperi Basileensem A. 1549, Basileensem item Gul. Xylandri A. 1571, luculenta eaque iterata obfuscaverat editio Is. Casauboni, cujus prioribus curis Paris. 1587, posterioribus post fata ejus, loco eodem, A. 1620, una cum observationibus Fed. Morelli, lucem Strabo adspexerat. Qua etiam editione in illa MSS. Codicum ejus autoris raritate, aliorumque ad eum ornandum spectantium subsidiorum defectu, contenti fuere hucusque eruditi, fuissentque ulterius; ejus tamen etiam caritas novæ editionis adornandæ Bibliopolæ Amstelædamensi non incelebri animum injecit. Qui cum ei operi perficiendo adjutorem Clarissimum Janssonium, aliis meritis Reipublicæ litterariæ satis commendatum, sibi adscivisset, illius autoritate effectum est, ut textus Strabonis juxta cum versione exactissime juxta ultimam Casauboni editionem repræsentaretur, chartæ typorumque nitore non contemnendo, in reliquis nulla alia mutatione admissa, nisi ubi, operarum forte typographicarum vitio, verba quædam vel omissa vel in deterius mutata ex Aldi Hopperique editionibus deprehenderentur; quæ vel ipsi textui restituta, vel loco inferiore subjuncta fuerunt. Eodem loco majore Lectorum commoditate integræ

conſpiciuntur G. Xylandri, Iſ. Caſauboni, F. Morelli & Jac. Palmerii ad Strabonem notæ, quibus admiſta legitur haud exigua obſervationum, ex ſcriptis omnis generis Virorum doctorum collectarum, quæ illuſtrando quidem Straboni inſervire queant, farrago: P. Merulæ inprimis, J. Meurſii, Ph. Cluverii, L. Holſtenii, Cl. Salmaſii, S. Bocharti, Iſ. Voſſii. Ez. Spanhemii, & C. Cellarii, nuper eheu noſtri. Id inprimis opera etiam data eſt, ut loca Veterum, a Caſaubono ex minus probatæ fidei exemplaribus repræſentata, emendata magis ex editionibus præſtantioribus ſiſterentur, librorum capitibus, paginis, ut facilius inveniri poſſent, etiam additis. In fine Operis *Chreſtomathiæ* Strabonianæ ſubjiciuntur, prout in Geographis antiquis Oxonii nuper fuere excuſæ, quam ob cauſam & H. Dodwelli de iisdem diſſertatio inter cetera Prolegomena recuſa comparet. Cuivis porro libro ejus præmittitur argumentum, & ad calcem Græcæ ὑποθέσεις, perinde ac factum in editione Caſauboni, ſubjiciuntur. Indices quoque iidem plane, qui in Caſauboniana, ita, ut ne paginis quidem indicatis, quibus reperire ſit autores Straboni allegatos, hic aliquid fuerit innovatum.

COLLECTIO NOVA PATRUM ET SCRIptorum Græcorum, EUSEBII CÆSARIENSIS, ATHANASII, & COSMÆ ÆGYPTII, in duos Tomos diſtributa & adornata a D. BERNARDO DE MONTFAUCON, Presbytero & Monacho Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri.

Pariſiis, apud Claudium Rigaud, 1707, in fol.

Conſtat Tomus I Alph. 9, Tomus II Alph. 8.

GLoriam, quam in Editione Athanaſii Pariſienſi ultima cum Presbyteris & Monachis e ſuo Ordine aliis communem habuit, ſolus nunc tuetur eruditiſſimus Montfauconius, quando Triumvirorum ſanctitatis & doctrinæ laude celeberrimorum opera, in tenebris quaſi hactenus ſepulta, primus ex Manuſcriptis Codicibus Græcis, Italicis Gallicaniſque eruit, Latine ver-

vertit, Notisque & Præfationibus, istarum plurimas complexis, illustravit.

Agmen ducit *EUSEBIUS CÆSARIENSIS*, cujus *in Psalmos Commentarii* Tomum primum integrum constituunt. Hos Eusebius quidem ipse in scriptis suis aliis nuspiam allegavit, laudavit tamen eos Hieronymus, ac meminere eorundem Theodoretus & Gelasius. Hieronymus versionem eorum Latinam Eusebio Vercellensi tribuit, verum ista interpretatio jamdiu interiit, unde ejus diligentiam ut æmularetur Noster, opus habuit. Ante omnia vero hic Græcum textum e variis codicibus manuscriptis nulla sui parte mutilum ut exhiberet, studuit, inque Præfatione de variis ad hoc opus attinentibus erudite disseruit. Esse hos Eusebii Commentarios e stylo probat, quem adhibitæ in Demonstratione imprimis Evangelica dicendi rationi ait apparere quam simillimum, cumque Autor Maximini in Christianos carnificinam ut oculatus testis memoret, & hoc indicio Eusebium prodi autumat. Tempus consignationis ad annum circiter 327 referendum judicat. Doctrinam in hoc Commentario obviam nævis suis haud carere fatetur, & sententiam præ cæteris, quam de Filio Dei foverit Eusebius, examinat, ægre hanc defendi posse statuens, cum & ex hoc ipso opere dispalescat, quod Arianum ille nunquam non se gesserit. Addit alia, in quibus vel a fide aberrare, vel explicatione ulteriori opus habere videatur, nec miscellanea quædam in his Commentariis observanda, ac idiotismos & singularem quarundam vocum significatum notare omittit. Interpretandi rationem heic adhibitam hoc fere modo delineat: observationes criticas egregiæ notæ esse dicit, cum præter ea, quæ in Præfationibus afferuntur, non spernenda sane, multa expositionibus suis de ordine & de autore cujusque Psalmi subinde præmittat, quæ judicium peritiamque scriptoris arguant, & in quibus prolixius, sed sine aliquo Lectoris tædio fastidiove, Eusebius versetur. Literalem Psalmorum mentem ubi explicet, genuinum plerumque sensum eum perhibet attingere, neque ita frequenter aberrare a scopo & a vera Psaltis sententia. Adfuisse enim opimam illam Hexaplo-

rum supellectilem, unde & Hebraicam lectionem & veterum Interpretum versionem mutuari potuerit. Neque sane, ut ex his Commentariis deprehendere liceat, Hebraice peritum fuisse Eusebium, siquidem de Hebraica lectione ut plurimum non adeo docte edisserat, utpote qui Hebraica Græcis literis expressa, qualia in Hexaplis erant, tantum legerit, &, si quid de vocibus & literis Hebraicis hinc inde tradat, id ex Hebræis mutuatus fuerit, quanquam Doctoribus his aliisque nimis interdum credulus deprehendatur, ut quando ad locum Psaltis: *ex utero ante Luciferum genui te*, ubi Hebraicus textus vocem habeat מרחם, opinionem alicujus ut probabilem hanc laudet, quod heic Maria indicetur, cum tamen inter מרים & מרחם vel tyronibus manifesta appareat differentia. Mystagogicam explanandi viam, qua ad Christi personam & Ecclesiam, fidelem item animam, ac cœlestem demum Sionem, omnia reducuntur, Eusebium admodum frequentasse, ac de cætero Origenis expositiones haud obscure sectatum fuisse docet, prout & antiquis Interpretibus vel aliis persæpe utatur, ac multo plura ex Aquila, Theodotione & Symmacho afferat, quam vel in Drusii vel in Nobilii collectionibus reperiantur, ita, ut ejus adminiculo non raro Psalmos integros, ex Symmachi maxime versione, restaurare liceat.

Secundo Tomo auspicia dant novendecim *S. ATHANASII* opuscula, spuria partim, partim genuina, & singula quidem hactenus ἀνέκδοτα. Sunt vero illa hæc: *De Legatione Ecclesiæ Ancyranæ ad Athanasium pro causa Marcelli. Sermo major de fide*, opus a Theodoreto laudatum, quo egregia contra Arianos aliosque Athanasiani ævi hæreticos disceptatio continetur. Fragmentum *de Paulo Samosateno*, in quo ostendit Athanasius, Paulum Zenobii patrocinio nixum fuisse, dum errores spargeret; sed nihil ipsi profuisse ejus patrocinium, nec obstitisse, quo minus is ab Episcopis in Synodo coactis damnaretur. Fragmentum de *Stephano Antiocheno*, pars historiæ cujusdam ab Athanasio conscriptæ, ubi de conspiratione Stephani in Legatos Synodi Sardicensis, Euphratem & Vincentium, structa, quam in historia ad Monachos carptim ille tetigerat, pluri-

pluribus agitur. *Epistola ad Monachos*, quæ, licet brevissima sit, pulcherrimas tamen de Arianorum consortio declinando præceptiones offert. *Commentaria, sive Sermones in Matthæum*, quorum pars jam olim quidem edita prostat, sed ita, ut sæpius ab initio inque medio & fine mutilatio deprehendatur, quæ jam penitus sublata est. *Commentaria in Lucam*, de quibus idem monendum ait Autor, quod ante de Commentariis in Matthæum dictum fuerit. *Homilia in Canticum Canticorum*, quæ in Codice Bibliothecæ Ambrosianæ Athanasio tribuitur. Sed otiosi & imperiti hominis opusculum eandem vocat Noster, eo tempore fortassis editum, quo Manichæi in Oriente turbas dederint, (quod præsertim octavo, nono atque decimo seculo contigerit,) quandoquidem scriptor iste Manichæos, ut tunc vigentes, commemoret. *Sermo de Patientia*, quem postremæ Arianorum carnificinæ sub Constantio excitatæ imaginem præferre dicit. *Homilia in Ramos Palmarum*, parem cum Epistolis festalibus, de quibus infra, consonantiam exhibens. *Opusculum in dictum Apostoli: Novi hominem raptum usque ad tertium cœlum*; quod ex vitiato linguæ Græcæ usu inter spuria ablegatur. *Opusculum in dictum Apostoli aliud: datus est mihi stimulus carnis*, quod pari νοθείας vitio laborare dicitur. *Argumentum in Psalmos*, & *supplementa in Psalmos*, in quibus ea, quæ in Athanasio Benedictinorum edito deerant, nunc supplentur. *Fragmentum contra Macedonianos*, ideo inter alia observandum, quod, cum in iis, quæ antea prodierunt, operibus Pneumatomachorum hæresin tacito semper Macedonii & Macedonianorum nomine Athanasius refellit, heic nominatim illos perstringit. *Fragmenta contra Novatianos*, ἀποσπασμάτια insignis cujusdam contra eosdem hæreticos operis. *Fragmentum de amuletis sive præstigiis*, in quo contra eos, qui instante morbo ad striges seu vetulas confugiebant, agitur, veneficarumque hujusmodi usus & consuetudo paucis depingitur. *Fragmenta* alia, *variis ex locis excerpta*, & varii argumenti themata pertractantia. *Brevis* denique *expositio fidei*, cujus omnia dicta ad repudiandam Arianorum & Pneumatomachorum hæresin concinnata sunt.

 Opuscu-

Opusculis Athanasianis antea recensitis Animadversiones præmittuntur in vitam & scripta S. Athanasii, in quibus inter alia asseritur: Athanasium a Martyribus fuisse institutum: egisse cum Asceticam aliquandiu vitam, idque sub Antonii disciplina: Libros Athanasii contra gentes & de incarnatione ante A. 319 fuisse publicatos: θέαν νεωτέραν esse Cleopatram: historiam mulierculæ, quæ Athanasium in Synodo Tyria illati sibi stupri insimulaverit, suspectam omnino videri: πυκτία τῶν θείων γραφῶν, quæ Constanti Augusto Athanasius miserit, cum Synopsi Scripturæ Sacræ, quæ ab ipso adornata (sed minus recte) dicatur, haud coincidere: Liberii contra Athanasium epistolam haud esse germanam: nec esse Athanasii Epistolam, quæ vocatur Catholica; ut alias ejusmodi animadversiones taceamus, in quibus plerumque res ipsi est cum Tillemontio, sententiam Benedictinorum non semel oppugnante.

Sed adhuc ante, quam opuscula Athanasii ipsa recenseantur, Diatriba Collectoris legitur, *de causa Marcelli Ancyrani*, in qua, post brevem de Marcelli vita narrationem, summam doctrinæ Marcellianæ fuisse refert: unum ab æterno Deum existere, cujus λόγος, seu ratio aut verbum pariter æternum unum sit cum Deo ipso οὐσίᾳ καὶ ὑποστάσει, ita, ut nulla sit inter utrumque distinctio, esseque verbum silens, internum sive ἐνδιάθετον. Spiritum item Sanctum in Deo ab æterno fuisse, nulla similiter, nisi nominis & rationis, distinctione. Cum autem Deus operetur & loquatur, tunc verbum, ceu quandam emissionem, extensionem, & dilationem deitatis prodire, & post gestum opus ad Deum reverti, & in pristina conditione manere. Pariter emissum fuisse verbum, ut carnem assumeret, tuncque Filium Dei effectum esse, Regem item, Christum, imaginem Dei invisibilis, & primogenitum omnis creaturæ, cum antea nihil eorum fuisset, ac post judicium hæc omnia amissurum, atque, uti prius, unum cum Patre futurum. Ut autem verbum sit extensio & dilatatio Dei, sic & Spiritum Sanctum talem esse, pariterque a Deo emitti ac ad Deum reverti. Hanc sententiam publicis in scriptis aut confessionibus a Marcello

cello fuiſſe propoſitam inficiatur Noſter, qua tamen occaſione ſuſpectus ille redditus fuerit Athanaſio, quique Legationis ad Athanaſium ſcopus atque exitus fuerit, prolixe enarrat.

Athanaſio ad latus jungitur *COSMAS, INDICOPLEUSTES* ab Indica navigatione dictus, Monachus Ægyptius, cujus duodecim libri exhibentur ſub titulo *Topographiæ Chriſtianæ*, in qua Chriſtianorum de mundo refertur opinio, quam ſic repræſentavit Coſmas: Mundum planum arbitratur, ac terræ ſuperficiem quadram & oblongam, ita, ut longitudo ejus ab Oriente ad Occidentem duplo major latitudine ſit: quæ latitudo a Septentrione ad Meridiem extendatur. Hunc vero mundum parallelogrammum muris claudi pugnat, murosque a parte orientali & occidentali, ab imo ad faſtigium rectos in ſemicirculum deſinere; a parte vero ſeptentrionali & meridionali erectos item muros eſſe putat, donec ad ſemicirculum pertingant, tum enim convolvi muros ait, ut oblongam cameram in fornicis modum faſtigiatam efficiant. Firmamentum porro, ceu lacunar quoddam, ubi muri convolvi & in ſemicirculum deflecti incipiunt, extendi arbitratur, ac locum ſupremum beatorumque ſedes a loco inferiori diſterminare. Solem vero Lunam & ſtellas ſub firmamento eſſe opinatur. Utque noctium, dierum & eclipſium rationem explicet, ad extrema Septentrionis montem altiſſimum eſſe comminiſcitur, & circa montem Solem, Lunam & aſtra curſum peragere, ita ut, cum Sol adverſam nobis montis partem reſpicit, tum nobis appareat, diesque ſit; cum autem pone montem curſum peragit, tum noctem efficiat. Lunæ vero eclipſes tum fieri putat, cum mons Solem inter & Lunam interponitur: cumque mons ille a cacumine hemiſphærium referat, hinc effici, ut umbra, quam in Luna conſpicimus, in ſemicirculum definat. Hæc ita in ſummam coegit Montfauconius, atque in Præfatione ad hoc opus varia ibidem obvia alia curioſius excuſſit. Cum in decimo Coſmæ libro ex Athanaſii *Epiſtolis Feſtalibus* excerpta quædam afferantur, de iisdem peculiariter diſſerit, ſcriptasque illas affirmat & miſſas ad populum Alexandrinum, cum Athanaſius in deſerto latens, metu Conſtantii, ageret. Easdem & a quibusdam *Paſchales* vocari, quia

quia in diebus maxime Paſchalibus populo recitatæ fuerint, quanquam hoc nomine & illæ, quæ per Quadrageſimam lectæ, inſigniantur.

Claudit rivos, qui Collectioni huic dederat primordia, *EUSEBIUS CÆSARIENSIS*, cujus *Commentarii in Jeſaiam* (Heſaiam ſcribit ſemper Montfauconius, vocem Græcam ἡσαίας ſequi ſe cauſatus,) in poſtrema hujusce Tomi parte in lucem procedunt, non in ſexdecim modo Prophetæ illius capita, quæ codex Ebroicenſis, olim Cardinalis Perronii, contineat, ſed in Prophetiam potius integram, cujus Veteres, & Hieronymus cumprimis, dudum mentionem fecerint. Interpretandi ratione heic Euſebium eadem, qua in Pſalmis exponendis, uti: parce ac ſobrie de Filio Dei in his Commentariis loqui: frequentius contra atheos & genethliacos agere: Apoſtolos quatuordecim numerare docet, variaque e textu ipſo alia allegat & expendit. Singulare vocat, quod Euſebius teſtetur de iis, qui ex gentilibus ad fidem converſi ad martyrium acceſſerint; quod ſcilicet propriis depoſitis nominibus priſcorum Patriarcharum & Prophetarum vocabula ad necem pro Chriſto ſubeundam accedentes uſurparint.

D. THOMÆ ITTIGII DE BIBLIOTHECIS & Catenis Patrum variisque veterum Scriptorum Eccleſiaſticorum Collectionibus Tractatus.

Lipſiæ, apud hæredes Frid. Lanckiſii, 1707, 8. Alphab. 3.

Liber hic, utut mole ſit exiguus, ingentes tamen continet divitias, quas in eundem Magnificus Autor congeſſit ex inſtructiſſima Bibliotheca ſua, non illa ſolum, quam in Muſeo aſſervat, ſed quam maxime etiam ex altera, quam in vaſtiſſima memoria reconditam tenet. Obvios etenim heic libros plurimos Lectores deprehendent, quorum notitia haud cuivis facile patet. *Bibliothecas* & *Catenas Patrum* innuimus, e quibus iſtæ integros Patrum libros & tractatus minores complectuntur, in his vero non integra Patrum Scripta, ſed libri Biblici

variorum Patrum ſententiis centonis inſtar conſutis illuſtrati exhibentur. Placuit utrasque eo enarrare ordine, quem locorum, ubi impreſſæ fuerunt, ſuppeditat diverſitas. Initium fit a Bibliothecis Patrum *Baſileenſibus*. Baſileæ enim prima omnium prodiit A. 1528 ejusmodi Bibliotheca, collectore Jo. Sichardo, qui ei titulum dedit *Antidoti contra diverſas omnium fere Seculorum hæreſes*. Excepit iſtam ibidem A. 1550 Henrici Petri *Μικροπρεσβυτικόν*, & A. 1555 ſub *Orthodoxographorum* nomine novam Patrum Bibliothecam ſeptuaginta ſex Scriptorum monumenta complexam edidit Baſilius Johannes Heroldus, qui iſtis A. 1556 *Hæreſeologiam*, ſeu opus Græcorum atque Latinorum Theologorum ſcripta ad graſſantes hæreſes confutandas facientia addidit. A. 1569 in eadem urbe Jo. Jacobus Grynæus *Monumenta Sanctorum Patrum orthodoxographa* vulgavit. Quibus ſingulis tandem ab Autore noſtro *Collectio Poetarum Chriſtianorum veterum*, a Georgio Fabricio curata, adjungitur. Sectio ſecunda pergit a Baſileenſibus ad *Tigurinas* Patrum Bibliothecas, & eas quidem a Joſia Simlero & Conrado Geſnero accuratas; quibus, cum pauciores ſint, mox abſolutis, de *Pariſienſibus* majori cum apparatu Autor Summe Reverendus diſſerit. Duplex heic ante omnia memoratur Bibliotheca Patrum, a *Margarini de la Bigne* induſtria profecta, quarum prima ſingularem inſuper nacta fuit ejusdem cura *Appendicem*; quin & tertia acceſſit Editio, *Auctario* duobus Tomis conſtante locupletata. Quarta quæ vocatur, Pariſienſis Patrum Biliotheca *Auctarium* nacta eſt Græco-Latinum, quod Frontonis Ducæi ſtudio inprimis debetur, prout aliud mere *Latinum* Ægidius Morellius ſuperaddidit. Poſt hæc auctaria Bibliotheca Patrum Pariſienſis A. 1644 in ſeptendecim Tomos excrevit. Neque tamen defuit Franciſco Combefiſio occaſio, *Auctarium* illius *novum*, aliudque, *noviſſimum* ab ipſo dictum, utrumque in duos Tomos diſtributum, evulgandi. Nec jam Collectionum Pariſiis impreſſarum finis eſt; allegantur enim inſuper velut huc ſpectantia, quorum ſola adduxiſſe nomina ſufficiat, monumenta hæc: Lucæ Dacherii *Spicilegium*; Theophili Raynaudi *Heptas Præſulum*; e Jacobi Sirmondi Operibus *primus, ſecundus,*

cundus, tertius & *quintus* Tomus; Jacobi Hommey *Supplementum Patrum*; Jo. Mabillonii *Vetera Analecta*; ejusdemque & Michaelis Germain *Museum Italicum*: Steph. Baluzii *Miscellanea*; Phil. Labbei *Bibliotheca nova MSctorum*; Petri Possini *Thesaurus asceticus*; Claudii de Chantelou *Bibliotheca Patrum ascetica*; Francisci Combefisii *Bibliotheca Patrum Concionatoria*; Martini Marrier & Andreæ Quercetani *Bibliotheca Cluniacensis*; Gilberti Mauguini *Veterum Autorum, qui nono Seculo de prædestinatione & gratia scripserunt, Opera & Fragmenta*; Jo. Baptistæ Cotelerii *Ecclesiæ Græcæ Monumenta*; Monachorum Benedictinorum e Congregatione S. Mauri *Analecta Sacra*; Francisci Combefisii *Manipulus Originum Constantinopolitanarum*; Petri Pithœi *Veterum aliquot Galliæ Theologorum Scripta*; *Palladius de vita Chrysostomi, cum aliis Scriptoribus Græcis Græce & Latine editus* ab Emerico Bigotio; *Justinus Martyr, cum aliis quibusdam Græcis Scriptoribus* a Typographis Parisiensibus editus; Francisci Combefisii *Amphilochius, Methodius & Andreas Cretensis*; Philippi Priorii *Cyprianus, Minutius Felix, Arnobius Afer & Julius Firmicus Maternus*, junctim editi. Inter *Colonienses* Patrum Bibliothecas illa eminet, quæ *Magna* vocatur, & quatuordecim Tomis A. 1618 vulgatis constat, in quam studium operamque contulerunt Theologi Colonienses, quos inter præcipuæ partes fuisse dicuntur Alardi Wyelii, Theologiæ Licentiati & Professoris, qui Præfationem his quatuordecim Tomis præmisit. Accessit vero Tomus decimus quintus A. 1622, in quo compilando inprimis Andreas Schottus laboravit. Magno vero isti operi aliquot heic adduntur minora, utpote: Suffridi Petri *Autores veteres, qui de Scriptoribus Ecclesiasticis egerunt*; *Catena Græcorum Patrum in Pentateuchum*, interprete Franc. Zephyro; nec non *in Cantica Veteris & Novi Testamenti*, interprete Antonio Caraffa; Leonis Allatii Σύμμικτα, tandemque *Veteres Scriptores, qui de divinis officiis egerunt*, collecti per Hittorpium. *Lugdunenses* dehinc sequuntur Patrum Bibliothecæ, interq; has omnes alias amplitudine sua antecellens illa, quæ vocatur *Maxima*, in Tomos XXVII distributa. Sed nec omittuntur, quæ itidem Lugduni prodierunt, sequentes: *Patrum Lirinensium Scripta* colle-

collecta a Vincentio Barrali; *Bibliotheca Homiliarum & Sermonum priscorum Ecclesiæ Patrum in Dominicas & Festa; Homiliæ Doctorum Ecclesiasticorum in Evangelia Dominicalia & temporanea*, quæ jussu Caroli M. per Alcuinum in unum Codicem redactæ perhibentur; *Opuscula quædam Patrum* a Thoma Galleto collecta; Aloysii Lippomanni *Catena Patrum in Genesin & Exodum*, & Pauli Comitoli *in Jobum*, cujus postremæ collector in Catalogo Heinsiano per errorem nominatur Paulus cum Deo. Bibliothecæ Patrum *Lugduno-Batavæ* seu *Leidenses* sunt: Joh. Meursii *Variorum Divinorum* Liber unus; Stephani le Moyne *Varia Sacra*; & Casimiri Oudini *Veterum aliquot Galliæ & Belgii Scriptorum Opuscula sacra* nunquam edita. *Ingolstadii* sub *Antiquarum Lectionum* titulo Bibliothecam veterum Scriptorum edidit Henricus Canisius, quem imitatus Petrus Stevartius *insignium Autorum Græcorum atque Latinorum* Tomum singularem concinnavit; nec prætereundos Ittigius existimat Jacobi Gretseri libros *de Cruce*, cum in secundo Tomo editionis Ingolstadianæ A. 1600 variæ Patrum Scriptorumque Homiliæ, Epistolæ & Relationes de Cruce contineantur, prout & idem Gretserus *Lucam Tudensem contra Albigenses*, & duplicem *triadem Scriptorum contra Waldenses* edidisse dicitur. Huc referuntur Theodori Peltani *septendecim Homiliæ Græcorum Patrum* Latine redditæ: *Simeonis Junioris Opera una cum pluribus aliorum Veterum Monumentis*, Latine versa & notis illustrata a Jacobo Pontano; *Veterum Monumenta contra Schismaticos* edita a Sebastiano Tengnagelio; *Epistolæ quædam Pontificum ad Reges quosdam Francorum*, in unum volumen collectæ a Jacobo Gretsero, qui & *Epistolas Pontificum quorundam ad Petrum Cnapheum, una cum Gregorii Acindyni libris duobus de essentia & operatione DEI*, Ingolstadiensibus typis fecit imprimi, tandemque *Victoris Tunuensis Chronicon, cum aliis veterum Scriptorum monumentis* ab Henrico Canisio editum, sub calcem hujus Sectionis allegatur. Bibliothecæ Patrum *Antverpienses* enumerantur hæ: *Homiliæ quatuor Sanctorum Patrum*, interprete Petro Pantino, ejusdemque *variorum Patrum Græcorum Homiliæ*; *Catena Græcorum Patrum in Proverbia Salomonis, cum Gregorii Thaumaturgi Metaphrasi in Eccle-*

clesiasten, & *Michaelis Pselli in Canticum Canticorum paraphrasi* a Theodoro Peltano typis tradita; *Expositio Patrum Græcorum in Psalmos; Catena* item *Græcorum Patrum in Lucam*, aliaque *in Johannem* a Balth. Corderio vulgata; *Liturgiæ Sanctorum Patrum* a Claudio Sanctesio editæ; Ægidii Bucherii *Victorius Aquitanus, & alii antiqui Canonum Paschalium Scriptores; Patres Apostolici, a Cotelerio quondam collecti, a Joanne Clerico cum variis accessionibus denuo editi.* Succedunt hæ *Romanæ:* Melchioris Hittorpii *Autores veteres de divinis officiis*, jam inter Colonienses Bibliothecas supra allegati; Leonis Allatii *Græcia orthodoxa*; Laurentii Alexandri Zacagnii *Collectanea monumentorum veterum Ecclesiæ Græcæ & Latinæ*; *Codex Regularum, quas Sancti Patres monachis & sanctimonialibus præscripserunt*, a Benedicto Abbate Anianensi olim collectus, & a Luca Holstenio in tres Tomos digestus; *Patrum aliquot Græcorum Orationes & Epistolæ*, ab Hieronymo Brunello Græce editæ; alia *quorundam Patrum Collectio* Pauli Manutii; Petri Possini *Catena in Marcum*, & Lippomanni *in Psalmos*. *Venetiis* impressæ tres Patrum Catenæ sistuntur, una *in quinquaginta Psalmos*, interprete Daniele Barbaro; altera *in Jobum*, cura Pauli Comitoli, tertiaque *in Acta & Epistolas Catholicas*, Joanne Bernardo Feliciano interprete. Unica commemoratur *Mediolanensis*, in *Anecdotis* Ludovici Antonii Muratorii obvia. *Moguntinis* typis excusæ referuntur Patrum Bibliothecæ sequentes: *Speculum antiquæ devotionis circa Missam*, colligente Jo. Cochlæo; *Miscellanea Patrum Græcorum & Latinorum* Gerhardi Vossii, Præpositi Tungrensis; *Hincmari Remensis & aliquot coætaneorum Opuscula*, itemque *Paralipomena Opusculorum Petri Blesensis & Johannis Trithemii, aliorumque*, quibus studium impendit Jo. Busæus. Bibliotheca *Patrum Cisterciensium*, collecta labore & studio Bertrandi Tissier, typis cœnobii, cui *Boni Fontis* nomen est, prodiisse dicitur. *Parentici veteres* cum notis Goldasti, Bibliotheca Patrum *Insulanæ* nuncupantur; *Divionensis* vero: *Scriptorum veterum de fide Catholica Opuscula quinque*, vulgata a Petro Francisco Chiffletio; *Rotomagensis: Veterum Scriptorum & monumentorum Collectio*, publicata ab Edmundo Martene; *Tolosana:* Balthasaris Corderii

derii & Petri Poſſini *Symbolæ Græcorum Patrum in Matthæum*. Poſt Bibliothecas Patrum *Londinenſes*, quæ ſunt: *Catena Græcorum Patrum in Jobum*, collectore Niceta, ex MSCtis eruta a Patricio Junio; *Bedæ, Egberti & Aldhelmi Opuſcula* nonnulla, vulgata ab Henrico Whartono; *Palladii, Ambroſii, & Anonymi cujusdam Scripta de Brachmanis*, ab Eduardo Biſſæo collecta; *Dubliniensis* allegatur: *Sylloge veterum Epiſtolarum Hibernicarum*, collecta a Jacobo Uſſerio; & *Oxonienſis: Spicilegium SS. Patrum & Hæreticorum Seculi I, II & III*, editum & notis illuſtratum a Johanne Erneſto Grabio. Has excipiunt ſuo ordine *Lovanienſes: Variorum Patrum Epiſtolæ ad Concilium Epheſinum ſpectantes*, editæ & notis illuſtratæ per Chriſtianum Lupum; *Scriptores quidam veteres de Euchariſtia*, collecti a Jo. Vlimmerio; *Trajectenſis:* Jacobi Tollii *Inſignia Itinerarii Italici*; *Genevenſis:* Davidis Blondelli *Pſeudo-Iſidorus & Turrianus vapulantes*, ac Theodori Bezæ *Scripta quædam Patrum maximam partem antea non edita*; *Hamburgenſes:* Elmenhorſtii *Gennadius & Martialis Lemovicenſis*; Nicolai Glaſeri *Apocrypha parænetica*; Jo. Alberti Fabricii *Codex apocryphus Novi Teſtamenti*; *Cygnea: Variorum Patrum Homiliæ in natalem Chriſti*; *Hieronymi* inſuper, *Theologi cujusdam Græci, Dialogus de Trinitate cum quibusdam aliis veterum Scriptorum Monumentis*, quas duas collectiones inſtituit Chriſtianus Daumius. Ibidem quoque *Opuſcula quædam veterum Scriptorum* imprimi fecit Caſpar Barthius. Agmen claudunt *Lipſienſes:* Joachimi puta Zehneri *Patrum & Doctorum Eccleſiæ, qui ligata oratione ſcripſerunt, Paraphraſes & Meditationes in Evangelia Dominicalia & Feſtivalia*, ac Summe Reverendi noſtri Ittigii *Bibliotheca Patrum Apoſtolicorum Græco-Latina*. Accedit Operi huic *Appendix*, quæ varias adhuc collectiones alias enumerat, veterum videlicet Scriptorum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ; Chronicorum; Vitarum Apoſtolorum & Sanctorum; (ubi & imprimis de induſtria Bollandi, Henſchenii & Papebrochii atque Succeſſorum agitur;) Canonum pœnitentialium & Eccleſiaſticorum; Conciliorum Generalium & Provincialium; Liturgiarum; rerum geſtarum a Pontificibus Avenionenſibus; Bullarum Pontificum Romanorum; tracta-

tuum de jurisdictione Imperiali & Pontificia; Scriptorum, qui circa tempora Concilii Constantiensis de corrupto Ecclesiæ statu ejusque remediis scripserunt; veterum Historicorum; & plurium similium. Peregregia vero hæc supellex non quoad nudos certe titulos (in quibus nobis quidem acquiescendum est) refertur, sed accurato potius studio, in opere præsertim ipso, quid in qualibet Bibliotheca contineatur, sigillatim recensetur, & quæcunque alias ad historiam cujusque pertinent, operose indicantur. Videas & passim pro suppeditata occasione varias immisceri observationes, e quibus paucas in reliquarum gustum designabimus, quandoquidem diffusissimæ lectionis Autor p. 83 s. varias Indicis expurgatorii Fr. Johannis Mariæ Brasichellensis censuras allegat; p. 156 Synoridem inter Sanctas relatam explodit; p. 161 de historia latronis per Johannem conversi disserit; p. 180 seqq. repetit, quæ olim in collegio privato de Hieronymi Martyrologio, a Francisco Maria Florentinio cum ejusdem notis & exercitationibus Lucæ A. 1668 edito, latius docuerat; p. 199 refert, quod monasterium Piscariense tantæ dignitatis olim fuerit, ut Abbas in omni ditione sua non secus ac Imperator sese gesserit, & pedi loco sceptrum Imperiale vel Regale usurpaverit; p. 200 fabulam de S. Clementis Papæ & Martyris corpore, cui habitaculum ab Angelis in ipso mari præparatum fuerit, exsibilandam dat; p. 216 s. de Symboli Athanasiani autore prolixius disceptat; p. 309 s. communionis sub utraque historiam illustrat; p. 546 Daumium miratum valde fuisse narrat, quod, cum Lugdunensis Patrum Bibliotheca duodecim Tomis Coloniensem superet, non plures, quam centum, & quidem magna ex parte breves, si non brevissimi, Autores in eadem additi fuerint, & postea longum Scriptorum illorum catalogum, quorum opera addi potuissent, a Daumio contextum communicat; p. 557 s. Apparatum le Nourry delineat; p. 701 s. totam Theclæ historiam meram esse fabulam ostendit. Dignum est, quod huc transscribatur, Epitaphium Petri Abælardi, p. 395 obvium:

Petrus in hac urna latitat, quem mundus Homerum
Clamabat, sed jam sidera sidus habent.

Sol

Sol erat hic Gallis, sed cum jam fata tulerunt,
Ergo caret regio Gallica Sole suo.
Ille sciens, quicquid fuit ulli scibile, vicit
Artifices, artes absque docente docens.
Undecima Maji Petrum rapuere Calendæ,
Privantes Logices atria Rege suo.
Est satis, in tumulo PETRUS HIC JACET ABÆLARDUS,
Huic soli patuit, scibile quicquid erit.

Universo operi præmittitur uberrima commentatio de editis separatim operibus Patrum e prioribus Seculis præcipuorum, utpote *Barnabæ, Dionysii Areopagitæ, Clementis Romani, Hermæ, Ignatii, Polycarpi, Justini Martyris, Tatiani, Theophili Antiocheni, Athenagoræ, Irenæi, Hegesippi, Hermiæ, Clementis Alexandrini, Tertulliani, Minutii Felicis, Hippolyti, Ammonii Alexandrini, Origenis, Cypriani, Gregorii Thaumaturgi, Dionysii Alexandrini, Victorini Pitabionensis, Methodii Tyrii, Arnobii Afri, Lactantii Firmiani, Eusebii Cæsariensis, Eustathii Antiocheni, Athanasii, Commodiani, Juvenci, Antonii Abbatis, Julii Firmici Materni, Eusebii Emiseni, Cyrilli Hierosolymitani, Hilarii Pictaviensis, Luciferi Calaritani, Phœbadii, Apollinarii, Titi Bostrensis, Marii Victorini, Candidi Ariani, Damasi, Epiphanii, Optati Milevitani, Paciani, Ephremi Syri, Basilii Magni, Gregorii Nysseni, Gregorii Nazianzeni, Didymi, Macarii, Gregorii Bætici, Ambrosii, Hieronymi, Philastrii, Faustini, Theophili Alexandrini, Johannis Hierosolymitani, Dextri, Vigilii Tridentini, Rufini Torani, Paulini Nolani, Augustini, Chrysostomi, Cyrilli Alexandrini, Marii Mercatoris, Theodoreti.* Quibus insuper nonnulla Patrum Scripta adduntur, quæ cum variis recentiorum Scriptorum operibus tractatibusque, & loco quasi alieno edita prostant.

L'HISTOIRE ET LA RELIGION des Juifs.

h. e.

HISTORIA ET RELIGIO JUDÆORUM, a temporibus Jesu Christi usque ad nostram ætatem, qua

qua Historia Josephi continuatur, autore JACOBO BASNAGIO. *Tomi V.*

Roterod. apud Regner. Leers, 1707, in 12.
Alph. 5 pl. 10.

NOvo, post alia multa, eoque insigni merito Rempublicam litterariam devinctum ivit Clarissimus Basnagius, aliis præstantissimis scriptis, de Re Ecclesiastica inprimis, jamdudum immortaliter meritus. Nempe historia Judaicæ gentis, sacrorumque illius populi inter desiderata hucusque erat, neque repertus fuit, qui post Josephum rem ingentis laboris, in putidis Judæorum lacunis magnam partem consumendi, aggredi auderet, atque ex illis cum aliarum gentium idoneis monimentis decenter comparatis lucem veritati accenderet. Id vero multivariæ eruditionis apparatu, diligentia insigni, ingenio singulari, executus Vir Reverendus fuit, qui aptissima methodo totum opus V Tomis seu VII Libris divisit, iisque, quicquid de ista gente memorabile occurreret, comprehendit, e quibus nos, hac quidem vice Libros tres, seu Tomos duos priores, recensebimus.

Quamvis autem Josephi historiam continuare animo constituisset, opus tamen existimavit esse, ut generalem formæ Reipublicæ atque Ecclesiæ, quæ in gente illa, dum suis legibus adhuc in patria viveret, obtinuit, ante omnia poneret ob oculos. Ei rei totus Liber primus impenditur, ubi sub initium statim de Herodiadum in Regno Judaico agitur successione, quæ passim Clar. Autori tractatio occasionem suppeditat historiam Josephi, tum contra alios censores, tum contra Jo. Harduinum inprimis defendendi. Nempe eum male ostendit negare, quod Judæus fuerit natalibus pariter ac religione magnus ille Herodes, atque circa eam rem contradictiones sibi in Josepho finxisse, quibus fidem ejus penitus evertat. Multo vero audacius etiam defendere, eum Athenis fuisse ortum, solo nomine ductum, quod Athenienses quidam gesserint; cum nomen tamen in Italia quoque apud Palmyrenos & alibi frequens sit, & præterea non Herodum gens, sed *Antiparum* & *Antipatrorum*, quæ

Cap. II.

quæ avi patrisque Herodis erant nomina, fuerit quærendum. Simili modo quod pro sorte Julio Cæsari credita & usuris Herodi Judææ & Samariæ Regnum traditum docet Harduinus, quod Galilæam & Trachonitidem ei obnoxiam fuisse negat, quæ de Philippo item Herodiadis marito priore disputat, exploduntur. Inprimis diligenter refutantur quæ de Agrippa priore & ejus familia ei placuerant, & recepta magis sententia defenditur, cui numismata, quibus nititur Harduinus, omnia longe rectius convenire demonstrantur. De morte vero Agrippæ II difficultates Chronologicæ, quæ magnos viros, Scaligerum, Illustr. Spanhemium & Jo. Harduinum exercuere, non sine acumine diluuntur. Nempe Justum Tiberiensem Josephus historiam suam belli Judaici non ausum esse publicare ante mortem Agrippæ, narrat. Id autem refert in libro de Vita propria, quem Epaphrodito Neronis liberto dedicavit, qui cum a Domitiano A. C. 95 sit interemtus, ante eum annum scriptam Vitam Josephi, & vivere desiisse Agrippam oportebit. Attamen porro idem Justus Chronicon Regum Judææ fecit, quod in morte Agrippæ desinebat, ad annum III Trajani productum, ad quem proinde Agrippam vivendo pervenisse in promtu erat colligere, id quod diserte etiam Photius affirmat. Equidem *Vespasiani* nomen apud Photium *Trajani* nomini substituerat Pearsonus, post quem *Titi* nomen rectius Photio restitui, aliis observatum, sed durum videtur Clarissimo Autori, ita historiam Justi pro arbitrio contrahi. Augent difficultatem nummi a Scaligero & Spanhemio publicati, in quibus non tantum XXIX anni Agrippæ tribuuntur, sed Domitiani quoque facies conspicitur, quæ eo regnante Agrippam vixisse evincit: eamque difficultatem hoc minus feliciter solvere eos, qui adulatione in Domitianum hos nummos, antequam imperium obtineret, cusos esse arbitrantur, patet, quod prostent ejus generis nummi ab Harduino editi, diserte Domitiano *Augusti* titulum tribuentes. Clarissimus Autor igitur Agrippam II usque ad A. C. 94, qui fuit Imp. Domit. XIV, vitam produxisse censet; eo enim cusum extare ab Agrippa nummum, quo Parthos & Arabes victos Domitiano gratuletur. Hoc vero anno

Cap. III.

& Josephum vitam suam publicare potuisse, & Epaphrodito dicare, qui anno sequenti demum supplicium subierit. Hocque satis exacte Josephi rebus convenire, qui A. C. 93 Antiquitatum opus absolverit, anno inde opus habuerit ad vitæ suæ concinnandam historiam, quo intervallo mortuus sit Agrippa, cujus proinde, tanquam jam vita functi, in posteriori hoc opere meminerit. Neque opus esse, ut Justus Tiberiensis corrigatur, qui Chronico suo morte Agrippæ A. C. 94 finem imponere potuerit, licet aliud opus anno demum inde quarto vel quinto, hoc est, Trajani tertio, perfectum dederit atque absolutum. Nummi vero ab Harduino producti, qui rem impeditissimam reddunt, & Harduinum in eam sententiam deduxere, ut primum Agrippam usque ad initia Domitiani vitam produxisse crederet, eique secundum substitueret, qui exercitui post eam ætatem præfuerit, ita explicat noster Autor, ut dicat tres differentes habuisse Regni sui epochas Agrippam II. Primam extra dubium positam esse, ejusque esse caput annum C. 49, quo Regnum Chalcidense acceperit. Atque eam epocham quadrare in nummum sub Vespasiano cusum, quo Agrippæ anni Regni tribuuntur XXVI, eum item, qui triennio post sub Tito est percussus, quo ei XXIX anni adscribuntur, qui desinunt in A. Chr. 79. Nummum sub Domitiano cusum quod attinet, in quo pauciores quam in præcedentibus h. e. XXVI tantum anni Agrippæ tribuuntur; in eo verba *ex Senatusconsulto*, nummo insculpta, suspicionem Clarissimo Autori faciunt, novam gratiam a Senatu Romano in Agrippam collatam esse, confirmationem scilicet autoritatis antea acceptæ, a qua novæ epochæ duxerit initium. Ad eos denique nummos ut perveniamus, in quibus iidem numerantur Agrippæ, qui erant Domitiani, anni, id novum non esse, studioque in Principes deberi, quos honorare ducta, ab initiis Imperii eorum nova epocha, in more positum fuerit haut infrequenti. Sub isto Agrippa Hierosolymis expugnatis, Regnum Judaicum penitus destructum est, quod Regibus exteris ex Idumæa constitutis, imo & ipsis in *Judæa*, dum Christus viveret, deficientibus, labem jam contraxerat declinaveratque. Qua quidem

dem re primum ruinæ Judaicæ gradum absolvit doctissimus Autor. Cui secundus succedit, ex Sacerdotii decrementis in totalem demum ejus abolitionem desinentibus. Cumque Cap. IV.
prima autoritas sacerdotalis damna acceperit eo, quod arbitraria lege de ea statuerint Reges primum Judæi, inde Magistratus Romani, ut visum esset, Sacerdotium hisce adimentes, conferentes in alios; quo jure id factum sit, eo diligentius inquiritur, quod hisce Sacerdotii Judaici fatis superstructa fuerint Sacerdotii Imperiique in Ecclesia Christiana concordiæ fundamenta. Longe autem Noster recedit a sententia eorum, qui autoritate in ipsos Reges Sacerdotio concessa suprema, judiciis Sacerdotum Reges obnoxios fecere: quin potius summam fuisse Regum Judæorum in Sacra quoque, imo & ipsos Sacerdotes potestatem, vel Saulis exemplo, Abjatharem summo Sacerdotio depellentis, confirmat. Hinc ab Ananelo inde, V.
quem magnus Herodes deposuit, usque ad templi incendia fata summorum Sacerdotum persequitur, quam quidem historiam sequentibus observationibus finit. Nunquam tam frequentes in populo Judaico, exterarum gentium licet obnoxio jugo, Sacerdotum summorum depositiones tamque aspera fata observari, quam illo spatio, cum tamen Principes Judæi Sacrorum adhuc Judæorum gererent curam: Deo nempe vires Sacerdotii illius ita frangente, ut consistere non posset. Deinde nunquam ipsos quoque ita officio illi, quam fatali illa populi hujus periodo dedecori fuisse.

Tertium inde ruinæ Judaicæ gradum juxta Autorem constituit varia ex factionum diversitate perturbatio, ubi turbæ, VI.
quas Zelotæ dederunt, Samaritanorum contra Judæos sub Cumano bellum, latronum varii tumultus, impostorum & Pseudo-Christorum fraudes & seditiones, aliæque Hierosolymitarum paulo ante desolationem factiones succincte recensentur. Ea vero occasione ea etiam, quæ Eusebius de bello ab Osröenorum Rege Abgaro, contra Judæos ob Christum necatum VII.
instructo, narrat, examinantur, & juxta cum epistola Christi ad Abgarum exploduntur. Argumenta, quibus hujus epistolæ fidem destruit, ista sunt: 1 quod a primitiva Ecclesia

in canonem recepta non sit, cum tamen, si vera sint, quæ de ea traduntur, certior esse potuerit ejus fides quam aliorum scriptorum omnium, in publico quippe archivo asservatæ, ob brevitatem interpolationibus non ita obnoxiæ, a Thoma & Thaddæo recognitæ, quæ omnia contra Tillemontium, qui futile id dixerat argumentum, prolixius urgentur; 2 quod Edessa illa ætate in clientela Romanorum fuerit, ut adeo Abgarus Christo autoritatis partem suo arbitrio non potuerit deferre. Idem argumentum contra bellum quoque ab Abgaro instructum facere videtur. Magis tamen ista: 1 quod in historia de Abgari & Edessenorum conversione suspecta sint plurima, cognomen Judæ tributum Thomæ, Thaddæi apostolatus; 2 quod temporum ratio male respondeat, ab Eusebio enim Edessenorum conversionem ad annum æræ ipsorum, quæ sit eadem cum Seleucidarum æra, CCCXL referri, eum autem annum esse exacte A. C. 29 vel 30 æræ vulgaris, quo nondum Christus per miracula innotuerat; 3 quod hæc obsint illis, quæ de gentium vocatione in Actibus Apost. referuntur, ex quibus pateat Apostolis, atque Petro inprimis, anno C. 39 demum revelatione innotuisse, gentes esse vocandas; 4 quod ille fuerit Osroenæ situs, ut difficillimum fuerit, imo Regulo illarum virium plane impossibile, inde in Judæam arma transferre. Verum satis de ista

Cap. VIII. digressione; ipsa desolationis urbis sanctæ & templi hisce subjungitur historia, atque cum Josepho, qui urbem solo æquatam dixit, Patrum testimonia, Ecclesiam post hæc tempora Hierosolymis agnoscentium, conciliantur.

Hæcque summa est Libri primi. Secundo inde Historiam sectarum tenemus, in quas Christi Salvatoris ætate, usque ad desolationem. Ecclesia Judaica divisa fuit. Et Samaritano-

Lib. II. Cap. I. II. rum quidem res ex Chronico eorum, Josepho aliisque quibusdam monimentis, comparatis cum sacra historia, pertexuntur. Eoque spectant etiam, quæ sub secundi Voluminis finem, supplementi loco, ex Chronico a Clarissimo Bernardo publicato & litteris Huntingtonianis, ut & quæ Libro VII Cap. XXIII & sq. referuntur. Historia & varia fata eorum a temporibus inde Jeroboami, ad quod primæ schismatis Samaritani origines referun-

runtur, usque ad nostra tempora, quantum ejus fieri potest, perducitur. Canon scripturarum ab iis receptarum examinatur, & causæ rejectorum quorundam librorum, quos canon Judaicus agnoscit, acute indagantur. Pentateuchum vero quod attinet Samaritanorum, omnino eam ex exemplaribus a decem tribubus conservatis & relictis descriptam & propagatam esse, contra Simonium, van Dalen, autorem Judiciorum de Critica Simoniana defenditur. Certe, ut cetera argumenta taceamus, si ab Esdra accepissent Pentateuchum litteris Chaldaicis scriptum Cuthæi, ex Chaldæa coloni, litteras Chaldæas, quibus ipsi assueti erant, in antiquas Hebræas non fuisse mutaturos. Doctrina eorum dum percensetur, ostenditur injuriam eis fieri, quando Deum corporeum statuisse quibusdam dicuntur, Spiritum item Sanctum & resurrectionem corporum negasse. Dei dolis eorum quæ tradunt Rabbini, incerta esse omnia. De Venere & Saturno, ab iis culto, recte statuere Grotium, reliquam earum idololatriam explicari non posse. Frustra autem esse eos, qui temporibus sequioribus idololatriam illis exprobrent, Judæos, & post eos Epiphanium. Quæ de columba ab iis adorata Judæi dicant, incertis & sibi contrariis relationibus niti. Antiochi tamen Epiphanis ævo idololatricos cultus Samariæ restitutos esse: & desideratum aliquid in cultu eorum esse verbis Christi: *adoratis, quod nescitis*. Nec penitus tamen eos a salute excludi verbis ejusdem: *salus est Judæorum*; ea enim tantum pertinere ad Messiæ e Judæis ortum, qui *salus* sit gentium. Cultum porro eorum haut dubie novam labem accepisse a 6000 colonis gentilibus, ab Herode immissis Samariæ, unde cultus gentilis Samaritanorum vestigia passim sunt in veteribus nummis: eoque pertinere censuram Christi: *adoratis quod nescitis*, prolatam ad Samaritidem; cujus ea occasione historia pariter ac fabulæ de ea percensentur, ut & apostasia Samaritanorum, Simone Mago duce, quem pro Filio Dei se gessisse negatur: Lightfotum vero injurium esse in Samaritanos ostenditur, a Christo gentilibus eos æquiparatos dicentem, & errorem de gemino Messia eis temere exprobrantem. Doctrina postremo eorum quæ hodie sit, ex fidei confessione Scaligero

Cap. III.

IV.

 trans-

transmissa repræsentatur, deque Sectis porro eorum dispu-
Cap. VI. tatur, atque inde ad *Sadducæos* transitur. Eos, quod vul-
go creditur, Propheticorum scriptorum autoritatem repudiasse
negatur, eandem tamen iis quam Legi autoritatem forte haut
tribuisse conceditur. Grotium doctrinam eorum de providen-
tia, Theophylactum, Arnobium, Simonium de spiritu & ange-
lis placita minus recte percepisse, quando ab iis angelos penitus
esse negatos, & apparitiones eorum pro *φαντάσμασι* habi-
tas, statuunt. Neque feliciter Harduinum conjecisse, qui
Herodem eam doctrinam, a Platonicis acceptam, statuat
Sadducæis tradidisse. Tacemus cetera, quæ de doctrina pari-
VII. ter ac disciplina eorum commemorantur. Fata eorum varia
diligenter exponuntur; olim in Judæis toleratos, postea pau-
citate contemtos, hodie non amplius ferri, nisi quod profani
quidam inter eos secreto Sadducaicum virus alant, & quibus-
dam Africæ locis fortassis cœtus Sadducæorum, sed non validi
VIII. nimis, inveniantur. Caraitæ sequuntur, cum Sadducæis male
quibusdam confusi, quorum præcipuum dogma traditionum
adversum autoritati, contra Simonium adstruitur, doctrina in-
IX. de & disciplina ordine exponitur. Origines ad Ptolemæi Phi-
ladelphi in Ægypto tempora referuntur, quibus Judæos nonnul-
los commentari in Legem cœpisse, conceptus suos Sacrorum
Scriptorum miscentes conceptibus, ex Euseb. Præp. VIII, 10 col-
ligitur, idque schismati Caraitarum initia dedisse ostenditur.
Eos esse, quos *νομικοὺς* dicat Christus, & *γραμματεῖς* Luc.
XI, 44. Marc. XII, 28, quorum hic fata varia exponuntur.
X. XI. Copiosius inde de Pharisæis agitur, ubi notari meretur, qua ra-
XII. XIII. tione Paulum disputasse adversus eos ostendatur. De Esseno-
rum origine Drusio Autor assentitur, eosque, doctrina eorum
exposita, male cum Christianis confundi docet, ex Pythagoræo-
XIV rum potius scholis derivandos. Herodianos denique a Sad-
ducæis distinguendos contra Harduinum ostenditur, eosdem-
que originem debere non magno Herodi, sed Antipæ Galilææ
tetrarchæ. Idque vel ex eo colligi, quod sectæ autorem super-
stitem fuisse docente Christo, suadeant verba ejus, *fermentum
Herodis cavendum* monentis.

Verum

Verum satis de primo hujus historiæ Volumine, pauca jam de secundo addamus. Post templi igitur & urbis deso- L. III.
lationem, qui in Judæa perstitere Judæi, *Patriarchas* habuere, Cap. I.
quorum autoritatem quoque qui Ægyptum, Italiam & reliquas Imperii Romani provincias insesserant, occidentalium Judæorum nomine comprehensi, agnoscebant. Quemadmodum orientales Judæi, Babylonem, Chaldæam, Assyriam, Persiamque habitantes, *Æchmalotarchas* venerabantur, qui *Rabbana* stylo Judæorum, ut illi *Rabban*, appellabantur. A *Patriarchis* illis dicendi initium fit, quos docet ex tribu Levi fuisse, instituendis in patriis cultibus populi reliquiis destinatos, quicquid de materna origine eorum ex tribu Judæ fabulentur Judæi. Ante Christi vero tempora Hillelem jam Patriarcham fuisse, non pati censet Herodis autoritatem, cum qua vix illum Patriarchatum concilies. Satis etiam sese haut posse tueri, quæ de Simeonis, cujus in Evangelio mentio, Patriarchatu fabulantur Christiani quidam: meris item contradictionibus scatere, quæ de Jochanano & translato ab eo Japhnen synedrio, Academia item Lyddæ constituta dicuntur. Nec majorem esse fidem debere eorum, qui in quarto Patriarcha Gamaliele, ejusque discipulo Samuele exiguo, Paulum Apostolum & præceptorem Gamalielem se putant invenire. Verbo, omnes, qui desolationem præcessisse credantur Judæis, Patriarchas fide carere, ratione non una firmatur. Primusque esse Patriarcha sub Hadriano Simeon, qui
III est, in catalogo Judæorum nominis ejus, ostenditur. Offici- II.
um vero horum & privilegia prolixe exponuntur, ut pateat eam non fuisse eorum autoritatem, ut per eos שבט & מחקק in
tribu Juda servata esse dici queat. Historia vero & fata usque III.
ad A. C. 429, quo vel sponte deficiente familia Hillelis vel Imperatoris Theodosii voluntate hæc dignitas expiravit, deducuntur. Post eos *Primates* Judæis in variis partibus occidentis præfuisse, eosque male autoritate *Patriarchis* a Cunæo & aliis
æquiparari. Inde de Æchmalotarchis simili ratione disseri- V.
tur: hos Autor affirmat ab orientalibus Judæis institutos esse, sublato, quo communia sacra peragerentur, templo, vinculoque adeo unionis soluto. Nec tamen id eos ausos ante Parthos

thos, ſub Alexandro Severo victos. Hunam enim primum *Æchmalotarcham* Judæ Sancto coævum & A. C. 220 vel 222 illi officio præfectum eſſe: atque his admiſſis pleraque Criticorum circa Patriarchas & Æchmalotarchas dubia ſolvi poſſe. Eorum poſt ſeculum XII nulla ſupereſſe veſtigia. Academias ſub iis erectas eſſe Soranam, Pumdebitanam, Nareshanam,
Cap. V. Machuſianam, iisque ſua præfuiſſe capita. Inde *Tanaitarum* pertexitur hiſtoria, h. e. Doctorum, qui poſt Prophetas traditiones conſervarunt, Miſchnæ poſtremo autores, quibus primus abſolvitur Doctorum Judaicorum ordo. Quæ eis tribuitur בת קול *filia vocis*, inferior paulo *prophetia* revelationis gradus, quem ex Judaicis lacunis Chriſtiani quoque adſtruxere nonnulli, & in Novi Teſtamenti libris ejus veſtigia ſe invenire exiſtimavere; eam meram ſuperſtitionem eſſe, ſortibus Virgilianis, vel gentilium ex vocibus, forte editis fortuna, ominibus non abſimilem. Hoc vero ex ſcriptis Judaicis demonſtratur. Sic enim Simeonem & Jochananem iter Babylonem meditantes, ut Samuelem ibi audirent docentem, filiam vocis de itinere propoſito conſulentes Synagogam adiiſſe, in qua puerum legere audientes ex 1 Sam. XV, 1 verba: *Samuel mortuus eſt*, Doctorem illum mortuum eſſe intellexerint. Sic R. Acherum *filia vocis* damnatum eſſe: adducto enim eo ad varias ſynagogas, in prima audita eſſe verba Eſaiæ: *Impio non eſt pax:* in ſecunda: *Cur verba mea geſtas in ore tuo* &c. ut alia ejus generis taceamus. Ejusdem vero commatis eſſe, quæ de aliis Tanaitarum miraculis narrantur, quorum usque ad Judam S. continuata ſeries eſſe creditur, qui diſperſo jam populo Judæorum A. C. 215 litteris traditiones hucusque conſervatas mandaverit.
VI. *Gemariſtarum* inde ſequitur hiſtoria, qui defectus Miſchnæ ſupplere voluerunt, atque adeo *Talmud* abſolverunt. De libri igitur hujus ætate diſceptatio inſtituitur, neque ſatis ſolidis argumentis inſtructum Morinum Miſchnam quinque, Gemaram vero ſeptem poſt Chriſtum ſeculis elapſis conditam ſtatuere
VII. oſtenditur. Inde & Judæorum & Chriſtianorum diverſa de Thalmudis autoritate judicia percenſentur, varii ejus errores referuntur, genuinus uſus, quem præſtare poſſit in ritibus cognoſcen-

gnoſcendis indicatur. Inter ipſos Judæos *Sebureorum* h. e. dubitantium Doctorum ordo commemoratur, cujus ſectæ autor R. Joſi circa A. C. 476 floruit, atque cum ſequacibus ſuis Talmudicas traditiones per 74 fere annos impugnavit. Illis inde a VI ſeculi initiis ſucceſſiſſe, autore Chanane Meiſchka, *Gaones*, *excellentes* noſtra lingua dicas, usque ad A. C. 1037, quorum placita in iis, in quibus docebant, locis vim legum obtinebant, eorumque illuſtriſſimi ſigillatim commemorantur. *Maſoretæ* proximo loco, ſeu *Critici* Judæorum ſuccedunt, variisque de iis virorum doctorum expoſitis ſententiis, veri Maſoræ & punctorum vocalium apud Ebræos autores ſtatuuntur Aaron & Moſes, quorum Ille ex tribu Aſer, hic ex tribu Naphtali genus ducebat, illique de forma plurium vocum, ſeculi a Chriſto XI initiis, diſputabant, ut apud Gantzium eſt in Tzemach David p. 131; quæ fere eſt Morini ſententia, ejus quoque argumentis ſtabilita, atq; contra difficultates, quas hic Theologorum nonnulli metuunt, ex eo atque Capello defenſa. A Maſoretis ad *Cabbaliſtas* proceditur, prolixiſſima de iis & tota *Cabbala* inſtituta diſputatione. Ab elogiis ejus autem & fabuloſis, quas Judæi ipſi tribuunt, originibus ducitur initium. Ut primus Simon Jochaides ſcripto, quod *Zohar* dicitur, eam complexus ſit, inde narratur, breviterque, quæ ſumma ſit libri & præcipua argumenta, oſtenditur, ſymbolorumque iſtorum brevis & generalis explicatio additur, quibus ſimilis fere eſſe oſtenditur ſymbolica quorundam myſteriorum Ægyptiorum in imagine Iſidis repræſentatio. Inde judicium de hoc libro fertur, eo fere rediens: multa in eo eſſe, quæ ante ſeculum a Chriſto X ſcribi non potuerint; tenebras ejus impenetrabiles eſſe; denique præcepta R. Jiſaſchari, ex Zohare collecta, quibus Chriſtiani nonnulli ad explicanda Scripturarum Novi etiam Teſt. myſteria utendum putent, erroribus ſcatere & nugamentis quam plurimis. Paulo clariora vero ex recentioribus Cabbaliſtis derivari poſſe; ab iis enim Cabbalam in *Mercavam* h. e. partem de attributis Dei, & *Breſchit* h. e. contemplationem mundi inferioris dividi; *Mercavam* juxta Henrici Mori ſententiam explicat Autor. Indeque ad myſteria ſpecialiora in litteris tranſit; porro ad ea, quæ in vocibus

Cap. VIII.

X.

XI.

Cap. XII. quærunt, a Christianis quoque ambitiose investigata, nullum
XIII. non fidei suæ mysterium hac via indagantibus. Inde ad mysteria, quæ in divinis nominibus, maxime in tetragrammato, rimantur. His *Sephirotarum* abstrusior subjungitur philosophia,
XIV. quarum juxta Clarissimum Autorem mysterium in eo consistit, ut repræsententur attributa divina, quibus mediantibus essentia Dei, in se infinita, manifestatur: ut multum fallantur, qui in tribus prioribus *Sephirotis* mysterium Trinitatis vel delineationem personæ *Messiæ*, ejusve miraculorum quærunt, quod comparatis invicem *Cabbalistarum* locis ostenditur. Cum vero quinque sint *Cabbalæ* species, *prima naturalis*, quæ naturæ omnis mysteria ex litteris alphabeti evolvit: *secunda*, quæ ordinem & nexum rerum conditarum inter se spectat: *tertia contemplativa*, quæ & animum & corpus ad penitiorem cum Deo unionem elevat, atque miracula patrandi virtute homines instruit: *quarta* Astrologica; & *quinta* denique Magica, sigillatim de
XV. iis agitur. Inde origines *Cabbalæ* aliquot capitibus investigan-
XVI. tur, quas ipsi *Cabbalistæ* ad Mosen referunt, in cujus Lege & scriptis allegorica sint plurima, quæ litterales respuentes explicationes, *Cabbalisticis* opus habeant. At Autor non ea de re quæri observat, verum de ipsa methodo omnia *per Cabbalam*, etiam historica, in allegorias vertendi, quam in Ægypto ortam, ab ætatis inferioris magistris autoritatem existimat accepisse. Primum autem ei rei in Ægypto initia dedisse Eleazarum, cum circa translatam a LXX interpretibus Mosis legem & varios cultus quæstiones curiosius Ægyptii moverent. Ab eo inde tempore factiones inter Judæos ortas in Ægypto esse duas, *Litteralium* alteram, alteram allegorias sectantium *Cabbalistarum*. In his celebrem Aristobuli famam extitisse, eorumq; vestigia esse ap. Eusebium Præp. VIII, 9. p. 372. Inde sensim sensimque incrementa hoc studium cepisse, a Philone, Essenis aliisq; adoptatum; Judæis cum maxime, ut ne Ægyptiacæ religioni sua mysteriis cedere videretur, cupientibus: eorumque doctrinæ fragmina passim Christianos exhibere, Hieronymum in Commentariis, Basilidianos, qui ab iis æonas suos acceperint, atque alios. Fuisse ex eorum genere *Agadicos*, qui seculo XII in Ægypto a Maimonide com-

de commemorentur, atque inde ſenſim *Cabbalam* eam, quam hodie gerit, faciem induiſſe. Falli ergo, qui *Cabbalam* a Patriarchis in Ægyptum delatam atque ſuis ſuperſtitionibus ab Ægyptiis adoptatam putent: quod ut oſtendatur, ex Kirchero maxime & Theoph. Galæo allegantur myſteria *Cabbalæ* Judaicæ, quæ cum Ægyptiis ab Abrahamo communicata eſſe veroſimile videatur: indeque totum hoc ſyſtema evertitur, Ægyptiosque nihil a Judæis eorumque majoribus ad religionem ſpectans accepiſſe demonſtratur. Quin verſa potius vice ipſos eſſe ſuorum myſteriorum inventores, qua occaſione multa erudite de Ægyptiorum myſteriis diſſeruntur. Indeque de myſtica atque *cabbaliſtica* Theologiam tractandi ratione apud Græcos quoque agitur, ne nuda veritas impuris hominibus proſtituta vileſceret, a Poetis & Philoſophis adhibita. Hac methodo Trinitatis myſterium docuiſſe Orpheum, Sephiroticæ doctrinæ non ignarum: Homerum morum doctrinam, theologiam & Patriarcharum hiſtoriam. Maxime vero eminuiſſe illa Cabbaliſtica doctrina Pythagoram, ex Judæorum ſcholis derivata: eamque amplexam ex parte Socratem, ex toto Platonem etiam eſſe. Cabbalam in Chriſtiana eccleſia quod attinet, errare, qui Chriſto quoque eam tribuant, loco Matthæi V, 18 inducti, cujus ætate ea nondum fuerit inventa. Nec Pauli autoritati tuto cabbaliſticam ſcripturas explicandi methodum ſuperſtrui poſſe, Initia Cabbalæ Chriſtianæ ab autore Epiſtolæ Barnabæ, (Apoſtolo enim ea abjudicatur,) & Herma Paſtore eſſe ducenda. Hinc prolixior eaque jucundiſſima de patrum Cabbala & allegoriis diſquiſitio. De ſecundo porro Cabbalæ gradu, cum cuivis vocis alicujus litteræ integra vox tribuitur, diſputatur. Eam Græcis quoque Romanisque non incognitam fuiſſe, quisve uſus litterarum in genere Cabbaliſtis Judæis & Chriſtianis fuerit, oſtenditur. Ea occaſione de alphabeto cœli multa, de vi numerandi item in litteris, myſteriisque inde natis ſive Judæorum ſive Chriſtianorum, ſive Abraxeis ſive aliis ejus generis, unde & de Talismanibus quædam obſervandi occaſio naſcitur. Comparatio item Æonum, quos ſibi finxere hæretici quidam, cum Judæorum Sephiroth inſtituitur, eorum ſco-

Cap. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. XXIII. XXV. ſq. XXVII.

ſcopo & ſenſu indicato. Exiguus denique Cabbalæ uſus eſſe demonſtratur. Poſt Cabbaliſtas de *Rabbinis* variisque eorum titulis agitur, itemque de *Presbyteris*, motaque de *decem Synagogæ otioſis* controverſia, quæ indeciſa tamen Lectorum arbitrio permittitur, finis ſecundæ quoque parti imponitur.

Cap. XXIIX XXIX.

Verum jam ſatis nos detinuit iſtud opus, neque ſic tamen ex dignitate a nobis delineatum, neque ad finem usque recenſitum. Reliquorum igitur Voluminum trium notitiam proximo Menſi ſervamus.

SCRIPTORES RERUM BRUNSUICENSIUM illuſtrationi inſervientes, antiqui omnes & religionis reformatione priores; cura GODOFREDI GUILIELMI LEIBNITII.

Hanoveræ, ſumptibus Nicolai Fœrſteri, 1707, in fol. Alph. 11 pl. 10.

QUi de univerſa re litteraria jamdudum peregregie meretur, Illuſtris *Leibnitius*, Fautor noſter in primis colendus, aliorum excitatus exemplis, qui vel Alemannicarum, vel Belgicarum, vel Septentrionalium rerum ſcriptores propriis voluminibus dedere, ea pariter ſcripta in unum redegit corpus, quæ res Brunſuicenſes quocunque modo concernunt, additis etiam Halberſtadenſium, Verdenſium Mindenſiumque Epiſcoporum & in univerſum Saxonum rebus, & eruditis ſubinde Notis ac variis Lectionibus textui ſubjectis. Præfixa his eſt Introductio prolixa atque elegantiſſima, in qua, quicquid in ſingulis ſcriptoribus præcipuum eſt, accurate adnotatur, quæ cum huc transferre omnia inſtituti noſtri ratio non patiatur, ſaltem Libros & Excerpta, quæ in hoc corpore continentur, numero LXIV, ea, qua licet, brevitate enarrabimus. Præmittuntur *Excerpta Veterum Scriptorum de populis ad Albim & Viſurgim*, notis illuſtrata, in quibus Noſter vexatum Taciti de Germaniæ etymo locum in clara luce collocavit, Foſosque eidem memoratos & a Cluverio trans Albim remotos patriæ ſuæ, amni Fuſæ, prope Cellas in Alleram influenti vindicavit, & errorem de Mattiacis ſuſtulit, qui cor-

corrupta lectione pro Marsaciis in Batavorum viciniam transferebantur, vera eorum sede in Wedderavia constituta. Sequitur *Lex Saxonum*, *Angliorum* item & *Werinorum*, explicatis insuper, quæ Lindenbrogius intacta reliquerat. Post descriptam deinde *Alfridi Vitam Ludgeri*, primi Monasteriensium Episcopi, aliaque fragmenta Ludgerum concernentia, & *Chartularium Werthinense*, succedunt: *Poetæ Saxonis Annales Caroli M.* bella ejus Saxonica complexi, & a Reineccio olim, sed non satis accurate, editi: *Vita S. Idæ*, ab Uffingo Monacho Werthinensi scripta & a Surio primum edita: *Translatio S. Pusinnæ ad Hervordiam*, *Legenda*, ut & *Fragmentum de S. Martyribus in Ebbekestorp quiescentibus*, quæ etsi minoris pretii, nonnulli tamen usus in historicis sunt; & *Supplementum hiatus Annalium Fuldensium*. *Vita Mathildis Reginæ Germaniæ* ex Actis Sanctorum Antverpiensibus depromta est; *Witikindi* vero *Corbejensis Historia Saxonum*, multis hactenus mendis scatens, multum ornamenti & lucis accepit e variis Lectionibus, quas Nostro Laurentius Zaccagnius, Bibliothecæ Vaticanæ hodie primus Custos, e Codice Bibliothecæ Casinensis, & Wilhelmus Ernestus Tenzelius, Sereniss. Regis Pol. & El. Sax. Consiliarius & Historiographus e codice Archivi Electoralis Dresdensis communicarunt. Nec prorsus ab instituto hoc alienæ visæ sunt *Binæ Litaniæ in Corbeja Saxoniæ olim usurpatæ*, quas sequitur *incerti Autoris Carmen Panegyricum in laudem Berengarii I*, ab Hadr. Valesio antea Par. 1663 in 8 editum, nec non *Translatio Reliquiarum corporis S. Epiphanii ex Italia in Hildesheim*, & *Fundationes quarundam Saxoniæ Ecclesiarum*, quas Cl. Madero debemus. Porro lectu digna occurrit *Vita S. Adelheidis Imperatricis*, autore *Odilone Abbate Cluniacensi*, cum Canisii Notis recusa, ut & *Vita D. Brunonis Coloniensis Archi-Episcopi a Rotgero* scripta, quam antea a Surio interpolatam, ad MSptum Bibliothecæ Guelfebytanæ Noster emendavit, additis etiam scriptis aliis ad Brunonem pertinentibus. Primus inde Noster vulgavit *Vitam Theodorici I Metensis Episcopi*, a *Sigeberto Levita S. Vincentii* scriptam, cui subjunxit *Monachi Brunwilariensis de Palatinis Rheni, Erenfrido seu Ezone & Mathilde, eorumque filia B. Richeza Regina Poloniæ Narrationem*,

nem, eaque occaſione varia notatu digna affert in Præfatione. Imprimis vero de *Ditmaro, Epiſcopo Merſeburgenſi*, bene meritus eſt, cujus *Geſta Saxonum*, ſeu Cæſarum, ex antiqua domo Brunſuicenſi ortorum, poſt mancas Reineccii & Maderi editiones, integra demum ex codice optimo, a Celeb. Papebrochio liberaliter communicato, exhibet, quibus dolendum eſt collationes emendationesque ſtatim ſubjici non potuiſſe, quippe ſerius a Viris ſummis communicatas, eoque ad finem operis adjectas; addita & eſt *Vita Ditmari*, a Reineccio pariter vulgata. Hinc *Vitam Henrici Sancti* Imp. ab *Adelboldo* Epiſcopo Trajectenſi conſignatam, & e Gretſero deſcriptam, quanquam imperfectam, videas. *Bernwardi* porro, *Hildeshemenſis Epiſcopi*, qui Ottonis III Imp. præceptor fuit, *Vitam*, auctore *Tancmaro Bresbytero*, aliaque huc pertinentia dum ex Broweri Sideribus Germaniæ exhibet Illuſtris Leibnitius, inter alia obſervat, conſtantem apud Hildeſienſes famam eſſe, eundem Bernwardum Chemica arte præcelluiſſe, & commotum illa non ita pridem Maximilianum Henricum, Electorem Colonienſem & Epiſcopum Hildeſienſem, rei Chemicæ ſtudio & cognitione laudandum, inquiſiviſſe diligenter in veſtigia ſcientiæ Bernwardinæ, & nonnulla nactum perhiberi. Huic adjungit pariter ex Browero *S. Godehardi Epiſcopi Hildeshemenſis Vitam*, a Wolfero familiari ejus ſcriptam, ſimulque contra Mabillonium negat, Godehardi obitum ad IV Maji diem referri poſſe; nec lectu indignæ, quas addidit, *Meinwerci, Epiſcopi Padebornenſis*, qui Henrico II Imp. familiaris fuit, & *Heimeradi, Presbyteri & Confeſſoris, Vitæ*; quibus ſuccedunt *Acta Pontificum, gente Saxonum, Gregorii V & Clementii II*, ex Annalibus in Saxonia Sec. XII ſcriptis & Augerii de Biterris Catalogo Paparum, nondum editis, depromta, una cum Fragmento Hamerslebienſi, quod inſcribitur: *Gregorius Papa V, natione Saxo, natus in Melverode*. Cumque *Guilielmus Appulus*, Hiſtoricus, in *Poemate de rebus Normannorum in Sicilia, Apulia & Calabria geſtis, usque ad mortem Roberti Guiſcardi Ducis*, olim Rothomagi 1582 vulgato, nuptias Hugonis deſcripſerit, qui fratrem Guelfum, Ducum Brunſuicenſium ſatorem, habuit, hoc quoque, alioqui paucis & ne ipſi quidem rerum Nor-

man-

mannicarum collectori indefesso, Andreæ Duchesnio visum, hac occasione recudere lubuit. Pari ratione *Mathildis* Principis Italæ celeberrimæ, quæ Guelfo filio Guelfi nupserat, a quo tamen postea divertit, *Vitam*, a Domnizone Presbytero carmine descriptam & cum optimis MStis Romæ collatam, tum & *Anonymi Vitam* ejusdem *Mathildis*, soluta oratione comprehensam, quæ fere ex Domnizone desumta est, Noster inserit. Quin & e Bibliotheca Iulia promit quædam *de S. Autore ejusq; reliquiarum translatione in regionem Brunsuicensem*, ubi de Gertrude Brunsuicensium Principe alibi non obvia invenias. Porro ex *Reinhardi Reinebusensis Abbatis* opusculo *de familia Reinhardi Episcopi Halberstadensis* patet, hunc Reinhardum fuisse Popponis Comitis de Blanckenburg filium. Nec indigna lectu *Imperatorum ab Henrico Aucupe ad Henricum V gesta*, a Monacho quodam Hamerslabiensi descripta, & ex Madero huc translata. Plura vero ad Hildeshemensium res spectantia afferuntur: *Annales* primum *Hildeshemenses ab anno 714 ad ann. 1138*, quos Duchesnius in Tomum III Scriptorum rerum Francicarum retulerat, tum *Chronica Episcoporum Hildeshemensium*, quæ cum excerptis ex Eggehardi Vragiensis Abbatis Chronicis ad Ecbertum, a Browero adductis, conferens Noster, prorsus eadem Eggehardi Chronica esse comperit; *Necrologium* item *Hildeshemensis Ecclesiæ*, e quo multorum Imperatorum & Principum dies emortuales cognoscas, aliaque Fragmenta, quibus Ecclesia Cathedralis Hildeshemensis illustratur. Hinc *Versus antiqui* afferuntur *de Vicelino*, quem Episcopatui Aldenburgensi (qui hodie Lubecensis dicitur,) præfecerat Henricus Leo, exhibentur, a Lindenbrogio antehac vulgati, nec non *Compendium Vitæ* hujus *Vicelini*, quod nuper publicavit Clar. Struvius. Ubi porro *Chronicon Weingartensis Monachi de Guelfis Principibus* exhibet Ill. Leibnitius, refert, cum animum applicare cœpisset ad Historiam Guelficam, Carolum Ducangium, Christophorum Iustellum aliosque viros doctos in Gallia, cum quibus ei litterarum commercium erat, dubitasse, an verum esset, quod vulgo dudum ferebatur, Brunsuicenses ortos esse ex Atestina gente. Et quanquam diserte in adducto Chronico apud Canisium legebatur Cap. 6: *hic* (Gwelf) *genuit filiam Cunitiam* (Cuni-

(Cunizam) *nomine*, *quam Azo ditissimus Marchio Estensis* &c.
duxit, non diffitetur tamen, cum codicem Augustanum inspe-
xisset (ex quo Chronicon hoc ediderat & Canisius,) observasse.
se, quod suspicatus erat, vocem *Estensis* esse glossema alia ma-
nu adscriptum. Rem tamen ipsam, addit, in Italiam profectum,
certis se illic argumentis asseruisse, didicisseque etiam, quibus
legibus Azonis posteri, in Germania Duces, cum Marchioni-
bus Italis, ex eodem stipite prognatis, de ditionibus communis
parentis transegerint, aliaque Germanis Atestinisque scriptori-
bus ignorata. Subjecta est *Arbor Genealogica*, ex codice mem-
branaceo Monasterii Vinearum opera Amplissimi Pregizeri de-
scripta, & *Ladislai Gundheimii Canonici Viennensis Familia Wel-
phorum*, quam e Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi nactus est
Noster. Sequitur *Othonis & Acerbi Morenarum Rerum Lau-
densium Historia*, olim a Felice Osio edita, ubi dum expeditio
Friderici Barbarossæ contra Mediolanenses describitur, Henrici
Leonis & Guelfi patrui, qui expeditionis socii fuere, crebra fit
mentio, vultusq; omnis & statura describitur. *Chronicon* inde *Ste-
derburgense*, cui inserta Gerhardi Præpositi de Henrici Leonis po-
stremis rebus gestis beatoque ex hac vita excessu historica narra-
tio, a Meibomio antea editum, sed imperfectum, e Guelfebyta-
no codice hic integrum exstat. Nec indigna visa est *de Go-
descalco* rustico, qui Henrici Leonis ætate mira somniabat, *Narra-
tio*, cujus Excerpta hic comparerent, qualia deinde etiam ex *Ro-
gerio Hovedeno*, paucis extra Angliam noto, de rebus gestis Hen-
rici Leonis & filii ejus Ottonis IV Imp. afferuntur. Agmen
claudunt *Gervasii Tilberiensis Otia Imperialia ad Ottonem IV Im-
peratorem*, cujus libri cum eam tantum partem, quæ de Imperio
Romano & Gottorum, Lombardorum, Brittonum, Franconum
Anglorumque Regnis conscripta est, ediderit sigillatim Made-
rus Helmstadii 1673, optime erudito orbi consultum voluit No-
ster, ubi integrum nunc, e MSpto membranaceo Bibliothecæ Iu-
liæ descriptum & cum Cantabrigiensi MSpto partim collatum, in
publicum edidit; & lectu dignissima sunt, quæ tum de Auctore
tum de ipso opere erudite & prolixe in Introductione obser-
vavit.

LA

LA SICILIA INVENTRICE.
h. e.
DE REBUS A SICULIS PRIMUM REPERTIS Liber, opera & studio VINCENTII AURIÆ, Doctoris Panormitani.

Panormi, apud Felicem Marinum, 1704, in 4.
Alph. 1 pl. 16.

EXimia est Siciliæ fertilitas, multorum Scriptorum commendata calamis, atque, ubi Romani juris facta est ea Insula, in tantum æstimata, ut frumentariis Reipublicæ suæ subsidiis a Cicerone haud immerito annumeraretur. Sed vero ejusdem fœcunditas etiam in lætos ingeniorum proventus exuberavit, quæ alacri atque libero impetu non procurrerunt modo in artium optimarum studia, felicique literarum tractatu semet protulerunt, verum ab ultimis inde usque temporibus novitate quoque inventorum a se operum commendabilia extiterunt. Eorum certe tanta fuit copia, ut Nobilissimus Vir *Vincentius Auria*, Doctor Panormitanus, ad integri libri compositionem materiam invenerit, quin & Observationum atque Additamentorum, quæ subjiciuntur, Autori doctissimo *Antonio Mongitori*, jam messe facta, spicilegium superfuerit satis copiosum. Longum foret, quæ in gentis suæ gloriam de rebus ad hominum usus nove repertis uterque exponit, partite distincteque commemorare. Quare ex magno numero pro instituti nostri ratione hæc potissimum enotabimus. Salsa maris aqua ut dulcis p. 4.
reddatur, Antonius quidam modum dicitur reperisse eo tempore, cum Insula *delle Gerbe* a Turcis obsideretur, & incolis ita clausis deesse cœpisset aqua, quam biberent. Autor tamen Obser- 88.
vationum non Antonium ejus rei inventorem, sed Sebastianum de Pollere nominatum fuisse monet, qui vasis destillatoriis quinquaginta tantum aquæ dulcis confecerit in singulos dies, quantum implendis 50 tonnis posset sufficere. Marmor lapillis varii coloris 6.
distinguere cœperunt primum Panormitani lapicidæ, & eodem Sacrarium S. Rosaliæ in Ecclesia Majori ornarunt, inde passim & alibi usurpatum est, & maxime in Templo domus professæ P.

Societatis Jesu, ubi columnæ ingentes variis animantium figuris ita exornatæ conspiciuntur, quas exinde singulari Poemate Latino celebravit Vincentius li Bassi Canonicus Panormitanus, in
p. 101 sq. Horto ejus Musarum p. 145 legendo; qua occasione Auctor Observationum diversorum lapidum meminit, qui reperiuntur apud Siculos, & ab aliis etiam maximi æstimantur. Mutilis qua
10. ratione nasi vel labia etiam arte refingi possint, Branca quidam Chirurgus Siculus excogitasse fertur; in Observationibus
114. vero ex Ughelli Italia Sacra Petrus Vioneus laudatur, Tropææ, quod Calabriæ oppidum est, Chirurgus celebris, qui magna dexteritate, & successu egregio labia & nasos mutilos integri-
30. sq. tati donavit. Agitur inter alia de inventione rythmorum Italicorum, quam Auria noster & Observationum Autor Friderico II Imperatori, seculo XII Panormi nato, ejusque filiis adscribunt, & productis innumeris gravissimorum scriptorum testimoniis probant, quod Academiam constituerint isti vernaculam linguam expolituram, a qua Societate versus similiter cadentes facti leguntur in Collectione quadam Florentiæ A. 1527 facta, & descripti etiam ex codicibus Bibliothecæ Vaticanæ at-
152. que Barberinæ a Leone Allatio, A. 1661 prodierint; ubi ex Nonnio, in Observationibus allegato, notamus, Lusitaniæ Regem Dionysium non ita longe post Poeticum quoque studium maxime dilexisse, & fere primum carmina lingua scripsisse vulgari, Siculos imitantem cum aliis rythmorum felicissimos
61. repertores. Artis per gestus & nutus loquendi origo ad Hieronis Syracusani tyranni tempora refertur, qui cives mutuis colloquiis prohibuit uti, fecitque adeo, ut per signa manuum & pedum atque oculorum nutus animorum conceptus promerent. Quæ dum in Notis suis ulterius probat doctissimus Mongitores, ex Francisci Mariæ Magii Panormitani de Sacris Ceremoniis libro refert, duos fuisse adolescentes Syracusanos e familiis *Arezzo & Daniele*, qui ingenii sui felicitate tantum profecerint in ea arte, ut secreti locorum intervallis de rebus quibusvis per solos nutus, & eos quidem non indecoros loquerentur, darentque modum illum ignorantibus credendi eam ansam,
194. Magicis artibus alterum alterius cogitata rescifcere. Addit ita

ita multos natura ſurdos legere & ſcribere addidiciſſe, & multarum ſibi rerum ſcientiam comparaſſe, nominatque poſt alios S. J. Patrem in Collegio Panormitano Iuſtinianum, qui Baronis *di Rafforoſſo* filio Angelo Mariæ Rivaloræ loquendi facultatem ſcribendique conciliaverit, Jo. Bonifacii librum ſimul laudans, qui *l' Arte di Cenni* inſcribitur. Ut regionem ſuam a prædonum maritimorum impetu tutam magis præſtarent Siculi, circa A. 1554 ſpeculares turres veniſſe in Additionibus, quas Obſervationibus adpoſuit Mongitores, monet. Eæ vero recto ordine & juſtis intervallis ita erectæ ſunt in litore, ut excubantes in illis hoſtium adventum proximo cuique ſignificare queant, de quibus, Barclajo quoque Lib. I Argenidos memoratis, Camillus Camiglianus Florentinus in MSto libro, in quo oram Siciliæ maritimam deſcribit, expoſuerit. Tradunt ita de Siculorum ingeniorum inventis ambo Scriptores hi ſupra nominati cum multa induſtria & cura, eſtque ultimus eorum in Obſervationibus ſuis in eo potiſſimum occupatus, ut quæ ab Auria dicta ſunt, non ſupplementis modo ſuis augeat, ſed optimorum etiam Scriptorum cujuscunque ætatis teſtimoniis, quæ magno numero adducit, quantum poteſt fieri, confirmet. p. 224.

HUGONIS GROTII drey Bücher vom Rechte des Krieges und des Friedens, ꝛc.

h. e.

HUGONIS GROTII LIBRI TRES, DE JURE Belli & Pacis, in quibus Jus naturæ & Gentium, item Juris Publici præcipua explicantur, cum Annotatis Autoris, e Latina in Germanicam linguam translati a P.B.S. nato SCHüTZIO, Comitum Rhutenicorum Plavienſium Conſiliario, rerum Feudalium Directore & Ephoro; cum Præfatione DN. CHRISTIANI THOMASII, Reg. Boruſſ. Conſiliarii & Profeſſoris Juris Ordinarii in Academia Halenſi.

 Lipſiæ,

Lipsiæ, sumtibus Friderici Groschuff, 1707, in 4to.
Alph. 7 plag. 12.

QUem in vernaculam suam dudum transtulerunt exteri, nunc ope Consultissimi *Schützii* Germanice etiam loqui incipit summus Grotius, cujus consilii rationes & difficultates in Præfatione ipse doctissimus versionis Autor exponit. Nostra opera eo minus indiget hoc opus, quo magis, quid idem in recessu habeat, jam notum est. Quæ enim Grotius tradidit, nemini, qui hujus generis literis delectatur, sunt incognita, quam potens vero linguæ Germanicæ sit Noster, doctissimis scriptis aliis, ἀνονύμως editis, quorum nos quoque mentionem fecimus in Actis anni superioris p. 91 & 92, abunde hactenus comprobavit. In genere igitur nobis saltem asserendum est, quod summa diligentia ac exquisito judicio, tum textus Grotii, tum singula ejus annotata, Germanico idiomate donata sint. Et ne quid desiderari posset, versus, quos ex probatis autoribus passim inspersit Grotius, metro Germanico Noster quoque eleganter inclusit.

Toti operi Præfationem præmisit Consultissimus *Thomasius*, in qua de statu Juris naturalis usque ad Grotium prolixe satis disserit. Communem hominum calamitatem esse ait, quod, cum omnes diu feliciterque vivere cupiant, ea tamen agant, ex quibus vita infelix ac brevis non possit non sequi, cujus calamitatis ea censetur esse causa, quod homines mediis tam naturalibus, quam supernaturalibus, a Deo suppeditatis, non utantur, aut lumen naturale & supernaturale, rationem & revelationem, naturam & gratiam permisceant. In quo ergo discrimen luminis naturalis & supernaturalis consistat; deinde Vir celeberrimus edisserit. Nimirum lumen rationis & divinæ revelationis de intellectu, natura & gratia de voluntate dicuntur, in sensu tamen latiori lumen rationis etiam de viribus naturalibus, & gratia de supernaturali cognitione usurpatur. Hæc cum valde plana sint, res admiranda videtur, quod homines, cetera doctissimi, discrimen illud vel neglexerint, vel oppugnaverint, cujus abusus tum causæ, tum

exempla

exempla, ex philoſophia Ethnicorum pariter ac Chriſtianorum adducuntur, ac inprimis etiam Eccleſiæ Patres, quos vocant, hoc nomine notantur. In ſpecie ex doctiſſimæ Præfationis doctrina inter Doctores Eccleſiæ duplex Secta exorta eſt, Orthodoxorum, der Rechtmeinenden, & Myſticorum, der Geheimen, quæ ſectæ, ſibi invicem valde adverſæ, in opprimendo rationis uſu tamen conſpirarunt, illa autoritatis humanæ, hac præcipitantiæ in doctrina Chriſtiana præjudicium ſtabiliente. Inde univerſalis ignorantia & ſervitus, nec non ſanæ rationis ac certitudinis ſenſualis oppreſſio, inter Chriſtianos exorta eſt: miſer Scholarum tam inferiorum, quam ſuperiorum ſtatus acceſſit: doctrina moralis Ariſtotelica & Scholaſtica in Philoſophica Facultate nullius fuit pretii: commiſeratione digna Juris naturalis conditio ſub JCtis, ut & Theologis Scholaſticis, ſub quibus etiam ſecta Orthodoxorum fuit continuata, calamitatem iſtam eruditis quibusdam jam ante Reformationem notantibus; non minus etiam Theologiæ myſticæ, cujus origo a Judæorum Cabbala ac Gentilium quorundam Philoſophorum doctrina dependere videtur, inter Scholaſticos locus aliquis eſt relictus, adeo ut Albertus Magnus & Thomas Aquinas, magna illa Scholaſticorum Orthodoxorum lumina, contrarias illas ſectas conciliare ſuſtinuerint. Ex reformatione Lutheri, Zwinglii aliorumque ſpes concipienda videbatur, fore, ut diſcrimen & verus luminis naturalis & ſupernaturalis uſus, tam in Academiis, quam Eccleſiis reſtitueretur, ſed erroris inveterati pertinacia, ac infelix Reformatorum diſſidium rem valde neceſſariam videntur impediviſſe; hinc inter Proteſtantes etiam ſecta Orthodoxorum & Myſticorum effloruit ac magis magisque fuit dilatata. Initio igitur Seculi XVII miſerrima & maxime morbida doctrinæ de virtutibus & vitiis, de honeſto & turpi, aut de Jure naturali fuit conditio, Scriptoribus Pontificiis omnia ad Papatum ſtabiliendum referentibus, ac Jus Naturæ, Gentium, Moſaicum, Græcum, Romanum & Canonicum fœde miſcentibus, Proteſtantibus vero incaute illos ſequentibus. Hoc rerum ſtatu excitatus eſt Grotius, qui doctrinam

ctrinam Juris naturæ restauraret, ac in tollenda luminis naturalis & supernaturalis confusione initium faceret. Hujus igitur dotes Excellentissimus Præfationis Autor enarrat, ac, commendata versionis Germanicæ utilitate, summatim ostendit, quantum adhuc dici posset, si ultra Grotium Juris naturalis historia continuanda foret, inter alia hoc etiam notans, quod mystica docendi ratio nostris temporibus eo impudentiæ progrediatur, ut doctrinam Juris naturalis, velut noxiam & periculosam, palam traducere & calumniari quidam non dubitent.

OPUSCULA MEDICA DE STRUCTURA ET MOTU Fibræ, de Nutritione animali, de Hæmorrhoidibus, de Catameniis, edita a JO. DOMINICO SANTORINI, Philosoph. ac Med. Prof. & in Veneto Lyceo Publico Anatomes Incisore.

Venetiis, apud Jo. Gabrielem Hertz, 1705, in 8.

Plagul. 12½.

Quot & qualia Opuscula Medica hic ab Auctore nobilissimo exhibeantur, vel ex titulo satis innotescit. In *primo* namque *Opusculo* structuram & motum fibræ methodo Geometrarum enodare ille ideo sustinet, quod apud Recentiores fibrarum oscillationis, crispationis ac motus passim mentio fiat, nuspiam tamen evidenter exponatur, quid hæc significent nomina, aut quomodo motus ejusmodi perficiantur. Fibram videlicet nerveum vocat filamen, seu corpus teres, oblongum, cavum, in alia corpora cava non divisibile; per fibræ autem motum intelligit, quando hæc vel elongatur, vel abbreviatur, vel expanditur, vel coarctatur, vel quomodolibet alia intrinseca ratione, aut simplici, aut composita, aut ab externo, aut ab interno principio proveniente dummodo aut intrinsece immutetur villus, aut fluidum inclusum diversimode afficiatur. Si fibra tamen extra corpus tubulus vacuus, vel cum Bellino ex minimis quadrangularibus, in series instar laterum in muris dispositis, coagmentata supponatur, eam minime moveri posse, quin minimæ illius partes

tes

tes dispositionem mutent, & vel a contactu recedant, vel in majorem cohæsionem nitantur, fuse prius ostendit, quam fibræ in corpore actionem primariam hujusque causam internam declaret. Pro fibræ quippe in corpore, a cerebro enatæ ac instar chordæ citharæ neutiquam tensæ, præcipua actione reputat oscillationem, quæ vi etymologiæ non nisi oris seu orificii motionem sive apertionem denotet, crispatio alias & contractio dicta, eatenus contingens, quatenus arteriarum diastole in utraque meninge, potissimum pia, cerebrum comprimatur liquidumque contentum heterogeneum in fibras urgeatur, in extremitate propter sensationem, motionem & secretionem in glandulis cœcas potius, quam patulas, & figura conica præditas, asserendas. Pro motibus vero fibræ simplicibus sicuti restrictionem aut dilatationem, abbreviationem aut elongationem, & pro compositis elongationem simul & dilatationem, elongationem & restrictionem, abbreviationem & dilatationem, abbreviationem & restrictionem, venditat; ita a solo quidem spirituum motu fibrarum aut elongationem, aut restrictionem cum reliquis motibus peragi, non tamen a quocunque spiritus impetu quamlibet motionem fibræ fieri, sed & gradus impetus ejusdemque directionem requiri, pluribus demonstrat. In sensatione speciatim ab objectis non tam fibras, quam liquidum sive spiritum contentum moveri, motumque hujus cerebro tunc communicari, quando tanta vi in refluxum agitur, ut quascunque resistentias possit superare, variis rationibus non minus evincit, quam omnem sensibilium varietatem a modo refluxus dependere, exemplo tactus, visus, auditus & doloris adstruit. Ossium econtra, corticis cerebri, partiumque mollium, a frigore in rigiditatem conjectarum, sentiendi inertiam a deficiente liquidi nervorum refluxu derivat; neque nervos aliter vel relaxari & elongari, vel tendi & abbreviari posse indigitat, quam si spiritus distendens vel deficiat, vel abundet. Sed quid fibrarum contractio & relaxatio in motibus fluidorum valeant, quid e diverso in fibræ tensione & relaxatione ab aqua & ab oleo contingat, quidque stimulus sit, & quomodo hic operetur, sub finem uberius explanat.

In

In *Opusculo altero* circa nutritionem animalem ita occupatur, ut ante omnia reparationis necessitatem ex consumptione, etiam solidorum, hinc nutritionis materiam & modum, pro partium solidarum diversitate diversum, sistat demonstrata. Quamvis enim fluidorum motus intestinus, minimorum, quibus constant, quieti & contactui perfecto arcendis tantummodo dicatus, solidorum compagem vix solus possit solvere, vel uti & partibus solidis dividendis, & earum particularum resistentiæ superandæ impar, nullus tamen dubitat, quin circularis sanguinis motus, quo hic ad vasorum latera validius appellitur, impetus momento vi cohæsionis prævaleat partesque solutas, cum tenuiores per transpirationem insensibilem, tum crassiores per organa diversa, e corpore expellat. Non sola nihilominus fluida hic consumi, verum & a solidis, ipsisque ossibus, aliquid abripi ut confirmet, ad vim provocat, tum majorem, qua ossa in Lue venerea carie corrumpantur, frustulum ab osse denudato dimoveatur, & arteriarum aneurysmata excitentur, tum minorem, nunc in marmore duriori atterendo, nunc in cornu cervi e molliendo, extra corpus conspicuam. Pro nutritionis autem materia & modo diverso exactius determinando cunctæ corporis nostri partes solidæ vel ad nerveas, vel ad sanguineas, vel adiposas a Nostro reducuntur, & ad nerveos in specie ossa, cartilagines, (utræque in primordio spectatæ) tendines, ligamenta, membranæ, tunicæ, & quæcunque albicantes, ad sanguineas musculi, epar, lien, glandulæ, aliæque a vasis sanguineis rubore suffusæ, ad adiposas denique pinguedo, omentum & ossium medulla, referuntur. Adipis nempe nutritio ab oleosa sanguinis portione, per adiposas glandulas secernenda & intra sacculos membraneos colligenda, in tantum deducitur, in quantum sanguis ab arteriis in appensos sacculos oblongos, ceu glandulas adiposas, omnis quidem effundatur, parte tamen reliqua tenuiore per poros convenientes ad venas pergente, solæ particulæ pingues, tanquam reliquis crassiores, remaneant. Qua glandularum adiposarum structura supposita, pinguedinem ad sanguinem quoque promte regredi posse innuitur, si vel externa sacculorum compressione venarum orificia magis

magis dilatentur, prout Malpighio in ranarum vena portæ ab adsitarum striarum adiposarum compressione olei guttulas sanguini admixtas licuit videre, vel sanguis ipse majori impetu irruens particulas adiposas magis magisque attenuet, aptasque efficiat, quæ venas ingredi atque vel spiculorum sanguinis correctioni, vel nutritioni, inservire queant, quemadmodum in animalibus, quæ per plures menses sola nutriuntur pinguedine. Partes vero nerveæ, ex nerveis fibris contextæ, instar solidarum tantum non omnium, a succo nervorum, qui cum spiritu animali simul propter summam hujus subtilitatem æque coercendam ac fibras quasvis nutriendas in cerebri glandulis secernitur atque ex dissecto nervo optico animalis recens mactati evidenter exprimitur, tunc nutriri perhibentur, quando succus talis per nervorum non interstitia, sicuti Borello immerito visum fuit, sed foramina sive tubulos ab arteriarum diastole & cerebri compressione propulsus, spiritu quiescente minusve valide sese agitante, somni cumprimis tempore, ratione particularum superficiei planæ internis fibrarum parietibus adhæret, adhærensque per diuturnam quietem firmatur. Hinc ut augmentationis, nutritionis simplicis & decrementi ratio, tum a solido, tum a fluido, patescat, pueri tam ob partes fibrarum laxius cohærentes faciliusque a contactu per spiritum continuo influentem dimovendas, quam ob succum nerveum uberiorem, distractis partibus interpositum fibrasque elongantem, augeri ostenduntur, prout e diverso catulorum extensio frequenti usu externo spiritus vini rectificati, partes eorum rigidiores reddentis, soleat inhibere. In viris autem nullam porro augmentationem fieri posse, quod & succus uberior, ceu vel pororum vitio incipiente non productus, vel motuum violentia difflatus, & partium facilis distractio deficiant; tum in senibus decrementum etiam accidat, quia vitio pororum alimentum desit, quod in partium consumptarum cedat locum. Partes demum sanguineæ, sanguineorum vasorum cumulum involventes, quoad oculum non alio modo dicuntur nutritæ, quam si vasa minima plurimo sanguine turgeant. Succus interim nerveus ne paucior nonnullis videatur, quam ut univer-

 sale

ſale corporis nutrimentum conſtituat, quantum cum hoc fluidum, tum partes ſolidæ tempore æquali conſumantur, pluribus decernitur.

In *Opuſculo III* de hæmorrhoidum fluentium cauſis potiſſimum, & commodis atque incommodis diſſeritur, Veterum præjudiciis de hæmorrhoidum a liene ſuctione, de lienis expulſione, ſanguinisve a liene fæculentioris per easdem excretione, repudiatis. Talis enim ſanguinis excretio dum & a fluidis, & a ſolidis, petitur, ſanguis ipſe monſtratur, quomodo vel quantitate, vel qualitate, vel motu ita peccare poſſit, ut impetu ſuo vaſorum reſiſtentiam ſuperet & arteriarum hæmorrhoidalium extrema perrumpat; inteſtinum autem rectum pro concauſa hujus fluxus habetur, ſi interius aut a fæcibus, ſive acrioribus, ſive durioribus, abradatur, aut a ſanguine inter conſtrictionem pertinaciorem congeſto erodatur. Nec ratio, cur fluxus ejusmodi certam aliquando obſervet periodum, aliunde deſumitur, quam quod certum requiratur tempus, quo ſanguis vitium hæmorrhoidibus excitandis proportionatum acquirat. Sed ab hæmorrhoidum fluxu quemadmodum juvamen tunc in genere promittitur, quando ſanguinis ſimul vitium per eundem poteſt tolli, ita in ſpecie diſtincte exponitur, quando hæmorrhoides ſanguini, vel quantitate, vel qualitate vel motu vitioſo, conferant aut noceant, datisque etiam rationibus *Hippocratis Aphoriſmus II lib. 6 atra bile vexatis, & renum paſſionibus, hæmorrhoides ſupervenientes bonum* pronuntians, corroboratur. Corollarii loco hirudinum applicatio, tanquam remedium impudicum, rejicitur, quod cum triangulari earum aculeo ſuccus deleterius in vulnus una queat inſtillari, per hirudinum vero ſuctionem, aeris externi gravitati adſcribendam, non ſanguis fæculentior, ſed purior, relicta portione rubicunda, veluti ſanguinis terra damnata, ſine omni electione eliciatur, neque alio cum emolumento, quam quod vaſa debilitentur, ut temporis tractu excretio naturalis cum majori fructu poſſit ſequi.

In *Opuſculo ultimo* fluxus mulierum menſtruus non ab una cauſa, ſed a pluribus ſimul agentibus, videlicet, a ſanguinis plethora,

thora, vera vel notha ſive rarefactione, a vaſorum per uterum & per vaginam mira diſtributione, a ſeminalis denique materiæ impetu, tam per totam ſpirituum ſyſtaſin diffuſo, quam vaginæ partes præcipue ſtimulante, derivatur. Catumenia tamen termino adeo ſtatuto fluere in dubium æque vocatur, ac ſingularis Lunæ in fœminarum corpora influxus negatur, quia præcipua hujus in ſublunaria vis, a preſſione pendens, unice varia, prout majori vel minori illuminata parte nos reſpiciat, a *Bernardini Zendrini*, Autoris amico, in tractatu de æſtu maris, docte fuerit oſtenſa. A ſanguinis autem rarefactione & irritante ſtimulo excretionem talem, præter diſpoſitionem vaſorum, dependere, exemplo peculiari mulieris, quæ a leviſſimo aſſumpto cathartico aliqualem catameniorum fluxorum ſtatim experiatur, confirmatur.

PRÆSAGIUM MEDICUM: OR THE PROGNOſtick Signs of Acute Diſeaſes.

i. e.

SIGNA PROGNOSTICA MORBORUM ACUTOrum, Autore Jacobo Harvey, Med. D.

Londini, apud Georgium Strahan, 1706, in 8.

Conſtat plagul. 16.

PArtem Semioticæ Prognoſticam traditurus Clariſſimus Autor, Hippocratis, qui hac Medicinæ parte maximam ſibi comparaverat famam, non ſolum inſiſtit veſtigiis, ſed & recentiorum Medicorum Obſervationes allegat, rationes phænomenorum ubique adjungens. In ſedecim igitur Capita incluſit, quæcunque hoc de argumento dici poterant. Scilicet Cap. 1 de delirio, Cap. 2 de ſenſoriis, Cap. 3 de doloribus, Cap. 4 de corporis habitu & poſitu, Cap. 5 de pulſu, Cap. 6 de urina, Cap 7 de ſomno & vigiliis, Cap. 8 de excretis per alvum & vomitum, Cap. 9 de ptyaliſmo & ſanguinis ſputo, Cap. 10 de ſudore, inſenſibili tranſpiratione, hæmorrhagiis & ſanguine ex vena extracto, Cap. 11. de reſpiratione, Cap. 12 de convulſionibus,

 apho-

aphonia, vocisque alterationibus, Cap.13 de appetitu, colore faciei, genarum, linguæ, & adjacentium partium, Cap. 14 de horroribus, tremoribus & palpitationibus, Cap.15 de abscessibus, bubonibus, ac carbunculis, & Cap.16 de crisi diebusque criticis agit, & quæ signa prognostica ex hisce fontibus peti possint, declarat. Speciminis loco quædam ex Capite 1, quod deliria sistit, excerpta dabimus. Circa primam febrium acutarum invasionem liquor nerveus fixatus & confusus, motusque sanguinis languidus observatur, mox tamen spiritus animales & sanguis pristinum vigorem recuperant, hinc calor frigus excipit, & sanguis rarefactus suos canales vasaque adjacentia distendit & comprimit, illa imprimis cerebri, utpote magis contorta & complicata; unde necessario dolores, stagnationes fluidorum, & alia symptomata sequuntur. Qui calor si aliquandiu continuet, sanguis exhausto sero suo viscidior redditur, nervi & fibræ, cerebri potissimum, contrahuntur, & spirituum animalium motus producitur irregularis, sub quo variæ species repræsentantur, & anima ad illas advertens ad delirium disponitur; quod citius non desinit, nisi calore extincto, & sanguinis rarefactione sublata, id quod per somnum & evacuationes cujuscunque generis obtinetur. Bonum igitur signum esse dicitur, si delirantes somnum capiant; calorem enim non æqualem semper servare gradum, sed de vehementia sua remittere quandoque, hoc ipso innuitur. Contingit tamen subinde, ut post æstum, vigilias & deliria nimis diu protracta, in somnum incidat æger; idque pro lethali habendum est signum; siquidem nervi & fibræ cerebri relaxatæ nimis sensibus tam externis quam internis vacare amplius nesciunt. Evacuationes quod attinet, hæ e. g. per hæmorrhagiam narium pro bono vulgo reputantur signo, sed in principio morbi hæc fiat, & sit copiosa, necesse est; calor enim hoc modo restinguitur, effervescentia sanguinis infringitur, & materiæ morbificæ pars eliminatur. Quodsi vero guttatim exstillet sanguis, colorisque sit nigri, summam vasorum capillarium laxitatem, sanguinis aciditatem, & pertinacem ejus obstructionem innuit, ægrumque in mortis faucibus hærere docet. Risum delirantium equidem nil mali por-

portendere vulgo dicitur; eo ipſo tamen, quod ille convulſionis a calore nimio ſerique defectu productæ ſpecies eſt, omni periculo vacare non poteſt. Sic reſpiratio parva & debilis in delirantibus malum præbet omen; cum enim ad reſpirationis negotium magnus ſpirituum animalium requiratur affluxus, in hoc caſu eoſdem deficere, vel quia ex ſanguine non elaborantur, vel quia ob obſtructiones influere in ſufficienti quantitate nequeunt, innuitur. Denique delirium affectibus ſoporoſis ſuperveniens melius equidem ominari ſuadet, quatenus ſanguinis velocitatem reſtaurari, viſciditatem reſolvi, & ad excretiones diſponi, vel materiam morbificam in abſceſſum abiiſſe indicatur; quodſi vero inflammatio ſit magna, aut diutius duret, delirium dentium ſtridore, oculorum fixitate, urinæ & alvi excrementorum involuntaria excretione, linguæ ariditate, & nigredine, ſitis defectu, gangræna cerebri, & machinæ animalis diſſolutione ſtipatur, & cum morte terminatur.

MISCELLANEA CURIOSA, BEING A COLLECtion of the principal Phænomena in Nature &c.

i. e.

COLLECTIO PRÆCIPUORUM QUORUNDAM Naturæ Phænomenorum a maximis ævi hujus Philoſophis explicatorum, una cum diſcurſibus coram Societate Regia ad promovendam Scientiam Phyſicam & Mathematicam inſtituta recitatis. Volumen II.

Londini, apud J. Wale, J. Senem & O. Price, 1706, in 8.
Conſtat Alph. 1 & 9 Tabb. æneis.

INſtitutum Collectoris horum Miſcellaneorum jam menſe Dec. 1705 commemoravimus, cum primum eorundem Volumen recenſeremus. Quare breviter tantum indicabimus, quinam Diſcurſus ex Transactionibus Anglicanis in ſecundum hoc

 Volu-

Volumen fuerint congesti. Mathematici plerique sunt, pauci ad scientiam naturalem spectantes occurrunt. Reperies ibi *Wallisii* Litteras ad *Richardum Norris* de collectione Secantium & vera divisione Meridianorum in mappis nauticis; excerpta ex Litteris ad *Richardum Wallerum* de spatiis in cycloide quadrabilibus; Cogitata de apparente magnitudine Solis & Lunæ prope Horizontem & in majore elevatione; Methodum inveniendi parallaxin stellarum fixarum respectu Orbis annui Telluris, & Litteras ad D. *Sloane* de generatione grandinis, tonitru ac fulguris; *Halleji* Methodum construendi Logarithmos; Methodum generalem extrahendi radicem ex æquatione quacunque, sine ulla prævia reductione; Dissertationem de constructione problematum solidorum; Discursum de numero radicum in æquationibus solidis & biquadraticis; Propositionem generalem de dimensione arearum in cycloidibus & epicycloidibus; Methodum de inveniendo vero momento ingressus Solis in signa Tropica; Synopsin Astronomiæ Cometicæ; Dissertationem Geometricam de Iride; *Johannis Craigii* duo Problemata de solido minimæ resistentiæ & curva celerrimi descensus; Quadraturam Curvæ Logarithmicæ; Quadraturas curvarum Geometrice irrationalium; *Davidis Gregorii* proprietates Catenariæ; *Abrahami de Moivre* Specimina doctrinæ fluxionum; Methodum quadrandi aliquas species curvarum vel eas reducendi ad simpliciores curvas; Methodum elevandi infinitinomium ad potentiam desideratam, vel ex infinitinomio extrahendi radicem desideratam; Methodum extrahendi radicem ex infinita æquatione; *Caswelli* Quadraturam portionis Epicycloidis; *Lowthorpii* experimentum de refractione aeris; *Wilhelmi Molyneux* demonstrationem erroris in planimetria per longum temporis intervallum commissi, a variatione seu declinatione acus Magneticæ propullulantis; Discursum de apparente magnitudine Solis & Lunæ prope Horizontem & in circulo verticali; Discursum de corporibus in menstruis specifice levioribus solutis ipsisque innatantibus; *Francisci Roberts* Paradoxum aliquod Arithmeticum sortitionem schedularum concernens: Anonymorum computum credibilitatis testimonii humani; Theorema de descensu corporis gravis ab uno

uno puncto dato ad alterum per arcum cycloidis; Scalam graduum caloris; denique Observationes de specifica gravitate variorum corporum. Ex his jam in Actis nostris leguntur *Wallisii* Methodus inveniendi parallaxin orbis annui Tom. III Supplem. p.73; *Halleji* Dissertatio de constructione problematum solidorum Tom. I Supplem. p. 144; Methodus inveniendi momentum ingressus Solis in signa Tropica & Dissertatio de Iride Tom. III Supplem. p. 228 & 403; nec non ejus Synopsis Astronomiæ Cometicæ mense Majo hujus anni; *Gregoriique* Catenaria A. 1698 mense Julio. De reliquis specialiora dicere prolixum nimis foret, nec necessarium judicamus, cum multa eorum vel ex ipsis Actis nostris, vel aliunde dudum eruditis innotuerint, vel ex ipso libello facili labore haurire unicuique liceat, quæ sunt ad palatum ipsius. Methodum certe *Hallejanam* Logarithmos construendi & radicem ex quacunque æquatione extrahendi tum in Elementis Arithmeticæ numerosæ ac speciosæ *Eduardi Wels*, Oxoniæ 1698 in 8 editis ac tyronibus maximopere commendandis, tum in Synopsi Palmariorum Matheseos, mense Aprili hujus anni commendata; Schediasmata *Moivraeana* in Animadversionibus in *Cheynæi* Tractatum de Methodo Fluxionum inversa, de quibus mense Febr. anni præs. egimus, reperies. Paucula tantum ex schediasmatibus ad Scientiam naturalem spectantibus delibamus. Cum *Wallisius* per observationes *Fosteri*, Professoris quondam Astronomiæ in Collegio Greshamensi, & *Caswelli* certus esset, diametrum Solis horizontalem prope Horizontem eandem per quadrantem deprehendi, quæ in ipso Meridiano observatur, utut contrarium a se & *Grimaldo* sæpius deprehensum esse fateatur *Ricciolus Part. 2 Almag. Lib. 10. Sect. 6. Cap. 1. Quæst. 13 f. 644*, quibus Solis diameter in Horizonte aliquando ad integrum pene gradum, crebro ad 45′ diameter Lunæ ad 38′ & 40′ visa est extendi, ac prope perpendere refractionem altitudinem quidem, ast non Azimuthum fieret, refractionem altitudinem quidem, ast non Azimuthum Hoderis mutare, & quicunque tandem ejus fuerint effectus, Horizontem tamen semper circulum permanere: causam, cur diameter Solis & Lunæ major in Horizonte, quam in Meridiano appareat, in solam imaginationis deceptionem cum *Albazeno*,

zeno, *Vitellione*, *Keplero*, *Cartesio* conjicit, quod scilicet imaginatio de magnitudine objectorum non modo ex angulo, sub quo videntur, sed & ex eorundem cum distantia supposita comparatione judicet. Idem *Wallisius* grandinem a congelatione vaporum per omnem descensum continuanda; tonitru & fulgur ab accensione exhalationum nitrosarum ac sulphurearum in nubibus commixtarum petit. *Molyneux* legem Hydrostaticæ, qua specifice graviora subsidere dicuntur in specifice levioribus fluidis, defectu quodam laborare, nec ad minimas corporum particulas applicari posse statuit. Causam igitur redditurus, cur corpora quædam specifice graviora in menstruis specifice levioribus soluta non subsidant, sed iisdem innatent, e. gr. ferrum, in aqua forti solutum, supponit, in particulis fluidorum esse quandam ad unionem propensionem, adeoque fluida gravibus descendentibus resistere pro ratione superficierum eorundem. Jam cum superficies in dissolutione corporum decrescant in ratione duplicata, soliditatibus in triplicata decrescentibus; corporibus integris minus resisti a fluido, quam in particulas minimas dissolutis. Licet itaque integra resistentiæ fluidi separandæ sufficiant, non tamen sufficere dissoluta.

ERRATA.

Pag. 234 lin. 12 l. *nequicquam*: p. 272 lin. 29 l. *Lowerus*: p. 274 lin. 7 l. *rectius*: p. 277 l. 18 lin. *gelatinosum*: p. 308 lin. ult. l. *superiorem*: p. 328 lin. 30 in verbis *Cælum &* dele *&*: p. 329 lin. 34 l. Yvon: p. 384 lin. ult. pro *octogesimo sexto* l. *sexagesimo octavo*.

*** *** ***

N. XI.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Novembris, Anno MDCCVII.

METAMORPHOSIS INSECTORUM SURINAMENSIUM, ad vivum naturali magnitudine picta atque descripta a MARIA SIBYLLA MERIANA.

Amstelodami, sumtibus Autoris, 1705, in fol. ch. Regia.
Constat 16 plag. & 60 Tab. æneis.

Etiam in minimis emicare non satis mirandam Creatoris Omnipotentis gloriam, testantur abunde vel sola insecta, tum elegantissimis coloribus & structura singulari conspicua, tum mirabili transformatione præ ceteris animalibus maxime notanda. Haud vanum proinde laborem susceperunt præter Gesnerum, Aldrovandum, Jonstonium, aliosque Zoographos, qui seorsim insectorum tantum contemplationem adeo diligenter prosecuti sunt, uti Moufettus, Godart, May, Lister, Swammerdam, Blanckard, omnes laudandi hoc magis, quo minus grata videri poterat animalculorum ignobilium, nobis maximam partem molestorum noxiorumque tractatio. Quis vero credat fœminam ea curiositate allici, ut manu sua insecta colligat, delineet vivis coloribus, ærique incidat, nec sumtibus parcens, nec periculum reformidans, quod navigatio in Americam, mora per biennium Surinami, & reditus æque difficilis minitabatur? Sed jam antehac celebritatem nominis non vulgarem sibi conciliarat, cum anno 1679 Partem primam, & post anno 1683 secundam Observationum de Insectis curiosissimam ederet. Nunc autem immortalitatem famæ inter-

omnes, quæ unquam vixerunt eruditæ mulieres, hoc opere sane pulcherrimo meretur, utpote quod cum aliorum in hoc genere celeberrimorum artificum laboribus certare potest absque dubio. Quid? quod inter Botanicos etiam loco haud postremo nominabitur in posterum, siquidem plantæ peregrinæ, quas tanquam insectorum escam quasi aliud agendo simul depingit, vel hucusque prorsus incognitæ, vel minus accurate ab aliis descriptæ fuerunt, uti ex Figura 36, 39, 51, 56, 58, 60, aliisque satis apparet. Ceterum plantarum nomina, quæ ab incolis imposita iis sunt, retinuit Auctor; Latina vero, aliaque cognomina in Notis subjunxit Cl. *Casparus Commelinus*, M.D. qui & ipse descriptiones insectorum pariter & plantarum ab Autore vernacula lingua expositas in Latinum sermonem convertisse vulgo fertur. Denique notamus, Auctorem Observationes etiam in Germania collectas promittere, quas his, quæ in Frisia & Belgio observavit, augere & Latino pariter ac Belgico sermone edere constituit.

MISCELLANEOUS TRACTS,
seu
TRACTATUS MISCELLANEI; AUCTORE MICHAELE GEDDES.
Volumen II.

Londini, apud A. & I. Churchill, 1705, 8.
Alph. 1. pl. 5.

NOn obscurum inter Anglos est Cl. *Geddesii* nomen, quippe qui & Historiam Ecclesiæ Malabaricæ *(History of the Church of Malabar)* Londini 1694 & ibidem triennio post Concilium Tridentinum nequaquam liberum *(The Council of Trent no free Assembly,)* cui libro, Epistolas imprimis, quas Vargas aliique summi ejus ætatis, qua Concilium celebratum est, viri scripserunt, complexo, elegantem Dissertationem de Conciliis præmisit, in publicum edidit. Hic Miscellaneorum Volumen primum Londini 1702 vulgavit, quod æque ac reliqua ejus opera ad nos

nos nondum perlatum esse dolemus. Nacti tamen sumus Miscellaneorum horum Volumen II & III, de quibus, etsi jam biennio abhinc editis, hoc minus tacere possumus, quo plura in iis occurrunt memoratu dignissima. Complectitur enim Volumen alterum, quod recensere nunc suscepimus, Dissertationes sex doctissimas, quas Auctor earundem amplissimus, ex historiæ Ecclesiasticæ maximam partem, ut & civilis, foro non sine delectu deprompsit. Prima harum Dissertationum Primatum Papæ excutit, eundemque ab Ecclesiæ Hispanicæ antiquissimæ facie admodum recedere ostendit. Altera, quibusnam artibus Papa in Lusitania ab A. 1641 ad A. 1666 auctoritatem suam & primatum stabilire callidissime annisus fuerit, exponit. Tertia hallucinationes & errores quosdam enormiores in Martyrologio Romano, a Papa Gregorio XIII reformato, prodit. Quarta animadversiones quasdam perdoctas in Legendam S. Jacobi de Compostella exhibet. Quinta catastrophen tristissimam Antonii Perez, Philippo II Regi Hispaniarum a Regni secretis, e Scriptoribus Hispanis singulari industria collectam sistit. Et sexta demum appendicis ad primam de primatu Papæ dissertationem vicem adimplet. Affluunt omnes rerum ubertate jucundissima, & uti Volumen tertium proximo cuidam mensi reservamus, ita ex *Prima* & *Tertia* Voluminis hujus Dissertatione quædam hic speciminis loco delibare sufficiet.

Cum constans sit Auctoris nostri sententia, quod Ecclesia moderna Anglicana antiquissimæ Ecclesiæ Hispanicæ, qualis ad seculum usque VIII æræ Christianæ fuit, faciem quam exactissime referat; jam vero in nulla Ecclesia occidentali, præter Hispanicam illam, vel antiquiora vel magis authentica rerum gestarum documenta supersint: inde non inanem se Ecclesiæ suæ Anglicanæ operam navaturum confisus est Auctor, si Dissertatione Prima ex pervetustis illis documentis demonstraret, Papæ primatum primis Christianismi seculis partim usque ad seculum octavum in Hispania ignoratum fuisse, partim vero adhuc sub initium seculi octavi impugnatum. Quod ut evincat, ex historia Pontificum initio repetit, quod Papæ primatus in ipsa Ecclesia Latina non jurisdictionis & auctoritatis, sed

tis, sed ordinis tantum & dignitatis nomen primum fuerit. Quocirca Episcopum Romanum primum, Episcopum Alexandrinum secundum, Episcopum Antiochenum tertium semper primis seculis locum tenuisse, quod Roma, velut metropolis & Imperatoris sedes, primum, Alexandria secundum, & Antiochia tertium inter urbes Imperii locum obtinuisset. Tametsi vero Episcopi Romani post ea tempora primatum auctoritatis sæpius, non absque æmulatione ceterorum, affectaverint, & contra Mauritius Imperator, imperio in Orientem translato, A. 595 Episcopo CPtano Episcopi œcumenici nomen impertiverit: attamen Episcopos Romanos eum, quem hodie Papa teneret, primatum non nisi per Phocam, parricidam, obtinuisse, qui illum amplissimis juribus auctum cum Imperio Romam retulerit, quod Papa Gregorius Magnus cum successoribus suis Phocæ crimini admodum fuisset patrocinatus. Huic itaque parricidæ, non autem Christo vel Petro, Ecclesiam hodie Romanam omne palladium seu primatum suum debere. Id quod ex eo etiam comprobari posse Auctor contendit, quod ejusmodi primatum Ecclesia Hispanica antiquissima, magnam tum Galliæ partem simul complexa, usque ad seculum VIII ignoraverit. Provocat idcirco præ ceteris ad antiquissimam XL Synodorum Ecclesiasticarum, quæ in Hispania ab A. 324 usque ad A. 694 celebratæ fuerunt, Collectionem, quam Garsias Loaisa, Archiepiscopus postmodum Toletanus factus, A. 1593 ex MStis, cum Notis quibusdam, Madriti edidit. De quorum documentorum fide dubitari posse tantum abesse Auctor commonet, ut nec ipse Baronius vel alius quidam auctoritatis Papalis propugnator illa unquam in dubium vocaverit, neque ea interpolata esse probabile sit, quod alioquin ipsa in Papæ ipsius damnum hujusque auctoritatis detrimentum interpolata credendum. Jam vero in his Conciliis, ad fidei doctrinam firmandam & ad disciplinam Ecclesiasticam promovendam coactis, ea se maxime contra primatum Papæ argumenta deprehendisse Auctor commonet: primo, quod nulla prædictarum Synodorum ab Episcopo Romano fuerit convocata, secundo, quod Episcopus Romanus nullum Delegatum in

rum in his Conciliis habuerit, qui ipsius personam repræsentaret, tertio, quod nulla Synodorum harum decreta ab Episcopo Romano fuerint confirmata, neque etiam ejusdem adprobatio vel confirmatio unquam postulata, quarto, quod gratiarum actio, quæ sub finem plurimarum Synodorum occurrat, nullibi ad Episcopum Romanum, sed ad Deum unice & Regem, per quem Concilia illa convocata fuerint, sit directa, & quinto demum, quod Acta hæc Synodalia universa raram admodum Episcopi Romani mentionem, absque ulla tamen auctoritatis testimonio, faciant. His argumentis illa porro accedere, quod Ecclesia Hispanica antiquissima verba, *Filioque*, absque ulla cum Papa vel Episcopo Romano consultatione prævia, Symbolo CPtano A. 589 addiderit, imo Liturgiam habuerit a Liturgia Romana plane diversam, & quod Concilia illa Toletana semper exosa fuerint Pontificiis, ceu quidem illud ex Vargasii quadam Epistola A. 1551 tempore Concilii Tridentini ad Episcopum Atrebatensem scripta comprobari posset. Post hæc ostendit, quod Primatus Papæ, uti eum Pontifices Romani sub initium seculi VIII in Hispania quoque sibi arrogare ausi fuerant, per œcumenicum quoddam omnium Hispaniæ Episcoporum & Nobilium Concilium impugnatus fuerit & prorsus damnatus. Convocaverat hoc Concilium Rex Witiza A. 704 Toletum, atque decretum fuit in eo unanimi Episcoporum consensu: *Episcopo Romano nullam in Hispania vel in rebus Ecclesiasticis vel Civilibus potestatem competere.* Papa enim Romanus per edictum aliquod Clero etiam Hispano cœlibatum injungere ausus fuerat. Cui edicto cum Witiza A. 702 aliud opponeret, quo gravissime edicebat, ut matrimonium in libera Cleri sui potestate permaneret, minabatur Papa Romanus Witizæ per literas, propter edictum hoc, Regni coronæque ablationem. Ad quas vero literas Witiza respondebat: *se prius Papam, quam illud faceret, cum armata manu Romæ visitaturum.* Et utut Baronius ex testimonio duarum literarum, quas se inter Gregorii VII literas in bibliotheca Vaticana vidisse asseveret, contenderet, Hispaniæ provincias per Eurlum de Roseio, Comitem, qui ob po-

testatem a Gregorio VII Papa sibi datam Mauros ex Hispania post magnas clades ejecerit, postea Papam factum D. Petro & sedi Apostolicæ fuisse partas; tamen Witizam Eurli plane inscium, (utpote cujus nomen nunquam antea, quam in istis Gregorii literis, procul dubio suppositiriis, fuerit auditum) Concilium omnium Episcoporum & Nobilium suorum, propter illud de cœlibatu edictum, a Papa Romano vulgatum, A. 704 convocasse; cujus vero Acta deinde, Papæ primatu etiam in Hispaniam illato, per Monachos, curiæ Romanæ parasitas, ipso Mariana teste, disperdita fuerint & penitus destructa. Mentionem nihilominus Concilii hujus magni facere scriptorem vetustissimum, Rodericum Toletanum, qui seculo XIII vixerit, quippe qui illud Toleti in suburbiis in æde D. Petri celebratum testetur. Nec etiam Loaisam, Conciliorum Toletanorum editorem, dissimulare, istud tempore Gonderici, Archiepiscopi Toletani, adeoque sub initium imperii Witizæ, fuisse coactum. Meminit hac occasione Auctor imposturæ *Don Luca de Tuyd*, qui S. Leandrum in Concilio Toletano XIII Papæ Gregorii M. Delegatum fuisse affirmaret; quem vero alter quidam scriptor Hispanus, *Ambrosius Morales*, dudum confutaverit, quod tempore Concilii istius non Gregorius, sed Gelasius II Romæ sederit, neque ulla in Actis Concilii prædicti Leandri cujusdam mentio occurrat. Cum itaque Concilia illa Toletana, & maxime illud A. 704 habitum, primatum Papæ non admittant, non mirum esse putat Geddesius, quod Concilia Toletana omnia ab Episcopo Fanensi, *Petro Bartani*, Italo, in Concilio Tridentino pro schismaticis congregationibus fuerint declarata, vel eo nomine & merito postmodum Cardinali SS. Marcellini & Petri facto. Addit demum, Episcopos primitivos Hispanos in doctrina Conciliorum IV œcumenicorum tenacissime semper perseverasse, eamque in compendium redactam præ ceteris ex Collectione institutorum & canonum in primitivis Conciliis sancitorum, (secundo etiam Concilio Bragensi in Collectione Conciliorum magna annexa,) addidicisse, quam S. Martinus, gente Græcus, & Episcopus primum Dumiensis, post Bragensis, confecisset. His ita comprobatis argumenta suo

ſuo aſſerto obſtare viſa ſolvit. Primo enim objici poterat, quod tamen Epiſtolæ Pontificum Decretales, a Turriano & Binnio contra Centuriatores Magdeburgenſes adeo defenſæ, teſtentur Papæ primatum non demum poſt A. 714, quæ Auctoris noſtri ſententia eſt, ſed ſtatim cum prima Chriſtianiſmi luce in Hiſpania illuxiſſe & caput extuliſſe. At reſpondet Auctor, quod Epiſtolas Pontificum Decretales ſuppoſititias eſſe eo minus dubitaturi ſint, qui nomina Conſulum in iis contra morem ſeculi ſui omiſſa, & barbaras prorſus voces, ſeculis iſtis ignotas, imo unius Auctoris ſtylum in iiſdem reperiri meminerint, neque illud ignoraverint, quod ipſe Cardinalis Bona Epiſtolas illas ſub Iſidori nomine ſub finem ſeculi VII compilatas alicubi aſſerat. Alterum aliquod argumentum ſuppeditare poterat Epiſtola Papæ Innocentii I, quam ad Concilium aliquod Toletanum ſcripſiſſe dicitur, id quod primum fuiſſe Loaiſa ex eo conjicit, quoniam Concilium Toletanum ſecundum centum prope demum poſt Innocentii I mortem annis fuerit celebratum. At reſpondet Auctor, quod Epiſtolas illas omnes, quæ ſub Innocentii I nomine circumferuntur, ſpurias eſſe jam ab Eraſmo aliisque ſatis fuerit comprobatum; & quod Innocentium illum altero demum poſt Concilium Toletanum primum anno Epiſcopum Romanum electum ex hiſtoria conſtet. Tertio opponi poterat, quod in præfamine Regulæ Fidei, quam Loaiſa Actis Concilii primi Toletani adnexuit, Epiſcopi ſe a Leone Papa juſſos moneant, ut Regulam illam Fidei ad Balcomium, Galliciæ Epiſcopum, mitterent. Ad quod argumentum inter cetera Noſter reſpondet, mandatum iſtud Leonis hiſtoricæ prorſus fidei repugnare, cum Leo A. 440 Papa electus, at Concilium A. 400 celebratum fuerit, adeoque hoc Leonis electionem integris quadraginta annis anticipaverit. Deinde quoque Balcomium eo tempore nondum Epiſcopatum in Gallicia tenuiſſe, cum duodecim demum annos poſt Concilium Toletanum primum Epiſcopatum illum acceperit. Præterea ipſam Regulæ Fidei fidem admodum ſuſpectam eſſe, quia in ea verba expreſſa occurrant, quod *Spiritus S. a Patre Filioque procedat*, quæ tamen verba non niſi poſt

post ducentos ab hoc Concilio annos in Hispania fuissent recepta. Quartum argumentum conficere posse Auctor noster dicit, quod in præfamine Concilii primi Bragensis ejusdem jussus Leonis mentio inculcetur, idque una addatur, Leonem, quæ contra Priscillianorum hæresin scripserat, ad Gallæciæ quoddam Concilium per Theoribium, sedis Apostolicæ Notarium, misisse. At respondet Geddesius, quod præterquam quod jam ante ex temporis collatione fuerit demonstratum, Regulam Fidei non genuinam esse, id vel ex eo satis etiam posset argui, quod Notarii officium infra dignitatem Theoribii fuerit, utpote quem tum ipse Leo, tum Montanus religiosum maxime & benedictum Episcopum appellarent. Deinde vero in Concilio Toletano II exstare aliquam Montani Epistolam, ad Clerum Palantiæ scriptam, qua non Leonem, sed Theoribium hæresin Priscillianorum scripto adgressum scriberet, idque se Leoni, Episcopo Romano, transmisisse. Quinto, opponi poterat prolixa admodum Leonis Epistola Decretalis, in qua ad Theoribium expressis verbis scribit, se in Hispania Concilium convocari jussisse. Cui vero Epistolæ Decretali Geddesius hæc opponit, quod in ea nullum diei, qua scriptum, *Consulisve* indicium inveniatur; quod altum sit apud Montanum de hac Epistola silentium, quod in ea Spiritus S. a Patre Filioque procedere dicatur, quæ verba, si quidem genuina & per Leonem symbolo Hispanico addita, non capere tamen potest Geddesius, cur partim Leo illa non eodem tempore Symbolo Romano addiderit, partim vero, cur Leonis Successores ea per Episcopos Hispanos postmodum Symbolo suo addita improbaverint, quasi vero Epistolæ illius Decretalis, a Leone ad Theoribium scriptæ prorsus fuissent ignari. Sexto, objici poterat, exstare tamen duas Papæ Gregorii Epistolas, unam ad Recaredum, Hispaniæ Regem, alteram ad Leandrum, Hispalensem Archiepiscopum, quibus Gregorius significaret, se Leandro pallium misisse. At respondet Geddesius, quod ipse Mariana non dissimulet, decem demum post annos a Recaredi conversione literas hasce ad Recaredum & Leandrum fuisse perlatas, quod Recaredi Legatus, qui literas Regis Romam detulerit, & inde

Papæ

Papæ literas ad Recaredum retulerit, per turbidas maris tempestates hinc inde jactatus, & medios inter frementesque maris fluctus diu satis detentus fuerit; id quod utique Geddesius creditu admodum necessarium existimat, si quidem Legatum decem prope annos in itinere intra Hispaniam & Italiam commoratum credendum. Deinde vero stylum harum Epistolarum a Gregorii stylo plane esse diversum; & præterea nullibi vel Recaredi vel Leandri ad Papam literas de pallio mittendo unquam esse repertas. Ultimo objici posse dicit Geddesius, quod tamen vel Concilium Toletanum XIII ad nutum Papæ Leonis II convocatum videatur, ubi videlicet hic decreta Concilii II CPtani ad Episcopos Hispanos transmiserat. At respondet Geddesius, ipsos Episcopos Hispanos monere, Leonem sese tantum per literas suas *invitasse*, non vero *jussisse*, ut decreta ista reciperent. Deinde vero Episcopos eosdem declarare, se non posse recipere decreta ista, nisi prius ab omnibus Hispaniæ Episcopis adprobata; id quod quidem etiam paulo post factum, ut scilicet illa adprobata & recepta fuerint, at quatenus cum Conciliorum, Nicæni, CPtani, Ephesini & Chalcedonensis decretis concordarent. Denique Concilium hoc gratiarum actionem non ad Papam, sed ad Deum & Regem, qui illud convocaverat, direxisse. Atque hæc aliaque plura doctissimus Geddesius in prima sua Dissertatione contra Papæ Primatum edisserit. Tertia Dissertatio errata quædam manifesta & hallucinationes enormiores, in Martyrologio Romano, a Papa Gregorio XIII reformato & confirmato, veluti indicia fallibilitatis Pontificis Romani indubia, prodit. Scilicet postquam Gregorius XIII per Mathematicos quosdam non indoctos Calendarium emendare curaverat, Martyrologium quoque Romanum, librariorum, ut ipse ajebat, typographorumque negligentia mendosum, Antiquariis quibusdam peritis corrigendum tradebat. Quo correcto A. 1584 d. 14 Jan. per Bullam quandam solennem edicebat, ut Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi & Clerus omnis in Horis Ecclesiasticis, tam privatis quam publicis, hoc unice imposterum Martyrologio uterentur, eique


nemo vel quippiam addere aut mutare vel adimere sub gravissimo anathemate præsumeret. Atvero tantum abfuisse, dicit Auctor noster, ut vel Martyrologium hoc ad historiæ fidem ubique fuerit reformatum, vel anathema Gregorii successores ejusdem ab interpolatione omni cohibuerit, ut potius errores quidam crassissimi, & putidissimi ab aliis etiam jam partem aliquam correcti, in eo deprehendantur. Atque sic primo statim Januarii die in Martyrologio Romano reformato primum Sanctum esse *S. Almachium*; quem vero Sanctum, omnibus ceteris Historicis ignotum, ex voce *Almanach*, Calendario tituli in locum præmissa, gravissima scribæ hallucinatione confictum Auctor conjicit, quod in pervetusto Martyrologio Corbejano atque Lucensi per Franciscum Mariam Florentinum edito, nec non in Martyrologio Antverpiensi, per Bollandum continuato, *S. Corona* ejus loco inveniatur, cui eadem in his martyrii causa, quæ S. Almachio in Martyrologio Romano, adscribatur. Diei vigesimo quarto Januarii adsignatum esse in Martyrologio Romano reformato *S. Zynoriden*, martyrem Antiochiæ; quod cum neque viri ullius, neque fœminæ nomen unquam fuisse, sed idem quod *par* aut *bigam* notare, Galli quidam Critici cum Romanis postmodum deprehendissent, idcirco in Martyrologiis omnibus Latinis & maxime in Antverpiensi cum Barodii Notis A. 1589 edito, esse omissum. Inveniri tamen hunc Sanctum ignotum hodienum in Martyrologio Lusitanico, eumque perinde ac *S. Sulpitium Severum*, Episcopum & discipulum S. Martini, cui dies 29 Jan. sacer esset, ab Hispanis & Lusitanis religiose adhuc coli; utut Severus a Papa Urbano VIII ex ipso Martyrologio Romano fuisset expunctus. Decimum sextum Februarii sacrum esse *S. Juliano*, Martyri in Ægypto, una cum aliis *quinque millibus*; ubi vero enormem quandam Gregorii Papæ hallucinationem Noster notat, quod *milites* tantummodo *quinque* cum *Juliano* occisos historiarum monumenta prodant; hincque vocem contractam *Mil:* pro *Milites* Gregorius *Mille* denotare forte divinaverit: non secus ac die quarto Martii *nonaginta Martyrum* passionem

passionem Romæ in via Appiana, in Martyrologio suo adscripsisset, quem vero numerum Martyrologium Antverpiense ad *decem Martyres* reduceret. Decimo quarto die Martii mentionem fieri carceris *Mamertini*, in quo septem Martyres sancti per Apostolum Petrum Romæ fuissent baptizati; cujusmodi vero carcer, quod *Mamertinum* dictum fuerit, omnes urbis Romæ descriptiones, tum Græcorum tum Latinorum, ignorarent. Vigesimo nono Maji Martyrologium Romanum notare passionem *mille quingentorum* & *viginti quinque Martyrum sanctorum*; quod vero Martyrum sanctorum agmen, sicuti nullibi amplius quam in *Actis S. Venantii*, ipsi Baronio suspectis, legatur, ita quoque in Martyrologiis, Lucensi, Corbeiano, aliisque pervetustis esse omissum. Atque eadem certitudine fideque infallibili passiones pariter *decem mille* Martyrum in monte *Aramth* die vigesimo secundo Junii, una cum passionibus *mille quadringentorum* & *octoginta* Sanctorum in Samaria die eodem, nec non decem *mille ducentorum & trium* Martyrum passiones die nono Julii niti. Die vigesimo quarto Julii notatum esse in Martyrologio Gregoriano *Amiterni* in Vestinis *octoginta* & *trium militum* martyrium: ubi vero Martyrologia vetusta insignis admodum erroris Gregorium arguerent, quod ille vocem abbreviatam *Mill:* pro *Milliaria*, in *Milites* egregio facinore commutaverit. Nam in Martyrologiis, Lucensi & Corbeiano, ut & in quodam Reginæ Sueciæ Martyrologio pervetusto ita legi: *in civitate* Amiternum, *83* milliaria *ab urbe Roma in Via salutari natalis S. Victorini.* At salvam forte rem pro Gregorio existimaturos, qui Baronium *vexillarium* quoque & *ducem* horum *militum*, quorum alteri *Florentini*, alteri vero *Felicis* nomen fuisset, confinxisse non ignoraverint. Die primo Augusti in Martyrologio illo Romano hæc legi: *Romæ passio sanctarum Virginum*, Fidei, Spei & Charitatis, *martyrii corona exornatarum sub Adriano Imperatore.* At cum nullibi amplius trium harum virginum, uno eodemque die, uno eodemque loco interfectarum mentio occurrat, suspicatur oculatissimus noster Geddesius, quod vel error hic ex *Calendario gentili* in Martyrologium Romanum irrepserit,

afferes diffecandi, colore vario tingendi defcribit; de materia
ac ejus ufu differit; aphorifmos generales doctrinis fuis uten-
di proponit; leges & ftatuta, quibus fylvarum incrementa pro-
moveri poffunt, expendit; hiftoriamque arborum contexit.
Notat inter alia, ligna eo in ftatu cædi debere, in quo maxi-
mus arborum vigor, quando fcilicet ad mediam ætatem per-
venerunt, quam per naturam attingere valent, e. gr. quercum
cædendam effe, fi ad ætatem 50 vel 60 annorum pervenerit.
Affert etiam Cap. 4 Lib. 3 f. 255 & feqq. experimenta, quæ de
viribus ad frangendum ligna requifitis anno 1663 & 1664 co-
ram Societate Regia fæpius iterata. Scilicet fruftum ligni a-
biegni, cujus longitudo erat 2′, craffities 1″, pondus $8\frac{1}{6}$ unciarum,
nonnifi per 200; fimile fruftum ligni robuftei, cujus pondus
erat $12\frac{3}{4}$ unciarum, nonnifi per 250; & fruftum ligni fraxinei,
cujus pondus erat $10\frac{1}{4}$ unciarum, nonnifi per 325 librarum vi-
res frangi potuit. Cum longitudo effet 1′ craffities $\frac{1}{2}$″, ad li-
gnum abietinum, cujus pondus 1 unciæ, & ad lignum robu-
fteum, cujus pondus $1\frac{1}{8}$ unciæ; frangendum, $\frac{5}{8}$ centenarii; ad
lignum fraxineum, cujus pondus $1\frac{3}{8}$ unciæ, 100 libræ require-
bantur. In Difcurfu de *Terra* varia ejus genera confiderat &
præcepta ad culturam terræ utilia proponit, non aliunde com-
pilata, fed per certas experientias, plerumque proprias, com-
probata: is anno 1675 Societati Regiæ primum exhibitus nunc
tertia vice prodit. Sanguini animalium vim terram mire fœ-
cundandi tribuit, & lapillos hinc inde difperfos agris proficuos
magis, quam noxios effe monet, cum terræ calorem ac poro-
fitatem confervent, fubitamque exhalationem impediant. O-
mnem autem terræ fœcunditatem a Sale ducit. Exigui, qui
Pomona infcribitur, Tractatus argumentum ex ipfo titulo ma-
nifeftum eft: ipfi vero quæ annectuntur, methodi ex pomis fi-
ceras (Cider) conficiendi complures funt variosque Autores agno-
fcunt. Reperias ibi, quæ de hac materia commentati funt *Beale*,
Paulus Neilius, *Johannes Newburgh*, *D. Smith*, *Sylas Taylor* Ca-
pitaneus, *Daniel Collwall*, *Cook*, *Thomas Hanmer* & *Anonymus*,
cujus fumma hac in re experientia commendatur. Sub finem

Tractatus

TAB . IX



Tractatus describitur machina a *Roberto Hookio* inventa ad liquorem ex pomis facile exprimendum: cujus constructio ex Fig. 1 patet, ubi *a* axin denotat, quo mediante vel ab homine, vel a brutis, vel aqua, vel vento quatuor cylindri *a b c d* moventur. Duo cylindri priores *a d* poma frangunt; posteriores *b c* succum exprimunt. Illorum distantia est $\frac{1}{2}''$; horum minima, quæ fieri potest, ne motus impediatur. Per foramina tabulæ *bb* liquor expressus in vas *ff* destillat & receptaculi *ee* fundus inclinatus est, ut ad cylindros poma devolvantur. Reliqua figuræ adspectus edocet. Ichnographia cylindrorum *b, c, d, a*, in Fig. 2 continetur. In Acetaria omnes herbæ ac radices describuntur, quæ lactucæ vicem subire valent. Commemorantur nempe hipposelinum, carduus sativus, basilicum, melissa hortensis, beta, blitum hortense, buglossum latifolium, anagallis aquatica, cornu cervinum, buglossum augustifolium, pimpinella, gemmæ quarundam arborum & fruticum, summitates variarum plantarum, brassica, pastinaca sativa tenuifolia, chærophillum, horminum sativum, valerianella campestris inodora major, verbascum pratense odoratum, nasturtium hortense, cucumis sativus, buphthalmum, condrilla, oxylapathum, bulbocastanum, sambucus, endivia, fœniculum, flores varii, allium, porrum capitatum, capsicum, lupulus, hyssopus, alliaria, arbor Judæ, lactuca sativa, limonia, malva, melo, mentha, fungi esculenti, sinapi, urtica, cepa vulgaris, cipolini, porrum, cepa Ascalonica, artiplex, malus Aurantia, pastinaca, sium majus latifolium, lapathum hortense sativum, pisum, petroselinum vulgare, portulaca hortensis, raphanus, rapunculus, eruca sativa, rosmarinus, salvia, crithmum marinum, cochlearia major rotundifolia, apium Italicum, sisarum sativum, acetosa, sonchus, asparogus, spinachia seu lapathum hortense, vermicularis insipida, cichorium sylvestre, tanacetum, dracunculus hortensis, carduus Mariæ, thymus, rapum vulgare, vitis, viperaria, trifolium acetosum. De omnium usu ac efficacia adduntur observationes non contemnendæ, & sub finem catalogi comparent regulæ generales de præparatione lactucarum, una cum

TAB. IX. Fig. 1.

Fig. 2.

cum Tabula, in qua singulis mensibus suæ species assignantur: quibus absolutis de illarum plantatione prolixe agitur. Denique in Calendario hortensi, cujus hæc est decima editio, exponitur, quænam in agrorum & hortorum cultura singulis mensibus fieri debeant. Extat sub finem nova ratio extruendi ædes, in quibus arbores exoticæ per hiemem conduntur, hac prærogativa gaudentes, ut per eas continuo aer recens ac temperatus circuletur. Manifesta fit ex Fig. 3, in qua TAB.IX. Fig. 3. A repræsentat tectum, B parietem versus septentrionem directum, C aream interiorem, D fornacem; 1 aperturam, per quam cineres expurgantur; 2 focum; 3 extremitates tuborum, per quos aer in ædes defertur; 4 caminum, per quem fumus & aer ex ædibus expulsus ascendit; 5 canalem, per quem aer expellitur; 6 aperturam, per quam in istum canalem aeri via patet; 7 thermometrum ad caloris gradus examinandos. In Fig.4. Fig. 4 E exhibet situm trachearum in fornace, *aa* sectionem muri, *bb* tracheas, *cc* orificia trachearum. In Fig. 5 F desi- Fig. 5. gnat integram fornacem: *a* aperturam ad cineres expurgandos; *b* focum; *cc* projectionem trachearum; *dd* tracheas ipsas; *e* caminum; *ff* murum, ad quem fornax extructa & Fig. 6. per quem tracheæ in ædes transeunt. In Fig. 6 denique G pars fornacis cineres excipiens; *a* apertura, *bb* extremitas canalis aerem ex ædibus in fornacem vehens; *dd* focus; *e* obturaculum.

GRÜNDLICHER BERICHT von vielen Monarchien.

seu

HISTORIA MULTARUM MONARCHIARUM, quæ in Oriente a Nimrode usque ad Cyrum floruerunt; Autore CASPARE *ABELO.*

Francofurti, apud Christ. Genschium, 1705, in folio. Alphabet. 1.

VEterem Historiam innumeris fabulis tantum non obsitam cum deprehenderet Cl. Autor, ad eam illustrandam omnes ingenii

ingenii ſui nervos intendere decrevit, hancque primam Partem majori Operi præmiſit, ut de reliquis quoque hinc judicium ferri poſſit. Rem autem ab ovo, ut ajunt, orſurus, ſtatim Cap. I vanam illam & hiſtoriæ damnoſam de Quatuor grandibus Monarchiis perſuaſionem, quæ inſediſſe jam & inveteraſſe in plurimorum animis videtur, non uno argumento, e ſacris profaniſque depromto literis, refellere atque adeo eradicare nititur. Hinc C. II antiquiſſimum omnium perquirens Regnum, Nimrodem invenit primum, incertum tamen quo ſpeciatim ſeculo poſt diluvium, in planitie Sinear, ingentem iſtam Turrim molitum, quæ Phari uſum obtinere debuerit, ne rudes & timidi mortales cum gregibus ſuis in vicina Arabiæ deſerta aut alias remotiores oras aberrarent. Hoc vero cum non ſucceſſiſſet, ipſum in eadem regione fundamenta aſſerit novi Regni jeciſſe; nec tamen eum ideo pro conditore Aſſyriaci aut Chaldaici Imperii habet, ſed Arabibus potius annumerat, multoque minus Kedorlaomerem, Elamitarum, & Cuſchanem, Meſopotamiæ Reges, in longam iſtam fictorum Monarcharum ſeriem intrudit. Nihil quoque C. III varias Ægyptiorum Dynaſtias moratur, quæ, ut Moſis jam ævo in unum Regni corpus coaluerint, neminem tamen ante Seſochrin, ſ. Siſacum titulo Monarchæ dignum judicat, quippe qui primus, tota pene Aſia perdomita, hanc ſibi ſuisque gloriam acquiſiverit, mox tamen a filio ſuo Rhamſe neglectam, & a Memnone Filio Auroræ Suſiano (לרח הכושי. 2. Par. 14) infeliciter repetitam; ſub cujus deinde genero Proteo πολυκοιρανίη denuo in Ægypto radices egerit, quam Sabacon quidem Rex Æthiopum ſuppreſſerit, eo vero poſt necem filii Thearconis in patriam refugiente, δωδεκαρχία repullularit, a Pſammeticho tandem plane ſublata, altero quaſi Monarchiæ inſtauratore, quæ tamen paulo poſt a Chaldæis valde labefactata, a Perſis vero funditus everſa fuerit. Ceterum C. IV Iſraelitis, quos olim quoque nomine Syrorum, Aſſyriorum, Æthiopum, Indorumque interdum ab Ethnicis deſignatos fuiſſe docet, Dynaſtiam Paſtorum in Ægypto vindicat, ex Joſepho, primum eorum Regem Salathin, (שליט. Geneſ. 42. 6) reliquos vero ex poſteris ejus, aut

agnatis, formatos fuisse conjiciens. At Misphragmuthosin, Ægypti Superioris, seu Thebaidos Regem, Regno Tanitico destructo, ultimoque ejus Rege Phoronæo Danao, i.e. Pharaone Tanios, in Græciam abire coacto, ipsis se admodum difficilem præbuisse, cujus tamen successore Thamo, seu Amose in Mari Rubro submerso, Israelitæ in Palæstinam reduces, Theocratiam primo, mox Reges potentissimos, Davidem & Salomonem habuerint, quorum hic navigationes in Ophir (Indiam) & Tharsis (Hispaniam, quæ non minus ac Iberia Asiatica nomen suum Ebræis debeat,) magno cum fructu instituerit, Assyriis tamen æque ac Hadadus, Hasael, & reliqui Syriæ Damascenæ Reges, (de quibus C. V agit) falso attributi fuerint. Hos enim non ante tempora Puli, seu Tiglath Pilesaris, rerum in Asia potitos, & hunc cum posteris suis, Salmanasare, Senacherimo, & Asarhadone, ex Sacro Codice notissimis, eos esse, qui Græcis & Latinis Belus, Ninus, Semiramis, & Sardanapalus vocentur, Holofernem vero, seu Osnapharem (Esr. IV, 10) hujus ducem bellicum fuisse, C. VI multis, nec sane ficulneis probatum it rationibus. Porro C. VII Chaldæorum excutit antiquitates, quos ipsi demum videtur Cuschanes Mesopotamiæ Rex (aliis Evechous, unde forte Græcorum Bacchus) Arabibus expulsis in Terram Sinear introduxisse, Belus vero, seu Ninus, illos Assyriis subjecisse, a quibus sub Semiramide defecerint, a Sardanapalo rursus in ordinem redacti, cujus tamen extremam mollemque senectam Gubernator Babyloniæ Nabopolassar despiciens, eum ad mortem adegerit, filiumque Nebucadnezarem Judæorum Ægyptiorumque domitorem famosissimum habuerit. Huic Evilmerodacum, s. Belsazarem & isti Neriglisarem, s. Darium Medum successisse, cujus filii Labosordaci necem Cyrus Persa ulturus Nabonidum ultimum Chaldæorum Regem de throno deturbarit. Eadem fere Medorum fata fuisse C. IIX memorat, Cyaxarem præ ceteris illorum Regibus meritis evehens laudibus, cujus quidem patrem Phraortem Assyrii, & fratrem Cyrum Medum, s. Artibarnam Sacæ conciderint, ipse tamen nihilo secius ope Chaldæorum Niniven solo æquaverit, & paulo post mortem obiturus, Astyagem fi-

gem filio ſuo Dario Medo tutorem conſtituerit, quem ducta ipſius vidua Aryeni Regnum invadentem Cyrus Perſa, (Cyaxaris ex filia nepos, tandem eo ſpoliaverit. Inde C. IX ad Lydos progreditur, & præcipue res geſtas Regum tertiæ Mermnadarum familiæ exponit, Aſſyrios ipſis non ſecus Cimmerios, ac Medis Sacas immiſiſſe perſuaſum habens. Denique C. X Hiſtoriam quoque aliorum minorum gentium in Arabia, Phœnicia & Aſia ſuccincta brevitate ſubnectit, obiter quoque nonnulla ad Græcos Germanosque ſpectantia attingit, quorum nempe majores in Aſia Minore; & iſtorum quidem ad Mare Ægæum & Helleſpontum, horum vero ad Pontum Axenon, ſ. Euxinum ſedes ſuas primitus habuiſſe, inde vero paulatim, nec uno tempore, in Europam tranſiiſſe; iſtis vero primum Ægyptios, deinde Phœnices, permiſtos fuiſſe, & hinc varia bella ſubnata, exiſtimat, quorum tamen omnium uberiorem tractationem ſecundæ Parti reſervat.

MANICHÆISMUS ANTE MANICHÆOS, ET IN Chriſtianiſmo redivivus. Auctore M. JO. CHRISTOPHERO WOLFIO.

Hamburgi, ſumptibus Chriſtiani Libezeiti, 1707, 8.

Conſtat Alphab. 1 & 10 plagulis.

COmmunis quidem mortalium omnium labes eſt de rebus judicare minus perceptis, quæ judicii humani temeritas unica eſt & nota ſatis errorum quorumcunque ſcaturigo: aſt ſæpius eousque partem hominum maximam progredi, ut opiniones, quæ ne ſpeciem quidem veritatis præ ſe ferunt, communi quadam conſenſione ac ſine hæſitatione affirment, id in dubium forte quis vocaret, niſi conſtanti rerum geſtarum memoria & uſu vitæ quotidiano res eſſet certiſſima & in aperto poſita. Eruditus diſſertationis præſentis Auctor, cujus nomen jam bis in Acta Eruditorum haut abs laude retulimus, utpote A.1705 pag.301 & A.1706 p.405 exempli loco in medium adfert duplicem a veritate aberrationem adeo craſſam, ut mentis caliginem vel manibus palpare queas, quæ nihilominus utraque

omni hominum ætate, omni terrarum loco innumeros invenerit
adstipulatores. Altera Secta asserere audet, ipsam Dei essentiam
esse materiam, ex qua, quæcunque totum hoc, quaqua pa-
tet, universum ambitu suo complectitur, facta sint omnia. Al-
tera duo comminiscitur principia diversæ plane indolis, bonum
alterum, alterum malum, quibus creaturæ quælibet suos debeant
natales. De priori quidem errore pleniorem nobis pollicetur
p. 4. tractationem, qua grandem eorum multitudinem, qui in fal-
sissimæ hujus doctrinæ caput consenserint, est commemoratu-
rus, posteriorem autem, famosi Manichæismi titulo non abs re
10. insignitum, præsenti commentatione persequitur. Dissilit ve-
ro Tractatus hic Historico-Philosophicus in tres Sectiones.

Sectione I investigatur origo falsæ de duobus principiis
sibi contrariis sententiæ, quam heic adscriptam videmus partim
fraudibus callidissimi Satanæ, partim turpi hominum incuriæ.
Satanam vult Cl. Auctor arborem vetitam Gen. III, 3 seq. no-
13. mine scientiæ boni & mali insignivisse, secutus, uti testatur,
bigam Theologorum inclutam, D. Seb. Schmidium & Summe
Reverendum D. Neumannum, idque fecisse Cacodæmonem, ut
Protoplastis persuaderet, non ad se, sed ad materiam mali ori-
ginem esse referendam. Incuria hominum depravatam esse ac fus-
15. que deq; habitam veterem cum de mundi creatione traditionem,
gentilibus ceterum non omnino ignotam, tum de Angelorum ho-
minumque lapsu narrationem. Postquam enim in oblivionem abi-
20. it, ac ferme negata omnino est vera rerum creatarum origo, æqua-
lem Deo & materiæ tribuisse homines corruptæ rationi relictos
ætatem, famoso illi & pervulgato axiomati: *ex nihilo nihil fit*, tan-
24. quam immotæ basi penitus innixos. Similiter cum & lapsus primi
hominis memoriam omnem tolli funditus ac deleri ex animo
suo passi essent propria culpa, plurimis tamen totum hoc uni-
versum malis scatere cernerent, necesse putarunt, aliud præter
Deum, omnis boni auctorem, comminisci principium, quod in
se malum malos quosvis effectus produceret.

Sectione II erudite demonstrat, tam late sese diffudisse
erroris hujus scaturiginem, ut omnes ubivis terrarum infecerit
sectas, gentilium Philosophorum non solum, sed & illorum,
qui

qui Christi nomen profitentur. Inter *Hebræos*, a quibus initium facit, quam plurimos שרים seu malorum geniorum cultui, ne sibi damno essent, indulsisse, quin recentiores eorum Philosophos ex materia mali originem derivasse. *Chaldæos* in eodem hæsisse luto, effici posse existimat, non solum ex binis illorum sectis, *Orchenis* scilicet & *Borsippenis*, sed etiam exemplo Zoratæ summi Philosophiæ Chaldaicæ Magistri, qui duo sibi adversa admiserit principia. Ab hisce *Persas*, Zoroastro duce, didicisse *Hormisda* & *Arimanium* divina prosequi veneratione, & lucem illi, huic tenebras adscripsisse. Persas excipiunt *Ægyptii*, qui coluerint & *Osiridem* ceu boni omnis auctorem, nunc *Amunis*, nunc *Knephi*, nunc *Phtha*, nunc aliis nominibus insignitum; & *Typhonem* fratrem quidem Osiridis sed maxime adversum & in contraria prorsus studia nitentem. Inde accedit ad *Zabios*, qui teste Maimonide partem cultus divini retulerint ad Solem, Deorum summum ac Boni Dominum illis vocatum, partem ad Sammaelem Cacodæmonum suorum principem. Sequuntur moderni Orientis incolæ, *Calecutenses* videlicet in India Orientali, qui *Temeranem* & *Deumum* adorent, *Gurdi* & *Tapujarum* seu *Tapajonum* gens duplex itidem numen venerantes, *Siamenses Sommonacodomi* & *Theucetati* cultores, *Japonenses* item & Chinenses pari jure in Duitarum numerum referendi. Europæos quoque veteres *Cacodæmonem*, ne sibi noceret, sacrificiis placasse, æque ac Deos sibi benignos coluerint, vel *Tybelini* Germanice Teuffel, *Zernebochi*, *Zuttiberi* & alia Deastrorum nomina satis efficere. Inde pedem promovet ad *Græcos*, atque primum ex veteribus Poetis, dein ex secta Jonica, porro ex Pythagoricis, tum ex Eleatica & Epicuri schola, ulterius ex Platonicis, tandem ex Peripateticis, denique ex Stoicis producit testes, qui vel duo sibi invicem adversa principia, vel materiam Deo coæternam a suis statui, aperte fateantur. Chorum gentilium claudunt *Latini*, qui teste Gellio, *Dijovem*, ut juvaret, *Vejovem*, ne obesset, adorarint. Gentilismo ita relicto ingreditur castra sub duce Christo militantium, atque & inter illos reperit hoc duplicis rerum principii veneno infectos. Antesignanum agit Simon Magus, sequuntur

p. 35. 43. 47. sq. 59. 76. 89. 92. sq. 101. sq. 169. sq. 175. sq.

quuntur Menander, Nicolaitæ, Saturninus, Carpocrates, Ada-
mitæ, Cainiani, Ophiani, Valentiniani, Bardesanes, Cerdoniani,
Marcionitæ, tota Gnosticorum soboles, Docetæ quadantenus,
Tatiani quoque, Hermogenes, & præcipue Manichæi, qui tanto
conatu ornandum defendendumque susceperunt hunc errorem,
ut inde vulgo dicatur Manichæismus. Quamobrem diutius pau-
p. 215. sq. lulum immoratur historiæ Manetis doctis observationibus col-
lustrandæ & a strophis, quod ait, Arnoldi liberandæ. Postea
inquirit diligenter in Manichæorum asseclas, non veteres
237. sq. solum, utpote Seleucianos, Messalianos, Paulinianistas, Bogo-
milos, Albigenses, quoque secundum nonnullorum, a quibus ta-
men dissentit, sententiam; verum etiam recentiores, quos in-
259. sq. ter & coetus nostri Deo devoti socios retulerit Balthasar Be-
ckerus, ast plane abs re, cum in Flacio Illyrico, & Eilhardo
Lubino Manichæismus publica Ecclesiæ nostræ auctoritate re-
266. sq. jectus atque damnatus sit. Majori autem jure inter Manichæ-
os neotericos primum sibi vindicat locum fanaticorum co-
hors, Weigelius præsertim, Böhmius ejusque, uti Cl. Autor vult,
discipulus, non magister, Robertus Fluddus, Quackerorum item
colluvies, & recentiores quidam, quorum placita, si non o-
mnia, præcipua tamen ex Manichæorum fonte profluere, plu-
296. ribus argumentis demonstrat. Ultimo loco etiam Pontificio-
rum, Calvinianorum & Socinianorum dogmata, quousque ad
Manichæismum accedant, examinat.

Sectione III complectitur argumenta gentilium testimo-
305. niis collustrata, quibus sententiæ de duobus principiis coæter-
nis vanitatem demonstret. Scilicet repugnare docet infinitæ
Dei perfectioni omnes res reliquas bonitate superandi, existere
aliquid a Deo diversum, quod ipse non excedat, sed sibi sit æ-
quale. Non absolutam fore summi Numinis potentiam, si
307. patiatur, se inter & aliud, cui in mala potestas relinquatur, di-
vidi imperium. Periclitari summam Dei felicitatem, si æqua-
313. lem ei adjungeres adversæ plane indolis, metu, quem ei incu-
teret. Adversari justitiæ pariter ac sapientiæ divinæ, quod
314. creaverit animas ab omni scelere puras, easque vel obtulerit ipse,
319. vel invitus permiserit malo principio vitiandas. Tolli omnem
actionum

actionum humanarum & bonitatem & malitiam, cum quod male agant, non ipsis, sed malo principio sit adscribendum. Denique neque, quem cernimus, perpetuum & eundem in gubernandis hujus universi rebus ordinem duos admittere Deos, potestate pares, studiis autem ita a se invicem sejunctos, ut in unum nunquam conspirare possint. Hisce postquam Cl. Auctor adversarios oppugnavit argumentis, convertit se ad alia, quibus ipsimet errorem suum asserere conantur, illaque examini submittit. Quæ cum Bælius in Dictionario suo collegerit, proque virili & ornaverit & nervum probandi intenderit, hunc unum instar omnium elegit, adversus quem tela sua dirigat. Ipse quidem Bælius Manichæorum numero adscribi non vult, id maximo tamen studio evincere contendit: sepofita Sacri Codicis auctoritate, solam hominis rationem nimis imbecillem esse ad dogma de duobus principiis convellendum. Plures autem hac sententia in se concitavit antagonistas, præsertim *Jo. Clericum*, *Gvil. King* Anglicum Episcopum, *Isaacum Jaquelotum*, uti vel ex Actis nostris p. 440 anni 1705 patet, *Jurieum*, *Jacobum Bernardum* & alios, qui non Scepticismi solum, sed plane Atheismi dicam ei scripserint. Quid singulis responderit, instituti brevitate dicere prohibemur, summa autem argumentorum eo redit: originem mali a Manichæorum adversariis in ipsum hominem rejici, voluntate sua libera, qua se ad bonum æque ac malum determinare poterat, male usum. Cum autem Deus hominis lapsum præviderit, incubuisse ei per bonitatem suam, aut obstaculis omnibus liberi arbitrii impedire abusum, aut hoc libertatis dono non beare hominem; quod quoniam non fecerit, sed labi hominem permiserit, coram rationis sibi relictæ judicio ab ortu mali vindicari non posse, ac proinde a Philosopho gentili rectius duo coæterna admitti principia. Varia quidem responsi loco ab Auctore in medium adferuntur, in eo autem argumentorum, quæ subministravit, nervus præcipuus nobis situs videtur. Placuisse summo Numini in gloriæ suæ augmentum producere hominem, hoc est, creaturam in eo ab omnibus ceteris diversam, ut non animo solum constaret ac corpore, sed etiam spontaneo voluntatis

Marginal notes: p. 323. — 329. — 333. sq. — 369. sq. — 399. sq.

luntatis motu in Creatorem ſuum, maximo propriæ ſuæ felicitatis incremento. Prævidiſſe quidem liberi arbitrii abuſum, noluiſſe tamen propterea conſilium immutare tam ſapiens, tam ſanctum tamque ſalutare, cum hominem inſtruxerit ſufficientibus lapſum evitandi viribus, & ſerio ipſum, ut ſibi caveret, præmonuerit. Iis autem omnibus ab homine turpiter neglectis, permiſiſſe & lapſum, ne libertatem ſemel ipſi donatam vi irreſiſtibili iterum adimeret, permiſiſſe etiam mala ex lapſu in inobedientem reſultantia, ut juſtitiæ ſuæ fieret ſatis, inprimis cum Deo haut
p. 405 ſq. deeſſent ſapientiſſima damnum hoc inſtaurandi media. Cujus argumenti robur ubi Bælius advertit, mutavit aciem & liberum arbitrium in homine plane ſuſtulit atque negavit. Non integrum nobis eſt brevitatis ſtudio referre, quæ in utramque partem ſunt diſputata, id tamen præteriri nequit, inter ſententiæ Bælii op-
446 ſq. pugnatores celebertimum Angliæ Epiſcopum Kingium eousque progredi, ut libertatem homini vindicaturus non a coactione ſolum, ſed & neceſſitate, plane neget voluntatem, perfectiſſimam ſequi judicium de placitis & diſplicitis, ſed ſuapte ſponte, non habito ad objecti bonitatem & malitiam reſpectu, ſe determinare. Perinde ac Deum, cui nihil externum bonum aut malum ſit ante electionem, cujusque ſola voluntas cauſa bo-
453. nitatis in rebus creatis exiſtat. Novam hanc Kingii hypotheſin Clariſſ. Auctor ad examen revocat, atque demonſtrat, iisdem & adhuc majoribus, quam Kingius communi de libero arbitrio
461. ſententiæ objicit, illam premi difficultatibus; intellectus hu-
471 ſq. mani officium ita tolli plane vel imminui; neque Deum aliquid unquam feciſſe absque prævio hoc ſapientiſſimo conſilio; an quæ eſſent producenda, opera ſanctitati, bonitati ac ſapientiæ ejus reſpondeant? Deum per indolem ſuam non poſſe velle, ut res bonæ ſint, quæ ſanctitati ipſius adverſantur, ac proinde non minus bonitati & ſapientiæ divinæ tribuendum eſſe, quam voluntati, quod ſint, res tales, quales ſunt nempe bonæ. Plura alia addi poſſent tum ad controverſiam cum Kingio facientia, tum hiſtoriam Philoſophiæ atque hæreticorum colluſtrantia, cum tractatus noſter digresſionibus ſane eruditis ſit refertus, ſed filum abrumpimus.

REPON-

REPONSES AUX QUESTIONS D'UN PROVINCIAL.

i. e.

RESPONSIONES AD QUÆSITA CUJUSDAM Provincialis.

Volumen III.

Roterodami, apud Reinerium Leers, 1706, 12.
Alph. 1 plag. 7.

PErgit P. Bælius varii argumenti materias, Historicas, Philosophicas, Polemicas, uno volumine junctas palam exponere, eo consilio, ut & suppleri inde Dictionarium ejus Historico-Criticum possit, & quæ contra hunc aliosque ejus libros scripta a doctissimis Viris sunt, refellantur. Ac in principio quidem hujus Tomi Germanicos Historiarum scriptores, maxime Cuspinianum & C. Matthiam, castigat, quod Annam Britannicam sponso suo Maximiliano Imp. a Carolo VIII Galliæ Rege vi, & velut plagio, ereptam scribant, cum artibus saltem licitis res ista tentata sit atque perfecta. Consimiliter peccare eos, & suspiciones suas commiscere cum gestis historicis ait, qui Franciscum I Galliæ Regem jusjurandum blasphemiis refertum præstitisse narrant, cum fœdus cum Solimanno Turcorum Imperatore iniret. Maximam hujus libri partem absolvit refutatio libri, quem J. Jaquelotus de concordia rationis & fidei contra Bælianas hypotheses edidit. Noster omnes ingenii nervos intendit, ut probet, mysteria religionis Christianæ cum axiomatibus Philosophicis conciliari omnino non posse, sed ad meram Dei auctoritatem hic recurrendum esse; etsi interdum, inflexo paulisper styli rigore, mysteria saltem videri contraria rationi, interdum de exigua saltem rationis, quæ nobis data est, portiuncula, non de ratione universali se loqui dicat. Igitur doctrinas de permissione peccati, libero arbitrio & prædestinatione ita pertractat, ut Jaquelotum Arminianis favere, coryphæorum Ecclesiæ Reformatæ vestigia spernere & ad rationalem Theologiam, Ecclesiæ dudum exosam, non tam inclinare, quam ruere credat. Quo loco Rationales, quos vocat,

Theologos in scenam producit, eosque Concilii Dordraceni decretis parum favere suspicatur, atque cum P. Jurieo committit. Libertati hominis infensiorem omnino se præbet, eoque nomine Jaquelotum acriter impugnat, tandemque veri Christiani indolem exposcere dicit, ut pugnam fidei & rationis agnoscat, nihilominus tamen, eadem agnita, Deo fidem habeat. In hac cum Jaqueleto concertatione interspergit passim alia, v. gr. judicium Auctorum Diarii Erudit. Parisiensis de Kingii libro de Origine mali, refutationem responsionis, quam Diroisius in Præjudiciis pro religione Christiana ad dubium de origine mali dederat, quamque libertati divinæ contrariam esse judicat, nec non alterius, quam Regisius in Systemate Philosophico ejusdem dubii solvendi gratia attulerat, nec non unam & alteram Malebranchii doctrinam examinatam. Præterea cum Vallonio auctore Apologiæ Reformat. circa Prædestinationis dogma disceptat, quem de absoluto decreto durissime loqui & amorem Dei versus res creatas ac benignitatem tantum non tollere observat. Porro Reformatos tuetur contra Schlusselburgium aliosque, quod Deum peccati caussam faciant, ipsis exprobrantes, qua de lite p. 1115 seq. nec non p. 1135 seq. prolixe disquirit, atque simul ostendere nititur, mitiores, quos dicunt, Reformatos re ipsa a rigidis & antiquioribus non discrepare. Altera hic Bælio cencertatio est cum Jo. Clerico, qui in Parrhasianis & alibi Bæliana tradita de dubiis rationis nostræ circa unitatem Dei & originem mali confutaverat, atque inter alia Origenianam hypothesin Manichaicæ prætulerat. Hic & vindicat sua Bælius, & Origenianum Clerici graviter persequitur, atque de præscientia Dei, decretis, libertate & æternis pœnis ultro citroque cum eo sententias confert. Hinc de defuncti Primatis Anglici Tillotsoni propensione ad Origenianam de fine pœnarum infernalium doctrinam agit, controversiam, quæ acta est inter Nicolium & Jurieum, num Romanæ Ecclesiæ doctrina de damnatione infantum non baptizatorum crudelior sit & durior dogmate Reformatorum de absoluto decreto? sub censuram vocat, neutri disputantium parcens. Adoritur post hæc Cudworthi naturas plasticas, quas & repugnare aliquot

sanæ

ſanæ rationis notionibus, & ad excludendum e curſu rerum naturalium Deum tendere exiſtimat, Clericoque earum Apologetæ fuſe reſpondet. Poſt hæc iterum peculiari Capite oſtendit, recentiores Reformatos, qui mitius videantur loqui, dogmata veterum duriora conſtanter retinere, & enumeratis genuinis auctoribus quorundam anonymorum ac pſeudonymorum ſcriptorum hanc operis ſui partem claudit. Nos inde ſequentia excerpemus: Auctorem Cautionis criminalis ſive proceſſus contra ſagas, de quo dictum eſt in Diario Baſnagii (*Hiſtoire des Ouvrages des Savans*) A. 1696 p. 131, eſſe N. Spee Jeſuitam; Commentarium in Epiſtolam Gentiani Herveti ad apoſtatas ſub Nicol. Jomlacelæ nomine a Phil. Marnixio ſcriptam eſſe; reliqua ex Cauſa Quesnelliana, nobis memorata, hauſta ſunt.

C. WOLFII SOLUTIO NONNULLARUM DIFFIcultatum circa mentem humanam obviarum, ubi ſimul agitur de origine notionum & facultate ratiocinandi.

PRincipia Metaphyſica nondum rite eſſe conſtituta, vel exinde liquet, quia effectuum mentis non prompte ex iis redditur ratio. Relatum eſt in his ipſis Actis A. 1706, p. 366. quod juvenis quidam ruſticus, a nativitate ſurdus ac mutus, quam diu auditu privatus ſermonis uſu carebat, ſolis perceptionibus impulſus, omnia egerit, nulla facta ad perceptiones & actiones ſuas reflexione, multo minus idearum compoſitione aut disjunctione. Similiter *Bernhardus Connor* auctor eſt *in Evangelio Medici p. m. 133 & 134*, cum anno 1694 in aula *Johannis Sobieſci* Regis Poloniæ verſaretur, in nemoribus ad *Lithuaniæ* & *Ruſſiæ* confinia ſitis a venantibus ſylvicolis inter gregem urſorum captum fuiſſe juvenem, 10 circiter annos natum, adſpectu horridum & pilis hirſutum, neque rationis, neque loquelæ, neque vocis humanæ uſu gaudentem, qui poſt longum tempus cicuratus cum rauca & inhumana voce verba quædam proferre incepiſſet, de ſylveſtris vitæ curſu non magis recordabatur, quam

quam nos eorum meminimus, quæ acta sunt, quando in incunabilis vagivimus. Mirum igitur plerosque habet, cur nativitate surdus ad nullum perveniat rationis usum, nisi a surditate liberetur? cur inter bestias educato rationis usus nullius concedatur? cur rationis usu prorsus destituantur infantes? ad tempus orbemur omnes dormientes? cur denique rationis usu concesso nullius recordemur, quod, dum eo privaremur, cogitavimus?

2. Nodi hi hactenus pro insolubilibus habiti, non quod tales ex natura sua existant, sed quia de anima perperam huc usque philosophatum. Nos igitur certam eorundem solutionem afferemus, atque eo ipso monstrabimus, quænam in similibus adhiberi debeat philosophandi methodus: quod præstitisse iis forsan non displicebit, quos veritatis incrementum juvat. Cum autem difficultates recensitæ omnes circa rationem versentur; in ejus naturam cum cura nobis inquirendum. Et quoniam mentis definitio realis adhuc desideratur, ratio vero sit aliqua vis ipsius; a priori eam eruere non datur. Investiganda igitur a posteriori, reflectendo scilicet super ratiociniis perfectis, qualia in Geometria occurrunt.

3. Cogitationibus nostris attenti docemur, nos *res singulares* percipere. Jam si contingat, mentem in perceptione totali multas partiales distinguere a se invicem posse, *notionem* acquirit *distinctam:* in casu opposito *confusam*. E. gr. si Triangulum percipio, latera tria, angulos tres; sique fuerit Scalenum, laterum & angulorum inæqualitatem percipio. Latera ab angulis, immo tum illa, tum hos invicem quantitate distinguo. Jam cum omnimoda determinatio eorum, quæ in perceptione totali distinguuntur, *principium individuationis* constituat; si ab ea abstrahimus, utpote per sensum non accurate determinanda, *notionem* habemus *Speciei*. E. g. in nostro casu determinata laterum & angulorum ad se invicem est ratio, non mutanda, nisi individualitate Trianguli destructa. Ab ea vero si abstrahimus, relinquitur notio omnibus Triangulis Scalenis communis. Obiter vero hic moneo, (ne quis hactenus dicta exceptiones admittere arbitretur,) me a plani, in

quo

quo Triangulum descriptum, & a materiæ, qua in lateribus ejus docendis usi fuimus, mentione consulto abstinuisse, utut ad individualitatem Trianguli suo quodam modo aliquid conferre non negaverim. Enimvero quæ in notione communi Trianguli Scaleni distinguuntur, aliquo adhuc modo determinata sunt: relinquitur enim & laterum, & angulorum inæqualitas, adeo licet inæqualitatis nulla determinatio adsit, in eo tamen determinatio quædam jam continetur, quod requiritur, & latera & angulos æqualia esse debere. Quodsi igitur ab hac determinatione abstrahamus, remanebit notio generalis omnium Triangulorum, quod nempe sit spatium tribus lineis comprehensum. Hæc ipsa vero quandam adhuc determinationem admittit, nempe laterum numerum ternarium; quæ si abjiciatur, prodibit notio spatii lineis terminati, h. e. Figuræ.

4. Ex jam dictis apparet, quomodo occasione nostrarum perceptionum formentur notiones. Quæ autem hac ratione formantur, de earum realitate dubitandum non est, cum nihil contineant, nisi quod esse indubitato experimur. Et si omnes notiones hac ratione formarentur, dici quodammodo posset, nihil esse in intellectu, quod non fuerit in sensu. At multarum rerum formantur notiones non per *abstractionem*, super perceptionibus reflectendo, sed per *arbitrariam combinationem*, ad quam faciendam per determinationem quandam in notione aliqua animadversam mens determinatur. E. gr. si in notione Trianguli ternarium laterum numerum expendit mens, ternario substituit quaternarium, denarium, millenarium, indefinitum numerum &c. quo facto, oriuntur notiones figurarum quadrilaterarum, decangularum, millelaterarum, multilaterarum &c. Similiter si in notione Trianguli laterum inæqualitatem perpendit, inæqualitati substituit æqualitatem, vel trium, vel duorum laterum, proditque in casu primo notio Trianguli æquilateri; in posteriori notio Trianguli æquicruri. Similiter in Geometria sublimiori proposita æquatione ad *Parabolam Apollonianam* $ax = y^2$, æquationes similes, quas infinitarum Curvarum notio-

nes exprimere notisſimum eſt, $a^{m-1}x=y^m$, $ax^{m-1}=y^m$, $a^m x^n=y^{m+n}$ ſtatim formantur. Ex his exemplis apparet, me item, fundamento differentiæ notionum animadverſo, per determinationes arbitrarias multa rationum genera comminiſci. Ex ipſo autem modo, quo notiones iſtæ formantur, colligitur, earum realitatem demum comprobandam eſſe vel a priori, ut nexus neceſſarius cum aliis, de quarum realitate nullum ſupereſt dubium, demonſtretur, aut modus formationis plene intelligatur , (ad quod requiritur, tum ut conſtet, talia poſſibilia eſſe, quæ ad formationem concurrere ponuntur, tum ab iis ea proficiſci poſſe, quæ ipſis attribuuntur:) vel a poſteriori, ubi talia in rebus extra nos percipimus, qualia notiones formatæ involvunt. Hinc liquet, multa eſſe in intellectu, quæ non fuerunt in ſenſu.

5. Quoniam vero notiones generum & ſpecierum omnimodam determinationem non admittunt, qualem requirunt ſingularia, quæ percipiuntur per *Art. 3 & 4*; ut percipiantur, fieri nequit. Quamobrem ea, quæ in notionibus diſtinguuntur, per characteres ſeu ſigna perceptibilia repræſentari debent. Talia ſigna ſunt voces, notæ numericæ & characteres Algebraici. Totum adeo ratiocinandi artificium ad duo capita revocatur, nempe ad *partem characteriſticam* ſeu conſtitutionem ſignorum, & *partem combinatoriam* ſeu combinationem ſignorum. Pars prima arbitrium ratiocinantis fundamenti loco ſupponit, non tamen prorſus indifferens, ſed per leges ſapientiæ limitatum, quibus applicatis regulæ neceſſariæ *Artis characteriſticæ* enaſcuntur, demonſtrationibus adeo firmandæ. Exempla ſpecialia in Analyſi Mathematicorum & ipſa Arithmetica vulgari habemus. Signorum combinatio arbitraria non eſt, cum per eam nexus rerum poſſibilium neceſſarius repræſentetur. Certas igitur admittit leges, quoad veritates Mathematicas in Analyſi explicatas.

6. Nimirum ratiocinari in Matheſi eſt ſubſtituere æqualia pro æqualibus, hoc eſt, ratione vel quantitate eadem pro iisdem ratione aut quantitate. Atque ideo in ratiociniis Mathematicis non poteſt non conſervari evidentia ſumma. Hæc vero

ſubſtitu-

ſubſtitutio fit vel per *arbitrariam valorum aſſumtionem*, quæ per omnem Analyſin uſum habet ampliſſimum; vel per *neceſſarias valorum mutationes & explicationes* juxta axiomata evidentia & theoremata demonſtrata factas. Tot ſunt probationes, quot in Matheſi demonſtrationes, quot exempla calculi Algebraici. Et in genere ex definitione ſeu notione data alia deducere eſt eorundem ſignorum ulteriorem explicationem per plurium pro ſingulis ſubſtitutionem afferre. E. gr. ponamus $6=5+1$, cum etiam ſit $2+2+2=6$, $2\times3=6$, $2\times2+1=6$, $3+3=6$, $2+1+2+1=6$, $2+2\times2=6$, $4+2=6$ &c. erit quoque $5+1=2+2+2$, $5+1=2\times3$, $5+1=2\times2+1$, $5+1=3+3$, $5+1=2+1+2+1$, $5+1=2+2\times2$, $5+1=4+2$; item $2+2+2=2\times3$, $2+2+2=2\times2+1$, $2+2+2=3+3$, $2+2+2=2+1+2+1$, $2+2+2=2+2\times2$, $2+2+2=4+2$; ſimiliter $2\times3=2\times2+1$, $2\times3=3+3$, $2\times3=2+1+2+1$, $2\times3=2+2\times2$, $2\times3=4+2$ &c. Ecce tibi plures ſenarii notiones ex notionum antecedentium numerorum legitima combinatione factas, quarum combinationes totidem producunt theoremata varias ſenarii proprietates manifeſtantia.

7. Ut idem extra Matheſin quoque valere intelligatur, exemplo ex Phyſica deſumto dictis fidem facere libet. Afferamus e. gr. propoſitionem per experientiam nobis innotuiſſe ſequentem: *Ignis liquefacit plumbum*. Ut optime intelligatur, qua ratione id fiat, non opus eſt, niſi ut explicentur notiones ignis, liquefactionis, & plumbi, quod hic ſaltem conſideratur tanquam maſſa conſiſtens. Hoc enim facto, obtinebimus propoſitionem aliam loco primum propoſitæ, quæ hujus tenoris: Ignis particulæ ſubtiliſſimæ dum ſeſe inſinuant in poros plumbi, partes cohærentes a ſe invicem divellunt. Ut explicatio notionum per ſubſtitutionem facta rite intelligatur, integram mentis operationem hic exprimere libet.

(1) Ignis	(1) liquefacit	(1) plumbum.
(2) Corpus fluidum, ſubtiliſſimum, corpora quævis penetrans	(2) fluidum reddit	(2) maſſa conſiſtens
		(3) cor-

(3) corpus habens partes a se invicem separatas & poris aliorum corporum sese insinuantes	(3) convertit in massam, cujus partes dissolutæ (4) divellit a se invicem partes, quæ cohærent	(3) massa, cujus partes sunt cohærentes.

Ignis particulæ subtilissimæ, si sese insinuant in poros plumbi, partes ejus cohærentes a se invicem divellunt.

Has successive in singulis propositionis partibus factas substitutiones si legitime combinemus, propositionis primum propositæ enascitur demonstratio. Quodsi notiones insinuationis & divulsionis ulterius explicare libuerit, natura ignis plenius manifestabitur, atque modus cohæsionis partium in plumbo patefiet. Verum his immorari nostrum non est.

8. Id adhuc annotamus, ex *Artic. 6 & 7* manifestum fieri, in notionum explicatione non utendum esse nisi Signis jam antea satis explicatis, quorum valorem in mentem nobis revocare possumus, quotiescunque libuerit. Patet etiam ratio, cur in ratiocinando, non violata ratiocinii evidentia, cognitione symbolica contenti esse possimus, qua scilicet nos mente referimus ad notionis explicationem vel propositionis demonstrationem alibi factam. E. gr. si constet esse $3+3=6$ & $2 \times \overline{2+1}=6$, atque recordemur, notionem senarii alio tempore nobis fuisse satis expensam & identitatem inter ipsam ac factum ex binario in binarium & unitatem, itemque summam ex duobus ternariis sufficienter animadversam; nullam amplius rationem habemus notionis senarii atque demonstrationis, per quam identitas prædicta nobis innotuit; sed de utroque securi inferimus: $3+3=2 \times \overline{2+1}$. Confidimus nimirum veritate axiomatis ratiocinandi fundamentalis: quæ sunt eadem cum eodem tertio, ea sunt eadem inter se. Denique liquet, demonstrationes non esse nisi combinationem serierum substitutionum nobis memoratarum.

9. Cum

9. Cum adeo tum ad notiones firmandas, tum ad eas combinandas signis opus habeamus per *Art.5* sintque talia voces, per *Art. cit.* ut ante sermonis usum vel negato verborum usu ratiocinemur, fieri non potest. A nativitate igitur surdus, inter bruta educatus atque infans rationis usu destituitur. Ut vero etiam intelligatur, cur dormientes rationis usu ad tempus orbemur; tenendum est, postquam materiam notionum voces constituimus adeoque sine vocum usu rationari nequimus, signa ista menti percipienda repræsentari debere, dum ratiocinari aut distincte quidpiam cognoscere conamur. Quare utut non loquamur, clauso tamen ore submissa quam maxime voce inter meditandum nobismet ipsis loquimur. Unde cum per exspirationem aeris ex pulmonibus per tracheam prorumpentis voces formare conemur, alio tempore deduxi, cogitationes nobis ex corde procedere videri. Jam cum inter dormiendum cessent perceptiones ab impressionibus in sensuum organa profectæ, vocum quoque formandarum conatus abest, consequenter & usus rationis. Somnia tamen excipiuntur, in quibus quemadmodum aliis perceptionibus conceditur locus, ita & conatus formandi voces non prorsus abest, quem me sæpius percepisse, quodque conatus clamandi eluderetur, indignatum fuisse probe memini. Denique quoniam ea facillime oblivioni tradimus, super quibus nulla fit reflexio, reflexio autem fit distinguendo a se invicem, quæ perceptio totalis involvit, formandoque notiones distinctas rerum perceptarum, id quod sine sermonis aut aliorum signorum usu fieri haud potest: ut eorum recordemur, quæ ante sermonis usum percepimus aut fecimus, utque ante sermonis usum deliberato quidpiam agamus, concipi nequit. Quamobrem & inter dormiendum anima se ipsam percipit, nihil rerum externarum, omnisque abest ab illa immediata sui perceptione reflexio. Non igitur mirum, quod evigilantes nullius cogitationis recordemur.

10. Ad hæc scribenda me impulerunt, quæ in his Actis anno præsente de anima passim leguntur. Vellem enim, ut in immaterialitatem animæ inquisituri ejus ante vires accurate co-

 gnoscerent,

gnoscerent, (cujus cognitionis aliquod specimen in antecedentibus exhibui;) quam arduum hoc opus aggrederentur, ita enim futurum arbitror, ut nec cum Cartesianis paralogismum pro demonstratione venditent, nec cum aliis, quia nodos a nobis solutos & alios ipsis similes non statim capiunt, mentem pro potentia ex combinatione organorum corporeorum resultante habeant, utque in principio actionum brutorum definiendo solidiora proferant.

SYLLOGE EPISTOLARUM B. D. POLYCARPI LYSERI, Senioris, ex MSS. eruta a Pronepote τȣ̃ Μακαρίτȣ POLYCARPO LYSERO, S. Theol. D. Potentiss. Electori Brunsvico-Lunæburgico a Consiliis Ecclesiasticis, Capituli Wunstorpiensis Præsule, & Ecclesiarum per Ducatum Calenberg. Ephoro Generali.

Lipsiæ, apud Heredes Friderici Lanckisii, 1706, 8.

Alphab. 1 plag. 7.

FElicitatem, qua de gloriari haud cuivis licet, expertus est Venerandus D. Lyserus, dum in instructissimam supellectilem ipsius librariam Epistolæ ab Illustrissimis Electoribus, Ducibus & Principibus, Fœminis item e stemmate Regio, Electorali, Ducali atque Principali originem ducentibus, Comitibus porro & Baronibus utriusque sexus, Viris dein nobilibus & eruditis, aliisque ad neutrum censum referendis, quin & ab integris Collegiis scriptæ, tanto confluxerunt numero, ut earum centurias quinquaginta & amplius se possidere testetur. Harum plurimas & præstantissimas imposterum luci publicæ exponere decrevit, quippe cum probe observarit, etiamsi his deliciis fere onerentur atque obruantur doctiores, famem tamen vere sacram nondum valuisse restinguere tot ac tam varios codices Epistolicos huc usque vulgatos, ut delitescentes potius adhuc passim Epistolas αὐτογράφȣς eadem plane aviditate optent illi atque expetant. Sed dum in eo est, istas prius usui

communi

communi permittendas censuit, quas B. ipsius Proavus, *Polycarpus Lyserus*, Gollerstorpii primum in Austria Ecclesiæ Minister, dein ab Electore Saxone, Augusto, A. 1576 Wittebergam evocatus Professor Theologiæ, Pastor Ecclesiæ primarius & per Circulum Electoralem Superintendens Generalis, porro Ecclesiæ Brunsuicensis Coadjutor & paulo post Superintendens A. 1587 & sequentibus, deinceps A. 1593 inde Wittebergam ad fungendum officiis pristinis revocatus, ast a Brunsuicensibus nonnisi ad biennium certis conditionibus utrinque comprobatis dimissus, tandem vero ab A. 1594 usque ad A. 1610, quem fatalem habuit, Serenissimæ domui Electorali in aula Dresdensi a Consiliis sacris, Confessionibus & Concionibus primariis, Theologus per universam Ecclesiam longe celeberrimus, aut ad alios ipse scripsit, aut scriptas ad se ab aliis accepit. Harum centurias circiter viginti superstites habere se Lyserus noster innuit, & singulas sane nunquam hactenus impressas vulgatasque. Sed harum tamen longe plures exaratas olim fuisse, uti nullus dubitat, sic eos, in quorum istæ hærent manibus, rogatos cupit enixissime, ut ad ipsum illas mittere haud dedignentur. Etenim, quæ nunc eduntur, prodromi tantum alicujus vicem sustinent, aliasque imposterum numerum præsentium haud parum superaturas comites nanciscentur. Isto etenim pacto præclare mereri cupit Editor Summe Reverendus de piis manibus sui hujus Proavi, quem insuper & post integri fere Seculi decursum Ecclesiæ orthodoxæ redivivum velut sistere constituit, selecturus indefesso studio, quæcunque a Biographis, quorum non pauci in describenda ejus vita occupati jam fuerunt, vel nondum notata, vel brevius, atque rerum postulaverat ratio, enarrata, vel ob defectum documentorum fide dignorum non satis vere relata fuerunt. Cujus quidem laboris specimen egregium edidit & in Epistola hujus Sylloges dedicatoria, in qua famam B. Theologi contra Nonneminem e Reformatis vindicat, & in tractatu peculiari, qui eodem, quo hæ Epistolæ prodierunt, tempore in apricum processit, sub titulo *Officii pietatis*, quod Noster Proavo suo exsolvit per scriptum apologeticum, iis oppositum inculpationibus, quibus illum impetivit in Historiis

suis Godofredus Arnoldus. Varia in hoc reperias, quæ ad dilucidandam Crypto-Calvinismi, Huberianismi & Controversiæ Hofmannianæ historiam faciunt, ac quæ præterea religionem atque exitum vitæ Matthiæ Wesenbecii, celeberrimi JCti, respiciunt, cetera ut taceamus. Subjungitur apologiæ huic alia Epistolarum ad Lyserum Sylloge, in qua scriptarum a Davide Chytræo XXXII, a Caspare Hirschio V, a Johanne Linnero II & a Nicolao Blumio X continentur, e quibus fere singulæ quid conferunt ad demonstrandam Lyseri innocentiam iis in capitibus, in quibus sinistrum de ipso ferre judicium Arnoldo placuit. Nec silentio præterire fas est, quæ apologiæ ipsi leguntur intermixtæ, Samuelis scilicet Huberi VI, Marci Gerstenbergii II, Andreæ Jodoci I, Lucæ Backmeisteri I, Andreæ Ponchenii I, & quasdam adhuc alias. In præsenti vero Sylloge Epistolarum occurrunt haud pauca memoratu digna, quorum aliqua delibare lubet. Memorabilis est Epistola ad Theodosium Fabricium p. 7 seqq. quæ demonstrat, uxorem ulcerosam ac leprosam ob morbum hunc contagiosum a marito deseri non posse, ab ea tamen durante morbo esse abstinendum. In Epistola ad Christophorum *Fischerum* p. 74 seqq. docet, quomodo Viro cuidam Nobili, dubitanti hanc phrasin admittere, quod ore corporis in usu S. Cœnæ comedamus sacrosanctum Christi corpus, & bibamus pretiosum ejus sanguinem, nisi ex perspicuis Institutionis verbis tanquam hujus doctrinæ sede unica & propria id commonstretur, queat satisfieri. Ad Johannem Velium de quæstione: num liceat defuncti sponsi fratri in uxorem ducere relictam sponsam? p. 92 seqq. Lyserus scribit. Collegio Theologiæ Jenensi p. 220 seqq. prolixe ostendit, editionem Bibliorum Germanicorum versionis Lutheri novam ibidem typis cœptam excribi multis modis a vera & vere Luthero asserenda discrepare, adducens exempla plura glossarum, quæ Lutherum auctorem non habent, sed Synergistas, Adiaphoristas & alios illorum temporum schismaticos, indicans simul editiones Seculi XVI quasdam, quæ tuto tanquam genuini fœtus Lutheri queant suscipi. Jacobum Andreæ de rebus ad Ecclesias Austriacas, & ad

& ad Johannem Fridericum Cœlestinum & Josuam Opitium, turbatores pacis Ecclesiasticæ, pertinentibus p. 237 seqq. informat. Ad Andream Dudithium, filium, de Horehowicza binæ spectant, ast mutilæ, Epistolæ, quibus orthodoxum sensum loci Paulini Phil. II, 6. 7 cum cura investigat & ad dubia Dudithii, Reformatæ religioni addicti, respondet pag. 255 seqq. Censura scripti cujusdam, confessionem fidei D. Georgii Kleinii, Reipublicæ Goslariensis Syndici, complexi, habetur p. 297 sqq. Viro cuidam Generoso ad Quæstiones: an sub Tyranno libertatem religionis indulgente nec adversus patriæ Dominum belligerante, vel etiam sub heterodoxo Principe, militare liceat? an fas sit militem inquirere causas bellorum Domini sui, & num eas scire teneatur? num subditi Magistratui violenter vel in causa religionis, vel in aliis agenti salva conscientia queant obniti, ac vim vi repellere? utri belligerantium, an Magistratui, an subditis, in tali casu concessum sit officia sua addicere? p. 321 seqq. prolixe respondet. Plura decerpere supersedemus, cum ipse Lector benevolus sit observaturus, epistolarum non nisi paucissimas familiariter esse scriptas, & plerasque e contra de rebus gravissimis illa ætate disceptatis disserere, vel aliis consulentibus consilia prudentiæ & veritatis plena suggerere. Dubium proinde nullum est, quin avide exspectaturi sint Eruditi novam Syllogen Epistolarum & autographorum B. Lyseri aliorum, quam Noster meditatur, qui etiam *Prælectiones* illius *in Prophetas minores* prælo jamtum submissas post paucos menses usui communi exhibebit.

DE NOTANDA ÆQUALITATE NATURÆ INTER curvas citissimorum descensuum & curvaturas continuarum refractionum per diversa Media planis superficiebus parallelis contigua.

Excerptum ex Epist. F. D. C. Abb. Vall.

En novum scientiæ Mathematicæ specimen, ab eodem Auctore, cui mense Martio superiori p. 133 seq. communicata debemus, e Gallia nobis transmissum, cujus tamen partem tantum dimidiam

dimidiam hic exhibemus, reliquam proximo mensi reservantes, ne
nauseandi causam inveniant Matheseos imperiti. Quare Aucto-
rem, quicunque is sit, publico nomine compellamus, ut, si quid ha-
beat, quod per nos communicari Eruditis velit, brevitate utatur. Neq;
enim diffitemur, ante aliquot menses eadem via Adnotationem su-
per animadversione in difficultatem Huglenianæ de centro oscil-
lationis demonstrationi oppositam *ad nos perlatam esse, sed proli-*
xiorem, quam ut in tanta inprimis librorum utilissimorum, quo-
rum recensio nobis incumbit, copia inseri Actis nostris potuerit.

Norunt Mathematici, quam præstantissimus Geometra Ber-
noullius excogitavit, brachystochronamque nominavit curvam,
talis esse naturæ, ut Grave eam percurrens, a puncto ad punctum i-
psius descenderet breviori tempore, quam per aliam quamcunque
curvaturam ambo eadem puncta connectentem. Esto autem
TAB. X. Fig. 1. quævis hujusmodi curva ACB (Fig. 1) supra quam cogitatu
designa, ubicunque libuerit, duo puncta proxima A & B, vel
C & D, terminantia utrumque latus indefinite parvum certi
anguli ACB, vel CBD, curvaturam illam constituentis. Vo-
ca *dr*, *ds*, *dt*, tria continue subsequentia descensus secundum
eandem curvaturam instantia. Scis hic requiri, ut a termino
A ad terminum B temporis intervallum $dr + ds$, nec non a
termino C ad terminum D intervallum temporis $ds + dt$ fiat
brevissimum. Ad istas ergo temporis expressiones regulam de
Maximis & Minimis applica; obtinebis 1°. $ddr + dds = 0$, &
$ddr = - dds$; 2°. $dds + ddt 0 =$ & $dds = - ddt$. Ambas
igitur binorum continuorum, quorumlibet illorum instantium
expressiones differentiari, & earum differentiales sub signis con-
trariis æquari inter se proposita quæstio exigit.

Jam in Mathesi vulgatissimum est singula temporis momenta
sumpti dum a Gravi descendente curva percurritur
exprimi per $\frac{\sqrt{\overline{dy}^2 + \overline{dx}^2}}{v}$. At quænam ejus expressio-
nis differentiatio respectu quantitatum *dy*, *dx* & *v* pertineat,
ex sequentibus patebit.

1°. Efficit, quæ cogitatu determinatur punctorum pro-
pinquissi-

TAB. X. ad A. 1707. M. Nov. p. 518.

Fig. 1.

Fig. 2.

pinquiſſimorum A & B. aut C & D &c. poſitio, ut recta y (ordinata verticalis NC vel MB ad interjectas curvaturas aut ACB, AZB, &c. aut CBD, CRD, &c.) tanquam data conſideranda ſit: unde hic convenit differentiolam dy (AF, CH, BI, &c.) conſtantem ponere, dum coordinata ipſi differentiola dx (FC, FZ, aut HB. HR, &c) variabilis intelligitur; creſcente verſus K aut G, vel decreſcente verſus F aut H curvaturæ angulo AZB aut CRD.

2°. Quoniam intra rectas horizontales binas MA, KF, particula AF lineæ verticalis ad punctum C vel Z &c. ordinatim applicatæ conſtat ubique eadem; conſequens eſt velocitatem qualemcunque v lapſu ex A per AC vel AZ &c. acquiſitam (parallelis nempe Gravium directionibus) non variari, adeoque in expreſſione communi omnibus momentis, quibus hi deſcenſus peragerentur, non eſſe differentiabilem. Quod idem intellige de velocitatibus ad puncta reliquarum GE, DL, &c. referendis.

3°. Eadem punctorum A & B, aut C & D, &c. determinatio in cauſa eſt, cur recta verticalis AE, CL, &c. horizontaliſque EB, LD, &c. tanquam poſitione datæ ſpectandæ ſunt. Appellatis itaque EB, p; aut LD, q; & FC, dx; aut HB, dz; propter infinita numero aut puncta C, Z, inter K & F; aut puncta B, R, inter G & H; palam fit HB = EB — FC ſive dz exprimi poſſe per $p - dx$, aut DI = DL — BH ſive de eſſe $q - dz$, &c. reſpectu curvarum omnium inter A & B aut C & D, &c: quare differentiando habebitur ſemper eadem aut ddx aut ddz (ſignis contrariis affecta) in æqualibus differentiolis aut ddr, & $-dds$, aut dds & $-ddt$ expreſſionum binorum inſtantium proxime conſequentium, quibus curva ACBD percurrenda ſupponitur.

His igitur de cauſis ad differentiandam quantitatem $\frac{\sqrt{\overline{dy.}^2 + \overline{dx.}^2}}{v}$, neque v neque dy, ſed dx duntaxat differentiari quæſtio poſtulat: quod in hunc modum

$dxddx$

$\frac{dx\,ddx}{V\times\sqrt{\overline{dy}^2+\overline{dx}^2}}$ executus adæquabis simili

$\frac{-dz\,ddz}{V\times\sqrt{\overline{dy}^2+\overline{dz}^2}}$ seu $\frac{dz\,ddx}{V\times\sqrt{\overline{dy}^2+\overline{dz}^2}}$, ob ddz

$= -ddx$: Pariter faceres $\frac{dzddz}{V\times\sqrt{\overline{dy}^2+\overline{dz}^2}}$

$\frac{-dedde}{U\times\sqrt{\overline{di}^2+\overline{de}^2}}$ seu $\frac{deddz}{U\times\sqrt{\overline{di}^2+\overline{de}^2}}$ ob

$dde = -ddz$. Dividens itaque hæc bina æqualia per idem ipsis commune ddx aut ddz obtineres tres quotientes æquales; quandoquidem in eorum medio, qui bis sese offerret, neque V, neque dy, neque dz, utpote quæ ad idem punctum B curvæ quæsitæ in utraque comparatione pertinent, variantur. Atque ita de reliquis inter se collatis. Vides ergo omnibus ejusmodi differentiis instantium divisis per alias, quas continent, differentiolas, prodire quantitates inter se ac proinde eidem homogeneæ æquales. Tandem igitur fit hic in genere

$\frac{dx\times 1}{V\times\sqrt{\overline{dy}^2+\overline{dx}^2}} = \frac{1}{t}$: Unde colligitur

$\frac{1}{v}dx = \sqrt{\overline{dy}^2\ \overline{dx}^2}$ (I) æquatio differentialis ad curvas omnes, quæ parallelas ordinatas (intra concavitatem suam & rectam horizonti inferius posito æquidistantem) habent; quasque sic ostenditur fieri brachystochronismi capaces secundum certas proprias velocitatum a Gravi libere cadente acquirendarum hypotheses. Qua quidem solutione pars Propositionis nostræ prima absolvitur. Altera porro facili negotio demonstratur, ut sequitur.

Compertum est experientia radium luminis DB (Fig. 1) qui ex

qui ex aliquo Medio diaphano GBID in aliud denſius CKHB, velut ex aere in vitrum, oblique tranſit, non recta tendere, ſed inflexum, ad rectam IK communi Mediorum diaphanorum ſuperficiei HBG perpendicularem inclinari. Eſtque receptum in Dioptrica (deſcripto circa punctum incidentiæ & refractionis B circulo, qui radium incidentem BD æqualem refracto BC abſcindat) rationem, quam ſervant inter ſe ſinus recti DI & CK angulorum intra hos radios & perpendicularem IK comprehenſorum, eam eſſe, quæ refractiones menſurat. In Mathematica porro imaginari licet Medium cujuslibet profunditatis DLAP, magis ac magis quomodocunque denſum, hoc eſt, innumeram ſeriem infinite exilium Mediorum GI, KH, NF, &c. ſuperficiebus inter ſe parallelis comprehenſorum, cum denſitatis varietate refractivorum ſecundum variabilem qualemcunque rationem; adeo, ut tranſmiſſus per ea luminis radius DB continue detorqueretur, certamque lineam curvam DBCA efformaret, quam continuarum refractionum curvaturam appellamus. Superficies autem omnes, iſta refractiva Media ab invicem dividentes, ſupponimus planas; quandoquidem cunctas rectas ad radium ſic incurvatum ordinatim applicatas Propoſitio noſtra parallelas requirit.

Ad cognoſcendam autem hujusce curvæ naturam attendamus, æqualia ipſius elementa ſive æquales Tangentium particulas curvaturam conſtituentes AC, CB, BD, &c $(\sqrt{dy.^2 + dx.^2})$ certam aliquam habere rationem ad correſpondentes ſinus AN vel FC, CK vel HB, BG vel ID (dx) quibus refractiones continuæ menſurantur, & qui coordinantur differentiolis (dy) rectarum NC, MB, PD, ſuperficiebus refringentibus KF, GH, perpendicularium ordinatimque ad curvam applicatarum. Adeoque faciamus ID ſeu BG ad CK, id eſt $\sqrt{dy.^2 + dx.^2}$ ad dx, ſicut i ad r: unde concluditur $\frac{i}{r} dx = \sqrt{dy.^2 + dx.^2}$ (II)

æquatio differentialis, quam dico pertinere ad curvaturam radii tranſmiſſi per Media continue refractiva ſecundum rationem

certo modo variabilem ipsius dx ad sui similem dx proxime sequentem, cujus utique proprium est $\frac{i}{r}dx = \sqrt{\overline{dy}^2 + \overline{dx}^2}$: Etenim ex proprietate refractionis sumitur $\sqrt{\overline{dy}^2 + \overline{dx}^2} = \sqrt{\overline{dy}^2 + \overline{dx}^2}$, & fit consequenter $\frac{i}{r}dx = \frac{i}{r}dx$, ac tandem dx ad dx sicut $\frac{r}{i}$ ad $\frac{r}{i}$ similem proximam; atque ita semper.

Jam vero conferatur hæc secunda æquatio cum prima $\frac{i}{v}dx = \sqrt{\overline{dy}^2 + \overline{dx}^2}$. Apparet evidenter curvas omnes, quarum naturam ista prima exprimit, per secundam quoque exprimi, sed facta circa immotam basin AP conversione inversas: siquidem nihil impedit, quo minus sit $\frac{i}{r} = \frac{i}{v}$ sive $v = \frac{r}{i}$ (curvatura in partes æquales minimas cogitatu divisa) contrarioque ordine velocitas Gravis descendentis, & refractio Radii incurvescentis augeri concipiantur. Ubi advertas, velim, quas curvæ particulas in descensu citissimo velocitates majores conficerent, eas in spatio continue refractivo Media rariora detorto luminis radio efformarent.

Aliquot Exempla:

I Pro curva ABD (Fig. I.) proponatur Semiparabola horizontem versus convexa; cujus sit axis AP, parameter $= a$, ordinata verticalis NC $= y$, & coordinata horizonti parallela AN $= x$; quæraturque velocitatum a Gravi deorsum acquirendarum hypothesis, quæ ipsam redderet brachystochronam. Ex æquatione integrali ejus propria $ax = yy$ elicio differentialem $\frac{adx}{2y} = dy$, atque inde elementum curvaturæ $\frac{dx\sqrt{aa+4yy}}{2y}$, quod

quod in prima æquatione generali Problematis ſuperius notata (I) ſuffectum quantitati $\sqrt{\overline{dy}^2 + \overline{dx}^2}$, adæquatumque quantitati $\frac{i}{s} dx$, mihi præſtat per reductionem $v = \frac{2y}{\sqrt{aa+4yy}}$ hypotheſin velocitatum huic brachyſtochroniſmo convenientem. Nunc poſita analogia: ſicut i ad r ita $\sqrt{aa+4yy}$ ad $2y$; eaque ſubrogata in ſecunda æquatione generali ſupra affecta indice (II) utrinque quadro; multiplico per $4yy$; deleo $4y^2 \overline{dx}^2$; extraho radicem quadratam; tandemque integratis differentialibus $2ydy = adx$, invenio pro curva continuæ refractionis ratione quantitatis $2y$, diviſæ per $\sqrt{aa+4yy}$ ad ſimilem proximam 2y diviſam per $\sqrt{aa+4yy}$ $\left(\frac{r}{i} \text{ ad } \frac{r}{i}\right)$ menſuratæ, æquationem $y^2 = ax$, quæ pertinet ad eandem ſemiparabolam a radio luminis incurveſcente ſic delineatam, ut ipſius vertex in ſuperficiem Medii ultimi omniumque denſiſſimi normaliter incideret.

2. Eſto, ſecundum naturalem motus Gravium cadentium accelerationem, $v = \sqrt{y}$ & $i = \sqrt{a}$ in prima problematis æquatione. Dein utrobique quadretur; multiplicetur per y, tranſpoſitoque $\overline{ydx}^2$, radix quadrata extrahatur; tandem facta per $\sqrt{y}$ multiplicatione, reperietur $dx\sqrt{ay-yy} = ydy$ æquatio ſemicycloidis vulgaris ABD ad ſuam baſin AP, vertice D deorſum ſpectante, relatæ; cujus ſunt a axis, y ordinatim applicata, & $\sqrt{ay-yy}$ ſubnormalis. Sic habes celebrem ſubtiliſſimi Geometræ Bernoullii brachyſtochronam. Accipe nunc quoque notabilem radii luminis, qui parallelas aeris diverſe condenſati regiones (videlicet ſenſibiliter planas) trajicit, continue inflexi curvaturam a doctiſſimo Aſtronomo Philippo de la Hire, ope veteris Geometrarum methodi, adinventam. Fac ii ad

ii ad rr ut a ad y. Hinc per secundam problematis æquationem, utroque membro in se ducto, habebis $\overline{\frac{a}{ydx}}^2 = \overline{dy}^2 + \overline{dx}^2$ & deinde $dx\sqrt{a-y} = dy\sqrt{y}$, ad ipsam semicycloidem, sed ex parte horizontis concavam; statuendo (quod eximius ille Geometra Dn. de la Hire in Collect. Mathem. Reg. Scient. Acad. A. 1702, pag. 52, physico-mathematice ostendit) sinus, quorum analogia (eadem nimirum, quæ $\frac{r}{i} = \frac{\sqrt{y}}{\sqrt{a}}$ ad $\frac{r}{i} = \frac{\sqrt{y}}{\sqrt{a}}$ seu $\sqrt{y}$ ad similem) refractiones Atmosphæræ magis ac magis Terram versus condensatæ metitur, esse inter se in subduplicata ratione intervallorum y a basi sensibiliter plana in superficie terrestri ad puncta refractionum in aere. In qua sinuum refractionalium hypothesi nullam necessario involvente quantitatem cognitam in æquatione curvæ datam, Medium continue refractivum totam admitteret Cycloidum vulgarium speciem, pro varia Tangentium seu Radiorum incidentium inclinatione ad singulam superficiem refringentem. Quandoquidem, mensuris refractionum constantibus, similes semicycloides aliæ aliis suffici possent; quarum axes Vd (Fig. 1) semper forent $= \frac{tty}{tt-\sigma\sigma}$ & bases AP $= \frac{tt}{\gamma}$ Vd (expressis, superficiei refringentis altitudine Vg per y, sinu totali bT per t, & incidentiæ sinu TS per σ) ob singulam chordam db tangenti cycloidicæ parallelam, ac inter Vd & Vd—Vg mediam proportionalem. Supposita itaque y circiter $6\frac{1}{2}$ leucarum, 2000 hexapedas continentium; & σ quasi evanescente propter radium luminis maxime inclinatum; ita ut

ita ut ſemicycloidis axem $\frac{tty}{tt-o}$ ſive y adæquaret maxima Atmoſphæræ altitudo; baſis $\frac{11}{7}y$ eſſet leucarum circiter 10, hoc eſt, pars circumferentiæ terreſtris fere milleſima; quæ haud ſenſibiliter recta in ſuperficie non plana radios ſiderum per Atmoſphæram tranſmiſſos non in hanc curvaturæ ſpeciem detorqueri ſatis arguit.

Quodſi præterea quæras naturam omnium in infinitum curvarum tam continuæ refractionis, quam citiſſimi deſcenſus, in hypotheſibus conſtituentibus ſpatia verticalia y directe proportionalia poteſtatibus vel n celeritatum acquirendarum, vel m temporum conſumendorum a Gravi ipſa deorſum percurrente. Ponito e eſſe vel $=n$ vel $=\frac{m}{m-1}$ qui numerus poſitivus ſit; & facito ſive v ſive $\frac{r}{i} = \frac{y^{\frac{1}{e}}}{a^{\frac{1}{e}}}$; Problema dabit $dx\sqrt{a^{\frac{2}{e}} - y^{\frac{2}{e}}} = y^{\frac{1}{e}}dy$ æquationem infinite generalem requiſitam, quam quidem complete integrabis, quoties $\frac{e+1}{2}$ eſt aliquis numerus naturalis, ſi integrata dx ſola in uno membro, velis pro altero hinc fractionario iterare tot integrationes, quot unitates hic numerus continet. Verbi cauſa, $\frac{e+1}{2}=1$ & $e=2-1=1$ oſtendunt dari una integratione perfecta regreſſum a $dx\sqrt{a^2-y^2}=ydy$ ad $xx+yy=aa$, in quadrante circuli radio a deſcripti ſinumque rectum y & ſubnormalem x habentis:

tis : qui quadrans per hypothesin velocitatum $v=\frac{y}{a}$ (crescenti-
bus Ordinatis) evaderet brachystochronus, & per hypothesin
sinuum refractionalium $\frac{r}{i}=v$ (decrescentibus Ordinatis) re-
fractionatus. Simili modo, indicant $\frac{e+1}{2}=2$ ac $e=4-1=3$ i-
deoque $n=3$ & $m=\frac{3}{2}$ reditum a differentiali $dx\sqrt{a^{\frac{2}{3}}-y^{\frac{2}{3}}}=$
$y^{\frac{1}{3}}dy$ ad integralem $x^2+y^2=4a^2-3y\sqrt[3]{aay}$ duabus integratio-
nibus absolutis. Idem est de multis in infinitum ejusmodi cur-
vis Geometricis (numero e variato juxta numerorum impari-
um seriem) cum brachystochronismi, tum refractionismi capa-
cibus, supponendo tam sinus refractionum decrescentes, quam
velocitates crescentes, esse ad invicem in ratione potestatum
$\frac{1}{e}$ a rectis ordinatim applicatis y.

His illam famosam eruditissimi Geometræ Leibnitzii a-
nalogochronam subjungere satis superque est. Talem autem
se habet, ut Grave secus ipsam cum velocitate naturaliter cre-
scente decidens, tempora quibuslibet segmentis AF, AE,
(Fig.1) in Tangente verticali AQ, a puncto contactus A inter-
ceptis analoga, arcus correspondentes AC, AB conficiendo,
impenderet. Hinc æquabilis descensus proprietatem in hypo-
thesi Galileana sibi sola vindicat; nec tamen alia ipsi
deest propria hypothesis, qua supposita, non minus conti-
nuæ refractionis, quam citissimi descensus privilegio sola quo-
que potiretur. Quod sic breviter ostendimus: ex æquatio-
ne ejus vulgari $y^{3}=a^{1}x^{2}$ colligitur $dx\sqrt{\frac{4a+9y}{9y}}=$

$\sqrt{\overline{dy.}^2 + \overline{dx.}^2} = \frac{1}{v} dx = \frac{i}{r} dx$ per problema. Ergo ex hypothesi propria $v = \sqrt{\frac{9y}{4a+9y}} = \frac{r}{i}$ tam pro illius curvæ ad horizontem convexæ brachyſtochroniſmo, quam pro ejusdem ad planam Medii perpetuum refractivi baſin concavæ refractioniſmo.

Atque hæc tyronibus Mathematicis explicata ſunto: quos obiter monitos velim, lineas curvas, ſecundum quas radii luminis Media diverſe denſa, ſed ſuperficiebus ſphæricis concentricis ſeparata, penetrantes incurvarentur, non ad primam, ſed ad ſecundam ſolutionis præcedentis partem revocari poſſe. Rectæ ſiquidem y perpendiculares ad illas ſuperficies concentricas, & applicatæ ad iſtas curvas refractionatas, in commune centrum tendunt, efficiuntque, ut lineolæ differentiolis dy coordinatæ, non accipiendæ ſint ut ſupra æquales aliis differentiolis dx reſpectu baſis poſitione datæ, ſed tantum proportionales in ratione diſtantiarum, v. g. $b+y$ & b, a communi centro: uti ſolo Figuræ ſecundæ intuitu manifeſtum eſt. TAB. X Fig. 2.

Quare poſita $\frac{b}{b+y} dx = du$, & cæteris immutatis, æquatio problematis ſecunda ſuperius inventa migrat in $\frac{i}{r} du = \sqrt{\overline{dy.}^2 + \overline{du.}^2}$ (III) aut ad exprimendam naturam ejusmodi curvarum, aut ad inveniendam refractionum menſuram $\left(\frac{r}{i}\right)$ utravis illarum cognita: unde concluditur $du \,|\, dy \,||\, r \,|\, \sqrt{ii-rr}$ (IV).

DELLA BIBLIOTECA VOLANTE
Scanzia XVI.

i. e.

i. e.

BIBLIOTHECÆ VOLANTIS PLUTEUS XVI. AUCTORE JOANNE CINELLI CALVOLI, Patritio Florentino & Foroliviensi.

Venetiis, apud Hieronymum Albrizzi, 1706, 8.
Plag. 5.

QUem anno superiori p. 67 jam tum XV Bibliothecæ suæ Pluteum complevisse scripsimus, institutum strenue prosequitur doctissimus *Cinellus*, publicato quippe nuper Pluteo XVI, unde nunc vel paucissima delibabimus. Ubi *Lepidi Comici veteris Philodoxios Fabulam ex antiquitate erutam ab Aldo Manutio* Lucæ 1583 in 8, memorat, notat, Manutium se decipi passum a Leone Baptista Alberti, qui ipse veteres astute imitatus, Fabulam hanc composuerit. Libri *La Visiera Alzata*, qui sub Jo. Petri Jacobi Villani nomine prodiit, verum auctorem esse Angelicum Aprosium Ventimiglia testatur. Cum deinde Antonium Mongitore brevi editurum nuntiat *Bibliothecam Siculam, sive de Scriptoribus Siculis, qui tum vetera, tum recentiora secula illustrarunt, Notitias locupletissimas*, queritur iterum, Scriptores suos Florentinos, quorum quatuor mille quingentos collegerit, Typographum invenire nondum potuisse. Denique moderni forte Pontificis mentionem injiciens, exemplo carere ait Noster, quod is integro triduo oblatam dignitatem Pontificiam recusaverit.

LE PARFAIT GEOGRAPHE.

hoc est,

GEOGRAPHUS PERFECTUS, SEU ARS FACILE ADDISCENDI Geographiam & Historiam, per quæstiones & responsiones, una cum Tractatu de Sphæra. Auctore LE COQ.

Parisiis, prostat Amstelod. apud Joh. Ludovicum de Lorme, 1707, 12.
Alph. 1 plag. 17 & Tabb. æn. 17.

TErtia jam vice prodit libellus, in quo tyronibus potissimum ac iis consulitur, quibus multa ac vasta volumina evolvere non vacat. Multa autem novæ huic editioni accesserunt de moribus, religione & regimine nationis uniuscujusque, quæ in reliquis editionibus non habentur. Accessere etiam mappæ Geographicæ, nempe universi Globi Terraquei, Europæ, Galliæ, Hispaniæ, Belgii fœderati, Helvetiæ, Italiæ, Germaniæ, Poloniæ, Moscoviæ, Hungariæ, Insularum Britannicarum, Asiæ, Africæ, Americæ Septentrionalis & Americæ Meridionalis. In descriptionibus urbium & Regnorum maxime notabilia, quæ scire interest, nervose traduntur.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Decembris, Anno MDCCVII.

ONOMASTICON URBIUM ET LOCORUM Sacræ Scripturæ: seu liber de Locis Hebraicis Græce primum ab EUSEBIO Cæsariensi, deinde Latine scriptus ab HIERONYMO, notisque illustratus a JACOBO BONFRERIO. Recensuit & Animadversionibus suis auxit JO. CLERICUS.

Amstelædami, apud Franc. Halmam, 1707, in fol. ch. aug. Constat Alphab. 2 & duabus Tabb. Geograph.

Cum in his Actis A. 1705 mense Decembri Geographiam Sacram Sansonii recenseremus, futurum una diximus, ut operi isti non nimis spisso adderetur Eusebii *de Locis Hebraicis* liber. Stetit ergo promissis Bibliopola, quemadmodum hoc ipso quoque anno mense Junio p. 264 nunciavimus, jamque denuo librum illum Orbi Erudito exhibuit, non Græcum modo, prout primum ab *Eusebio Cæsariensi* scriptus est, sed Latinum etiam, quo in idiomate repræsentavit ipsum *Hieronymus*, non omissis insuper additamentis, a *Jacobo Bonfrerio*, Jesuita, olim adjunctis. Ubique strenuam huic Editioni operam navavit *Jo. Clericus*. Cum enim cognosceret ex collatione Operum Hieronymi, Lutetiæ a Jo. Martianæo A. 1690 inchoata, Bonfrerianam editionem satis esse mendosam, ex posteriori supplevit atque emendavit, quæ deerant aut vitiata erant in priore. Sed & notulas nonnullas addidit, in quibus varia, quæ indigna scitu non videbantur, in Eusebium & Hieronymum monuit, ad calcem plerumque singularum paginarum, post notas Bonfre-

rianas. Neque tamen de locis ipsis Terræ Sanctæ, variisque Eruditorum sententiis de eorum situ, agere heic constituit, sed tantum Eusebium atque Hieronymum quam emendatissimum dare. Ad calcem addidit etiam *Descriptionem Terræ Sanctæ* Brocardi Monachi, de qua in Præfatione ad Sansonium dixit, desumtum ex novo orbe Simonis Grynæi Basileæ A. 1655 edito.

DECAS EXERCITATIONUM PHILOLOGICARUM de vera pronunciatione Nominis Jehova, cum Præfatione HADRIANI RELANDI.

Trajecti ad Rhenum, apud Joannem Costerum, 1707, in 8.
Alph. 1. plag. 13.

QUo fine Celeberrimus Relandus hanc Dissertationum Decadem typis iterum descriptam in lucem ediderit, in Præfatione eidem præmissa ipse nobis aperit, asserens, non eo scopo id factum fuisse, ut bella litteraria de vera nominis Jehova pronunciatione in Belgio summa animi contentione agitata producerentur, aut propagarentur ad posteros, sed ut, sententiis utriusque partis æqua lance libratis, unusquisque, quod sibi videretur, eligeret, & illa, quæ non nisi magnis sumtibus comparari poterant, & per multa eaque ingentia volumina sparsa jacebant, in una quasi tabella Lectori offerrentur. In Decade ipsa priores quinque Exercitationes, quæ Drusio, Amamæ, Cappello, Buxtorffio, Altingio natales debent, lectionem Jehova impugnant: posteriores autem quinque, quarum una Fullerum, altera Gatakerum, tres Leusdenium autores agnoscunt, lectionem nominis Jehova tuentur. Clarissimus Editor in Præfatione laudata fatetur, se cum illis facere; qui propugnant puncta nominis יהוה genuina non esse, recte tamen æstumat, ferendos esse æquo animo, qui ab hac sententia abeunt, nec indignandum, si quis tum pro concione, tum alias, nomen illud Jehova efferat, quia plerique homines illiterati huic pronuntiationi adsuevere; nec tempestivum esse, quotiescunque nomen יהוה indicare sermone nostro volumus, hanc controversiam tangere, imprimis coram rudi harum rerum populo: verum hoc

hoc vicissim sibi expetit, ne qui se aliosve, in lectionibus Academicis, exemplo veterum Christianorum pro יהוה legentes אדני audiunt, vel credant vel dicant, superstitionem id Judaicam redolere, aut studio novitatis se aliosve eo permoveri. Sub finem Præfationis monetur, potuisse quidem multo plures Virorum eruditorum Dissertationes colligi & huic fasciculo inseri, intra hos tamen fines subsistere visum fuisse, tum quod illa, quæ hoc libello comprehensa sunt, abunde satisfactura sint desiderio Lectorum, qui rationes utriusque partis in hac controversia sub examinis incudem revocare volent, tum quod vastum alias & frequenti earundem rerum repetitione molestum volumen hinc natum fuisset. Post Præfationem rationes præcipuæ tum contra pronunciationem nominis Jehova, tum pro lectione ejusdem nominis facientes ex ipsis Exercitationibus debito studio collectæ exhibentur.

REPONSES AUX QUESTIONS &c.

i. e.

RESPONSIONES AD QUÆSITA CUJUSDAM Provincialis. Tomus IV.

Roterodami, apud Reinier Leers, 1707, in 12.
1 Alph. ch. aug.

Quarta hæc Pars est Responsionum Bælianarum, & quod auguramur, ultima, cum ante complures menses e vivis Celeberrimus Auctor excesserit. Complectitur eadem Capita XXIX, & partim sententias Bælii contra J. Bernardum & Clericum vindicat, partim memorabilia quædam ex Historiæ penu in medium affert. Initium facit a natalibus Michaelis Radzievii, Cardinalis & Primatis nuper Polonici, ostenditque contra quosdam, illum omnino patre Hieronymo Radzievio, Vice-Cancellario Polonico, satum esse, qui turbas in Polonia maximas dederit & A. 1654 obierit. Hinc Annæ Jagelloniæ, Polonorum Reginæ, mores, vita & serum conjugium, commemoratis (ut Auctor solet) singularibus & notatu perdignis circumstantiis, exponuntur, nec non Mariæ Ludovicæ Gonzagæ, quæ eadem dignitate functa est, res gestæ, fama etiam ejus contra-

malevolos defensa. Conversus Auctor ad relationes publicas, quas vulgo Novellas vocant, istud cumprimis earundem vitium castigat, quod de futuris sæpe ratiocinentur, utplurimum vero turpiter se dent: quo loco sigillatim scriptorem hujus farinæ Gallum, qui sub Helvetii cujusdam nomine Fœderatos contra Galliæ Regem sæpe traducere solet, dignis modis excipit. Differit porro non perfunctorie ex Hieronymo de maledicentia probatissimæ interdum vitæ homines vexante, nec non de falso credito per aliquod tempus Caroli Gustavi, Regis Suedici, & Maximiliani Emanuelis Bavari obitu.

His præmissis, defensionem sui contra Cl. Bernardum suscipit, Jurieum quoque interdum tangens; multoque studio depugnat, Idololatras pejores esse Atheis, magisque inclinare ad vitia, nec habere, quod flagitiorum in iis cursum remoretur: sine fundamento omni doceri, quod Pagani turpissimas de Deastris suis fabulas mystico quodam sensu explicaverint, quin potius eosdem adulteria, litigia atque alia Deorum suorum scelera ita credidisse ait, ut & imitatione exprimenda statuerent. Multos porro Atheos theoreticos, eosque proprie tales dari, contra Voetium & Bernardum contendit, *adductis*que recentiorum permultis testimoniis, conatur ostendere, non solum Sinenses Philosophos, sed & integras gentes Caffrorum, Insularum Marianarum, & quæ vicinæ iisdem nuper detectæ sunt, Atheismo laborare: itemque, thesin hanc, dari Deum, non evidentem facilemque captu, sed perdifficilem omnino esse: attributa Dei, præsertim immaterilitatem, innumeris dubiis obsita esse, adeo, ut vix naturæ viribus investigari ea posse credat. Quo loco, præsertim p. 220 sq. Jo. Lockium refutat, docentem, quod naturæ substantiarum, tam corporum, quam spirituum, nobis omnino sint incognitæ, quodque extensio & cogitatio ad eorum essentiam non spectent, sed affectiones sint, quæ ab illis separari possint.

Pergit Bælius, & contendit, Atheismum Rebuspublicis omnino perniciosum non esse, sed imperandi parendique leges ipsumque societatis politicæ vinculum inter Atheos optime servari posse; e contrario idololatriam non uno modo po-

litiis

litiis incommodam esse. Quo loco *p. 324 sq.* multa disseruntur de Paganorum tam Philosophorum, quam Poetarum & Sacerdotum, doctrinis circa pœnas demortuorum, auctoribus classicis non perfunctorie perquisitis. Ipsam quoque Christianam religionem non æquissime Vir doctus tractare videtur, quando & docet, Rempublicam ex Christianis saltem veris, moralesque Servatoris regulas accurate servantibus constantem, inter vicinos, quales nunc dentur, populos conservari non posse, sed propediem collapsuram esse, & vim ejus in reprimendis vitiis omnem ferme enervat ac circumscribit, ea super re cum Bernardo contrarium tuente decertans. Græcorum vero, Romanorum aliorumque Paganorum religionem mere mercenariam fuisse iterum iterumque docet, & de interioribus ac severioribus Christianorum officiis, (v. g. amore erga inimicos, & honoribus non quærendis) non tam leniter, ac fieri solet, explicandis, & restringendis, prolixe ratiocinatur: Bernardum enim ultra, quam permitti possit, ea extenuare notat, idemque Clerico exprobratum esse, p. 416 observat.

Appendix hujus Tomi continet Responsionem Bælianam ad ea, quæ Clericus in Bibliotheca Universali Bælio objecerat, & præsertim ad Atheismi crimen illi intentatum. Hic Noster par pari reddere gestiens, malum adversario animum tribuit, qui ficto veritatis & honoris divini studio pallietur. Haberi eundem passim pro Crypto-Sociniano, neque eum se ista hactenus suspicione liberare potuisse, itidem inculcat, ejusque Origenismum & Rationalismum passim perstringit, nonnihil etiam de formis plasticis disputans contra Cudworthi defensam a Cl. Clerico sententiam, quem [illegible]it, si viveret, sponte causa cessurum. Tandem Clerico arbitros controversiæ offert Theologos Lugdunenses in Batavis, Ultrajectinos, Franequeranos & Groningenses, quorum judicio causam se submissurum esse pollicetur.

Evangelischer Lieder-Schatz / 2c.

h. e.

HYMNORUM ECCLESIÆ EVANGELICÆ,

a Luthero reformatæ, thesaurus expositus a JO. CHRISTOPHERO OLEARIO, Eccles. Arnstadiens. Diacono, & Bibliothecario, Scholæ item ejus loci Inspectori.
Volumina IV.

Jenæ, apud Jo. Felicem Bielkium, 1707, 8.
Alph. 1. pl. 20.

Anni sunt quinque, ex quo Reverendus *Olearius* Bibliothecam Canticorum publicæ luci exposuit, quam anno 1705 Clariss. Tentzelius Bibl. Cur. Repos. 2do, Loculo primo, accurate satis & prolixe excerpsit. Ibi cum de Autoribus solum & Commentatoribus cantionum disseruisset, operæ pretium se facturum putabat, si & alia ad eorundem explicationem facientia ederet. Quem igitur de variis Ecclesiæ nostræ cantionibus collegerat Thesaurum, non apud se θησαυρίζειν, sed cum aliis quoque communicare maluit. Universum opus quatuor absolvitur partibus, quarum priores duæ A. 1705, tertia 1706,
P. I. Præf. quarta hoc demum anno prodiere. Facta hæc divisio pro anni Ecclesiastici temporibus, & cuique, seu Festa sit, seu Dominica dies, proprium Auctor assignat canticum. Detegit &, antequam ad alia digrediatur, autorem, sæpe satis incertum. Testimonia dein varia de singulari cujusvis cantici pretio affert in medium, vires etiam divinas ex effectuum exemplis confirmat, usum & abusum cum variis corruptionibus explicat, difficilia illustrat. Denique ex Commentatoribus, quos in Bibliotheca prætermiserat, addit, Dispositionemque subjungit Homileticam. Dicta Scripturæ ad quodvis canticum facientia allegare se tantum voluisse ipse profitetur, quæ tamen ut plurimum ex textu, cujus occasione ex suggestu explicavit cantiones, sunt desumta.
P. II. Age vero subjungamus horum aliquod specimen ex Parte secunda. Ibi in cantico: GOTT der Vater wohn uns bey ꝛc. non, ut vulgo fit, mit Waffen GOttes uns rüsten, canendum esse docet, verum cum Luthero retinendum: mit Waffen GOt-
40. tes uns fristen. Canticum: Nun laßt uns GOtt dem HErren ꝛc. ab aliis Selneccero, ab aliis Saxoniæ Duci Johanni Friderico II adscriptum, Helmboldo Mülhusano Superintendenti vindicat.

vindicat. Occasione cantionis: Nun freut euch lieben Christen g'mein, ꝛc. narrat, seculo superiore Ludimoderatorem Gemundensem, oppidi in Austria superiore siti, ad Pontificios a Lutheranis, uxore nequicquam dehortante, descivisse. Paulo post morbo correptum, cum nullo Pontificiorum solatio erigeretur, dictum canticum una cum uxore recitasse, cum vero ad illa perveniret verba: zur Höllen must ich sincken, efflasse animam. Quo num non Deus docere humanum genus voluerit, ea sancta credere, quæ ab hoc erant violata, ii viderint, quorum est, hæc scrutari. Sed redeundum, unde sumus digressi. In cantico Paschali viriliter verba: und speisen die Seel' allein, contra Reformatorum Theologos defendit, qui nobiscum eo utentes, ex his ipsis verbis patrocinium se suo circa S. Cœnam errori invenisse putant, ostenditque, Lutherum ibi voculam allein non ad animam retulisse, sed Christum, qui solus animam nutrire sibi reservavit. Rhythmicam precationis Dominicæ versionem, a B. Luthero confectam, nobisque cani in publicis Ecclesiæ cœtibus solitam, non minus inter Pontificios etiam atque Reformatos usurpari refert, hosque miratur in precatione septima retinuisse verba: Von allem Ubel uns erlöß, alias dicere svetos: Von allem Bösen, ꝛc. maxime cum ab initio statim canant: Unser Vater im Himmelreich. Proprio Pontificios ense jugulat, qui nobis ex cantione: Nun bitten wir den Heiligen Geist, um den rechten Glauben allermeist, objiciunt, fidem nostram minime esse veram, quippe qui illam his verbis expetere soleamus. Demonstrat enim, hunc primum cantici istius versum antiquissimum, & ante Lutheri continuationem jamdum in usu Pontificiis fuisse. Plura excerpere supersedemus, his jam sufficientibus, ut ex paucis, quanta totius Tractatus sit dignitas, colligi queat. Hoc tamen prætermittere neutiquam possumus, quod Parte tertia, priusquam ad sua digrediatur, integram D. Finckii, Superintendentis olim Coburgensis, Præfationem, quam suo Cantionali anno 1622 edito apposuerat, præfigat. Fecit id, ne consilii, quod Summe Reverendus Goetzius, Superintendens Lubecensis ipsi dederat, de colligendis Virorum pietate insignium ad Cantionalia Præfationibus vide-

p. 70. 97. 134. 152. P. III.

videretur immemor. Meditatur autem Autor Reverendus auctiorem Bibliothecæ suæ Cantionalis editionem, Hymnarium item & varia ad patriam Historiam facientia, quæ Catalogo hucusque a se editorum, Parti quartæ addito, subnectit. Quod reliquum est, nobis interpretibus, etiam atque etiam Viros pios, doctos, & rerum Ecclesiasticarum peritos orat atque obtestatur, ut, si quæ ad cantionum materiam spectantia ipsis ad manum sint, sua ipsum supellectile juvare, totamque adeo Ecclesiam sibi devincire non dedignentur.

CONTINUATIO EXCERPTI EX EPISTOLA F. D. C. Abb. Vall. superiori Mense p. 517 inserti.

EX. gr. proponantur duo infiniti Spiralium ordines, ad Archimedeam utpote omnium simplicissimam reducibiles, expressique duabus Analogiis $y^m | b^m || k^n | c^n$ & $y^m | k^m || b^n | c^n$; in quibus significant, c peripheriam circuli dati; b radium ejus; k arcum ab extremo hujusce radii puncto circulante cum certa velocitate descriptum; y applicatam ad curvas, e centro communi eductam, atque a puncto lineante super radium b cum certa celeritate decursam; m & n indices potestatum infinite generales, permutatione variatos. In priore harum Analogiarum, quando k adæquat c tunc y adæquat b: nam y fit $= b \times \frac{k^{\frac{n}{m}}}{c^{\frac{n}{m}}}$: In posteriore idem non evenit, quum numerus m differt a numero n; etenim y est $= b^{\frac{n}{m}} \times \frac{k^1}{c^{\frac{n}{m}}}$.

Jam vero ex natura primi ordinis colligitur 1°. $k = \frac{c^1 y^{\frac{m}{n}}}{b^{\frac{m}{n}}}$; 2°. $dk = \frac{m^1 c^1 y^{\frac{m-n}{n}} dy}{n^1 b^{\frac{m}{n}}}$; 3°. propter circumferen-

tiæ

tias concentricas $b \mid y \parallel dk \mid \frac{y\,dk}{b} = $ (per 2°.) $\frac{m'c'y^{\frac{m}{n}}dy}{n'b^{\frac{m+n}{n}}}$

quod denominatum du ponatur in æquatione problematis superius notata (III). Unde, utrobique dividendo per dy, multiplicando per $r'n'b^{\frac{m+n}{n}}$, & in proportionem resolvendo obtinebitur i ad r ſicut $\sqrt{n^2b^{\frac{2m+2n}{n}} + m^2c^2y^{\frac{2m}{n}}}$ ad $m'c'y^{\frac{m}{n}}$:

Unde $\frac{r}{i}$ communis expreſſio ſive hypotheſis ſinuum, quorum ratio continuas metiretur refractiones Radiorum ſecundum has primas ſpirales in plano verticali usque ad centrum ſphæricis ſuperficiebus refractivis commune incurveſcentium.

Porro ex natura alterius ordinis datur 1°. $k = \frac{c^{\frac{n}{m}}y^{1}}{b^{\frac{n}{m}}}$;

2°. (ob ſimiles ſectores) $b \mid k \parallel y \mid \frac{ky}{b} = $ (per 1°. hujus) $\frac{c^{\frac{n}{m}}y^2}{b^{\frac{m+n}{m}}}$, quo ſuppoſito $= \frac{2}{1}u$ (ubi fractio $\frac{2}{1}$ denotat rationem inter exponentes 2 & 1 ipſius y in $\frac{ky}{b}$ & in k) ac

 poſtea

postea differentiato, ex differentiali $z\,du$ fiet $du = \frac{c^{\frac{n}{m}} y\, dy}{b^{\frac{m+n}{m}}}$ præstans beneficio æquationis (III) supra, nec non divisionis per dy & multiplicationis per r, $b^{\frac{m+n}{m}}$ hanc proportionem $i \mid r \parallel \sqrt{b^{\frac{2m+2n}{m}} + c^{\frac{2n}{m}} y^2} \mid c^{\frac{n}{m}} y$, qua innotescit $\frac{r}{i}$ ad cujus hypothesin secundus iste spiralium ordo curvaturas suas quatenus refractione formandas refert. Hinc utrovis modo, patet esse i ad r sicut $\sqrt{b^4 + c^2 y^2}$ ad cy seu $\frac{\sqrt{b^2 + c^2 y^2}}{b^2}$ ad $\frac{cy}{b}$ pro simplicissima spirali in qua m evadit n: Adeo ut refractionismi sui hypothesin habeat expressam fractione $\frac{r}{i}$ constante ex numeratore & denominatore quorum quadrata sunt inter se ut quadratum ex peripheria refractiva $\frac{cy}{b}$ est ad summam quadratorum ex semidiametro b circuli dati & ex eadem peripheria concentrica. In tali autem refractionismo id notatu dignum videtur, quod pro diversa Radiorum luminis incidentium inclinatione supra eandem superficiem non curvæ curva similis succederet: Proprium est enim Helicis

Helicis Archimedeæ ſic eſſe dy ad du ut eſt b ad $\frac{cy}{b}$; ac per conſequens conſtante tam ipſa y quam b conſtare ipſam du, nec in eodem Medii hujuſce puncto inclinationem tangentis immutata curvaturæ formandæ natura variari poſſe. Quare continua refractio ſub aliis angulis in iisdem ſuperficiebus ſphæricis mutaret ſpiralem illam in aliam ſatis diſſimilem æquatione haud integrabili $c\,dy = \frac{de}{b}\sqrt{\frac{pp}{qq}b^4 + \frac{pp-qq}{qq}c^2y^2}$ expreſſam; & dependentem tum a ratione peripheriæ c ad ſuam diametrum $2b$, tum quoties p major eſt quam q ab Hyperbola æquilatera, cujus ſunt $\frac{2bpp}{c\sqrt{pp-qq}}$ diameter transverſa & y ordinatim ad axem applicatæ; per hanc ſcilicet analogiam perpetuam: Sicut Abſciſſa inter centrum & Applicatam hujusce hyperbolæ ſe habet ad differentiolam dy ejusdem applicatæ æqualem particulæ ſuper ſemidiametro data b ſumendæ, ita recta $\frac{qb}{\sqrt{pp-qq}}$ eſt ad arculum de ſuper peripheria c accipiendum. In cujus ſpiraliformis æquatione, $\frac{p}{q}$ deſignat rationem, quam ſinus anguli intra tangentem Helicis & rectam ſuperficiei refractivæ perpendicularem contenti habet ad ſinum alius intra Radium incidentem eandemque perpendicularem anguli. Quod ſi p eſſet minor quam q; ſemihyperbola æquilatera commutaretur in quadrantem circuli diametrum $\frac{2pbb}{c\sqrt{qq-pp}}$ habentis, & ſpiraliformis in aliam abſimilem, pro varia ratione $\frac{q}{p}$ in ſpecie ſua variabilem, cujus Tangens in-

insisteret ad angulos rectos ordinatæ y, quum foret $y = \frac{pbb}{c\sqrt{qq - pp}}$, id est $\frac{\sqrt{b^4 + c^2 y^2}}{cy}$ seu $\frac{i}{r} = \frac{q}{p}$; unde fieret $\frac{pi}{qr} = 1$ & consequenter, uti mox patebit, $de = \sqrt{dy^2 + de^2}$ indicans particulam curvæ refractionatæ secundariæ cadere in sinum inclinationis, hoc est Radium luminis coincidentem cum Tangente sublimi hujusce curvæ tunc fore maxime inclinatum, rationemque $\frac{q}{p}$ in superioribus curvæ primariæ punctis non amplius eandem dari per radiorum incidentium inclinationem.

Exigit hic Spiralis Archimedeæ cum Parabola primi generis affinitas, ut in Medio secundum illius parabolæ Tangentes refractivo ideoque planis superficiebus contento naturam curvæ sub aliis angulis ex eodem puncto refractionatæ ostendamus. Inventum est supra pro tali Medio $r = 2y$ & $i = \sqrt{aa + 4yy}$; Unde $\frac{pp}{qq} i^2$ evaderet $\frac{pp}{qq} a^2 + \frac{4pp - 4qq}{qq} y^2$ & æquatio, infra demonstranda, $r\,dy = de \sqrt{\frac{pp}{qq} i^2 - r^2}$ ad curvam quæsitam migraret in $2y\,dy = de \sqrt{\frac{pp}{qq} a^2 + \frac{4pp - 4qq}{qq} y^2}$: Cujus integratio præstat $\frac{pp}{\pm pp \mp qq} a^2 \pm y^2 = \frac{\pm pp \mp qq}{qq} e^2$. vel ad inversam semi-

ſemihyperbolam, a Radio luminis minus inclinato, quam ſi parabolam tangeret, & continue refracto formandam quoties q minor eſſet quam p; vel ad quadrantem ellipſeos a Radio luminis magis obliquo quam tangens parabolæ inclinata foret, & continue incurveſcente deſcribendum quoties q major eſſet quam p. In qua Hyperbola haberentur axis transverſus $= \frac{pq}{pp-qq}a$, conjugatus $= \frac{p}{\sqrt{pp-qq}}a$, rectæ ad axem in fundo Medii poſitum applicatæ $= y$, & harum applicatarum a centro diſtantiæ $= e$. In qua autem Ellipſi forent axis transverſus $= \frac{p}{\sqrt{qq-pp}}a$, conjugatus in fundo Medii poſitus $= \frac{pq}{qq-pp}a$, Applicatæ ad axem fundo Medii parallelæ $= e$ & ſingulæ centri ab Applicatis diſtantiæ $= y$: Maxima porro Radiorum luminis inclinatio pro ſingula $\frac{q}{p}$, præſtaret $\frac{\sqrt{\overline{dy}^2 + \overline{de}^2}}{de} = 1 = \frac{pi}{qr}$, & hinc $\frac{q}{p} = \frac{i}{r} = \frac{\sqrt{aa+4yy}}{2y}$, tandemque $y = \frac{pa}{2\sqrt{qq-pp}}$ maximam hujus quadrantis elliptici refractionati a fundo Medii diſtantiam ſemiaxi æqualem; quemadmodum refractioniſmi naturæ competit.

In genere, ſignificentur totalis ſinus per t, & particulares variorum incidentiæ angulorum ſinus per s & σ: Facile probabitur quantitates $\sqrt{tt-ss}$ & $\sqrt{tt-\sigma\sigma}$ (brevitatis

causa p & q) esse ad invicem ut duo sinus inclinationum in eodem Medio refringente sub æqualibus rectarum curvas refractionatas tangentium partibus. Quorum igitur sinuum eadem esset, ex dictis, ratio, quæ quantitatis $\frac{r}{i}$ ad quantitatem $\frac{qr}{pi}$; quapropter in æquationibus supra notatis (II) & (III) loco $\frac{i}{r}$ scribatur $\frac{pi}{qr}$ & loco dx aut du ponatur de aut $d\varepsilon$ respectu superficierum Medii planarum aut sphæricarum, inde emanabit $r\,dy = \left\{\begin{matrix} de \\ d\varepsilon \end{matrix}\right\} \sqrt{\frac{pp}{qq}\,i^2 - r^2}$ (V) ad infinitas continuæ refractionis curvaturas *secundarias* intra eandem Mediorum parallelis superficiebus aut planis aut sphæricis contentorum seriem a radiis luminis diverse inclinatis formandas.

Etenim quum dx aut du $\left(\frac{y\,dx}{b}\right)$ curvæ refractionatæ primariæ sit ad de aut $d\varepsilon$ $\left(\frac{y\,de}{b}\right)$ secundariæ ut est p ad q; fit $de = \frac{q}{b}\,dx$ supposito $\sqrt{dy^2 + dx^2}$ primariæ $= \sqrt{dz^2 + de^2}$ secundariæ ex ipsis refractionum legibus; & sic de alio casu simili. At quoniam $\sqrt{dy^2 + dx^2}$ est ad dx sicut i ad r; consequitur $\sqrt{dy^2 + dx^2}$ sive ipsi æqualem $\sqrt{dz^2 + de^2}$ esse ad $\frac{q}{p}\,dx$ sive ipsi æqualem de sicut

i ad

i ad $\frac{q}{p}r$. Ergo pro curva ſecundaria obtinetur $\frac{pi}{qr}de = \sqrt{\overline{dz}^2 + \overline{de}^2}$; Unde (utrinque quadrando, multiplicando per r^2, transponendo $r^2\overline{de}^2$, & radicem quadratam extrahendo) provenit $de\sqrt{\frac{pp}{qq}i^2 - r^2} = r\,dz$, ubi dz exprimi poteſt in genere per dy; quandoquidem æquales eſſent z ad curvam refractionatam ſecundariam Applicatæ & y ad primariam Ordinatæ, quatenus in iisdem ſuperficiebus refractivis ſibi reſponderent: Pro de autem ſcribi poſſet de ſignificans $\frac{y}{b}de$ vel $\frac{b+y}{b}de$ quum ſuperficies illæ ſupponuntur ſphæricæ: Quod erat oſtendendum.

Satis porro patebit has curvas continuæ refractionis ſecundarias primariam, cujus locum pro varia Radiorum incidentium inclinatione ſupplerent, propria ſpeciei ſuæ æquatione excludere, quoties ipſi $\frac{pi}{q}$ ineſt quantitas variabilis quam ſinuum refractionalium hypotheſis neceſſario includit. Non ita eſt de curvis quarum æquatio ſolam continet quantitatem $\frac{pi}{q}$ quæ conſtans ſit & in hypotheſi ſinuum refractionalium non includatur: Sunt quippe omnes ipſi primariæ ſimiles, eandemque cum illa ſpeciem eadem æquatione expreſſam conſtituunt.

His annumeramus iſtam curvarum centricarum ſpeciem, quæ propria continuæ refractionis menſura $\left(\frac{r}{i} = \frac{\sqrt{y}}{\sqrt{a}}\right.$ id eſt ſimpli-

simpliciter $\sqrt{y}$ ob communem divisorem $\sqrt{a}$, rectis y interpuncta refractionum & basim circularem normaliter applicatis) naturalem motus Gravium accelerationem retrogrado ordine exprimit. In Analogia superius notata (IV) si loco i & r scribamus $\sqrt{a}$ & $\sqrt{y}$; quod inde resultat, nempe $du\left(\frac{b+y}{b}dx\right)$ ita se habere ad dy sicut $\sqrt{y}$ ad $\sqrt{a-y}$ seu y ad $\sqrt{ay-yy}$, istarum curvarum, quatenus a Radio luminis per sphæricas superficies continue refracto formatarum, proprietatem nobis exhibet. Quam quidem specificam, communi æquatione expressam, dicimus; quoniam $\sqrt{a}$, dum ad libitum, immutata sinuum refractionalium hypothesi, assumi potest, idem est atque $\frac{pi}{q}$ æquationis (V) supra, ad curvas refractionatas secundarias pertinentis.

TAB. X. Fig. 2.

Imaginemur centrum Terræ esse Q (Fig. 2.); semidiametrum ejus, QP vel QN; portionem circumferentiæ Terrestris, ANR, concentricam peripheriæ aereæ in Atmosphæra partem, ILK; punctum in hac peripheria refractivum, C; verticale illius ad Terram intervallum, CN; simile infinite propinquum, BM; continuæ refractionis curvaturam, dBCA; lineolas quarum ratio hanc refractionem metitur, Bg, CK, &c. Ponamusque, quod jam pro Cycloide observavimus, istam refractionis mensuram in exiguis continue superimpositis massæ aereæ mediocriter compressæ voluminibus (gdB, BKC, &c.) non differre a ratione, quæ inter radices quadratas intervallorum BM, CN, &c. consistit. Liquet ex supra demonstratis lineam dBC, secundum quam radii luminis per Atmosphæram transmissi detorquentur curvam esse centricam ejus naturæ, quæ hic modo explicata est. Concipiantur itaque circulus PFDE qui diametrum PD habeat æqualem maximæ (a) omnium Applicatarum CN (y) & tangat circumferentiam ANM in P: Assumptoque diametri segmento PL æquali ipsi NC agatur sinus rectus LE, ac jungatur chorda EP: Ex proprietate cur-

curvarum hujusce refractionissimi capacium triangulum rectangulum ELP in circulo, & exiguum CKB sub curva similia sunt; quandoquidem sicut PL (y) se habet ad LE $(\sqrt{ay-yy})$ ita CK $\left(\frac{b+y}{b}dx\right)$ ad KB (dy); unde necessario consequitur, angulos lateribus homologis oppositos PEL & CBK esse æquales. Hinc palam fit, ejusmodi curvas non adscribendas esse earum numero, quæ originem ducunt a motu puncti fixi in circumferentia circuli super alium circulum circumvoluti, dicunturque Epicycloides primariæ. Nam si punctum tangens P & punctum describens C connecterentur, recta in circulo genitore subtensa PC perpendiculariter Epicycloidi genitæ occurreret: angulo igitur PCB existente recto, ac proinde æquali duobus simul sumptis KCB & KBC supra basin parvi trianguli rectanguli CKB; demptoque communi KCB; reliqui PCK & KBC æquales essent. At propter refractionissimum positum æquatur angulus PEL ipsi KBC; ergo & æquaretur ipsi PCK: Quod manifestissime repugnat, quum ille PEL & iste PCK pro cruribus haberent tam chordas PE & PC ab eodem puncto P ad diversa E & C ejusdem peripheriæ ductas, quam tangentes FLE & GC actas per diversa puncta L & C ejusdem arcus basi circulari concentrici CI dictam peripheriam in C diametrumque in L secantis; sicque arcubus inæqualibus PF, PG fulti necessario inæquales forent. Attamen circulari basi ANR in rectam expansa, non ad Cycloidem secundariam sive contractam sive protractam, sed ad primariam seu vulgarem a puncto in peripheria circuli circumvoluti descriptam id genus curvarum continuæ refractionis in Atmosphæra reducitur. Perspicuum est enim, ipso Figuræ aspectu, arcum basi circulari parallelum LC sic extensum, ut diametro PD circuli genitoris PED ad angulos rectos insistat in L, coincidere cum tangente sua LE; punctum lineans C transferri in E; tangentis CG extremum G cadere in F propinquum extremum alterius tangentis FLE; chordam PC circuli circumrotati, punctum lineans deferentis, occurrentem (suo

(suo quo potest puncto) normaliter Cycloidi genitæ, chordamque PE circuli genitoris terminatam ad sinum rectum LE = $\sqrt{ay-yy}$ aut simul coalescere, quum circulus circumrotatus idem est qui genitor, aut sese decussare in E, quum circulus genitor vel major est, vel minor, quam circumrotatus; adeoque dictos angulos PCK & PEL congruere, hoc est evidenter fieri æquales, in semicycloide primaria, non item in duabus secundariis. Inter ergo speciem curvarum centricarum, quas Radii luminis, Atmosphæram transeuntes, continua refractione efformant, ex hypothesi quod punctorum refractivorum altitudines sunt ad invicem in duplicata sinuum refractionalium ratione; inter, inquam, curvarum hujusmodi speciem & Epicycloidum primariarum naturam non parvum esse, discrimen ex dictis liquido constat.

Ceterum non ab re forsan erit hic subjungere modum ducendi lineas rectas, quæ curvas istas ad angulos rectos secent. 1°. E centro Q (Fig. 2) ad quodlibet punctum P baseos circularis ANR agatur recta QP, & sic producatur, ut pars PD adæquet maximam curvæ positione datæ applicatam. 2°. Circa diametrum PD describatur circulus DEPD. 3°. Ducto per quodcunque hujusce curvæ punctum C arcu basi ejus concentrico, donec circuli DEPD peripheriam secet in C, & diametrum in L; connexisque sectionum punctis cum puncto Q, erigantur in C & in L super QC & QL duæ perpendiculares, quæ ipsi peripheriæ DEPD occurrant in G & in F. 4°. Ejusdem arcus CLI sumatur pars CL, curva tenus, æqualis parti LC intra circulum; & connectantur L, Q, prope curvam. 5°. In circumferentia DEPD assumpto arcu P2 æquali arcui GF, describatur centro Q, intervallo Q2, portio peripheriæ occurrens in 3 rectæ connectenti puncta Q & L curvam versus. Denique prope ab eadem curva sumatur arcus 32 æqualis arcui 23 intra circulum; jungaturque 2C; ipsa erit normalis ad curvam propositam quæsita. Nam (ex constructione) angulus 2CG æqualis fiet angulo PEL, & idcirco (ex proprietate explicata) angulo CBK. Atqui in parvo triangulo rectangulo BKC sub curva ACB, anguli basi adjacentes

centes CBK & BCK æquantur simul uni recto: Ergo idem BCK & idem 2CG simul sumpti unum rectum BC2 ad ipsam curvam ACB constituerent. Quod requirebatur.

MARCI ANTONII SABELLI, JCTI MUTIlianensis, Serenissimi Magni Etruriæ Ducis Curiæ Criminalis Auditoris, Summa diversorum Tractatuum ac Resolutiones, cum Indice generali.

Tomi VI.

Coloniæ, sumtibus Wilhelmi Metternich, 1707, in fol.
Prostat Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditschium.
Alphab. 29.

VAstissimi hujus Operis externum habitum si breviter repræsentaverimus, nostro fortassis satisfecimus officio, imprimis cum pleraque hic contenta bis ante hac edita fuerint Venetiis. Summa diversorum Tractatuum, quæ vocatur, quatuor Tomis, Libros novendecim complexis, absolvitur, in eaque doctissimus Autor varii generis materias ordine alphabetico recensuit, atque ita, per singula literarum elementa, a quibus aliquid materiæ expectari potuit, eundo, amplissimos locos communes adornavit, in quibus, docente Operis titulo, omnigenæ universi Juris selectiores, methodicæ, practicæ ac decisivæ Conclusiones, circa Judicia, contractus, ultimas voluntates & delicta, ad forum Seculare, Ecclesiasticum & Conscientiæ spectantes, ad instar uberrimi Repertorii, habentur, & a probatissimis hujus ætatis neotericis Auctoribus, ac quarumvis materiarum decisionibus, præcipue Sacræ Romanæ Rotæ, Urbis & Orbis Areopagi confirmatæ, cum locis, ubi materiæ distinctæ erudite & copiosissime pertractantur. Toti Operi præmissum est Compendium Judicis perfecti, sive Discursus de munerum & precum datione ac receptione, Judicibus cæterisque Officialibus publicis prohibita, Autoris vero Filius, Guidus Antonius Sabellus, JCtus & in sacra atque illustrissima D. Stephani, Serenissimi Magni Etruriæ Ducis, religione Eques, teste eodem operis titulo, innumeras accessiones locis propriis inseruit, ac insuper

ſuper tribus Tomis prioribus, diverſorum Juris Procerum allegationes & Deciſiones, varia Juris argumenta concernentes, ſeparatim in calce adjecit. Tomus Quintus Sabelli Patris centum Reſolutiones, in quibus, ut verbis Rubricæ iterum utamur, quamplures quæſtiones forenſes, quotidie occurrentes, perſtricte & ſummatim, juxta veriores & approbatas Doctorum ſententias, ac præcipue juxta ſolidiſſimas Rotæ Romanæ opiniones, deciduntur, exhibet. Quibus omnibus Sabellus Filius Indicem generalem copioſiſſimum ac in quatuor alphabeta excreſcentem in Tomo Sexto ſubjunxit, quo, ut ipſe ait, velut clave, omnes materiæ, tam Summæ Sabellæ, quam Reſolutionum, nec non Praxis Criminalis ac noviſſimarum additionum, quæ in Voluminibus Colonienſis hujus impreſſionis continentur, facile aperiantur. De cetero uti doctiſſimi Sabelli, Pater & Filius, ſummam laboris & diligentiæ laudem hoc opere ſunt promeriti, ita dubitandum etiam non eſt, quin tam operoſa collectio omnibus jura tractantibus, inprimis vero iis, qui in foro vel cauſas orant, vel conſulentibus de jure reſpondent, ac variis allegationibus non raro indigent, maximo futura ſit uſui.

POLITICA E RELIGIONE &c.

h. e.

POLITICA ET RELIGIO, IN PERSONA, Dictis, & factis JESU CHRISTI, ſecundum Evangelium S. Johannis demonſtrata a Comite JOANNE BAPTISTA COMAZZI.

Tomus primus.

Nicopoli, apud Evaſium Folgori, 1706, in 8.

Alph. 1.

PRudentiæ civilis & Religionis ſuave conſortium oſtendit hoc libro, atque JOSEPHO I Imperatori invictiſſimo ſubjectiſſime commendat Illuſtriſſimus *Comatius*, de cujus Operibus aliis cum abunde dictum ſit in Actis anni 1706 pag. 478, ſq. hoc

ſq. hoc unum hic addimus, quod in revidendo nunc LEOPOLDO, hiſtoria ſcilicet *Leopoldi* Imp. Latine ſcripta occupatus ſit, & præterea prelo paratos habeat libellos ſequentes: *Li Gradi al Dradimento: Il piacere della Corte: Hiſtoria della Flotta Ceſarea ſul Danubio: La Coſcienza Illuminata.* Præmiſſa eſt libro huic, quem nunc exhibemus, Introductio, in qua poſt explicationem notionum, Politicæ & Religionis, utramque neceſſariam eſſe oſtendit Imperanti, exemplis Tiberii Imp. Rom. & Moſis uſus, quorum illum absque Religione, hunc absque Politica fuiſſe dicit infelicem; & hoc acriori meditatione dignum, addit: ſi eodem tempore, quo Moſes cum Deo colloquebatur, alius Miniſter politicus, aliis quidem in locis Manna diſtribuiſſet, in aliis vero verbera his, qui tumultuum fuerant autores, tum demum felicius procedere potuiſſe civile imperium Iſraeliticum, neque opus fuiſſe XL annis & XI menſibus ad hebdomadum paucarum iter abſolvendum. Porro libri ipſius Capitibus ſingulis ſingula S. Johannis Evangeliſtæ loca ingenioſe explicat, ad Cap. usque IV, verſ. 6. Joh. hoc Tomo I progresſus; ex iisque tum monitum religioſum, tum politicum aliquod argute elicit. Ex. gr. Capite X ſumit hoc Joh. II, 4 exponendum: *Quid mihi & tibi eſt, mulier?* Ubi (§. 1. n. 1. ſqq.) conſiderat, quod B. Maria, cum audiviſſet illud Chriſti, quod durum & incivile videri poterat; *Quid mihi* &c. ipſa dixerit tamen ſervis: *Quodcunque dixerit vobis, facite.* Unde hoc colligit: Imperantes alia quidem lingua loqui ſolere ad nos, alia vero, qua ſeſe ipſi inter ſe intelligant. Inter Chriſtum & Mariam fuiſſe *intelligentiam* de præſtando beneficio, ſed *verba* aliter ſonare debuiſſe propter duo arcana, politicum alterum, alterum ſacrum, illud: *Non convenire* ſcilicet *fœminis, immiſcere ſe imperio, vivo imperante:* ſacrum vero hoc: *ut conciliaretur attentio rebus ſacris.* Miraculum nempe hoc ſpectaſſe S. Cœnam, mutationemque vini in ſanguinem Chriſti futuram. Parandæ igitur attentioni, quæ primo huic miraculo debebatur, Chriſtum inſolito prorſus more allocutum fuiſſe matrem. Quo loco quod mutationem hanc aquæ in vinum cum illa in S. Cœna credita transſubſtantiatione confert, id quidem aliis dijudican-

 dum

dum relinquimus, & ad monitum politicum progredimur, quod (§.2. n.7. sqq.) sic infert Illustrissimus Autor: Mariam fuisse haut dubie fœminis omnibus superiorem. Cujus factum ne traheretur in exemplum a fœminis, neque illæ se ingererent rebus civilibus, vivo & præsente Domino, ideo Christum eam h. l. *mulierem* appellasse, non matrem. Persequitur autem (n. 8.) hoc monitum politicum isthoc modo: in Religione, s. statu gratiæ, DEUM extulisse conditionem fœminarum, in persona Virginis, supra Seraphinos cœlestesque omnes Intelligentias, atque ostendisse, quod possit fœmina coram DEO ad quemvis gradum aspirare perfectionis: verum in statu politico, in quo maneat fœminarum conditio naturalis, aliter illas esse respiciendas: *Quid mihi & tibi, mulier?* Confirmat Autor hoc monitum (n. 9.) ex statu hominis primævo. Cum DEUS conferret Adamo principatum, juberetque coram illo apparere omnia animalia, ut verum ab ipso nomen referrent, Evam nondum fuisse in mundo: *Adæ vero non inveniebatur adjutor similis ejus*, Gen. II, 20; nempe ut Principes hinc intelligerent, in rebus imperii, cum maritus regnat, non debere fœminam sibi quicquam deposcere autoritatis; quandoquidem Adam fuerit Princeps constitutus tum, cum esset solus, sine uxore, & sine liberis, h. e. cum fœminæ nondum existerent: & si in dominio animantium fœminæ partem non habeant, multo minus sibi regnum posse in homines mares deposcere, ubi illi vivunt & imperant. Addit, (n. 10.) quod fœmina ex Adami dormientis costa vel osse, non vigilantis & ratione utentis sanguine vel cerebro, vel parte alia, qua sedes esset spirituum & sublimis animæ, creata sit: atque, etiamsi dixerit DEUS: *Erunt duo in carne una*; bene tamen dixerit: *in carne*; non in mente, in qua est vis regnatrix, virtus & character dominii. Etiam hoc considerat, (n. 11.) quod dictum sit Gen. I, 26: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit.* Quod de Adamo exponit, deque similitudine imperandi, cum DEUS corpus non habeat, cui similis esse potuerit homo: ideoque hæc connectit: *Ad similitudinem nostram & præsit.* Evam autem similem tantum Adamo fuisse conditam, nec cum

illo

illo addito: *Et præsit*; ne, si Eva omni modo similis fuisset Adamo, etiam DEO assimilaretur, secundum illud: *Quæ sunt æqualia uni tertio, sunt æqualia inter se.* Ideoque Adamum, visa Eva, nihil aliud dixisse, quam hoc: *Os de ossibus meis, caro de carne mea*; h.e. hæc similis est mihi secundum ossa & carnem, non secundum mentem meam & dominium meum. Illud quoque (n.12.) annectit, quod Gen. I, 27 scribatur: *Creavit DEUS hominem ad imaginem suam*; & statim addatur in singulari: *Ad imaginem DEI creavit illum*; postea vero in plurali hoc tantum: *Masculum & fœminam creavit eos*; unde clarius etiam atque etiam eluceat, similitudinem fœminæ & maris positam fuisse in humanitate, non in principatu. Ex quibus (n. 13.) concludit: siquidem creata non sit a DEO fœmina ad orbis dominium, nihil mirum esse, si male illa gubernet. Semiramidem Assyriis imperasse, Tomyrin Sarmatis, Annam Anglis, alias aliis, sed Regibus deficientibus, supplente Providentia & virtutes fœminis viriles largiente: aut mere accidentia fuisse hæc, quæ instar regulæ haberi non debeant. Certe constare divino ex Oraculo, imperia non esse fœminis concessa, ut sint felices populi: *Mulieres dominatæ sunt eis, Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt*, Es. III, 19. Adjicit (n.14.) omnes orbis populos, civiles & barbaros, consentire in eo, quod fœminas a magistratibus semotas teneant: &, si quibus Senatum Fœminarum instituere placuisset, ut Eleogabalo Romæ, durare illud institutum non potuisse; atque Eleogabalum Imp. pro stolido habitum non modo in Urbe sed in universo orbe atque apud omnes posteros fuisse. Laudat denique Autor (n.15.) consilium Senecæ, qui cum Agrippina, mater Neronis, una cum ipso Filio publice audire Legatos Armeniæ decrevisset, eaque de causa jam in locum palatii destinatum processisset, suaserit Neroni, obviam iret matri, quasi ex observantia, auditionem vero Legatorum aliam in diem differret: *Ita, specie pietatis, obviam itum dedecori*, apud Tac. Ann. L. XIII. c.6. Ultimo loco (n.16.) commemorat factum Mahometis Turcarum dominatoris, qui fœminam pulcherrimam, cum qua omnia consilia communicare dicebatur, ex improviso in pala-
tium

introductam, aspectantibus Ministris, suo ipse gladio capite mulctaverit; clauditque hoc caput X eodem dicto, quo inchoaverat: *Quid mihi & tibi est, mulier?* Ex cujus unius argumento copiosiore facile est intelligere, quo pacto egregia sua cogitata proferat Autor genere idem & doctrina illustrissimus, cujus & secundum operis hujus Volumen, quod jam prodiisse accepimus, brevi exspectamus, quod tertium quoque & quartum mox excipient.

Johann Paschens Beschreibung wahrer Tantz-Kunst.

i. e.

JOHANNIS PASCHII DESCRIPTIO GENUINæ Artis Saltatoriæ.

Francofurti, apud Wolfgangum Michahelles & Johannem Adolph, 1707, in 8.

Constat 1 Alphab. 9 plag.

POstquam Autor hujus libri notissimus multos annos Lipsiæ Artem Saltatoriam magna cum laude alios docuit, eam in systema quoddam redactam, quod hac quidem ratione a nemine antea tentatum, publice hic exhibet. Quatuor autem membris argumentum hoc suavissimum absolvit, ostendens, artem hancce esse quidem naturalem, rationalem ac utilem, sed
p. 3. & vario abusui obnoxiam. Naturalem eam esse, inde deducit, quod gaudium ex anima ortum omnia in homine extendat, hacque ratione spiritus animales ad vehementiorem quendam motum instiget. Dum, quod rationalis illa ars sit, demonstrat, duabus eandem principaliter & effective constare partibus asserit, Ethica nimirum, seu aptitudine corporis, & Re-
17. præsentationibus Theatralibus gestuum atque actionum. In utraque harum sequentia consideranda putat, Scopum finalem, Materiam, Inventionem, Ordinationem, Decorationem & Executionem. De saltationum nominibus parte prima agens dicit,
p. 37. eorum quædam esse propria, ut *Courante*, *Bourrée*, *Menuet*, *Sa-*

Sarabande, *Gique* &c. quædam Appellativa, petita a locis, ubi p. 39.
ſaltationes nonnullæ primum exercitæ, ut *Bourrée de Verſailles*;
a perſonis, in quarum honorem eædem inventæ, ut *Courante du Roy*; a caſibus fortuitis, ut *Gavotte de Retour*; ab Operis, e
quibus illæ deſumptæ, ut *Gavotte de Flore*; a magiſtris artis ſal-
tatoriæ, ut *Courante de Beauchamp, Bourrée de Pecour*. Parte 64.
ſecunda de Repræſentatione agente multa dicuntur de magiſtri
ſaltationum perſona & requiſitis, nempe cognitione Poeſeos,
Geometriæ, Muſicæ, Philoſophiæ &c. Ab eodem, juxta Au- 76.
toris mentem, porro requiritur, ut ſaltanda ſecundum artis re-
gulas componat, compoſita apte exequatur, aliosque ſolide do-
ceat. Quo autem id commode fiat, opus habet ejusmodi 86.
magiſter dono docendi, viſu acuto & prudenti, nec non auri-
bus Muſica bene excultis. Uſus hujus artis ſeſe exerit in tem- 100.
perandis affectibus, imprimis timore, melancholia, ira & gau-
dio; præterea exercitia ſaltatoria actiones Oratorum, publicas 107.
ceremonias, exercitia militaria promovent & infantes robu-
ſtos, aptos atque civiles reddunt. Circa abuſus hujus tam 117.
gratæ artis notatur præcipue ita dictus Pedantiſmus, quique
eidem hoc in exercitio ſint dediti, diſtinctis allegantur nume-
ris. His ita pertractatis, expenduntur Judicia J. C. L. P. P. G. 138.
de ſaltationibus hodie uſitatis, variaque monentur, tum circa
titulum, tum circa tractationem ipſam, ac denique decem hanc
artem concernentes Quæſtiones formantur & deciduntur.

NOUVEAUX MEMOIRES DE MR. NODOT &c.
h. e.
NOVI COMMENTARII, SIVE OBSERVATIONES in itinere Italico congeſtæ circa monumenta veteris & novæ Romæ, &c. Auctore NODOT.
Tomi II.

Amſtelædami, apud Zachariam Chaſtelain, 1706, in 12.
Conſt. Alph. 1 & aliquot Tabb. æn.

NOvorum licet Commentariorum titulo liber hicce inſigni-
tus ſit, non ex omni tamen, ſed aliqua tantum ſui parte

novitatis gratia se commendat. Secundus enim Tomus scriptum, Gallica quoque lingua de *Curia Romana* a Nodotio, Petronii editione satis celebri, aliquot abhinc annis editum, omnino exhibet, nisi quod in iterata hac illius editione quædam demta, quædam vero addita fuisse deprehendantur. Quæ scilicet ibi ad *Lionneam* exaratæ conspiciebantur epistolæ, quibus Romanæ Curiæ imago, qualis Clementis IX tempore fuit, delineatur, hic non comparent; quæ contra hic de viis publicis, aquæductibus, fontibus atque cloacis Romanorum commemorantur, ibi frustra quæsiveris; ut naumachiarum, circorum, amphitheatrorum, mausoleorum, obeliscorum imagines aliasque tabulas, quibus hæc editio fuit exornata, taceamus. Primus vero libri Tomus jam primum in lucem publicam emissus est, in quo descriptis, quæ Christianorum cultui ac usui Romæ hodie consecrata sunt, templis atque ædificiis, quorum præstantissima ære quoque expressa sunt, illud imprimis Autor egit, ut, qua ratione veri Numinis cultus de Gentilium superstitione triumphum quasi egerit, clarissime ostenderet. A primis igitur religionis Christianæ incunabulis rem exorsus, incrementa, quæ in Romana urbe subinde cepit, breviter enarrat ad *Constantini M.* usque tempora, cujus dum pietatem ac in rem Christianam merita collaudat, *Observationum selectarum ad rem litterariam spectantium Autores* notat, qui Tomo primo, Zosimi imprimis autoritate inducti, virtutes, quas Eusebius, Socrates aliique gravissimi scriptores Constantino tribuerint, dubias ipsi reddere audeant. Hinc expositis variis nominibus, quibus loca cultui divino destinata veteres insigniverunt, non modo primaria illa templa, in quibus certæ, quas vocant, stationes ad impetrandas indulgentias fieri solent, sed alia quoque describit, & ita quidem, ut illorum originem, structuram, ornamenta, reliquias Sanctorum ibi adservatas, ceteraque memoratu digna diligenter exponat. Attingit quoque aliquando sepulcralia monumenta, ipsorumque inscriptiones, quæ vel ob defunctorum celebritatem, vel aliis de causis notabiles ipsi fuerunt visæ. Ita de templo differens, quod vulgo *la Madonna del Popolo* appellari solet, epitaphii cujusdam mentionem injicit, quod homini

mini, infelici felis morsu extincto, hunc in modum scriptum legitur:

Hospes, disce novum mortis genus; improba felis
Dum trahitur, digitum mordet, & intereo.

Denique cœmeteriorum & cryptarum, quæ priscorum Christianorum, Romam incolentium, usui inservierunt, brevem descriptionem subjungit, illa maxime secutus, quæ Bosius, Severanus, Aringhius, Pancirollus & Baronius de iis prolixius commentati sunt.

INDEX AUCTORUM,

quorum Libri aut Inventa hoc Volumine recensentur.

I. Libri Theologici & ad Historiam Ecclesiasticam spectantes.

Ly-

II. Libri Juridici.

III. Libri Medici & Physici.

Fuller

IV. Li-

IV. Libri Mathematici.

V. Libri Hiſtorici, Geographici, &c.

VI. Libri Philosophici & Philologici Miscellanei.

Co-

INDEX RERUM NOTABILIORUM
IN HOC VOLUMINE OBVIARUM.

Apte

D. Bene-

Le

Petre-

Prut.

Joh.

Septem

Unio

ERRATA.

Pag. 333 lin. 4 lege *mense Majo*: p. 359 disjecta sunt Typographi incuria priora verba ex lin. 31 in 30, quare legendum: *qui ad ipsius similitudinem componi desiderat, quod Deus laudet virtutes, vitia odio prosequatur*: p. 420 post *fabricam* insere *in Fig. 4* & adde in margine *TAB. VIII. Fig. 4*: p. 485 lin. 18 l. *ubi* & lin. ult. *Euvlum*.

* * *

